TAWIENS

UNIVERSITAS
O. M. I.
OTTAWIENSIS

Don
Don
Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Toronto

http://archive.org/details/scripturaesacrae01mign

ELENCHUS

OPERUM ET AUCTORUM

QUI IN HOCCE PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

BONFRERIUS.

In totam Scripturam sacram Præloquia.

VALTONUS.

Prolegomena de variis Bibliorum Versionibus et Editionibus.

RENALDOTUS,

De Scripturæ Versionibus quæ apud Orientales in usu sunt,
De Versionibus Orientalibus,
De sacrorum Codicum antiquitate et authentiâ
Dissertationes.

MARIANA.

Pro Editione Vulgatâ.

D. HIERONYMUS.

Epistolæ criticæ. — Prologus Galeatus.

BASILIUS PONCIUS.

Quæstiones expositivæ, id est, de exponendâ Scripturâ sacrâ, libri duo.

HENRICUS MARCELLIUS.

Theologia Scripturæ divinæ. — Index rerum.

EXCUDEBAT E.-J. BAILLY, IN FORO SORBONICO, 2.

SCRIPTURÆ SACRÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX COMMENTARIIS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS,
ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM
EUROPÆ CATHOLICÆ,
UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS,
UNICÈ CONFLATUS,

Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

TOMUS PRIMUS.

Introductionis pars prima.

PARISIIS,
APUD EDITORES,
IN VIA GALLICÈ DICTA:
RUE DES MAÇONS SORBONNE, 7.

1837.

ANNEXE DE LA BIBLIOTHÈQUE
uOttawa
LIBRARY ANNEX
UNIVERSITAS
O. M. I.

BS
610
.L3M51
1837

BONFRERII VITA.

Bonfrerius (Jacobus), anno 1573 natus Dinantii in Belgiâ, societati Jesu adscriptus fuit anno 1592. Decem et septem annos, in collegio Acquicinctino Academiæ Duacensis varias scholas moderatus, tandem sacrarum litterarum et linguæ sanctæ professor, Tornaci obiit anno 1643, ætatis 66. Erat, ut loquitur Swertius, *non vulgari doctrinâ instructus, et raris virtutum ornamentis insignitus, industriâ mirabili, incredibili in rebus agendis prudentiâ, acerrimi ingenii, solidissimi judicii.* Composuit commentaria in Pentateuchum quæ doctioribus *visa* fuerunt *omninò digna prælo propter insignem tùm linguarum ad id necessariarum peritiam quæ passìm in illis elucet; tùm eruditionem rerumque copiam, ac delectum; tùm soliditatem doctrinæ ex sanctis Patribus et optimis quibusque interpretibus petitam; tùm ingenii sagacitatem et judicii maturitatem in eruendo decernendoque sensu litterali; tùm prudentiam et cautionem in declinandâ opinionum minùs receptarum novitate vel offensione justâ aliorum doctorum; tùm denique styli facilitatem ac nitorem.* Quod elogium eruditus lector facilè probabit (1); sed Bonfrerium ipsum de hisce commentariis loquentem audiamus.

Ad lectorem Præfatio.

« Damus tibi, amice Lector, novos hosce in Moysis Pentateuchum Commentarios : et quia fortassè, si vita suppetat, non erit hic unus labor noster, cui prælum sudabit, præmittimus in totam Scripturam sacram Præloquia; quæ existimamus, nec inutilia, nec ingrata fore : quid tamen vel in his vel in illis præstiterimus, aliorum esto judicium. Visum est autem antè omnia consilii nostri rationem exponere, et quid nos ad hæc evulganda post alios, qui in eodem sudârunt pulvere, impulerit. paucis aperire. Mihi jam pridem animus erat in Regum libris opellam quamcumque meam ponere, quòd vixdùm ulli in hâc palæstrâ cucurrissent; at cùm animadverterem rem in illis chronologicam esse difficiliorem, nec facilè expediendam, nisi de temporibus quæ Reges antecesserunt res priùs expedita foret; visum est initium Commentariorum nostrorum à Pentateucho et primo mundi exortu arcessere; et tùm demùm, si vita et vires ferrent, ad sequentes Libros gradum facere.

« Jam Pentateuchum hunc commentando absolveram, cùm morbus gravior et diuturnior cœpta abrupit. Credideram sanè futurum ut hæc mecum, qui ad extremam vitæ periodum properare mihi videbar, æternâ oblivione sepulta jacerent; at placuit ei, in cujus manibus vitæ nostræ momenta decurrunt, revalescentibus utcumque viribus, nos rursùm ad labores evocare. Invitabat tamen denuò, ut opus hoc premerem, qui paulò antè lucem aspexerat, accuratus planè Commentarius in Pentateuchum R. P. Cornelii à Lapide, antè annos plus viginti in hoc sacro Scripturæ Lycæo Magistri mei, cujus ut studiorum, ità virtutum æmulus fieri cuperem: perpulit tamen restitantem Superiorum, et aliorum, quibus omnia debere me putabam, auctoritas, ut ad incudem et limam extremam opus hoc revocarem; non quidem ut prælucente Cornelio majorem Moysi facem accenderem, sed facem meam conjungerem, quæ juncta alteri pauxillulum conferre posset ad velatam Moysis faciem revelandam. Poterant sanè et alii, qui antecesserunt, Scriptores, me ab hâc telâ ordiendâ deterrere; verùm cùm animadverterem vix ullum ex antiquioribus Patribus hunc pulverem decurrisse, sed brevibus duntaxat quæstiunculis leviter et sparsìm paucula delibâsse; nonnullos etiam operis partem aliquam duntaxat attigisse, è quibus Hieronymus suis in Genesim traditionibus Hebraicis, doctis planè et eruditis, palmam ferre meritò credi potest; è recentioribus verò nonnullos etiam duntaxat partes quasdam arripuisse, quos inter sanè Pererius noster Genesim doctis Commentariis illustravit; ex iis verò qui totum opus percurrerunt, paucos esse qui integrè omnes Interpretis Scripturæ numeros et partes expleant; judicavi nihil esse causæ, cur ob Scriptorum multitudinem à cœpto desisterem, vel opus hoc æternis tenebris damnarem.

« Sat scio fieri vix posse, ut cujusque genio vel palato scriptio accommodetur, dùm qui legit sibi suoque vitæ instituto eam accommodat; et quemadmodùm multa ego fortè in aliorum scriptis desidero, ità in meis non pauca ab aliis desiderentur : existimavi tamen minùs incommodi esse, et minùs aliorum querelis patere Scriptorem illum, qui quod profitetur reipsâ, præstat et exequitur, atque adeò ejus cui propositum est Scripturam interpretari, ut Interpretis ex vero nomen assequatur, et partes omnes præstet, esse verum et genuinum litteræ sensum exprimere : quâ in re ità

(1) Tantâ solertiâ diligentiâque elaboratos Commentarios vix nobis locum reliquisse uni alterive notulæ mirandum nemini speramus.

operam meam posui, ut sensum hunc ex auctoribus quibusque probatissimis, è sanctis Patribus, Philone, Josepho, textu Hebraico, versione Septuaginta Interpretum, Chaldaicâ Paraphrasi, è variarum artium disciplinâ, adhibitâ in his omnibus judicii limâ, exprimerem. Quæ ex Hebræo Græcisque adfero, ferè Hebraicis Græcisque vocibus characteribusque effero; sed ità ut Hebraicas voces tàm nativo quàm Latino charactere exprimam; utrisque verò tàm Græcis quàm Hebraicis vocibus Latinam interpretationem adjiciam (1): ità enim ut facerem ab amicis nonnullis rogatus sum, et quamvis ea cura linguarum peritis non modò superflua, sed etiam fastidiosa esse possit; id tamen consilium mihi sequendum esse duxi, quòd eâ ratione pluribus non peritis modò, sed etiam imperitioribus consulitur, quos linguæ peregrinitas et ignorantia à Commentariorum nostrorum lectione deterrere posset. *Sapientibus et insipientibus debitor sum*, inquiebat Apostolus. Neque verò hæc omittenda putavi, quòd ex his locorum multorum genuina interpretatio pendeat; his mirum in modum subindè illustrari locupletaríque possint Commentarii : imò alius subindè litteralis sensus exprimi, quàm è Vulgatâ nostrâ versione eruatur. Sensus mysticos vix attingo, nisi sicubi illustris est allegoria : hanc enim prætereundam mihi esse non duxi, propterea quòd vetus Testamentum novo famulari et subservire debeat (2).

«Præmisi Commentariis in totam Scripturam sacram Præloquia, quæ sacrarum litterarum studio addictum manuducere possent in penitiora Scripturarum adyta, in quibus nodos multos expedivi, tricas explicavi, quæ universìm de Scripturâ moveri solent facessereque negotium possent, non parvâ, quantùm arbitror, ad totius Scripturæ intelligentiam lucis accessione.

«In his verò omnibus ità scriptionem attemperavi meam, ut quæ per sese ipsa satis essent perspicua non attingerem, ne vel operam ludere, vel soli ipsi faculam velle prætendere viderer : quæ faciliora erant, sed imperitioribus remoram aliquam adferre possent, verbo uno tangerem; ità verò lucem obscurioribus adferre niterer, ut nec nimis fusâ commentatione tædium Lectori parerem, nec nimis brevi res obscurarem, sed mediam quamdam viam insisterem : ità tamen, ut sicubì præclara aliqua sese objiceret difficultas, quæ compendio expediri non posset, sed longiorem sermonem deposceret, non existimarem à propositâ brevitate alienum, si eam quantùm satis esset ità excuterem, ut veritas exprimeretur, ne quis queri possit à me vel declinatas studio difficultates, vel non pro dignitate et rerum momento expensas. Illud profectò de me candidè affirmare possum, me nullas deditâ operâ subterfugisse difficultates, quæ inter commentandum occurrere potuerunt; neque eas tantùm, quæ è versione nostrâ Vulgatâ extundi possunt (quam ubique sacrosanctam esse volumus) sed etiam quæ è Septuaginta Interpretum versione (quam nonnulli plùs nimio quàm Catholicos deceat vellicant) vel ex Hebræo textu, quasi è copiosis auri fodinis eruuntur : non quòd in his omnibus veritatis scopum me attigisse polliceri ausim, nedùm id ambitiosè mihi arrogare; mihi satis erit si secuturæ ætati facem aliquam prætulero, quæ deindè uberiorem lucem affundat. Porrò si quid imprudenti mihi, quod nolim, à saniore doctrinâ alienum in hisce Commentariis excidisset, pro non scripto suppressoque haberi volo. Mihi omninò totique Societati nostræ propositum est, Catholicæ Ecclesiæ sensa, doctrinam, auctoritatem tueri, cujus defensioni non tantùm labores nostros atque sudores, sed etiam vitam sanguinemque, sicubì opus erit, consecratum esse volumus : cujus etiam judicio ac censoriæ virgulæ, sicubì scopum minimè attigerimus, omnia et singula à nobis dicta subjicimus. Tu intereà, amice Lector, benignè nostros hosce labores interpretare, et, utcumque voles, arbitratu tuo utere. Vale.»

Commentarius in Pentateuchum, præmissis quæ ad totius Scripturæ intelligentiam manuducant præloquiis perutilibus, Antverpiæ prodiit 1625 ex officinâ Plantinianâ apud Baltasarem Moratum et J. Meursium. « Maximi momenti, ait Dupinius cujus testimonium nemini suspectum, iste est « Commentarius; sensum textûs verbaque obscura justâ explicans commentatione, et nunquàm « extrà materiam discurrens. Præloquia quorum utilitatem nemo satis laudabit, omnia quæ ad « perfectam scripturæ cognitionem pertinent compendiosè quanquàm sufficienter continent. »

Commentarii in Josuam, Judices et Ruth prodierunt Parisiis in f° 1631. Quos texuerat in Reges et Paralipomena, prælo commissi Tornaci, anno 1643, apud Adrianum, incendio sublati fuerunt. Bonfrerius Parisiis 1631 vulgaverat quoque Onomasticon locorum et urbium scripturæ sacræ, vulgò Eusebii, cum hieronymianâ novâque versione eruditisque commentariis, ad geographiam sacram opus utilissimum, quod, juxtà editionem P. Tournemine denuò emendatum, typis mandabimus.

(1) Latinam interpretationem solam retinendam esse plerùmque judicavimus.
(2) Ratio est cur doctissimi Huet Parallelismum veteris et novi Testamenti denuò edendum curamus.

JACOBI BONFRERII

IN TOTAM

SCRIPTURAM SACRAM

Praeloquia.

CAPUT PRIMUM.

De Dei verbo in genere.

Non agimus hìc de Dei verbo purè intrinseco et termino intellectionis notionalis, nec ad aliud extrà Deum relato, quod Verbum non est aliud quàm Dei Filius; sed de verbo Dei, quod aliquid creatum involvit, et extrà Deum creaturas respicit, ad quas verbum illud dirigitur, ut per illud aliquid ipsis Deus manifestet.

Verbum in homine aliisque creaturis intellectualibus illud omne in genere appellatur, quod est terminus conceptus ipsius intellectûs, estque qualitas quædam ab intellectu per intellectionem producta, seu imago rei intellectæ, ipsummet intellectum à quo procedit informans, et in eo recepta. Potest autem verbum hujusmodi purè creatum duplex statui : unum est absolutum, quod aliquid extrà hominem non respicit, nec ad quempiam alium dirigitur, sed in ipso intellectu receptum eum illuminat et perficit, in eoque sistit. Tale est omne verbum quod ab intellectu et in intellectu producitur, nec aliò refertur, quàm ut intellectus alicujus rei notitiam habeat. Alterum dici potest respectivum, quod ad alterum per locutionem dirigitur, quomodocumque tandem fiat ea locutio, seu ad alterum directio; potestque in genere verbum hoc definiri quo quis alteri proloquitur. Locutio verò, cujus terminus est hoc verbum, juxtà philosophos est animæ intelligentis actio, per quam ad alterum animi notiones ac sensum transmittimus. Duo itaque ad locutionem requiruntur ut sit undequaquè completa; unum, ut ad alterum conceptus dirigatur; alterum, ut ità dirigatur, ut per illam directionem alter in notitiam conceptûs loquentis veniat, sive ut ità quis loquatur ut alter audiat, et rem de quâ agitur percipiat : prius locutionem vocare possimus, posterius auditionem. Defectu hujus posterioris non potest dici perfecta locutio, cùm non sufficienter manifestetur alteri mentis conceptus : undè non censetur perfecta et completa locutio, si quis dùm alteri proloquitur, utatur linguâ ignotâ; item si surdum alloquatur, vel surdastrum tàm submissè ut ille non percipiat; rursùm, si quis signis et manuum gesticulatione cæcum velit alloqui. Hâc imperfectâ allocutione nunquàm utitur Deus, cùm sciat quomodò ità loqui debeat ut intelligatur, et non loquatur nisi eo fine ut intelligatur. Et quanquàm videri possit Deus hoc modo loquendi imperfecto usus, cùm in somnis Pharaonem, Pharaonis eunuchos, Nabuchodonosorem, alios per symbola ignota de rebus futuris admonuit, et regem Baltasarem per scripturam et characteres incognitos (Danielis 5.), attamen non ità se res habuit, cùm non deessent interpretes, qui symbola et characteres hos interpretari possent : sicuti qui per interpretem loquitur, et animi sui sensa aperit, non censetur imperfectè loqui, cùm id efficiat, quoquo modo perindè est, ut alter ipsius conceptus intelligat. Erit autem perfecta locutio, si utrumque horum concurrat, quomodocumquè quis loquatur, sivè verbo sensibili et externo, sivè signis et nutibus, sivè nudo conceptu interno ad alterum directo et ab eo cognito. Sic Deum alloquimur et beatos Spiritus, Sanctosque qui in cœlo sunt : hoc tamen discrimine, quòd ut Deum alloquamur, nullâ re aliâ opus sit, quàm ut ad Deum animi nostri sensa dirigamus : hoc enim ipso quo id facimus, Deus cui etiam arcana

cordis pervia sunt, ipse ea videt; at verò ut Angelos vel Beatorum animas alloquamur, cùm ipsi cordium secreta non penetrent, necesse est ut vel Deus in se ea ipsis revelet, vel ut ipse cordis nostri fundum ipsis aperiat et detegat, seu novo ipsis lumine indito, quo in cordis arcana penetrent, quod omninò erit necessarium, si naturâ suâ cordis cogitationes et affectus sint occulti; seu ea ampliùs non occultando, si à Deo proveniat quòd ea sint occulta et impervia : quæ omnia etiam cum proportione dici debent de Angelorum et Beatorum inter se collocutione. At quâ ratione nobis Deus, Angeli, et Beati illi per internam allocutionem quæ volunt nobis manifestent, res est obscurior, neque hujus loci est : satis nobis esse debet, Deo non deesse modos quibus nos alloquatur, sivè novo lumine indito, novasque, si necesse sit, rerum species imprimendo, ipsoque hominis intellectu utendo ad ipsius rei manifestationem, sivè sopitam rerum antecedentium memoriam suscitando, ac veteres, si quæ sunt, in animo species ordinando. Hinc liquet, in hâc Dei nobiscum locutione aliquid semper esse increatum, nimirùm eos qui in Deo sunt rerum nobis manifestandarum conceptus; et aliquid creatum, videlicet ipsam manifestationem, quæ in nobis est, et recipitur, imò facultatis intellectivæ ministerio exprimitur. Porrò quæcunque Deus hoc modo seu immediatè per alium nobis aperuerit, verbum Dei dicendum est; et ubì constiterit à Deo id esse profectum, ea debetur illi fides et reverentia, quam Deo et primæ veritati haberi convenit, hoc est, quæ maxima haberi potest : quod utrumque ex analogiâ verbi humani cognosci poterit. Si enim quò major est auctoritas et veritas loquentis inter homines, eò major haberi fides soleat et debeat; et si quò major est loquentis dignitas, hoc majore reverentiâ quæ dicuntur ab aliis excipi solent, ut si rex, imperator, summus pontifex loquatur; perspicuè conficitur, Dei verbo summam fidem et certissimam, utpotè à primâ et infallibili veritate profecto, à nobis deberi; summam item reverentiam, propterea quòd is qui nos alloquitur infinitæ majestatis Dominus est. Porrò ad fidem pertinet ut ei tàm firmus assensus præbeatur, ut omnem vel sensûs, vel intellectûs evidentiam ac certitudinem superet, ità ut horum qualis qualis et quanta quanta appareat certitudo et evidentia, ea tamen per fidem ob divinam auctoritatem corrigenda sit, sicubì Dei verbo repugnaret, quandoquidem minor certitudo possit et debeat per majorem certitudinem, et scientia, in quâ subesse error potest, debeat per infallibilem notitiam corrigi, juxtà illud Apostoli 2. ad Corinth 1 : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et verò hùc pertinet Martyrum constantia, qui ne quam injuriam primæ illi et infallibili veritati facerent, et ne quas repugnantes Dei verbo fideique opiniones admitterent, maluerunt omnia tyrannorum tormenta perpeti, vitamque prodigere potiùs, quàm ab illis vel latum unguem recedere.

Ad reverentiam divini verbi pertinet, ne ad jocos, ad scurrilia illud usurpetur, ut in illo interpretando non præceps, non temeraria, non ab Ecclesiæ patrumque sensu devians detur explicatio, ut in juramentis interposito Evangelio Deique verbo adsit pura sine fuco veritas, ut mors potiùs subeatur, quàm divini libri tradantur iis, qui irreverenter et cum contumeliâ eos sint tractaturi; quod fecisse non semel Martyres in eorum Actis legimus : deniquè ut religioso cultu, animique et corporis demissione, Dei verba excipiantur. Certè Japones christiani divinos libros capitibus suis imponunt, qui ritus apud eos religiosæ subjectionis symbolum est. S. Carolus Borromæus nonnisi flexis genibus sacram Scripturam lectitabat. Cùm S. Franciscus dubius esset quid ageret, contemplationi vacaret, an etiam prædicationi et animarum lucro, nec super eâ re per orationem divinum responsum exprimeret, misso ad S. Claram et S. Silvestrum nuntio, ut per eos de divinâ voluntate certior fieret, cùm nuntius revertisset, eum in montem eduxit, flexisque humi genibus, brachiisque decussatis : « Quid, inquit, imperat Dominus meus Jesus Christus, ut faciam? »

CAPUT II.

De Dei verbo in particulari.

Potest Dei verbum variè dividi juxtà varias conditiones in eo spectatas. Deus enim primò vel immediatè alicui loquitur sivè per seipsum, vel mediatè sivè per alterum. Mediatè nobis loquitur vel per Angelos, vel per alios homines : immediatè per seipsum vel voce sensibili, ac vigentibus sensibus, vel in extasi, citrà vocem sensibilem. Qui duo modi etiam Angelis competere possunt : sic Deus vel Angelus Moysi in rubo voce sensibili locutus est, totique Israelitarum populo è monte Sina Decalogum intonans; aliàs in extasi, ut cùm Ezechiel cap 3. apprehensus est à Spiritu in cincinno capitis sui, et per visionem ima-

ginariam adductus in Jerusalem, aliàsque sæpissimè.

Rursùm Deus immediatè per seipsum loquens in extasi, vel per imaginariam revelationem quempiam alloquitur, vel per intellectualem. Imaginaria revelatio locum habet, cùm imaginativæ facultatis ministerio utitur, ad remque declarandam symbola sensibilia adhibet, seu vetera in memoriâ delitescentia ad hanc rem evocando, seu nova objiciendo. Intellectualis verò, cùm sine phantasmatum adminiculo, speciebusque sensibilibus immediatè ipsum intellectum spirituali et inexplicabili modo illuminat. Estque hic modus revelationis et prophetiæ maximè sublimis, utiturque eo Deus maximè cùm revelatio est de rebus spiritualibus divinis et à materiâ alienis; quia symbola et materialia non possunt res illas sublimes et divinas aptè repræsentare. Talis fuit illa revelatio, quam habuit S. Paulus, cùm raptus fuit in Paradisum, et vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Altera verbi Dei divisio hæc esse potest, ut verbum Dei unum sit quod alicui sit, ut privatim ipse de re aliquâ instruatur, non ut in commune ad omnium instructionem proferatur, et hoc privatum appellare possumus : alterum quod in commune ad omnium utilitatem proferri, et ab omnibus recipi debet, et hoc publicum vocare possumus. Sub priori comprehenduntur particulares revelationes, quæ quibusdam factæ sunt, quibus ut assentiantur ii quibus eæ fiunt, eâ certitudine quam divina auctoritas requirit, non minùs opus est habitu fidei, si tamen credibile fiat, vel constet Deum esse qui revelet, ut docent theologi, quàm opus sit illo ad assentiendum iis, quæ Ecclesia in commune omnibus fidelibus proponit credenda; neque minùs hæreticus esset qui privatis illis revelationibus sibi factis fidem abrogaret (1), quàm qui fidei articulis nobis ab Ecclesiâ propositis assensum præbere nollet.

Porrò verbum Dei, quod publicum appellavimus, quodque propalàm in communem utilitatem fidelibus proponitur, subdividitur in Ἔγγραφον, hoc est scriptum ; et ἄγραφον, hoc est non scriptum. Scriptum, est illud omne quod volumine Biblico continetur, et ab Ecclesiâ habendum pro Scripturâ sacrâ proponitur. Non scriptum, traditiones omnes à Christo vel Spiritu sancto traditas, et hactenùs semper in Ecclesiâ asservatas complectitur.

Verbum omne divinum non scriptum, seu traditiones, omnes ità rejiciunt hæretici nostri ævi, ut totis plenisque buccis Scripturas crepent, postquàm quodcunque noluerint, et ad palatum eorum non sapit, è sacro codice dispunxerint, dispuncturi et rejecturi cætera cùm libuerit, similes nimirùm Samaritanis et Sadducæis illis apud Judæos hæreticis, qui in canonem Scripturæ solum Moysis Pentateuchum, rejectis cæteris, admittebant.

Porrò, præter verbum Dei scriptum, aliud non scriptum admitti oportere, multa sunt quæ cogunt : primò enim verbum Dei scriptum habet verbi Dei auctoritatem, non quia scriptum sed quia verbum Dei : neque Scriptura facit ut sit verbum Dei, quod antè non esset; aliàs enim dicendum esset quæ scribit Moyses de creatione mundi, de iis quæ dicta Adamo, Caino, Noe, de promissis Abrahamo aliisque patriarchis factis, non fuisse verbum Dei antequàm ea Moyses scriberet, atque adeò non fuisse peccaturos contrà fidem eos quibus ea à Deo dicebantur, si ea noluissent credere. Idem dico de prophetiis, quæ à prophetis populo tanquàm à Deo dicta proponebantur, donec ea prophetæ in scripta redegissent. Similiter qui apostolis prædicantibus credere noluisset antequàm Evangelium esset conscriptum, quantumcunquè ab ipsis proponeretur doctrina à Christo tradita : imò ne Christo quidem ipsi loquenti et quippiam asserenti etiam ab iis qui ex miraculis agnoverant eum esse verum Messiam Deique filium, necessariò credendum fuisse, neque hujusmodi futurum fuisse hæreticum. Ex quo fit, ut ne tunc quidem, licet voluisset quis, ea potuerit credere fide divinâ, cùm juxtà hæreticos non esset objectum fide illi divinæ proportionatum, quoad scripta essent et tùm demùm potuisse fide divinâ credi. Quæ omnia quàm per se absurda sint, nemo non videt. Quòd si hæc potuerint credi fide divinâ antequàm scriberentur, habebant auctoritatem verbi Dei ; atque adeò hæreticus erat, qui ea cùm sufficienter proposita essent, nollet credere : igitur de facto fuit aliquod Dei verbum, et esse potest, quod scriptum non sit.

Deindè si Scriptura requiritur ut aliquid habeat verbi divini auctoritatem, ergò Angeli in viâ nullum habuerunt verbum Dei sibi revelatum, atque adeò nec fidem, nisi quis etiam velit Angelos quæ sibi revelata erant scripsisse, ut possent iis assentiri. Item, antè Moysen nul-

(1) Hoc intelligendum est de eo qui pertinaciter revelationes particulares sibi factas quasque certè ex Deo emanàsse noscit, falsas esse affirmat; qui tantùm negativè, id est suspendens judicium, dubitat, hæreticus non est. Sic communiter theologi.

lus fuit fidelis, quia nullum fuit verbum Dei scriptum: igitur nec Adam, nec Abel, nec Enos, nec Enoch, nec Abraham, cæterique patriarchæ, nec Job fidem habuerunt : igitur plus duobus annorum millibus fide fideliumque Ecclesiâ mundus caruit. Tertiò, quia nusquàm hæretici nobis ostendent in Scripturâ Pentateuchum Moysis, librum Psalmorum, libros Prophetarum, Evangelium Matthæi et cæterorum, Epistolas Pauli, et ità de aliis, esse Scripturam sacram aut verbum Dei (1), quod tamen ad verbum Dei et fidem maximè pertinere nemo negare potest : aliàs enim si hoc solâ fide humanâ niteretur, jam totum Dei verbum scriptum fallibili fundamento niteretur, et tàm de toto Scripturæ corpore, quàm de singulis ejus partibus dubitare possem : cùm enim in quâlibet fide humanâ error subesse possit, faciamus in hâc traditione humanâ errorem inesse, sequetur et in eo quod pro Scripturâ divinâ Deique verbo recipimus posse esse errorem, si reverà Scriptura non sit : faciamus hanc fidem humanam esse dubiam, uti omnis dubia est, sequetur etiam me posse dubitare an quælibet sententia in Bibliis contenta sit Dei verbum : ergò necesse est, velint nolint hæretici, ut in hâc re ad traditionem recurrant.

CAPUT III.

De Scripturâ sacrâ et libris Canonicis.

SECTIO I.

Quid dicatur Scriptura sacra.

Non omne illud verbum Dei quod in libros vel scripta relatum est, Scriptura sacra appellatur ; nam multa quæ ab apostolis, prophetis, aliisve divinis hominibus vivâ voce dicebantur, poterant ab aliis in scripta ad memoriam referri, et Symbolum apostolorum multis in libris et catechismis scriptum reperitur, et traditiones scribi possunt, et reipsà in multis seu patrum, seu doctorum libris, de iis vel in genere, vel in specie agitur, ut de iis quæ spectant ad materiam et formam Sacramentorum; non tamen hæc nomine Scripturæ sacræ intelliguntur; sed ea duntaxat quæ ab ipsismet hagiographis scriptoribus divinoque Spiritu afflatis hominibus conscripta sunt, hoc sacræ Scripturæ nomine veniunt. Sunt autem hæc omnes illi libri, qui in Bibliis continentur, et ab Ecclesiâ nobis pro Scripturâ sacrâ et verbo Dei scripto proponuntur.

(1) In sensu adversariorum.

SECTIO II.

Qui libri Canonici.

Horum librorum indiculum nobis confecit Tridentina Synodus sess. 4. *Sacrorum*, inquit, *librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsâ Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrà scripti, Testamenti veteris, quinque Moysis : id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus et secundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est : Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus et secundus ; Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem. Actus Apostolorum à Lucâ Evangelistâ conscripti ; quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses; duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Thimotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos ; Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli.*

Eumdem canonem jam antè texuerat concilium Florentinum in institutione Armenorum, concilium Carthaginense III, Can. 47, cui concilio interfuit S. Augustinus, eidemque scripturarum canoni subscripsit. Idem est probatus à Gelasio I distinct. 15, Can. *Sancta Romana*, et jampridem antè hos omnes traditus ab Innocentio I, Epistolâ 3, ad Exuperium. Porrò antè hos Nicænam synodum etiam librorum sacrorum canonem confecisse, manifestè indicat S. Hieronymus præfatione in librum Judith, quem tamen canonem excidisse, quemadmodum et alios ejusdem synodi, docet Baronius tom. 3, ad annum Christi 325.

SECTIO III.

Cur et undè Canonici hi libri appellati : cur Authentici dicti.

Ab hoc indiculo vel canone dicti sunt omnes illi libri canonici, qui intrà hunc Ecclesiæ canonem sunt recepti. Iidem libri authentici vocantur, quòd ab Ecclesiâ auctoritatem sacrorum et divinorum librorum habeant : id enim omne

dicitur authenticum, quod auctoritatem habet. Porrò etiam, si Scripturæ sacræ libri hoc ipso quo scripti sunt, et à Spiritu sancto dictati, in se sint authentici, utpotè qui ab ipso Deo auctoritatem divinorum librorum habeant; quia tamen illa auctoritas, utpotè nobis ignota, non sufficit ut à nobis pro talibus recipiantur, nisi accedat auctoritas Ecclesiæ, idcircò non dicuntur simpliciter et quoad nos authentici, nisi hæc Ecclesiæ auctoritas accesserit.

SECTIO IV.

Qui libri in genere Apocryphi habendi.

Porrò libri illi, quibus hæc Ecclesiæ auctoritas non accessit, etiamsi à nonnullis subindè dubitatum sit, an in sacris habendi essent, Apocryphi dicuntur, sive ab Ecclesiâ positivè rejecti sint, sive Ecclesia circà illos negativè se habeat, illos non approbando; quanquàm apocryphorum nomen subindè restrictiùs à nonnullis sumatur, pro iis duntaxat, qui manifestè errores aliquos admixtos haberent. Hinc Ruffinus in Symbolo inter apocryphos non censet libros qui, etsi non essent admissi in canonem, ecclesiastici tamen erant, et legebantur in Ecclesiâ. Porrò apocryphi dicuntur, hoc est, occulti, absconditi, à verbo ἀποκρύπτειν, quod est abscondere, celare; nimirum quia hi libri non legebantur in Ecclesiâ, nec in publicum producebantur, imò nec publicam Ecclesiæ auctoritatem habebant, idcircò apocryphi appellati sunt. Itaque eadem Ecclesiæ auctoritas spectari debet, sive in admittendis in Canonem libris, sive in rejiciendis vel non admittendis, ut neque eos velimus canonicos, quos Ecclesia respuit, vel non admittit; neque ullos rejiciamus, quos semel Ecclesia admisit. Hinc meritò dictum est à S. Augustino, libro contrà Epistolam fundamenti, cap. 5.: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et in fine ejusdem capitis: *Actuum Apostolorum libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas.*

SECTIO V.

An idem sit Canonicum et Authenticum.

Nota verò primò, licèt canonicum et authenticum hìc coincidant, quia non aliter auctoritatem hi libri accipiunt ab Ecclesiâ, quàm per canonem et indiculum ipsum, in quo dùm eorum catalogum texit, simul et declarat hos libros se recipere pro Scripturâ sacrâ et vero Dei verbo, latiùs tamen patere nomen authentici: potest enim aliquid auctoritatem accipere ab Ecclesiâ, licèt nullus texatur canon vel indiculus multarum simul rerum. Sic infrà ostendemus rectè dici versionem aliquam Bibliorum esse authenticam, vel non authenticam, non tamen esse canonicam; nullus enim versionum diversarum texitur ab Ecclesiâ catalogus et canon, sed unica duntaxat probatur, quæ et ob id authentica dicitur; reliquæ quæ vel rejiciuntur ab Ecclesiâ, vel negativè non probantur, non authenticæ appellantur: licèt libri ipsi hoc modo versi sint et authentici et canonici, si modò contineant rem ipsam, quæ in ipsis fontibus à Deo profectis habetur: non enim cùm libri in canone ab Ecclesiâ recipiuntur, dictio et verborum sonus alicujus certæ linguæ attenditur, sed ipsi libri, abstrahendo à certâ linguâ; nam idem verbum Dei est, quâcunque lingua efferatur vel scribatur, dummodò eamdem sententiam contineat: licèt et hoc addat Ecclesia, ut ad Ecclesiæ usum versionem unam præ cæteris probet, utpotè quæ meliùs et fideliùs rem ipsam ex ipsis fontibus expresserit.

SECTIO VI.

De Hebræorum Canone.

Nota secundò, etiam Judæos olìm sacrorum librorum Canonem habuisse, cujus conficiendi auctoritas haud dubiè penès Hebræorum Pontificem erat, Seniorum et Sanhedrim adhibito concilio: si enim pontificis et sacerdotum erat dijudicare inter lepram et lepram, Levit. 13.; imò si pontificis erat omnem de lege finire controversiam, cùm dubium aliquod subortum esset, Levit. 17., haud dubiè ipsius quoque erat hunc librorum divinorum canonem conficere, cùm hæc res omnium esset gravissima, ut mirum non sit, etiam in Ecclesiâ istiusmodi canonis conficiendi auctoritatem penès unum pontificem, vel cum concilio, vel sine illo, resedisse. Et verò cùm certum fit, neque singulorum in Ecclesiâ esse hunc canonem conficere, cùm in singulis non ea sit auctoritas quæ falli non possit; neque omnium, cùm fieri non possit, ut omnes omnium locorum fideles in unum conveniant ad rem hujusmodi decernendam: sequitur ut ejus rei definitio vel Ecclesiæ capiti conveniat, vel Ecclesiæ principibus membrisque præcipuis, cujusmodi sunt episcopi in concilio congregati.

Porrò, quod ad Judæorum canonem attinet, quem ab Esdrâ et Concilio magno post capti-

vitatem Babylonicam confectum penè omnes asserunt, hunc habet Hieronymus in Prologo Galeato. Dividunt autem Judæi totum hunc canonem in tres partes, in *thora*, hoc est Legem, in Prophetas et Hagiographa. Sub Lege, quinque libros Moysis includunt. Sub Prophetis, octo: Josue, Judices cum Ruth, Samuelem (quos duos Regum primos appellamus), Melachim seu Reges (quo nomine duos Regum libros tertium et quartum indigitant), Isaiam, Jeremiam cum Kinoth seu Lamentationibus, Ezechielem et librum duodecim Prophetarum, quos nos Prophetas minores appellamus. Sub Hagiographis reponunt novem, Job, Psalterium Davidis, Proverbia Salomonis, Ecclesiasten, Canticum canticorum, Danielem, Paralipomenon, Esdram, Esther. Quo fit ut universìm veteris Testamenti libri apud Judæos fuerint viginti duo, tot nimirùm quot apud Hebræos Hebraici alphabeti litteræ, uti in eodem Prologo Galeato docet Hieronymus. Hujus tamen canonis diversas partitiones vide apud eumdem eodem loco Hieronymum, Sixtum Senensem in Bibliothecâ lib. 1, ubì septem diversas librorum partitiones enumerat: quanquàm Hebræorum propriè tantùm sint tres, quarum meminit ibì suprà Hieronymus; videlicet unam eorum qui modo supradicto eos partiantur; alteram eorum, qui viginti quatuor libros recenseant, utpotè qui Ruth et Lamentationes Jeremiæ à libro Judicum, et Jeremiæ Prophetiâ separent, eosque inter Hagiographa reponant. Tertia eorum qui viginti septem libros constituunt, juxtà numerum itidem litterarum; sed quia quinque litteræ apud Hebræos sunt duplices, utpotè quarum in fine dictionum diversa sit figura, additis his quinque viginti duabus litteris, fiunt viginti septem. Explent autem hunc librorum numerum, dividendo Samuelem, Melachim, Paralipomenon, Esdram et Jeremiam cum Kinoth in duos; sic enim fiunt viginti septem: hi autem itidem ut primi librum Ruth cum Judicum libro pro uno habent. Sed de his partitionibus plùs satis. Duo tantummodò circà hunc Judæorum canonem advertenda. Unum, ipsos in Prophetarum libris reponere, quos nos Historicos appellamus, ut Josue, Judices, Ruth, Samuelis et Regum libros: cujus rei rationem ego puto, quòd hi omnes à prophetis conscripti sint, vel certè ità ipsi sentiant. Contrà verò, Danielem et Job, quos nos in Prophetis censemus, imò et Davidem, quem nos κατ' ἐξοχὴν Prophetam (1) appellamus, ipsi in Hagiographis reponunt: cujus rei etsi aliqua reddi possit ratio, quòd hi etsi prophetæ sint, imò excellentes prophetæ, tamen in plerisque alia planè à prophetis agant; hæc tamen ratio et mihi jejuna videtur et aliis, credo, videbitur. Si enim scripta alia, quæ omninò nihil prophetiæ habent, sed planam apertamque rerum gestarum historiam, in Prophetarum libris censent, quia à prophetis scripti, quidni et eos qui, præterquàm quòd à Prophetis scripti, etiam prophetias habent, sed aliis rebus permixtas? Alterum hìc advertendum, Judæos plures libros veteris Testamenti in suo illo canone non habere, quos Ecclesia in canone recepit, ut Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, Machabæorum libros de quibus tamen an in aliquo numero et auctoritate apud Judæos fuerint, infrà dicemus. Et verò, quia hi in Hebræorum canone non fuerunt, idcircò ferè nostri ævi hæretici à Scripturarum divinarum canone rejiciunt; ut qui semel Ecclesiæ auctoritatem obstinatè rejicere cœperunt, in hoc etiam pergant contemnere, seque ipsos ridendos propinare, dùm Synagogæ veteri in hoc genere plùs tribuunt, quàm Ecclesiæ à Christo institutæ, cui peculiaris à Christo Spiritûs sancti assistentia, et contrà hæreses tartarearumque potestatum vires immobilis constantia est promissa, quæque ab Apostolo columna et firmamentum veritatis appellatur.

(1) Id est principem prophetarum.

SECTIO VII.

Scripturarum Canonem non uno tempore, sed successivè esse factum.

Nota postremò, hunc seu Hebræorum, seu Christianorum canonem non potuisse uno tempore totum confici, tùm quia non omnes Hagiographi scriptores uno eodemque tempore scripserunt, sed unus post alterum; tùm quia fuêre libri qui apud omnes in Ecclesiâ indubitatam habuerunt auctoritatem, et hi ab initio statìm omnes in canone recepti sunt: alii de quorum auctoritate aliquandiù dubitatum est, circà quos Ecclesia suum ad tempus suspendit judicium, nihil de iis in alterutram partem decernens, quo toto tempore licuit de horum librorum auctoritate dubitare; quia licèt divinam haberent auctoritatem, non eam tamen habebant quoad nos, quandiù de iis nihil certi constituebat Ecclesia; at ubì re perpensâ et sedulò examinatâ eos in canonem admisit Ecclesia, non potuit citrà errorem in fide de iis dubitari.

SECTIO VIII.

Possitne liber Apocryphus fieri Canonicus.

Hinc liquet quid ad illam quæstionem responderi debeat, utrùm liber qui aliquandò fuit apocryphus, potuerit posteà vel etiamnùm posset canonicus fieri. Respondendum enim, si de apocryphis sermo sit, qui positivè aliquandò rejecti sunt ab Ecclesiâ, hos admitti in canonem non posse : sicuti enim quos semel admisit in canonem Ecclesia, non potest posteà rejicere à canone, propter infallibilem ejus auctoritatem ; ità nec admittere quos semel suâ eâdem auctoritate rejecit ; at verò si de apocryphis sermo sit, quos tantummodò negativè non probabat, vel non admittebat in Canonem Ecclesia, de iis judicium suum suspendendo, potuisse posteà in Canonem admitti, et ex apocryphis fieri canonicos, et reipsà in nonnullis ità esse factum, ut infrà patebit.

CAPUT IV.

De libris Canonicis de quorum Canonicâ auctoritate aliquandò dubitatum est.

SECTIO I.

De libris Canonicis quos rejecerunt hæretici.

Agimus hìc potissimè de dubio et controversiâ, quæ inter catholicos sanctosque ipsos patres fuit, non de lite quam hæretici divinis libris movent, de quâ tamen hìc dicam paucula. Et verò vix dubitant hæretici (quod SS. Patres subindè fecerunt), sed tumenti supercilio audacter pronuntiant, et decernunt ablegandos esse à canone, quos non lubet ipsis recipere, sivè quia in Hebræorum non fuerunt canone, sivè quia de aliquorum librorum auctoritate aliquandò nonnulli dubitârunt, vel censuerunt in divinorum librorum numerum eos non videri admittendos ; sivè quia eorum hæreses apertè quidam sacri libri jugulant. Et verò hic quovis tempore extitit hæreticorum genius, ut sacris libris ecclesiasticoque canoni bellum indicerent. Sadducæi et Samaritani, in veteri Synagogâ hæretici, præter Moysis Pentateuchum nullos divinos libros admittebant. Contrà Nazareni, teste Epiphanio Hæresi 9., Pentateuchum tollebant ; at Simoniani, Basilidiani, Marcionistæ, Gnostici apud Irenæum lib. 1, Manichæi apud Epiphanium Hæresi 66, apud Augustinum libris contrà Faustum et contrà Adversarium Legis et Prophetarum, Patriciani apud eumdem in fine ejusdem operis, Severiani apud eumdem, lib. de Hæresibus, Hæresi 24 ; Bogomili apud Euthymium, Albigenses apud Antoninum, et hos et illos libros sustulerunt, hoc est, totum Testamentum vetus, quasi à malo Deo profectum, quos refutat Bellarminus tom. 1. Controvers. 1, lib. 1, cap. 5, et hos ferè Anabaptistæ nostri ævi imitantur. Alii hæretici partes aliquas sustulerunt, ut à Theodoro Mopsuesteno sublatus Job, Psalterium, Canticum canticorum, libri Paralipomenon et Esdræ apud Leontium. Hos omnes egregiè imitati sunt novella inferni germina : Sebastianus Castalio, ipso teste Bezâ, Canticum canticorum tanquàm impuram et obscœnam cantionem rejicit. Lutherus in Symposiacis suis librum Job pro fabulâ habet, Ecclesiasten ridet. Omnes ferè nostri ævi hæretici communiter libros, qui in Hebraico non fuerunt canone, rejiciunt. Idem ab hæreticis factitatum in libris novi Testamenti : nam ut de Manichæis taceam, qui, teste Augustino, Evangelia repudiabant, aliisque, qui olìm variis partibus novum Testamentum truncabant, quos vide sparsìm apud Irenæum, Epiphanium, Philastrium, Augustinum, et Bellarminum, tom. 1, Controvers. 1, lib. 1, cap. 6., bellè et hìc nostri ævi hæretici partes suas egerunt : nam Lutherus unicum Joannis Evangelium pro vero Evangelio agnoscit, Epistolam ad Hebræos rejicit, Jacobi Epistolam, utpotè quæ dogma ipsius de fide sine operibus justificante jugulat, stramineam appellat, Judæ Epistolam contemnit. Erasmus de Jacobi Epistolâ, secundâ et tertiâ Joannis, parùm sana profert in annotationibus ad has Epistolas. Sed hos omnes missos facimus, quos omnes refutare nec loci hujus est, nec nostri consilii.

SECTIO II.

De Scripturis, de quarum Canonicâ auctoritate dubitârunt Catholici.

Qui à Catholicis in dubium aliquandò vocati sunt sacri libri, sunt hi : Esther totus, vel certè septem ejus postrema capita, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Machabæorum libri, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, Epistola Judæ, Epistola Petri secunda, Joannis Epistolæ secunda et tertia, Apocalypsis. Addi his debent partes quorumdam librorum, ut in Daniele trium puerorum Hymnus cum oratione Azariæ antecedenti, Susannæ historia, Belis et draconis à Daniele interfecti narratio, Marci caput ultimum, è Lucæ cap. 22, de Christi sudore sanguineo,

Angelique apparitione et consolatione historia, et Joannis Evangelii cap 8., de adulterâ historia.

SECTIO III.

De libro Esther.

Estheris librum nominatim à canone rejicit Athanasius in Synopsi, licèt idem paulò post asserat veteres nonnullos dixisse librum Esther apud Hebræos pro canonico haberi, ut propterea videri possit Athanasius fuisse dubius. Nominatim etiam à canone rejecit Gregorius Nazianzenus de veris ac genuinis Scripturis, et in carmine de iisdem : siquidem post enumeratos Scripturæ libros, omissoque inter alios Esthere, subdit : *Si quid extrà hæc invenitur, inter adulterinos libros numerandum est.* Omittit etiam hunc Meliton, Sardensis Episcopus, apud Eusebium Hist. lib. 4. cap. 26., ubi profitetur se librorum sacræ Scripturæ indiculum conferre. Qui librum hunc admittunt, attamen extrema capita rejiciant, fuerunt, antè concilium Tridentinum, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Cajetanus et Hugo Cardinalis, qui et in suam sententiam conantur S. Hieronymum pertrahere, etsi is aliud nihil asserat, quàm ista in Hebræo non reperiri. Accessit his, quod mirere, post concilium Tridentinum, Sixtus Senensis in Bibliothecâ lib. 1. et 8., et quidem lib. 1. ità ait : *Cætera verò sex capitula usquè ad finem libri ab incerto Græco scriptore addita sunt ex diversis historiis, præcipuè verò ex undecimo libro Antiquitatum Josephi : ex quo exemplum litterarum Aman, et exemplum Epistolæ regis Artaxerxis, quæ tertiodecimo et sextodecimo hujus libri capite recitantur, ad verbum desumpta sunt.* Et paulò post : *Accidit autem ut propter has appendicum lacinias, hinc indè quorumdam Scriptorum auctoritate insertas, liber hic, quamvis Hebraicus, et ab Hebræis receptus, serò admodum apud Christianos canonicam auctoritatem receperit.* Hæc ille. Verùm quo argumento colligit hæc ex Josepho sumpta esse, cùm longè verisimilius sit à scripturâ Josephum illa esse mutuatum, utpotè qui multis locis profiteatur se quæ scribit è sacris libris desumere? Hæc Sixti Senensis sententia post concilium Tridentinum (quod vult omnes istos libros, quos enumeravit, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ legi consueverunt, sub anathematis interminatione recipi), nullo modo videtur in fide securâ, cùm constet ex his capitibus, quæ ipse rejicit, in Ecclesiâ Lectiones et Epistolas in Missâ legi : è cap. 15., Ferià quartâ post Dominicam secundam Quadragesimæ, et in Missâ contrà Paganos : è capite 14., Dominicâ vigesimâ secundâ post Pentecosten, in Offertorio orationem Esther recitari. Adde, hunc librum in Hebræorum fuisse canone, ut non obscurè indicat Josephus lib. 11, et ab antiquis patribus passim asseritur, licèt Origenes et Hieronymus fateantur illa capita seu appendiculas suo tempore in Hebræo non reperiri. Accedit, quòd longè plures olim patres librum Esther in canonicorum librorum numero habuerint, Augustinus libro 2, de Doctrinâ Christianâ cap. 8, ubi omnes ad unum libros, quos modò Ecclesia pro canonicis recenset, in sacrorum librorum indiculo enumerat. Ruffinus in Symbolo, Damascenus liber 4, caput 18 ; Cyrillus Jerosolymitanus, Catech. 4; Innocentius, Epist. 3 ; Concilium Carthaginense III, cap. 47 ; Concilium Laodicenum, cap. 59. Item Origenes, Epistolâ ad Julium Africanum, easdem illas appendiculas, quæ in Hebræo non reperiuntur, vult canonicæ scripturæ partem esse, et in Ecclesiis retinendas. Fallitur autem toto cœlo Sixtus Senensis, qui pro suâ opinione citat illam Origenis ad Africanum Epistolam, ut satis liquet ex ipsâ Epistolâ, quæ ad manum est in operibus Origenis, cujus ipsemet Sixtus Senensis Synopsim fecit lib. 5 Bibliothecæ, annotatione 250, ubi, immemor prioris dicti, ipse seipsum refellit.

SECTIO IV.

De libro Tobiæ et Judith.

Tobiæ librum à Canone relegârunt Hebræi primùm, teste Hieronymo, Præfatione in Tobiam : item Catholici, ut idem Hieronymus in Prologo Galeato et Præfatione in libros Salomonis, Athanasius in Synopsi, Meliton apud Eusebium in Historiâ lib. 4, cap. 26., Nazianzenus de veris et genuinis Scripturis, Ruffinus in Symbolo, Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 4, Damascenus lib. 4, de Fide, cap. 18., Concilium Laodicenum. Admittunt verò in librorum sacrorum canonem concilium Carthaginense III, Augustinus, libro 2, de Doctrinâ Christianâ, cap. 8.; Innocentius, Epist. 3.; Gelasius I, Decreto de Libris sacris; Isidorus libro 6, Etymolog. cap. 1; Cassiodorus, cap. 1 Divinarum lectionum. Præter hos Clemens Romanus, Epistolâ 1, et Clemens Alexandrinus lib. 6, Stromat. hunc librum tanquàm divinam Scripturam citant. Idem facit Origenes in cap. 11. ad Romanos, idemque hunc librum inter divinos libros recenset Homil. 27, in Numeros. Cyprianus quoque Scripturam divinam nominat, et ait

in eâ loqui Spiritum sanctum de Oratione Dominicâ, et Serm. de Opere et Eleemosynis, Ambrosius, libro de Tobiâ, Scripturam vocat et librum Propheticum. Alii deniquè complures, ac postremò concilium Tridentinum.

Judith librum iidem ferè à canone seposuerunt, qui Tobiam rejecerunt, iidem ferè hunc admiserunt qui et illum. Hieronymus tamen cùm locis paulò antè citatis rejecisset, Præfatione in Judith, fatetur librum hunc à Nicænâ Synodo in numero sanctarum Scripturarum fuisse computatum.

SECTIO V.

De Sapientiâ et Ecclesiastico.

Sapientiam rejiciunt iidem ferè qui Tobiam et Judith rejiciunt, præter Melitonem apud Eusebium : admittunt etiam cum Melitone ferè cæteri qui Tobiam disertè admittunt, Concilium Carthaginense III, Innocentius Epistolâ 3, Gelasius I, Augustinus, Cassiodorus, Isidorus. Accedunt Concilium Toletanum II, cap. 1; Concilium Sardicense, Epistolâ ad omnes Episcopos; Dionysius, cap. 4, de divinis nominibus; Clemens Alexandrinus, lib. 4, 5, 6, Stromat.; Irenæus apud Eusebium lib. 5 Historiæ, cap. 8; Origenes Homil. 5 et 12, in Leviticum, et libro 8, in Epistolam ad Romanos; Pamphilus Martyr, Apologetico pro Origene; Athanasius Oratione 2 contrà Arianos, Ephrem Syrus Parænesi 47, Basilius de Spiritu sancto, cap. 30, et libro 5, contrà Eunomium; Epiphanius Hæresi 67 et 76, Nazianzenus, libro de Fide, et Oratione 2, de Theologiâ; Gregorius Nyssenus, de Virginitate, cap. 15; Theophilus Alexandrinus, Epist. 1 Paschali; Chrysostomus Homil. 2 in Genesim, et Homil. 39, in Matthæum; Tertullianus, adversùs Valentinianos, cap. 2; Lactantius, lib. 4 Institutionum, cap. 16; Hilarius, ad Psalmum 118; Lucifer Calaritanus lib. 1, pro S. Athanasio ad Constantinum Imperatorem; Ambrosius, libro de Salomone, cap. 1, et ad Psalmum 1 et 118; Optatus Milevitanus, lib. 4, contrà Donatistas; Philastrius, cap. de Pythonissâ; Hieronymus, ad cap. 18 Jeremiæ; Ruffinus, in Expositione Symboli; Cyprianus, lib. de Habitu virginum, et de Exhortatione Martyrum, cap. 12, et ad Quirinum. lib. 3, cap. 59; Cyrillus, lib. 2, in Julianum, et lib. 10, in Joannem, cap. 4 et libro 11, cap. 37, Petrus Chrysologus, Serm. 101; Prosper, de Vocatione Gentium, lib. 1, cap. 24; Eucherius Lugdunensis, de spiritualibus formulis, cap. 3; Cæsarius Arelatensis, Homil. 16; Fulgentius ad Trasimundum regem, lib. 1, cap. 18, et libro 2, cap. 9; qui omnes nomine Scripturæ vel Salomonis, vel verborum Spiritûs sancti, vel Prophetiæ hunc librum citant. Augustinus item, lib. 1, de Prædestinatione, cap. 14, asserit eum librum pro divino habitum ab iis qui fuerunt proximi temporibus apostolorum. Adde, Apostolum ad Romanos, cap. 11, vers. 34, non obscurè hunc librum canonicis accensere, quandoquidem illius sententiam tanquàm divinam et sacrosanctam citet.

Ecclesiasticum rejiciunt et admittunt iidem omnes suprà ferè qui Sapientiam, Tobiam, Judith disertè rejiciunt vel admittunt, dùm Scripturarum canonem conficiunt. Addi possunt Clemens Alexandrinus, lib. 1 et 5, Stromat., lib. 1, Pædag., cap. 8 et lib. 2, cap. 8; Cyprianus, lib. 3, Epist. 9, et libro de Opere et Eleemosynis; Epiphanius, Hæresi 8, item libro de Mensuris et Ponderibus, et in Anchorato; Augustinus ad Orosium contrà Priscillianistas, et alibi sæpiùs. Item alii plures apud Bellarminum, qui sub nomine Salomonis hunc librum citant; Origenes, Homil. 1, in librum Judicum, et Homil. 1 et 9, in Ezechielem; Athanasius, in Apologiâ de Fugâ suâ, et libro de Virginitate; Basilius, ad cap. 8 Isaiæ, et in Regulis fusiùs disputatis, Responsione 17 et 104, Ephrem de Patientiâ; Macarius Ægyptius, Homil. 10; Nazianzenus, Oratione 2, in Julianum; Chrysostomus, ad cap. 6 Genesis, et ad Psalmum 134, et Homil. 51, in Matthæum, et Homil. 33, ad Populum Antiochenum, et Parænesi primâ ad Theodorum lapsum; Cyrillus Alexandrinus, Homil. ad Ephesios, et lib. 7, de Adoratione in spiritu; Isidorus Pelusiota libro 1, Epistolâ 106, et Epist. 334; Procopius ad cap. 55 Isaiæ; Anastasius Antiochenus lib. 9 Hexameron; Hesychius, lib. 6. in Leviticum; Damascenus, Oratione 3, de Dormitione beatæ Virginis; Calixtus, Epistolâ 1; Fabianus Epist. 2; Sixtus II, Epist. 1, Marcellinus, Epist. ad Salomonem Episcopum; Ambrosius, ad Virginem devotam, cap. 2 et lib. 4, de Fide, cap. 4, et de Bono mortis, cap. 8; Optatus Milevitanus lib. 3 et 4, contrà Donatistas; Damasus, Epist. 6; Hieronymus, ad cap. 10 Ecclesiastæ, et ad cap. 33 Ezech. et ad Psalm. 75, et Epist. 33; Gaudentius, Tract. 13; Maximus Taurinensis, Homil. 1 de Eleemosynis; Leo I, Serm. 1, de Quadragesimâ, et Serm. 8 de Jejunio septimi mensis; Prosper, lib. de Promissionibus et prædictionibus Dei, part. 2, cap. 35, et lib. de Vitâ contemplativâ 2, cap. 8; Cæsarius Arelat.,

Hom. 15; Salvianus, lib. 3, ad Ecclesiam Catholicam, et alii, qui omnes sub nomine divinæ Scripturæ, vel Prophetiæ, vel Salomonis hunc librum proferunt. Adde Jacobum Epistolæ suæ cap. 1, vers. 10, et Petrum Epistolæ 1, cap. 1, vers. 24, videri Ecclesiastici verba citare vel ad illa alludere è cap. 14, vers. 18, etsi è cap. 40. Isaiæ sumptum id satis sit probabile,

SECTIO VI.

De Baruch.

Baruch à canone vel rejiciunt, vel omittunt Hieronymus Præfatione in Jeremiam, Athanasius in Synopsi, licèt Epistolam Jeremiæ, quæ Prophetiæ Baruch conjuncta est, recipiat. Meliton item omittit apud Euseb., lib. 4, cap. 26; Nazianzenus, Damascenus, Ruffinus suprà in Tobiâ citati: imò qui Tobiam admittunt, Augustinus, Innocentius, Gelasius, Conc. Carthaginense; quibus accessit è recentioribus Driedo lib. 1, de Scriptoribus et dogmatibus Ecclesiasticis. Admittunt, Conc. Laodicenum juxtà postremam editionem Herveti, Conc. Tridentinum, Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 4.

Addo, et plerosque SS. Patres ex eo testimonia depromere, et à nonnullis quidem sub Jeremiæ nomine, cujus Baruch scriba fuit: imò videri etiam à plerisque omissum, quòd sub Jeremiâ eum comprehenderent, siquidem et Epiphanius, qui, libro de Mensuris et Ponderibus, sacros libros recensens, Baruch non meminit, alibì in Panario Hæres. 8 Jeremiæ, quasi ejus appendiculam, accenset Baruch, quod idem etiam disertè facit Cyrillus Jerosolymitanus, Catech. 4. Item Hilarius, sub nomine Jeremiæ ex Baruch testimonia profert, aliique plures, quos vide apud Melchiorem Canum, lib. 2, de Locis Theol, cap. 11

SECTIO VII.

De libris Machabæorum.

Machabæorum libros primum et secundum simili modo ferè iidem omnes qui Tobiam et Judith, rejiciunt; admittunt item qui illos. August. sanè lib. 18, de Civit. Dei, cap. 36, ait: *Libros Machabæorum, non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Citant hos libros ut Scripturam divinam Dionys. Areopag., de Cœlesti hierarchiâ, cap. 2; Hegesippus in Proœmio, Origenes, lib. 2; Periarchon, Damascen. Oratione de Defunctis; Cyprianus, Epist. 55; Lucifer Calaritanus, ib. de non parcendo in Deum delinquentibus; Hieronymus, ad cap. 23 Isaiæ.

SECTIO VIII.

De Epistolâ ad Hebræos.

Epistolam ad Hebræos dubiis Scripturis accenset Eusebius, lib. 3, Hist. cap. 25; rejecit Latina Ecclesia, teste Hieronymo, in cap. 6 Isaiæ: *Paulus,* inquit, *in Epistolâ ad Hebræos, quam Latina consuetudo non recipit.* Et in caput 8 Isaiæ: *Beatus Apostolus in Epistolâ, quæ ad Hebræos scribitur, licèt eam Latina consuetudo inter canonicas Scripturas non recipiat.* Idem rursùm habet Epist. ad Dardanum. Et verò Cyprianus, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, non videntur eam agnovisse, utpotè qui eam nunquàm citant. Quod autem Hieron. ait de Latinis, intelligi debet de his antiquioribus patribus; nam ipsius tempore fuisse à Latinis receptam, manifestè probari potest; nam et ipsemet Hieronymus eam pro Scripturâ divinâ recipit Epist. ad Dardanum, et August., lib. 2, de Doctrinâ Christianâ cap 8, et Hilarius, lib. 12, de Trinit., et Ambr., lib. 2. de Cain, cap. 2, et Ruffinus in Symbolo, et Philastrius inter hæreticos recenset qui eam Epistolam non reciperent, et concilium Carthaginense III, cui Augustinus interfuit et subscripsit. Item posteà Innocentius, Epist. 3; Gelasius I, Decreto de Libris sacris. Item omnes patres Græci, teste Hieron., Epist. ad Dardanum. Et verò Scripturis sacris accensent Innocentius in Synopsi, Damascenus lib. 4, cap. 18, Epiphan. Hæres. 76; Nazianzenus, de veris et genuinis Scripturis; Eusebius, lib. 3. Histor. cap. 3; Origenes, apud eumdem Eusebium, lib. 6. Histor. cap. 25, et alii. Quibus omnibus accedit concilium Tridentinum.

SECTIO IX.

De Epist. Jacobi, Judæ, secundâ Petri, secundâ et tertiâ Joannis.

Epistolas Jacobi, Judæ, posteriorem Petri, secundam et tertiam Joannis in dubium olim fuisse vocatas, testis Eusebius, lib. 3, Hist. cap. 25; sed et ejusdem libri cap. 3, postquàm de Canonicâ auctoritate prioris Epistolæ Petri egisset, subdit: *Eam quæ posterior dicitur, non esse legitimam accepimus.* De eâdem controverti ait Origenes apud eumdem Eusebium, lib. 6, Hist. cap. 25, uti et de 2 et 3 Joannis. Indicat etiam de his omnibus motum fuisse dubium S. Hieron., lib. de Viris illustribus. At pro Canonicis Scripturis eas habent concilium

Laodicenum, Carthaginense III, Florentinum et Tridentinum, Innocentius et Gelasius Pontifices suprà citati, Damascenus, Athanasius, Nazianzenus, Augustinus, Ruffinus in Symbolo sæpiùs citati, Isidorus lib. 6, Etym.; Hieronymus Epistolâ ad Paulinum de studio Scripturarum.

SECTIO X.

De Apocalypsi Joannis.

Apocalypsim Joannis Græci, teste Hieronymo, Epistolâ ad Dardanum, non receperunt: et verò Nazianzenus in suo librorum sacræ Scripturæ Indiculo hujus non meminit, sicut nec concilium Laodicenum, nec Cyrillus Jerosolymit., Catech. 4. Testatur etiam Eusebius, lib. 3, Histor. cap. 25, aliquos de eâ re dubitâsse : postquàm enim Apocalypsim hanc ipse indubitatis Scripturis accensuisset, paulò post tamen loquens de Scripturis quibus contradicitur : *Adhùc*, inquit, *et Apocalypsis Joannis, si videtur, quam nonnulli, sicut dixi, reprobant, alii verò certis et indubitatis Scripturis adjudicant.* Apud eumdem etiam, lib. 7, cap. 25, Dionysius Alexandrinus de hoc Apocalypsis libro sententiam suam pronuntians : *Nonnulli*, inquit, *eorum qui nos præcesserunt, librum hunc prorsùs reprobârunt et rejecerunt.* Ubì addit, eorum sententiam esse eam nec Joannis, nec Apostoli, nec viri cujuspiam sancti, sed Cerinthi hæretici esse. Verùm non eam fuisse Græcorum omnium sententiam, sed paulò antiquiorum et exigui ferè nominis, liquet : nam et Athanasius in Synopsi recipit, et Damascenus libro 4, capite 18, et Origenes Homil. 7 in Josue, et idem apud Eusebium lib. 6, Hist. cap. 25, et Epiphanus Hæres. 51 et 76, qui et priore loco hæreticos nominat qui hanc Apocalypsim non recipiebant : et Theophilus Antiochenus apud Euseb. lib. 4, cap. 24, et Dionysius Alexandrinus ubì suprà apud eumdem Eusebium lib. 7, cap. 25, et idem Eusebius lib. 3, cap. 25, imò etiam ex antiquissimis qui sunt primi nominis, ut Dionysius Areopagita (1) cap. 3, de Ecclesiasticâ hierarchiâ; Irenæus lib. 5, Justinus Martyr in Dialog. cum Tryphone, qui omnes et probant, et Joannis Apostoli esse dicunt; imò Irenæus et Justinus eamdem Commentariis suis illustrârunt, teste Hieron. de Viris illustribus, in Joanne, quod et fecit Andreas, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus. Accedunt his Pontifices Innocentius et Gelasius suprà citati, Concilia Carthaginense III, Florentinum, Tridentinum et Latina Ecclesia, teste Hieron. Epist. ad Dardanum, atque adeò et patres omnes Latini, Hieronymus ibì, et Epist. ad Paulinum. August. lib. 2, de Doctrinâ Christianâ, cap. 8, Ruffinus in Symbolo, Isidorus lib. 6, Etym. cap. 1, Ambr. in Psalm. 40; Hilarius Præfatione in Psalm.; Cyprianus de Exhortatione martyrii passim eam ut divinam Scripturam citat. Tertullianus lib. 4, contrà Marcionem, asserit Apocalypsim hanc esse Joannis Evangelistæ.

(1) Vulgò contendunt eruditi scripta quæ sub nomine Dionysii Areop. circumferuntur, factum esse scriptoris sexti sæculi.

SECTIO XI.

De partibus quibusdam Danielis.

Partes illas Danielis, quarum suprà memini, mirìs modis impugnant Judæi apud Hieron., Præfatione in Danielem, et ipsemet ibidem Hieronymus videtur in fabulis habere, quanquàm hoc non de suâ, sed Hebræorum sententiâ dixisse ipse declarat, lib. 1. adversùs Invectivam Ruffini, qui hoc ipsum illi crimini verterat; attamen Procemio Commentarii in Danielem rejicit, et in sui facti defensionem adducit Origenem, Eusebium, Apollinarium, qui dixerint non esse respondendum Porphyrio, qui has historias impugnabat, quòd hæ minùm Scripturæ sanctæ auctoritatem habeant. De Origene tamen vix mihi persuasero hoc respondisse, cùm satis sit perspicuum, ut infrà patebit, eum has admisisse historias. Dubitavit et Julius Africanus apud Euseb. lib. 6 Hist. cap. 31, et è recentioribus Driedo lib. 1, de Scripturis et dogmatibus Ecclesiasticis cap. ultimo, rejicit. Et verò difficultatem in Daniele expediendam facit in eâ Susannæ historiâ allusio et paronomasia, quæ videtur esse ad voces Græcas, ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quam etiam Origeni Africanum objecisse, Epistolâ ad eum datâ, testis Hieronymus dictâ Præfatione in Danielem ; quam Epistolam, et quid ad eam responderit, refert Sixtus Senensis, lib. 5 Biblioth. Annot. 250. Et verò quid ad illam difficultatem responderi possit, indicabimus infrà cap. 16, sect. 6, sub finem. At hæc etiam ad divinam Scripturam pertinere, docemur à Conc. Tridentino, quod vult omnes libros sacræ Scripturæ cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ legi solent, recipi : legitur autem quotidiè Hymnus trium puerorum in Officio divino, legitur in Missâ Susannæ historia, sabbato antè dominicam quartam Quadragesimæ, et feriâ tertiâ post dominicam Passionis legitur Epistola de Daniele misso in lacum leonum ob Bel destruc-

tum, et draconem interfectum, deque prandio per Habacuc ad eum delato. Sed et Ruffinus, lib. 2 Invectivæ, in Hieronymum testatur, eumdem illum trium puerorum Hymnum in Ecclesiis suo tempore cani solitum, et insigne illud castitatis exemplum de Susannâ pro divinâ Scripturâ agnoscit. Accedit totus usus Ecclesiæ antiquioris, quæ Danielem recepit cum omnibus suis partibus, quas tunc habebat, et constat tunc Vulgatam editionem has partes habuisse, cùm fateatur Hieronymus se ea, ex Theodotionis editione, quæ tunc in Ecclesiâ legebatur, iis quæ ipse in Hebræo reperit, adjecisse. Susannæ historiam recipit Athanasius in Synopsi, imò indicat eam olim fuisse Danielis prophetæ initium. Origenes item has partes Danielis, etsi in Hebræo non habeantur, et recipit, dicitque in Ecclesiis eas teneri, Tract. 31, in Matthæum, et easdem partes tuetur et probat Homilia 1, in Levit. et Epistola ad Julium Africanum. Susannæ historiam laudat beatus Ignatius Martyr, Epistolâ ad Magnesianos.

SECTIO XII.

De Marci capite ultimo.

Marci caput ultimum apud nonnullos fuit dubiæ fidei, propterea quòd nonnulla illi inserta fuissent ab incerto auctore, quæ Manichæorum hæresim saperent, quæ deindè posteà rejecta sunt, quæ verba refert Hieron. lib. 2, contrà Pelagianos, et ex eo refert Sixtus Senensis, lib. 1 Biblioth., ubi agit de secundo ordine Scripturarum novi Testamenti. Adde quòd nonnulla videretur esse antilogia inter Matthæum et Marcum, cùm prior dicat vespere venisse mulieres ad monumentum, posterior verò dicat mane id factum, orto jam sole. Accedit quòd caput hoc in multis Græciæ libris defuerit. De hâc re ità Hieronymus, Epistolâ ad Hedibiam, quæstione 3, dùm agit de illâ quæ videtur esse inter Matthæum et Marcum dissonantiâ: *Hujus quæstionis*, inquit, *duplex est solutio: aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus, præsertìm cùm diversa atque contraria Evangelistis cæteris narrare videatur; aut hoc respondendum, quòd uterque verum dicit: Matthæus quandò Dominus surrexit, vespere Sabbati ostendens; Marcus verò quandò eum viderit Magdalena.* Euthymius similiter indicat de hoc capite litem fuisse initio Explanationis hujus capitis: *Quidam*, inquit, *interpretum asserunt, hoc in loco completum esse Marci Evangelium, quæ verò sequuntur recentiorem esse additionem.* Verùm hanc omnem sustulit dubitationem concilium Tridentinum. Adde, SS. Patres hanc partem agnoscere pro vero ipsiusque Marci Evangelio: August. lib. 3, de Consensu Evangelistarum; Athanasium in Synopsi, Gregorium et Bedam, dùm in caput hoc commentantur. Accedit usus Ecclesiæ, quæ jàm à multo tempore, diebus festis Resurrectionis et Ascensionis, ex hoc capite Evangelium Missæ legit.

SECTIO XIII.

De sudore Christi sanguineo, Angelique confortantis apparitione apud Lucam.

Lucæ historiam cap. 22, de sudore Christi sanguineo, et Angeli confortantis apparitione, olim in dubium vocatam, indicat Hilarius 10, de Trinitate, seque nonnihil dubium ostendit his verbis: *Nec sanè ignorandum nobis est, et in Græcis et in Latinis codicibus complurimis, vel de adveniente Angelo, vel de sudore Christi sanguineo nihil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrùm hæc in libris variis aut desint, aut superflua sint, incertum hoc nobis relinquitur de diversitate librorum.* Hieronymus etiam lib. 2, adversùs Pelagianos, idem dubium subindicat circà id quod habet Lucas de Angelo confortante. Occasio hæc credendi videtur fuisse, quòd metuerent aliqui hæc tàm manifesta humanæ infirmitatis indicia Christo adscribere: quæ causa fuit etiam, teste Epiphanio in Ancorato, ut nonnulli vocem *flevit* è Lucæ cap. 19, vers. 41, putaverint eradendam. Verùm si omnium consensu Evangelistarum potuit in Christum cadere tristitia, pavor, tædium, angor animi, quidni et sudor et fletus, et externa Angeli consolatio? Porrò de hâc historiâ non permittit nos dubitare concilium Tridentinum. Adde Patres, Dionysium Areopagitam, de Cœlesti hierarchiâ, hanc Scripturam ut Canonicam citantem, Epiphanium item in Ancorato, et August., libro 3 de Consensu Evangelistarum, eamdem historiam ut legitimam agnoscentes; Athanasium, lib. 6 ad Theophilum, qui inter cæteros anathematismos anathema dicit illi qui negat Christum lacrymatum fuisse et sanguinem sudâsse.

SECTIO XIV.

De muliere adulterâ apud Joannem.

Historiam de muliere adulterâ Joannis, cap. 8, fuisse olim dubiam, indicat Papias apud

Eusebium lib. 3, Hist. cap. ultimo in fine, quam historiam ipse dicebat sumptam ex Evangelio secundùm Hebræos. Innuit idem dubium Hieronymus lib. 2, adversus Pelagianos, cap. 6, et longè disertiùs Euthymius in Commentariis ad illud Joannis cap. 8, indicans ista in exactioribus exemplaribus non inveniri, aut obelo confossa esse, eò quòd illegitima videantur esse et addita : hujusque argumentum esse, quòd nullus ea sit interpretatus. Verùm præter concilium Tridentinum eam historiam agnoscunt pro Canonicâ et legitimâ Athanasius in Synopsi, Hieronymus, lib. 2 adversus Pelagianos citato; Augustinus, Tract. 33 in Joannem, et lib. 2 de adulterinis conjugiis, cap. 7; Ambrosius, Epist. 58 et 76, quæ est ad Studium utraque; Chrysostomus, Homil. 60 in Joannem. Adde Ecclesiæ usum, quæ in Missâ hoc Evangelium legit sabbato antè dominicam Passionis.

Præter hos non legi de aliis libris fuisse dubitatum, nisi quod Junilius Africanus, lib. 1 de Partibus divinæ legis, cap. 3. et seq., præter hos indicet et de libris Paralipomenon libris Esdræ, libro Job, Cantico canticorum fuisse aliquandò dubitatum, sed de hoc dubio apud alios Scriptores nihil lego. Dubitavit etiam de Prologo libri Ecclesiastici Jansenius, sed præter eum nemo alius dubitavit, nisi qui olim totum Librum à canone rejecerunt. Tantummodò adferri posset, quòd Prologus ipse non sit ipsius Hagiographi Scriptoris, qui totum corpus Libri Ecclesiastici composuit, sed tantummodò versoris et interpretis ejus, scilicet nepotis ipsius, hoc est Jesu, filii Sirach, qui ex Hebræo in Græcum vertit, ut ipsemet apertè in Prologo indicat. At hoc non obstat : tàm enim avus, quàm nepos sunt Hagiographi Scriptores, nam ultimum caput Ecclesiastici totum est Jesu, filii Sirach. Quid de Præfatiunculâ præfixâ Threnis Jeremiæ censendum sit, dicetur capite sequenti.

SECTIO XV.

Notanda de his Scripturis in universum.

Nota primò, tandiù licuisse de his Scripturis dubitare, quandiù inter Catholicos res non satis erat liquida, nec Ecclesiæ auctoritas accesserat, quæ nonnisi diù reque benè examinatâ voluit de his certi quid decernere, divinamque illis auctoritatem dare : at re ab Ecclesiâ semel constitutâ, nemini de earum auctoritate divinâ dubitare licuit. Quòd si post Nicænam synodum, in quâ legimus Canonicas Scripturas enumeratas, legamus Catholicos aliquos de his dubitâsse, id eâ ratione factum est, quòd vel canon ille ipsis ignotus esset, vel quòd ad eam Synodum non satis adverterent, cùm dubium hoc movebant. Adde, quòd non satis constet qui libri tunc in Nicænâ synodo fuerint ut canonici recepti, præter librum Judith, quem etiam eo nomine Hieronymus suscipit, cùm anteà non uno loco dubitâsset : item quòd non satis liqueat quibus et quàm gravibus verbis libros illos Nicæna synodus receperit, an per modum decreti alicujus, an adjecto anathemate iis qui hos libros non susciperent, an verò per modum simplicis enumerationis, quæ non tolleret dubitationem (1).

Nota secundò, nunquàm ità de his Scripturis in Ecclesiâ fuisse dubitatum, quin semper essent aliqui, et ferè plures, ac majoris in Ecclesiâ nominis, qui eos reciperent pro canonicis et legitimis Scripturis. Ex quo habuit Ecclesia sufficiens fundamentum ex traditione à pluribus vel gravioribus Ecclesiis aut personis receptâ, maximè verò Romanâ Ecclesiâ (*cujus*, teste S. Irenæo, lib. 3, cap. 3, *omnium maxima debet esse auctoritas, et ad eam*, ut loquitur, *necesse est omnem convenire Ecclesiam proper potentiorem principalitatem, in quâ*, inquit, *semper ab his qui sunt undiquè, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio*), de eâ re posteà constituendi, et, Spiritu sancto regente, infallibile decretum condendi. Porrò S. Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 8, licèt omnes reciperet Scripturas ut canonicas, quas nunc pro canonicis habet Ecclesia, quia tamen res non perindè de omnibus liquida erat, et citrà controversiam, has ipse regulas præscribit non tàm sibi, quàm aliis sui ævi hominibus : *Tenebit*, inquit, *hunc modum* (solers nimirum Scripturarum indagator) *in scripturis canonicis. Primò, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. Secundò, in eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Tertiò, si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus (quanquàm hoc facilè invenire non possit) æqualis tamen auctoritatis habendas puto.* Hæc Augustinus. Ex quo patet, totam hanc auctoritatem et æstimationem, de quâ agit Augustinus, quoad nos esse pensandam, et pro tempore quo

(1) Hoc enim solum de fide est quod per modum decreti, vel anathemate adjecto pronuntiatur.

Ecclesia adhuc de eâ re universìm nihil constituit; aliàs in se quælibet Scriptura æqualem auctoritatem habet.

Nota tertiò, libros Scripturasque suprà dictas, licèt Patres nonnulli rejecerint à Scripturarum sacrarum canone, vel dubii fuerint, eos tamen vel plerosque illorum admisisse ut utiles et ad christianè vivendum salutares. Apertè id indicat Euthymius, de partibus illis Marci et Joannis rejectis, et Damascenus, lib. 4 de Fide, cap. 18, loquens de Sapientiâ Salomonis, et Sapientiâ Jesu, filii Sirach, vocat libros illos ἐναρέτους καὶ καλοὺς, honestos et pulchros. Et hæc etiam fuit causa cur duos hosce libros communiter vocârint antiqui παναρέτον, quasi omnis virtutis promptuarium, ut Damascenus ibi suprà; vel peculiariter Ecclesiasticum, seu Sapientiam Jesu, filii Sirach, ut Hieronymus Præfatione in Proverbia, vel alterum Sapientiæ Salomonis, ut Epiphanius libro de Mensuris et Ponderibus. Hinc etiam illos legi permiserunt initio apud solos catechumenos. S. Athanasius, in Synopsi, post enumeratos veteris Testamenti libros canonicos, subdit : *Præter istos autem sunt adhuc alii veteris Testamenti libri non canonici, qui catechumenis tantùm leguntur.* Inter hos autem numerat Sapientiam Salomonis, Sapientiam Jesu, filii Sirach, Esther, Judith, Tobiam. Machabæorum libros ne in hoc quidem secundo ordine numerat. Sic et Ruffinus in Symbolo, qui et his Machabæorum libros accenset : *Ad instructionem*, inquit, *eorum qui prima sibi Ecclesiæ ac fidei elementa suscipiunt, ut sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula.* Addo verò, non tantùm catechumenis, sed etiam in Ecclesiis legi consuevisse ad ædificationem Christianæ plebis, non ad confirmationem dogmatum fidei. Ità Hieronymus Præfatione in Proverbia, loquens de Sapientiâ et Ecclesiastico : *Sicut ergò*, inquit, *Judith et Tobiæ et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit : sic et hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Et Præfatione in librum Judith de hoc libro in particulari loquens : *Cujus*, inquit, *auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur.* Testis idem qui suprà Ruffinus in Symbolo, qui post enumeratos libros, qui per id tempus citrà dubium in canonicis habebantur Scripturis, subdit : *Hæc sunt quæ Patres intrà canonem concluserunt, et ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quòd et alii libri sunt, qui non sunt canonic, sed ecclesiastici à majoribus appellati sunt.* Quibus enumeratis addit : *Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* Hinc liquet, hos olim libros generali nomine ecclesiasticos ab hâc in Ecclesiâ lectione fuisse apellatos, cùm cæteri in canone recepti canonici appellarentur. Et quamvis hi ab iis qui eos in canone non receperant, generali nomine apocryphi dicerentur, ut patet ex Nazianzeno et Hieronymo in Prologo galeato et alibì; attamen alii pressiùs loquentes, etiam hos ab apocryphis distinxerunt, quos nequidem in Ecclesiis legi permittebant. Sic enim in Symbolo Ruffinus, post enumeratos hos tàm canonicos quàm ecclesiasticos libros : *Cæteras*, inquit, *Scripturas Apocryphas nominârunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt.*

Nota quartò, aliquos librorum canonicorum duplicem canonem constituere, primarium unum, alterum secundarium : et in priore quidem includere omnes illos libros, de quibus in Ecclesiâ Dei nulla unquam fuit dubitatio, quos omnes protocanonicos appellant; in altero omnes illos, de quibus aliquandò fuit mota lis et dubitatio, quos et ob id deuterocanonicos appellant. Verùm hæc duplicis canonis distinctio videtur hoc tempore supervacanea, cùm jàm, facto super eâ re ab Ecclesiâ decreto, æqualis et æquè infallibilis sit horum posteriorum atque priorum auctoritas; nisi ut cognoscamus quinam sint illi, de quibus olim fuit ab Ecclesiâ dubitatum. Poterat sanè hæc canonis distinctio valere, cùm nos omnium eadem esset de his libris sententia, et quidam ut Canonicos reciperent, ut patet ex Augustino, alii verò rejicerent vel addubitarent. Similis à quibusdam fingitur duplicis canonis apud Hebræos distinctio, ut à Genebrardo, lib. 2 Chronologiæ, et in secundario canone fuisse ab ipsis repositos Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Judith, Machabæos. Et adduntur nonnullæ probationes. Primò, Josephum, lib. 2 contra Apionem citare Ecclesiastici sententiam è cap. 42, vers. 14 : *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*, eamque asserere è divinâ Lege esse depromptam. Secundò, Rabbinos in utroque Thalmude, Jerosolymitano et Babylonico, et in aliis suis libris citare ex his sententias. Tertiò, Junilium Africanum, lib. de Partibus divinæ Legis, cap. 3, interrogatione factâ, cur hi libri inter canonicas Scripturas non currerent, respondet : quoniam apud Hebræos hi cum aliquâ à præcedentibus differentiâ recipiebantur, sicut Hieronymus cæterique testan-

tur. Et verò facilè admisero hos libros apud Hebræos in aliquâ fuisse auctoritate, neque à canone publicâ sententiâ positivè fuisse rejectos, sed permissum esse cuilibet sentire quod vellet. Hinc aliquos, ut Josephum, quòd hos viderent plenos esse divino Spiritu, inter Legis libros numerâsse; alios pro libris duntaxat piis et honestis habuisse, sicut etiamnùm multi sunt in Ecclesiâ tales libri : non crediderim tamen vel ab Hebræis, vel ab Ecclesiâ publicum hujusmodi canonem confectum, in quem dubiæ hujusmodi Scripturæ includerentur: neque enim de eâ re quidquam legimus, neque video cui usui is canon esse posset. Illud certum, etiam apud Hebræos, has Scripturas minorem cæteris Scripturis auctoritatem habuisse, ut disertè testis est Josephus, lib. 1, contrà Apionem, dicens præter illos viginti duos libros fuisse et alios, at non simili dignos fide. Ob id etiam Damascenus, lib. 4 de Fide, cap. 18, loquens de Sapientiâ et Ecclesiastico, ait hos libros, utpotè minoris auctoritatis, non fuisse repositos in Arcâ. Idem habet Epiphanius de Mensuris et Ponderibus. Ego tamen quoad repositionem in Arcâ, non tantùm de his ambigo, sed etiam de cæteris veteris Testamenti libris, siquidem non legimus usquàm præceptum Moysi vel alicui alteri, ut hi libri in Arcâ reponerentur, aut ab aliquo id factitatum : tantummodò præceptum Moysi legimus, ut duas tabulas testimonii in eâ reponeret, idque ipsum posteà ab ipso factitatum. Quocircà et Paulus ad Hebræos, cap. 9. enumerans ea quæ in Arcâ erant, non ait in eâ fuisse divinos libros, sed duntaxat urnam auream cum mannâ, virgam Aaron quæ fronduerat, et tabulas Testamenti. De libro Deuteronomii duntaxat posset esse quæstio, quem Moyses, Deuteron., 31, vers. 26, jussit reponi in latere Arcæ : verùm aliud est esse in Arcæ latere, aliud in ipsâ arcâ ; potuit enim ad latus Arcæ exterius in capsellâ particulari reponi. Dicit quidem S. August., lib. 15, de Civitate Dei, cap. 23, non libros hos, sed horum divinorum librorum canonem diligenter à sacerdotibus, non in Arcâ, sed in templo fuisse asservatum, quod facilè admisero.

Nota postremò, etsi non sit verisimile hunc sacrorum librorum canonem augendum, nihil tamen vetare quòminus in posterum augeatur, sive quia possunt de novo aliqui novi libri à viris Deo plenis prodire, de quorum auctoritate divinâ testetur Ecclesia; sive quia potest adhuc fortè Scripturas aliquas, de quarum auctoritate divinâ hactenùs dubitatum est, in canonem admittere, ut si, verbi gratiâ, Orationem regis Manassæ (de cujus auctoritate antè cæteras omnes Scripturas apocryphas meritò et cum fundamento dubitari potest) Scripturis sacris annumeraret.

CAPUT V.

De Scripturis apocryphis, de quibus aliquandò dubitatum fuit essent-ne in numero Scripturarum divinarum habendæ.

SECTIO I.

De his Scripturis in genere.

Sunt hæ in duplici genere : quædam de quibus major lis fuit, et quas magni etiam nominis viri inter Scripturas canonicas recipiendas putaverunt; aliæ de quibus dubitârunt vel incerti auctores, vel exigui nominis et auctoritatis homines. De prioribus paulò fusiùs, posteriores undè peti possint indicabimus.

SECTIO II.

De tertio et quarto libro Esdræ.

Primò itaque è veteri Testamento in dubium vocati Esdræ liber tertius et quartus, fueruntque in eam rem argumenta non omninò levia: siquidem primò SS. Patres ex his libris testimonia sumunt, et quidem ad fidei veritatem firmandam, ut Athanasius, Sermone 3 contrà Arianos, ex tertio Esdræ, cap. 4 contrà Arianos ad probandum Verbum non esse factum, telum depromit. Ambrosius, libro de Bono mortis, cap. 10 et 11, sumit testimonia è quarto Esdræ libro, cap. 7, ad probandum diversos ordines claritatis et gloriæ resurgentium, diversasque in cœlo mansiones, juxtà id quod habet Paulus, 1 ad Corinth., cap. 15, vers. 40, 41, 42. Neque dubium est Ambrosium hæc habere pro Scripturâ sacrâ, siquidem ait, è Scripturâ, è nostris libris hæc testimonia depromi; ait Esdram secundùm collatam sibi revelationem hæc nobis revelâsse, eum prophetam appellat; imò quæ Apostolus habet loco illo, 1 ad Corinth. 15, vult ab Esdræ libro illo quarto esse mutuatum. Eumdem librum ipse citat libro secundo in Lucam, ubi agit de nomine Præcursoris, et Epist. 21, suadet hunc librum esse legendum, indèque probat animas esse substantiæ superioris, idque Esdram revelatione didicisse. Cyprianus adversùs Demetrianum quæ habet de mundo senescente et ad finem propinquante, ejusqué rei argumentum sumi ex rerum omnium imminutione ac debilitatione majore, creditur sumpsisse è fine cap. 5 ejusdem libri 4 Esdræ. Au-

gustinus lib. 18, de Civitate Dei, cap. 36, videtur ipsum Esdram libri tertii Esdræ scriptorem agnoscere, qui tamen videtur tribuere Esdræ, quòd liber tertius Esdræ, cap. 4, et Josephus 11, Antiquit. cap. 4, Zorobabeli tribuunt. Ex quo etiam liquet, videri Josephum hanc historiam è tertio Esdræ acceptam pro verâ et legitimâ agnovisse. Citat eumdem Clemens Alexandrinus, lib. 1, Stromat. Secundò est aliud argumentum pro libro tertio Esdræ; quòd Esdræ liber, qui apud nos est tertius, sit in Græcis codicibus primus; qui autem apud nos duo libri sunt, primus et secundus, in Græcis codicibus in unum compinguntur; et secundum Esdræ librum efficiunt. Ex quo videtur illud confici, Patres Græcos hunc librum pro canonico recepisse, quandoquidem cum duobus aliis libris quos nos recipimus, pari loco haberent, imò et illis duobus ordine anteponerent. Rursùm, cùm Patres et Concilia duos Esdræ libros probant, videri ipsos de his tribus intelligere, qui duobus libris apud Græcos continentur, quandoquidem ipsi sequerentur versionem Septuaginta Interpretum. Tertiò accedit, quòd Ecclesia nonnulla ex his libris in Officio divino depromit, ut feriâ tertiâ Pentecostes initium Missæ : *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocavit;* sumptum est è cap. 2, lib. 4 Esdræ, vers. 37. Et illud quod de Martyribus Ecclesia concinit : *Modò coronantur, et accipiunt palmas,* ex eodem cap. 2, vers. 45, sumptum est.

Nihilominùs libri apocryphi habendi sunt, nunquàm enim illos Ecclesia approbavit; imò tamen videntur communi Patrum consensu et Ecclesiæ rejecti, et à multo jam tempore nulli sunt qui eos pro sacris habuerunt, quod nullis aliis accidit, qui tandem pro sacris recepti sunt; semper enim continuâ serie fuerunt, qui eos pro canonicis habuerunt, donec Ecclesia publico decreto eos in canonem recepit. Accedit quòd notentur varii in iis errores, maximè in quarto Esdræ libro; nam cap. 4 favet illi errori, quòd animæ Sanctorum non visuræ sint Deum antè diem judicii, et donec justorum numerus sit completus, eas intereà asservari in inferni promptuariis; quam sententiam rursùm confirmat caput sequens, vers. 42. Hanc sententiam visus est sequi Ambrosius, libro de Bono mortis, et Bernardus non longè videtur abfuisse, ubi de animabus sub altari : at concilium Florentinum hunc errorem damnavit. Rursùm cap. 6 nescio quas fabulas habet de duobus maximis animalibus, Henoch et Leviathan, die quintâ à Deo creatis, quibus capiendis non sufficiebat septima pars totius maris. Item cap. 14 dicit mundum in suâ senectute esse, et de partibus duodecim æqualibus temporum, quibus durare debet, jàm præteriisse partes decem et semis : quod si verum esset, jampridem mundi finis advenisset; ut non immeritò Hieronymus, Præfatione in Esdram, Apocryphorum tertii et quarti libri somnia appellaverit. Adde quòd neuter horum librorum apud Hebræos reperiatur, quartus etiam ne apud Græcos quidem.

Neque argumenta contrà allata quidquam evincunt. Non primum; nullus enim Patrum videtur hos libros pro Scripturâ habuisse præter Ambrosium, et quanquàm his utantur Patres, non tamen ut Scripturis canonicis, sed ut Scripturis utilibus, nonnullamque auctoritatem habentibus, longè tamen infrà Scripturæ sacræ auctoritatem. Neque ad res fidei confirmandas indè sumpsisse testimonia SS. Patres credendum est, nisi quomodò Platonis, Trismegisti, Senecæ testimonia ad res hujusmodi subindè adferimus. Et verò Ecclesiam plùs his quàm cæteris scriptis apocryphis auctoritatem dare, satis ex eo patet, quòd hos permiserit post libros divinos et canonicos in Bibliis reponi, sed minori charactere.

Secundum etiam nihil efficit : constat enim, etiam multos codices Græcos, eosque emendatiores, ut credi potest, non habuisse tertium illum librum. Neque habitum fuisse hunc librum Græcè scriptum è versione Septuaginta, satis colligi potest ex Hieronymo. Adde, vix reperiri Patres Græcos qui hos libros citent; certè quartum librum, qui Græcè non extat, nemo quod sciam; tertium verò præter Athanasium et Clementem Alexandrinum non facilè reperias; ut vel hinc satis appareat, à Patribus Græcis hos libros in Scripturarum numero non fuisse habitos. Et licèt habiti fuissent, cùm nunquàm totius Ecclesiæ vel Patrum consensu habiti sint pro canonicis, et jam ab omnibus desierint pro talibus haberi, meritò à sacrarum Scripturarum numero proscripti sunt.

Tertium etiam argumentum nihil efficit : non enim ex usu vel lectione Ecclesiæ sumitur argumentum validum, nisi ubi ipsa profitetur se ex Scripturâ legendum proponere, nec aliundè quàm ex Scripturâ solet desumere, ut facit in Epistolis et Evangeliis Missæ, in Prophetiis et Lectionibus, quas certis anni temporibus legendas ex Scripturâ proponit, ut in Pervigilio Paschalis, in Lectionibus primi Noc-

turni in Breviario. Porrò in Introitu Missæ, Offertorio, Responsoriis et similibus, cùm soleat etiam aliundè quàm ex Scripturâ ea depromere, non potest ex iis firmum argumentum duci. Itaque cùm Ecclesia nonnullam etiam his libris auctoritatem tribuat, potuit ex his aliqua pia divinis Officiis inserere, non minùs quàm ex quibuslibet aliis scriptis piis et utilibus.

SECTIO III.

De tertio et quarto Machabæorum libro.

Secundò, Machabæorum libri tertius et quartus idem nonnullis dubium pepererunt; et de quarto Machabæorum, omnis planè sublata est dubitatio, cùm à nullo antiquorum, quod sciam, in numero sacræ Scripturæ sit habitus. Athanasius quidem in Synopsi eodem loco habet omnes Machabæorum libros, sed omnes extrâ canonem reponit; at posterioris ævi Ecclesia duos primos in canonem adscripsit; neque de hoc quarto Machabæorum ab ullo vel concilio, vel posteriorum temporum doctore, motum dubium. Adde, quòd is liber nullo modo redoleat gravitatem et majestatem Scripturæ sacræ, esto fit Appendix quædam librorum Machabæorum, quos pro sacris habemus; continet enim gesta Joannis Hircani filii Simonis Machabæi, qui post patris mortem (in quâ finitur liber primus Machabæorum) suscepit sacerdotium et principatum. De tertio libro Machabæorum (qui ordine rerum in eo narratarum præire deberet cæteros omnes Machabæorum libros; nam quæ ibi narrantur de Hebræis, quos in Hippodromo Alexandrino ab efferatis elephantis proterendos exposuit Ptolemæus Philopator, cujus etiam historiæ meminit Josephus, lib. 2 contra Apionem, quinquaginta annis et ampliùs contigerunt antè ea quæ in primo et secundo libro Machabæorum referuntur, ut liquet ex Eusebii Chronicâ, quo circà liber hic ad Machabæos nihil pertinet) de hoc, inquam, libro tertio paulò major est difficultas, et dubitatum fuisse id ostendit, quòd veteribus Bibliis pluribus additus hic liber reperiatur. Adde, quod fortiùs premit, Clementem, in Canonibus Apostolorum Canone 84, referre in Canonem tres libros Machabæorum: quod si verum est, videretur sequi non posse de hoc libro dubitari, cùm et Clemens summus esset pontifex, et rem ab apostolis sibi traditam depromeret. Verùm multorum et meliorum auctorum est opinio, hunc Canonem, uti et alios ex iis plures, non esse Clementis, sed esse suppositítios et adulterinos, pluresque legitimis Apostolorum Canonibus fuisse insertos: quod ex eo probari potest, quòd nullus tot Apostolorum Canones agnoverit; nam alii duntaxat quinquaginta agnoscunt, ut Humbertus, lib. contrà Nicetam; alii ut summum septuaginta, ut Zephyrinus Papa Epist. 1, ubi tamen diversa est lectio; nàm alii septuaginta, alii sexaginta, alii quinquaginta legunt: et verò Canones Apostolici tantummodò videntur fuisse quinquaginta, quos nobis cum antiquâ versione profert tomus primus Conciliorum. Quòd si Zephyrinus plures habuit, id eâ ratione factum est, quòd aliqui in duos fuerint divisi. Et verò à Gelasio pontifice, distinct. 15. Canon. Sancta Romana, ut apocryphus damnatur liber Canonum Apostolorum, nimirùm is qui plures suppositítios continebat. Item distinct. 16 cap. Canones, ab Isidoro dicuntur hi canones ab hæreticis conscripti. Et in Notis ad Canones Apostolorum, Tom. 1, Concil., disertè notatur hic Canon 84 et 65 ex adjunctis esse reprobatus. Neque obstat quòd in Canonibus, qui dicuntur esse sextæ Synodi, probentur 85 Canones Apostolorum; hi enim canones non sunt sextæ synodi, sed conciliabuli cujusdam, ut in iisdem suprà Notis ad Canones Apostolorum annotatur. Itaque meritò judicio totius Ecclesiæ etiam hic tertius liber Machabæorum à Canone proscribitur, maximè cùm etiam nunc è Bibliorum volumine rejectus sit, in quibus adhùc non nullus locus relictus est tertio et quarto Esdræ.

SECTIO IV.

De Oratione Manassæ.

Tertiò, dubitatum fuit de Oratione Manassæ, quæ etiam locum habet in nostris Bibliis post canonicos libros antè tertium et quartum Esdræ. Hanc Orationem tanquàm Appendiculam lib. 2 Paralipomenon voluerunt aliqui esse. Et verò Manassem Deum in afflictione suâ humiliter orâsse, satis constat ex 2 Paral. cap. 33, vers. 12, 13, et infrà vers. 18 et 19 dicitur ejus Oratio scripta fuisse in Sermonibus Regum Israel, et Sermonibus Hozai. An autem ea sit quam habemus in Bibliis nostris, quæ sanè pia est et humilis, nemo facilè asserat, cùm Ecclesia nihil definierit, etsi eam non omninò rejiciat. Quandiù autem nihil ab Ecclesiâ decernitur, inter scripta apocrypha censenda est. Cui accedit quòd ea nec Hebraicè nec Græcè reperiatur.

SECTIO V.

De libri Job quibusdam Appendiculis.

Quartò, dubitatum est de nonnullis libri Job Appendiculis, quas ex Septuaginta Interpretum versione congessit Sixtus Senensis Biblioth. lib. 1, sed maximè de ultimâ illâ Appendiculâ in fine libri, quæ sic habet, prout codices Romani exhibent : *Scriptum est autem ipsum resurrecturum, cum quibus resuscitat Dominus. In terrâ quidem Ausitide habitans, in finibus Idumææ et Arabiæ, et erat nomen ei Johab. Cùm autem accepisset uxorem Arabissam, genera t filium, cujus nomen Erumon. Erat autem ipse ex patre quidem Zara, de filiis Esaü filius, matris autem Bosora, ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges, qui regnaverunt in Edom ; cujus regionis etiam ipse dominatus est : primus Balac filius Beor, et nomen civitatis ejus Demaba : post Balac autem Johab , qui vocatur Job : post hunc autem Asom, qui erat dux ex regione Themanitide : post hunc autem Adad filius Barad, qui excidit Madian in campo Moab; et nomen civitatis ejus Gethem. Amici autem, qui ad eum venerunt, Eliphaz, de filiis Esaü, Themanorum rex, Baldad, tyrannus Sauchæorum , Sophar, rex Minæorum.* Est et alia in iisdem codicibus Appendicula, quæ in nostris codicibus deest, cap. 2 continetque oratiunculam uxoris Job ad maritum. Porrò de his Appendiculis, maximè priore illâ, quæ in fine libri habetur, dubitari non potest quin sit magnæ auctoritatis, et meo judicio si non canonica ac de fide, saltem fidei et Canonicæ auctoritati proxima. Primò, quia hanc editionem Romæ editam suâ sanctione probat et recipi vult Sixtus V pontifex, ad Vulgatæ editionis et sanctorum Patrum intelligentiam. Secundò, quia omnes ferè ad unum, præter unum Hieronymum, sancti Patres hanc Appendiculam agnoscunt, et ut Scripturam sacram recipiunt, utpotè qui ex eâ probant Job Idumæum fuisse, et de stirpe Esaü , quos et nos ad hoc ex eo loco comprobandum sequemur ad cap. 36, Gen. vers. 33. Hi Patres sunt Origenes, Augustinus, Theodoretus , Chrysostomus , Ambrosius, Athanasius, auctor libri de Verâ circumcisione apud Hieronymum, Hippolytus, Irenæus, Eusebius Emissenus, Eusebius Cæsariensis, Apollinarius , Eustathius, Prosper et alii, quos adferemus ad illud cap. 36 Genesis. Refert ea Sixtus Senensis, legi etiamnùm in Catenâ Græcâ explanationum in Job manuscriptâ , quam apud se habebat, varias in hanc genealogiam annotationes Origenis, Chrysostomi, Juliani, Severi, Evagrii et Olympiodori. Nec diffitetur aut diffiteri potuit Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in Genesim, hæc in Vulgatâ vel Septuaginta editione haberi sed tantummodò eludit, et dicit hæc non haberi in Hebræis voluminibus , undè et hanc Appendiculam rejiciens, aliam ipse nobis Jobi texit genealogiam. Hoc tamen non satis est ut quidpiam à canone rejiciamus , quòd non habeatur in Hebræis voluminibus ; aliàs enim et postrema capita Esther, et duo postrema capita Danielis cum Cantico trium puerorum, et totus Baruch, aliaque essent rejicienda, quod et facit eodem argumento Hieronymus, quæ tamen Ecclesia in sacrorum librorum canonem recepit. Adde, contrà S. Hieronymum facere, ne putetur hæc Appendicula esse supposititia, quòd, teste Origene Epist. ad Julium Africanum, eadem haberetur in Theodotionis versione. Rursùm libet ille Syriacus, ex quo hæc Appendicula reddita est, videtur esse ipse genuinus textus et idioma quo primùm conscriptus hic liber est ; nàm omnium ferè sententia est, à Moyse hunc librum in Hebraicum sermonem translatum : neque apparet quâ linguâ aliâ fuerit scriptus , nisi Syriacâ , quâ passìm omnes Judeæ vicinæ regiones utebantur. Tertiò conficitur argumentum, quod meo judicio valdè urget ; antequàm Hieronymi editio pro Vulgatâ reciperetur in Ecclesiâ, habebatur hæc editio Septuaginta pro Vulgatâ, in quâ non aliter legebatur, quàm modò in iis legimus, etiam fatente Hieronymo : ergò cùm probavit Ecclesia librum Job in concilio Laodiceno et Carthaginensi III. Innocentii et Gelasii decreto, communique omnium Patrum consensu jàm indè ab initio Ecclesiæ, certè illum probavit prout tunc legebatur in Ecclesiâ : ergò tunc etiam appendicula illa, quæ inerat, habebat auctoritatem canonicam : alioqui enim, si nunc licet et olìm licuit de hâc libri particulâ dubitare, licuit et de quâlibet hujus seu alterius libri particulâ dubitare, cùm par fuerit singularum ratio ; imò et nunc licebit, cùm non magis errare potuerit prior, quàm posterior Ecclesia. Porrò si quod semel canonicam auctoritatem habuit, non potest è canone rejici, neque verè id unquàm fecit Ecclesia, sequitur etiamnùm eam Appendiculam habere auctoritatem canonicam. Tantummodò objici posset, non videri hanc Appendiculam habuisse hanc auctoritatem, quia quod aliquandò habuit auctoritatem canonicam, non potest ab Ecclesiâ deseri, et quasi à reliquo corpore detruncari : ad hæc Appendicula est jam à reliquo libri

corpore truncata. Responderi tamen posset, id esse verum de toto aliquo libro, vel parte notabili; at de particulâ aliquâ id non esse verum, quandò id non truncatur et rejicitur tanquàm apocryphum et minimè pertinens ad Scripturam sacram, sed ob aliam causam : constat enim, et alias particulas esse in editione Septuaginta, quas posteà deseruit Ecclesia, cujusmodi est illud de generatione Cainan, et alias nonnullas, non quòd non haberent auctoritatem canonicam, sed quòd Ecclesia vellet sequi Hieronymi versionem : ubì autem Hieronymi versio partem aliquam notabilem omittebat, Ecclesiam tunc aliundè ex Vulgatâ antiquâ editione supplevisse, ut fecit in Esther et Daniele. Cæterùm, quia non obstantibus his rationibus multi recentiores hanc Appendiculam tanquàm apocrypham rejiciunt, relinquemus rem in medio, ut de eâ opinetur quisque ut volet. Argumenta certè, quæ contra ea quæ diximus, adferuntur, non magni sunt momenti.

SECTIO VI.

De Psalterii Appendiculâ.

Quintò, dubitatum est de Psalterii Appendiculâ ; Græci enim numerant psalmos 151, quemadmodum et disertè habet Athanasius in Synopsi, ubì et ait hunc psalmum supernumerarium esse contrâ Goliath. Habetur autem is psalmus in Græcis Codicibus, eumque Græci cum cæteris pro canonicâ Scripturâ habent. Habet et hunc Psalmum Græcè et Latinè Sixtus Senensis, lib 1. Bibl., habetque is hanc inscriptionem : *Psalmus hic ab ipso Davide conscriptus est extrà numerum centum et quinquaginta, cùm singulari certamine cum Goliath congressus esset.* Suspicatur Sixtus Senensis hunc psalmum esse unum ex illis psalmis, quos Athanasius in fine Synopsis ait ab amicis Ezechiæ regis absconditos fuisse : ait enim Athanasius, Davidem tria millia psalmorum fecisse, ex his amicos Ezechiæ 150 selegisse, reliquos abdidisse, citatque in eam rem Athanasius Libros Paralipomenon; at nihil tale in Libris Paralipomenon invenio. Quidquid sit, psalmus ille nescio quid adulterinum redolet, et Ecclesia hactenùs tantummodò approbavit Psalterium 150 psalmorum.

SECTIO VII.

De Præfatiunculâ præfixâ Threnis Jeremiæ.

Sextò, dubitatum est de Præfatiunculâ, quæ præfigitur Threnis Jeremiæ : voluntque eam Scripturam canonicam esse, Delrio initio Commentariorum in hos Threnos, et Gretferus lib. 1 Defensionis Bellarmini, cap. 14; estque pro illâ opinione ratio, quòd in correctis nostris Bibliis ea habeatur, in quibus nihil non esse canonicum Præfatione ad lectorem in Bibliis dicitur. Item quòd eadem Præfatio neget ullas Præfationes sacris Libris additas, extrà videlicet ipsius sacræ Scripturæ contextum. Accedit tertiò, quòd eodem charactere hæc Præfatiuncula excudatur, quo reliquum corpus Librorum sacrorum : eâdem autem Præfatione licèt permittatur adjici quædam additamenta, ut argumenta librorum et capitum, marginales notæ, etc., id tamen permittitur, si modò alio charactere id fiat. Faciunt hæc argumenta hanc opinionem non improbabilem. Plurium tamen et graviorum videtur sententia, hanc Præfatiunculam esse apocrypham et ad corpus libri non pertinere. Est hæc sententia Bellarmini Tom. 1, Controv. 1, cap. 20; Maldonati, Gasparis Sancii, Cornelii à Lapide, et Christophori à Castro in Threnos, Serarii in Prolegomenis Bibl. cap. 8, quæst. 17; Sixti Senensis lib. 1 Bibl. Idem sentiunt Angelius Procœmio in Threnos, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Franciscus Lucas, idemque apertè indicat Salmeron Prolegomenos 9, Can. 4; quibus accedit S. Bonaventura : *Huic,* inquit, *Lamentationum operi hæc littera* (Præfatiunculam hanc intelligit) *in quibusdam libris anteposita invenitur; quæ non est tamen de veritate textûs.* Suntque rationes pro hâc sententiâ non leves. Primò, quia hæc Præfatiuncula non habetur in Hebræis codicibus, nec ab Hebræis agnoscitur, qui cùm soleant libro nomen imponere à primâ libri voce, hunc librum nominant *echa,* quæ significat *quomodo,* estque prima vox primi capitis. Secundò, quia in antiquis multis codicibus Latinis non habetur, et, ut apparet, S. Hieronymus illam omninò non agnovit, qui solet omnia quæ in editione Septuaginta, habentur in Hebræo diligenter notare. Tertiò, quia omnes qui in has Lamentationes commentati sunt, seu antiquioris ævi, ut Hieronymus et Theodoretus, seu medii, ut Paschalius, Rabanus, Rupertus, Hugo de S. Victore, ejus ne verbo quidem meminerunt; at recentioris ævi omnes ferè rejiciunt, ut dictum est. Quartò, cùm principium Lamentationum hebdomadâ sanctâ in Ecclesiâ legatur, omittitur tamen hæc Præfatiuncula, et ab ipsis Lamentationibus incipitur : *Quomodò sedet.* Adde quintò, multos dubitare de

tempore quo fuerunt hæc Lamentationes compositæ, et multos tàm Rabbinos quàm Catholicos velle, non excisâ jam à Chaldæis Jerosolimâ, sed anteà ad modum cujusdam Prophetiæ, et excidii per revelationem prævisi, fuisse ab Jeremiâ compositas, quod si verum est, manifestè apparet, epigraphen hanc esse supposititiam. Neque verò rationes contrà allatæ evincunt. Non prima, siquidem concilium Trident. recipit hos libros prout in Ecclesiâ legi solent; at hæc Præfatiuncula legi non solet, esto Lamentationum initium legatur. Porrò Præfatio illa Bibliis præfixa non est summi pontificis, vel ejus qui habet potestatem de eâ re decernendi, sed est eorum qui Biblia emendârunt : quorum fortè an ea fuerit sententia, quòd hæc Præfatiuncula sit canonica, non liquet; et videtur contrarium colligi, propterea quod ipsemet Agellius, qui huic Bibliorum correctioni, ut refert Serarius, interfuit, multis hanc Præfatiunculam videtur impugnâsse, ac tandem illud adjicit : *De hâc re judicium ad eos deferimus quorum est de sacris litteris censere et à certis dubia secernere.* Non secunda, hoc enim tantummodò volunt nullas Præfationes ex se addidisse. Non tertia, quia hi correctores cùm videantur de hâc Præfatiunculâ dubitâsse, et passim ea tunc in Bibliis reperiretur, noluerunt ipsi suâ auctoritate expungere, sed eam addiderunt, expectantes donec aliquid certi à Sede Apostolicâ, vel concilio de eâ re decerneretur. Quandò autem et à quo ea Præfatiuncula fuerit addita, non constat. Multi volunt ab aliquo scriptore Græco eam additam; alii volunt à Septuaginta Interpretibus id factum, ut has Lamentationes hâc epigraphe connecterent cum fine Prophetiæ ejusdem Jeremiæ. Res incerta, et quanquàm ea adscriberetur Septuaginta Interpretibus, non tamen hinc sequi vult Christophorus à Castro, eam esse canonicam; ipsi enim non scriptoris canonici, sed interpretum tantùm vice fungebantur; et eam addebant tanquàm à se additum, et ut aliquid à reliquo libri corpore separatum; quemadmodum nos faceremus, si similem epigraphen alio charactere libri alicujus principio adderemus. Hæc de libris apocryphis veteris Testamenti : sequitur ut paucis de novi Testamenti libris dicamus.

SECTIO VIII.

De novi Testamenti Libris Apocryphis, et inprimis de Libro qui dictus est Pastor.

Primò inter apocryphos novi Testamenti libros, de quibus videtur maximè fuisse dubitatum, fuit is liber qui dictus est Pastor, quem Hermes vel Hermas quidam composuit, in quo Angelus Hermæ custos dabat pœnitenti præcepta vitæ benè agendæ. Liber fuit Latinis vix notus, nisi iis qui Græcos libros pervolutabant, at Græcis apprimè cognitus. Hunc librum volunt aliqui, ut Origenes lib. 10, in Epistolam ad Romanos, et Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, fuisse compositum ab Hermâ quodam, qui D. Pauli Apostoli fuit coævus, cujus Apostolus meminit, Epist. ad Rom. cap. ult., vers. 14 : *Salutate Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen.* Alii, ut Beda, lib. de sex ætatibus mundi, ab Herme quodam, qui posteriùs vixit sub Antonio Pio. Porrò de hoc libro olim dubitatum fuisse an Scripturis divinis esset annumerandus, liquet primò ex Origene, loco citato, qui de hoc libro hæc habet : *Puto quòd Hermas iste* (cujus scilicet meminit Paulus, Epistolâ ad Romanos), *sit scriptor libelli illius qui Pastor appellatur, quæ scriptura mihi valdè utilis videtur, et, ut puto, divinitùs inspirata.* Accedit quòd idem Origenes aliis multis locis hunc ibrum citat etiam ad res fidei confirmandas, indicatque quid rei in eo libro contineretur; ut Hom. 8 in Numeros, Hom. 10 in Josue, Hom. 35 in Lucam, lib. 1, 2, 4, Periarchon. Athanasius item sæpiùs hujus libri testimoniis utitur contrà Arianos, et ad fidei dogmata confirmanda, ut lib. de Incarnatione Verbi, ubi illum vocat utilissimum librum; rursùm bis lib. de Decretis Nicænæ Synodi contrà hæresin Arianam. Item ad dogmatum fidei confirmationem utitur eodem Clemens Alexandrinus, lib. 6 Stromatum; Irenæus, lib. 1 adversus Hæreses, cui etiam pastoris scripta fuisse probata, scribit Eusebius lib. 5 Hist., cap. 8., Cassianus Collatione 13, cap. 12. De eodem ità scribit Hieronymus, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis : *Hermas, cujus Paulus Apostolus ad Romanos scribens meminit, asserunt auctorem esse libri, qui appellatur Pastor, et apud quasdam Græciæ Ecclesias publicè legitur. Reverà utilis liber multique de eo Scriptorum veterum usurpaverunt testimonia; sed apud Latinos penè ignotus est.* Et ad cap. 7 Oseæ de hoc libro subdubitans ait : *Undè et in libro Pastoris, si cui tamen placet illius recipere lectionem.* Ruffinus in Symbolo hunc librum eodem loco reponit cum Sapientiâ, Ecclesiastico, Tobia, Judith, Machabæis, extrà canonicorum quidem numerum, sed inter ecclesiasticos, quos fas esset in Ecclesiâ legere. Nihilominùs nullus est, quod sciam, veterum, qui hunc librum inter canonicos discertè repo-

suerit; solus Origenes videtur id subindicare. Athanasius libro illo de Decretis Nicænæ Synodi disertè ait ex hoc libro, etiamsi in canone non sit, adferri testimonia. Ruffinus manifestè extrà canonicos reponit, licèt in numero ecclesiasticorum reponat. Euseb. lib. 3. Hist. cap. 25, apocryphis annumerat. Hieronymus etiam in Prologo galeato disertè hunc in apocryphis libris reponit; si tamen illud de Pastoris libro sit S. Hieronymi, et non alicujus alterius assumentum; est enim mihi suspectum: cùm enim S. Hieronymus ibi tantummodò loqueretur de libris veteris Testamenti, postque canonicos recensitos, qui in Hebræorum essent canone, subjecisset de apocryphis ejusdem veteris Testamenti, quique necdùm in canonem recepti essent, videtur planè extrà rem et institutum fuisse de Pastoris libro inserere, cùm is ad novum Testamentum pertineat, maximè cùm post canonicos recensitos ipse subjunxisset: *Ut scire valeamus quidquid extrà hos est, inter apocrypha esse ponendum.* Aliàs enim si ipsius mens esset etiam de novi Testamenti libris loqui, dicendum esset, etiam ipsum inter apocrypha reponere omnes novi Testamenti libros, quod planè absurdum est Hieronymo adscribere. Quidquid sit de Hieronymo, Gelasius pontifex in concilio Romano librum hunc Pastoris inter apocryphos censuit, habeturque Can. Sancta Romana, dist. 15.

SECTIO IX.

De Canonibus Apostolorum.

Secundò, Damascenus in canonicis Scripturis recenset Canones Apostolorum per Clementem lib. 4 de Fide, cap. 18. At liber Canonum Apostolorum inter Apocrypha relatus est à Gelasio, Can. Sancta Romana, dist. 15. Et quanquàm id videatur intelligendum de canonibus illis ab hæreticis corruptis, multis videlicet insertis adulterinis, uti explicatur ab Isidoro apud Gratianum, dist. 16, cap. 1, et manifestiùs cap. 3 tamen neque 50, illi Apostolorum Canones sinceri, et ab omni suspicione immunes à Clemente editi, habiti sunt ab ullis aliis pro Scripturâ sacrâ: neque verò haberi debent, cùm non sint canones et regulæ rerum credendarum, sed rerum agendarum ad bonam Ecclesiæ administrationem, cujusmodi in multis conciliis traduntur vel canones, vel decreta ad Ecclesiæ reformationem pertinentia: in quibus, sicuti et in canonisationibus Sanctorum, et Religionum approbationibus, aliisque similibus, licèt Ecclesia errare non possit, non tamen rem de fide facit, neque Scripturam sacram.

SECTIO X.

De Epistolis Clementis, et libris Constitutionum.

Tertiò, in canone Scripturarum reponuntur duæ Epistolæ Clementis, et octo libri Ordinationum seu Constitutionum Apostolicarum ejusdem, Canone 84 seu ultimo inter Canones Apostolorum; sed hos canones spurios legitimis superadditos, inprimìsque ultimum illum, qui est de Scripturis sacris rejectum et reprobatum suprà hoc eodem capite diximus, ubì de Machabæorum lib. 3 egimus.

SECTIO XI.

De Evangelio secundùm Hebræos.

Quartò, videtur Hieronymus nonnullam auctoritatem tribuere Evangelio secundùm Hebræos, quod aliquoties citat, et apud Hebræos maximam auctoritatem habere dicit, eoque Origenem sæpè uti asserit: quin et ipse Hieronymus tanti videtur fecisse ut ex Hebræo in Græcum Latinumque illud verterit, ut ipse refert lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Jacobo fratre Domini, ubi ex eo Evangelio apparitionem factam Jacobo Alphæi post Christi resurrectionem adfert. Verùm cùm Ecclesia quatuor Evangelia semper probârit, satis suo silentio indicat, quid de hoc Evangelio sentiat; et quæ supersunt ex eo fragmenta, satis indicant, nescio quid adulterini illud resipere. Cæteræ novi Testamenti Scripturæ apocryphæ et rejectæ peti possunt ex Euseb. Histor. Ecclesiasticæ lib. 3, cap. 3 et 25, et lib. 6, cap. 14 ex Athanasio sub finem Synopsis: item ex Innocentii Epistolâ 3 et Decreto Gelasii, Can. Sancta Romana, dist. 15.

CAPUT VI.

De sacris Scripturis, si quæ sunt quæ perierunt.

SECTIO I.

Quæ argumenta probent nullas periisse.

Quæstio non parva est inter Catholicos, possit-ne qui canonicus liber est intercidere; et sunt qui negent ob has rationes. Primò, quia videtur ad divinam providentiam spectare, curare ne id fiat. Cùm enim tantoperè ad Dei gloriam, et nostram spiritualem utilitatem intersit isti ut libri sint, ex quibus regulas credendi et benè vivendi hauriamus, eoque fine illos Deus det; videtur ad Dei curam et providentiam pertinere, istiusmodi libros ut conservet. Secundò, si hujusmodi libri perirent, Ecclesia, seu vetus Hebræorum, seu nova Christianorum, non fuisset fidelis depositi sui

custos; hos enim libros quasi depositum quoddam asservandum Ecclesia à Deo accepit, in quibus cùm regula credendi et benè vivendi contineatur, manifestum est quantâ curâ conservari debeant, juxtà illud 1 ad Timotheum cap. 6: *O Timothee, depositum custodi.* Et verò hujusmodi librum perdere, esset ingens quoddam damnum et irreparabile incurrere, sicuti Ecclesia, si unum è septem Sacramentis amitteret, gravissimum haud dubiè subiret damnum et incommodum, nec fideliter depositum custodisset. Tertiò, Esdras à captivitate Babylonicâ dicitur eos libros, qui captivitatis tempore interciderant, restituisse sive ex memoriâ, seu divino afflatus Spiritu: cùm itaque hos qui creduntur periisse non restituerit, signum est eos habitos esse pro apocryphis. Quartò, nihil ex eis citatur ab Apostolis et Evangelistis in novo Testamento, cùm ex cæteris omnibus ferè aliquid citetur; quæ res argumento est, illos libros neque de rebus novi Testamenti et ad fidem pertinentibus habuisse, atque adeò et apocryphos extitisse. Ità ratiocinatur Salmero noster Prolog 9, can. 4, et videtur inclinare Augustinus tùm Quæst. 42, in lib. Num., ubi censet librum Bellorum Domini, qui cap. 21 Num. citatur, fuisse apocryphum, et videri aliquam externæ gentis historiam continuisse, tùm lib. 18 de Civit. Dei, cap. 38, ubi, licèt maneat dubius, in contrarium tamen videtur magis propendere.

SECTIO II.

Probabilius esse aliquas hujusmodi Scripturas periisse; et quænam illæ sint in particulari.

Nihilominùs probabilius censeo, nihil vetare aliquem hujusmodi librum canonicum excidere, et de facto ità in pluribus accidisse. Id autem intelligi potest dupliciter: Primò, ut talis liber pereat antequàm recipiatur ab Ecclesiâ in canone, quo tempore propriè adhuc non est canonicus, sed potest dici quodammodò canonicus in actu primo: quia cùm in se sit divinæ auctoritatis, est talis qui recipi possit in canone, quemadmodùm si Sapientia, Ecclesiasticus, Tobias, Judith, Machabæi excidissent antè Christum, cùm non haberentur in Hebræorum canone. Secundò, ut id fiat postquàm jàm est ab Ecclesiâ admissus liber in canonem, et est quodammodò jam canonicus in actu secundo. Et utrovis modo censeo posse aliquem librum canonicum perire; licèt meritò dubitari possit an aliquis de facto perierit, qui jam reipsâ admissus erat in canonem. Hæc porrò opinio non potest meliùs probari, quàm ostendendo et declarando plures hujusmodi libros de facto periisse. Probatur autem primò auctoritate plurium et gravium virorum, Athanasii in fine Synopsis, Chrysostomi Hom. 9 in Matth. et Hom. 7 in primam ad Corinth. Origenis Præfat., vel ut alii citant, Hom. 1 in Cantica, quem P. Salmero conatur in suam sententiam trahere, alii dubitare asserunt; mihi verò satis videtur clarè asserere; nàm etsi dubitet an ideò hæ scripturæ sublatæ sint quòd essent apocryphæ, tamen non dubitat an eæ fuerint apocryphæ, quatenùs à primo scriptore prodierunt, sed fortè quòd injuriâ temporum multa iis essent inserta, librique corrupti, ut difficile esset legitima à spuriis secernere. S. August., uti dixi, lib. 18 de Civit. Dei, cap. 38, hæret nonnihil dubius, fatetur tamen libros aliquos non recipi, quòd credantur non esse illorum, quorum nomina præferunt. Accedunt his recentiores Bellarm. Tom. 1 Controvers. 1, lib. 4, cap. 4, Serar. in Prolog. Bib. cap. 8, quæst. 14 et 15. Pineda in Salom. prævio lib. 1, cap. 1, Sixtus item Senensis non uno loco insinuat libro 2, Biblioth. Secundò probatur eadem opinio è libris qui de facto nunc reperiuntur, et tamen in sacris voluminibus citantur, ut primò Prophetia Enoch citata à Judâ Apostolo in Catholicâ Epistolâ. Secundò, Liber Bellorum Domini, Num. 21, vers. 14. Tertiò, Liber Justorum, Josue cap. 10, vers. 13, et 2. Reg. cap. 1, vers. 18. Quartò, Liber Verborum dierum Salomonis, 3. Reg. cap. 11. vers. 41. Quintò, Liber Verborum dierum Regum Israel 3, Reg. cap. 14, vers. 19, et alibì sæpiùs. Item Liber Sermonum dierum Regum Juda, ibidem vers. 29, et alibì in Regum libris sæpiùs. Sextò, Liber Regum, 2 Paralip. cap. 24, vers. ult., et Liber Regum Juda et Israel, eodem lib. cap. 6, 25, 27, 28, 32, 35, 36, et Liber Regum Israel, ibidem cap. 33, vers. 18, qui idem et unicus videtur liber, variatâ nonnihil appellatione. Septimò, Liber Samuelis videntis, 1. Paralip. cap. ult. vers. 29. Item alium librum scripsit idem continentem Legem regni, seu quomodò rex se gerere deberet in administrando populo, et populus se habere deberet ergà regem, qui quia repositus fuisse dicitur coràm Domino seu Arcâ fœderis, hoc ipso indicatur fuisse sacer, et Deo dictante et approbante scriptus, 1, Reg. cap. 10, vers 25. Octavò, Libri Nathan Prophetæ, 1 Paralip., cap. ult., vers. 29. et 2, Paralip. cap. 9, vers. 29. Nonò, Liber Gad Videntis, 1, Paralipo-

men. cap. ult., vers. 29. Decimò, Liber Ahiæ Silonitis, 2 Paralip. cap. 9, vers. 29. Undecimò, Liber vel Visio Addo Videntis, 2 Paralip. cap. 9, vers. 29, et cap. 12, vers. 15, et cap. 13, vers. ult. Duodecimò, Liber Semeiæ Prophetæ, 2 Paralip. 12, vers. 15. Decimotertiò, Liber Jehu filii Hanani, 2 Paralip. 20. vers. 34. Decimoquartò, Sermones Hozai, 2 Paralip. cap. 33, vers. 19. Decimoquintò, Sermones, sive res gestæ Osiæ Regis Juda conscripti ab Isaiâ Prophetâ, de quibus nihil habetur in Prophetiâ Isaiæ, 2 Paralip. cap. 26, vers. 22. Decimosextò, tria millia Parabolarum Salomonis, lib. 3 Reg. 4, vers. 32; liber enim quem habemus Salomonis Parabolarum, seu Proverbiorum, longè abest ab hoc numero. Decimoseptimò, Canticorum ejusdem quinque millia, ut libri plurimi habent, vel potiùs, ut Sixtina habent Biblia, quinque et mille, ibidem 3. Reg. cap. 4. v. 32. Decimooctavò, ejusdem Salomonis Naturalia de plantis, arboribus, et omni animalium genere, ibidem vers. seq. Decimononò, Jeremiæ Descriptiones, 2 Machab., cap. 2, vers. 1. Vigesimò, Joannis Hircani Liber dierum, 1 Machab., cap. ult., vers. ult. Vigesimoprimò, Libri Jasonis Cyrenæi, 2 Mach., cap. 2, vers. 24, ex quo Scriptor 2 Machabeorum libri suam sumpsit historiam, eam redigendo in compendium. Addi potest ex Athanasio in Synopsi, qui ex Josepho accepit, duos Ezechielis Prophetiæ libros, cujus unum tantùm habemus. Denique adjici possent Litteræ Eliæ Prophetæ missæ ad Joram Regem Juda, 2 Paralip., cap. 21, cujus item fragmentum ibi recitatur. Addit Bellarm. suprà certum esse Epistolam Pauli ad Laodicenses periisse. At ego existimo tantùm abesse ut hoc sit certum, ut potiùs credam nullam talem Pauli Epistolam extitisse, ut in Epistolâ ad Colossenses probandum est, et meliores docent auctores, atque adeò Epistolam Pauli ad Laodicenses non debere censeri apocryphum, ut vult Salmero.

SECTIO III.

Quænam ex jam nominatis Scripturis possint esse dubiæ.

Fateor de his nonnulla posse moveri dubia, et à sacris Libris posse rejici Naturalia Salomonis: cùm enim hæc nihil ad fidem, et morum ædificationem facerent, nihil est necesse asserere hæc à divino profecta Spiritu, et ad hæc aptè conscribenda satis erat illi infusa à Deo scientia. Rursùm facilè dubitari posse, an Jasonis Cyrenæi scripta fuerint canonica; satis enim est, si dicatur, historiam fideliter ab eo fuisse conscriptam, ejus autem abbreviatorem Scriptorem Hagiographum à Deo adjutum fuisse, nequid suæ historiæ quod minùs sincerum esset insereret. Prætereà circà Ezechielis Prophetarum libros possumus vel Josephi fidem in dubium vocare, vel quæ olim in duos digesta erant libros dicere in unum nunc esse redactos.

Rursùm fateor rem non esse satis manifestam de libro Bellorum Domini, et libro Justorum, cùm non possimus ex Scripturâ inficiantes revincere. Quòd autem divus Augustinus quæst. 42 super Numeros censeat librum Bellorum Domini esse apocryphum, et fortè externæ alicujus gentis, id nullo modo videtur verisimile: neque enim verisimile est, ab externæ gentis hominibus decantari bella Domini, ut præ se fert libri titulus, quod alii quàm vero Deo non convenit, cùm in Hebræo sit *Jehova*. Verùm Augustinus id ex titulo cognoscere non potuit, cùm aliter interpungant ibi Septuaginta: *Propterea dicitur in libro: Bellum Domini ipsam*, etc., ità ut *Bellum Domini* jungatur sequentibus. Contrà librum Enoch fateor adferri posse decreta, quibus reprobatur et damnatur liber Enoch ut apocryphus; at non debet intelligi de vero libro Prophetiæ Enoch, qui à Judâ citatur, sed de altero, qui ab hæreticis sub nomine Enoch suppositus fuit.

SECTIO IV.

De libris jam nominatis, qui possint videri iidem cum libris illis, quos in nostris Bibliis habemus.

Videtur ulteriùs dubitari posse, an horum enumeratorum libri aliqui non sint iidem cum iis libris, quos modò canonicos habemus; ut an libri Samuelis, Nathan, Gad, Ahiæ, Addo, Semeiæ, Jehu, Hozai, Isaiæ de rebus gestis Oziæ, non sint iidem cum libris Regum quos habemus, qui à diversis Prophetis successu temporis scripti sint. Verùm etsi id de quibusdam asseri possit, quia non potest clarè refelli, tamen de libris Samuelis, Nathan, Gad, videtur posse liquidò refutari ex 1 Paralip., cap. ult., ubi dicuntur hi libri continuisse non tantùm ea quæ contigerunt ipsorum temporibus in Israel, sed etiam in cunctis regnis terræ; quæ enim de externis regnis sunt, nusquàm scripta reperiuntur in libris Regum. Rursùm quæ dicitur scripsisse Addo Videns, non esse ea quæ in libris Regum habentur, probari potest; quia ut habetur 1, Paralip. cap. 9, scripsit de rebus Salomonis in visione, quam habuit

contrà Jeroboam filium Nabat, at visio ista nusquàm habetur in libris Regum. Neque potest dici intelligi id de Prophetiâ viri Dei, quæ habetur 3 Reg. cap. 13, et Addo fuisse virum illum Dei, qui habuit istam visionem, et venit ad Jeroboam in Bethel vaticinaturus contrà altare quod ipse ibi extruxerat; hoc enim vaticinium factum est primis annis Jeroboam, ut series narrationis indicat, nempè postquàm Jeroboam initio sui principatûs constituisset duos suos vitulos, unum in Dan, alterum Bethel: porrò iste Propheta qui ad Jeroboam venit, in reditu à leone occisus est, quod de Addo Prophetâ dici non potest, siquidem is non tantùm scripsit res Salomonis et visionem illam contrà Jeroboam, sed etiam res gestas Roboam, et Abiæ filii Roboam, ut habetur cap. 12 et 13, lib. 2 Paralip. Prætereà id etiam asseri non potest de libro Hozai Prophetæ, ea videlicet quæ ipse scripsit de rege Manasse, esse ea quæ habentur in libris Regum, siquidem 2 Paralip., cap. 33, dicitur Hozai scripsisse orationem Manassæ et exauditionem ejus; at in libris Regum ne verbum quidem habetur de affectione, seu causâ quæ induxit Manassem ad agendam pœnitentiam, vel de ejus pœnitentiâ, vel de ejus oratione et exauditione, nedùm ejus ibi habeatur oratio.

Rursùm videri posset alicui liber Regum Juda et Israel, qui toties citatur lib. 2 Paralip. esse liber tertius et quartus Regum, quos habemus. At contrarium probari potest: Primò, quia in eo libro Regum à 2. Paralip. citato dicitur cap. 24, haberi de filiis Joas, deque summâ pecuniæ quæ sub eo collecta fuerat; at de his utrisque lib. 4 Regum, cap. 12, quod in rebus Joas narrandis totum est, nullus habetur sermo. Rursùm, cap. 27, dicitur in illo libro Regum narrari pugnas regis Joathan; at in nostris libris Regum ne verbum quidem est de præliis ejus. Deindè obsecratio regis Manassæ, cap. 33, lib. 2 Paralip., dicitur esse scripta in sermonibus Regum Israel; at nihil tale habetur in nostris libris Regum. Item cap. ult., 4 Paralip. habetur, in isto libro Regum Juda et Israel fuisse scriptas abominationes quas operatus est rex Joakim; at in nostris libris Regum nihil istiusmodi habetur. Ex quibus omnibus manifestè concludo, librum illum, qui passìm citatur, lib. 2 Paralip., sub nomine Regum Juda et Israel, esse planè alium à libris Regum quos habemus.

Rursùm suspicari quis posset, et verò ità censuerunt nonnulli, librum Dierum verborum Regum Juda et Israel, qui passìm citatur in libris Regum cap. 3 et 4, esse libros Paralip.; at id dici non posse, his argumentis probatur: nàm cap. 16, l. 3 Regum, vers. 5, dicitur in illo libro Dierum verborum Regum Israel referri prælia Baasa: item paulò post eodem capite, vers. 20, dicitur in eodem libro narrari res Zambri, insidias ejus et tyrannidem; at de his nihil habetur in libris Paralipomenon, imò de Zambri ne mentio est quidem. Item quod paulò post, vers. 27, dicitur de Amri et præliis ejus: nihil eorum in Paralipomenis habetur ubi ne nominatur quidem Amri. Item ejusdem libri cap. ult., vers. 39, habetur, in eodem libro Verborum dierum Regum Israel haberi de domo eburneâ ab Achab rege ædificatâ; at nihil tale habent libri Paralipomenon. Rursùm de Jehu et ejus fortitudine vix quidquam habetur in libro Paralipomenon, cùm tamen ejus gesta et ipsius fortitudo dicatur esse scripta in libro Verborum dierum Regum Israel, cap. 10, lib. 4 Regum. Et de Joachaz, filio Jehu, dicitur 4 Reg., cap. 13, ejus sermones et fortitudinem haberi scripta in libro Sermonum dierum Regum Israel; at nihil istorum habetur in libris Paralipomenon, imò ne tangitur quidem verbo tempus regni Joachaz. Item de Jeroboam, filio Joas, dicuntur ejus gesta et fortitudo quâ præliatus est, et quomodò restituerit Damascum et Emath Judæ in Israel, scripta in libro Sermonum dierum Regum Israel, lib. 4 Reg., cap. 14; at hujus Jeroboam ne mentio quidem est in libris Paralipomenon. Idem dici posset de regibus Israel, Phaceiâ, Phacee, Osee, ultimis regibus Juda, quorum gesta dicuntur scripta esse in eodem illo libro Sermonum dierum Regum, et tamen de his nihil habent libri Paralipomenon, nisi paucula obiter et ex occasione de Phacee. Ex his manifestè conficitur, istum librum Verborum dierum Regum Juda et Israel planè esse alium à libro Paralipomenon, et fortè is non est alius à Libro illo Regum Israel et Juda, cujus toties in libro Paralipomenon fit mentio.

SECTIO V.

Fuisse ex his Scripturis aliquas saltem divinas.

His itaque præmissis et explicatis, videtur dubitari non posse è recensitis saltem plerosque libros fuisse divinos: quæ enim ratio dubitandi de Canticis et Parabolis Salomonis? si enim illorum pars, quæ ad nos pervenit, à Spiritu sancto est, quidni et reliqua quæ exciderunt? Rursùm quâ ratione dubitari potest de tot Prophetarum scriptis, quæ referuntur in libris Paralipomenon? cùm enim hi pleni es-

sent Spiritu sancto, cùm iis ipsis locis appellentur Prophetæ et Videntes; imò cùm ipsa illorum scripta subindè citentur sub nomine Visionis, ut 2 Paralipomenon, cap. 9, vers. 29, omnis videtur occasio dubitandi sublata. Adde, quòd cùm Scriptura vel horum Prophetarum scripta, et narrationes in libros digestas citat, vel in libris Regum nos remittit ad libros Verborum dierum Regum Juda et Israel, vel in libro Paralipomenon compendio nos relegat ad libros Regum Juda et Israel, ut totius rei gestæ historiam pernoscamus, hoc ipso videtur testari librum esse talem cui fides haberi debeat, atque adeò divinam illi auctoritatem dat : ergò de his dubitari non debet quin fuerint in se authentici, esto fortè illi nunquàm fuissent in canonem recepti, et quoad nos authentici. Neque objici potest (quam objectionem insinuat August., quæst. 42 super Numeros) etiam citari ab Apostolo poëtas profanos, neque tamen hoc ipso fieri eorum libros Scripturam sacram : longè enim aliter hi poëtæ ab Apostolo citantur, quàm hi libri in libris Regum et Paralipomenon; ab Apostolo enim tantummodò brevis horum sententia citatur, quæ etiam hoc ipso quo asserit Apostolus ipsos verum dixisse, fit Scriptura sacra; at in libris Regum et Paralipomenon non aliqua brevis citatur, ejusque veritas approbatur, sed remittit nos Spiritus sanctus ad eos, ut totius historiæ veram et pleniorem notitiam hauriamus.

SECTIO VI.

Cur Deus hos libros perire permiserit.

Quæ autem causa adferri possit cur Deus permiserit hos libros divinos intercidere, vel quâ ratione factum sit, ut Judæi passi sint hos libros perire non facilè in promptu est dicere, etsi sciamus nec Dei sapientissimas providentiæ et permissionis hujus suæ rationes deesse posse, nec ex parte hominum occasiones ejus rei defuisse. Duas comminiscitur rationes Origenes in Prologo Cantici cantic. : *Operosum est,* inquit, *et procul ab opere proposito, si velimus nunc inquirere quàm multorum librorum commemoratio fiat in Scripturis divinis, quorum lectio nulla nobis est tradita. Sed neque apud Judæos habere quidem usum hujusmodi reperimus lectionem, quæ sive pro eo quòd aliqua suprà humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui sancto auferri de medio; sive quòd essent de Scripturis quæ appellantur apocryphæ, pro eo quòd multa in eis corrupta, et contrà fidem veram inveniuntur à majoribus traditam, non placuit dari eis locum, nec admitti ad auctoritatem, suprà nos est pronuntiare de talibus.* Sanctus August., l. 18, de Civit. Dei, cap. 38, similem huic posteriori Origenis etiam causam tangit, cur quæ sub eorum nomine proferuntur, ab Ecclesiâ non recipiantur. *Quid*, inquit, *Enoch septimus ab Adam? Nonne etiam in Canonicâ Epistolâ Apostoli Judæ prophetâsse prædicatur? cujus scripta, ut apud Judæos et apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur esse suspecta, ne proferantur falsa pro veris. Nàm et proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicantur ab eis, qui pro suo sensu passìm, quod volunt, credunt. Sed ea castitas canonis non recipit, non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quòd ista non credantur esse ipsorum.* Itaque hæc una ex parte hominum potuit esse causa, cur hi libri tandem rejecti, quòd passìm omnia exemplaria essent corrupta insertis aliis rebus adulterinis, minùs sinceris, falsis. Alteram, quam Origenes assignat ex parte Dei, paulò post examinabimus. Athanasius in fine synopsis duas alias ab hominibus causas assignat, impiorum Judæorum amentiam et incuriam. Has duas causas pluribus persequitur Chrysostomus Hom. 9, in Matth. *Multa,* inquit, *ex Propheticis periêre monumentis, quòd de historiâ Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cùm essent Judæi, nec desides modò sed et impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tùm incenderunt, tùm conciderunt. Et de profanitate quidem tali Jeremias refert (*Jeremiæ scilicet 36.*) de negligentiâ verò in 4 Regum libro legimus* (cap. 22,) *quoniam post multum temporis vix Deuteronomii volumen sit repertum, defossum quodam in loco, ac penè deletum.* Addit ibidem Chrysostomus et tertiam causam. *Si autem,* ait, *absque ullâ incensione templi, absque ullo impugnante civitatis tumultu, sacri tamen libri variè deperibant : quis jam istud inter alias depopulationes vastationesque hostium, inter illa templi ac totius urbis incendia contigisse miretur?* Eadem propemodum habet ipse Homil. 7, in 1 ad Corinth. Ex quibus quatuor has ex parte Judæorum causas hujus deperditionis colligimus. Una est, quòd spontè ab iis rejecti sint, cò quòd essent passìm corrupti et adulterati; altera, fuit amentia et impietas Judæorum; tertia, fuit incuria et negligentia; quarta, urbis ac templi à Chaldæis devastatio et exustio. Addi posset ad secundam causam, quæ est de impietate Judæorum, satis esse verisimile, Manassem et similes Reges impios, qui modis omnibus conati sunt Dei cultum exterminare, idolatriamque invehere, etiam libros sacros conatos esse

delere, seu propositis edictis in eos, qui apud se haberent, seu factâ diligenti inquisitione in omnes de quibus esset suspicio. Rursùm ad quartam causam addi posset et altera Antiochi Epiphanis persecutio, quæ, uti habetur 1 Machab. 1, v. 59 et 60, mirè etiam in libros sæviit : *Libros*, inquit ibi Scriptura, *legis Dei combusserunt igne, scindentes eos, et apud quemcunque inveniebantur libri Testamenti Domini, secundùm edictum regis trucidabant eum.* Similem in libros sacros excitârunt persecutionem Diocletianus et Maximianus imperatores, ut habetur in passione Saturnini, Dativi et sociorum apud Sirium 11 Febr. Hi imperatores cùm aliquandò sacras Scripturas igni tradendas à Christianis vi extorsissent, ignique exuri jussissent, ignis admotus miraculo extinctus subitò fuit, copiosa grando decidit, ut viderentur elementa omnia pro librorum sacrorum incolumitate pugnare. Itaque seu Deo pro sacris libris pugnante, seu Christianis potiùs mortem oppetentibus quàm ut libros traderent, nihil tyrannorum imperia tunc temporis ad sacrorum librorum exterminationem valuerunt. Causas quæ fuerunt ex parte Dei ut libros hos sacros perire permitteret, tangemus mox in responsione ad primum argumentum Salmeronis.

SECTIO VII.

Responsio ad argumenta initio posita.

Ad primum argumentum initio allatum respondeo, ad Dei providentiam pertinere, ut Ecclesia libris necessariis ad fidelium salutem, quibus ipsi benè et quantùm satis sit instrui possent ad fidem et bonos mores, non careat : ad hoc autem fortè nullus in particulari, vel pauci eorum quos modò habemus, fuerunt absolutè necessarii, si modò cæteri non deessent, ex quibus ea documenta hauriri possent : et proclive est existimare aliquos etiamnùm in Ecclesiâ esse, quibus si ipsa careret, id non magno ipsius incommodo fieret, ut v. g. libro Judith, Esther; quandoquidem vetus olim Ecclesia multis hisce libris caruerit, quos posteà Ecclesia et christianus Canon recepit; cùm Ecclesiæ pleræque particulares initio Ecclesiæ etiam horum aliquos non reciperent ut canonicos, sine quibus tamen rectè et christianè vixerunt. Adde, quòd post Christum Ecclesia multis annis caruit Epistolis Apostolicis, Actibus Apostolorum, Apocalypsi, Evangelio Joannis, etc., sine quibus sanctissimè Christiani vivebant, quòd quæ jam editæ erant Scripturæ, et divinum verbum vivâ voce prolatum per id tempus sufficeret. Itaque sicuti non fuit Ecclesiæ necessarium, neque ad divinam providentiam pertinuit, ut statim uno eodemque tempore omnes libri sacri cuderentur, sed vicissìm; ità potuit fieri, ut aliqui libri sacri ad breve aliquod tempus fuerint vel utiles, vel necessarii, et posteà esse desierint; primò, quia vel utilitas ista, vel necessitas desiisset; secundò, quia eadem referebant, quæ ferè ex aliis libris hauriri poterant; tertiò, quia qui relicti sunt libri sufficiebant Ecclesiæ ad fidei et morum documenta haurienda; quartò, quia fortè Deus prævidebat multos his libris abusuros ad hæreses et errores stabiliendos. Denique, quid mirum si Deus habuerit justas causas, ut hosce libros perire sineret, nec ad ejus providentiam pertinuerit hoc impedire, cùm similes causas habuerit, cur multa quæ ipse locutus fuerat per Prophetas Eliam, Elisæum, Samuelem, alios plurimos, qui dicuntur ad reges vel populum missi, ut Dei voluntatem illis insinuarent, scribi noluerit? Cui dubium esse potest, innumera alia quæ egit dixitque Christus, de quibus Joannes, cap. ult., vers. ult., potuisse esse usui Ecclesiæ si scripta fuissent : item ultima Pauli acta, cæterorum Apostolorum ubivis terrarum gesta, potuisse fidelibus ad fidei morumque instructionem servire, quæ tamen omnia Deus scribi noluit? Concludo itaque, sicuti non fuit contrà divinam providentiam, ut multa à Christo, à Spiritu sancto per Prophetas, Apostolos, viros divino Spiritu plenos prolata, statim cùm ipsâ ferè voce perirent, nec ulla deinceps eorum superesset memoria : ità non fuit contrà divinam providentiam, ut qui jam tempore aliquo steterant libri excederent. Scripserat Deus digito suo Moysis tabulas priores, et tamen permisit Deus, imò voluit eas à Moyse confringi, quandoquidem Dei instinctu id Moyses fecerit; quid mirum igitur si et libros aliquos, quos ipse dictaverat, postquàm causa desierat, ob quam scripti essent, perire permiserit? Causæ quas alii adferunt, ut quòd hi libri aliqua suprà humanam intelligentiam continerent, quæ est Origenis suprà; quòd juxtà historicorum profanorum morem homines aliquos nimiùm laudarent, quæ est Abulensis et Stapletonii; quòd curiosa quædam tractarent, quæ est Glycæ in Annalibus, non admodùm mihi probantur. Non prima, quia multæ Scripturæ, ut Prophetiæ, Apocalypsis Joannis, plenæ sunt mysteriis et rebus ab humanâ intelligentiâ remotis. Non secunda, quia turpe sit hujusmodi auxeses vel adulationes Dei verbo adscribere. Non tertia, quia

Deus quæ curiosa propriè appellantur, hoc est, ità inutilia sunt ut obsint potiùs quàm prosint, non loquitur.

Ad secundum respondeo, potuisse hoc vel culpâ veteris Ecclesiæ deperdi, ut ex dictis patet et admittunt SS. Patres, qui in Judæis desidiam vel impietatem hâc in re agnoscunt, vel sine culpâ, ut si id Chaldæorum aliorumque tyrannorum vastatione contigit, si rejecti quia passìm erant corrupti : et ob priores rationes facilè fatebimur veterem Judæorum Ecclesiam non fuisse satis fidelem depositi divini custodem : existimo tamen, in Ecclesiâ Christianâ nunquàm hanc perfidiam vel desidiam fore, vel Deum eam permissurum, quæ causa sit ut aliquis è canonicis libris pereat. Si tyrannorum persecutione vel alterâ è posterioribus causis factum sit ut liber aliquis divinus periret, Deusque id fieri permiserit, non potest id Ecclesiæ veteri culpæ dari, vel infidelitatis ipsa argui. In Ecclesiâ verò Christianâ etsi nunquàm id futurum existimem, tamen si Dei permissu et providentiâ accideret, licèt cum gravi damno ipsius esset conjunctum, ferendum esset, nec infidelis depositi custos Ecclesia dici posset, cùm depositum non diutiùs servandum sit, quàm donec is repetat qui deposuit, quòd facit Deus cùm id curat, vel providentiâ suâ permittit ut è medio tollantur. Quid sacratius fuit in veteri Ecclesiâ tabulis Decalogi lapideis, vel Arcâ Testamenti? et tamen illas confringi, ac cum posterioribus legis tabulis templum secundum et Ecclesiam Judæorum multis antè Christum sæculis Deus carere voluit : an ob id infidelis custos ipsa dici debet? Pari modo si Deus à Christianâ Ecclesiâ Sacramentum aliquod tolli vellet, deberet tolli, nec ipsa infidelitatis in servando deposito argui posset.

Ad tertium respondeo, si Esdras libros hosce qui Chaldæorum incendio perierant, restituit eos duntaxat, qui antè captivitatem erant in Hebræorum canone, non autem eos qui jàm diù antè perierant. Rursùm non omnes eos fortè, qui in canone anteà erant restituti, sed quos Deus restitui voluit. Addo, quòd de Esdrâ in hoc argumento asseritur, et modo restitutorum ab eo librorum, posse fortè negari; suntque alii qui negent probabilibus sanè argumentis, de quo Sect. seq., ex quo verisimile sit, Esdram eos libros duntaxat, qui Chaldæorum vastationem et incendia evaserant, restituisse, non ex memoriâ aut divinâ inspiratione eos dictando, sed à mendis repurgando, et qui anteà characteribus antiquioribus et Samaritanis scripti erant, litteris vel Chaldaicis ve noviter inventis conscribendo.

Ad quartum respondeo, primò fortè libros istos qui deperierunt nihil continuisse eorum qui ad Christum et res novi Testamenti continebant, et verò id fuit divinæ providentiæ, ut libri, qui de his novi Testamenti mysteriis et bonis agebant, non perirent; ut proindè mirum non sit, ex iis in novo Testamento testimonia nulla citari. Secundò, mirum non esse si ex iis nihil citetur, cùm multi sint ex iis qui è veteri Testamento supersunt, et quantùm arbitror, facilè media pars, ex quibus nulla testimonia ab Apostolis et Evangelistis adferuntur. Tertiò, duobus modis potuerunt hi libri citari, vel in genere sub nomine Legis, Prophetarum, Scripturæ sacræ; et hoc modo non conveniebat hos libros citari, ne Porphyrius, Julianus, et similes Hagiographomastiges occasionem arriperent cudendi novas in Apostolos et Evangelistas calumnias, quasi qui falsa è veteri Testamento testimonia, et quæ nusquàm extarent promerent : vel potuit id fieri expresso nomine Prophetæ, aut Hagiographi Scriptoris; et hoc modo frequenter hos libros citari non conveniebat, sed eos potiùs qui supererant, ut fideles meliùs consensionem veteris Testamenti cum novo animadvertere possent. Addo, ut oque fortè modo ex his testimonia aliqua citari in novo Testamento, siquidem Judas in suâ Epistolâ Enoch Prophetiam citat; et illud quod cap. 2, Matth. vers. ult. habetur : *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur,* Chrysostomi et aliorum sententiâ, ex aliquo istiusmodi libro sumptum putatur : cùm in iis quæ nunc habentur nusquàm id reperiatur, estque id satis verisimile. Idem Chrysostomus de aliis nonnullis testimoniis videtur sentire, quæ in editione Septuaginta Interpretum non reperiebantur, sed ex Hebræo ea Hieronymus in suâ versione protulit, ut non sit necesse in illis ad libros deperditos recurrere.

SECTIO VIII.

An Esdras ex memoriâ Scripturæ sacræ libros deperditos restituerit.

Ea fuit apud antiquos pervulgata opinio, divinos omnes libros captâ urbe et eversâ à Nabuchodonosor, temploque incenso, incendio periisse, solutâ verò captivitate eosdem Esdram ex memoriâ restituisse. Ità sensêre Irenæus lib. 3, cap. 25; Tertull., lib. de Habitu mulierum, cap. 3; Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromatum, Eusebius in Chronicis, Hierony-

mus adversus Helvidium, Theodoretus Præfat. in Psalmos, Isidorus lib. 1 de Officiis, cap. 13, Basilius Epist. ad Chilonem, qui id nititur probare è lib. 5 Esdræ, cap. 14, ubi satis disertè id asseritur: verùm cùm is liber sit apocryphus, exiguum ad hanc rem statuendam momentum habet. Optatus Milevitanus lib. 7 contrà Parmenianum, vult omnes sacros libros ab Antiocho, quos à Judæis acceperat, fuisse exustos, ac deindè eos ab Esdrâ ex memoriâ restitutos. Verùm in Esdrâ valdè fallitur, cùm Esdras aliquot sæculis Antiochum antecesserit, sed et alterum de exustis planè omnibus ab Antiocho libris improbabile. Habet quidem sententia hæc de Esdrâ, ob tàm illustrium virorum auctoritatem, non parùm verisimilitudinis; à recentioribus tamen meritò in dubium revocatur, imò et contradicitur, Pererio Præfatione in Genes., Bellarmino Tom. 1 Controv. 1, lib. 2, cap. 1, Baronio Tom. 2. Serario in Prolegom., neque id infirmis rationibus. Primò, quis credat è tot codicibus, qui apud Hebræos fuerunt, maximè apud Sacerdotes, qui maximo erant numero, ne unum quidem captivitatis tempore superfuisse? Secundò, quis credat Jeremiam, cui summa libertas concessa fuit, quique permissus fuit Tabernaculum, Arcam fœderis, Altare incensi abscondere, non habuisse opportunitatem vel unum codicem ab incendio vindicandi; vel tàm incogitantem socordemque fuisse, ut id datâ opportunitate facere negligeret? Tertiò, esto, captâ et incensâ urbe opportunitas defuerit vindicandi ad incendio aliquem è sacris codicibus; at quis credat, primâ transmigratione facta longè majore quiete sub Joakim, quo tempore abductus fuit Ezechiel et Daniel aliique viri principes, nullum sacrum codicem ablatum fuisse in Babylonem? quis idem sibi persuadeat, cùm facta est altera transmigratio sub Jechoniâ sese spontè Nabuchodonosori dedente? Quartò, liber quartus Regum, et liber 2 Paralip. et Jeremias cap. ubique ultimo, recensent omnia quæ à Chaldæis asportata sunt in Babylonem, et quæ ab iisdem exusta: Codicum autem sacrorum hi omnes ne meminerunt quidem, quod tamen non est dubium fuisse ab iis commemorandum, si omnes ad unum exusti fuissent. Quintò, Josephus, lib. 11 Antiquitatum refert, Cyro regi ostensam Isaiæ Prophetiam, quo ipsius nomen cap. 45 disertè prodebatur, ipsique amplissimum imperium promittebatur, quæ res Cyrum permovit, ut Judæos captivitate solveret potestatemque faceret reædificandi templi. Remanserat igitur captivitatis tempore Isaiæ Prophetia, incendiumque evaserat. Meminit item Prophetiæ Jeremiæ, et librorum Moysis, Daniel cap. 9. Non deerant igitur horum librorum exempla captivitatis tempore. Denique hujus restitutionis tàm admirabilis nullus Hebræorum meminit. Verius igitur est, Esdram libros sacros in meliorem ordinem redegisse, et collatis variis codicibus à mendis expurgâsse; sicubi duæ lectiones erant probabiles, alteram margini adscripsisse; denique characterem Hebraicum mutâsse, ne cum Samaritanis convenirent, quâ de re vide quæ infrà dicam ad Genesis cap. 11, vers. 1.

CAPUT VII.

De Auctoribus librorum sacræ Scripturæ, seu Scriptoribus Hagiographis.

Non agimus hîc de primario auctore horum librorum, quem constat esse Deum, seu Spiritum sanctum, sed de auctoribus secundariis, et Dei instrumentis, per quos Deus suam voluntatem, leges, mandata, minas, promissiones, etc., hominibus insinuari voluit, quique vel scribendo, vel amanuensibus dictando, juxtà illud: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, verba Dei et sensa in scripta et codices referebant.

SECTIO I.

De libris Scripturæ, qui certos habent Scriptores.

Libri porrò Scripturæ sacræ alii certos habent scriptores, alii probabiles, alii planè incertos. Certos habent certitudine fidei, primò, quorum scriptorum nomina adscribuntur ipsius libri initio, et ab ipsâmet sacrâ Scripturâ ipso in vestibulo aut libri Prologo produntur: quam ad rem non sufficit titulus qui præfigitur, puta *Prophetia Isaiæ, Epistola B. Pauli ad Romanos*; is enim titulus, cùm non sit Scriptura sacra, non facit rem esse de fide, sed necesse est ut in ipso contextu Scripturæ nomen exprimatur. Hujusmodi sunt ferè omnes Prophetarum libri, quibus omnibus initio prophetiarum suum Prophetæ nomen adscribunt: *Visio Isaiæ, Verba Jeremiæ, etc.*, neque à cæteris diversus est Baruch: *Et hæc verba libri, quæ scripsit Baruch, etc.* Porrò caput sextum non est ipsius Baruch, sed Jeremiæ est Epistola, ut Epistolæ initio apertè indicatur. Jeremiæ Threni non habent à Scripturâ sui scriptoris certitudinem, cùm, uti diximus, Præfatiuncula et epigraphe, in quâ Jeremiæ nomen habetur, non habeat canonicam auctoritatem. Dixi, omnes ferè Prophetarum libros in hoc esse

numero, siquidem unus solus Daniel, qui initio rerum quarumdam gestarum narrationem texit, suæ Prophetiæ nomen suum non præfixit; sed de hoc paulò post dicemus. Eâdem ex causâ certos habent Scriptores ferè omnes Epistolæ Apostolicæ. Ex his tamen deme Epistolam ad Hebræos, et Epistolas tres Joannis, quibus nullum initio nomen adscribitur, de quibus paulò post.

Objici tantummodò posset, non videri ex hâc nominis adscriptione posse certò scriptorem colligi, cùm nonnullis Epistolis, quæ Paulo adscribuntur, plura adscribuntur nomina, ut 1 ad Corinthios, *Paulus et Sosthenes;* 2 ad eosdem, et Epistolis ad Philipp., ad Coloss., ad Philemonem, *Paulus et Timotheus;* duabus Epistolis ad Thessalonicenses, *Paulus, Silvanus et Timotheus.* Itaque vel ex nomine adscripto auctor Epistolæ colligi non potest, vel dicendum, non Paulum tantùm, sed et Sosthenem, et Timotheum, et Silvanum harum Epistolarum esse auctores. Respondeo tamen, cùm non commodè una eademque Epistola à pluribus vel scribatur, vel dictetur, nisi quis fingat unam partem ab uno, alteram ab altero scriptam vel dictatam, ex Pauli nomine primo loco præfixo satis indicari has Epistolas ipsius esse, alios verò posteriore loco adjectos, seu honoris causâ, seu quòd ipse Paulus, qui eas scribebat vel dictabat, aliorum etiam qui adscribuntur nomine, easdem scriberet vel dictaret. Adde, traditionem esse in Ecclesiâ, has esse Pauli scribentis vel dictantis, non aliorum adscriptorum, quæ traditio corrigit et tollit omne dubium, quod ex Scripturâ, si quod tamen sit, nasci potest.

In hoc eodem numero est liber posterior Esdræ, cujus scriptor non Esdras, sed Nehemias, primis libri verbis indicatur: undè et ab Hebræis liber Nehemiæ appellatur; adde, quod passim in toto libro Nehemias de se in primâ personâ loquatur. Item Proverbia et Ecclesiastes, cujus utriusque item libri auctor Salomon primis verbis proditur. Similiter et Ecclesiasticus, cujus tàm scriptoris, quàm interpretis, qui ex Hebræo in Græcum vertit, in libri Prologo nomen proditur. Undè, esto hic liber aliquandò à Patribus sub nomine Salomonis citetur, constat tamen Salomonem ejus non esse auctorem: quocircà cùm dicitur Salomonis, idcircò dicitur, quòd illius libri scriptor nonnulla ex Salomone sit mutuatus, ejusque vestigia quoad materiam doctrinamque de moribus videatur sectari voluisse. Item in eodem numero est Apocalypsis S. Joannis, de cujus auctore, sicuti et de canonicâ auctoritate, à quibusdam olim dubitatum est; tamen jam sicuti de posteriore dubitare non licet, ità nec videtur de priore citrà errorem in fide dubitari posse. Joannis quidem nomen Apocalypsis initio proditur; at qui eam à canone rejecerunt, idcircò fecerunt, quòd existimarent eam non Joannis esse Apostoli, sed alterius cujusdam Joannis presbyteri, vel Cerinthi hæretici; at Ecclesia Catholica eam non tantùm in Scripturarum sacrarum numero, sed etiam sub nomine Joannis Apostoli recepit, quod et fecerunt omnes SS. Patres, qui eam olim inter canonicas Scripturas receperunt, quos vide suprà cap. 4, ut proindè tàm unum certum videatur, quàm alterum, vel è Scripturâ ipsâ, vel certè è traditione; quandoquidem eorum, qui eam Joannis Apostoli censuerunt, nemo dubitare potuit an esset Scriptura sacra; et qui eam Scripturam sacram agnoverunt, idcircò id fecerunt quod eam Joannis Apostoli esse crederent.

Secundò, pariter certi sunt certitudine fidei eorum librorum scriptores, qui in ipso libri decursu indicantur. Sic Esdras indicatur auctor libri primi Esdræ: siquidem Esdras, quem rex Artaxerxes paulò antè allocutus est, expresso Esdræ nomine cap. 7, paulò post sub finem capitis de seipso loquitur per primam personam, quomodò item de se loquitur duobus capitibus sequentibus. Simili modo proditur auctorem Prophetiæ Danielis esse ipsum Danielem, siquidem cap. 7, 8, 9, 10, 11, 12, de seipso per primam personam loquitur, ubi passim omnibus istis ferè capitibus illud iterat: *Ego Daniel*, et Angelus, Prophetam alloquens, passim eum Danielem vocat cap. 9, vers. 22, et cap. 10, vers. 11, 12, et cap. 12, vers. 4, 9.

Objici quidem posset, de fide esse has partes, et capita esse Danielis et Esdræ; at de cæteris rem in dubium revocari posse, maximè cùm de quibusdam Danielis partibus aliquandò dubitatum sit, essentne apocryphæ, an verò Scripturæ sacræ partes. Verùm cùm jam dubitare non liceat de his partibus sintne canonicæ Scripturæ, neque dubitare licet de harum partium auctore; nam eâdem certitudine quâ Ecclesia hæc esse Scripturam sacram pronuntiat, eâdem etiam videtur de auctore pronuntiare. Undè, esto non eadem possit hauriri ex Scripturâ certitudo de quâlibet horum librorum parte, supplet tamen traditio quod Scripturæ hâc in parte deest; maximè cùm nulla appareat ratio probabilis, vel quæ dubitandi rationem moveat cur una libri pars separetur ab

alterâ, et una scriptori uni adscribatur, altera alteri.

Tertiò, eâdem certitudine certi sunt, quos certa Ecclesiæ traditio certis scriptoribus adscribit. Hujusmodi est Canticum canticorum, quod Salomoni indubitata attribuit traditio; quatuor item Evangelia, quæ Matthæo, Marco, Lucæ, Joanni Evangelistis, singula singulis ab eâdem traditione adscribuntur; Acta etiam Apostolorum, quæ Lucæ esse nemo in Ecclesiâ dubitat. Adde, ex Evangelii Lucæ et Actorum Apostolorum Proœmiis satis liquere unius ejusdemque auctoris utrumque librum esse. Addi his pari modo possunt tres Joannis Epistolæ. Item mihi videtur dicendum de Epistolâ ad Hebræos, quam Paulo videtur vindicare traditio: etsi enim olim visi sunt aliqui tàm de scriptore, quàm de canonicâ illius auctoritate dubitâsse, ea tamen dubitatio nulla videtur satis probabili ratione fundata, et Patres omnes ferè qui eam receperunt, eam sub Pauli nomine receperunt, quemadmodùm et tota posterior Ecclesia cum conciliis seu antiquioribus Laodiceno et Carthaginensi III, seu posterioribus Tridentino et Florentino; quod et fecerunt olim Gelasius et Innocentius pontifices, ille in concilio Romano, Decreto de Canonicis Scripturis; ille Epistolâ decretali tertiâ. Idem mihi videtur dicendum de Pentateucho, de cujus scriptore Moyse, si consulamus traditionem, non videtur dubitari posse; nam et hæc fuit Hebræorum omnium antiqua traditio, qui hos quinque libros appellabant *tora Mòsche*, quod significat *legem Moysis:* eademque est fuitque omni tempore Christianæ Ecclesiæ perpetua traditio. Accedit, quòd Christus id videatur disertis verbis asserere Joannis 5, vers. 46, et Philippus ad Nathanaelem Joannis 1, vers. 45. Item hoc ipsum satis clarè indicatur Exodi 24, vers. 4, et Deuter. 31, vers. 24, ut perindè de hâc re salvâ fide non videatur posse dubitari. Sat scio nonnullas de hâc re moveri difficultates, quæ explicandæ nobis erunt Proœmio in Genesim et Pentateuchum, sed hæc non videntur eam habere vim, quæ rem tàm certam, et tàm firmis fidei firmamentis stabilitam in dubium revocari possint. Sanè ex his difficultatibus ea videtur præcipua, quòd ultimo capite Deuteronomii mors referatur Moysi, quam Moyses ipse referre non potuit: quam difficultatem explicabimus in illo, quod jam dixi, Proœmio. Ut tamen perspiciatur quanta sit hujus traditionis vis, animadvertendum Philonem et Josephum maluisse asserere, Moysem etiam hoc ultimum Deuteronomii caput scripsisse, et de seipso mortuo viventem prophetâsse, quàm hanc tàm certam traditionem in dubium quoquo modo revocare.

SECTIO II.

De Libris de quorum Scriptoribus aliquid probabiliter constitui possit.

Libri porrò de quorum scriptoribus probabiliter aliquid duntaxat statui potest, hi sunt: Inprimis Josue, de cujus scriptore varii varia opinantur; at mihi omnium probabilissima videtur ea opinio, quæ censet ipsummet Josue esse libri auctorem (1). Idem videtur dicendum de primo libro Regum, qui multorum et graviorum Auctorum sententia censetur esse Samuelis. Et verò videtur id per se verisimile; tùm quòd illo tempore nullus alius legatur Propheta extitisse, vel vir divino Spiritu plenus præter Samuelem; tùm quòd is liber cum sequenti, qui apud Hebræos unicum librum efficiunt, liber Samuelis ab Hebræis appelletur; quanquàm id ità intelligendum sit, ut non censeatur Samuel utriusque libri Scriptor, imò ne totius quidem libri primi, quandoquidem ejus mors referatur 25, capite libri primi. Dicendum igitur, hosce duos libros, qui unum apud Hebræos conflant, à diversis diverso tempore vicissìm esse conscriptos, Samuelem tamen usque ad 25 caput libri primi, Saülis et Davidis gesta scripsisse, à quo et totus liber apud Hebræos appellationem suam accepit, sivè quia is primus Operis scriptor, idemque nominatissimus et maximè illustris; sivè quia majorem libri partem, quàm ullus cæterorum scripserit. Item statuendum est de libro Job, quem sanior et verior opinio habet ipsummet Jobum scripsisse, quâ de re videri potest Sixtus Senensis lib. 1 Bibliothecæ (2).

SECTIO III.

De libris qui incertos habent Scriptores.

Porrò libri, qui incertos habent scriptores, sunt aliquot. Incertos autem voco, de quibus vel omninò nihil statui potest, vel, etsi à nonnullis aliquid affirmetur, id tamen exiguo sit fundamento, ut res planè incerta maneat: vel certè, sicubì sint argumenta fortia, sunt tamen et in contrarium argumenta æquè fortia, ut vix possis quidquam in alterutram partem definire.

(1) Vide præfat. ad libr. Josue.
(2) Vide præfat. ad libr. Job.

Hujus generis sunt imprimis liber Judicum, liber Ruth, libri Paralipomenon, Tobiæ, Judith, Esther, libri Machabæorum, de quibus nihil nisi divinando affirmari potest; esto librum Judicum et Ruth nonnulli Samueli, librum Judith Joachim Pontifici, alii Mardochæo adscribant. Eodem in numero reponendi sunt libri Regum, exceptâ illâ primi libri priore et majore parte, quam paulò antè probabiliter Samueli adscripsimus. Porrò locus cap. ultimi libri 1 Paralipomenon, duobus versibus ultimis, ex quo nonnullis videretur posse probari, duos primos libros Regum, qui ab Hebræis appellantur liber Samuelis, esse trium istorum, Samuelis, Nathan et Gad, id non probat, cùm libri istorum Prophetarum, de quibus ibi agitur, non sint libri isti Regum, sed alii, uti suprà ostendimus, cap. 6, et indicant capitis illius verba ultima. Ex quo necesse erit asserere, Samuelem duos diversos libros scripsisse de gestis prioribus Davidis; unum, in quo compendio res ab ipso gestas describit, et hunc esse librum illum primum Regum, usque ad 25 caput: alterum, in quo fusiùs res tùm Davidis, tùm cæterorum regnorum narrat et commiscet.

His etiam accenseri posset liber Sapientiæ, de cujus auctore admodùm difficile est definire. Aliqui enim Salomonem faciunt, et ita ferè sub nomine Salomonis à SS. Patribus citatur, Tertulliano, Origene, Eusebio, Cypriano, Ambrosio, Basilio, Epiphanio, Hilario, Lactantio, et aliis, favetque maximè locus ille è 9 cap.: *Tu elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum et filiarum; et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparâsti ab initio;* quæ omnia Salomonem digito demonstrant. Attamen sunt etiam argumenta fortia in contrarium; siquidem Augustinus planè existimavit eum non esse Salomonis, lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 8: *Illi,* inquit, *duo libri, unus qui Sapientia, et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quâdam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Jesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur.* At illud de Jesu filio Sirach Sapientiæ scriptore, ipse, re meliùs consideratâ, lib. 2, Retractationum, retractavit. Idem tamen, lib. 17 de Civitate Dei, cap. 20. ait de utroque, tam Sapientiâ quàm Ecclesiastico, consuetudinem obtinuisse, ut Salomonis esse dicantur, propter eloquii nonnullam similitudinem; constare tamen inter doctiores, illos non esse ipsius. Hieronymus etiam Præfatione in Proverbia Salomonis, librum illum qui dicitur Sapientia Salomonis, pseudepigraphum appellat, quasi falsum titulum præferentem. Et paulò post ait, hujus libri stylum Græcam eloquentiam redolere. Ex quo manifestè colligi videatur, non esse Salomonis, quem non est verisimile alio idiomate quàm Hebraico scripsisse. Addit verò ibidem Hieronymus, nonnullos veterum Scriptorum hunc esse Philonis Judæi affirmare; Philonem tamen libri hujus esse auctorem, per se improbabile est, quanquàm id avidè arripiant Anabaptistæ et Lutherani, ut librum hunc à sacrorum Librorum Canone rejiciant, siquidem Philo Judæus post Christum vixit: esset igitur hic liber novi Testamenti; at qui hunc librum Patres receperunt pro Canonico vel etiam pro Ecclesiastico, inter veteris Testamenti libros reponunt, uti et tota Ecclesia. Adde, uti suprà dixi, à Paulo, qui Philoni coævus fuit, ad Romanos 2, ex hoc libro sententiam citari: et D. Dionysius Areopagita, lib. de Divinis nominibus, cap. 4, citans ex hoc libro sententiam illam: *Amator factus sum formæ illius*, ait hanc sententiam in primis Scripturarum institutionibus haberi; quod dici non potuit de Scripturâ quæ suo tantummodò tempore emersisset. Accedit quòd hujus libri Auctor, cap. 2, more prophetico describit Judæorum molitiones et conatus adversus Christum. Addi et hoc potest hunc Philonem à Christi fide fuisse alienum: quî igitur credibile est, hunc divino Spiritu fuisse imbutum? vel quî fit credibile, hominem à Christo alienum, cap. 2 libri hujus tàm acerbè invecturum fuisse in suos Judæos, qui invidiâ moti Christum interemissent? Has difficultates cùm nonnulli, imprimisque hæretici aliqui, prævidissent, duos Philones commenti sunt, juniorem unum, alterum seniorem Græcâ facundiâ nominatissimum, qui centum sexaginta annis antè Christum vixerit; sed si de Philone aliquo Judæo id velint, merum existimo esse commentum: eo enim nomine Judæum quempiam antè Christum extitisse, nedùm Græcâ eloquentiâ insignem, nullius probati Scriptoris auctoritate potest probari. Meminit quidem Philonis senioris Josephus Flavius, libro 1 contrà Apionem, sed eum non Judæum, verùm Historicum ethnicum facit. Porrò, ut meam sententiam de hujus libri scriptore proferam, existimo Judæum quempiam Græci sermonis peritum librum hunc Græcè conscripsisse, sed hunc multa ex Salomonis libris esse mutuatum, et varias hinc indè ipsius sententias collegisse, quas ipse in unum corpus compegerit, nullâ ferè mutatione aliâ factâ, quàm ipsius dictio-

nis et loquendi modo Græcis proprio : ut proindè mirum non sit, si in hoc libro Salomon de se in primâ personâ loquatur.

SECTIO IV.

De Scriptore Psalterii.

Restat ut de Psalterii scriptore aliquid attexamus, quem in nullo genere præcedentium reposuimus ; cujus rei ratio ex mox dicendis manifesta erit. Solet Psalterium Davidis à nostris appellari; et meritò, nam ipse Psalmos hosce omnes 150 composuit, vel sanè, si ipse non omnium auctor est, plurium tamen est et præcipuorum, ità ut ex illis nemo alius tot quot ipse scripserit. Quæstio tamen est, sitne David auctor Psalmorum omnium, an verò aliquorum duntaxat. Sunt qui nihil audent in alterutram partem definire, maximè cùm difficilis et perplexa sit quæstio. Sunt qui inutilem censent hanc quæstionem : nam sive Davidis sint omnes, sive horum aliqui alios habuerint Scriptores, dummodò omnes fateamur esse Scripturam sacram, nihil interesse videtur, cùm constet omnes divini Spiritûs afflatu esse conscriptos. Verùm pari modo diceretur, in reliquis omnibus sacræ Scripturæ libris inutiliter et sine fructu de auctore quæri, dùm constet esse Scripturam sacram, nihil ulterius esse requirendum ; at constat, hanc in cæteris non inutilem esse quæstionem quam tot Doctores, tot SS. Patres movent et examinant. Adde verò, esto, eadem sit auctoritas, eadem sit reverentia exhibenda cuilibet sacræ Scripturæ parti ob primarium auctorem Deum; at nemo ignorat à scriptore et auctore secundario quamdam accidentariam dignitatem posse accedere, præterquàm quòd volupe sit cognoscere, et ad Dei laudem faciat scire, per quos divina sacrarum Scripturarum volumina ad nos pervenerint. Has ob causas statui implexam hanc quæstionem pro modulo hîc explicare et evolvere. Igitur auctoritatum pondere utraque certat sententia, sive asserentium omnes esse Davidis, sive id negantium. Asserunt S. Ambrosius, in Psalm. 43 et 47, ubi disertis verbis notat esse omnes Davidis, licèt aliorum nomina præferant; S. Augustinus, lib. 17, de Civit., cap. 14. Citatur in eamdem sententiam Chrysostomus, et Theodoretus inclinat ad illam, quam plurium existimat esse sententiam. Cassiodorus Ecclesiæ usum appellat. Citantur etiam Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ephiphanius ; quippe qui sub nomine David, Psalmos aliorum nomine prænotatos citent, ut Psalmos 76 et 88. Hoc tamen argumento, meo judicio, non satis constitui potest de eorum sententiâ; possunt enim in citando sequi aliorum vulgique opinionem; nam hoc ipsum et Hieronymus, et Athanasius, et alii, qui manifestè in contrariâ sunt sententiâ, videntur facere : aliud enim est, quid sentias disertis verbis definire; aliud est, cursim et obiter librum citare, ubi nihil interest scire cujus sit : nam quotusquisque est, qui librum Sapientiæ non sub nomine Salomonis citet? Si tamen plerosque interroges, sitne is liber verè Salomonis, manifestè esse negabunt. Undè, quòd Antonius, Agellius, Proœmio in Psalmos, hoc argumento revocat in dubium, utrùm Athanasius censuerit non omnes Psalmos esse Davidis, quòd aliquandò aliis inscriptos in citando Davidi adscribat, nihil efficit, cùm ipsius sententia in Synopsi nimis sit aperta; nec est ullus, quod sciam, qui (1) hanc Synopsim Athanasio adjudicet : fateturque tandem Agellius, hoc ipsum responderi posse, quod paulò antè indicavimus. Qui in alterâ sunt sententiâ, inprimis est Hieronymus, qui, in Epistolâ ad Sophronium, et alterâ ad Cyprianum, refutat eos, qui omnes Psalmos Davidi adscribunt; vultque eorum esse Psalmos, quorum nomina in titulis præferunt. In eâdem sententiâ est Origenes, et Athanasius in Synopsi, Eusebius, Hilarius, Sixtus Senensis in Bibliothecâ, lib. 1, et alii recentiores, quibus ego assentior. Argumenta pro hâc sententiâ sunt, primò, quòd Psalterii titulus apud Hebræos hic sit : *Sepher Tehillim, Liber Psalmorum*, nullo Auctoris addito nomine; quomodo etiam in novo Testamento idem liber sine Auctoris nomine citatur, Lucæ 20 et Act. 1, non videtur autem fuisse omittendum nomen, si David omnium fuisset auctor, sicuti in Prophetis, Cantico canticorum, et aliis, Auctor non fuit omissus. Secundò, quòd tituli Psalmorum, qui ad sacram Scripturam pertinent (2), nimis apertè videantur Psalmos nonnullos aliis Scriptoribus à Davide adscribere, ut *Psalmus Asaph;* nam sicuti de auctore Psalmi dubitare non licet, cùm dicitur in titulo *Psalmus David;* ità cùm eadem verborum forma in titulo cujusque Psalmi dicitur *Psalmus Asaph*, non videtur dubitare posse, quin illius Psalmi Asaph sit Auctor. Tertium

(1) Inter dubia Athanasi hanc rejecerunt Synopsim editores Benedictini.

(2) Quoad quæstionem de titulis Psalmorum pertinentibus ad sacram Scripturam, vide præfat. ad Psalmos.

sumitur argumentum ex Appendiculâ, quæ habetur in fine Psalmi 71: *Defecerunt laudes* (seu *orationes*) *David filii Jesse.* Quibus verbis indicatur esse finem Psalmorum David, undè et mox subjiciuntur Psalmi Asaph.

Neque est quod quis objiciat, adhuc in sequentibus esse Psalmos qui auctorem Davidem in titulo præferant, aut esse in præcedentibus, qui aliorum à Davide nomina in titulo adscripta habeant, maximè verò inter cæteros manifestè Psalmus 49, qui pro titulo habet *Psalmus Asaph.*

Respondeo enim, quod ad præcedentes Psalmos attinet, omnes videri esse David, ut ex infrà dicendis intelligi poterit, præter unicum illum 49, quem vel ipse David inter Psalmos suos reposuerit, quemadmodum videmus fieri, ut quis inter sua carmina amici carmen ad se missum, quodque ipsi probatur, reponit; vel certè id ab Ezechiâ esse factum, qui Psalmos hosce collegit, et hunc unum Asaph Davidis Psalmis permiscuit. Quod ad posteriores Psalmos attinet, respondeo, quod jam anteà notavit Agellius, verisimile esse, priores unum et septuaginta Psalmos ab Ezechiâ Rege fuisse collectos, et ab eodem Appendiculam in fine fuisse additam, tùm deindè subjecisse Psalmos Asaph; reliquos verò tùm Davidis, tùm aliorum ab Esdrâ collectos prioribus additos fuisse.

Quartò, accedit rationibus jam allatis ratio alia, quæ sumitur ex styli differentiâ, quæ cernitur in Hebræo maximè; nam Davidis nomine inscripti Psalmi longè faciliore et benigniore venâ fluunt; at qui Asaph inscribuntur post Psalm. 71 non ità benignam facilemque venam ostentant. Quintò, 2, Paralip. 29, vers. 30 habetur: *Præcepit Ezechias et principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph Videntis.* Fuerunt ergò sermones aliqui apti ad laudandum Deum, sive Psalmi, quos fecerat Asaph. Neque potest hic ea adhiberi responsio, quam adhibent ii qui in alterâ sunt sententiâ, nempè hos sermones dici vel prænotari Asaph, seu quia hos à Davide decantandos acceperat (nam hic Asaph ferè ubique cantorum princeps Davidis tempore statuitur, 1 Paralip. 16, vers. 5, 7, 37, et capit. 25, vers. 1, 2. 6), seu quia argumento Psalmorum à Davide accepto, ipse metrico carmine reddiderat; hæc enim nullo modo satisfaciunt, cùm isto Scripturæ loco appelletur Asaph Videns, seu Propheta; non enim Propheta dici potest, qui quæ alter divinâ revelatione accepit, concinit, vel argumentum aliquod quod alter divino afflatu hausit, carminum modulis ac pedibus adstringit; aliàs qui Isaiam Prophetam carmine redderet Propheta et Videns dicendus esset. Et verò mihi videtur argumentum hoc tàm esse firmum, ut ab aliter opinantibus nulla videatur idonea responsio adhiberi posse. Addit et non levem conjecturam Eusebius in Psalm 77, et ex eo Hieronymus ad Matth. 13, ubi explicans illud: *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi; hoc,* inquit, *testimonium de 77 Psalmo sumptum est. Legi in nonnullis codicibus, et studiosus Lector fortè reperiet idipsum, in eo loco ubi nos posuimus, et Vulgata habet editio: Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, ibi scriptum: Per Isaiam prophetam dicentem: quod quia minimè inveniebatur in Isaiâ, arbitror posteà à prudentibus viris esse sublatum. Sed mihi videtur ità in principio editum: Quod scriptum per Asaph Prophetam dicentem. Septuagesimus enim septimus Psalmus, de quo hoc sumptum est testimonium, Asaph Prophetæ titulo inscribitur; et primum scriptorem non intellexisse Asaph et putâsse scriptoris vitium, atque emendâsse nomen Isaiæ, cujus vocabulum manifestius erat.* Hæc ille, sed longè plus dicit ad Psalmum illum 77, ubi asserit omnes veteres codices habere in Matthæo: *Ut impleretur quod scriptum est in Asaph Prophetâ*, et ab hominibus ignorantibus suppositum Isaiam pro Asaph. Quod si verum est, Asaph et Propheta est, et auctor illius Psalmi.

Sed objiciunt qui contrà opinantur: Subindè unus idemque Psalmus duo nomina in titulo prænotata habet, ut Psalmus 38 et 61 Davidis et Idithun præfert nomina, Psalmus 76 Idithun et Asaph. Porrò, cùm unus idemque Psalmus non possit esse scriptorum plurium, necesse est ut unum istorum dicamus Psalmum concinnâsse, alteri datum ad concinendum. Quòd si in his licebit hoc dicere, quidni etiam liceat idipsum asserere ubi unius nomen duntaxat prænotatur, Asaph, Idithun, Eman, Ethan, etc., præfigi nimirùm nomen cantoris, scriptoris autem Davidis nomen subticeri?

Respondeo, cùm duo præfiguntur nomina, non eodem modo præfigi utrumque; et ex modo loquendi satis liquere, cui tanquam auctori is Psalmus adscribi debeat, cui ut cantori: v. g. Psalmus 38, cui hic est titulus: *In finem*, vel (ut Hieronymus et alii vertunt), *Victori ipsi Idithun, Canticum David*; satis indicatur Davidem auctorem esse, cùm appelletur canticum David; alterum verò, qui Levita erat, cantorem, cui is Psalmus ad concinendum datus sit. Idem indicat titulus Psalmi 61: *Pro Idithun Psalmus David.* At titulus Psalmi 76: *Pro Idithun Psalmus Asaph*, satis

indicat Psalmi compositorem Asaph, Idithun verò cantorem. Etsi enim et ipse Asaph Levita esset, et cantor cantorumque princeps, tamen aliis et ipse suos Psalmos decantandos dabat, sive ratione imperii quod in cæteros habebat, sive quia Psalmi diverso metro concinnati diversa instrumenta requirebant, quibus aptè concinerentur: erant quibus cithara, erant quibus nabla, erant quibus organa, cymbala, psalteria magis conveniebant: porrò diversa instrumenta diversis Levitis erant assignata, ut liquet è 1 Paralipom. 16 et 25, cùm unus in uno instrumenti genere, alter in altero excelleret.

Porrò, definire qui et quot Davidis Psalmi sunt, qui aliorum, operosum esset admodùm et difficile. S. Athanasius in Synopsi videtur eos duntaxat Davidis facere, qui istam habent inscriptionem: *Psalmus Davidis;* qui verò hanc inscriptionem habent: *Davidi*, aliorum existimare, qui eos Davidi offerebant et consecrabant, inque ejus gratiam componebant; qui verò nullam epigraphen, vel eam sine proprio cujuspiam nomine habent, etsi de his nihil apertè definiat, videtur tamen Davidi adjudicare, atque adeò admodùm pauculos Davidi adscribere. At certum est longè plures Davidi esse adscribendos: primùm enim certum est, Davidi Psalmum secundum esse adscribendum, ex Act. 4, vers. 25, qui tamen Psalmus est sine titulo. Rursùm constat multos Davidi esse adscribendos, qui hanc inscriptionem habent: *Davidi;* nam Psalmus 15, cui titulus est: *Tituli inscriptio ipsi David,* adscribitur Davidi Act. 2, vers. 25. Item Psalmus 31 Davidi adscribitur ad Rom. 4, vers. 6, cui hic titulus est: *Ipsi David intellectus.* Rursùm Psalmus 68. eidem Davidi adscribitur, Act. 11, vers. 9, qui tamen Psalmus in titulo habet: *David,* hoc est, Davidi, ut patet ex Hebræo et Græco. Psalmus etiam 94 eidem adscribitur, ad Hebr. 4, vers. 7, in cujus titulo est: *Laus cantici ipsi David.* Psalmus deniquè 17, cùm haberet hanc epigraphen: *In finem puero Domini David:* mox tamen quæ subduntur verba: *qui locutus est Domino verba cantici hujus,* manifestè indicant Psalmum esse Davidis. Ex quibus omnibus concludo, ubicumque ea est inscriptio, nisi quid aliud impediat, nihil vetare quominùs Davidi Psalmus adscribatur. Et verò quemadmodùm David et Asaph aliis suos Psalmos decantandos dabant, qui proindè: *Ipsi Idithun*, vel *Pro Idithun, filiis Core,* etc. inscribuntur; ità potuit ipse David, auctor Psalmorum, Psalmos à seipso decantandos Davidi inscribere.

Origenes, et post eum Hieronymus Epistolâ ad Cyprianum, volunt Psalmos omnes, quibus nullum sit auctoris nomen inscriptum, ejus auctoris esse qui prænotatus fuit Psalmo præcedenti, vel si plures sint Psalmi sine titulo, ejus esse omnes, cujus postremò in aliquo titulo nomen præfixum fuerit. Ex quo infert Sixtus Senensis in Bibliothecâ, lib. 1, Moysen non tantùm esse auctorem Psalmi 89, cujus inscriptio est: *Oratio Moysis hominis Dei*, sed etiam reliquos usque ad Psalmum 99, ejusdem Moysis esse: etsi enim Psalmus 90 in Græco et Latino hanc habeat inscriptionem: *Laus cantici ipsi David*, in Hebræo tamen Psalmus hic inscriptione caret. At non facilè mihi persuasero, hanc Origenis et Hieronymi regulam firmam esse: nam quid de primo et secundo Psalmo dicetur, qui nullam habent epigraphen? cui tandem adscribentur, cùm nullius nomen præcesserit? è quibus tamen secundus à Scripturâ sacrâ, ut paulò antè dixi, Davidi adjudicatur. Quòd si Psalmus ille sine epigraphe Davidis est, quidni et plures alii, qui epigraphen non habent, eidem adscribi poterunt? Adde nullo modo admitti posse tot Psalmos Moysis esse, cùm plures illorum Davidi inscribantur, nisi quis fingat Moysen jamdiù antè, spiritu prophetico, Davidis nomen suis Psalmis præfixisse. Accedit quòd inter illos est Psalm. 94. quem suprà diximus à Paulo ad Hebræos 4 Davidi attribui.

Sixtus Senensis suprà Psalmorum auctores hos octo recenset: Davidem, Salomonem, Moysem, Asaph, Ethan Ezrahitam, Eman Ezrahitam, Idithun, et filios Core. Et Davidi quidem Psalmos septuaginta tres attribuit ipsius nomine prænotatos, iterùmque alios novem et triginta anepigraphos, seu nullius nomine insignitos, qui universum sunt 112. Salomoni attribuit unicum Psalmum 71, *Deus judicium tuum regi da,* quem ipse 72 appellat; nam in cæteris numeris ferè uno à nostro Bibliorum textu discrepat. Moysi adscribit Psalmum 89, et alios decem ordine consequentes usque ad centesimum. Asaph adscribit Psalmos duodecim 49, 72 et decem sequentes. Ethan Ezrahitæ adscribit Psalmum unicum, videlicet 88. Eman Ezrahitæ itidem unum 87. Idithun verò unicum etiam attribuit, 38 scilicet. Filiis denique Core Psalmos undecim attribuit, 41, 43 et quinque sequentes, 83, 84, 86, 87. At in his multa sunt non parùm probanda. Primò, plures Psalmi Davidi adscribendi sunt, ut ex sequentibus patebit. Secundò, quòd Salomoni Psalmum 71 attribuit, frustrà est, cùm Davidi adscribendus sit; neque enim epigraphe Psalmi habet: *Psalmus Salomonis,* sed: *Psalmus in Sa-*

lomonem, seu: *de Salomone*, vel, ut Hebræa sonant: *Salomoni*, vel: *ad Salomonem*, quomodò et ex Græco Septuaginta verti potest. Adde quòd appendicula illa, de quâ nos suprà egimus, quæ in fine hujus Psalmi habetur, *Defecerunt laudes David filii Jesse*, manifestè indicet hunc Psalmum esse David. Itaque ut Salomonem Psalmographum faciamus, alius ei assignari potest Psalmus, qui in nostro Textu perspicuè videtur adscribi Salomoni, videlicet Psalmus 126, cujus est inscriptio: *Canticum graduum Salomonis*. Ex Hebræo tamen nonnulla dubitandi ratio relinquitur, cùm possit verti, et fortè meliùs: *Salomoni*, uti Hieronymus et Pagninus vertêre. De Moyse jam suprà diximus, non posse ei tot Psalmos attribui, cùm ex his unus Davidi in Scripturâ adscribatur. Deindè, quâ ratione multos alios idem Sixtus Senensis Davidi adscripsit, qui hanc epigraphen habebant: *Davidi*, eadem debuit omnes ferè istos, qui similem inscriptionem habent, Davidi adscribere, præter 89, qui Moysem auctorem manifestè in titulo præfert. Quòd Idithun Psalmum 38 adscribit, meo judicio non rectè, cùm in titulo disertè habeatur: *Canticum David*; quòd autem præponatur: *Ipsi Idithun*, satis liquet ex præcedentibus id non satis esse ut cuipiam Psalmus aliquis adscribatur. Adde, quâ ratione hic Psalmus ob talem epigraphen esset adscribendus Idithun, eadem esset et 61, et 76, quibus omninò similis præfigitur epigraphe. Meâ igitur sententiâ, nullus est Psalmus qui videatur adscribendus Idithun ut scriptori, sed ut cantori duntaxat. Idem quod de Idithun, dicere possumus de filiis Core, qui in nullâ Psalmi epigraphe hâc formula loquendi ponuntur: *Psalmus filiorum Core*, sed: *filiis Core*; quâ loquendi formulâ potiùs significatur, ab ipsis utpotè cantoribus fuisse decantandum, vel in eorum gratiam esse factum. Adde parùm habere verisimilitudinis, plures filios Core vel conjunctim vel divisim, eodem Deo inspirante, eosdem Psalmos composuisse. Accedit quòd idem Sixtus Senensis Psalmum 87, quem ipse 88 appellat, paulò antè adscripserit Eman Ezrahitæ; quomodò ergò idem ille Psalmus est filiorum Core? E Psalmo 83, vers. 11, contrà jam dicta adferri posset, quòd ibi dicatur: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*: quod Davidi convenire non potest; convenit autem filiis Core et Levitis, maximè si consulatur vox Hebræa, ubi pro *abjectus esse*, habetur *histopheph*, id est *in limine esse*, quod proprium erat Levitarum et janitorum. Verùm hoc ità dilui potest: *elegi* ibi idem esse quod *malim*, ut velleitas inefficax significetur, non electio efficax; hoc autem quilibet etiam rex fidelis dicere potest: Malim in ecclesiâ et domo Dei esse vilissimus et abjectissimis ministeriis deputatus (cujusmodi ferè erat inter Levitarum ministeria janitoris officium), quàm inter impios et hæreticos summus. Adde potuisse Davidem Psalmos à Levitis decantandos eorum quasi nomine componere, et inter scribendum eorum quasi personam induere.

Majus esse potest dubium de aliis quibusdam an in Psalmographorum numerum non sinaccensendi, siquidem in epigraphe Psalmi 64 habetur: *Canticum Hieremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cùm inciperent exire*; quibus verbis indicari videtur fuisse hunc Psalmum compositum ab Ezechiele et Hieremiâ sub tempus transmigrationis. Item Psalmus 70 in epigraphe habet: *Filiorum Jonadab et priorum captivorum*. Psalmus item 136 inscribitur *Hieremiæ*. Psalmus 111 hanc habet epigraphen: *Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ*; et Psalmus 145 istam: *Alleluia, Aggæi et Zachariæ*. Quæ igitur ratio esse potest, cur isti in numerum Psalmographorum non accenseantur?

Respondeo hos omnes Psalmos in Hebræo his inscriptionibus carere, ut satis appareat has epigraphes esse à Septuaginta additas, non ut significarent hos esse Psalmorum auctores, sed certis occasionibus convenienter hos Psalmos usurpâsse; erat enim, verbi gratiâ, Psalmus 64. opportunus qui decantaretur transmigrantibus ad eos consolandos et erigendos in spem prosperi è captivitate reditûs, Psalmi 7, 111, 146, accommodati iis qui è captivitate redibant; Psalmus 136, accommodatus Hieremiæ et transmigrantibus captivitatem suam deflentibus. Adde quòd ex his in editione Septuaginta tres Psalmi 64, 70, 136, inscribantur Davidi priùs quàm cæteris, et in Hebræo etiam Psalmus 64.

E quibus omnibus colligo, quinque tantummodò videri habendos Psalmographos, Davidem, Moysem, Asaph, Eman Ezrahitam et Ethan Ezrahitam: et Moysis quidem unicum esse Psalmum 89, Eman unicum 87, Ethan etiam unicum nempè 88, Asaph duodecim suprà recensitos, nempè 49 et 72, cum decem sequentibus; reliquos omnes 135, seu epigraphen habentes, seu anepigraphos, videri Davidi adscribendos.

Sectio v.

Quo tempore et loco Moyses Genesim cæterosque Pentateuchi libros conscripserit.

Quàm certum est, vel probabile quempiam

Scriptorum librum aliquem conscripsisse, tàm certum est et probabile, eum dùm viveret id fecisse, ut ex se perspicuum est. Undè si qua libri pars ipso vivente conscribi non potuit, cujusmodi nonnulla occurrunt in quibusdam libris, perspicuè asserendum est ejus auctoris partem illam non esse, sed ab altero scriptore hagiographo additam, sive complementi et perfectionis totius operis gratiâ, sive aliam ob causam. Itaque non est hoc quod petitur, cùm de tempore librorum conscriptorum quæstio instituitur, nisi sicubi ætas scriptoris et tempus quo vixit esset vel dubium, vel non satis omnibus pervium; tunc enim et hoc pertractandum est, cùm ad tempus certum definitumque id maximè pertineat; sed quod petitur est, vel quo ætatis anno, vel sub quibus Regibus, vel nùm qua alia sit circumstantia, ex quâ temporis ratio cognosci possit. Additur de loco, quia sæpè locus et tempus connexa sunt, ità ut ex uno in alterius notitiam veniri possit. Si qui librorum sacrorum incertos habent Scriptores, necesse est etiam et tempus et locum scriptionis incertum relinqui: dabimus tamen et in illis operam ut quàm proximè scriptoris tempus exploremus.

Igitur ut à Moysis Pentateucho exordiamur, non potest de scriptionis ipsius tempore magna esse difficultas, præterquàm de Genesi; de quâ duæ discrepantes sunt sententiæ: una, quæ à Moyse statuit Genesim scriptam, cùm opilionem ageret in terrâ Median: altera, quæ nonnisi post egressum ex Ægypto in deserto vult eam fuisse adscriptam. Exigua, levia, et nulla penè utrisque ad sententiam suam comprobandam sunt argumenta. Priores pro se adferunt conjecturas duas: unam, quòd otio et solitudine, duabus ad commentandum scribendumque rebus maximè opportunis, Moyses, dùm Jethronis gregem pasceret, uteretur: alteram, quòd Geneseos scriptio, utpotè quæ Patriarcharum contineret virtutes egregias et benè vivendi documenta, multùm prodesse potuerit Israelitis in Ægypto afflictis. Posteriores conjecturam sumunt ex sanctificatione diei septimæ, cujus fit mentio Genes. 2; cujus tamen sanctificationis præceptum non antè legem latam, vel certè nonnisi pauculis antè diebus Exodi 16, et posteà rursùm Exodi 20, datum est. Item ex mundorum et immundorum animalium discretione, quæ innuitur Gen. 7 et 8, cùm tamen ea discretio non antè Moysis legem præcepta vel usurpata reperiatur. Fateor argumenta hæc in utramque partem parùm urgere, et facilè solvi ab iis qui opinantur contraria. Possunt argumentis pondus addere Patres Doctoresque. Pro priore sententiâ sunt Pererius, Præfatione in Genesim, et ad caput 3 Exod. disput. 1; Tena lib. 2; Isagoges, dific. 1, sect. 1. Pro alterâ sunt Theodoretus, q. 1 in Genesim, Tostatus ad 13 cap. Genes., quæst. 132, Cornelius Præfatione in Pentateuchum. Adfertur et pro hâc à Pererio, Tenâ, Cornelio, Bedâ, licèt nemo eorum Bedæ locum citet. Itaque hæc sententia auctorum pondere videtur vincere, in eamque ob id magis inclino. Quòd autem Pererius et Tena pro suâ sententiâ Eusebium, lib. 7 de Præparatione Evangelicâ, cap. 2, adferunt, non videntur satis advertisse quid Eusebius voluerit: non enim aliud vult, quàm priùs à Moyse Genesim scriptam, quàm legem quam à Deo acceperat: quod ego facilè admisero; non autem dicit Genesim ab eo scriptam, priusquàm lex à Deo daretur. Itaque in eam partem inclino, ut nihil tanquàm Propheta scripserit nisi post acceptam à Deo legem, præsertim cùm de spiritu Moysis prophetico antè apparitionem in rubo et missionem ad Pharaonem, non constet; sintque non pauci in eâ sententiâ, Moysen post acceptum spiritum propheticum ab uxore abstinuisse; at constat, Moysen etiam in fine suæ in Madian commorationis usum uxore suâ. Dixi nihil scripsisse tanquàm Prophetam; nam utrùm ut interpres aliquid scripserit dicemus, cùm de Jobi libro disseremus.

Scripsit igitur Moyses tàm Genesim quàm cæteros Pentateuchi libros post datam legem, et repetitum in monte secessum; neque defuit illi ad id otium totis quadraginta in deserto annis: quanquàm non omnia eodem tempore scripta sint, cùm nonnullæ historiæ posteriùs acciderint. Itaque primo anno, vel antè recessum à monte Sinai, existimo Genesim scriptam, Exodum, Leviticum, et è libro Numerorum novem prima capita; cætera deindè ex eodem libro posterioribus peregrinationis per desertum temporibus pro rerum gestarum ordine, ità ut postrema capita, à vigesimo usque ad finem, ultimo peregrinationis anno conscripta sint. Deuteronomium item, quod totius legis repetitio et velut compendium est, non antè ultimum annum à Moyse conscriptum, uti et populo inculcatum existimo: et de inculcatione quidem illâ satis meo judicio constat è cap. 1 Deuter., v. 3. Excipe ultimum caput Deuteronomii quod, Moyse mortuo, ad totius Pentateuchi complementum additum à Josue, passim omnium meliùs sentientium habet opinio; idque fieri potuit eodem peregrinationis

anno ultimo in Setim, seu campestribus Moab, mansione ultimâ antè Jordanis transitum, dùm in luctu funebri ob Moysis mortem Israelitæ occuparentur.

Quòd si hanc Moysis scriptionem cum aliorum Scriptorum operibus conferre velimus, certum est Moysen, omnium quotquot scripsêre, et ob sua scripta illustres exstitêre, ætatem superâsse : non enim omnes modò Græciæ Philosophos, Sapientes, Oratores, Socratem, Platonem, Aristotelem, Pythagoram, Demosthenem, Euclidem, cæterosque ejusmodi multis sæculis anteivit, sed etiam his multò antiquiores, Hesiodum, Homerum, Orpheum, Linum, Musæum. Et de Homero quidem (cujus poemate nullam scriptionem antiquiorem habuit Græcia, teste Josepho lib. 1 contrà Apionem), satis constat eum Moyse minimùm quadringentis vel quingentis, vel etiam septingentis annis posteriorem fuisse, cujus ætatem alii ad Heli, alii ad Salomonis, alii etiam ad posteriora tempora referunt, paulò antè primam Olympiadem. Omnium qui exstat Scriptorum antiquissimus est Mercurius Trismegistus Ægyptius (1), cujus avum maternum Atlantem astrologum Moysi coævum fuisse testis est Augustinus, lib. 18 de Civit. Dei, cap. 39.

Addo verò, si materiam spectemus, nullam Moysi historiâ antiquiorem esse vel esse posse, cùm ab ipsius mundi creatione historiam suam auspicetur; nullus verò cæterorum historicorum sit qui res antè diluvium gestas sit persecutus : qui autem antiquissima sunt persecuti, ferè ab Assyriorum monarchiâ historiæ suæ originem ducunt, quæ propemodùm bis mille annis à mundo condito esse cœpit; vel, si qui antiquiora persequi voluerunt, nescio quas fabulas persecuti sunt. Addo, profanorum istorum historiis innumeras fabulas permisceri, ut nihil sit cui tutò fidem haberi possis, cùm sacræ Moysis historiæ, etsi antiquissimæ, summam à divinâ auctoritate certitudinem habeant.

SECTIO VI.

Quo tempore scripti libri Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdræ.

Josue librum probabiliore sententiâ à Josue scriptum fuisse diximus : ex quo satis liquet, non videri commodè antè ab eo scribi potuisse quàm bella cum Chananæis gesta fuissent, tùm quia historiæ materia scriptionem anteire debet, tùm quia occupatior erat primis illis sex annis Josue, quàm ut ad scribendum animum applicare posset. Quocircà ad hanc scriptionem opportunissimus fuit ille in Thamnathsare plurium annorum recessus à septimo ad decimum septimum. Addo verò ultima duo capita illius libri nonnisi paulò antè ipsius mortem ab eo scribi potuisse, idque duntaxat usque ad versum 19, capitis ultimi : nam ab alio cætera fuerunt addita, seu Calebo non diù post Josue mortem, vel aliquo ex senioribus illis qui Josue convixerant, seu potiùs à Samuele trecentis et pluribus post annis.

Judicum liber cùm incertum habeat Auctorem, non facilè de tempore locove in quo scriptus est, potest constitui; quia tamen plurium est opinio à Samuele fuisse conscriptum, is autem circiter trecentis quadraginta annis post Josue mortem Principatu apud Israelitas fungi cœpit, quo tempore, vel certè non diù antè Principatum, hanc scriptionem credi potest esse auspicatus.

Ruth libellus ab eodem Samuele sub idem tempus conscriptus creditur, utpote qui sit velut appendicula ad librum Judicum, et nonnullam ad libros Regum viam muniat.

Regum liber, uti non unum habet scriptorem, ità non uno eodemque tempore conscriptus fuit; sed neque conscribi facilè simul potuit, cùm Regum rerumque gestarum ordo aliud deposceret. Cùm autem propemodùm certum sit Samuelem primi libri prima viginti quatuor capita scripsisse, de tempore locoque non difficile erit conjicere, nempè id ab eo factum in illo suo recessu in Ramatha post depositum Principatum, Saülemque Regem creatum. Et quanquàm novem prima capita etiam antè conscribi potuerint, fortè tamen rectiùs in hosce posteriores annos hanc scriptionem rejiciemus, quibus commentandi majus otium, abdicato Principatu et publicis rejectis curis, ei suppetebat.

De reliquâ librorum Regum scriptione etsi certum Scriptorem non possimus constituere (fuerunt enim varii Prophetæ vel Sacerdotes sancti, à quibus gesta Regum eo ordine quo sibi successerunt, conscribi potuerunt), de tempore tamen aliquid probabiliter decerni potest. Et verò verisimile est, vel vivente Rege quolibet, vel certè eo mortuo non dilatam scriptionem eorum quæ ipso regnante contigerant, etsi subindè fieri potuerit ut historia conscripta non statim in vulgus omnibus legenda prodierit, quemadmodùm in rebus

(1) Opera vulgò Trismegisto attributa tanquàm apocrypha nunc rejiciuntur omnium doctorum consensu; plura continent quæ dogmata gnosticorum sapiunt.

talibus fieri solet, filiis Regum ac posteris suæ familiæ et progenitorum dedecora in vulgus spargi ægrè ferentibus, aut etiam minaciter impedientibus. Quòd aliqui certum aliquem horum librorum Scriptorem conentur adstruere, vel Jeremiam, vel Esdram, vel alium quempiam, quâ ex re et de scriptionis tempore conjecturam faciunt, frustrà sunt, cùm nullum eis argumentum suppetat: nam etsi ultimum Jeremiæ caput cum iis quæ habentur 4 Reg. ultimo capite, per omnia ferè consentiat, id tamen argumentum leve est, ut Jeremias librorum Regum scriptor adstruatur: potuit enim qui Jeremiæ scribenda dictavit Spiritus sanctus, eadem alteri scribenda suggerere; potuit Jeremias posteriorum capitum libri quarti Regum scriptor esse, at non cæterorum. Pari modo qui Nathan et Gad Prophetas volunt cæterorum Davidis gestorum à morte Samuelis libro 1 et 2 Regum Scriptores esse, quàm rectè id probent è lib. 1 Paralip. cap. ult., vers. 29, ipsi viderint: suprà enim Cap. 6, Sect. 4, ostendimus infirmum ex eo loco argumentum duci, idque ipsum refutat ibidem vers. 30. Continent autem hi Regum libri historiam quingentorum quinquaginta quatuor annorum, ab Heli Principatu usque ad captivitatem Babylonicam, præterquàm quòd fortè interregna aliqua sint constituenda, de quibus in libris Regum disputandum est: quocircà nec antè nogentos decem annos ab egressu de Ægypto potuit hisce libris finis imponi.

Paralipomenon libri similiter nec certum habent scriptorem, nec certum tempus scriptionis. Hos libros scriptos esse post libros Regum, per se fit verisimile, et nomen ei à Græcis inditum satis id indicat; *Paralipomenon* enim *libri* appellantur, hoc est, *prætermissorum*. Si unus aliquis horum librorum scriptor adstruendus esset, perspicuum esset libros hos nonnisi post captivitatem Babylonicam scriptos esse; id enim indicant duo postremi versus cap. ultimi lib. 2 Paralip., qui perspicuè scripti sunt factâ à Cyro jam potestate Judæis revertendi Jerosolymam et Templi restaurandi. Quia tamen id admodùm incertum est, cùm et hi libri fluxu temporis à variis scribi potuerint, et hæc extrema Appendicula ab aliquo post captivitatem, seu Esdrâ, seu alio potuerit fuisse addita, idcircò et de tempore nihil certò vel admodùm probabiliter statuere possumus. Quia tamen video hanc maximè receptam esse sententiam, unum aliquem hanc de Regibus Juda narrationem è diversis libris propheticis concinnâsse, quod afferunt Theodoretus et Procopius initio suorum Scholiorum, idcircò nonnullâ, quanquàm levi probabilitate, statuere possumus hunc librum post captivitatem Babylonicam fuisse scriptum; quod etiam certum putavit Serarius Prolegomenis in libros Regum, argumento è duobus illis postremis versibus desumpto; atque adeò non videri cui meliùs adscribatur id opus quàm Esdræ; quod etiam inter Hebræos Rabbi Salomon asseverat. Itaque quo tempore Esdras è Babylone Jerosolymam reversus floruit, fuerit hic liber scriptus: quanto autem post solutam captivitatem anno is floruerit, mox, cùm de Esdræ libro statuemus, dicetur.

Esdræ librum primum, quemadmodùm ab ipso Esdrâ scriptum certò adstruximus, ità is necessariò ad ipsius, quibus post reditum è Babylone Jerosolymæ floruit, tempora referendus est. Quando autem Esdras floruerit, et in Judæam Babylone reversus sit, non una est opinio: dùm alii sub annum à solutâ captivitate quinquagesimum, alii sub annum ejusdem solutæ septuagesimum, alii sub annum octogesimum (qui postremi omnium fortè optimè sentiunt) Jerosolymam reversum sub Artaxerxe Longimano volunt. Scripsisse autem non diù post ejus reversionem, tùm nonnulla quæ se absente facta fuerant à solutâ captivitate, tùm ea quæ se præsente contigerant, ex ipsius libri materiâ non difficile est cognoscere.

Alter Esdræ liber, etsi sive propter materiæ affinitatem, sive quia ab Hebræis uterque liber in unum compingi solet, commune etiam ab Esdrâ nomen acceperit, tamen ejus Scriptorem non Esdram, sed Nehemiam esse certum est, qui posteriùs etiam quàm Esdras sui temporis res gestas scripsit, Babylone reversus Jerosolymam sub eodem tamen Artaxerxe Longimano: nam Esdræ reversio Jerosolymam sub annum sextum vel septimum Artaxerxis Longimani ab Eusebio et aliis statuitur; at Nehemiæ Jerosolymam adventus sub ejusdem Artaxerxis Longimani annum trigesimum secundum ab eisdem contigisse memoratur. Neque tamen tàm citò vel scripsit vel absolvit suam scriptionem Nehemias, sed tantummodò post annos duodecim, quibus reædificatio urbis facta est, et quæ deerant Templo adjecta sunt, quæ perfecta refert in suo libro Nehemias.

SECTIO VII.

Quo tempore libri Tobiæ, Judith, Esther, conscripti sint.

Tobiæ libri incertum scriptorem quidem suprà diximus, quia nullo firmo argumento ejus scrip-

tor probatur : quia tamen video plures in eam inclinare sententiam, ut sentiant duos Tobias, seniorem et juniorem, ejus libri Scriptores esse, et seniorem quidem usque ad caput 14 scripsisse; ultimum verò caput, quod continet Tobiæ senioris mortem, et ea quæ vel moriens dixit, vel post ejus mortem contigerunt, scribere ipse non potuit, potuit autem scribere Tobias junior, præter duos versus postremos, quæ alius quispiam ex ejus fortè posteris addidit; nos etiam ut de tempore scriptionis aliquid statuamus, hanc ipsam de Tobiâ seniore et juniore opinionem sequemur. Et verò habet aliquod opinio hæc, licèt non admodùm firmum argumentum; siquidem lib. Tobiæ cap. 12, vers. 20, dicit illis Angelus : *Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus;* hæc autem narratio ut perfecta sit, et ad absentes etiam porrigatur, debet non tantùm verbo, sed etiam scripto fieri. Adde, in Græco textu et Hebraico ibi haberi: *Scribite omnia hæc quæ contigerunt in libro:* quarè si de integritate et sinceritate istarum versionum constaret, res hæc videretur confecta. Quia tamen multa sunt quæ versiones illas ex Chaldaico (eâ enim linguâ primùm hic liber scriptus est, ut cap. 12, sect. 4 dicturi sumus) incertas et suspectas reddant, neque vel in Hebræum antè Christum, vel in Græcum à Septuaginta Interpretibus ullo modo videatur redditus, Hieronymus verò ex Chaldaico proximè et sincerè reddirerit, ejusque solam versionem Ecclesia probârit, leve momentum habet quod ex aliis illis versionibus adducitur. Quidquid sit, videtur dubitari non posse, si ab ipsis Tobiâ seniore et juniore hic liber conscriptus non sit, fuisse conscriptum ab aliquo Hebræo linguâ Chaldaicâ, qui in eâdem cum Tobiâ captivitate vivebat, et ista vel oculis vel auribus facta acceperat, ut proindè res eodem recidat quoad scriptionis tempus; ità ut si vitæ Tobiæ et captivitatis tempus compertum sit, non possit scriptionis tempus admodùm esse obscurum.

Itaque illud planè asserendum est totum hunc librum scriptum esse inter utramque captivitatem, priorem quâ decem tribus abductæ sunt in Assyriam à Salmanasar Assyriorum Rege, anno sexto Regis Ezechiæ, et alteram duarum tribuum à Nabuchodonosor in Babylonem abductarum, quæ annis post priorem centum quatuor contigit. Cur autem id necessariò asseri debeat, ex eo liquet, quòd Tobias senior jam conjugatus cum uxore et filiolo infantulo abductus sit in captivitatem cum cæteris Israelitis à Salmanasar rege Assyriorum, ut initio libri Tobiæ habetur, à quâ captivitate hujus libri exordium ducitur, pauculis altiùs è priori Tobiæ vitâ repetitis. Vixit autem Tobias senior in captivitate annis pluribus, in cæcitate quatuor annis, post cæcitatem quadraginta duobus usque ad centesimum secundum annum. Quot autem annis in eâdem captivitate antè cæcitatem vixerit, non constat; etsi de annis octo constet, qui fuerunt à captivitate illâ decem tribuum usque ad cladem quam ab Angelo accepit Sennacherib qui Salmanasari patri mortuo successerat ; juxtà urbem Jerosolymam sub Ezechiâ Rege, quæ describitur 4, Reg. 19, et Isaiæ 37, post quam cladem ista Tobiæ cæcitas contigit : imò cùm patre sexagenario Tobias junior uxorem duxerit, isque infantulus esset cùm in captivitatem cum parente profectus est, ut ex Tob. 4, vers. 11, colligitur, credi potest vix paucioribus quàm viginti annis antè id conjugium eam captivitatem contigisse, ità ut sub annum Tobiæ senioris quadragesimum ea captivitas contigerit, quod etiam nonnulli ex Hebræâ versione, quam non vidi, colligunt, atque adeò Tobias senior sexaginta duos annos in captivitate exegerit, cujus mors in trigesimum nonum vel quadragesimum Regis Manassis inciderit. Parenti supervivere potuit Tobias junior annos 34, cujus mors in Josiæ Regis tempora, in annum circiter ejus decimum septimum inciderit, post quorum mortem anni triginta septem exstitêre usque ad alteram duarum tribuum captivitatem, intrà quorum annorum tempora vel scriptus vel perfectus fuit hic liber. Eversio autem Ninive, cujus interitum prædicit Tobias senior in morte, cap. 14, vers. 6, ab Hieronymo Præfatione in Jonam refertur ad Josiæ tempora : quæ ratio fuit cur Tobias junior maturè ex eâ urbe recesserit, ut habetur eodem cap. vers. 14.

Judith librum etiam incertum habere Scriptorem suprà diximus : quia tamen plerique in Joachimum Pontificem, qui tempore Judithæ vixit, et totius hujus historiæ spectator fuit, inclinant, eos assectabimur. At quo tempore Judith et Joachim Pontifex vixerint, seu quo tempore hæc historia contigerit, intricatissimam difficultatem habet, quæ paucis expediri non potest, nonnullis opinantibus hanc historiam antè Babylonicam captivitatem, aliis post Babylonicam captivitatem contigisse, vel sub Cambyse Cyri successore, vel sub alio Persarum rege posteriore; qui posteriores nituntur hoc uno ferè argumento è cap 5. petito,

ubi Achior vers. 22. 23 indicare videtur, dùm hæc facta sunt, jam antecessisse Babylonicam captivitatem : *Nam et antè hos annos*, inquit, *cùm recessissent à viâ, quam dederat illis Deus, ut ambularent in eâ, exterminati sunt prœliis à multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione quâ dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana hæc omnia et iterùm possident Jerusalem, ubi sunt sancta eorum.* Quibus verbis, inquiunt, indicatur Hebræorum dispersio, captivitas, et Jerosolymorum ac Templi amissio, ad quæ postliminiò rediisse dicuntur, nimirùm solutâ captivitate.

At longè plus verisimilitudinis habet altera opinio eorum qui hanc historiam antè Babylonicam captivitatem contigisse asserunt, eamque qui omnium optimè videntur sentire, referunt ad tempora Manassis Regis. Neque verò posse ad Cambysis tempora, vel posteriores reges Persarum post Babylonicam captivitatem referri, firmissimis argumentis demonstratur. Primò necdum deletum erat Assyriorum imperium cùm hæc Judithæ historia contigit, sed florebat maximè, ut è cap. 1 et 2, colligitur ; at destructum fuit Assyriorum imperium et ad Chaldæos translatum antè Babylonicam captivitatem. Secundò, tempore hujus historiæ stabat Ninive Assyriorum Regia, ut indicatur cap. 1, vers. 5 ; at deleta fuit Ninive antè captivitatem Babylonicam, juxtà vaticinationem Nabum Prophetæ, quæ Ezechiâ regnante facta est; et prædictionem Tobiæ senioris, Tob. cap. 14, vers. 6. Contigit autem, D. Hieronymi assertione Præfatione in Jonam, Josiæ temporibus hujus urbis excisio : imò eadem est Josephi sententia; nam ait lib. 9 Antiq., cap. 11, Nahum prophetâsse de Ninive excidio sub Joathamo rege, evenisse autem id quod prædixerat centum quindecim annis posteà, quod tempus necesse est, à Joathamo ducto initio, in Josiæ tempora incidere. Tertiò, dùm hæc historia contigit, stabat Jerusalem et Templum, cap 4, vers 2; at tempore Cambysis, et diù adhuc posteà non fuit restitutum Templum, nedum Jerosolyma, cujus restitutio Templi restaurationem multis annis secuta est. Quartò, paulò antè quàm hæc fierent, vivebat rex Medorum Arphaxad, qui ædificavit Ecbetana, cap. 1, vers. 1 ; at is qui ædificavit Ecbatana, quem profani Scriptores *Dioclem* vel *Deiocem* vocant, multis annis antecessit Persarum imperium; et, si Eusebio credimus, eo tempore regnabat in Mediâ, quo Manasses in Judæâ regnabat. Quintò, nullus Persarum rex legitur Nabuchodonosor appellatus; fuit ergò hic Nabuchodonosor, cujus militiæ præfectus erat Holofernes, non Persarum rex, sed Chaldæorum, vel Assyriorum, vel utrorumque. Sextò, nunquàm leguntur Israelitæ regibus Persarum sese bello opposuisse, nec mirum, cùm ab illis multa acceperint beneficia, potestatem restituendi Templi et Urbis, aliaque plurima; adde, etsi vellent, neque vires Judæis, neque animum rebellandi adfuisse. At regibus Assyriorum non semel Judæi restiterunt. Septimò, hæc Holofernis expeditio facta est anno decimo tertio regni Nobuchodonosoris ; at Cambyses tantummodò annis octo imperavit : non est ergò Cambyses iste Nabuchodonosor. Addi potest, reperiri sub id tempus Judæorum Pontificem Eliocim nomine (qui idem et Joachim, nam utrumque nomen habet in historiâ Judith) juxtà promissionem illi factam per Isaiam cap. 22, vers. 20. 21. Et hæc quidem argumenta maximè procedunt contrà eos qui Cambysem istum Nabuchodonosorem faciunt, quæ est plurimorum sententia, licèt nonnulla etiam de omnibus Persarum regibus universim idem probent.

Itaque dispersio illa et captivitas, cujus fit mentio Judith cap. 5, non est illa quâ in Babyloniam abducti sunt Judæi, Urbe Temploque destructo, sed partim ea quâ Judæi multi dispersi à Sennacherib Assyriorum rege sub rege Ezechiâ ; partim altera, eaque præcipua, cùm à Babyloniis vexati Judæi, et rex Manasses catenis et compedibus vinctus abductus est in Babylonem, qui tamen paulò post, et si qui alii cum ipso captivi abducti fuerant, remissi sunt : non diù tamen posteà ab Assyriis hoc bello appetiti sunt. Neque verò in aliud tempus commodè rejici potest hæc historia ; siquidem ultimo Judith capite dicitur Judith vixisse centum quinque annis, et toto tempore quo deinceps vixit, multisque annis posteà, pace firmâ fruitos Judæos ; ergò à Manasse temporibus inchoandum est, postquàm captivitate solutus in regnum remissus est. Si enim sub alio rege posteriori id factum velimus, non poterimus hos diuturnæ pacis annos invenire : siquidem ab Amonis, qui Manasse successit, auspiciis usque ad Joachaz, qui à rege Ægypti bello lacessitus fuit, sunt tantummodò anni triginta tres ; at à Manassis regis initiis, qui annos quinquaginta quinque regnavit, usque ad eumdem Joachaz sunt ferè anni nonaginta ; sed ex annis Manasse detrahendi sunt anni quibus initio Principatûs

impiè vixit, ejus non diù post captivitas ac in regnum remissio, post quæ bellica hæc Holofernis expeditio suscepta sit. Faciamus verò id sub annum Manasse decimum quintum contigisse, fuerint adhuc anni plures septuaginta, quibus reliquum vitæ exigere Judith in pace potuit, et pluribus post ejus mortem annis eâdem Judæi frui. Faciamus enim eam quadraginta vel quadraginta quinque annorum fuisse cùm ipsa Holofernem occidit (neque enim multò annosior ipsa asseri potest, cùm puella vocetur, eidemque adhuc eximia formæ venustas superesset), supersunt vitæ ipsius anni sexaginta quinque; qui supersunt, mortem ejus secuti fuerint.

Scio Torniellum huic se opinioni opponere, ad annum mundi 3353 et ad annum mundi 2572 novam conatum esse opinionem stabilire, refutatis Bellarmini pro suâ nostrâque opinione argumentis, hancque Judith historiam ad Xerxis tempora annis à Babylonicâ captivitate solutâ quinquaginta quinque referre : cùm enim existimet, ad tempora quæ Babylonicam captivitatem antecedunt historiam hanc referri non posse, et Cambysis tempora ad hanc rem incommoda satis animadvertat, satiùs etiam censuit ad posteriorem aliquem Persarum regem eam referre, nec invenit cui id commodiùs adaptari potuerit quàm Xerxi, verisimilitudine fortè majore quàm cæteri qui volunt id sub Cambyse contigisse. An tamen, id quod vult pervicerit, alii judicabunt, mihi certè necdùm persuasit. Bellarmini argumenta non aliter ferè dissolvit, quàm quòd potuerint hoc et illa fieri, ut quòd potuerit Ecbatana postmodùm reædificari, et de hâc reædificatione Judith historiam loqui, atque adeò Arphaxad non fore illum Deiocem qui primus Ecbatana ædificavit : potuisse fieri ut Ninive reædificaretur post Babylonicam captivitatem, etc. At horum aliquid factum nec probat ipse, nec è probatis auctoribus probare potest. Simile est etiam illud quòd Nabuchodonosor in historiâ Judith nominatum non vult esse Xerxem ipsum Persarum regem, sed aliquem regem ipsi subditum regnantem in Ninive, qui occasionem accipere potuerit rebellandi et recuperandi imperium; rebus à Xerxe cum Græcis malè gestis; at ostendi deberet, ut solidè opinio Bellarmini refutetur, non tantùm hæc potuisse fieri, sed etiam facta esse, aut saltem tentata. Addo verò, postremum hoc dici non posse, quia in exercitu Holofernis erant etiam Persæ, nempè Assyriorum Regi subjecti, ut indicat Judith in suo cantico cap. 16. vers. 12. Quis autem credat Persas voluisse se conjungere ei qui regi Persarum rebellis existebat? Præcipuum autem Tornielli fundamentum petitur è verbis illis cap. 5 : *Et iterùm possident Jerusalem;* quibus verbis indicatur pulsos Jerosolymâ Judæos, quod factum aliquandò antè captivitatem Babylonicam cum aliquâ veri specie affirmari non potest. Addit verò ad majorem vim argumenti, è versione Septuaginta Interpretum, in fine vers. 22 ejusdem capitis addi : *Et templum Dei ipsorum factum in pavimentum, et civitates eorum captæ sunt ab adversariis;* quæ verba perspicuè Babylonicam captivitatem indicant. Verùm hæc verba mihi omninò suspecta sunt, quandoquidem Hieronymus in Chaldeo ea se non legisse satis ostendat. Neque verò Græca hæc versio rectè à Torniello Septuaginta Interpretibus adscribitur, cùm satis constet Septuaginta Interpretes nullos libros, nisi qui et in Hebræo Canone essent, et Hebraicè scripti, fuisse interpretatos; liber autem Judith neque scriptus Hebraicè, neque in Hebræo Canone fuisse omnium sit consensio, et disertè utrumque asserit Hieronymus. Itaque quod dicitur in textu nostro : *et iterùm possident Jerusalem*, intelligi debet de plurimis illis de quibus antecessit, qui dispersi fuerant vel captivi abducti; hi enim non potuerant dicit tempore dispersionis vel captivitatis sub Ezechiâ et Manasse possedisse Jerusalem, sive quod idem est, in eâ habitâsse. De captivitate autem Babylonicâ non dixisset ibi Scriptura plurimos abductos esse in captivitatem, sed omnes, cùm nulli vel paucissimi remanserant, et qui pauculi relicti sunt mox Judæam deseruerint et in Ægyptum profugerint, ità ut Judæa penitùs desolata et deserta incolis effecta sit.

Esther historia à quo sit conscripta non facilè definiri posse, in diversas partes abeuntibus sententiis, suprà diximus; videntur tamen plures meliorisque notæ Doctores in Mardochæum ipsum inclinare, quorum et nos sententiam sequemur. Neque verò possunt ab ullis meliùs rerum gestarum historiæ conscribi, quàm ab iis qui rebus ipsis præsentes adfuerunt, et quarum ipsi magna pars fuerunt. Accedit, hujus rei nonnullum argumentum sumi è cap. 9, vers. 20 et 26, etsi de solâ Epistolâ ad Judæos transmissa intelligi possint : nam et vers. 26, id quod interpres noster addidit : *id est libri*, nec in Hebræo est nec in Græco, et de libro, seu volumine Epistolæ intelligi potest : hanc tamen scriptionem ad totum librum extendi nihil vetat.

Hoc tamen constituto, restat nodus difficilior, quo tempore tàm Esther quàm Mardochæus vixerit; quia in re nonnulla mihi videntur certa, obscura alia et incerta. Atque imprimis illud mihi certum videtur, hanc historiam non contigisse antè captivitatem Babylonicam; quod mihi videtur perspicuè indicari Esther cap 2, vers. 5, 6 : *Erat vir Judæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus, filius Jair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore quo Jechoniam regem Juda, Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat.* Porrò Jechoniæ regis translatio undecim tantummodò annis Templi urbisque eversionem à Chaldæis factam præcessit, totiusque Gentis perfectam transmigrationem : non est igitur credibile, intrà hosce undecim annos contigisse, quo tempore Chaldæi Judæorum hostes se profitebantur, Gentisque totius ruinam meditabantur.

Secundò, illud mihi videtur certum, non contigisse hæc antè inchoatum sub Cyro Persarum imperium, sive antè solutam captivitatem Babylonicam, etsi pauculi contrarium senserint, qui Assuerum, Estheris maritum, Medum et Darii Medi patrem, cujus fit mentio Danielis cap. 9 faciunt. Primò, quia hic Assuerus passim in Græco textu, apud Josephum, Eusebium, aliosque Græcos, vocatur Artaxerxes; id autem nomen regum Persarum proprium fuit. Secundò, quia Esther cap. ult. ipsemet Assuerus se Persam Persarumque regem, suumque regnum non aliud esse quàm Persarum, satis perspicuè vers. 10, 14, 23, indicat. Tertiò, quia Susa, in quibus Assuerus iste regnavit, non Medorum Regia, sed Persarum fuit. Quartò, quia Assuerus hic, cap. 1, vers. 1, et cap. ult. vers. 1, dicitur regnâsse ab Indiâ usque Æthiopiam : nunquam autem tàm latum habuerunt imperium Medi, sed solis id Persis competit.

Tertiò, illud maximè incertum et obscurum, quis sit ille, et quotus Persarum rex, sub quo historia Esther contigerit, quique ejusdem Esther maritus fuerit, dùm alii Cambysem secundum Persarum regem, alii quartum, videlicet Darium Hystaspis filium, alii quintum, Xerxem scilicet, alii Artaxerxem Longimanum qui septimus fuit, alii Artaxerxem Mnemonem Regem undecimum volunt. Quamvis quod ad Cambysem attinet, qui duntaxat septem octove annis in regno vixit, ferè omnes rejiciunt, et meritò, cùm Estheris cap. 2, vers. 7, anni duodecimi Assueri fiat mentio. Pro Artaxerxe Mnemone pugnant multi tàm antiqui quàm recentiores, Eusebius in Chronico, Isidorus, Beda, Pererius, Torniellus, aliique. In eam tamen ire sententiam non possum, ob rationem illam quam tangit Bellarminus, quòd Josephus lib. 1 contrà Apionem disertè asserat non haberi in Canone sacrorum librorum eos libros, qui post tempora Artaxerxis Longimani scripti sunt. Esther autem semper in Canone Hebræorum fuit; debuit ergo scriptus esse antè mortem Artaxerxis Longimani; ergò Assuerus ille maritus Esther non potuit esse Artaxerxes ille Mnemon, qui multis annis post Artaxerxem Longimanum vixit et regnavit. Neque est quòd Torniellus vim argumenti eludat, fortiùs probandum fuisse Bellarmino librum Esther fuisse unum è viginti duobus illis libris qui fuerunt in Hebræorum Canone, et quòd non potuerit posteà adjici, cùm Josephus quinam essent illi viginti duo libri non explicet. At passim omnes Hebræi explicant, et viginti duos libros numerant, in iisque librum Esther comprehendunt : totidem libros Hebræi Canonis recenset D. Hieronymus in Prologo galeato, cosque sigillatim enumerat, et inter eos Esther nominat. Accedit quòd Josephus non tantùm dicat tunc confectum fuisse Canonem, sed etiam posteà nihil ei Canoni fuisse additum : non ergò additus fuit liber Esther, et si additus fuisset (antè verò jam fuerant viginti duo libri in Canone), is fuisset vigesimus tertius; at nemo nec Hebræorum nec Catholicorum reperitur, qui Hebræorum Canonem in viginti tres libros distribuat. Maneat ergò Esdram, in sacris litteris versatissimum, hunc sacrorum librorum Canonem sub Artaxerxe Longimano confecisse, summique Judæorum Pontificis decreto et approbatione auctoritatem accepisse, et ex eo tempore nihil Hebræorum Canoni fuisse additum.

Restat igitur ut historia hæc ad tempora vel Darii Hystaspis, vel Xerxis, vel Artaxerxis Longimani pertineat, et unus illorum sit iste Assuerus maritus Esther : ut proindè tandem ad hosce tres reges, qui sibi proximè successerunt, (nisi quòd inter Xerxem et Artaxerxem exiguo septem mensium spatio Artabanus per vim regnum tenuerit), nota hæc quæstio resolvatur. Quis autem potissimùm horum fuerit, non habeo dicere. Josephus, Bellarminus, et alii, hunc Assuerum Artaxerxem Longimanum esse volunt; ego admodùm dubito, non ob rationem Eusebii, qui vult Esdram non fuisse de Esthere taciturum, si historia hæc sub Artaxerxe Longimano contigisset : hæc enim ratio parùm urget, cùm tàm Estheris ad regnum subvectio,

quàm quæ deindè secuta sunt, Amanis exaltatio, ipsius in Mardochæum odium, strages Judæorum Amane id machinante in certum diem constituta, Amanis suspendium, Mardochæi sublevatio, edita de Judæorum hostibus strages, etc., facta necessariò fuerint absente Esdrâ et Jerosolymam reverso ; si tamen is Artaxerces maritus fuerit Esther : siquidem Esdras anno regis Artaxerxis septimo primo die mensis primi Babylone discessit, et primo die mensis quinti Jerosolymam advenit, ut habetur Esdræ cap. 7, vers. 8, 9, at regina Esther ejusdem anni septimi Regis mense decimo ad cubiculum regis Assueri ducta fuerit, ut habetur Esther cap. 2, vers. 16. Dubitationis autem meæ ratio est, quòd videatur mirum, hunc Artaxercem, qui tam benevolus ergà Esdram et Judæos omnes paulò antè fuerat, ut indicat caput septimum libri primi Esdræ, quique eumdem Deum cœli, quem Judæi colebant, colere se non obscurè profiteretur, paulò post tàm facilè ab Amane persuasum esse ut in omnium Judæorum necem consentiret. Adde quòd maritus Esther non videatur Deum verum coluisse, aut Judæorum ritus probâsse, cùm de iis regi dicat Aman Esther cap. 3, vers. 8 : *Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, et à se mutuò separatus, novis utens legibus et cæremoniis.* Itaque dubito an non potiùs ad Darium Hystaspis filium, vel Xerxem ea historia pertineat : imò et propter allatam paulò antè rationem, cùm etiam Darius videatur suprà modum Judæis favisse jam indè ab initio regni sui, et Deum verum coluisse, ut colligi potest è 1 Esdræ cap. 6, videretur tandem tota hæc res ad unum Xerxem Darii filium revolvi. Quod etiam alio argumento nonnulli colligunt, quòd iste Xerxes fuerit voluptuosissimus, utpotè qui novarum voluptatum inventoribus præmia proposuerit, ut refert Cicero, quod optimè cum hujus Assueri conviviis, vinolentiâ, luxu, prodigalitate, libidine congruit.

Notandum illud tamen, sub quocumque istorum regum historia hæc ponatur, non videri posse dici Mardochæum fuisse cum Jechoniâ in Babylonem traductum ratione suî, sed ratione duntaxat parentum, qui cum Jechoniâ traducti fuerint; quomodò et nonnulli cum Jacob in Ægyptum descendisse dicuntur, qui necdùm nati erant; et 2 Esdræ, cap. 7, dicuntur Zorobabel, Josue, Nehemias, et cæteri ascendisse de captivitate migrantium, quos tulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, cùm tamen hi omnes in captivitate nati essent. Cur autem de Mardochæo id videatur asserendum, ratio est, quia quantùmcumque totum hoc negotium acceleremus, et sub Dario Hystaspe factum asseramus, debebit statui Mardochæus minimùm centum et decem annorum, cùm in Amanis locum suffectus est : siquidem à Jechoniæ traductione usque ad solutam captivitatem Babylonicam sunt anni octoginta et unus, à soluta captivitate usque ad Darium Hystaspem, sunt anni ferè viginti, juxtà Eusebium; itaque à Jechoniâ translato usque ad Darium Hystaspem anni sunt circiter centum : anno autem duodecimo regis fuit Aman suspensus, et Mardochæus in ejus locum suffectus; itaque jam erunt anni centum et duodecim. Sin historiam hanc ad Xerxis tempora referamus, cùm Darius Hystaspes annis 36. juxtà Eusebium regnaverit, debebit Mardochæus ferè centum quinquaginta annorum censeri cùm in Amanis locum suffectus est. Sin ad Artaxerxis tempora ea historia referatur, cùm Xerxes annos viginti regnum tenuerit, debebit Mardochæus ferè centum septuaginta annorum constitui cùm eam à rege dignitatem accepit. Quæ ætas etsi nonnullis incredibilis non videatur, mihi tamen non facilè, nisi quid omninò cogat, admittenda videtur, præsertim ut id ætatis homo ad publicas res administrandas admoveretur, cùm sexcentis antè annis Samuel et David anno sexagesimo vel septuagesimo ita consenuissent, ut rerum publicarum administrationem jam obire non possent. Adde, esto id minùs mirum et incredibile in Mardochæo appareat, at in Esthere id prorsùs incredibile et ridiculum judicabitur : cùm enim Mardochæus vel Estheris patruus, ut videtur Textus noster indicare Esther cap. 2, vers. 7, et cap. 8, vers. 1, vel, ut verior habet opinio, ejus esset patruelis, sicut è duobus fratribus essent progeniti, ut Hebræus et Græcus textus indicant, non potuit Esther ætate longè inferior esse Mardochæo ; sed faciamus viginti vel triginta annis posteriorem esse; quis credat eam, vel anno octogesimo, vel anno centesimo decimo, vel anno centesimo trigesimo tàm speciosam exstitisse, ut ab Assuero ad thronum regium eveheretur, et ob pulchritudinem præ aliis omnibus uxoribus ab eodem amaretur, ut habetur Esther cap. 2, vers. 15, 17? Et hæc quidem de hisce tribus Tobiæ, Judith, Esther libris, in quibus ferè major quoad scriptionis aut etiam historiæ tempus difficultas.

SECTIO VIII.

Quo tempore liber Job scriptus et Psalterium.

Job liber si ab ipsomet Jobo conscriptus fuit, quam sententiam ut probabiliorem suprà, Sect.

2, secuti sumus, non difficile erit definire quandò is scriptus sit, si modò de Jobi ætate constet. Hebræi in Seder Olam Jobum ipso ingressus Jacob in Ægyptum anno natum volunt, mortuum ipso egressus ex Ægypto anno; sed hi ut solent divinant, nec nisi ridiculam adferunt rationem; eos tamen ferè scriptores alii, Torniellus, Sallianus sequuntur, cùm aliud nihil melius habeant. Et verò, si sub illud ingressûs in Ægyptum tempus natum Jobum Hebræi dixissent, mortuum sub tempus egressûs ex Ægypto, rem planè verisimilem dixissent, cùm satis constet neque diù præverti illa tempora posse, neque in multos annos differri : siquidem fuit Job è Esaü oriundus, ut Genes. cap. 36 ostendimus, et quintus ab Abraham, ut habet editio Septuaginta in libri Job fine, nempè hoc ordine, Abraham, Isaac, Esaü, Rahuel, Zara, Job : una minùs reperitur generatio usque ad descensum in Ægyptum in posteris Jacob, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, qui natus fuit sub ipsum descensûs annum, imò ut multis visum est, ipso descensûs anno; sed in posteritate Esaü facilè potuit una intercedere generatio plùs quàm in Jacobi posteritate ad illum usque descensûs annum, sive quia citiùs Esaü uxorem Basemath seu Maheleth duxerit, anno videlicet ætatis septuagesimo septimo, ex quâ genitus est Rahuel, et Jacob anno duntaxat octogesimo quarto Liam duxerit, ex quâ post quatuor annos Judam genuit; sive quia seriùs Judas Phares genuit, anno videlicet ætatis quadragesimo quarto, è nuru suâ, quæ jam ex aliquo Judæ filio potuisset, si supervixissent, suscepisse liberos. Igitur si sub annum descensûs in Ægyptum natus est Job, et annis 210 vixit (ut passim omnes Latini sentiunt; nam centum quadraginta vixit post calamitates, ut vers. ult. capitis ultimi Job habetur; antè verò, comprehensis etiam, quantùm ego quidem arbitror, calamitatis annis, vixerat, ut communis fert opinio et habet Athanasius in Synopsi, septuaginta annis: universìm fiunt 210 anni), necesse est eumdem sub annum egressûs ex Ægypto mortuum esse, cùm totam commemorationem Israelitarum in Ægyptum 210 annis circumscribamus. Ex quo et illud sequitur, sub annum mortis Josephi Patriarchæ, quæ septuaginta et uno annis secuta est descensum in Ægyptum, Jobum cum suis calamitatibus fuisse conflictatum; potuisseque à Jobo totum illum librum suarum calamitatum conscribi etiam antè Moysis ortum, qui circiter annis sexaginta Jobi luctam secutus est; si tamen excipias capitis ultimi versum ultimum, qui à Moyse vel alio adjici potuit.

Quocircà non est illud improbabile, quod Severus Sulpitius in sacrâ Historiâ, et Pererius in cap. 3 Exodi, aliique tradunt, Moysen, dùm in terrâ Madian versaretur, socerique oves in deserto pasceret, hunc librum ab Idumæis vicinis nactum è Syro Arabico sermone in Hebræum vertisse, tùm ut suum exilium solaretur, tùm ut posteà ad suos in Ægyptum rediturus haberet quo eorum labores et ærumnas solari hoc tàm insigni patientiæ exemplo posset. Id tamen intellige postremam illam de vitæ annis et Jobi morte Appendiculam, quam posteà Moyses vel revelatione, vel Idumæorum relatione adjecit. Plura verò in extremâ libri Appendiculâ adjecta sunt à Septuaginta Interpretibus non ex Hebræâ Moysis versione, sed è volumine Syro Arabico, in quo illa Jobo mortuo ab aliquo Jobi familiari, ut credibile est, adjecta fuerant. Ex quo et illud fit verisimile quod paulò antè insinuavi, Moysen sine extremâ illâ Appendiculâ, quæ est de genere, progenitoribus, patriâ Jobi, librum hunc nactum esse, atque adeò et antè ejus mortem, cùm ea ipse in suâ interpretatione non adjecerit, quæ à morte Jobi adjecta esse satis liquet.

De tempore scriptionis Psalmorum non potest esse magna difficultas, si modò constet de scriptoribus, quam rem nos excussimus suprà Sect. 4, ubi et quinque Psalmorum auctores definivimus, quorum 133 Davidis sint, Asaph 12, Eman Ezrahitæ unus, unus item Ethan Ezrahitæ, unus Moysis; satis enim constat quandò hi vixerint : siquidem Asaph, Eman seu Heman, et Ethan tempore Davidis vixisse, cantoresque exstitisse, manifestè indicatur 1, Paralip. cap. 15, vers. 19. Davidis autem et Moysis tempora nota sunt.

Definire verò quo quilibet Psalmus ordine vel Davidis ætate scriptus sit, et nimis longum esset, et parvi fructûs, et ultrà facultates nostras. Illud tantummodò asserere possumus, hos Psalmos à Davide, vel variis eventuum occasionibus compositos, ut tituli ipsi indicant, vel prout sentiebat se à Deo ad divinas laudes concinendas impelli; non autem uno eodemque tempore scriptos : nonnullos quidem Saülis tempore, et antè adeptam dignitatem regiam, plerosque posteà. Rursùm non eo ordine esse scriptos quo in Psalmorum libro continentur, sive quòd eum ordinem servare non fuerit curæ illis qui Psalmos collegerunt, et in unum volumen compegerunt, sive quòd certus ordo multis Psalmis assignari non possit, utpotè cùm

in titulo Psalmi nihil sit undè id colligi possit, cùm tamen è titulis id ferè cognosci debeat, nec in ipso Psalmi corpore aliqua in eam rem lux affulgeat.

Non esse verò Psalmos eo ordine dispositos quo compositi sunt, manifestum est, siquidem Psalmus tertius hunc titulum habet : *Psalmus David, cùm fugeret à facie Absalom filii sui ;* at id longè posteriùs contigit, quàm in quod id aliorum Psalmorum titulis continetur ; nam Psalmi 33 titulus est : *David cùm immutavit vultum suum coràm Achimelech, et dimisit eum, et abiit ;* quæ immutatio vultûs facta est Saülis tempore, describiturque lib. 1 Reg., cap. 21. Psalmus 50 pro titulo habet : *Psalmus David, cùm venit ad eum Nathan Propheta, quandò intravit ad Bethsabee ;* id autem etiam fugam David persequente Absalom antecessit. Et Psalmi 51 titulus est : *Intellectus David, cùm venit Doeg Idumæus, et nuntiavit Saüli : Venit David in domum Achimelech.* Item tituli Psalmorum 53, 55, 56, 58. perspicuè ad Saülis tempora pertinent, uti et 62, et 141. Quin et 143, qui pro titulo habet : *Psalmus David adversùs Goliath,* ad prima Davidis tempora intelligitur pertinere, et verò ordine fortè Psalmus hic primus fuit.

Psalmi verò Asaph, Eman, et Ethan videntur omninò ad regni Davidis tempora pertinere, postquàm à Davide constituti sunt Cantores. Moysis Psalmus 89 videtur potiùs ad tempora quæ egressum ex Ægypto secuta sunt, pertinere; nam, vers. 1, ait : *Domine refugium factus es nobis ;* vers. 7. 8. 9. ad labores et ærumnas Ægypti pertinent : vers. 14, 15, ad lætitiam quæ liberationem ex Ægypto secuta est, videntur referri : duo postremi versus orationem continent, quâ Moyses Deum precatur ut Deus Israelitis benignus adsit, et per desertum ambulantes dirigat.

SECTIO IX.

Quo tempore Proverbiorum liber, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus conscripti sint.

Proverbiorum librum ut certum est Salomonem habere auctorem, ità ad ipsius regni tempora, postquàm à Deo consecutus est sapientiam, non dubium est pertinere : multòque mihi verisimilius videtur eum cùm adhuc pius esset, et priùsquam in insanos suos amores ac idololatriam corrueret, scripsisse ; siquidem *indecens est in ore stultorum parabola*, ait ipse Salomon ; et Ecclesiasticus: *Ex ore futui reprobabitur parabola.* Accedit quòd omninò asserendum videatur, Salomonem illo impietatis tempore Spiritûs sancti afflatu destitutum fuisse. Non desunt tamen qui post lapsum et pœnitentiam hunc librum, uti et cæteros, velint Salomonem conscripsisse ; inter quos videtur et ipse Hieronymus ad cap. 43 Ezechielis, idque ex illo loco Proverb., cap. 24 vers. 32 versionis Septuaginta probant, ubi sic habent : *Novissimè ego egi pœnitentiam, et respexi ut eligerem disciplinam.* Verùm cùm usque adeò incerta sit pœnitentia Salomonis, et longè magis videatur floruisse ejus sapientia antè lapsum, quàm post lapsum (tunc enim admirabilem passim habitum in Scripturâ legimus, lib. 3 Reg., cap. 4; tunc regina Saba ejus sapientiam auditura Jerosolymam advenit, cùm antè lapsum parabolas et carmina ab eo composita non obscurè indicet tàm lib. 3 Reg., cap. 4, quàm Ecclesiasticus, cap. 47; iste autem ex versione Septuaginta locus neque Versioni nostræ, neque Hebræo respondeat, in quibus nullum de Salomonis pœnitentiâ vestigium. Addo verò cùm innumera sint de quibus homo possit pœnitere, ut quòd diutiùs quàm oportuit vanitatis studiosus fuerit, seriùs quàm oportuit sapientiam sectatus sit ; illo autem Proverb. loco nulla peccatorum fiat mentio, sed ne alicujus quidem alterius rei cujus ipsum pœnitere potuerit, nisi fortè vers. præced. pigritiæ et temporis otio transacti; mirum esset Salomonem tàm derepentè, nullâ de peccatis suis ingestâ mentione, de suâ pœnitentiâ fuisse locutum.

Porrò, etsi lib. 3 Reg., cap. 4, vers. 32, dicatur Salomon locutus tria millia parabolas, eas tamen omnes non scripsit, sed ad scriptionem videtur selegisse præcipuas, cùm in Proverb. libro non sint mille versus, aut parabolæ diversæ. Addo verò, neque omnes hasce parabolas, quas Proverbiorum liber continet, ab ipsomet Salomone in unum eumdemque hunc librum fuisse digestas, sed tantummodò usque ad cap. 25; cæteras quidem ultimorum septem capitum scripsisse, sed in schedis membranisque aliis ab hujus libri corpore separatis; eas verò postmodùm viros Ezechiæ prioribus adjecisse, et in eumdem librum compegisse. Id indicat initium cap. 25, ubi sic habetur : *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda.* Hanc enim translationem sic interpretor, non ut sit de linguâ unâ in alteram facta translatio (neque enim aliâ quàm Hebraïca lingua scripsit Salomon, aut aliâ linguâ viri Ezechiæ habere voluerunt quàm nativâ et propriâ) ; sed ut ex separatis membranulis in unum cum cæteris libri corpus re-

degerint. Quare et Septuaginta non aliter hoc expresserunt : ἃς ἐξεγράψαντο *quas descripserunt*, etsi præmittant : αἱ ἀδίακριται, *indiscretæ*. Vocant autem parabolas indiscretas quæ sparsæ erant, et in nullum certum ordinem digestæ. Et verò si semel admittatur verba illa, *quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda*, esse de ipso Scripturæ contextu, nequit dici ea verba à Salomone esse conscripta, quocumque tandem modo ista translatio explicetur. Fateor tamen, non incommodè dici posse quinque tantùm capita inserta esse, duo ultima etiam à Salomone in fine libri hujus fuisse adscripta; sed cùm hæ parabolæ similem titulum haberent cum prioribus, nempè, *Parabolæ Salomonis*, visum commodiùs Sobnæ scribæ et viris Ezechiæ eas antè duo ultima capita collocare. Quòd autem quidam velit, translationem hîc istam non esse aliud quàm quòd quæ positæ erant in fine libri parabolæ loco motæ sint, et in hunc locum translatæ, idque è versione Septuaginta Interpretum Vaticanâ colligi; quòdque addit verba illa : *quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda*, non esse de sacro contextu, cùm tamen velit præcedentia illa : *Hæ quoque parabolæ Salomonis*, ad sacrum contextum pertinere, nescio an aliis probari debeat, mihi sanè non probatur : propter enim incertam conjecturam et præconceptum animi privatum sensum verba aliqua è sacro contextu expungere, quæ hactenùs de sacro contextu habita sunt, eodemque cum cæteris charactere expressa, accedente præsertim Tridentini decreto, quod libros integros versionis Vulgatæ cum omnibus suis partibus suscipiendos decernit, mihi non videtur periculo vacare. Neque verò ex editione Septuaginta Interpretum Vaticanâ satis ad hanc rem statuendam firmum argumentum ducitur : satis enim constat etiam hanc versionem in nonnullis mutilam esse, ordinem invertere in aliis, aliam lectionem proferre quàm quæ fuerit apud sanctos Patres recepta. Et verò quis credat, Sobnam scribam, vel alios Ezechiæ amicos ausuros constitutum à Salomone Parabolarum ordinem invertere, vel, si id rectè fecissent, non eumdem ordinem secuturos Interpretes Septuaginta, cùm et ipsi in variis codicibus eo in loco planè sint varii.

Ecclesiasten etiam à Salomone scriptum constat; sed quâ ætate, in controversiâ : sunt enim qui senem et pœnitentem velint hoc opus cudisse; sunt qui antè peccata id fecisse opinentur. Ad hosce posteriores me adjungo : non enim video quo argumento ex Ecclesiaste probetur Salomonis pœnitentia; nusquàm enim de amorum impuritatibus et insanâ mollitie ex quâ ad idololatriam gradum fecit, nusquàm idololatriæ, nusquam peccati etiam in genere mentio, nusquàm verbum quod de admissis verum in animo conceptum dolorem declararet. An fortè satis est in omne flagitium immerso dicere : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas?* Tantùmdem vir quisque sanctissimus, et qui citrà culpam mundi voluptates degustârit, dicere etiam intimo animi sensu poterit. Itaque antè peccata scriptum Ecclesiasten, hæc argumenta jam antè ab aliis annotata mihi persuadent : Primum, quòd cap. 2 studiosè enumeret omnia quæ ad voluptates vanitatesque pertinent, eademque à se degustata dicat, domos, vineas, hortos, pomaria, piscinas, servos, ancillas, armenta, greges, opes, cantores, cantatrices, mensæ supellectilem, palati delicias, etc., quæ omnia si sobriè et moderatè pro cujusque statu et conditione usurpentur, inculpatè usurpari possunt; at effusum in mulieres et libidines animum ne verbo quidem indicat, quod tamen maximè indicari oportuit, si non tantùm à concessis voluptatibus, sed etiam à vetitis sibi in posterùm temperandum decerneret, vel nimiæ hactenùs in eas effusionis pœniteret. Alterum argumentum est, quòd cum omnibus illis voluptatibus eodem cap. 2, dicat, vers. 9, sapientiam etiam perseverâsse secum : quod quomodò dici potuit de eo qui tam fœdè et insipienter per mollitiem et idololatriam deliquerat, non satis video. Crediderim verò etiam Ecclesiasten post Proverbiorum librum compositum : habet enim Proverbiorum liber lacteam magis sapientiam, sive rem ut plurimùm, sive modum proponendi spectes; at Ecclesiastes confirmatam magis et virilem, utpotè quæ jam voluptatum usum et experientiam supponat.

Canticum canticorum quo ætatis tempore à Salomone scriptum sit, etiam disputatur; et alii quidem antè lapsum, alii post lapsum peractamque pœnitentiam volunt. Res hæc etsi incerta sit, potiùs tamen ad eos accessero, qui dicunt Salomonem omnes suos libros antè lapsum scripsisse, quod et indicat Ecclesiasticus cap. 47, asserens eum priùs in cantilenis, proverbiis, comparationibus, interpretationibus admirabilem se præbuisse, ac deindè inclinâsse femora sua mulieribus. Eadem est Josephi lib. 8 Antiq. sententia. Addo verò, parùm videri idoneum fuisse hominem tàm parùm sobrium, tàm mulierosum, qui castissimos Christi et Ecclesiæ amores concineret.

Sapientiæ librum non esse Salomonis, suprà, Sect. 3, diximus, licèt fuisse Salomonis nonnulli recentiores evincere contendant, quod præter argumenta à nobis suprà allata vel hoc ipsum satis indicat, quòd si is à Salomone et Hebraicè scriptus fuisset, haud dubiè in sacrorum librorum Canonem ab Hebræis fuisset receptus. Hoc ergo posito, cùm nullo modo de Scriptore constet, consectarium est, remanere admodùm incertum et obscurum quo tempore is scriptus sit : eo tamen posito quod suprà constituimus, librum hunc ab aliquo Judæo Græcâ eloquentiâ facundo scriptum esse, propè certum videri posterioribus temporibus scriptum esse, et non antè tempora Alexandri magni : antè hæc enim tempora Judæi exteras omnes linguas, maximèque Græcam, aspernati sunt; at imperio ad Græcos devoluto, cùm regno in diversas partes scisso multa vel à Ptolemæis Ægypti regibus, vel à regibus Syriæ paterentur, à quibus etiam non semel subjugati sunt, necessariumque esset ipsis cum Græcis linguæ commercium, coloniis etiam et synagogis in varias Græciæ partes deductis, compulsi fuerunt Græcum sermonem et eloquentiam sibi familiarem facere. Quocircà vix existimo antè tempora Ptolemæi Philadelphi, qui Alexandrum annis quadraginta secutus est, sub quo item illa Septuaginta Interpretum versio ex Hebræo in Græcam linguam facta est, hunc librum conscribi potuisse, cùm anni aliqui fuerint Judæis necessarii ut Græcâ facundiâ imbuerentur, eamque linguam sibi familiarem redderent. Neque item existimo hujus libri scriptionem post hæc tempora dilatam; siquidem sub idem tempus videtur maximè sapientia et doctrina apud Hebræos floruisse, virisque doctis et sapientibus Judæa abundâsse : nam præter Septuaginta illos Interpretes, etiam sub idem tempus vixit Jesus pater Sirach, qui Ecclesiasticum Hebraicè composuit; qui deindè non diù post ab ejusdem nepote Jesu filio Sirach in Græcam linguam conversus est, ut mox dicetur.

Ecclesiasticus Hebræâ linguâ scriptus est ab avo Jesu filii Sirach, itidem Jesu appellato, et in Græcam linguam translatus à nepote ipso Jesu filio Sirach, ut habet Prologus Ecclesiastico ab eodem Jesu filio Sirach præfixus : qui tamen Prologus cùm etiam sit pars Scripturæ sacræ, et ultimum caput Ecclesiastici ab eodem Jesu filio Sirach additum, uterque tàm avus quàm nepos, uti suprà dixi, inter Hagiographos Scriptores numerandi sunt. Quo autem tempore prima illa Hebraica scriptio facta sit, nusquàm disertè indicatur; è tempore tamen translationis in Græcam linguam factæ à nepote non admodùm difficile erit cognoscere. Vertit autem in Græcam linguam Jesus filius Sirach Ecclesiasticum, et in ordinem totam avi sapientiam digessit temporibus Ptolemæi Evergetis, ut habet ipse Jesus filius Sirach in Prologo, ubi et addit : *In octavo et trigesimo anno, temporibus Ptolemæi Evergetis regis.* Ubi de illis octo et triginta annis non parva disceptatio est cujus sint, et undè horum initium sumi debeat. Mihi verò certum est hos annos non esse regni Ptolmæi Evergetis, siquidem is, Eusebii et omnium tàm historicorum quàm chronologorum testimonio, tantummodò sex et viginti annis regnum tenuit : intelligendus ergò fuisse annus trigesimus octavus, ex quo Jesus avus Hebraicè scripserat, vel, quod malim, fuisse annus trigesimus octavus ætatis ipsius Jesu filii Sirach, cùm ad scribendum animum appulit. Quanquàm et illud verosimilius, Jesum filium Sirach sub extremos annos Ptolemæi Evergetis hanc scribendi provinciam suscepisse, cùm S. Hieronymus in Danielis cap. 9, et Eusebius in Chronico, velint id factum Simone Oniæ filio et Simonis Justi nepote Pontificatum tenente; hic autem Simon juxtà Chronicum Eusebii anno duntaxat decimo quinto Ptolemæi Evergetis pontificatum suscepit. Porrò cùm Ptolemæus Evergetes annis viginti sex regnum tenuerit, et qui eum præcessit Ptolemæus Philadelphus, secundus eo nomine Ægypti rex, annis triginta octo regnaverit, qui simul juncti annos sexaginta quatuor efficiunt, non videtur Jesu avi scriptio ad alia ferè quàm ad Ptolemæi Philadelphi tempora referri debere, quo item tempore suam Septuaginta Interpretes versionem absolverunt.

Accedit et aliud argumentum : Ecclesiastici capite penultimo suprà modum laudatur Simon Oniæ filius; sed quis ille fuerit, à multis in dubium revocatur; multisque placuit esse illum sub quo vivebat et se ibebat hæc Jesus filius Sirach : ex quo consectarium fuit, ut caput istud quinquagesimum avo detraherent, qui jam antè vixerat, et nepoti adscriberent. At opinio hæc meo judicio falsissima est; nam quæ in hoc Opere sunt Jesu filii Sirach, cujusmodi est Prologus et ultimum caput, disertè ejus nomen præferunt, vel in decursu produnt, cujusmodi nomen cùm non præferat cap. 50, sed quàdam serie ac connexione præcedentibus capitibus subjiciatur; præcedentia autem illa sint avi, nepotis autem tantùmmodò ut interpretis, debet

et caput 50 censeri avi scriptoris, nepotem autem Jesum filium Sirach tantùmmodò et ibi interpretis officio functum usque ad ultimos versus illius capitis, cùm se in Prologo interpretem fateatur. Accedunt et rationes, non posse de illo Simone cui convivebat Jesus filius Sirach, ista intelligi quæ habentur cap. 50, tùm quia non est verisimile, hominem adhuc in vivis existentem ab Hagiographo Scriptore, atque adeò à Spiritu sancto, tot laudibus fuisse cumulandum; tùm quia iste Simon nihil illustre et memorabile gessit quod sciatur, vel Josephus prodiderit; tùm quia non obscurè indicat Scriptor Hagiographus se de mortuo loqui, cùm ait : *Simon Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vitâ suâ suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit Templum.* Quocircà necesse est caput illud de alio Simone intelligi, qui non tantùm mortuus erat vivente Jesu filio Sirach, sed etiam vivente et scribente ipsius avo. Fuit igitur ille Simon is qui Justus dictus est, gloriæ et justitiæ famâ celebris, avus posterioris illius Simonis Pontificis, cui coævus fuit Jesus filius Sirach. Habuit autem Simon ille Justus etiam patrem nomine Oniam ; hic enim est Judæorum Pontificum ordo à Jaddo qui fuit tempore Alexandri Magni : Jaddus, Onias, Simon Justus, Eleazarus, Simonis Justi frater, relicto à Simone Justo Oniâ duntaxat filio parvulo, Manasses Simonis Justi et Eleazari patruus, Onias Simonis Justi filius, Simon, Onias tertius, cujus viri mentio fit 2 Machab. cap. 3 et 4, imò et 1 Machab., cap. 12. vers. 7.

Hoc posito, jam argumentum facio, ut probem avum Jesu filii Sirach, cujus est caput illud quinquagesimum, non potuisse illud scribere antè tempora Ptolemæi Philadelphi : nam cùm ea scriberentur, mortuus erat Simon ille Justus, cujus ibi laudes celebrantur, ut eo cap. 50, vers. 1, satis insinuatur ; at juxtà Eusebium in Chronico, mortuus est Simon ille Justus eique Eleazarus in Pontificatum successit sub extrema tempora Ptolemæi Lagi, cui successit Ptolemæus Philadelphus, hoc est annis quatuor antequàm Ptolemæus Philadelphus regnum iniret; ergò non est verisimile, antè hujus Philadelphi tempora istas Simonis Justi laudes scriptas esse, vel certè, si quis contentiosiùs velit agere, extremis annis Ptolemæi Lagi.

SECTIO X.

Quo tempore Isaias, Jeremias, Threni, Baruch, Ezechiel, Daniel scripti sint.

Isaias, vir nobilis et è sanguine regio, *prophetavit,* inquit Hieronymus Præfatione in Isaiam, *in Jerusalem et in Judæâ.* Sub quibus autem regibus scripserit, indicat ipse initio Prophetiæ : *In diebus*, inquit, *Oziæ, Joatham, Achas, Ezechiæ, regum Juda.* Et quidem notavit Hieronymus in Isaiæ cap. 14 à cap. 1, usque ad cap. 6, contineri prophetias et revelationes habitas sub Oziâ Rege ; capite verò 6, in quo habetur illustris illa visio Domini sedentis super solium, contineri visionem factam sub Joatham ; à cap. 7 usque ad vers. 28, cap. 14, haberi eas quæ factæ sunt sub Rege Achaz ; ab eo vers. 28 usque ad finem totius prophetiæ haberi eas quas Ezechiâ regnante accepit. Existimatur autem ad Manassis tempora pervenisse, et ab eo, licèt consanguineus esset, et ut Hebræi volunt, referente Hieronymo in Isaiæ cap. 20, ejusdem Manassis socer, occisus, serrâque dissectus, quæ est communis Hebræorum opinio, ut habet Hieronymus ad Matth. cap. 26, quos et ipse sequitur ab Isaiæ cap. 57 initio, et Augustinus lib. 18 de Civitate Dei, cap. 24, et Epiphanius, lib. de Vitâ et morte Prophetarum, et Isidorus, lib. de Vitâ et morte Sanctorum ; eique passim plurimi, teste etiam Hieronymo ad Isaiæ cap. 57, illud quod habetur ad Hebræos, cap. 11, *secti sunt*, vel ut ipse legit, *serrati sunt,* ad Isaiam Prophetam accommodant. Nulla tamen sub rege Manasse Isaiæ prophetia legitur. Non est autem dubium, si is à Manasse interfectus est, id factum primis regni ipsius annis, cùm is crudelissimus exstitit, quæ crudelitas notatur lib. 4 Reg., cap. 21, vers. 16, atque adeò Isaiæ mortem antecessisse Babylonicam captivitatem plùs centum annis, cùm ab initio regni Manassis usque ad captivitatem Babylonicam sint anni centum et decem vel undecim. Est autem verisimile, sub extrema tantummodò tempora regni Osiæ, qui annis quinquaginta duobus regnum tenuit, cœpisse prophetare, cùm ab initio regni Osiæ usque ad Manassem Regem sint anni 113, quo toto tempore non est credibile vixisse Isaiam, nedùm prophetâsse.

Jeremias, quandò suas Prophetias ediderit, ex ipsomet discere possumus cap. 1, vers. 2 et 3. *Quod factum verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filii Amon regis Juda, in tertiodecimo anno regni ejus. Et factum est in diebus Joakim filii Josiæ regis Juda, usque ad consummationem undecimi*

anni Sedeciæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigrationem Jerusalem, in mense quinto. Ad quæ verba ità Hieronymus : *Jeremias cùm esset adhuc puer, prophetare cœpit anno tertiodecimo Josuæ filii Amon regis Juda, prophetavitque in imperio ejus annis decem et novem ; et posteà sub Joakim filio ejus annis undecim ; et sub Sedeciæ, qui ultimus fuit regum Juda annis undecim, usque ad quintum mensem, quandò à Babyloniis capta est Jerusalem. Joachaz verò et Jechoniæ terni menses (quorum alter in Ægyptum, alter cum matre ductus est in Babylonem) in supradictis annis computantur; ac per hoc ab exordio prophetiæ suæ usque ad captivitatem Jerusalem, in quâ et ipse captus est, prophetavit annis quadraginta et uno, præter illud tempus, quandò ductus est in Ægyptum ; ibique prophetavit in Taphnis, ut hoc ipso volumine continetur.* Itaque ex his habemus primum Jeremiam cœpisse prophetare puerum, seu valdè juvenem, quod et ipsum indicant verba illa cap. 1, vers 6 : *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia sum ego puer.* Quibus verbis Prophetæ officium deprecatur, causatus tùm scientiæ et eloquentiæ, tùm ætatis defectum. Secundò, vixisse et prophetâsse paulò antè captivitatem Babylonicam, in quâ etiam prædicendâ ferè totus est, eidemque interfuisse, et post eamdem captivitatem aliquandiù vixisse, ac tandem Ægyptum adiisse, ibique prophetâsse, ubi et mortuus est. Id autem ità accidit : Captâ et incensâ urbe, Jeremias, quem satis constabat Chaldæis auctorem fuisse Sedeciæ regi et principibus sese ut Babylonio regi dederent, cùm captus esset, et cum cæteris vinctus, liber dimissus est ut vel in Babylonem iret vel ut in terrâ Juda cum pauculis, qui in eâ relinquebantur, resideret, elegit ipse in Judæâ remanere, ut habes Jeremiæ cap. 40, pauculisque Judæis, qui relicti fuerant, prophetavit, dissuasitque modis omnibus, ne qui remanserant Judæi in Ægyptum descenderent, cap. 42 cùm tamen eo non obstante abiissent in Ægyptum, cap. 43, et postmodùm cap. 44, idola, Deo deserto, coluissent, contrà eosdem Jeremias iisdem capitibus in Ægypto prophetavit, atque ab iisdem tandem ibidem lapidibus obrutus est, ut indicant Epiphanius, lib. de Vitâ et morte Prophetarum, Isidorus lib. de Vitâ et morte Sanctorum, Tertullianus in Scorpiaco, cap. 8, et alii. Quandiù autem in Ægypto fuerit, non constat planè; attamen non videtur ibi totos quinque annos commoratus, sed antè cæsus à suis fuisse : siquidem priùs videtur fuisse interfectus, quàm Nabuchodonosor Ægyptum invaderet, eamque Ægyptiis cladem inferret quam Jeremias ipse prædixerat, quâ et involuti Judæi, qui Jeremiâ dissuadente in Ægyptum profugerant; at illa Ægypti clades, teste Josepho, lib. antiq. 10, cap. 11, facta est anno quinto ab eversâ Jerosolymâ. Adde, cum Jeremiâ in Ægyptum abiisse etiam Baruch, ut habetur Jeremiæ 43, vers. 6; at Baruch anno quinto ab excisâ à Chaldæis Jerosolymâ Babylone erat, ut liquet ex principio Prophetiæ Baruch. Quæ res argumento est certissimo Jeremiam mortuum fuisse : neque enim, si viveret, discipulus magistrum reliquisset. Porrò satis manifestum est, Jeremiam in digerendis suis Prophetiis non servâsse ordinem temporum; nam caput 22, pertinet ad tempora regis Jechoniæ, cùm tamen caput 21, præcedens ad tempora Sedeciæ ultimi Regis pertineat : quin et capita 25, 26, 27, ad tempora Joakim pertinent, qui Jechoniam et Sedeciam antecessit, uti et capita 35 et 36 ; at caput 34 ad tempora Sedeciæ et obsidionis urbis posteriora pertinet. Simile hysteron proteron passim alibi in totâ ejus Prophetiâ cernere est.

Ejusdem Jeremiæ sunt Threni, seu *Lamentationes Jeremiæ* dictæ, quas res ipsa satis indicat ab Jeremiâ scriptas peracto jam à Chaldæis urbis excidio, et adhibitas ad hujus excidii luctum et complorationem, quod et indicat Præfatiuncula Threnis ipsis præfixa, cujuscumque tandem ea sit auctoritatis. Non defuerunt tamen seu Rabbini, seu Catholici nonnulli, qui asseruerunt Threnos hosce antè captivitatem Babylonicam fuisse ab Jeremiâ compositos ad deplorationem non excidii jam facti, sed animo prævisi, huncque volunt fuisse librum quem rex Joakim combussit, cap. 36. At hoc Rabbinicum est somnium; satis enim liquet librum illum fuisse propheticum, et de rebus futuris, non jam factis, ut satis indicat illius caput 36, vers. 2, et multò clariùs vers. 29, ubi et verba hæc dicuntur in eo volumine fuisse : *Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illâ hominem et jumentum :* quæ tamen nusquàm in Threnis cernuntur.

Baruch Prophetia quando scripta sit, indicatur cap. 1, vers. 2 : *In anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem, et succenderunt eam igni.* Quis autem ille sit mensis, videtur in textu nostro obscurius ; attamen satis apparet indicari annum quintum ab excisâ Jerosolymâ, ejusdemque anni mensem quintum, cùm dicatur : *In tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem,* hoc

est, sub illud anni tempus, quo Jerosolyma à Chaldæis capta est et incensa ; id autem factum est mense quinto, septimà die mensis, ut habetur 4 Reg., ult. vers. 8; eritque res hæc paulò clarior, si præterita illa : *ceperunt, succenderunt*, sumantur, ut sumi debent, pro plus quàm perfectis *ceperant, succenderant*. Eadem in Græco textu quæ in nostro est obscuritas ; at Tigurina versio rem hanc dilucidè expressit : *Anno quinto, septimâ die mensis ejus, quo tempore Chaldæi expugnaverunt Jerosolymam, ignique succenderunt*. Locus autem in quo et scripta est et lecta hæc Prophetia, fuit Babylon, ut indicatur vers. 3 et 4; nam et Jechonias Babylonem abductus erat, ibidemque captivus detinebatur. Quâ autem occasione factum sit ut Baruch Babylonem commigrârit ex Ægypto, etsi non omninò constet, crediderim tamen factum, quòd cùm ab Jeremiâ intellexisset gravem à Chaldæis Ægypto cladem imminere, Jeremiâ mortuo judicârit è re suâ esse ad suos qui Babylone erant proficisci, præsertim cùm apud Judæos, qui in Ægypto erant, in perfidiâ obstinatissimos, nihil proficeretur.

Nota tamen, Baruch Prophetiæ ultimo cap. additam Jeremiæ Epistolam, quam ipse ad suos Judæos transmiserat, cùm in Babyloniam abducerentur captivi; de cujus scriptionis tempore non potest esse difficultas, cùm ad captivos abducendos in Babyloniam destinetur, non jam abductos, nempè quo tempore abducti urbe jam in itu erant Babylonem versùs.

Ezechielem sub ejusdem Babylonicæ captivitatis tempora Babylone prophetâsse, certum habemus ex ipsius quæ initio habentur prophetiæ verbis : *Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quintà mensis, cùm essem in medio captivorum juxtà fluvium Chobar*. Hìc de mense et die mensis disertè habemus. At quis sit ille trigesimus annus, an ætatis Prophetæ, an Jubilæi, an inventi sub Josiâ libri Deuteronomii, an æræ Babylonicæ, non parva disceptatio est. Attamen undecumque ea numeratio fiat, in sequentibus satis Propheta declarat quis annus iste fuerit, dùm ait : *In quintâ mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachim*. Igitur initium prophetandi fecit Ezechiel anno quinto transmigrationis regis Joachim, cum quo et ipse Ezechiel abductus fuerat, ut disertè ipse indicat cap. 40, vers. 1. Fuit autem is annus itidem quintus regni Sedeciæ, sextus verò antè completam captivitatem Babylonicam, seu urbis Templique excidium ; et ab hoc anno transmigrationis suæ et Joachim deinceps suarum prophetiarum tempora idem Propheta denotat. Prophetâsse autem usque ad decimum quartum annum incensæ et dirutæ urbis, indicat cap. 40, vers. 1.

Ex quibus liquet, ferè coævum fuisse Ezechielem Jeremiæ, et utrumque aliquo tempore simul prophetâsse, Ezechielem tamen paulò posteriorem esse Jeremiâ, utpotè qui post Jeremiam anno trigesimo quinto, ut vult Hieronymus ad cap. 1 Jeremiæ, vel potiùs anno trigesimo quarto, prophetare cœperit; tot enim anni sunt à decimo tertio Josiæ usque ad quintum transmigrationis Jechoniæ.

Danielem suâ partim historiâ, partim prophetiâ totum Babylonicæ captivitatis tempus tenuisse, et annos aliquot priores, aliquot posteriores, manifestum est, licèt verisimilius sit non incœpisse Danielem scribere nisi completâ jam captivitate : siquidem ipse puer traductus fuit in Babylonem cum Joakim rege Juda anno tertio regni ejus, quæ fuit prima Judæorum transmigratio, regnante adhuc apud Babylonios Nabuchodonosoris patre, quem Nabobonassar, Nabulassar, vel Nabopolassar scriptores nominant. Berosus etiam apud Josephum, lib. 10 antiq. cap. 11, Nabuchodonosorem seniorem vocat : necdùm enim per id tempus regnâsse Nabuchodonosorem illum qui Jerosolymam cepit et incendit, manifestum est ex Jerem. cap. 25, vers 1, ubi annus quartus Joakim concurrit cum anno primo Nabuchodonosoris regis Babylonis. Neque obstat quòd ab ipso Nabuchodonosore facta sit ea expeditio, vel quòd ipse rex Babylonis appelletur tempore istius expeditionis Dan. 1, vers. 1 et 2, Paralip. cap. 36, vers. 6 et 3, Esdræ cap. 1, vers. 40; jam tùm enim vivente patre, sed ætate et viribus effæto, ipse eodem auctore bellicas hasce expeditiones suscepit, ut ex Beroso Chaldæo apud Josephum lib. 10 Antiq. cap. 11, liquet. Rex autem appellatur, vel quia ipse cum patre regnabat, et præcipua regni negotia administrabat, vel per prolepsim aliquam, eamque familiarem et facilem : sive quia jam regnabat cùm ista conscriberentur, sive quia mox ab illis expeditionibus Babylonem reversus, invento patre mortuo, regnare cœpit. Porrò, etsi primâ illâ transmigratione Joakim rex catenis vinctus fuerit Babylonem abductus, non tamen ibi diù permansit, sed non multò post rediit, cùm anno regni ipsius quarto suis jam restitutus esset, et Jerosolymæ ageret, Jerem. 25. Retentus est tamen Daniel, et alii pueri è sanguine regio, sive fidei, quam

Joakim promiserat, obsides, sive aliam ob causam. Sunt autem anni à tertio Joakim anno usque ad captam et incensam urbem, viginti, quandoquidem quartus Joakim cum primo Nabuchodonosoris concurrebat, et annus decimus Sedeciæ cum decimo octavo Nabuchodonosoris, ut habetur Jerem. 52, vers. 1, et annus captæ urbis cum anno decimo nono Nabuchodonosoris, ut habetur 4 Reg. ult., vers. 8, et Jerem. cap. ult., vers. 12. Et verò anni Joakim novem, et undecim Sedeciæ, viginti efficiunt. Pervenit autem Daniel usque ad tertium annum regni Cyri, cujus mentionem facit Daniel, cap. 10, vers. 1. An et quandiù ulteriùs vixerit non constat. Ex quo liquet, Danielem saltem annis circiter centum vixisse : septuaginta enim Babylonicæ captivitatis anni et viginti qui antecesserunt, et tres qui captivitate solutâ secuti sunt, nonaginta tres efficiunt : cùm autem in Babyloniam puer ductus est, minimùm sex, septem, octo annos habere debuit. Porrò septuaginta captivitatis annos numero non à Josiæ regis decimo tertio, non à Joakim tertio, non à Jechoniæ transmigratione, ut alii volunt, sed ab urbe captâ et eversâ, quorum finis sit anno primo Darii Medi et Cyri Persarum regis, ut probabimus lib. 2 Paralip., cap. ult., vers. 21 (1).

SECTIO XI.

Quo tempore duodecim Prophetæ minores, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, suas prophetias conscripserint.

Osee Propheta sub quibus regibus prophetaverit, ipse initio suæ prophetiæ exprimit : *In diebus Osiæ, Jonatham, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas, regis Israel.* Ex quo liquet, Osee sub iisdem regibus Juda prophetâsse, sub quibus et Isaias prophetavit, cùm uterque eosdem quatuor reges Juda exprimat : quocircà et in præfatione in duodecim Prophetas Hieronymus Osee coævum Isaiæ statuit. Nihilominùs statuendum est Osee priorem fuisse Isaiâ ; siquidem, uti suprà diximus, non est credibile Isaiam omnes illorum regum annos suâ prophetiâ fuisse complexum, cùm à regni Osiæ auspiciis usque ad ultimum Ezechiæ sint anni 113. Porrò, cùm Isaias ad tempora Manassis pervenerit, debuit sub extrema duntaxat Oziæ regis tempora prophetâsse, à cujus morte usque ad Manassem sunt adhuc sexaginta et unus anni ; at Osee primis etiam temporibus Oziæ seu Azariæ regis prophetâsse dicendus est, quandoquidem ipse addat : *et in diebus Jeroboam filii Joas, regis Israel ;* iste enim Jeroboam regnavit antè Oziam ; siquidem anno vigesimo septimo Jeroboam, cœpit Ozias regnare, ut habetur lib. 4 Reg., cap. 15, vers. 1. Quanquàm quomodò illi viginti septem anni intelligendi sint, paulò sit obscurius, illud saltem constat, Jeroboam cœpisse regnare antè Oziam, nimirùm quatuordecim annis, et multis annis antè Oziam defunctum esse. Cùm autem Ozias regnaverit annis quinquaginta duobus, et Jeroboam uno et quadraginta, necessarium videtur ut Osee antè exactam ab Oziâ dimidiam in regno annorum partem cœperit prophetare, si vivente Jeroboam id factum sit, atque adeò Isaiam prophetando antecessisse, neque potuisse ad tempora Manassis, quæ attigit Isaias, pervenisse, nisi velimus ab initio prophetiæ ipsius usque ad mortem annos centum vel plures intercessisse. Illud itaque verisimilius, anno fortè circiter Oziæ vigesimo, vel etiam antè, vivente adhuc Jeroboam, prophetare cœpisse, et ad Ezechiæ duntaxat primos annos pervenisse ; sic enim erunt anni prophetiæ ipsius adhuc circiter septuaginta, cùm à vigesimo anno Oziæ usque ad Ezechiam sint anni sexaginta quatuor. Et ad sextum Ezechiæ annum pervenisse necesse est fateri, si, ut vult Hieronymus, Osee non tantùm prophetavit captivitatem decem tribuum, sed etiam eam vidit, et post eam vixit ac vaticinatus est ; siquidem ea captivitas facta est Ezechiæ anno sexto. Verba Hieronymi sunt initio Commentariorum in Osee Prophetam : *Hoc dicimus, ut tibi breviter ostendamus, Osee Prophetam et antè captivitatem Israel et post captivitatem ejus vaticinatum ; et tàm vicinam quàm præsentem et præteritam vidisse, et denuntiâsse venturam, et luxisse ingruentem.* Addo denique, videri Osee omnium Prophetarum, qui prophetias suas nobis scriptas reliquerunt, primum fuisse, quandoquidem et primus sit ordine inter duodecim Prophetas minores, et Isaiam cæterosque Prophetas majores anteiverit ; quod ipsum asserit Hieronymus initio Commentariorum ad prophetiam Ozee, idque tùm ipse tùm alii multi putant significari verbis illis initio prophetiæ ipsius : *Principium loquendi Domino in Osee.*

Joel quo tempore et sub quibus regibus prophetare cœperit, non ità liquidum et perspicuum est, cùm ipse initio prophetiæ suæ nullos, sub quibus vixerit vel prophetaverit, re-

(1) Vide commentarium in Danielem.

ges exprimat. Nihilominùs asserendum est, eodem tempore cum Osee et sub iidem regibus prophetâsse : imò cum unica sit prophetia, et unicus totius prophetiæ contextus, videri sub primo rege Oziâ, et vivente adhuc Jeroboam rege Israel prophetiam suam accepisse, paulò tamen posteriùs quàm Osee cœpisse prophetare. Hæc omnia nobis probanda sunt. Quam ad rem notandum Prophetas majores quidem secerni à minoribus; at inter majores servari ordinem temporis quo prophetârunt; nam Isaias Jeremiam, Jeremias Ezechielem, Ezechiel Danielem quoad prophetiæ et scriptionis tempus antecessit. Idem quoque servatum est in minoribus Prophetis, ut qui tempore præiret, habitâ ratione initii facti prophetiæ, is etiam in ordine præiret, ut cernere est in omnibus qui prophetiæ suæ tempus, vel reges sub quibus prophetârunt, initio adscripserunt; omnes enim ut in ordine, ità ætate se consequuntur : quod usque adeò verum est, ut cùm Aggæus Zachariam prophetando duobus tantùm mensibus anteiverit, ut ex utriusque prophetiæ initio manifestum est, ipse tamen ordine sit antepositus. Consentit Hieronymus præfatione in duodecim Prophetas, ubi et generale hoc documentum quasi traditione per manus acceptâ refert : *In quibus*, inquit, *tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetâsse, sub quibus et hi qui antè eos habent titulos, prophetaverunt.* Quod tamen ità intelligendum est, ut si plures reges à priori nominati sint, intelligatur sequens, qui sine titulo est, sub aliquo illorum, saltem postremo, prophetâsse : quod maximè necessarium est intelligi, siquandò ratione contextûs tota prophetia uno tempore facta intelligi debet, nec posse ad diversorum regum tempora ratione diversarum partium pertinere, ut videtur in Joele et Abdiâ factum esse. Addo tamen, esto hæc Hieronymi regula non sit ità certa, uti et ab eâ ipse discedit in Habacuc; altera tamen quæ ex ordine Prophetarum sumitur, est longè verior et certior, nempè ut is tempore prophetando antecesserit, qui in Bibliis ordine prior est. Ex his nunc Joelis tempora manifestè deduco, totamque ejus prophetiam ad Oziæ Regis Juda et Jeroboami Regis Israel tempora pertinere liquidè ostendo. Cùm enim is titulo careat, debet ex documento illo et traditione quam adfert Hieronymus, pertinere ad tempora regum ab Osee nominatorum, Oziæ, Joatham, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, et Jeroboami regis Israel, vel certè ad tempus alicujus istorum. Ulteriùs verò, cum is qui sequitur Amos Propheta, ut in ipsius præfertur titulo, sub primis regibus Oziâ et Jeroboam prophetârit, atque adeò non diù post Osee, debet ergò qui illum tempore antecessit Joel etiam sub iisdem regibus prophetâsse : igitur non sub aliis Regibus quàm sub Oziâ rege Juda, et Jeroboamo rege Israel, præsertim cùm prophetia ipsius non videatur in diversas partes secari posse, ità ut ad diversa tempora referatur. Et hæc manifestè est sententia Hieronymi, cujus hæc verba sunt Præfatione in Joelem : *Tempora*, inquit, *quibus prophetavit, eadem debemus accipere quæ in Osee legimus, in diebus Oziæ, Joatham, Achaz et Ezechiæ, regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel.* Quæ verba initio Commentariorum in Joelem repetit. Item initio Commentariorum in Isaiam sic ait : *Uno quidem atque eodem tempore Isaiam, Osee, Joel et Amos prophetâsse, ex Regibus qui ponuntur in titulo cognoscimus.* Quod verum esse non potest, nisi quæ à nobis tradita sunt documenta ad eruenda Prophetarum tempora vera sint, quandoquidem nullum in titulo tempus vel regem Joel præfixerit. Idem initio Commentariorum in Osee hos et alios plures etiam sequentes coævos facit : *Ex quo perspicuum est*, inquit, *prophetante Osee, Isaiâ et Joel, et Amos et Abiâ, et Jonas et Michæâ, qui* σύγχρονοι, *id est, contemporanei ejus fuerunt, regnum decem tribuum esse finitum.* Item initio Commentariorum in Amos ordinem recensens inter hosce Prophetas, ait primum ex his prophetâsse Osee, secundum Joel, tertium Amos. Et ibidem paulò infrà de Jeroboam rege loquens : *Jeroboam verò*, inquit, *non est filius Nabath, qui peccare fecit Israel, sed filius Joas, filii Joatham, filii Jehu, pronepos ejusdem Jehu, sub quo prophetaverunt Osee et Joel et Amos.* Ecce quomodò disertè asserat Joelem sub Jeroboam prophetâsse. Joelem etiam eodem cum Osee et Isaiâ tempore prophetâsse, asserit Eusebius in Chronico, licèt ad Joathami tempora hujus prophetiam referat.

Amos Prophetam sub iisdem regibus, Oziâ rege Juda et Jeroboam rege Israel, prophetâsse, ex iis quæ de Joele diximus manifestum est, et ipsemet initio prophetiæ apertè indicat; sed addit ipse : *antè duos annos terræ motus*, quibus verbis non dubium est, certum aliquod regni Oziæ et Jeroboami tempus voluisse indicare. At quandò terræ motus ille acciderit non constat, cùm de eo nusquàm Scriptura alibi meminerit, præterquàm Zachar. 14, vers. 5 : *Et fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus*

Oziæ, regis Juda. E quo tamen loco nihil certum ac definitum; quo tempore regni Oziæ is contigerit, exprimere possumus. Hebræi, teste ad eum locum Hieronymo, et Josephus 9, Antiq., cap. 11, aiunt eum terræ motum accidisse, quo tempore Ozias, Sanctuarium ingressus ut adoleret incensum, leprâ percussus est. At ii perspicuè falluntur : quo enim tempore Ozias sacrilegum illud facinus aggressus est, habebat filium Joatham, eumque non puerum, sed jam adultum, utpotè qui judicare et regni negotia administrare posset, ut habetur 4 Reg., cap. 15, vers. 5 et 2, Paralip. cap. 26, vers. 21; debuit igitur nimirùm octodecim vel viginti annorum esse; successit autem patri mortuo annos natus viginti quinque, 4, Reg., cap 15, vers. 33 et 2, Paral. cap. 27, vers. 1, ergò necesse est regni Oziæ postremis annis id facinus tentatum fuisse. At terræ motum illum necesse est Joathamo necdùm nato contigisse, quandoquidem acciderit vivente adhuc Jeroboamo Rege Israel, cùm is nimirùm viginti septem annis antè Oziam ex hâc vitâ decesserit. Quocircà necesse est, terræ motum hunc ad priora regis Oziæ tempora referri.

Abdias de suæ prophetiæ tempore nihil prodit : quæ ratio est cur nonnulli crediderint, de eâ re, utpotè obscurissimâ et incertissimâ, nihil posse definiri. Hebræi in Seder Olam, referente etiam initio Commentariorum in Abdiam Hieronymo, censuerunt Abdiam tempore Achab regis Israel et Josaphat regis Juda prophetâsse, nimirùm annis plus centum antè Osee Prophetam, esseque illum domûs Achab œconomum Deum timentem, 3 Reg., cap. 18, qui Jezabele Prophetas Domini occidente, centum ex illis occultârit in speluncis et clàm aluerit. Hos visus est fuisse secutus Eusebius in Chronico, qui Josaphati regis tempore ait : *Apud Hebræos prophetabant Abdias, Jehu, Ozias, Michæas;* at id perspicuè falsum est de Oziâ et Michæâ, si per Oziam Osee intelligat, et per Michæam eum qui suas nobis prophetias scriptas reliquit, ut ex eorum præfixis initio titulis cognoscimus. Neque ad id de Abdiâ asserendum sufficiens aliquod fundamentum est, siquidem Hebræi divinant : neque ex eodem nomine ad id statuendum sufficiens argumentum sumitur. Sequendæ autem in eâ re regulæ à nobis suprà positæ, et hujus prophetia etiam ad Oziæ tempora referenda est, cùm is qui præcessit Amos eadem Oziæ tempora initio suæ prophetiæ consignet, et juxtà regulam ab Hieronymo traditam, signando Propheta tempus et reges sub quibus prophetârit, initio suæ prophetiæ non profert, censetur ad eadem tempora cum eo qui præcessit pertinere. Rursùm, ordo Prophetarum id indicat : cùm enim Michæas, qui sequitur, tempore Joatham filii Oziæ prophetârit, debet Abdiæ prophetia ad Oziæ tempora pertinere. Ità Hieronymus initio Commentariorum in Osee Prophetam, hos omnes, Osee, Isaiam, Joelem, Amos, Abdiam, Jonam, Michæam, συγχρόνους, id est contemporaneos facit, ut suprà diximus cùm de Joele Prophetâ ageremus. Cyrillus item initio Commentariorum in Abdiam ait illum Joelis tempore prophetâsse.

Jonam Prophetam, etsi carentem titulo qui tempus prophetiæ prodat, ex iisdem principiis ad eadem Oziæ tempora pertinere probari potest, ità ut quidquid de Abdiâ dictum est, etiam ad Jonæ tempora comprobanda pertinet. Et verò ad Oziæ et Jeroboami tempora Jonæ prophetiam refert Eusebius in Chronico; Josephus 9 Antiq., cap. 11, Hieronymus paulò antè citatus initio Commentariorum in Osee, Hebræi passim, teste Hieronymo Proœmio ad Commentarios Jonæ. Addo verò, hoc ipsum ex Scripturâ satis constare; siquidem Jonas initio prophetiæ dicit se Jonam filium Amathi; at de Jonâ filio Amathi fit mentio lib. 3 Reg., cap. 14, Jeroboami regis Israel tempore, ejusdemque prophetiæ ad Jeroboamum regem, ut dubitari non possit esse eumdem qui scriptas nobis suas prophetias reliquit; quemadmodùm eumdem facit Josephus, lib. 9 Antiq., cap. 11, et Hieronymus Proœmio in Jonam. Et verò isto tempore florebat regnum Assyriorum, et stabat Ninive regia Assyriorum civitas, quæ à Jonâ delenda prædicebatur; sed iis pœnitentiam agentibus veniam à Deo esse datam ex Jonâ discimus; postmodùm verò ad pristina vitia relapsis, Ninive subversam esse regnante apud Judæos Josiâ, et apud Medos Astyage, in eodem suprà Proœmio observat Hieronymus.

Michæas initio suæ prophetiæ tempus prodit, dùm ait : *Verbum Domini quod factum est ad Michæam Morasthitem in diebus Joatham, Achaz, Ezechiæ, regum Juda.* Itaque hic præcedentes Prophetas nonnihil secutus est : nam præcedentes omnes sub Oziâ Joathami patre prophetârunt, et Jeroboamo Israelitarum rege; at hic tantùmmodò sub Joatham cœpit, pervenitque unà cum Osee ad Ezechiæ tempora. Ex quo liquet, hunc Michæam Prophetam longè diversum esse ab illo Michæâ Prophetâ, cujus fit mentio lib. 3 Reg., cap. 22, et lib. 2 Paral., cap. 18, quique temporibus Achab regis Israel, et Josaphati regis Juda, vixit et prophe-

tavit; is enim facilè centum et quadraginta annis Michæam, de quo hic agimus, antecessit. Meminerunt Michææ hujus seniores Juda apud Jeremiam, cap. 26, vers. 18, ejusque prophetiam factam Ezechiæ regis tempore, è cap. 3 Michææ sumptam proferunt.

Nahum, qui Ninive propinquum excidium vaticinatus est, etsi tempus prophetiæ initio non præferat, Jonam tamen prophetando secutum esse omnium consensio est, nempè ut quam suæ urbis ruinam à Jonâ prædictam pœnitentiâ Ninivitæ depulerant, eam nunc absolutè futuram Nahum prædicat, postquàm ea urbs ad sua latrocinia, rapinas, Gentium oppressiones, aliaque scelera rediit. Quo tamen rege, vel quo præcisè tempore ea Prophetia scripta sit, non una est opinio. Hebræi in Seder Olam, et passim alii Hebræi tàm antiqui quàm hujus ævi, referunt ad tempora Manassis. Nonnulli etiam ad posteriora tempora: siquidem Clemens Alexandrinus ait post Ezechielem vaticinatum esse, et Paulus de Palacios post excidium Templi et urbis, Babylonicâ stante captivitate. Sed horum opiniones omni propemodùm probabilitate carent. Sunt aliæ opiniones duæ quæ plus verisimilitudinis habent: una est Josephi, lib. Antiq. 9, cap. 11, qui ad Joathami tempora refert, nimirùm postquàm Theglathphalasar rex Assyriorum duas tribus Zabulon et Nephthali, cum dimidiâ tribu Manasse Transjordaninâ, in Assyriam traduxerat, ut habetur lib. 4 Reg., cap. 15. Et verò Joatham est primus Rex qui in præcedenti Michææ prophetiâ nominatus est. Altera est, id contigisse sub Ezechiâ rege ultimo à Michæâ nominato, quam opinionem meritò Hieronymus, Ribera, Tena, Torniellus, aliique præcedenti prætulerunt, et ego præfero. Sed inter hos tamen adhuc nonnulla dissensio nata est ex diversis Hieronymi locis, qui inter se videntur non constare; nempè ad quos Ezechiæ regis annos eam prophetiam referri oporteat: nam plerique ad tempus, quod consecutum est captivitatem decem tribuum, factam à Salmanasar anno sexto Ezechiæ, et quod antecessit urbis Jerosolymitanæ obsidionem, factam à Sennacherib anno ejusdem Ezechiæ decimo quarto, referunt, inter quos est Ribera et Torniellus, quorum hic ad decimum tertium Ezechiæ annum paulò antè urbis obsidionem et adventum Assyriorum refert. At Tena vult prophetâsse initio regni Ezechiæ antè adventum Salmanasar, et priusquàm abductæ essent ab eo decem tribus Israel in Assyriam, Riberæque explicationem impugnat, qui conatur Hieronymum cum Hieronymo conciliare: nam Hieronymus in Proœmio Commentariorum in Nahum disertè asserit post adventum regis Assyriorum prophetâsse Nahum; at in alio Prologo ejusdem Hieronymi, qui est in Glossâ ordinariâ antè prophetiam Nahum, habetur prophetâsse antè adventum regis Assyriorum, quod Ribera explicat, meoque judicio rectè, de rege Sennacherib; at Tena vult intelligi de rege Salmanasar. Verùm ut ea res meliùs intelligatur, distinguendi sunt tres adventus trium regum Assyriorum diversorum in regionem Israeliticam: unus fuit Teglathphalasar, anno ultimo Oziæ regis, quo tempore duas tribus cum dimidiâ magis Boreales in Assyriam abduxit; alter Salmanasar, anno post trigesimo nono, regis Ezechiæ sexto, quo reliquiæ decem tribuum in Assyriam abductæ sunt; tertius fuit Sennacherib, anno decimo quarto Ezechiæ; qui, quòd Ezechias rex nollet consueta tributa persolvere, Judam et Jerusalem evertere parabat. Nunc dico, esto Hieronymi Prologum illum apud Glossam ordinariam admittamus (nam nusquàm in Hieronymi scriptis reperitur, et videtur ex diversis Hieronymi laciniis concinnatus), non posse tamen aliter intelligi, cùm ait antè adventum regis Assyriorum Nahum fuisse vel prophetâsse, quàm de adventu Sennacherib: non enim dicit, ut videtur velle Tena: *antè adventum regis Assyriorum, qui populum Israel captivum in suam regionem posteà transtulit;* sed, *qui populum Israel captivum in suam regionem transtulerat.* At quis non videat, verba illa significare, rem illam antè adventum jam esse factam? et quis non potiùs hæc intelligat de omnibus decem tribubus, quàm de duabus illis cum dimidiâ à Teglathphalasar abductis? Deindè, non posse ità Hieronymum conciliari, quemadmodùm vult Tena, manifestum est: siquidem in Proœmio Commentariorum loquens de hujus Nahum prophetiâ, perspicuè ait: *Jam enim decem tribus ab Assyriis ductæ fuerunt in captivitatem. sub Ezechiâ rege Juda, sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati adversùm Niniven visio cernitur. Nec erat parva consolatio tàm his qui jam Assyriis serviebant, quàm reliquis qui sub Ezechiâ de tribu Juda et Benjamin ab iisdem hostibus obsidebantur, ut audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos.* Quæ verba ità clara sunt ut Tenæ explicationem apertissimè refellant; imò ex iis Hieronymi verbis potiùs eliceretur id factum sub ipsum tempus obsidionis urbis Jerusalem, cùm dicat: *quàm reliquis qui sub Ezechiâ de tribu Juda et Benjamin ab iisdem hostibus obsidebantur;*

quod tamen ità intelligendum est, ut idem sit quod, mox obsidendi erant; vel certè non ad prophetiam id est referendum, sed ad consolationem, nempè ut prophetia jam antè facta eorum consolationi postmodùm serviret qui obsidebantur. Ne quis verò putet aliter Hieronymum in altero isto Prologo apud Glossam ordinariam præfixo sensisse (si tamen is Hieronymi est) manifestè liquet, qui eadem ibi sub finem totidemque verbis habet, quæ ex Commentariorum Proœmio attulimus, ut non sit credibile in eodem Prologo esse sibi ipsi contrarium. Maneat ergò, hanc prophetiam scriptam esse post Ezechiæ annum sextum, et post eam quæ facta est sub Salmanasar reliquarum decem tribuum transmigrationem, imò non diù antè Jerosolymitanæ urbis obsidionem, ut Ribera et Torniellus, imò et Hieronymus volunt.

Habacuc quo tempore scripserit, nec ipse prodit, et inter auctores non parva dissensio est : nam Theodoretus in Prologo duodecim Prophetarum, eum post Sophoniam ordine temporis collocat. Hieronymus in Proœmio Habacuc contrà regulam non semel à se traditam, quâ cum Hebræis vult Prophetiæ alicujus tempus, qui suæ prophetiæ tempus non consignat, debere censeri esse illud ipsum sub quo præcedens prophetavit, censet etiam post duorum tribuum captivitatem prophetâsse ob historiam illam, quæ habetur Danielis ult. cap., in quâ refertur Habacuc Prophetam ab Angelo è Judæâ in Babylonem delatum, prandium Danieli attulisse; quod haud dubiè factum captivitatis tempore, et Babyloniis adhuc imperium obtinentibus, ut ex ipsâ historia non obscurè colligitur, præterquàm quòd Habacuc mortuum biennio antè solutam captivitatem scribant Epiphanius lib. de Vitâ et morte Prophetarum, Dorotheus in Synopsi, Isidorus de Vitâ et morte Sanctorum. Vixit igitur captivitatis tempore, et Chaldæorum eversionem, sicuti Nahum Ninivitarum antè prædixerat, prænuntiavit. Nihilominùs standum in regulâ suprà positâ, hunc debere præire Sophoniam; cùmque Sophonias Josiæ regis tempore prophetaverit, debuisse nimirùm ejusdem regis tempore, antè Sophoniam tamen, prophetare; etsi servanda hìc sit Hieronymi et Hebræorum regula, etiam Ezechiæ regis tempore id fecisse, cùm Nahum præcedens sub eodem rege prophetârit. Et verò non videtur dubitari posse, antè captivitatem Babylonicam hunc prophetâsse, imò antequàm impeterentur Judæi à Chaldæis, cùm non tantùm hic Propheta Chaldæorum excidium prophetet, sed etiam Jerosolymorum aliarumque Gentium excidium à Chaldæis inferendum, cap. 1 : *Quia ecce ego*, inquit, *suscitabo Chaldæos, Gentem amaram et velocem, etc.* Verùm ad Ezechiæ vel Josiæ Regis tempora, saltem posteriora, quandò religio et pietas vigebat, minùs commodè videatur prophetia hæc referri posse, cùm Propheta sui temporis impietatem initio videatur deplorare à vers. 2 usque ad vers. 6 et inter cætera vers. 4, habet : *Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium ; quia impius prævalet adversùs justum, propterea egreditur judicium perversum.* Quæ querimonia rectiùs videatur adaptari primis temporibus regis Manassis. Quocircà Hebræi in Seder Olam, et Torniellus hanc prophetiam ad Manassis regis tempora referunt, quibus non illibenter assentior. Si tamen cum Riberâ ad ultima Ezechiæ tempora referre velis, ut etiam hìc documentum illud Hieronymi de tempore à præcedente Prophetâ assignato locum habeat, non admodùm repugnabo ; sed tunc dicendum erit, Prophetam suâ illâ initio querimoniâ non de sui temporis impietate loqui, sed de eâ quam paulò pòst sub Manasse futuram prævidebat, et de eâ tanquàm præsenti, more prophetico, propter certitudinem loqui. Illud tamen hìc addendum, sive ad ultima Ezechiæ tempora, sive ad Manassis prima referas, non videri eumdem fuisse Habacuc illum cujus scriptam prophetiam habemus, cum Habacuc qui prandium detulit Danieli, esto et hic Propheta esset, quod item asserunt Ribera et Torniellus : id enim nihil est novum, ejusdem nominis plures esse Prophetas, siquidem duos habemus in Scripturâ Michæas, duos Jehu Prophetas. Non posse autem eumdem utrumque statui, videtur obstare intervallum temporis quo uterque vixit : nam Habacuc Propheta, de quo hìc agimus, centum et pluribus annis antè Babylonicam captivitatem prophetavit, cùm alter captivitatis Babylonicæ tempore vixerit. Quòd si noster ille Habacuc triginta annorum erat cùm prophetare cœpit (vix enim antè illam ætatem spiritus propheticus dabatur), fuerit annorum centum et triginta, aut etiam plurium ipso captivitatis tempore; centum faciè quinquaginta vel plurium cùm prandium deferre potuit Danieli (nam de tempore istius historiæ magna disceptatio est), ducentorum cùm obiit, si biennio antè solutam captivitatem vitâ functus est.

Sophoniam Josiæ regis tempore prophetâsse, ipsemet initio prophetiæ indicat, quo ferè tempore etiam Jeremias prophetavit ; nam Jeremias quidem anno decimo tertio Josiæ pro-

phetare cœpit. Sophonias verò quo anno Josiæ prophetare cœpit etsi non exprimatur, id tamen annis prioribus, vel certè antè decimum octavum ejusdem regis annum factum esse, argumento admodùm verisimili colligitur : siquidem Sophonias in infamem idololatriam graviaque scelera Sacerdotum et Principum populi invehitur, gravemque Dei iram comminatur; at non est credibile, post decimum octavum annum Josiæ hujusmodi idololatriam et scelera regnâsse, postquàm videlicet pius ille rex idololatriæ et impietati bellum internecinum indixisset.

Aggæus quo tempore prophetare cœperit, et ipse explicat, annum, mensem, diem notans : *In anno*, inquit, *secundo Darii regis, in mense sexto, in die unâ mensis*, etc. Itaque anno secundo Darii Hystaspis, quem Eusebius à solutâ captivitate per Cyrum facit vigesimum secundum, Tornielli verò, Mercatoris et aliorum veriore opinione est decimus septimus, prophetare cœpit Jerosolymæ Aggæus, et Dei nomine Judæos ad Templi reædificationem adhortari.

Zacharias duobus post Aggæum mensibus, ut ipse initio prophetiæ indicat, itidem prophetare cœpit, sic ut in idem ferè tempus Zachariæ et Aggæi prophetia inciderit, undè Esdræ lib. 1, cap. 5, vers. 1, conjunguntur : *Prophetaverunt autem Aggæus Propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæâ et Jerusalem, in nomine Dei Israel.* Et posteà, cap. 6, vers. 14, habetur : *Seniores autem Judæorum ædificabant, et prosperabantur juxtà prophetiam Aggæi Prophetæ, et Zachariæ filii Addo.*

Malachiam post Aggæum et Zachariam prophetâsse, reædificato jam Templo, omnium constans est opinio : quandoquidem de Templi ædificatione, ut priores, nihil meminerit, sed potiùs scelera quæ in Templo jam ædificato admittebantur reprehendat; etsi neque quis ille sit Malachias, neque quo tempore prophetaverit, admodùm constet. Hebræi hunc eumdem esse volunt cum Esdrâ, quos Commentariorum in Malachiam Proœmio videtur Hieronymus secutus, et in ipsis etiam Commentariis cap. 2. et 3. aliquoties eamdem opinionem insinuat. Sequuntur eamdem opinionem Rupertus et Ribera, et illi aliquam veri speciem accersunt, sive quòd aliàs Ecclesiasticus, cui propositum videtur omnes heroas et illustres viros laudare, Esdræ non meminisset, nisi is in duodecim Prophetarum numero censeretur, sive quòd Esdras et Malachias in aliquâ parte materiæ quam tractant conveniant, nimirùm de alienigenis uxoribus acceptis, Israelitisque dimissis; quod argumentum tractatur lib. 1 Esdræ, cap. 9 et 10, et apud Malachiam, cap. 2; At longè plurium est opinio, Esdram et Malachiam diversos esse, Augustini 18 de Civit. Dei, cap. 36, Epiphanii, de Vitâ et morte Prophetarum, Dorothei in Synopsi, Isidori de Vitâ et morte Sanctorum, Eusebii in Chronico, Cyrilli, qui et disertè ait non esse audiendos qui Esdram à Malachiâ non distinguunt; Pauli et Michaelis de Palacios, Ariæ Montani, Tenæ, et aliorum. Quandò autem Malachias scripserit, plurium est opinio etiam post Esdram scripsisse, etsi dici possit ratione similis argumenti sub idem tempus scripsisse. Augustinus tamen ibi suprà videtur indicare etiam Esdram posteriùs scripsisse : et si quartum Esdræ librum quasi ab Esdrâ scriptum recipimus, meminit ipse cap. 1 vers. ult. Malachiæ, alterius à se videlicet, et qui jam suam prophetiam conscripsisset.

SECTIO XII.

Quo tempore scripti sint Machabæorum libri.

Machabæorum libri cùm incertos habeant auctores, illud tantummodò de iis verisimili conjecturâ asserere possemus, planè videri credibile, post res à Machabæis præclarè gestas non esse dilatam ad multa tempora horum præstantium facinorum scriptionem. Sanè Jason Cyrenæus, qui res Judæ Machabæi quinque libris comprehensas conscripsit, cujus fit mentio lib. 2 Machab., cap. 2, cujusque breviarium et epitomen conscribere se profitetur auctor libri secundi Machabæorum, Judæ chronologus à Torniello probabili conjecturâ existimatur fuisse, rebusque ipsis dùm gererentur interfuisse : conscripsisse verò duntaxat usque ad devictum interfectumque Nicanorem, Judæ autem mortem siluisse, uti et ejus breviatorem, quòd post illa tempora aliò recesserit, fortè Cyrenem urbem patriam se receperit ; adderem verò, vel fortè antè Judæ obitum vitâ functus sit. Quidquid tamen de eo sit, crediderim, pace in Judæâ partâ post Simonis Machabæi mortem, vel principatûs Joannis Hircani tempore, vel certè regnante Alexandro, hos Machabæorum libros prodiisse, non ab uno, sed à duobus diversis Scriptoribus, ut per sese patet, quandoquidem eædem utroque libro referantur historiæ, et stylo formâque scribendi plurimum inter se hi duo libri dissideant : imò prior Hebraicè scriptus sit, alter Græcè. Quocircà si de Machabæorum temporibus, Joannis Hyrcani, Alexandri constiterit, etiam verisimi-

liter hujus scriptionis tempora assecuti fuerimus. Machabæorum tempora vix totius centum triginta vel quadraginta annis Christi nativitatem antecesserunt. Si igitur sub Joanne Hyrcano, Simonis Machabæi filio, qui annis triginta et uno principatum tenuit, hæc historia scripta est, non multò pluribus quàm centum antè Christum annis fuerit scripta.

SECTIO XIII.

Quo tempore et loco Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, et Acta Apostolorum conscripta sint.

De his universim hoc dici potest, non diù ipsos post Christi in cœlos Ascensionem scripsisse. Neque verò diù earum rerum scriptionem differre oportebat, quæ ab omnibus sciri debebant. Et quanquàm viva vox Apostolorum multùm suprà modum ad eam cognitionem contulerit, utpotè qui suâ prædicatione totum mundum converterint, attamen conveniens erat etiam scribi, tùm quia ad plures manere potest scriptio quàm viva et animata prædicatio, eosdemque absentes, ad quos prædicatio pervenire non potest; tùm quia necesse erat foveri lectione spiritum quem vivâ prædicatione fideles hauserant, maximè cùm Apostoli uno loco consistere non possent, quorum præsentiâ spiritus iste foveri posset, sed totum orbem circumcursarent; tùm quia necesse erat etiam futuris temporibus prospicere, ut quod animatâ Apostolorum voce satum erat, sequentia etiam sæcula continuè germinando occuparet; quam ad rem maximè hæc scriptio profuit, quemadmodùm et traditiones Ecclesiæ relictæ.

Eodem ordine Evangelistas sua Evangelia conscripsisse, quo in Bibliis statui solent, constans et firma est ferè omnium opinio, et ità hoc ubique à Conciliis, à Patribus, à Doctoribus passim recenseri solent. Et hunc ordinem disertè adstruit Irenæus apud Eusebium lib. 5. Histor., cap. 8, et Hieronymus Prooemio in Matthæum, et Præfatione in quatuor Evangelia ad Damasum, Isidorus Hispalensis, lib. 6 Originum, cap. 2. Et verò qui disertè primum locum Matthæo adstruunt, est inprimis Hieronymus, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Præfatione in quatuor Evangelia ad Damasum, Prooemio in Matthæum, Nicephorus lib. 2 Histor., cap. 41, Petrus Damianus, Serm. de sancto Matthæo, Euthymius Prologo in Matthæum, Beda in Martyrologio die 21. Septembris. Joannem postremo loco scripsisse, præter Irenæum, Hieronymum et Isidorum suprà, asserit idem alibi Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Joanne, Basilius, lib. 2 adversùs Eunomium, Augustinus, lib. 1 de Consensu Evang., cap. 2 et Præfatione in Joannem, Ambrosius, lib. 3 de Sacramentis cap 2, Theophylactus, Præfatione in Matthæum, et Prologo in Joannem, Gregorius in cap. 1 lib. Regum. Idem asserere dicendi sunt qui eum post lecta tria aliorum Evangelia suum conscripsisse dixerunt, Eusebius lib. 3 Histor., cap. 18, Nicephorus, lib. 2, Histor., cap. 45, Rupertus in cap. 1 Apoc. Denique Marcum scribendo Lucæ præivisse; non tantùm Irenæi, Hieronymi, Isidori suprà auctoritate confirmatur, sed etiam communi Ecclesiæ et doctorum consensu; magisque ea res patebit, cùm de singulorum temporibus sigillatim disseruerimus.

Matthæus quo præcisè temporè Evangelium scripserit, etsi certum non sit, multa tamen sunt quæ Nicephori sententiam, lib. 2 Ecclesiasticæ Hist., cap. 45, statuentis id factum anno post Christi Ascensionem decimo quinto, omnesque item illas sententias, quæ post divisionem Apostolorum factam in varias orbis terræ regiones Evangelium hoc conscriptum asserunt, falsitatis revincant. Omnium ea verissima à Baronio ad annum Christi 41 aliisque pluribus habetur opinio, quæ hujus Evangelii scriptionem refert ad annum Caii tertium, Christi quadragesimum primum, qui idem est à Christi Ascensione octavus. Ità Eusebius Pontaci in Chronico, Euthymius Prologo in Matthæum, Theophilactus Præfatione in Matthæum. Sub Caii Imperio scriptum etiam censent Isidorus lib. 5 Originum, cap. 39, Beda, lib. de Sex ætatibus mundi, in Caio, Ado in Chronico. Nec ab his dissentiunt plurimi qui antè divisionem Apostolorum id factum volunt, quam divisionem non antè Claudii annum secundum, Christi quadragesimum quartum, qui idem est ab Ascensione Christi undecimus, contigisse; neque diutiùs differri posse probat Baronius ad annum Christi 44. Et hanc sententiam probant multa, variæque circumstantiæ, ut quòd in Judæâ scripserit, quod passim omnes asserunt, Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, et Prooemio in Comment. in Matthæum, et Præfatione in quatuor Evangelia ad Damasum, Athanasius in Synopsi, Eusebius Pontaci in Chronico, Beda in Martyrologio, die 21 Septembris, et lib. de Sex ætatibus mundi, Ado in Chronico, Isidorus Hispalensis, lib. 9 Originum, cap. 2, Baronius, et alii. Item quòd Judæis recèns ad fidem conversis Hebraicè scripserit, quod asserit ibi suprà Hieronymus,

Chrysostomus, Homil. 1 in Matthæum, Euthymius, Prologo in Matthæum. Item quòd occasione dispersionis Apostolorum mox futuræ dicatur ea scriptio facta, quod asserit Eusebius lib. 3 Histor., cap. 18. Nicephorus, lib. 2 Histor., cap. 45. Idem probant ea quæ de S. Bartholomæo ad Indos profecturo referunt historiæ, eum nimirùm eò proficiscentem Matthæi Evangelium secum detulisse, illisque reliquisse, cujus rei meminerunt Eusebius, lib. 5 Hist., cap. 10, Nicephorus, lib. 4 Histor., cap. 32, Hieronymus, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Pantæno. Similiter quæ de Barnabæ refosso corpore sub Zenone habet Nicephorus, lib. 16 Histor., cap. 37, super cujus pectus inventum est Matthæi Evangelium Hebraicè conscriptum.

Marcum dispersis jam Apostolis, et Petro occasione illius dispersionis Romam profecto, cui Marcus interpres adhærebat, Romæ Evangelium suum scripsisse Romanis id postulantibus, constans est opinio, sub annum Christi 45, Claudii tertium, qui ab Ascensione Christi fuit duodecimus, paulò antè quàm Alexandriam proficisceretur; quam profectionem etiam in eumdem annum refert Eusebius in Chronico. Porro hæc omnia et Romæ scripsisse, et Romanis postulantibus, et priùsquàm Alexandriam recederet, constant auctoritate Athanasii in Synopsi, Eusebii, lib. 2 Hist., cap. 14 Hieronymi, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Marco, Clementis Alexandrini, in Epistolam D. Petri in Bibliothecâ sanctorum Patrum, Epiphanii, Hæresi 51, Theophylacti, Præfatione in Matthæum, et Argumento in Evangelium secundùm Marcum, Euthymii Proœmio in Marcum. Eumdem sub Claudio scripsisse habent Isidorus, lib. 5 Orig. in Sextâ ætate, Beda, lib. de Sex ætatibus mundi, in Claudio, Cedrenus in Compendio historiæ, in Claudio. Porrò et ipse Marcus in fine sui Evangelii satis indicat se illud concripsisse post Apostolorum in varias Gentes dispersionem istis verbis: *Illi autem protecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.*

Lucam non scripsisse Evangelium suum priùsquàm adhæreret Paulo, constans ferè omnium est opinio: quin et Nicephorus, lib. 2 Hist. cap. 43 dicit Lucam jussu Pauli Evangelium composuisse. Et antè ejusdem lib. cap. 43 ait Lucam Evangelium suum Paulo præeunte scripsisse. Non adhæsisse autem Paulo antè decimum septimum ab Ascensione Christi annum, qui ab eodem nato fuit 51. Claudii nonus, probat Baronius ad eum Christi annum, et passim omnes colligunt, argumento admodùm probabili, ex Actuum Apostolorum 16, ubi ex diverso modo loquendi per primam personam pluralis numeri: *quæsivimus, venimus,* cùm anteà semper per tertiam personam singularis numeri: *venit, fecit, dixit,* à Paulo gesta expressisset; illa autem in Macedoniam profectio, de quâ ibi sermo, ad eum Christi annum pertineat. Quinimò probabili sanè argumento colligit idem Baronius, non potuisse Lucam Evangelium conscribere antè Christi annum 58, siquidem Lucas Hieronymi testimonio, Præfatione in Commentarium super Matthæum, Evangelium conscripsit in Achaiæ et Bœotiæ partibus; et Præfatione in Evangelium secundùm Lucam itidem asserit id in Achaiâ scriptum; at Paulus non antè illum annum Christi 58, qui fuit ab Ascensione Christi 24, in Achaiam venit: non igitur antè illum annum potuit Lucas, qui Paulo indivulsè adhærebat, Evangelium illud conscribere.

Joannem in Asiâ suum scripsisse Evangelium, testatur Hieronymus, Proœmio in commentario super Matthæum, et Prologo in Joannem, Beda in Collectaneis, Isidorus lib. 6 Orig., cap. 2. Idem sentiunt qui vel Ephesi, vel in Pathmo insulâ, quæ in Ægeo mari Asiæ adscribi potest, scriptum dixêre. Verùm an Ephesi id scripserit, an in Pathmo insulâ, non ità certum, cùm auctores inter se dissentiant. In Pathmo scriptum vult auctor Operis imperfecti, Homil. 1, Dorotheus in Synopsi, Theophylactus Prologo in Evangelium Joannis, Œcumenius antè expositionem Actuum, Nicephorus, lib. 2 Hist., cap. 42, et lib. 3, cap. 9, Metaphrastes in Vitâ Joannis Apostoli. At Ephesi scriptum alii probabiliùs volunt, Irenæus lib. 3. adversùs hereses, cap. 1, Eusebius, lib. 5 Hist., cap. 8, Athanasius in Synopsi, Gregorius Turonensis, lib. de Gloriâ Martyrum, D. Thomas in expositione Prologi Hieronymi in Joannem; Auctor Præfationis in Joannem apud Augustinum; idemque habetur in Præfatione Concilii Nicæni I. Ex quo alterutrum sequi debet, vel antè relegationem in Pathmon, vel post eam fuisse scriptum; at qui ità censent, videntur passim asserere id factum à Joanne jam sene, occasione natarum Cerinthi et Ebionis hæresum, post reditum ab exilio, et post Apocalypsim scriptam, rogantibus Asiæ Episcopis. Ità disertè asserit auctor Præfationis in Joannem apud Augustinum, Hieronymus in Joannem, Hippolytus Portuensis apud Cedrenum in Nervâ, Epiphanius Hæresi

51, qui et nonagenarium scripsissse Joannem Evangelium dicit. Auctor autem Præfationis in Joannem apud Augustinum non tantùm ait post exilium occiso Domitiano, Nervâ ei reditum permittente, illud scripsisse, sed etiam id factum anno ab Ascensione Christi 65, quod et Baronius sequitur.

Acta Apostolorum scripsisse, Lucam post Evangelium, manifestum est ex ipso Actorum initio, ubi inchoatam in Evangeliis narrationem videtur continuare, et eodem filo pertexere. Et verò sat verisimile est, à conscriptis Evangeliis mox sese ad Apostolorum Acta pertexenda convertisse, ut nascentis Ecclesiæ post Christum primordia describeret ex iis partim quæ viderat ipse, partim quæ ab aliis audierat; quam historiam perduxit usque ad biennium commorationis Pauli Romæ, seu quartum Neronis annum, ut vult Hieronymus, vel potiùs quintum, ut ostendit Baronius, qui Christi 61 fuit. Quo fit ut huic Operi finem impositum Romæ asseri oporteat.

SECTIO XIV.

Quo tempore et loco scriptæ quatuordecim Pauli Epistolæ.

Variis temporibus locisque scriptas Pauli Epistolas, neque eo ordine quo in Bibliis nostris continentur, inter omnes convenit; et verò de harum Epistolarum ordine nonnulla disceptatio est, etsi de plerisque ferè constet: quâ de re in ipsâ ad Epistolas Pauli Præfatione agendum; nunc de tempore et loco inquiririmus, quibus constitutis ferè de ordine constabit.

Epistolam ad Romanos Corintho datam esse, indicat tùm Phœbe illa soror Corinthia, et in ministerio Ecclesiæ quæ erat in Cenchris, quam Romanis commendat ultimo illius Epistolæ capite, vers. 1, tùm Erastus ille eodem capite vers, 23, quem dicit arcarium civitatis, ubi per civitatem intelligi Corinthum, intelligitur ex 2 Timoth. cap. 4, vers. 20, ubi dicitur: *Erastus remansit Corinthi;* tùm denique vel maximè ex eodem versu, ubi ait: *Salutat vos Caius hospes meus.* Caium autem illum Corinthium fuisse, et Corinthi habitâsse, discimus è cap. 1 Epistolæ 1 ad Corinthios, vers. 14. Quod verò ad tempus attinet, videtur fuisse scripta non quo tempore diù egit Paulus Corinthi Act. cap. 18, sed cùm jam tertiò illuc advenit post scriptam Epistolam secundam ad Corinthios: tertiò enim illuc advenisse, vel paratum esse eò venire, in eâ ad Corinthios secundâ scribit Epistolâ, cap. 12, vers. 14, et cap. 13, vers 1. Post scriptam autem istam secundam ad Corinthios Epistolam, et tertio illo ipsius ad eos adventu ad Romanos scripsisse ex eo colligitur, quòd in utrâque ad Corinthios Epistolâ, et in secundâ quidem, cap. 8 et 9 adhortatus fuerat Corinthios ut eleemosynarum collectam facerent pro Jerosolymitanis pauperibus Christianis, seque paratum esse eam illuc deferre priore Epistolâ significârat; hâc autem ad Romanos Epistolâ, cap. 15, à vers. 25, satis indicat collectam hanc esse factam, seque Jerosolymam petere ad eam præferendam. Porrò cùm eo anno quo Paulus has eleemosynas Jerosolymam pertulit, constet ipsum Jerosolymis captum, Act. cap. 21, idque in festo Pentecostes, ut indicatur Act. cap. 20, vers. 16, videtur hic, quo Corinthios ultimò invisit, adventus sub initium ejusdem anni contigisse, atque adeò et anno Neronis secundo, quo anno constat Paulum Jerosolymis captum fuisse, qui Christi 58, fuit.

Epistolam primam ad Corinthios Epheso fuisse scriptam, videtur ipsemet Paulus indicare cap. ult. vers. 8: *Permanebo*, inquit, *Ephesi usque ad Pentecosten.* Ex quo videntur refelli ii qui volunt Philippis Macedoniæ fuisse datam, præsertim cùm paulò antè, vers. 5, satis indicet, cùm illam scriberet se necdùm in Macedoniam venisse. Fuit autem Paulus Ephesi triennio, ut ipsemet indicat Act. 20, vers. 31. Cùm autem verbis illis suprà satis indicet se in procinctu esse ut Epheso discederet, dicendum est hanc Epistolam scriptam esse anno ultimo istius Ephesinæ commorationis. Porrò videtur Paulus eam scripsisse anno ultimo Claudii, seu Christi 56, in fine, siquidem anno sequenti dedit alteram ad Corinthios Epistolam, ut satis insinuat ipse, cap. 8, vers. 10, quem annum partim Ephesi, partim in Macedoniâ, partim in Epiro et Achaiâ exegit.

Epistolam secundam ad Corinthios post alteram proximè anno sequente scriptam, Neronis scilicet anno primo, et Christi 57, paulò antè diximus, et satis indicat caput illud 8, vers. 10, cùm Paulus ait: *Qui non solùm facere, sed et velle cœpistis ab anno priore*, quibus verbis indicat, suam priorem Epistolam fuisse efficacem, utpotè qui illius Epistolæ cap. ult. studuerat eis has eleemosynarum collectas persuadere. Fuit autem scripta paulò antè eam quæ data est ad Romanos, uti diximus paulò antè cùm de Epistolâ ad Romanos egimus. Undè autem data sit, non satis liquet: quidam enim Troade datam, alii Philippis Macedoniæ, alii

Nicopoli Epiri volunt. Postremos, qui Hieronymum adstipulatorem habent in Epistolæ illius argumento, jampridem secuti sumus, propterea quòd ad Titum 3, vers. 12, dicat Paulus se Nicopoli hiematurum, quò et Titum advocat; planè autem verisimile est, eâ hieme sub anni finem, priusquàm Achaiam et Corinthum adiret, Epistolam hanc conscripsisse.

Epistola ad Galatas undè et quo tempore scripta, planè obscurum est, nec de ullâ alia ferè major difficultas: nam Chrysostomus, Pererius et Baronius volunt antè eam quæ ad Romanos est esse scriptam, Petrus Damianus Epheso vult datam: ex quo et illud sequi videretur, antè eam quæ ad Romanos est, et posteriorem ad Corinthios esse scriptam. At vincit aliorum plurium opinio Româ scriptam esse, Athanasii in Synopsi, Theodoreti præfatione in Epistolas Pauli, Hieronymi ad cap. 5 istius Epistolæ, Serarii in Paulo, Salmeronis, et aliorum; idque ipsum habet subscriptio, quæ Græcè, Latinè, Syriacè subjicitur in Bibliis regiis. Quo posito, illud consectarium est, datam post Epistolam ad Romanos, quæ scripta fuit priùsquàm Romam adveniret, imò priùsquam caperetur Romam transmittendus: quod ipsemet Paulus non obscurè eâ Epistolâ indicat cap. 2 vers. 10; dicit enim ibi, sibi commendatum fuisse ab Apostolis, ut pauperum Judæorum memor esset, seque sollicitum fuisse id facere; quibus verbis rem hanc jam factam declarat: id autem maximè à Paulo factitatum est cùm hortatus fuit tàm Corinthios quàm Macedones et alios ut in hasce eleemosynas collectas facerent, quas cùm liberaliter erogâssent, Jerosolymam Paulus pertulit, ubi et captus fuit. Ex quo colligas, rem illam quæ in procinctu erat ut fieret cùm scripta est Epistola ad Romanos, factam fuisse cùm scripta est Epistola ad Galatas. An è vinculis hanc Epistolam Paulus scripserit, minùs certum est; duo tamen sunt quæ id confirmant: Unum, quòd etiam suorum vinculorum videatur meminisse in fine Epistolæ, licèt subobscurè, cùm ait se stigmata Christi Jesu in corpore suo portare; alterum, quòd cùm constet plures Epistolas in carcere et vinculis scripsisse, passim ab iis qui hanc Româ scriptam volunt, rectiùsque sentiunt, hæc omnium quæ Romæ scriptæ sunt constituatur prima, ità ut proximè ei quæ ad Romanos est ordine subjuncta sit. Fuerit itaque hæc scripta Neronis anno tertio, Christi 59.

Epistolam ad Ephesios è Romanis etiam vinculis, in quibus biennium egit Paulus, scriptam esse, manifestè indicat ipse Epistolæ istius cap. 3 et 4, utrobique vers. 1, ubi se *vinctum in Domino* appellat, idemque, cap. ult., vers. 20, rursùm suorum vinculorum meminit. Scriptam unâ eâdemque viâ hanc Epistolam cum eâ quæ secunda est ad Timotheum, id probabile facit, quòd utraque missa est è vinculis, et per eumdem Epistolæ latorem Tychicum, et ad eamdem Asiæ minoris urbem Ephesum, unam nempè ad ejus urbis cives fideles, alteram ad urbis ipsius Episcopum. Ex quo illud videtur sequi, anno priore vinculorum missam esse tàm hanc quàm illam, quandoquidem Timotheus, quem illâ posteriore Epistolâ Apostolus Romam advocârat, Romæ anno vinculorum posteriore ipsi adfuerit, ut ostendemus paulò post cùm de secundâ ad Timotheum Epistolâ sermo erit. Non desunt etiam qui suspicantur, cum hâc ad Ephesios et alterâ istâ ad Timotheum datam eâdem viâ et eodem latore eam quæ ad Galatas est, quippe cùm in eâdem cum Epheso Asiæ minoris regione Galatia sit, atque adeò inter tres illas Epistolas nullum temporis ordinem statui posse, aut debere.

Epistolam ad Philippenses Româ item datam esse, satis illud indicat quod in fine Epistolæ habetur: *Salutant vos omnes Sancti, maximè qui de Cæsaris domo sunt.* E vinculis item datam tota Epistola indicat, in quâ sæpiùs vinculorum suorum meminit. Posteriore anno vinculorum, hoc est, Christi 60, Neronis 4, datam, illud indicat, quod Timotheus, quem priore vinculorum anno Romam evocârat, jam illuc advenerat, ut ex Epistolæ titulo, et cap. 2, vers. 19, sat perspicuè colligi potest.

Epistolam ad Colossenses Româ item tempore vinculorum datam tota indicat Epistola, in quâ passim vinculorum suorum meminit, uti et Epistola ad Philemonem, quæ cum hâc data est. Anno verò posteriore vinculorum datam, illud idem indicat quod pro Epistolâ ad Philippenses attulimus, quòd in titulo Timothei nomen cum Pauli nomine præferatur.

Epistolam ad Thessalonicenses priorem omnium Pauli Epistolarum ordine esse primam, habet omnium consensus Doctorum, quemadmodùm et liquere poterit per singulas Pauli Epistolas discurrenti. Scripta autem est hæc à Paulo Epistola post primum in Macedoniam adventum, qui Actor. 12 et 17 describitur, postquàm jam Paulus, relictâ Macedoniâ et Thessalonicâ ejus Metropoli, in Achaiâ vel Athenis vel Corinthi versaretur, cujus in hisce locis res gestas habes Actor. 17 et 18. Quocircà et ex harum alterutrâ urbe datam omnes

hanc Epistolam consentiunt; paulò tamen verisimiliùs ii censent qui Corintho datam volunt primo illo ad eam urbem Pauli adventu : siquidem non est data hæc Epistola nisi postquàm Timotheus, quem Paulus Thessalonicam miserat ad ejus urbis Ecclesiam confirmandam, ad Paulum revertisset, ut manifestè indicat illius Epistolæ cap. 3. At Timotheum Thessalonicâ et è Macedoniâ redeuntem offendisse Paulum Corinthi, disertè habetur Act. 18, vers. 5. Quod ad rationem verò temporis attinet, videtur ea data anno Christi 52, Claudii 10; eo enim anno contigisse Pauli Athenas et Corinthum adventum, probat argumento duplici Baronius : Uno, quòd Paulus Corinthum veniens, ut habetur Actorum 18, invenerit ibi Aquilam et Priscillam, qui nuper Italiâ venerant occasione edicti Claudii, quo jusserat Judæos omnes urbe secedere; at edictum illud anno nono Claudii factum erat, ut idem Baronius ad annum Claudii nonum probat. Altero, quòd Dionysius Areopagita isto Pauli Athenas adventu conversus sit, ut habetur in fine capitis 17 Actorum ; at passim traditur Dionysius anno decimo nono à passione Christi fuisse ad fidem conversus : si autem à passione Christi numeres, decimus nonus in eum annum quem dixi incidet.

Epistolam ad Thessalonicenses secundam proximè priorem ordine temporis secutam esse, omnium ferè constans est opinio, neque post priorem diù datam esse, indicant eorumdem in utrâque initio præfixa nomina Pauli, Silvani, Timothei. Itaque anno altero à priore data verisimiliter credi potest, quod ipsum asserunt Baronius in Annalibus, et Serarius in Paulo. Locus undè data hæc Epistola non Athenæ fuerunt, ut Theodoreto et Theophylacto visum (jam enim antè priorem ad Thessalonicenses datam Athenis recesserat, ut probavimus, nec scitur eò aliquandò rediisse); sed eadem Corinthus fuit : siquidem in eâ urbe moratus est Paulus annum unum et menses sex, ut habetur Act. 18, vers. 11.

Epistola ad Timotheum prior undè et quo tempore data sit, nonnulla disceptatio est : nam sunt qui Laodiceâ scriptam volunt, nullo tamen, quantùm existimo, argumento probabili: siquidem nullo firmo argumento probari potest Paulum aliquandò Laodiceam vidisse, imò antè Jerosolymitana vincula et Romanum carcerem (antè quæ tamen scripta hæc fuisse asseri debet Epistola) eam urbem nequaquam ipsi visam videatur ipsius Apostoli testimonio certum : scribens enim Româ è vinculis ad Colossenses, cap. 2, vers. 1, Laodicenses iis annumerat, qui nunquam viderint faciem suam in carne. Longè verisimilior aliorum assertio, qui dicunt è Macedoniâ datam, non primo in eam adventu, ut satis liquet, sed secundo; siquidem jam Paulus commoratus fuerat Ephesi cùm hanc scripsit Epistolam, ut è cap. 1 vers. 3 colligi perspicuè potest; at priorem in Macedoniam adventum secuta est illa Ephesina commoratio, ut ex Actis Apostolorum et rerum à Paulo gestarum ordinatâ serie liquet. Scripsit ergò Apostolus è Macedoniâ cùm illuc Epheso recessisset, Act. 20, vers. 1. Id enim ipsemet Paulus subindicat, cap. 1, vers. 3: *Rogavi te ut remaneres Ephesi cùm irem in Macedoniam.* Adde, cùm Paulus Epheso recessisset sub Pentecosten, ut sibi in animo esse indicârat Epistolæ 1 ad Corinthios, cap. ult., vers. 8, vel occasione tumultûs excitati etiam antè Pentecosten, videri majorem istius anni partem in Macedoniâ consumpsisse; non igitur apparet undè verisimiliùs data videri possit quàm ex eâ regione. Atque ità sentiunt Athanasius in Synopsi, Theodoretus Præfatione Epistolis Pauli præfixâ, Baronius, Justinianus, Estius. Fuit autem annus ille qui antecessit Jerosolymitana vincula, Christi videlicet 57, Neronis 1. Itaque hæc Epistola scripta videtur proximè post Epistolam priorem ad Corinthios, etsi nonnulli anteponant huic Epistolam ad Titum, quam et proximè priori ad Corinthios subjiciunt. At ego cùm existimem eam quæ ad Titum est Epistolam non esse è Macedoniâ, sed aliundè datam, postquàm jam è Macedoniâ recessisset, planè censeo hanc ad Timotheum temporis ordine subsecutam priorem ad Corinthios Epistolam.

Epistolam ad Timotheum posteriorem priore anno Romanorum vinculorum datam esse, probant ea quæ nos attulimus pro Epistolâ ad Ephesios; sed et in Epistolâ hâc posteriore ad Timotheum vinculorum suorum meminit, cap. 1, vers. 8 et 16, et cap. 2, vers. 9. Defensionis suæ, nempè coràm Cæsare meminit, cap. ult. vers. 16. Romæ item mentionem facit cap. 1, vers. 17. Hâc Epistolâ cùm Timotheum Romam ad se advocâsset, satis colligitur, ipsum anno posteriore Paulo Romæ adfuisse; id enim indicat epigraphe tribus Epistolis posteriore anno vinculorum datis præfixa, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, quæ cum Pauli nomine etiam Timothei nomen exhibet.

Epistolam ad Titum quandò Apostolus vel undè scripserit, non omninò liquet; quando-

quidem neque satis constat quandò Paulus in Cretam iverit, cùm in Actis Apostolorum hujus profectionis nulla fiat mentio, quò tamen profectum esse, ex hâc ad Titum Epistolâ, cap. 1, vers. 5, certum est, ubi et Titum Episcopum reliquit. Rursùm satis constat, Paulum in Illyrico fuisse, è cap. 15 Epistolæ ad Romanos, ibique Evangelium prædicâsse; item in Epiro Nicopoli hiematurum se hâc ad Titum Epistolâ cap. 3. scribit. Porrò omnes hæ in Cretam, in Illyricum, in Epirum profectiones non videntur in ullum commodius tempus referri posse, quàm cùm Macedoniâ secundâ vice recessit in Achaiam et Corinthum venturus, indè Jerosolymam abiturus ut eleemosynas perferret; at illud planè videtur asserendum, non ivisse proximè è Macedoniâ in Achaiam, sed videri postquàm Titus Corintho, quò eum Paulus miserat, ad ipsum in Macedoniam rediisset, ut habetur 2 ad Corinth., cap. 7, relictâ Macedoniâ, alicubi, seu in Epiro, seu in Illyrico, Macedoniæ conterminis, navim cum Tito conscendisse, et in Cretam abiisse, ibique eum Episcopum constituisse, indè verò in Illyricum rediisse Evangelii prædicandi causâ: undè paulò post hiematurus Nicopolim Epiri venit, quò hâc Epistolâ è Cretâ Titum advocat, ubi transactâ hieme in Achaiam et Corinthum esset abiturus. Quocircà etsi non pauci velint hanc Epistolam è Macedoniâ datam, tamen cùm Titus videatur simul cum Paulo è Macedoniâ recessisse, idque antè profectionem in Cretam, nec in Macedoniam videatur deindè rediisse, nisi cùm in transcursu illac transiit Jerosolymam proficiscens, minùs videtur ea sententi aprobanda. Crediderim potiùs datam cùm, reversus è Cretâ, in Illyrico Evangelii causâ versaretur, advocâsse autem Titum Nicopolim, quæ videtur non procul abfuisse à Cretâ, ubi ipse erat hiematurus, et undè secundam ad Corinthios scripsisse Epistolam diximus, ut antequàm Jerosolymam contenderet, sua ei mandata daret. Hæc sunt quæ de hâc re paulò obscuriore dici posse videntur probabiliter; ex quo colligas, hanc Epistolam eodem anno cum priore ad Timotheum, et cum posteriore ad Corinthios datam esse, nempè Christi 57, Neronis primo, post eam tamen quæ est ad Timotheum, sed antè eam quæ posterior est ad Corinthios.

Epistolam ad Philemonem Româ è vinculis anno posteriore datam esse unà cum Epistolâ ad Colossenses, constat, et suprà diximus, cùm de Epistolâ ad Colossenses egimus; siquidem et Philemon civis Colossensis erat, à quo veniam Onesimo, ipsius Philemonis servo fugitivo, quem in vinculis ad fidem Paulus converterat, deprecatur. Et verò in utrâque Epistolâ Paulus vinctus est. Timothei nomen utraque præfert Epistola. Onesimi, qui in hâc Epistolâ ad herum remittitur, fit etiam mentio in eâ quæ ad Colossenses est Epistola, cap. ult., vers. 9, à quo unà cum Tychico Colossenses Pauli res cognoscere debeant: omnes qui Colossenses et Philemonem in utrâque Epistolâ salutant, iidem, partim concaptivi, partim adjutores et socii, Epaphras, Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas. Ex quibus videtur omnis dubitatio sublata, quin unâ eâdemque viâ utraque ista Epistola sit perlata.

Epistolam ad Hebræos, etsi de eâ multi multa dubitârint, non ab alio tamen quàm à Paulo, neque aliundè quàm Româ datam esse omninò asserendum est, quandoquidem et Timothei charissimi discipuli meminerit cap. ult. vers. 23, et ex Italiâ scriptam satis verbis illis indicet in fine Epistolæ: *Salutant vos de Italiâ fratres.* Quin et in Græco textu cap. 10. vers. 34. meminit Paulus vinculorum suorum; nam pro eo quod nos habemus: *Nam et vinctis compassi estis*, in Græco est: Καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μοῦ συνεπαθήσατε, *nam et vinculis meis compassi estis.* De tempore quo data sit ferè inter omnes constat, hanc esse postremam: siquidem quæ è cæteris postremæ sunt, eæ sunt quæ datæ sunt Româ anno posteriore vinculorum, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem; at hæ Timothei cum Paulo nomen præferunt; erat igitur tunc Romæ Timotheus cùm eæ scriptæ sunt; cùm verò hæc scripta, vel jam recesserat Timotheus, vel ipse hujus Epistolæ lator fuit, quandoquidem de eo dicat Paulus in fine Epistolæ: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos.* Et quanquàm non satis constet an hæc è vinculis scripta sit Epistola, an postquam vinculis solutus esset, illud tamen videtur propemodùm certum, vel mox à vinculis, vel in fine vinculorum, cùm jam certus esset se eximendum, scriptam fuisse, atque adeò Chisti 60 vel. 61, Neronis quarto vel quinto.

SECTIO XV.

De tempore et loco scriptionis Epistolarum Catholicarum, Jacobi, Petri, Joannis, Judæ, et Apocalypseos.

De harum Epistolarum Catholicarum tempore et loco difficile admodùm aliquid certi de-

finire, cùm vix ullum argumentum suppetat, quo res hæc perspicuè et liquidè expediri possit. Valet tamen et hic illud argumentum, nisi quid in contrarium premat, quod sumitur ex Epistolarum in Bibliis ordine, ut dicamus primo loco Jacobum, deindè Petrum, ac tandem cæteros suas Epistolas scripsisse, maximè cùm satis liqueat, in digerendis his certo ordine non fuisse habitam rationem dignitatis; sic enim Petri Epistolæ primo loco collocandæ fuissent. Et quanquàm alium subindè ordinem legamus secutos nonnullos in hisce Epistolis nominandis, ut Augustinum de Fide et operibus cap. 14, Florentini et Tridentini Concilii Patres hunc, scilicet Epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, quo in ordine videntur dignitatis habuisse rationem; uti et fuerunt qui Jacobi Epistolam ultimo loco posuerunt; at communior est altera numerandi et ordinem constituendi ratio, quæ in Bibliis semper hactenùs servata, habeturque apud Hieronymum Epistola ad Paulinum; item in Concilio Laodiceno, Can. ultimo, quo in ordine temporis videtur habita ratio. Et verò primo loco positam Epistolam Jacobi ratione temporis quo scripta fuit, vult Lyranus.

Jacobus annis viginti novem sedit Jerosolymæ Episcopus, nempè ab anno Christi 34 usque ad 63, qui Neronis fuit 7; eo enim anno passum sanctum Jacobum Jerosolymorum Episcopum, Hieronymi, Eusebii, Baronii assertione constat. Itaque de loco in quo suam Epistolam ad Judæos huc illuc dispersos scripserit, non videtur posse esse magna difficultas, nempè id Jerosolymæ factum; at de tempore, quove potissimùm suæ Sedis anno id factum sit, nemo facilè certò definiat. Fortè tamen aliquid probabiliter statui potest, si scriptionis occasio deprehendatur. Scribit Jacobus, ut Epistolæ titulus præ se fert, duodecim tribubus quæ sunt in dispersione. Hujus occasione tituli nonnulli suspicantur non diù post Christi passionem Epistolam hanc scriptam: nempè cùm occiso S. Stephano altero à Christi passione anno concitata esset gravior in Judæos fideles Jerosolymæ persecutio, cujus meminerunt Acta Apostolorum cap. 8, quæ causa fuerit ut Judæi Christiani quàm plurimi huc illucque vitandæ persecutionis gratiâ diffugerint ac dilapsi sint, in quorum numero erant ex omnibus tribubus aliqui, etsi è de em tribubus pauciores. Ad hos itaque Jacobum Jerosolymorum et Judæorum peculiarem Episcopum hanc Epistolam scribere, quâ illos ad constantiam animet, nonnullorum opinio est. Ità censent D. Thomas, Titelmanus, Hagnæus, Primasius. Eòdem inclinant alii, vel certè circà illa tempora, occasione alterius argumenti, quod S. Jacobus cap. 2. Epistolæ suæ pertractat, videlicet fidem cassam et inanem esse sine operibus; quam doctrinam censent à Jacobo proferri ad refu andam hæresim Simonis Magi sub illud tempus persecutionis exortam, qui inter cætera asserebat fidem sine operibus sufficere, ut Irenæus et Theodoretus adstruunt. At plerisque aliis, ut Augustino, Serario, Esthio, videtur meritò hæc Epistola seriùs scripta, et aliâ fortè occasione. Neque verò aliorum conjecturæ satis celerem illam scriptionem arguunt; nam dispersio illa non necessariò intelligitur ex aliquâ persecutione natâ: erant enim ubique Ecclesiæ, ubique Synagogas suas habebant Judæi, et nusquàm non ferè domicilia sua fixerant, etiam antè illam persecutionem; quorum non paucos ad Apostolorum prædicationem conversos fuisse non dubium est. Ad hos igitur sic sparsim habitantes scribere potuit Jacobus, et hoc *dispersionis* nomine intelligere. Adde, non defuisse præter hanc alias persecutiones seu in Judæâ, ratione cujus aliò commigrare potuerint, seu alibi, quas patiebantur ubique Christiani, ut non defuerit magna occasio Jacobo hosce absentes animandi et ad constantiam adhortandi. Altera etiam conjectura de Simone Mago parùm urget: etsi enim sub id persecutionis tempus cum aliis Samaritanis conversus sit ad fidem Simon Magus, non tamen statim vel suas procudit hæreses, vel eæ invalescere cœperunt; quinimò quia nonnisi diù post ea hæresis fervere et invalescere potuit, colligunt aliqui, Jacobum ejus hæresis occasione motum, nonnisi diù pòst scribere potuisse. Quibus accedit, quòd Jacobi Epistola videatur supponere jam Ecclesias ubique plantatas, Presbyteros in iis varios; quod factum fuisse tàm citò, nullo modo censeri potest. Addo verò, mihi occasionem illam ex Simonianâ hæresi ortam non satis probari: non enim ipse docebat fidem vel gratiam Christi veri Messiæ sine operibus sufficere; sed seipsum dicebat esse Christum, seque hominis specie apparuisse, et nonnisi apparenter et secundùm speciem passum fuisse; item, se esse et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, opera verò ad salutem justa nihil prodesse, impia nihil nocere, sed solam in ipsum fidem et gratiam ad hanc rem conducere; ut videre est apud Irenæum et Theodoretum. Quam hæresim si Jacobus aliique Apostoli refutare vellent, metusque esset ne quam fidelibus perni-

clem ea crearet, non arripienda fuit una lacinia de fide et operibus, sed ab ipso fundamento et radice subruenda erat, demonstrando impium esse Simonis commentum cùm se Christum dicebat, vel Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; hoc enim everso per se corruebat ista altera hæresis à priore dependens, nempè fidem illam, quam Simon impiè invehebat, sufficere ad salutem. Denique mihi magis probatur altera occasio hujus Epistolæ scriptioni data, imò et aliis communiter Petri, Joannis, Judæ Epistolis, quam tangit Augustinus, lib. de Fide et Operibus, cap. 14 : *Temporibus*, inquit, *Apostolorum, non intellectis quibusdam sententiis Apostoli Pauli, eum quidam arbitrati sunt dicere, fidem solam sufficere. Quoniam ergò hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contrà eam maximè dirigunt intentionem ut vehementer adstruant fidem sine operibus nihil prodesse.* Et paulò post : *Undè evidenter in secundâ Epistolâ Petrus cùm ad vitæ et morum sanctitatem hortaretur, sciens de Apostoli Pauli quibusdam subobscuris sententiis nonnullos iniquos accepissé occasionem, ut tanquàm securi de salute quæ in fide est, benè vivere non curarent; commemoravit quædam ad intelligendum difficillima esse in Epistolâ ejus, quæ homines perverterent, sicut et alias Scripturas, ad proprium suum interitum : cùm tamen et ille Apostolus de salute æternâ, quæ nisi benè viventibus non daretur, eadem sentiret quæ cæteri Apostoli.* Hoc sanè si verum est quod asserit Augustinus, ex Epistolis Pauli malè intellectis datam esse his Epistolis conscribendis occasionem, necessariò ad posteriores Jacobi annos referenda erit hæc Epistola : Pauli enim Epistolæ, quæ isti falsæ persuasionis occasionem dare potuerunt, sunt Epistola ad Romanos, et altera ad Galatas, in quibus mirificè extollit fidem, opera ut inutilia ad justificationem rejicit; at Epistola ad Romanos, ut sectione præcedenti diximus, scripta fuit anno Christi quinquagesimo octavo, Neronis secundo; altera ad Galatas sequente anno è vinculis data fuit; quatuor autem annis posteà secuta est cædes Jacobi Jerosolymorum Episcopi. Itaque non videtur ad quæ tempora commodiùs referri possit quàm ad posteriora vinculorum Pauli Romæ tempora, anno Neronis quarto, vel certè anno sequenti.

Epistola Petri prior ad Judæos item sparsim habitantes in variis regionibus Asiæ minoris, ut titulus ipse indicat, Româ scripta esse à Catholicis omnibus Doctoribus creditur; idque significari à Petro in fine Epistolæ, cùm dicit : *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta.* Romam enim Babylonis nomine ibi significari, Catholici omnes sentiunt, non recentiores modò, sed et antiquiores, Eusebius, lib. 2 Hist., cap. 14, Hieronymus, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Marco; quo nomine etiam Roma insignitur in Apocalypsi Joannis, cap. 14, 16, 17, 18, et Hieronymus alibi stomachabundus ob nonnullam persecutionem ibi toleratam ità eam appellat; quod tamen Romæ gentili tantummodò, et promiscuam omnium Gentium idololatriam studiosè admittenti convenit. Neque verò est altera Babylon, de quâ id possit intelligi, quemadmodùm probat Baronius ad annum Christi 45. Et verò mirum est, Novatores, qui studiosè illud Babylonis nomen in Apocalypsi arripiunt, et Romæ accommodant, hic tàm ab eo esse alienos; nimirùm ne cogantur fateri Petrum aliquandò Romæ fuissé, idque ipsum divinis litteris contineri. Quandò autem hæc Epistola datâ sit, an primo Petri Romam adventu, an altero, meritò dubitari potest. Baronius primo adventu scriptam vult anno Christi 45, Claudii 3. Quod probat, quia eo anno, qui Petri Romæ primus fuit, missus est Marcus Alexandriam ; aderat autem adhuc Petro cùm hæc scripta est Epistola, ut è fine Epistolæ liquet: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus.* Verùm ut hoc argumentum vim haberet, probandum esset, nunquàm posteà Marcum Romam rediisse, quemadmodùm legimus Timotheum à Paulo Romam fuisse advocatum. Deindè ex hoc sequeretur, hanc Epistolam antecessissé Epistolam Pauli ad Romanos, et alteram ad Galatas, quas tamen malè ab aliquibus intellectas occasionem tàm Petro quàm Jacobo dedisse scriptioni, vult Augustinus, ut suprà diximus cùm de Jacobi Epistolâ ageremus. Rursùm, si Epistola Jacobi scripta sit occasione istarum Pauli Epistolarum malè intellectarum, Petri verò prior Epistola data sit anno Claudii 3, sequetur priorem istam Petri Epistolam diù antè eam quæ à Jacobo scripta est, datam esse. Quò posito, nulla videtur idonea adferri posse ratio cur ipsa non præeat in Bibliis eam quæ Jacobi est, cùm et temporis et dignitatis ordine prior esse postulet. Quocircà si hic Epistolarum ordo in Bibliis omnibus semper constans aliquod fundamentum habere dici debeat, et illa superior Augustini conjectura solida sit, planè asserendum erit, Petri priorem Epistolam post eam quæ Jacobi est scriptam fuissé. Et verò multus est in eâ Epistolâ Petrus, ut vitæ sanctimoniam et bona opera commendet, quemad-

modum et in alterâ posteriore, ut conjectura Augustini de Epistolis Pauli malè intellectis etiam hic locum habeat. Neque obstat huic rei Marci Evangelistæ, qui in hâc Epistolâ nominatur, martyrium, quod uno anno post Jacobi Jerosolymorum Episcopi cædem contigit, anno videlicet Neronis 8.

Epistolam secundam B. Petri post illam quæ priore loco statuitur scriptam, et ad eosdem quibus scripta fuerat prior Epistola, indicat ipse Petrus cap. 3, vers. 1 : *Hanc*, inquit, *ecce vobis charissimi, secundam scribo Epistolam.* Hanc scriptam esse post Epistolas illas Pauli ad Romanos et Galatas, indicant ea quæ Petrus habet cap. 3, vers. 16. imò et post Epistolam ad Hebræos, quæ Epistolarum Pauli ultima fuit, manifestè colligitur ex ejusdem capitis vers. 5. Addo verò, omnes colligere è cap. 1, vers. 14, ubi ait: *Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi;* paulò antè mortem Petrum Epistolam hanc scripsisse : cùmque anno Christi 69, Neronis 13, cum Paulo martyrium subierit, colligit Baronius, Epistolam hanc anno antè mortem proximo scriptam fuisse. Locus etsi in Epistolâ nusquàm exprimatur, non alius tamen quàm Roma creditur, ubi non dubium est postremis vitæ annis morâtum ipsum fuisse.

Epistola Joannis prima undè et quo tempore datâ sit, difficile esset definire, cùm et titulo et subscriptione careat (quanquam olim *Ad Parthos* inscriptam fuisse ex Augustino lib. 2, Quæst. Evangelicorum cap. 39, Hygino, Pontifice Epistolâ 7 Joanne II., Epistolâ 2 ad Valerium Episcopum, Idacio Claro contrà Waramundum, qui tamen titulus posteà exciderit, intelligi possit), neque aliundè ferè è totâ Epistolâ argumentum suppetat, quo aliquid de eâ re statui possit. Baronius quidem de Evangeliò à Joanne conscriptò, deque Epistolis agit ad annum Christi 99; at quo anno eæ scriptæ sunt nihil definit. Joannes quo anno Christi natus sit non constat, at diutissimè post Apostolos cæteros vixisse constat. Sixtus Senensis in Bibliothecâ, lib. 1, ait annos propè centum explesse. Beda, lib. de Sex ætatibus, et in Martyrologio annos vitæ 99 illi attribuit. Hippolytus Portuensis Episcopus et Martyr apud Cedrenum in Nervâ, ait ipsum vixisse annos centum et sex. Suidas in Joanne Evangelistâ tribuit illi annos centum et viginti ; et anno quidem centesimo ab exilio ex Pathmo reversum Evangelium scripsisse, ab anno centesimo usque ad centesimum vigesimum Theologiam conscripsisse : ubi nomine *Theologiæ* non aliud videtur intellexisse quàm hasce Epistolas, cùm de Evangelio jam antè meminerit, et Apocalypsim jam antè in exilio positus conscripsisset. Probabilius est quod alii asserunt, 93 annos vixisse : et usque ad Trajanum quidem pervenisse, habet Eusebius in Chronico ex Irenæo, et Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis; anno verò Christi 101. defunctum, statuunt Eusebius ibi suprà, et Baronius, uti et Hieronymus, cùm dicit eum anno à passione Christi 68 mortuum; is enim est 101 Christi, vel 102, si Christus ponatur anno 34 mortuus. Quòd si, ut plerique volunt, post reditum ab exilio Evangelium scripsit, et post Evangelium Epistolas; anno autem Christi 99 ab exilio redierit, Domitiano vitâ functo, non potuit diù ea scriptio fuisse dilata. Quia tamen hæc omnia satis incertâ sunt, illud tantummodò videmur posse asserere, hanc Epistolam ætate jam provectâ ab ipso scriptam fuisse. Quod ex Epistolæ argumento etiam mihi videor posse colligere : siquidem multus est ut hæresim illam refutet, quæ asserebat Christum non assumpsisse veram carnem, sed phantasticam, umbratilem, apparentem, à cujus hæresis refutatione suam orditur Epistolam : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*, etc. Et posteà, cap. 4 : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est ; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; et hic est Antichristus.* Item Epistolâ 2 : *Quonium multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem : hic est seductor et Antichristus.* Porrò hæ hæreses fuerunt Saturnini et Basilidis, ut referunt Epiphanius, Hæresi 23 et 24, Philastrius, lib. de Hæresibus, Irenæus adversùs hæreses, lib. 1, cap. 23 et 24, Theodoretus, lib. 1 hæreticarum fabularum. Hæ autem hæreses non tam citò prodierunt, sed sub extrema Joannis tempora : quandoquidem, ut iidem suprà produnt, Simonis Magi discipulus fuerit Menander, Menandri verò Saturninus et Basilides ; quin et hos ad tempora Adriani pervenisse probat Baronius.

De secundâ et tertiâ Epistolâ eadem ferè dici possunt quæ de primâ, præsertim cùm in secundâ eosdem hæreticos quos in primâ insectetur, et in utrâque se seniorem appellet. Hasce autem omnes tres Epistolas Epheso datas, illud verisimile facit, quòd ibi ferè extremos vitæ annos S. Joannes exegerit; nisi quis velit harum aliquas è Pathmo insulâ

datas, quod perspicuè refutari non potest.

Judæ Epistola quo tempore scripta sit, nemo facilè definiat; at insectari hæreticos etiam, manifestum est, eosdemque quos insectatur Epistolâ secundâ Petrus, quos Nicolaitas fuisse volunt, impuros nempè et infamium libidinum præcones. Porrò quia eodem hæc cum secundâ Petri Epistolâ scripta est argumento, neque argumentum modò idem, sed etiam multa verba et sententiæ eædem in utrâque cernuntur, existimat Baronius Judam vidisse istam Petri Epistolam, quam anno Christi 68 scriptam fuisse diximus, ejusque sententias Judam imitatum. Quod si verum est, non potest Judæ Apostoli mors referri ad annum Christi sexagesimum, quod facit Sixtus Senensis in Bibliothecâ. Adrichomius sub annum Christi 80 in fine sui Theatri videtur Judæ mortem reponere. Alii nihil definiri posse asserunt. Quidquid sit, si post annum Christi sexagesimum octavum suam scripsit Judas Epistolam, ut planè illo Baronii argumento fit verisimile, vel sub illud idem tempus, cùm eosdem hæreticos exagitent; neuter autem illos hæreticos insectetur quos S. Joannes primâ et secundâ Epistolâ impugnat, satisque constet S. Joannem cæteris Apostolis annis pluribus supervixisse, planè videtur asserendum, hanc Epistolam antè Joannis Epistolas scriptam fuisse; atque adeò et in hujus statuendo ordine non esse observatam rationem temporis, etsi ferè in aliis ejus habitam rationem videamus. Fortè nominis et celebritatis hìc habita ratio, ut ejus Epistolæ præponerentur qui famâ et nominis gloriâ illustrior exstitisset.

Apocalypsim Joannis in insulâ, quæ Pathmos dicta fuit, scriptam esse omnium consensus est; et Joannes ipse, licèt de scriptionis tempore non ità disertè expressum sit, in eâ tamen insulâ factam revelationem, perspicuis verbis asserit cap. 1, vers. 9. Dilatam verò scriptionem, gratis et absque fundamento quis dixerit. Addo verò, et in eâ insulâ scriptam, vel ejus certè partem, manifesto argumento colligi : siquidem ea quæ habentur cap. 2 et 3 jussus est Joannes scribere, et mittere septem Ecclesiis Asiæ, seu earum Episcopis, quarum Ecclesiarum una erat Ephesus : ergò signum est, Joannem Epheso abfuisse cùm ista scripsit; necdùm igitur ex Pathmo Ephesum redierat, quò ab exilio se recepit, ut passim omnium est opinio. Quod ad tempus attinet, sub extrema Domitiani tempora ejus relegationem contigisse, testis est Irenæus, lib. 5, cap. 30. Anno ejusdem Domitiani decimo quarto eam factam habent Eusebius in Chronico, Hieronymus, de Scriptoribus Ecclesiasticis, Nicephorus, lib. 2, Hist., cap. 42, qui annus juxtà Eusebium fuit Christi 96, secundùm Baronium verò 97. Ex quo liquet, summum triennium in eo exilio Joannem egisse, cùm Domitianus annos duntaxat quindecim Imperium tenuerit, juxtà Suetonium, cap. 17, vel non multò ampliùs. Addit Zonaras dies quinque, Eusebius menses quinque. Domitiano autem occiso, et à Nervâ successore actis Domitiani rescisis, statim Ephesum Joannes redierit : ut proindè necesse sit, intrà illud exilii biennium vel triennium inchoatum, Apocalypsim Joannis fuisse conscriptam (1).

CAPUT VIII.

De modo, quo se Deus cum hisce Scriptoribus Hagiographis habuit.

SECTIO I.

De triplici modo quo se cum his habere potest Spiritus sanctus.

Cùm Scripturæ sacræ libri ità Scriptorum Hagiographorum sint, ut ipsi tantummodò instrumenta sint et organa, quorum ministerio Spiritus sanctus usus est ad sua consilia et sensa hominibus manifestanda, primariusque eorum auctor sit idem Spiritus sanctus; videndum nunc nobis quomodo sese Spiritus sanctus cum Scriptoribus Hagiographis habuerit, quidque factum sit ut sacris libris divina auctoritas velut sigillo impresso conciliata sit.

Tribus modis potest concipi Spiritum sanctum sese cum sacris Scriptoribus habere, antecedenter videlicet, concomitanter et consequenter; qui omnes tres modi videntur sufficere, ut aliquid sit Scriptura sacra et verbum Dei.

SECTIO II.

Quomodo et quandò Deus antecedenter se habeat in sacrorum librorum scriptione.

Antecedenter se habet Spiritus sanctus, cùm inspirat, revelat, demonstrat quæ dicenda scribendave sunt, ità ut de suo, marteve proprio nihil addat scriptor, sed ea duntaxat scribat, quæ à Spiritu sancto inspirata revelataque sunt: ad eum modum quo discipulus magistro dictante excipit quæ ab eo proferuntur. Hùc al-

(1) De totâ controversiâ in diversis sectionibus septimi capitis agitatâ, vide præfationes unicuique libro præpositas.

ludit Psalmista, Psalm. 44, cùm ait: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, quanquam et plus aliquid ibi velit Propheta, indicans linguam suam à Spiritu sancto ità moveri, quemadmodum non modò discipulus dictante magistro calamum movet, sed etiam ad eum modum, quo qui scribere discit, ad formandos characteres permittit sibi à magistro manum tenente et dirigente eamdem manum et calamum, non quo et quomodo ipse velit, sed quo et quomodo vult is qui dirigit et impellit, moveri : hoc est, ad eum modum, ut non sit in potestate loquentis et scribentis aliud loqui et scribere, quàm quod Spiritus sanctus inspiraverit. Hinc et illud 2 Petri 1, vers. ult. : *Non enim voluntate humanâ allata est aliquandò prophetia ; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Potestque in præsenti materia id fieri tribus modis, vel per revelationem in exstasi, sive imaginariam, ut ferè Prophetæ; sive intellectualem, ut S. Paulus in illâ exstasi 2, ad Corinth. 12, vel per allocutionem aut visionem sensibilem externam, ut cùm Abrahamum pluries, Moysem in rubo et aliàs, Josue, Danielem, et alios, sensibili voce Deus vel Angelus allocutus est, vel sensibili specie quippiam ostendit, ut Dan. 10; vel denique per inspirationem internam in vigiliâ, ità tamen ut supernaturali lumine intelligerent Scriptores se à Deo moveri, et Dei verba eloqui. Ità etiam frequenter Prophetæ, ut cùm Elisæus adducto psalte 4, Reg. 3, prophetavit; et Daniel, cùm, Danielis 4, Nabuchodonosoris somnium de arbore vastissimâ explicuit. Est autem totus hic modus ferè propheticus, cùm vel futura, vel arcana, præterita, aut præsentia, ut cùm absentia cordisve arcana revelantur, vel sublimia fidei mysteria, sive per proprias species, sive per ænigmata et species alienas, sive per altius aliquod in intellectu lumen demonstrantur. Hinc appellatæ Prophetiæ *visiones*, et Prophetæ *Videntes*. Hinc nati sunt illi modi loquendi Prophetis in Scripturâ familiares : *Facta est super me manus Domini. Factum est verbum Domini ad me*, etc.

SECTIO III.

Quandò et quomodo se concomitanter habeat Spiritus sanctus in sacrorum librorum scriptione.

Concomitanter sese habet Spiritus sanctus, cùm non ad modum dictantis et inspirantis se habet, sed ad eum modum, quo qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quâpiam erraret. Hoc enim modo potest Spiritus sanctus Scriptorem Hagiographum dirigere, ut in nullo eum errare fallive permittat; cùm enim præsciat quid ille scripturus sit, ità ei adstat ut sicubi videret eum erraturum, inspiratione suâ illi esset adfuturus. Hic modus videtur à Spiritu sancto conservatus in historiis, dictis aliorum factisque referendis, quæ vel visu cognita, vel auditu ab hominibus fide dignis accepta fuerant. Ità Evangelia, ità Acta Apostolorum, ità Machabæorum libri, ità cæteri libri historici à Prophetis aliisve conscripti ; nisi cùm res ob antiquitatem vel remotionem temporis aut locorum arcanæ et incognitæ referendæ fuerunt, uti factum à Moyse in Genesi ; tunc enim necessarius fuit primus modus.

SECTIO IV.

Discrimen primum inter duos hosce modos.

Hinc colligas distinctionem inter hunc modum secundum et primum, quòd in secundo sit libertas in Scriptoribus tàm quoad exercitium quàm quoad specificationem, ut paulò post explicabitur; at in primo est quidem in Prophetis et Scriptoribus illis libertas quoad exercitium, at non quoad specificationem ; etsi enim non sit illis liberum recipere revelationem vel inspirationem divinam, est tamen liberum illis loqui, scribere, amanuensibus dictare, cùm res illa ut plurimùm aliquam temporis latitudinem admittat, ut vel tunc vel posteà fiat. Et quanquàm Deus tunc id fieri vellet, tamen non desunt Deo suaves modi, quibus salvâ libertate Scriptorem ità moveat, prout prævidit reipsà liberè eum id facturum ; contrà quam dæmon olim in iis qui responsa dabant faciebat : nam libertatem eripiebat, non directè et immediatè necessitando voluntatem, quod facere non potest, sed indirectè et mediatè, turbando phantasiam, et consequenter usum libertatis eripiendo enthusiasmo illo suo et fanatico furore, quem inferebat : quam rem in Sibyllâ illâ suâ pulchrè expressit Poeta 6. Æneidos :

Ventum erat ad limen, cùm virgo : Poscere fata
Tempus, ait : Deus, ecce Deus, cui talia fanti
Antè fores subitò, non vultus, non color unus,
Non comptæ mansêre comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quandò
Jam propiore Dei.....

et paulò post :

At Phœbi nondùm patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit

Excussisse Deum : tantò magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Porrò, in eodem illo primo modo non est libertas quoad specificationem, cùm non sit Prophetis liberum quæ velint loqui, sed ea duntaxat quæ revelatione vel inspiratione divinâ acceperunt, ad quæ etiam ab intrinseco determinati sunt. At in secundo modo est libertas quoad utrumque, et indeterminatio, saltem ab intrinseco; nam in exercitio ut scribant, liberi sunt, idque faciunt cùm ad lubitum ipsis est; quoad specificationem verò, est quidem determinatio quædam ab extrinseco, ut diversa vel contraria iis quæ scribunt scribere non possint, cùm scribentes Spiritus sanctus non patiatur in scribendo errare, semper adstet scribentibus paratus in actu primo illis quæ scribenda sunt inspirare, sicubi sibi relicti essent aberraturi; ab intrinseco tamen liberi sunt, cùm reipsà illos Spiritus sanctus non determinet, nec quidquam antecedenter in illis operetur, nisi sicubi operatio divina illis est necessaria.

SECTIO V.

Discrimen alterum duorum istorum modorum.

Hinc et aliud discrimen duorum istorum modorum colligas, quòd in priore, præter externum scribendi laborem, vel nullus, vel exiguus sit labor scribentium, cùm non debeant laborare quid vel quomodò loquantur, maximè si conjuncta sit revelatio vel inspiratio cum scriptione, singula Scriptoribus dictante et inspirante Spiritu sancto, ad eum modum quo discipulus, magistro dictante, sine labore et exiguâ attentione quæ dictantur scripto excipit, imò subindè aliud agens et cogitans : multòque id magis locum habet in præsenti materiâ, cùm discipulus dictata à magistro excipiens, et aliud agens vel cogitans, in scribendo errare possit; at Hagiographus ille Scriptor non possit etiamsi velit errare, manum movente Spiritu sancto. At in posteriore modo laborare debet Scriptor Hagiographus, non secùs atque alius quilibet scriptor, et attendere tùm ad res ipsas, tùm ad verba quibus proloquitur. Hinc Scriptor libri 2 Machabæorum, cap. 2, vers. 27, operis suscepti obtendit difficultatem : *Et nobis quidem ipsis*, inquit, *qui hoc opus breviandi causâ suscepimus, non facilem laborem, imò vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.* Et paulò post, insinuans in quibus labor et difficultas illa sit posita, ait; *Etenim intellectum colligere, et ordinare sermonem, et curiosiùs partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori; brevitatem verò dictionis sectari, et executiones rerum vitare, brevianti concedendum est.*

Dixi verò, in priore illo modo laborem esse perexiguum vel nullum; sed adjeci : *maximè si conjuncta sit revelatio vel inspiratio cum scriptione, singula Scriptoribus dictante et inspirante Spiritu sancto:* siquidem potest duobus modis id fieri : nam revelatio potest tempore antecedere, ut in exstasi, in somno, aut etiam in vigiliâ, cùm homo totus est in rerum quæ revelantur speculatione, et tunc potest in scriptione sibi Propheta relinqui, ut quæ viderit scribat, et de suo labore aliquid conferat, considerando quibus ea verbis efferat et eloquatur, Spiritu sancto tamen assistente, et in actu primo parato eum, si opus sit, juvare, nec ubi scriptio à visione vel revelatione dissentiat. Altero modo fit, cùm revelatio et inspiratio tempore scriptionem (idem est de vocali Prophetiâ) comitatur, licèt naturâ et causalitate antecedat; tunc enim ut plurimùm etiam verba, quibus res visas Propheta eloquatur, à Spiritu sancto inspirantur. Potest tamen etiam Spiritus sanctus, cùm antecessit revelatio, inter scribendum vel dictandum ipsa etiam verba suggerere, et laborem scribentis aut dictantis hâc in parte minuere; et verò ità aliquandò factum ex Scripturâ docemur. Cùm enim Jerem. 36 dictum esset à Deo Prophetæ : *Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversùm Israel et Judam, et adversùm omnes gentes, à die quâ locutus sum ad te, ex diebus Josiæ usque ad diem hanc, si fortè*, etc. Quibus verbis satis liquet juberi Prophetam scribere revelationes quæ jam anteà ipsi factæ fuerant, imò quæ jampridem multis annis antecesserant. Et mox subditur, vocato ad se Baruch scribâ suo, ea dictâsse. Interrogatus à Principibus Baruch, quibus ipsa librum legerat, quomodò ipse omnes istos sermones scripsisset, respondet vers. 18: *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos; et ego scribebam in volumine atramento.* Quibus verbis satis indicatur, Prophetam sine labore ea dictâsse, perindè atque si ea legeret, vel aliquis ea ipsi suggereret.

SECTIO VI.

Discrimen tertium duorum istorum modorum.

Ex dictis tertium discrimen etiam inter duos hosce modos colligi potest, nempè, quòd

priore modo certus sit is qui scribit vel prophetat, ea quæ scribit vel loquitur esse à Deo, neque posse iis subesse falsum, cùm certò illi constet, se à Deo doceri et moveri; at in posteriore modo nescit ferè scriptor quæ scribit esse à Deo, vel infallibili veritate niti, nisi aliundè certus sit sibi Spiritum sanctum assistere, quemadmodùm hujus rei certitudinem habebant Apostoli ex Christi promissione, Joannis 14 : *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis;* vel nisi qui scribunt, sciant se à Spiritu sancto mediatè accepisse, ab aliis videlicet qui hanc Spiritus sancti assistentiam habere sciebantur. Hinc Lucas, initio sui Evangelii : *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis; visum est et mihi, assecuto omnia à principio diligenter,* etc. Hinc fit, ut cùm nesciant se à Spiritu sancto dirigi, qui hoc posteriore modo scribunt Spiritu Sancto assistente, possint subindè uti excusatione, quasi dubitantes an veritatem, aut cæteras omnes boni Scriptoris vel Historici partes sint assecuti, quemadmodùm facit Scriptor lib. 2 Machab. tùm cap. 2, tùm inprimis cap. ult. in fine : *Et si quidem benè,* inquit, *et ut historiæ competit, hoc et ipse velim; sin autem minùs dignè, concedendum est mihi.* Sic et Ecclesiasticus in suo Prologo excusat se, quòd in transferendo in Græcam linguam avi sui gnomas, non ità fortè vim et energiam vocum Hebraicarum assecutus sit.

At objiciet fortassè quispiam : Si nesciebant hi sese à Spiritu sancto dirigi, non sciverunt ipsi de fide certâ esse quæ scribebant; quomodo ergò ea tanquàm revelata ab iis proponi potuerunt, vel ea tanquam de fide certâ recipere potuit Ecclesia? siquidem Ecclesia novas revelationes non recipit, sed tantummodò quæ circà revelata exoriuntur dubitationes et controversiæ, adhibito studio et examine Scripturarum ac traditionum definit et explicat. Quòd si ità est, necesse est anteà factam revelationem, eamque certam et evidentem, ut possint aliis revelata proponi tanquàm credenda fide certâ et divinâ, non tantùm quoad res ipsas revelatas, sed etiam quoad ipsam revelationem.

Respondeo, verum esse requiri novam revelationem, quâ universim et in genere post librum conscriptum reveletur, omnia quæ in eo libro sunt, à Deo esse. Potest autem ea revelatio vel ipsi Scriptori Hagiographo fieri, vel etiam alicui alteri, ut in veteri Testamento Prophetæ alicui, vel Sacerdoti Deum per oraculum Urim et Thummim consulenti. Quin etiam, si de quibusdam libris veteris Testamenti posterioribus temporibus scriptis satis non liqueret, propterea quòd et Prophetarum oracula, et illud Sacerdotum per Urim intercidissent (quæ ratio esse potuit cur de Sapientiâ, Ecclesiastico, Machabæis, nihil olim fuerit definitum), posteà tamen à Christo dùm in terris ageret, vel à Spiritu sancto per Apostolos ea revelatio haberi potuit. Porrò, non esse necessarium ut ipsi primo Scriptori fiat hæc revelatio, tùm ex sese satis perspicuum est, tùm satis probari potest ex iis quæ sequenti Sectione dicentur, cùm ostendemus Paulo revelatum esse quasdam Poetarum ethnicorum sententias verè ab illis pronuntiatas esse.

Notanda tamen in hoc secundo modo duo. Unum, licèt in hoc modo non se habeat antecedenter divina inspiratio, quâ singula demonstrentur et inspirentur, non deesse tamen Scriptori initio inspirationem quamdam generalem scribendi talem historiam, vel pulchras gnomas ad vitam moresque benè componendos, vel quid aliud, licèt hæc inspiratio sit ferè interna et occulta : nam sicut in aliis Spiritûs sancti inspirationibus nobis non constat an à Spiritu sancto, an ab humano spiritu moveamur, ità nec in his ferè est certa inspiratio. Alterum est, licèt in hoc secundo modo Spiritus sanctus hominem sibi relinquat, nihil in eo antecedenter operando, subindè tamen etiam priorem modum huic secundo admisceri, et inspirationem aliquam accedere, ut si quid visorum auditorumque Scriptor esset oblitus, juxtà illud suprà : *Suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis;* hoc est, in memoriam revocabit; vel si quâ in re esset Scriptor erraturus, nisi à Spiritu sancto doceretur, ut fieri potuit cùm Hagiographus Scriptor res referebat quæ à nonnullis parùm fideliter ipsi erant relatæ; quemadmodùm facilè accidit, ut quis etiam fide dignus vel humano errore, vel levi mendacio in circumstantiâ aliquâ rei gestæ referenda hallucinetur : tali enim in casu adesse debebat Spiritus sanctus tùm intellectui, tùm manui, nequâ in re scriptio à rei veritate discreparet; addo verò, etiam quotiescumque vel ex incogitantiâ vel negligentiâ aliquis alioqui profecturus fuisset in scribendo error; tunc enim et manus à Spiritu sancto continenda, et animus ad vigilantiam et considerationem fuit excitandus

SECTIO VII.

Quomodo consequenter se possit habere Spiritus sanctus in librorum scriptione.

Consequenter se habere posset Spiritus sanctus, si quid humano spiritu absque Spiritûs sancti ope, directione, assistentiâ à quopiam scriptore esset conscriptum, posteà tamen Spiritus sanctus testaretur omnia, quæ in eo scripta essent vera esse : certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore Dei verbum, et eamdem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cætera quæ inspiratione vel directione ejusdem Spiritûs sancti conscripta essent : quemadmodùm tàm est regis verbum, et paris auctoritatis, cùm quis à secretis vel notarius proprio marte mandatum aliquod regium vel instrumentum publicum concipit, quod posteà rex lectum probat, et sigillo suo impresso munit, cum eo quod rex ipse concipit, scribit, dictat. Hoc tertio modo etsi non existimem Spiritum sanctum aliquandò usum in iis quos habemus sacræ Scripturæ libris, absolutè tamen nihil vetat uti, vel etiam aliquandò usum, fortè in iis libris nonnullis ac scriptis, quos suprà cap. 6 diximus fuisse Scripturam sacram, et posteà tamen intercidisse; maximè cùm Scriptura sacra, hoc est Spiritus sanctus, videatur eos ut veros compendio et quasi verbo uno probare, cùm nos ad rei gestæ veritatem pleniùs cognoscendam ad eos remittit. Et verò, quemadmodùm Spiritus sanctus sententiam quampiam profanam, ab ethnico et impio homine prolatam aut scriptam, potest reddere Scripturam sacram et verbum Dei, eam probando et veram esse asserendo, et ità de facto fecit, dùm per Apostolum Paulum organum suum illam Arati sententiam, Act. 17: *Ipsius enim genus sumus;* et istam Epimenidis ad Titum 1 :

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

Pari modo integram unam historiam, vel librum aliquem sive de moribus, sive de re quâpiam aliâ tractantem, quanquàm initio profano spiritu scriptum, potest Spiritus sanctus Scripturam sacram reddere, asserendo vera esse omnia quæ in eo libro haberentur.

CAPUT IX.

De obscuritate Scripturæ sacræ.

SECTIO I.

Hæretici quid sentiant.

In Scripturâ nihil esse obscuritatis, nihil difficultatis, sed in eâ summam esse claritudinem, volunt Lutherus, lib. de Servo arbitrio, et plerique nostri temporis hæretici, ob idque sutoribus, latomis, cerdonibus, mulierculis, bubulcis, stupidis (adderent etiam, morionibus et fatuis), omnia quæ in Scripturâ sunt esse pervia et aperta. Bellè admodùm in hos quadret quod alicubi Hieronymus : *Nulla ars sine præceptore percipi potest, sola Scripturarum scientia est quam hi passim sibi omnes vindicent, præsumant, doceant antequàm discant.* Horum tamen alii, videntes se experientiâ et evidenti de contrario convinci, temperant hanc sententiam, ut in plerisque velint sacram Scripturam esse obscuram, necessariamque illi esse explicationem; at omnia quæ ad salutem pertinent, apertè in Scripturâ proponi, ob idque posse à quolibet è populo etiam indocto et idiotâ, utiliter Scripturam legi. Imò tandem Lutherus (ut semper est inconstans hæresis et perfida), cui omnia initio tàm aperta in Scripturâ videbantur, coactus est fateri, eamdem esse valdè obscuram. Nam Præfatione in Psalmos fatetur, se non præsumere, quod nullus adhuc doctissimorum et sanctissimorum præstare potuerat, posse se Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere; fatetur esse impudentissimæ temeritatis, profiteri quempiam, unum à se Scripturæ librum per omnia intellectum; fatetur, libro de Conciliis, se, contemptis Patrum Commentariis, magno suo sudore in investigandâ sacræ Scripturæ intelligentiâ laborâsse ; fatetur in Symposiacis, cap. 1, nos in Scripturis vix primum alphabetum scire, Dei verbum esse inscrutabile, verbum etiam unicum Scripturæ perscrutari, et verum ejus sensum eruere, non esse possibile, neque id doctissimos quosque Theologos posse. Quocircà non habet locum, quod alibi Lutherus conatus est adstruere, ut priorem illam suam de Scripturæ facilitate assertionem stabiliret ac defenderet, eam nimirùm esse clarissimam, sed piis et fidelibus, non autem impiis et infidelibus, nisi ipse se impiis et infidelibus velit accensere, omnes item illos doctissimos Theologos, virosque sanctissimos eodem loco habeat.

SECTIO II.

Scripturam esse obscuram.

Dico ergò, certum esse Scripturam esse admodùm obscuram et difficilem. Probat id primò evidenter experientia; quotus enim quisque est, licèt doctissimus, et multùm diù-

que cum sudore in Scripturis versatus, qui non se eorum quæ in Scripturâ sunt vix nimiam partem capere, ubique obscuritates esse, ubique difficultates suboriri, è quibus extricare se non possit, experiatur, ut vel stolidus esse debeat qui id neget; vel extremè superbus, qui id de se præsumat, vel summè malitiosus, qui hoc scuto utatur ad defendendam suam impietatem, vel oppugnandam veritatem. Et ut de nonnullis aliqua delibemus, quotus quisque est qui Psalmos, nominatim Psalmum 67 intelligat, Cantica canticorum, caput ultimum Ecclesiastæ, Prophetas, inprimisque Ezechielis visiones ac templi descriptionem, Apocalypsim, Epistolam ad Romanos, maximè cap. 9? Quis præsumere ausit se harum sententiarum intelligentiam esse nactum, Ecclesiastici 42: *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benè faciens;* Psalm. 35 : *Homines et jumenta salvabis Domine?* Eccl siastæ cap. 12, quæ non obscuritas in verbis istis : *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis*, etc. *quandò commovebuntur custodes domus, et mutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina : et claudent ostia in plateâ, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiæ carminis. Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in viâ, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis. Antequàm rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam!* Quis illud è 1 ad Corinth. 3, benè intelligit : *Si quis superædificat, super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam*, et quod sequitur de igne? Quis illud ejusdem Epistolæ 15 : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt?* et alia hujusmodi sexcenta. Proverbiorum librum qui faciles passim et obvios sensus habere sibi persuaseserit, næ is simplex (hoc est, exigui cerebri, quique à fatuo parum distet) ab Hieronymo audiet. Ità enim ipse ad cap. ultimum Ecclesiastæ : *Ex quo*, inquit, *manifestum est, et Proverbiorum librum, non, ut simplices arbitrantur, patentia habere præcepta; sed quasi in terrâ aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditis fructus inquiritur, ità in eis divinum sensum altiùs perscrutandum.* Adde his tot in speciem antilogias, tot hystera protera, tot difficultates chronologicas, tot allegorias, tot tropos, tot rerum futurarum in Prophetis obscura symbola et ænigmata, idiotismos Hebraicos, suspensas et imperfectas sententias.

Secundò, idem probant tot Commentarii, tot lucubrationes SS. Patrum ac doctissimorum virorum, ab Ecclesiæ initio ad hoc usque tempus, quos videmur semper aliquid è Scripturâ novi eruere; et horum multos videmus diversa sentire, et diversas interpretationes eorumdem locorum, quod non fieret, si tàm planus et apertus esset Scripturæ sensus : siquidem rei apertæ et evidenti contradicere, summæ est vel stultitiæ, vel malitiæ, quæ viris illis doctis et sanctis imponere, vel de iis sine ratione suspicari, intoleranda injuria est. Idem probant tot disputationes Catholicorum inter se, tot altercationes hæreticorum cum Catholicis, vel inter se, de vero sensu multorum locorum; quos omnes quis dicat pertinaciter agnitam et evidentem veritatem impugnare? Idem fuit sensus Rabbinorum, qui tot sive antè sive post Christum in Scripturam Commentarios ediderunt. Hoc ipsum indicavit Christus Dominus facto suo Lucæ ult. cùm Scripturas discipulis in Emmaüntè euntibus interpretabatur, utiqui non satis apertas; aliàs enim non fuisset opus interpretatione, sed solà locorum propositione. Idem Apostoli fecerunt virique Apostolici : id liquet ex Petri prædicatione, Act. 2, ubi multis interpretatur locum obscurum à Psalmo 15 ex prædicatione Pauli, Act. 13, ubi locum eumdem Psalmi 15 explicat ; ex ipsius Epistolis cùm alibi, tùm in Epistolâ ad Hebræos; nam cap. 3. et 4, locum explicat è Psalmo 94, et cap. 7, totus est ut explicet quâ ratione Christus sit et dicatur à Davide Psalmo 109 : *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* Idem colligas ex facto Philippi diaconi, Act. 8, ubi jussus ad Eunuchi currum accedere, audiensque illum legentem Isaiam, illo negante se intelligere quæ legebat, conscenso curru cœpit illi locum quem legebat interpretari.

Tertiò, probant SS. Patrum dicta varia, quæ compendio collegit noster Serarius in Prolegomenis, quæque hic eâdem (additis pauculis vel detractis) brevitate retexo : ut primò, cùm disertè dicunt eas obscuras esse et profundas; ut S. Irenæus, lib. 2, cap. 47, Origenes, lib. 3 et 7 contrà Celsum, et Homil. 12 in Exodum, et lib. 4 Periarchon., D. Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 6. et Epist. 3 et lib. 12, Confess., cap. 14, in Psalmum 10, 28 et 140, et lib. 3 contrà Maximianum, cap. 22, D. Hieronymus, Epist. 142 et ad Algasiam, quæst. 8, item Proœmio, lib. 8 in Isaiam, in cap. 4. ad Ephesios, in

cap. 7 Ecclesiastæ, in Psalmum 93 Procopius in Isaiam, D. Chrysostomus, Homil. 40 in Joannem, et Homil. 11 ad Philippenses, Auctor Operis imperfecti, Homil. 44. Cassianus, Collat. 8., cap. 3, Ambrosius, Epist. 44 ad Constantium, Clemens Alexandrinus, lib. 6, Stromatum cap. 7. Secundò, eas absque magistro et doctore non posse intelligi, D. Hieronymus, Epist. 103, Præfatione in Epistolam ad Ephesios, et in Danielis cap. 11, sub finem, D. Basilius et Gregorius Nazianzenus apud Ruffinum lib. 11, cap. 9, Cassianus Collat. 2, cap. 11, Cassiodorus, libro Divinarum lectionum, cap. 21, D. Augustinus, lib. de Utilitate credendi, cap. 7, 14, 17. Tertiò, librum esse signatum, Origenes, Homil. 12 in Exodum. Quartò, non omnes ad Scripturas discendas admittendos, Nazianzenus, Oratione de Ordine differendi. Quintò, esse in iis abyssum quæstionum, D. Chrysostomus, Homil. 19 et 23 in Actus Apostolorum. Sextò, ipsas esse agrum, in quo defossus et absconditus sit sapientiæ thesaurus, ideòque necessarium esse, ut profundè in eo fodiatur, D. Chrysostomus Homil. 40 in Joannem, Rupertus, lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 1 et 2. Septimò, esse conchylium, in quo lateat margarita, S. Ephrem lib. de Virtutibus, cap. 8. Octavò, esse Pyritem, in quo lateat ignis, qui excutiendus, apud Turianum, lib. 1, de Dogmatibus. Nonò, esse arcum, è quo boni et mali sagittas possint ejaculari, D. Augustinus, in Psalm. 7. Undecimò, esse mare, in quo sensuum sit profunditas, D. Ambrosius, Epist. 44 ad Constantium. Duodecimò, Deum orandum ut eas aperire dignetur, Origenes, Homil. 12 in Exodum, et lib. 4 de Principiis, D. Augustinus in Psalm. 93, Clemens Alexandrinus, lib. 6 Stromat. cap. 7. Decimoterciò, etsi summum adhibeatur studium, maximèque diuturnum, semper tamen in iis esse quod discatur, D. Augustinus, Epist. 3, Divus Chrysostomus, Homil. 19 in Actus. Decimoquartò, post summum diuturnumque in iis Scripturis studium, summos etiam et ingeniosissimos homines opinatos potiùs aliqua se intelligere, quàm intellexisse, D. Hieronymus, Epist. ad Marcellam. Decimoquintò, imò et de seipso, in iis alioquin exercitatissimo, D. Augustinus 119 ad Januarium, cap. 21: *In ipsis*, ait, *sanctis Scripturis multò nescio plura, quàm scio*. Decimosextò, quò plus in Scripturâ procedit quis, cò majores illi occurrere difficultates, D. Hieronymus in cap. 4 ad Ephesios. Decimoseptimò, quærunt interdùm, cur eas ità obscuras reliquerint Apostoli, nec exposuerint. Rupertus in Apocalypsim, lib. 6. Decimooctavò, conantur ostendere, undè istiusmodi Scripturarum difficultas, D. Augustinus, de verâ Religione, cap. 50. in Psalm. 21 Expositione 1 et 2 in Psalmum 28, et initio de Consensu Evangelistarum. Decimononò, à divinâ providentiâ, inquiunt, curatum, ut essent hæ Scripturæ difficiles, D. Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 6. Vigesimò, et cur ità Deus voluerit, causas adferunt bonas et plures, idem S. Augustinus eodem lib. 2. de Doctrinâ Christianâ, cap. 6. et in Psalmum 140, et Sententiâ 66, Origenes, lib. 4 de Principiis, Clemens Alexandrinus, lib. 6 contrà Julianum, Auctor Operis imperfecti, Homil. 44, Procopius, principio Commentariorum in Isaiam, D. Gregorius Homil. 6. in Ezechielem.

Quartò, probari idem potest sacræ Scripturæ testimonio: divus enim Petrus Epistolæ suæ 2 cap. ult. testatur in Pauli Epistolis esse quædam difficilia intellectu: *Quæ*, inquit, *indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem*. Depravant, inquam, vel ex ignorantiâ aliquâ, culpabili tamen, aliàs enim non ad suam ipsorum perditionem; vel malitiosâ additione, detractione, rejectione, interpretatione.

SECTIO III.

Digressio de fide nostri ævi hæreticorum in tractandâ Scripturâ sacrâ.

Ibi notandus hæreticorum cùm præcedentis temporis, tùm inprimis nostri ævi genius, quos graphicè suo penicillo vivisque lineamentis S. Petrus depinxit, qui cùm dicant se admittere sacras Scripturas, nihilque aliud crepent quàm purum verbum Dei, nihil tamen minùs agunt, quàm ut Scripturis, nisi in speciem quamdam, sua dogmata stabiliant, dùm in Scripturâ quæ volunt immutant, addunt, detrahunt, rejiciunt, pravâ interpretatione corrumpunt. Volunt sanè nostri ævi sectarii Scripturis omnia probari; volunt Scripturam ità esse apertam, ut per eam omnia fidei dogmata possint stabiliri; et quanquàm singula fortè loca non ità sint aperta, per alia tamen ejusdem Scripturæ loca posse perspicuè declarari; jactant hæc et prædicant: quàm candidè, quàm sincerè hâc in re procedant, animadvertite. Si quis Scripturæ liber nimis perspicuè eorum hæreses jugulet, et dogma Catholicum firmet, hunc rejiciunt eumque Catholicis eripiunt, ne ex eo contrà ipsos

agere possint. Manifestè jugulabat Lutheri errorem de Justificatione per solam fidem Epistola Jacobi; hanc Lutherus totam rejicit ut aridam, stramineam, et Apostolico Spiritu vacuam. Libri Machabæorum disertè confirmant Catholica dogmata de Purgatorio, de suffragiis mortuorum, de Invocationibus sanctorum; quibus cùm Lutherus contradicere vellet, visum est illi, ne ex his libris coargui posset, eos è medio tollere, et à Scripturæ Canone relegare. Eosdem eamdem ob causam rejecit Calvinus; idem fecerunt Anabaptistæ ob similem causam, quòd adversarentur eorum dogmati, quo volunt Sanctos antè diem judicii nec videre Deum, nec pro nobis orare. Ubi libros integros repudiare non audent, ne nimis apertè eorum prodatur perfidia; si quid suis dogmatibus contrarium in Scripturis animadverterint, vel non satis illis favere, id immutant, addunt, detrahunt. Sic Lutherus, in Epistolà ad Romanos, cap. 3, ut suum dogma de Justificatione per solam fidem alioqui infirmum fulciret, illi Apostoli sententiæ: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, adjici ipse voluit *tantùm*; ut per illam particulam opera fidei ex gratiâ facta excluderet. Ubi verò hæc sublesta fides benè illis non procedit, aliud quærunt subterfugium, pravam nimirùm locorum sacræ Scripturæ interpretationem, contrà omnium Patrum, quos omnes rejiciunt, contrà totius Ecclesiæ antiquæ et recentioris sensum et explicationem, imò contrà apertam ipsius Scripturæ sententiam. Quid illo loco apertius, ubi Christus dixit: *Hoc est corpus meum*, si simplicem vocum significationem sequamur? aut quâ ratione apertiùs id Christus dicere potuisset, si id voluisset facere, quod Catholici dicunt voluisse fac re? et tamen hi boni viri novam interpretationem inveniunt, ut, *Hoc est corpus meum*, idem sit, quod, *Hoc significat corpus meum*, vel, *Hæc est figura corporis mei*. Hanc sanè interpretationem dicere non possunt esse ex ipsis Christi verbis perspicuam, cùm nescio quem in eâ tropum esse velint, et admittere cogantur, velint nolint, Catholicorum explicationem minùs contortam esse, et verbis ipsis Scripturæ r ctiùs congruere. Rursùm, suam hanc interpretationem non possunt ex alio Scripturæ loco apertiore firmare, ubi videlicet significetur in Eucharistiâ nihil aliud esse quàm corporis Christi signum vel figuram: non igitur præstant id quod plenis buccis jactant, Scripturam esse apertam, ejusque se apertum sensum sequi, vel locum obscurum alio planè aperto demonstrare. Et tamen in hujusmodi nebulis et obscuris interpretationibus jactare audent nescio quem privatum spiritum; qui spiritus tàm fanaticus, tàm infidelis et sublestæ fidei undè sit, non difficile erit agnoscere, qui animadvertat, illius proprium non esse tenebras pellere, sed soli nebulam et caliginem affundere. Hoc si Scripturam sequi, si eam interpretari est, et non depravare, juxtà mentem Petri, judicet is non qui pudorem, sed qui caninam frontem excussit.

SECTIO IV.

De causis obscuritatis sacræ Scripturæ.

Restat nunc ut causas prodamus et fontes, ex quibus oriatur ista sacræ scripturæ obscuritas, quibus perfectis magis perspicua evadent, quæ hoc capite in præcedentibus dicta sunt. Oritur ergò primò hæc obscuritas ex rerum, de quibus in Scripturis agitur, sublimitate: qui enim alteri rem ignotam et nunquàm visam, quæque per aliarum rerum similitudinem declarari non possit, quia nulla sit ei similis, velit describere, fieri non potest quin in audientis animo magnam relinquat obscuritatem et confusam notitiam. Quòd si in rebus humanis id locum habet, quæ humani intellectûs capacitatem non transcendunt, sed duntaxat deest humani sensûs experientia propter rei absentiam; quantò magis id locum habebit in rebus altissimis, et ab omni intellectu humano remotis, quæ præterquàm quòd absentes sint, etiam Beatorum qui ea vident, possident, fruuntur, capacitatem excedunt! Hinc Christus, Joannis 3: *Si terrena dixi vobis, et non creditis* (quia scilicet non intelligitis), *quomodò, si dixero vobis cœlestia, credetis?* ad quæ scilicet humana intelligentia non ascendit. Porrò quàm sublimia illa sint mysteria, Trinitatis, generationis Verbi, processionis Spiritûs sancti, Incarnationis, divinæ visionis et fruitionis, Sacramentorum novæ legis, imprimisque Eucharistiæ, æternæ prædestinationis et reprobationis etc., nemo est qui nesciat: ut meritò dicat Apostolus 2 Corinth. 12, in suâ illâ exstasi, in quâ mysteria hæc sublimiore quodam lumine perspexerat, audivisse se arcana verba, quæ non licet homini loqui, hoc est, nemo possit pro dignitate explicare. Et hanc primam obscuritatis hujus causam omnes SS. Patres et Doctores agnoscunt, omnesque ferè meminerunt.

Secundò, hæc obscuritas manat ex rerum, si non sublimitate, certè absentiâ, ut sunt

plurima futura, quæque ad vitam futuram pertinent, ad improborum supplicia, etc. Item quæ sunt præterita, uti sunt multa quæ perstringuntur in Genesi, aliisque libris veteris Testamenti, quæ quia nunc nec in usu sunt, nec unquam visa, necesse est ut aliquam in animis obscuritatem relinquant. Quot enim sunt de templo Salomonis, de Leviticis sacrificiis, de Sabbato, secundo primo, Luc. 6, discrepantes sententiæ? quæ omnia ex antiquitatis ignoratione et experientiæ defectu proveniunt. Nemo est qui non fateri debeat, omnes de rebus futuris prophetias ferè esse hanc ob causam obscuras, rerumque prænuntiatarum eventu reddi longè clariores. Et hæc inter cæteras causa una est, cur Apocalypsis nobis tàm sit obscura; cur quæ de Christo erant Prophetiæ tàm Judæis obscuræ manserint, donec eæ in Christo impletæ fuerunt, ipsâque impletione nobis ità pleraque plana et aperta sunt reddita, ut clarè perspici possit, quàm bellè res ipsæ prædictionibus consentiant. Hinc Agnus, seu Christus, Apoc. 5, dicitur librum signatum sigillis septem, quem nemo alius aperire potuit, aperuisse.

Tertiò, procedit hæc obscuritas ex modo loquendi, et formâ ac charactere sermonis, quo utitur sacra Scriptura: siquidem in eâ sunt voces ambiguæ significationis, ac diversa significantes; sunt omnis generis tropi, metaphoræ, allegoriæ, ironiæ, catachreses, metonymiæ, synecdochæ; sunt antiphrases, ut illud: *benedicere* pro *maledicere, sanctificari* pro *pollui;* sunt prolepses, hystera protera, anticipatæ narrationes; sunt voces quæ nusquam alibi, et in sacrâ Scripturâ nonnisi semel reperiantur; sunt antilogiæ in speciem, sententiæque quæ primâ fronte videantur sibi invicem repugnare; sunt idiotismi Hebraici, sunt hellenismi; interdùm à personâ ad personam, à figurâ ad rem figuratam, ab unâ re subitò, maximè in Prophetis et Psalmis, ad rem salitur disparatam; sunt interruptæ et suspensæ sententiæ; est conjunctionum et particularum tùm in Hebræo, tùm in Græco, tùm in Latino textu diversa acceptio, in quibus quantùm momenti sit ad verum Scripturæ sensum eliciendum, nemo doctus ignorat: de quibus nos alibi fusiùs, maximè verò infrà in Scripturæ Canonibus.

Quartò, præterquàm quòd de rebus absentibus, incognitis, futuris, sublimibus mysteriis agatur in Scripturâ, idque subindè per voces formasque loquendi obscuriores; accedit etiam, quòd subindè ea per ænigmata symbolaque æquivoca in Scripturâ explicentur, ut Christus nasciturus ex Virgine, apud Danielem per lapidem de monte abscissum sine manibus, apud Isaiam, cap. 11, per florem, uti et B. Virgo per virgam; apud Ezechielem Nabuchodonosor Chaldæorum rex, et Pharao rex Ægypti, symbolo duarum aquilarum magnarum; Samaria et Jerusalem, symbolo duarum sororum meretricum et adulterarum, cap. 23. Hujusmodi symbolis hieroglyphicis plena est Apocalypsis Joannis, et Prophetæ passim.

Quintò, nascitur hæc obscuritas ex sensuum varietate: potest enim una eademque Scripturæ sententia plures sensus litterales recipere; potest sub iisdem litteris Hebraicis diversimodè et cum diversis punctis lectis, duplex ac disparatus latere sensus. Præter sensum litteralem sunt mystici tres, tropologicus, allegoricus, anagogicus qui sub litterâ tanquam nucleus sub cortice latent, quos non dico quoquo modo eruere, sed aptè, ut reverà nativi appareant, et à Scriptu sancto intenti, non est cujuslibet, sed exercitatorum et perspicacium ingeniorum. Et verò mira est hisce Scripturæ sacræ fecunditas, utpotè quæ ab inexhausto divinæ Sapientiæ oceano procedit, è quâ nunquam tantùm deprompseris, quin plura lateant eruenda; ut proindè nunquam sit defutura ampla seges et materia magnis ingeniis ad novi aliquid eruendum. Et quanquàm in Scripturâ interpretandâ tutissimum sit tritam Patrum viam ingredi, non sunt tamen repudiandæ novæ interpretationes, quæ neque à fidei regulis discordant, neque suî novitate et nimiâ insolentiâ, nescio quid temeritatis et vanitatis redolent. Semper enim Ecclesia per ætates crevit et profecit, neque omnes suos thesauros è Scripturâ uno eodemque tempore deprompsit Spiritus sanctus: potest posterioribus hisce ætatibus, quibus nec sanctitas, nec magna ingenia, desunt, aliquid indulsisse, quod prioribus negavit sæculis.

SECTIO V.

Cur Spiritus sanctus voluerit Scripturas esse obscuras.

Porrò cur Deus Scripturas sacras voluerit esse obscuras, causæ à diversis diversæ assignantur, nec malæ. Primò, ne Scripturæ vilescant: quæ enim difficultatem habet quævis ars, scientia et cognitio, quamque pauci assequuntur, eadem solet in pretio esse: idem ferè est de rebus cæteris. Quæ autem omnium

teruntur manibus, vel quæ eam facilitatem habent, ut ad ea quilibet è vulgo pervenire possit, contemnitur, minimoque est in pretio.

Secundò, ut hominibus præberet honestam occupationem, et ingeniorum exercitationem in disputando, scribendo, commentando. Hùc enim videtur Spiritus sanctus collimàsse, ut amplissimam harum exercitationum segetem nobis magno cum nostro merito præberet, cùm nulla possit esse honestior occupatio, quàmquæ versatur in sublimibus illis fidei nostræ mysteriis, in rebus tantopere ad salutem nostram necessariis in investigandâ divinâ voluntate ejusque sanctissimis præceptis, in rebus denique tàm homine Christiano dignis; cùm vulgus hominum in aliis nescio quibus rebus vilibus et in terram depressis totam ferè ætatem, vel maximam illius partem consumat, unus in suibus aliisve pecoribus pascendis, alter in terrâ colendâ, in cæmento alius et lateribus, in opibus corradendis alius, in fundis dilatandis alius, in contractibus, in litibus, in aliis nescio quibus rebus, quæ sæpè hominem vacuum merito deserunt, vel eum innumeris involvunt peccatis, ut meritò nostra à nobis sors magni fieri debeat, quos Deus ad tam sanctam præclaramque exercitationem vocavit, necessariisque ad eam rem auxiliis instruxit.

Tertiò, quod còdem etiam pertinet, ut major in hisce Scripturis tractandis esset delectatio, eâque ratione magis iis detineremur, magisque illis afficeremur. Sentiunt hanc animi liquidam puramque voluptatem, qui in sancto studio versantur suprà quàm credi potest. Et verò usu venire solet, ut quæ studio et labore nostro parta sunt, longè magis delectent, et animum afficiant, et quasi partus proprii amentur. Quòd si philosophia rerumque naturalium cognitio tantas secum voluptates trahat, easdemque puras et defæcatas, teste ipso Aristotele, 10 Ethic., cap. 7, si mathematicæ scientiæ tantâ voluptate animum afficiant, ubi quis in iis de novo quid noverit, multòque magis si marte proprio novam ex aliis conclusionem elicuerit, uti experiuntur qui has disciplinas tractant, et ipse aliquandò sum expertus; quid censeri debet de eo, qui in hisce rebus, quas Scriptura continet, pulcherrimis, sanctissimis, divinissimis, maximèque salutaribus versetur? Ex quo et illud nascitur, ut in hoc quodammodo sacro animi epulo nulla insit nausea, nec ea timeri possit, ob rerum ferculorumque miram varietatem, dùm ex uno ad alterum proceditur, et delectatio delectationi succedit, nec prior, ut fit in voluptatibus corporis, sequentis delectationis sensum obtundit; quin potiùs metuenda sit gula quædam spiritualis, dùm aviditate nimiâ, diuturnioreque hujus exercitationis assiduitate valetudo corporis atteritur.

Quartò, ut quæ in Scripturâ sunt, firmiùs animis nostris inhæreant, et quasi infigantur: solent enim quæ obscura sunt, sæpiùs lectitari, attentioreque meditatione considerari. Ex quo alterum illud consequitur, ut dùm nostram in Scripturâ intelligendâ agnoscimus imbecillitatem, foveamur in humilitate, superbia nostra comprimatur, ad Deum per orationes, ut lumen impetremus, recurramus.

Habent singulæ hæ causæ vim suam, ut declarent, quàm conveniens fuerit ità à Deo fieri; habent conjunctæ maximam. Quibus omnibus accedit, eam esse intellectûs nostri imbecillitatem, eam rerum quæ in Scripturâ traduntur sublimita em, ut eæ humano more, et juxtà communem divinæ Providentiæ modum aliter quàm obscurè tradi non possint, nisi Deus altiori et supernaturali intellectum lumine collustret.

SECTIO VI.

Quæ adferenda ei quem studium Scripturæ delectat.

Ex dictis colligas, licèt naturæ et ingenii dotes non parùm conferant ad sanctum hoc Scripturæ studium, quia tamen à Spiritûs sancti lumine præcipuè expectanda est Scripturarum sacrarum cognitio et intelligentia, ei cui Scripturæ studium cordi est, præparandum esse cor et animum ut hoc Spiritûs sancti lumen recipere mereatur, atque inprimis hæc tria esse adferenda: Primò, Humilitatem; siquidem *Sapientia*, ut inquit Ecclesiasticus, cap. 15, vers. 7, *longè abest à superbiâ*, et de seipsâ ait Sapientia, Proverb. 8: *Arrogantiam, et superbiam et viam pravam et os bilingue detestor.* Ex quo colligas, quàm procul hæc futura sit ab hæreticorum animis, qui tumido supercilio et fastu vesano sanctorum Patrum sententias et Ecclesiæ sensum contemnunt. Secundò, animi puritatem; hanc enim sapientia et Spiritus sanctus inprimis adamant, siquidem, ut dicitur Sapientiæ 1: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Tertiò, orationem, per quam magnus aditus paratur ad sapientiam. Hinc Jacobus, Epistolæ suæ cap. 1: *Si quis autem vestrùm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat,*

et dabitur ei. Hinc et Sapiens Sap., cap. 7: *Optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me Spiritus Sapientiæ.* Debet autem et solet hæc oratio provenire ex magno desiderio et amore sapientiæ, quam quia Deus amari vult et peti, solet eam Deus largiri eam amantibus et petentibus: *Clara enim est*, ut dicitur Sapientiæ 6, *et quæ nunquàm marcescit sapientia; et facilè videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Præclarum hujusce rei exemplum habemus in S. Thomâ Aquinate, de quo in ejus Vitâ et in Breviario hæc legimus: *Nunquàm se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum sacræ scripturæ, ad orationem jejunium adhibebat. Quin etiam sodali suo fratri Reginaldo dicere solebat, quid sciret, non tàm studio aut labore suo peperisse, quàm divinitùs traditum accepisse.* Additur in ejus Vitâ, ipsum ob loci cujusdam in Isaiâ obscuritatem diù se afflixisse, orationique cùm se dedisset, intercessores adhibuisse Petrum et Paulum Apostolos, quos deindè audivit Reginaldus cum S. Thomâ colloquentes, Scripturæque locum explicantes; quod deindè S. Thomas adjuratus Reginaldo confessus est. Non ob id tamen studium negligendum est; solet enim Deus sua dona et lumina impertiri petentibus et desiderantibus, sed iis qui humanam diligentiam et studium adhibent, et ex se quantùm possunt connituntur. Itaque frequenter lectitanda sacra Scriptura, ejusque Interpretes; adhibenda in iis quæ leguntur attenta meditatio. S. Melania, ut est in ejus Vitâ, ter quotannis legebat totam sacram Scripturam. S. Cæcilia virgo Evangelii codicem nunquàm à se dimittebat; et si quò illi eundum esset, in sinu repositum secum deferebat. S. Antonius de Paduâ totam memoriâ tenebat sacram Scripturam, sic ut, si libri omnes intercidissent, ipse solus ex memoriâ omnes Scripturæ libros restituere posset. Neque hoc studium à magnis principibus fuit neglectum. Refert Nicephorus, lib. 14 Hist., cap. 3, Theodosium imperatorem Arcadii filium sacrorum librorum lectioni adeò fuisse intentum, ut noctu eis legendis operam navaret, lucernâ se sponte suâ accendente, et oleum affundente miro artificio, ne quem ministrorum eo labore gravaret. Alphonsus Aragonius, referente Antonio Panormitano, lib. 1, gloriabatur, quaterdecies utrumque Testamentum cum Commentariis à se fuisse perlectum. Porrò, quò plura ad hoc studium naturæ et ingenii adjumenta quis adferet, eò etiam plura in Scripturis obscuriora deprehendet. Habet autem hanc ad rem momenti plurimum, linguarum Hebraicæ et Græcæ cognitio: in Theologiâ, Philosophiâ, Cosmographiâ, Astrologiâ, Chronologiâ, Arithmeticâ, Architectonicâ, Historiâ, humaniorum Litterarum cognitione, quò quis plus profecerit, hoc majus adjumentum nactus fuerit. Denique, vix est alicujus rei cognitio, etiam mechanicarum artium, quæ in Scripturâ interpretandâ non subindè usui sit, et locis quibusdam etiam maximè necessaria.

SECTIO VII.

Non esse parem ubique in Scripturâ obscuritatem.

Quanquàm ea porrò sit sacræ Scripturæ obscuritas, quemadmodùm dixi, quæ et ejus dignitati, ipsiusque auctoris congruat, et nobis nostroque bono conveniat; non est tamen par ubique obscuritas: siquidem historici libri longè plus habent claritudinis, quàm libri qui toti sunt ut mores et vitam forment, ut sunt Proverbia et Ecclesiasticus; et hi minùs obscuri, quàm vel Prophetici libri, vel Psalmi ac Cantica, vel Apostolicæ Epistolæ; ità enim conveniebat, Spiritu sancto omnia rectè dispensante ad nostram utilitatem, et prout cujusque libri materia exigit. Addo etiam, non eamdem esse neque parem vel claritatem vel obscuritatem singularum ejusdem libri sententiarum, sed modò esse obscuriores, modò clariores, ut nusquàm animorum pastus, et magnorum ingeniorum desit exercitatio. Noluit autem Spiritus sanctus omnes sententias esse obscuras, tùm ne nimia difficultas in animis statim initio desperationem pareret; tùm quòd is sacræ Scripturæ character et forma loquendi esse debuit, ex quâ omnes etiam indocti et minùs ingeniosi aliquid utilitatis et operæ pretii referre possent; neque itidem esse omnes sententias voluit apertas, tùm ut sua Scripturis dignitas maneret, tùm ut studium nostrum acueret. Quocircà ità sapienter utrumque, claritudinem inquam et obscuritatem temperavit, ut quarumdam sententiarum claritas ad cæterarum investigandam intelligentiam allicceret, et obscuritas nos in humilitate et reverentiâ contineret. Et verò, vix est ea usquam Scripturæ obscuritas, ubi non aliqua lux vel per rimulam se prodat, quæ efficiat ut res tota saltem confusè apprehendatur, et spes affulgeat totum Scripturæ sensum eruendi.

SECTIO VIII.

Scripturam sacram non sufficere ad terminandas omnes lites, quæ in rebus fidei vel Scripturæ interpretatione oriri possunt; aliumque controversiarum Judicem esse necessarium.

Ex dictis manifestè sequitur, Scripturam per se non esse satis ad definiendas omnes controversias, quæ de rebus fidei vel Scripturæ sensu oriri possunt, quod contendunt hæretici; si enim Scriptura obscura est, et ubicumque Scriptura obscura est, necesse est difficultates et lites nasci de sensu illius loci; cùmque unus hanc interpretationem adfert, alter alteram, necesse est hanc litem indecisam perpetuò manere, nisi quis sit Judex legitimus, qui auctoritate suâ eam definire possit, quam auctoritatem à Christo acceptam nos universali Concilio, vel Romano Pontifici è cathedrâ pronuntianti adscribimus.

Hunc Judicem volunt hæretici esse vel Scripturam sacram, vel privatum spiritum; siquidem nunquàm consistunt, et è ramo, ut dici solet, in ramum saliunt, modò Scripturam asserentes controversiarum Judicem, modò privatum illum spiritum. Peto enim ego, an Scripturæ velint in omnibus insistere, et nullum præter hunc Judicem requirere. Si annuant, peto, definiant mihi ex Scripturâ litem hanc quæ ipsis est cum Catholicis, an libri Machabæorum sint Scripturâ sacra. Item, convincant Anabaptistas è Scripturâ, Epistolam ad Hebræos, vel primam Joannis esse Scripturam sacram, quas nobiscum Calviniani et Lutherani Scripturis Canonicis annumerant. Finiant nobis è Scripturâ litem illam, quæ ipsis nobiscum est de Eucharistiâ: nos certè illis locum, qui nobis planus et apertus videtur, objicimus; adferant nobis non dico apertiorem, sed æquè planum et apertum, in quo negetur corpus Christi realiter esse in Sacramento, vel ubi apertè indicetur in eo esse tantummodò figuram corporis Christi, et nos ab eorum partibus stabimus: quanquàm et ego hic plus do quàm oporteat, nam si duo loci sint æquè aperti qui sibi invicem repugnare videantur, non facilè inter litigantes finiri lis poterit; nam quæstio erit, uter locus per alterum explicari debeat. Adde, vix fieri posse eo casu quin inter partes lis ista oriatur, uter locus sit planior et apertior. Denique unum locum objicio, super quo variæ natæ sunt et nasci possunt lites: is est Joannis 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Primam litem habent nobiscum Calviniani, qui asserunt infantes fidelium, si moriantur antè Baptismum, ratione divinæ electionis, quâ sanctificati sunt, salvari, atque adeò Baptismum illis non esse necessarium. At nos illis hunc locum opponimus, qui nobis apertissimus videtur, quo videtur manifestè indicari hos infantes perire, quod libenter admittunt Anabaptistæ; at Calvinistæ negant illo Scripturæ loco agi de Baptismo. Finiant nobis hanc è Scripturâ litem Calviniani, et alium locum vel clariorem vel æquè clarum proferant pro horum infantium salute vel efficaciâ divinæ electionis sine Baptismo comprobandâ. Aliam litem movent Calviniani cum Lutheranis, imò et Ecclesia Catholica Anabaptistis; nam Anabaptistæ negant parvulos posse aut debere baptizari; illi parvulos volunt posse saltem baptizari, nos dicimus debere, et sine eo salvari non posse. Anabaptistæ se tuentur facto Christi, qui anno trigesimo ad Baptismum venit, undè et antè trigesimum annum vix ipsi baptizant; deindè Scripturæ loco Matth. ult.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Si doctrina priùs adhibenda est, et fides Baptismo præire debet, cùm fides esse non possit in parvulis, nec instructio illis adhiberi, negant illis vel prodesse Baptismum, vel esse ipsis conferendum. Nos Catholici facilè eos refellimus, tùm isto Joannis loco: *Nisi quis renatus fuerit*, etc., tùm traditione, tùm usu perpetuo et sensu Ecclesiæ, quæ et locum Joannis semper de Baptismo intellexit. Calviniani hoc loco Joannis exarmati, utpotè in quo negant de Baptismo agi, quique pro Baptismi formâ habent verba concionatoria, quâ ratione illos è Scripturâ revincent, ut probent posse baptizari infantes, vel utiliter iis Sacramentum illud conferri? Addo et tertiam litem: revivisant Seleuciani seu Jacobitæ, qui volebant non aquâ Baptismum esse conferendum, sed igni, vel ferro candenti frontî inusto, eò quòd dicatur Christus baptizaturus in Spiritu sancto et igni, Matth. 3, Luc 3; nos qui illum locum Joannis 3, habemus cum Ecclesiæ sensu, quæ semper locum illum de Baptismo intellexit, facilè totam hanc controversiam Catholicis, qui Ecclesiæ auctoritatem recipiunt, definimus; at Calvinistæ qui locum illum Joannis 3, de Baptismo nolunt intelligi, quomodò vel hæreticos illos revincent aperto alio et manifesto Scripturæ loco, vel sibi ex Scripturâ persuadere possunt se non errare in Baptismi materiâ? Sed sat scio, non inhærebunt Scripturæ tanquàm controversiarum Judici, cùm viderint se hæc omnia ex Scripturâ probare non posse,

sed ad privatum suum spiritum recurrent. Verùm nobis Catholicis, quibus privatus ille spiritus admodùm suspectus est, et pro fanatico habetur, quâ ratione illum probabunt, ut moveamur ad illum recipiendum, an fortè ex Scripturâ, vel miraculis? At è Scripturâ non possunt, miracula nec habent, nec necessaria arbitrantur. An credi potest communicatum hunc particularem spiritum novellis hisce circumcellionibus, et negatum antiquis Patribus, qui contraria senserunt? Deindè, an fortè hic spiritus sibi ipsi contrarius est; siquidem Beza, magnus ille Calvinistarum Prophetes, octavum caput Joannis, in quo est historia de adulterâ, à Scripturarum sacrarum Canone rejicit, Calvinistæ cæteri recipiunt. Alterutrum igitur dicendum, vel hos inter se non eodem moveri spiritu, vel hunc spiritum sibi ipsi esse contrarium. Idem dici potest, quoties inter se de Scripturæ interceptione dissentiunt; nam certum est non rarò dissentire. Deindè peto, inter quos hic privatus sensus possit esse Judex, an inter eos qui eadem sentiunt, an qui diversa? Non priùs, neque enim opus Judice iis qui litem non habent; non posterius, quia illi desunt conditiones boni Judicis: siquidem debet Judex patribus esse notus, debet ab iis agnosci ut Judex; alioqui neque ejus sententiam petent, neque illi acquiescent; debet Judex non esse suspectus. At hæ omnes conditiones huic privato spiritui, ut Judex habeatur, desunt: siquidem an, quis et qualis sit Calvinianus ille spiritus, albus an ater, noverint sanè Calviniani, at non nôrunt Catholici, cum quibus illis lis est; non agnoscitur ut Judex à Catholicis: quomodo ergo controversias finiet, quæ Calvinistis sunt cum Catholicis; et verò experimur, nullas hoc spiritu sopiri controversias, sed novas in dies excitari. Denique hic spiritus meritò Catholicis suspectus est quasi corruptus, et parti alteri injustè favens; quis ergo tam erit stultus, ut hujus se judicio subjiciat? Deindè si hunc privatum spiritum velint esse Judicem, vel in hujus judicii partem accersunt jam, falsum est quod toties jactârunt et Catholicis occinuerunt, Scripturam per se solam sufficere ad terminandas omnes, quæ de fide sunt, controversias. Et verò, cùm Scriptura seipsam interpretari non possit, nec ullus erè sit locus tàm apertus in Scriptura, qui non patiatur diversa glossemata et interpretationes; sequitur, non posse in eâ tanquam ultimo Judice sisti.

Finio igitur et concludo, Scripturam neque per se solitariam, neque addito privato illo spiritu posse satis esse ad controversias de fide vel legitimo Scripturæ sensu sopiendas, aliumque quærendum Judicem, quem hactenùs omnibus sæculis Catholica agnovit Ecclesia.

SECTIO IX.

Sintne omnes admittendi ad Scripturæ sacræ lectionem.

Insimulant Catholicos hæretici, quasi plebeculam et indoctos arceamus à sacræ Scripturæ lectione, è quâ tamen possunt salutis documenta decerpere. Verùm neminem Catholica Ecclesia absolutè à Scripturæ lectione arcet, sicut nec olim virgunculæ, Eustochium, Demetrias, S. Cæcilia, viduæ maritatæ arcebantur, sed certas conditiones requirit. Primò, ut non legatur Scriptura linguâ vernaculâ, nisi factâ ab Episcopo potestate, quæ non facilè omnibus, sed cum delectu concedatur; undè quotquot latinè intelligere possunt, Scripturam possunt lectitare, nec quemquam ab eâ Ecclesia arcet. Meritò autem arcet passim à Scripturæ lectione linguâ vernaculâ, tùm quia hoc sæculo nostro multæ Bibliorum interpretationes factæ sunt vel hæreticæ, vel insinceræ, ex quibus rudium animis posset imminere periculum, cùm non sit cujusque dijudicare de sincerâ vel hæriticâ versione. Adde, quòd quantumvis sit sincera versio, multùm tamen deperit de spiritu, verborum efficaciâ, majestate quæ Scripturæ verbis inest, dùm in vernaculas transferuntur linguas, ut passim experimur, ex quo necesse est, reverentiam illam quæ sacris litteris debetur, imminui. Secundò, neminem arcet à Scripturæ sacræ lectione, si modò humilem adferat ad hanc lectionem spiritum, hoc est, si tantummodò ex sententiis quas intelligit conetur fructum aliquem decerpere, quæ non intelligit, aliis doctioribus relinquat, vel ab iis interpretationem petat et exspectet; at si quis vesanum et superciliosum Calvini spiritum adferat, nempè ut, Patrum et Ecclesiæ sensu ac interpretatione contemptâ, suo quisque velit judicio et interpretationi duntaxat adhærescere, hunc sanè à Scripturæ lectione arcebit, utpotè qui ex antidoto et theriacâ venenum sibi sit paraturus quo perimatur.

SECTIO X.

De iis quæ hæretici objiciunt.

Objiciunt multa hæretici vel contrà hanc Scripturæ obscuritatem, quæ vide apud Bel-

larminum T. 1, Controv. 1, lib. 3, cap. 2, vel contrà Judicem controversiarum quæ de fide vel Scripturæ sensu suboriuntur, quem Catholicus populus agnoscit; quæ vide apud eumdem eodem lib. 3, cap. 10. Tantummodò illud notandum, cùm vel Scriptura vel Patres sacras litteras vocant lucem, lucernam, etc., intelligi debere quoad ea quæ in Scripturâ plana sunt et aperta, cujusmodi sunt multa quæ ad mores et fidem pertinent, vel de totâ Scripturâ, additâ interpretatione Ecclesiæ, sine quâ sæpenumerò Scriptura non lux, sed densa caligo esset. Rursùm, si quandò SS. Patres videantur dicere omnia in Scripturâ esse aperta et plana, utuntur hyperbole nonnullâ, cùm satis constet ferè ex ipsorum discursu, ipsos fateri esse multa obscura. Utuntur autem hujusmodi hyperbole, vel ut tepidos et socordes excitent ad sacræ Scripturæ lectionem, quibus familiaris est ista excusatio, quòd non intelligant quæ legunt; vel quia instituunt quamdam comparationem cum philosophis quibusdam, qui morum documenta sub obscuris symbolis tradidère, cujusmodi sunt Pythagoræ symbola : Scriptura enim in sententiis ad mores componendos spectantibus non utitur hujusmodi obscurioribus symbolis, sed ferè planè et apertè sua documenta pronuntiat.

CAPUT X.

De stylo Scripturæ cujusmodi sit, eloquens, an simplex, an rusticus.

SECTIO I.

De versione nostrâ contrà hæreticos (1).

Ridebant olim, et sannis sarcasmisque suis appetebant ethnici Libros nostros sacros, quòd in iis sermo esset ineloquens, incultus, impolitus, imò barbarismos et solœcismos admitteret, eoque nomine Christianos contemptui habebant, Arnobio teste lib. 1 adversùs Gentes, Lactantio, lib. 3 de falsâ Sapientiâ, cap. 1, Origene contrà Celsum, Clemente Alexandrino Exhortatione ad Gentes, sub finem. Hos eodem spiritu egregiè imitati sunt nostri temporis hæretici, qui illam sermonis simplicitatem despicientes, caperunt solito suo supercilio vel novas cudere versiones, vel annotare in editione Vulgatâ à Catholicis receptâ, in quibus contrà Grammaticæ leges peccatum esset, ut meritò novatorum nomen invenerint, quibus ità sancta et simplex sordeat antiquitas, quos et egregiè pro meritis hoc nomine perstringit Baronius tom., 3 Annal. ad annum Christi 231. Et verò, si diabolico spiritu hæc olim ausi gentiles, manifestum est quid de hoc spiritu hæretico sentiendum sit. Texunt ipsi catalogum barbarismorum et solœcismorum, qui in editione nostrâ Vulgatâ sese offerunt, interque cætera hæc et similia : *Partibor, metibor*, in Psalmis, pro *Partiar, metiar; scopebam spiritum meum, crapulatus à vino, de post fætantes, odivi, odientes; memorare*, pro memento, *dominatus pauperum, majora horum faciet, in convertendo Dominus, angariare, non venit ministrari, non nubent, neque nubentur, manicabat, pœnitemini*, et alia id genus : quasi verò Christiano tanta debeat esse cura istorum inanium foliorum, non potiùs fructuum, et non potiùs curandum sit quàm aptè ad animos permovendos, et quâ efficaciâ verborum Scriptura loquatur, quàm quos verborum adferat flosculòs, quàmque puram latinitatem habeat ; at sancta illa sermonis simplicitas, cultæque dictionis neglectus semper maximi factus est ad animos ad veram pietatem omnem in partem impellendos, quâ vi carere experiuntur omnes illæ novatorum editiones verè jejunæ et aridæ, quæ, utpotè à Spiritu sancto non profectæ, omnique veræ pietatis succo carentes, nihil nisi vanitatem et amentem superbiam afflant. Longè sanè à novatorum spiritu abfuerunt viri olim sanctissimi juxtà et doctissimi, qui etiamsi hæc minùs latina, auribusque prurientibus accommodata animadvertebant, ea tamen sacrosancta et inviolata esse voluerunt, religionique sibi duxerunt apicem vel unum immutare, existimantes sub his veluti sermonis sordibus ingentes divini Spiritûs thesauros latere. Certè Hieronymus, cùm novum emendavit Testamentum, etsi ea quæ propter librariorum incuriam, varietatemque voluminum à Græco fonte discrepabant, sensumque corrumpebant, correxerit, reliqua tamen manere passus est ut fuerant, uti ipse testatur, Præfatione in 4. Evangelia ad Damasum : itaque quæ Hieronymus vir doctissimus et emunctæ naris, intacta reliquit, nec censuit emendanda, novatoribus sordent. Ambrosius *præsepem* maluit, uti Interpres verterat, quàm *præsepe* dicere. Beda cùm nonnulla in Actis Apostolorum aliter è Græco vertisset, quàm Vulgata habeet editio at monet ipse, ne hæc in Scripturæ textum inferantur. Magnus ille Spiridion,

(1) Merita versionis Vulgatæ egregiè exposita sunt à doctissimo Fred. Schlegel, à religione reformatâ ad catholicam converso, in opere cui titulus : *Historia litterarum apud veteres ac recentiores.*

referente Nicephoro, lib. 8, cap. 42, cùm in episcoporum conventu episcopus quidam è textu Scripturæ verbum unum immutàsset, proque eo quod textus habet: ἆρον τὸν γράββατον σου, *tolle grabatum tuum*, ipse σκίμπιδα, *lectum*, substituisset, ei succensens, petiit ab eo, essetne ipse eo melior qui dixisset *grabatum*, moxque se indè proripuit; tùm verbo tùm facto indicans quàm ea res sibi ingrata accidisset.

Addo tamen, cum illo rudi et impolito sermone posse stare eloquentiam, eamque in Scripturâ in suo genere esse summam, sive ipsi Scripturæ fontes spectentur, sive rivuli ex his fontibus derivati, hoc est versiones ab Ecclesiâ approbatæ. Quam in rem, notandum eloquentiam non esse solius oratoris; aliàs enim, cùm nulla sit in Scripturâ oratio, nulla itidem in eâ requirenda esset eloquentia: est ergò eloquentia omnium Scriptorum, sive historia, sive carmen, sive epistola, sive quid aliud scribatur; tunc autem censetur quis eloquens absolutè, quandò aptè scribit aut loquitur ad eum finem quem sibi præfigit, consideratis circumstantiis locorum, temporis, personarum quibus scribit aut loquitur. Hinc Poeta, cujus finis carmine suo audientium vel legentium animos delectare, censebitur eloquentissimus, si quàm optimè dicat ad hunc finem quem sibi præfixit, si genio poetico, si pulchris descriptionibus, si egregiis fictionibus, si phrasi huic generi scribendi propriâ carmen suum animet. Historicus eloquens censebitur, qui characterem scribendi Historicis proprium bellè assecutus fuerit; at si quis horum Ciceronianam phrasim, verborum luxuriem, periodos longiores, amplificationes et alia ornamenta oratorum propria venetur, næ ille nec eloquens poeta vel historicus habebitur, nec boni poetæ vel historici partes egisse dici poterit. Pari modo, si quis ad rusticos dicturus, isque, ut persuadeat, necesse habeat rusticum dicendi morem assumere, huncque modum non semel expertus sit maximè efficacem ad ipsis persuadendum, qui ità ad illos dixerit, verè eloquens haberi debet, et omnes eloquentis concionatoris partes assecutus dici debet, etsi nec sermo comptus et elegans, nec cæteræ tùm actionis tùm locutionis urbanitates adhibitæ sint. Contrà verò, si hæc omnia adhibuisset, eloquens orator vel concionator dici non posset, licèt fortè secundùm quid ratione elegantis et compti sermonis eloquens dici posset. Itaque is eloquens universìm dicendus, qui in omnibus illud τὸ πρέπον seu decorum servat, qui novit dijudicare quid et quomodo, pro loco, tempore, personis, fine dicentis eloquendum sit. Ad hunc modum dico in præsenti materiâ, Deum, utpotè omni ex parte sapientissimum et eloquentissimum, assumpsisse in sacrâ Scripturâ eam loquendi formam et characterem, qui maximè ipsius fini congrueret, qui fuit hominum animos permovere ad ea quæ ad ipsius gloriam et æternam beatitudinem assequendam certiùs ducerent; cui fini cùm minùs commodus esset fucatus ille et politus sermo in quo ut plurimùm magis verba curiosas et delicatas aures, quàm res et ea quæ dicuntur animos movent, hunc ablegavit, alterum simpliciorem assumpsit, qui fini illi suo rectiùs congruebat. Hanc vim et efficaciam Scripturæ rudi illo et impolito sermone in permovendis animis non experiuntur hæretici, quia ad ejus lectionem non adferunt divinum timorem, humiles animos, et paratos divinis voluntatibus obsequi, sed superbos, vanos, curiosos. Hanc vim, quam hæretici sub agresti hoc sermone non percipiunt, percipiebat vir ille reverà doctus et eloquens, sed pius in multis, modestiæque et humilitatis amans, Picus Mirandulanus, scribens ad Hermolaum Barbarum: *Non*, inquit, *movent, non persuadent sacræ litteræ; sed cogunt, agitant, vim inferunt. Legis rudia et agrestia verba; sed viva, sed animata, flammea, aculeata, ad imum spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transformantia.* Certè hic, licèt Hebraicè Græcèque sciens, non sibi novam cudit editionem, quæ sermonis fuco aures demulceret; non id ipse spectabat, neque spectant quotquot verè pii sunt; sed ut animus jam ad pietatem incitatus magis etiam inflammetur, et, si potest, totus accendatur. Hoc itidem spectent hæretici, et relictâ impietate ad veram pietatem Deique timorem, qui in solâ Catholicâ Ecclesiâ esse potest, se recipiant, moxque animadvertent quot sub hoc agresti et rustico sermone ad veram pietatem faculæ delitescant. Quantùm in hâc re discriminis sit inter versionem nostram Vulgatam, et hæreticorum versiones, ex uno disci poterit. Sumo ego Isaiam nostrum, legoque ejus initium: *Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsùm*, et quæ sequun-

tur cætera. Mihi sanè hic quot verba, tot videntur tonitrua, tot fulmina; at sumamus in manus, quam maximè inter hæreticorum versiones novas probant Catholici, Leonis scilicet Judæ ac Tigurinorum, quam falsò nonnulli adscribunt Vatablo : *Audite, cœli, ausculta, tellus, quoniam Dominus loquitur. Filios educavi, et evexi; ipsi autem perfidè desciverunt à me. Agnoscit bos dominum suum, et asinus præsepe heri sui; at Israel non agnoscit, populus meus sese non intelligit. Heu gentem scelestam, populum iniquitate onustum, semen malitiosum, filios perditissimos! deseruerunt ipsum Dominum, ipsum sanctum Israelis irritaverunt, et à tergo defecerunt* etc.; quàm jejuna, quàm languens, quàm effeta hæc præ alterâ objurgatio! Numquid plagam animis inferet hoc telum? mihi illud videor videre :

Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu
Conjecit, rauco quod protinùs ære repulsum est,
Et summo clypei nequidquam umbone pependit.

Omitto alia, et conferatur ejusdem Isaiæ cap. 60, et ultimum in utrâque versione, ubi dulcedinem et consolationem totus spirat, Ecclesiæ bona, et Sanctorum felicitatem deprædicat; mihi certè quæ in textu nostro sunt, crocum, nardum, balsamum olent, supràque omnes regum cupedias palato arrident; at in alterâ versione Tigurinorum neque illa sermonis majestas, neque mulcentes blanditiæ, neque in animum penetrantia verba apparent; in aliis verò hæreticorum versionibus multò etiam minùs, ut ubi totum verba immutare deberent animum, et nescio quibus deliciis inescare, ibi te subindè cum asellis carduos edere credas. Infero igitur, eam versionem debere censeri optimam, quæ eam majestatem sermonis refert, quæ cernitur in ipsis fontibus, magisque valet ad commutandos afficiendosque animos, quem sibi Deus in Scripturâ sacrâ finem præfixit; quod cùm versioni nostræ convenire præ omnibus cernatur, cæteras omnes esse ei longè postponendas. Quanquàm si de veteri Testamento sermo est, quod ferè totum ex Hieronymi versione habemus, an fortè hi novarum editionum cusores audebunt se, non dico anteferre, sed etiam cum D. Hieronymo componere, sive Latini, sive Hebraici sermonis spectes peritiam? nimirùm pygmæi cum gigante de proceritate aut viribus certare audebunt. Sin de novi Testamenti versione sermo est, quæ tot sanctissimis doctissimisque Patribus placuit, nec D. Hieronymo displicuit, suâque antiquitate jam indè ab ipsis Ecclesiæ initiis Apostolorumque temporibus venerationem meruit, his terræ filiis, nimis emunctæ delicatæque naris, displicebit?

SECTIO II.

De textu Hebraico et Græco, ejusque eloquentiâ.

Quod de textu nostro dicimus sectariorum nostri ævi occasione, quibus omnia nova placent, vetera licèt optima displicent, idem et potiore etiam ratione dicendum de ipsis Hebraicis Græcisque fontibus, ex quibus latina nostra derivata sunt; eam nimirùm esse in iis eloquentiam, quæ fini quem Deus in Scripturâ condendâ habuit, quàm aptissimè deserviret; nisi velimus Deum ineloquentem, infacundum, insipientem facere, quique fini, quem sibi præstituit, accommodata media opportunamque dictionem reperire nequeat : quod blasphemum esset.

Addo verò, neque universìm deesse Scripturæ eam, in quâ plerique ponunt primas eloquentiæ partes, nimirùm elocutionem et dictionem elegantem. Inter Prophetas elegans est imprimis Isaias Hebraicè scriptus, teste ipso Hieronymo Præfatione in eumdum Prophetam : *Primùm*, inquit, *de Isaiâ sciendum, quòd in sermone suo disertus sit : quippè vir nobilis et urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admixtum : undè accidit, ut præ cæteris florem sermonis ejus translatio non potuerit conservare.* Addo tamen ego, in versione nostrâ vestigia quædam apparere hujus elegantiæ et gravitatis sermonis, quæ in Hebræo est. Adjici potest, in eodem Isaiâ omnia orationis lumina et ornamenta cerni; si reprehendit, non tàm loquitur quàm tonat, et verborum jacit fulmina; si Ecclesiæ et novi Testamenti per Christum bona deprædicat, ejus verbis nihil blandius, nihil deliciosius, nihil mellitius.

Sunt et alii qui Græco sermone scripserunt admodùm eleganti : constat Lucæ Evangelium, et Apostolorum Acta, quæ idem scripsit, terso et polito sermone esse conscripta. Habet et Epistola ad Hebræos omnem, quam propè desiderare quis possit, sermonis elegantiam; quæ ratio fuit, cur olim nonnulli eam vel Lucæ, vel Clementi Romano adscripserint, cùm in cæteris Pauli Epistolis non cernatur hæc dictionis concinnitas.

SECTIO III.

Undè nascatur dictionis inæqualitas in Scripturâ.

Verùm hìnc alia nascitur quæstio, cùm unus idemque Spiritus sanctus sit totius Scripturæ

auctor, qui fiat ut tanta styli et dictionis sit inæqualitas in Scripturâ ? Verùm si de iis agimus, quibus in scribendo se concomitanter habuit Spiritus sanctus, juxtà ea quæ diximus suprà, cap. 8, cujusmodi ferè sunt historici, difficultas hæc facilè solvitur, quandoquidem his non dictet, inspiretve spiritus sanctus verba, sed Scriptoribus ipsis hunc formandæ dictionis laborem relinquat. At si de illis agatur, quibus antecedenter se habet Spiritus sanctus, quibusque non rem tantummodò ipsam revelat, sed scribentibus verba inspirat, major videri potest difficultas. Nihilominùs et in his locum habet styli inæqualitas, siquidem et in Prophetis magnam dictionis inæqualitatem cernere est : nam Isaias, uti ex Hieronymo dictum est, urbanum, cultum, politumque sermonem habet; idem de Osee asserit Hieronymus Præfatione in Jeremiam; at Jeremias, prout testatur idem eâdem Præfatione Hieronymus, dictionis modo rusticior est; additque eloquii simplicitatem ei à loco, in quo natus est, accidisse; erat enim ex viculo Anathoth. Porrò, Ezechielis sermo, ut ait idem Hieronymus Præfatione in Ezechielem, nec satis disertus, nec admodùm rusticus est, sed ex utroque mediè temperatus. Dicendum itaque, etiamsi his verba ipsa, saltem ut plurimùm, dictaverit Spiritus sanctus, eum tamen in verbis suggerendis et sententiis sese Scriptorum stylo se ibendique modo attemperâsse, ut proindè eadem styli in Prophetis aliisque scriptoribus cernanatur inæqualitas, quæ esset si quilibet marte proprio industriâque scriberet.

CAPUT XI.

De sacræ Scripturæ effectis.

Varia annotari solent divinæ Scripturæ effecta quæ tùm ad utilitatem, tùm ad jucunditatem legentium audientiumque referuntur. Tangit horum præcipua Apostolus, 2 ad Timoth., cap. 3, quæ maximè attendi debent iis qui Scripturam sacram adhibent, eâque utuntur ad aliorum utilitatem : *Omnis,* inquit, *Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* In quibus verbis illud tantummodò notandum, quomodò è quatuor illis primum à postremo differat, *docere* scilicet et *erudire in justitiâ;* quomodò item differat secundum à tertio, *arguere et corripere :* sunt enim hæc effecta et fines diversi. *Docere* igitur ibi apud Apostolum refertur ad mysteria fidei, quod catechizatione fit; *erudire in justitiâ,* est erudire ad virtutem omnemque vitæ sanctitatem, quod fit concionibus. Porrò *arguere* est revincere et refutare errores doctrinæ fidei contrarios; *corripere* verò est pravos mores verbis castigare et reprehendere. Itaque primo, quod est *docere,* respondet ex adverso secundum, quod est *arguere,* et habent objecta ex diametro repugnantia, nempè sanam fidei doctrinam et hæreses; et tertio respondet ex adverso quartum, utpotè circà objecta ex diametro opposita, pravi nimirùm mores et vitæ sanctimonia.

Porrò ad eadem effecta potest quisque ad sui ipsius bonum Scripturæ lectionem adhibere, sed et præter hæc alia solent addi plura.

Primò enim Scriptura res fidei docet, neque docet modò, sed etiam fideles jam factos in fide confirmat; quod quomodò faciat non est difficile concipere Notat hoc ipsum effectum Christus, Joannis 5, vers. 39, et Lucas, Actorum 17, vers. 11.

Secundò, errores in fide revincit. Et verò si quis in fide erret, non erit ei difficile ad veram fidem reverti, si modò voluntas non sit malè affecta, quæ sæpè facit ut homo errores nolit deponere, et attentè Scripturas consulat, maximè verò si antiquos Patres Scripturæ interpretes adhibeat, et à Deo lumen postulet.

Tertiò, ostendit vi iorum turpitudinem, quod ad intellectum pertinet, et rursùm ità castigat pravos mores, ut nemo sit vitiis deditus, qui, dùm Scripturam legit, non experiatur internos ad vitia deserenda moresque corrigendos stimulos, quod ad voluntatem pertinet. Hæc autem ut præstet Scriptura, omnem affectum induit, promittit, minatur, terret, blanditur, eò usque ut subindè indurata corda frangat et conterat. Hùc pertinet illud Jeremiæ 23, vers. 29 : *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?*

Quartò, ostendit virtutum pulchritudinem, quod rursùm ad intellectum pertinet, simulque impellit et incitat animum ad omnem vitæ sanctimoniam, quod pertinet ad voluntatem. Et verò, quatenùs hæc ad intellectum referuntur, potest in genere dici Scriptura illuminare, quod inter Scripturæ effecta à multis refertur, et quidem etiam Scriptura refert, Psalm. 118 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum. Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Et 2 Petri 1: *Et habemus firmiorem propheticum sermonem ; cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et Psalm.

18 : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Quatenùs verò hæc ad voluntatem referuntur, dicitur Scriptura excitare, exstimulare, et motus quos ipsa in voluntate facit, stimuli et impulsus. Ecclesiastæ 12, vers. 11, dicitur : *Verba sapientium sicut stimuli.* Aliàs eodem sensu dicitur Scriptura inflammare. Hinc duo illi ex Emmaünte reditum meditantes discipuli, Lucæ cap. 24 : *Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in viâ, et aperiret nobis Scripturas?* Psalm. 118 dicitur : *Ignitum eloquium tuum vehementer* et Prov. cap. 3, vers. 5 : *Omnis sermo Dei ignitus.* Jerem. cap. 23, vers. 29, verba Dei *ignis* appellantur.

Hæc effecta consequuntur alia, ferè ex prioribus manantia, quæ etiam notat sacra Scriptura.

Quintò igitur, Scriptura sanat sive convertit animas. Nam hæc eadem sunt Psalm. 18, vers. 8. Hinc 2 ad Timoth. 1, vers. 13, et ad Titum 2, vers. 8, Scriptura per metonymiam vocatur *verbum sanum*, hoc est sanans.

Sextò, Scriptura in bono confirmat, confortat et corroborat. Hinc Psalmista, Psalm. 118, petit : *Confirma me in verbis tuis.* Et Ecclesiastæ 7, vers. 20, dicitur Sapientia confortare sapientem.

Septimò, Scriptura alit et reficit animum, et ipsa dicitur esca et potus, Matth. cap. 4. Et verò ex eodem Dei verbo lac infantibus et incipientibus, et cibus solidus perfectis depromitur, 1 Cor., cap. 3, vers. 2, ad Hebræos, 8, vers. 12 et seq.

Octavò, non tantùm reficit per modum alimenti, sed etiam ad modum auræ per respirationem attractæ et cor refrigerantis. Psalm. 118 : *Os meum aperui, et attraxi Spiritum, quia mandata tua desiderabam.*

Nonò, protegit et tuetur ab inimicis spiritualibus. Hinc Proverbiorum 30, vers 5, dicitur : *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Et ad Ephesios 6, verbum Dei dicitur *gladius spiritûs.*

Decimò, Scriptura consolatur, lætificat, delectat. Ad Rom. 15, vers. 4. *Ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habemus.* Psalm. 18 : *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Et paulò post : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multùm, et dulciora super mel et favum.* Psalm. 118 : *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Porrò variis de causis consolatur et recreat Scriptura : primò, quia spem nobis proponit futurorum bonorum, quæ res quemlibet, sed maximè afflictum et persecutionem pro justitiâ et Christo patientem, recreat. Secundò, quia blandis et suavibus verbis afflictos alloquitur et rerecreat. Tertiò, quia magnitudinem amoris divini ergà nos multis declarat. Quartò, quia exempla Christi et Sanctorum, qui pro veritate ac justitiâ passi sunt, proponit. Quintò, quia tota sacra Scriptura tùm varietate rerum quas continet, tùm earumdem insolentiâ et admirabilitate, tùm utilitate necessitateque earumdem ad salutem, tùm diversitate condimentorum sub quâ hæc in eâ proponuntur, mirè recreat et reficit, ut proindè ea possit dici lautissimum et maximè opiparum convivium, in quo non solùm fercula sint deliciosissima, sed etiam mira eorumdem varietas et insuper maxima condimentorum diversitas: usquè adeò, ut ferè nihil sit jucunditatis et delectationis in humanis scientiis, quod non plenissimè, multòque uberiùs in divinis libris reperiatur. Delectatur quis historiis? inveniet in Scripturâ historias, easque fidei certissimæ à mundi exordio ad Christum et Apostolos, quæ continentur Pentateucho, Josue, Judicibus, Ruth, libris Regum, Paralipomenon, Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther, Job, Machabæis, Evangeliis, Actis Apostolorum, in quibus plurima lectu longè jucundissima et admiranda habentur ; cùmque historiæ cæteræ vix bis mille antè Christum annos complectantur, multisque sint fabulis refertæ ; hæ quatuor annorum millia sine ullâ falsi admixtione comprehendunt. Delectatur quis poesi? habet in Scripturâ cantica et poemata divinissima ; sunt Psalmi, quibus Dei laudes concinuntur, insertis etiam de Christo, de Sanctorum felicitate, aliisque rebus Prophetiis. Inveniet et alia cantica sparsìm in Scripturâ, jucunda alia et divinas laudes continentia, ut Moysis, in Exodo ; Baruch et Debboræ, lib. Judicum, Annæ, lib. 1 Regum ; Judith, cap. ult. beatæ Virginis, Zachariæ, Simeonis, in novo Testamento. Inveniet lugubria, ut Ezechiæ Canticum, Threnos Jeremiæ ; inveniet prophetica lætiora, ut Canticum Habacuc ; inveniet tristiora, ut Canticum Moysis in Deuteronomio ; inveniet denique amoris sanctissimi et divinissimi Canticum inter Christum et Ecclesiam, quod proindè Canticum canticorum meritò est appellatum, quibus nihil simile sit in profanis poetis reperturus. Delectatur quis philosophiâ? Inveniet sanè et copiosam illam in Scripturâ; inveniet physicam Gen. 1 cap. ubi, primus rerum naturalium ortus refertur; inveniet in Jobo et Salomone, alibique sparsìm. Ethicam in Proverbiis, Ecclesiaste, Ecclesiastico, fusè re-

periet ; politicam unà cum jurisprudentiâ reperiet in Pentateucho. Delectatur quis concionibus, eloquentiâ, oratoriâ facultate, ad animos permovendos? inveniet in Deuteronomio, in exhortationibus Moysis ad populum, in omnibus Prophetis. Delectat epistolica inter absentes confabulatio ? habes eam in Epistolis Apostolicis. Delectat de rebus futuris vaticinatio? habes eam certam omnisque periculi expertem in Prophetis et Apocalypsi.

Undecimò, Scripturæ tribuitur, quòd vitam æternam det, seu inchoatè per gratiam, seu consummatè in altero sæculo per gloriam : Joannis 5, vers. 24 et vers. 39, et cap 6 , vers. 69, et cap. 2, vers. 31. Denique Apostolus miram vim et efficacitatem sermoni Dei adscribit, ad Hebr., cap. 4 : *Vivus est* inquit, *sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti ; et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Quæ quidem omnia dicuntur ab Apostolo de Verbo Dei increato et intrinseco, ut ex adjunctis patet; possunt tamen omnia ferè cum proportione accommodari Verbo Dei extrinseco et creato.

Nota primò, hos effectus verbum Dei in animo efficere non physicè, sed moraliter : præter vocum enim sonos, vel litterarum apices, quæ sunt objecta exteriorum sensuum auditûs et visûs, nihil habent efficacitatis physicæ scripta vel voces : quod enim intellectus certum sibi è vocibus prolatis vel scriptis formet conceptum, hoc fit quia voces illæ sunt signa ex instituto significantia, et rem quampiam certam repræsentantia. Quòd verò ulteriùs intellectum illuminent, voluntatem moveant, etc., quo fit ut homo intelligat, credat, velit, faciat; hæc omnia facit simili efficacitate, quâ humana consilia et suasiones efficiunt, ut quispiam alius rem aliquam quæ suadetur velit et eam præstet, quæ alia non est quàm moralis.

Nota tamen secundò, hæc omnia ferè effecta non efficere verbum Dei prout expedit ad salutem, sine interno Dei auxilio movente ; id enim asserere Pelagii error esset, à sanctis Patribus et Conciliis damnatus; verùm hoc auxilium Dei ordinariè datur legentibus vel audientibus verbum Dei, nisi quis pertinaciâ vel cordis duritiâ, quâ statuat pertinaciter reluctari, vel aurem cordis occludere Deo interiùs loquenti et trahenti, sese indignum his gratiæ auxiliis reddat.

CAPUT XII.

De idiomate quo primùm conscripti Libri Canonici.

SECTIO I.

Hebraicâ Græcâque lingua ferè totam Scripturam primò conscriptam fuisse.

Universim dici potest, totam ferè Scripturam sacram duabus linguis primò conscriptam fuisse, Hebræâ et Græcâ : et vetus quidem Testamentum, quod fuit datum Hebræorum populo, ferè totum nativâ ipsorum linguâ Hebraicâ fuisse conscriptum; at novum Testamentum ferè totum Græcâ linguâ, quæ Apostolorum temporibus plurimas Gentes occupaverat, ejusque tùm apud Romanos, tùm apud Judæos per id tempus magnus usus erat, initio scriptores hagiographos conscripsisse. Cur tamen *ferè* dixerim, patebit ex sequentibus.

SECTIO II.

Qui libri veteris Testamenti Hebraicâ linguâ fuerint conscripti.

Et ut de singulis in particulari aliquid dicamus, hos libros Testamenti veteris Hebraicâ linguâ constat primùm fuisse conscriptos: Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, libros Regum, Paralipomenon, Esther, Psalterium, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum canticorum, Prophetas omnes, uno excepto Daniele, fortè et Baruch ; siquidem hos omnes adhuc habemus linguâ Hebraicâ scriptos, et satis constat neque Interpretes Septuaginta, neque Hieronymum, neque Aquilam, Symmachum, Theodotionem, aliundè quàm ex Hebræo hos libros in græcam Latinamque linguam transtulisse. Sciendum tamen, ex Estheris libro non reperiri nunc in Hebræo ea quæ ultimis capitibus continentur notanturque in versione nostrâ Vulgatâ, non haberi in Hebræo; mihi tamen persuadeo hæc non aliter quàm Hebræo sermone, uti et reliqua, initio scripta fuisse, etsi deindè ex Hebræo textu exciderint: undè enim ea nisi ab Hebræis ad nos pervenissent? Undè ea Josephus Flavius deprompsisset, nisi è Librorum sacrorum Hebraicè scriptorum sacrario? Relegare autem has libri Esther Appendiculas à sacrarum Scripturarum Canone hoc nomine, quòd hebraicè scriptæ non exstent, vel quia hæ apud Josephum Flavium reperiuntur, dicere eas ex ipso desumptas esse à Græco nescio quo scriptore, quod utrumque asseruit Sixtus Senensis in Bibliothecâ, lib. 1, meâ sententiâ post Concilium Tridentinum, neque sa-

num est, neque satis catholicum. Adde, ut suprà dixi, eodem argumento aliquot capita ex Daniele à Canone rejici debuisse. His accenseri possunt, Ecclesiasticus, quem asserit Hieronymus, Præfatione in Proverbia, se Hebraicum vidisse non cum hâc epigraphe: *Ecclesiasticus*, sed cum alterâ: *Parabolæ*. Et verò Jesus, filius Sirach, Prologo in Ecclesiasticum, testatur se potiùs interpretis functum officio, quàm scriptoris, quæque Jesus avus suus Hebraicè scripserat, in Græcum vertisse. Itaque præter hunc Prologum, et caput Ecclesiastici ultimum, quod est ipsius Jesu, filii Sirach, verisimile est reliquum libri Hebraicè olim scriptum, etiamsi hoc tempore non reperiatur. Item his accenseri potest et debet primus Machabæorum liber, qui nullo modo Græcam eloquentiam redolet, quemque se Hebraicum reperisse testatur D. Hieronymus in Prologo galeato (1).

SECTIO III.

Quid Hebraicæ linguæ nomine intelligi hîc debeat?

Hebraicam linguam hîc voco, quæ purè Hebraica est, et de eâ hactenùs locutus sum; quâ ratione neque Chaldaica, neque Syriaca, neque Arabica, nomine Hebraicæ linguæ veniunt; etsi enim, latè sumendo Hebraicæ linguæ nomen, possint fortè et hæ linguæ eo etiam nomine comprehendi, hîc tamen restrictiùs loquimur vitandæ confusionis causâ. Addidi verò particulam illam *fortè*; nam etsi velint aliqui has omnes linguas solo accidente et dialecto differre (quod si verum est, non difficile erit admittere, has omnes linguas posse uno Hebraicæ linguæ nomine comprehendi); at mihi major in his differentia constituenda videtur; etsi enim fatendum sit has linguas plurimas habere vocum radices easdem, et ex Hebræâ linguâ omnes fluxisse; id tamen non est satis ut una eademque lingua, vel sola dialecto diversa censeatur. Ubi enim solâ dialectus diversa est, vel omnes, vel propemodùm voces omnes eædem sunt, levi alicujus litteræ mutatione vel terminatione diversæ, qualis diversitas in Græcæ linguæ dialectis cernitur; cujusmodi et inter Judæos erat Galilæa lingua à Jerosolymitanâ diversa, Matth. 26, vers. 73, Marc. 14, vers. 70, Luc. 22, vers. 59, Act. 2, vers. 7 cum sequentibus. Item Ephratæa à Galaaditicâ, Judicum 12; vixque inter ejusdem regionis incolas fit, ut in diversis urbibus non sit talis in linguâ variatio, major minorve, pro majore vel minore urbium inter se commercio vel vicinitate; at ubi non sola levis mutatio terminatioque differentiam adfert, sed esto multæ voces easdem origines habeant, at totidem ferè aliæ sunt, quæ propriæ sunt linguæ uni, non alteri, non potest una eademque lingua censeri. Hâc ratione Hebraica non potest eadem censeri cum Chaldaicâ, Syriacâ, Arabicâ, quæ admodùm multas peculiares voces habent, diversasque vocum multarum radices: aliàs enim, si hæ omnes eædem linguæ censeri debeant, pari ratione una eademque dici debebit lingua Hispanica, Italica, Gallica, tùm inter se, tùm cum Latinâ linguâ, à quâ omnes istæ multarum vocum originem habent; eædem erunt Germanica, Flandrica, Anglica. Et verò, si Hebraica Chaldaicaque una esset lingua, et dialectus tantummodò diversa, quâ ratione ità laboravit S. Hieronymus, postquàm Hebraicæ linguæ peritus erat, ut ea è veteri Testamento interpretaretur, quæ Chaldaicè conscripta erant? Certè, cùm Tobiæ librum vertere instituit, ut ipse de se testatur Præfatione in eumdem Tobiam, coactus est utriusque linguæ Hebraicæ et Chaldaicæ peritissimum accersere, et quidquid ille è Chaldæo in Hebraicum idioma vertebat, Hieronymus Latinè reddebat. Rursùm Præfatione in Danielem, de se refert, cùm incidens in Danielem Chaldæo sermone conscriptum cœpisset desperare posse se in eâ linguâ proficere, quodamque Hebræo stimulante cœpisset ei linguæ operam dare: *Qui*, inquit, *mihi videbar sciolus inter Hebræos, cœpi rursùs discipulus esse Chaldaicus; et ut verum fatear, usque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere et intelligere, quàm sonare*. Videtur tamen Chaldaica et Syriaca eadem dici posse, cùm longè major inter has linguas sit affinitas, et aliqui non ineptè Syriacam vocent Chaldaicam reformatam. Undè et Guido Fabricius utriusque linguæ voces uno Syro-Chaldaico Dictionario complexus est. Fuerint autem idem Hebraicus character, quo nunc utimur, et Libros sacros scriptos habemus, cum eo quo primùm conscripti Libri sacri, infrà definio ad Genesis cap. 11, vers. 1.

(1) Origines apud Euseb., Hist. eccles. VI, Cap. 25, citat titulum hæbraicum hujus libri: *Scharbeth Sarbane el*, id est *historiæ principum filiorum Dei*.

Bredovius, in dissertatione novæ syncell. editioni præfixâ, dicit se à viro doctissimo audisse in Bibliothecâ hamburgensi publicâ esse *primum librum Machabæorum manuscriptum hebraicum*.

SECTIO IV.

Qui veteris Testamenti libri aliâ quàm Hebraicâ linguâ scripti sint.

Sunt igitur nonnulli è veteris Testamenti libris, qui Chaldaico ferè idiomate conscripti sunt, quos inter libri sunt Esdræ et Danielis, teste etiam ipso Hieronymo Præfatione in Danielem Prophetam ; quanquàm fatendum est utriusque libri initium Hebraico idiomate scriptum esse. Item Tobias et Judith, ut testis est idem Hieronymus Præfatione in utrumque librum, qui tamen hoc tempore Chaldaicè scripti non exstant. Job videtur Syriacâ primùm linguâ scriptus, sive ab ipso Job, sive ab amicis ejus, teste Origene, lib. 1 in Job, cui etiam assentiuntur Rabbini. Adde, et in fine editionis Septuaginta, quæ Romæ, cardinale Caraffa adlaborante, prodiit, quâ itidem usus Origenes, id disertè haberi : *Hic interpretatione redditur ex libro Syriaco ;* quasi videlicet antecedentia ex Hebraico libro verterint, quæ in eo deerant in Syriaco suppleverint. Porrò hic idem liber passim creditur, et asserit Origenes suprà, nec Rabbini dissentiunt, à Moyse ex Syriaco in Hebræum translatus : quod tamen intelligi debet ità ab eo factum, ut etiam in suâ translatione nonnulla Arabica Syriacaque, quibus totum constabat autographum, suæ translationi miscuerit. Testis est hujus rei ipsemet Hieronymus, Præfatione in Job priore : *Hæc*, inquit, *translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso Hebraico Arabicoque sermone, et interdùm Syro, nunc verbum, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit.* Item, Præfatione in Danielem : *Sciendum quoque, Job cum Arabicâ linguâ plurimam habere societatem.* Id autem consilio et studio credi potest factitatum à Moyse, ut liber hic linguæ idiotismis suam originem referret, præsertim in iis quæ faciliora erant, et ab Hebræis Arabicè Syriacèque scripta intelligi poterant.

Porrò è veteri Testamento nonnulla etiam Græco sermone primùm conscripta sunt, inter quæ est Liber secundus Machabæorum, quod stylus ipse satis indicat, teste etiam ipso Hieronymo in Prologo galeato : *Secundus*, inquit (de his Machabæorum libris loquitur), *Græcus est, quod ex ipsâ quoque phrasi probari potest.* Item liber Sapientiæ, de quo ità Hieronymus Præfatione in Proverbia et cæteros Salomonis libros : *Secundus*, inquit, *apud Hebræos musquàm est ; quin et ipse stylus Græcam eloquentiam redolet ; et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Philonis Judæi affirmant.* Et verò, hoc argumento suprà, cap. 7, Sect. 3, collegimus Salomonem istius libri non esse auctorem, etsi libri auctor multas è Salomonis scriptis sententias consarcinàrit, et in unum libri corpus aggesserit.

Baruch Prophetia non constat quâ linguâ conscripta sit, neque hoc tempore aliter quàm Græcè Latinève scripta habetur ; attamen non videtur dubitari posse quin fuerit vel Hebraicè vel Chaldaicè scripta : quâ enim linguâ uteretur ad Hebræos scribens, nisi quæ nativa ipsis, et ab ipsis intelligi posset quàm optimè? Quòd si Hebræi in Chaldæâ jam suam linguam corruperunt, certè vel Chaldaicè scribi à Baruch debuit, vel utramque linguam permisceri.

SECTIO V.

Quâ linguâ conscripti sint novi Testamenti libri.

Suprà, Sectione 1, diximus novum Testamentum ferè totum Græcâ linguâ conscriptum fuisse. Et verò certum videtur, præter Evangelium Matthæi et Marci, Epistolam ad Romanos et ad Hebræos, cætera omnia novi Testamenti Græcè scripta esse : nec est quisquam, quod sciam, qui contrà sentiat. Evangelium Matthæi Hebraicè fuisse scriptum, communis est opinio, idque ipsum testatur Hieronymus, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis loquens, de Matthæo : *Evangelium Christi*, inquit, *Hebraicis litteris verbisque composuit, quod quis posteà in Græcum transtulerit, non satis certum est. Porrò ipsum Hebraicum habetur usque hodiè in Cæsariensi bibliothecâ, quam Pamphilus Martyr studiosissimè confecit ; mihi quoque à Nazaræis, qui in Beræâ, urbe Syriæ, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit.* Additque Hieronymus aliud, ex quo hoc idem non obscurè colligi possit, quòd Matthæus Scripturæ veteris testimonia non juxtà editionem Septuaginta Interpretum citet, quemadmodùm cæteri faciunt, qui Græcè scripserunt, sed juxtà Hebraicam veritatem, præsertim cùm nonnulla citet, quæ in Hebræo volumine habentur, apud Septuaginta autem non reperiuntur. Id autem intelligi volunt plerique passim de linguâ Hebraicâ non purâ, sed Syriacis vocibus permixtâ, cujusmodi lingua apud Judæos in usu erat Christi et Apostolorum temporibus.

Epistolam ad Hebræos etiam plerique ferè omnes volunt idiomate Hebraico scriptam esse à Paulo, pari modo tamen Syriacæ linguæ admixtione corrupto ; scribebat enim Hebræus ad Hebræos, quæ lingua et ipsis charior erat, atque adeò et Epistola hâc linguâ scripta gra-

tior futura, et à pluribus, idque multò quâvis aliâ linguâ faciliùs intelligi ab Hebræis poterat. Testatur hoc ipsum Hieronymus, lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Paulo : *Scripserat*, inquit, *ut Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè, ut ea quæ eloquenter fuerant scripta in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum ; et hanc causam esse, quòd à cæteris Pauli Epistolis discrepare videatur.* Porrò verisimile est eodem ipso tempore hanc Epistolam Græcè redditam esse vel Lucâ Apostolo, vel Clemente Romano; horum enim stylum planè disertum videtur resonare, ipsumque Græcum autopraphum à Paulo lectum et probatum; idque factum ut Epistolæ hujus fructus latiùs funderetur, cùm multi essent Hebræorum Christianorum in Græciâ et Asiâ Minori, aliisque orbis partibus, qui Hebraicam linguam non callebant, quibus tamen consolatio quam hæc adfert Epistola necessaria, vel admodùm erat utilis, ob frequentes, quas vel à suis, vel à gentilibus patiebantur persecutiones.

Evangelium Marci creditur ab eo Romæ Latinâ linguâ scriptum. Romæ scripsisse asserit Hieronymus, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis; at alterum non æquè certum; cùm enim Romani Græcæ linguæ essent studiosi, potuit ab eo Græcè scribi, ab ipsis Romanis mox in Romanum sermonem vertendum. Plurium tamen ea videtur sententia, ab eo Latinè fuisse conscriptum, addunt verò non pauci, ab eodem ipso Marco etiam in Græcum idioma conversum.

Epistolam ad Romanos quidam etiam censent scriptam Latinè, utpotè quæ ad Romanos scriberetur; attamen probabilior opinio censet Græcè scriptam fuisse, idque ipsum videntur suadere frequentes idiotismi Græcanici, quibus tota Epistola respergitur.

CAPUT XIII.

De Hebræo textu, sincerusne sit, an corruptus, et consequenter quam auctoritatem apud nos habere debeat.

SECTIO I.

Opiniones de ejus vel corruptione vel incorruptione.

Quidam sincerum omninò et incorruptum volunt, et ad eum velut ad amussim exigendos esse cæteros textus et versiones. In hanc sententiam libenter inclinant nostri ævi sectarii, vel ut Ecclesiæ Vulgatam versionem traducant, corruptionisque insimulent; vel ut suis noviter cusis versionibus auctoritatem concilient, utpotè quæ è puris fontibus quasi minimè turbati rivuli prodierint. Alii insincerum omninò et depravatum, non inscitiâ modò aut librariorum incuriâ, sed etiam Judæorum malitiâ plurimis in locis. Ità è Catholicis aliqui, inprimisque Melchior Canus, lib. 2 de Locis Theologicis, cap. 12, et Salmeron, Prolegomeno 4 in Evangelia, Leo Castrius, disputatione suâ de Translationibus Scripturæ sacræ, Isaiæ præfixâ Commentariis, cap 17 et sequentibus. Mediam viam sequendam existimo, nimirùm ut nec purum omninò et sincerum Hebræum textum, quem habemus, censeamus, non tamen multis locis corruptum, saltem Judæorum malitiâ, asseramus.

SECTIO II.

Menda in Hebræo textu à librariis admissa, et horum causa, quamque in illa proclivis lapsus.

Dico ergò primò, oscitantiâ vel negligentiâ librariorum exscribentium non dubium esse in Hebræo textu menda quædam, imò et fuisse semper. Ratio hujus propositionis est, quia aliter humano modo fieri non potest, etiam quâlibet morali diligentiâ adhibitâ, quin hujusmodi errores in libris exscribendis admittantur, cùm non sit par omnium, vel cujuslibet in singulis quæ exscribit, attentio, vel etiam scientia : quò fit ut tædio subindè quis affectus, dùm quæ agit scribitve minùs considerat, errorem admittat, litteram pro litterâ, vocem pro voce affini substituendo, litteras transponendo, etc., vel subindè bonâ fide unam vocem pro alterâ supponit, propterea quòd eam vocem non intelligat, vel cùm eâ voce totius sententiæ sensum non capiat, existimetque alterum, à quo exscribit, errore lapsum; indè à primis mendosè scribentibus faciliè ad alios rursùm exscribentes iidem errores transeunt, qui insuper novos alios addunt errores. Et quod de exscribentibus dico, idem de typographis, qui posterioribus temporibus Hebræum textum typis excuderunt, dici potest, maximè cùm in iis subindè non sit magna Hebraicæ linguæ peritia. Et verò habet Hebræa lingua peculiares occasiones hujusmodi in scribendo lapsuum; habet enim litteras nonnullas figurâ non admodum dissimiles, quas proindè in exscribendo visus obiter inspectas, unam sumit pro alterâ, vel quòd non satis accuratè formatæ sint, satis non potest discernere. Hujusmodi sunt : ב et כ, ג et נ, ד et ר, ה et ת, ו et י, ט et ם, ע et צ : præterea ך et littera finalis ך possunt facilè una pro alterâ sumi, cùm ex unâ paulò longiùs protracta fiat altera; vel contrà, si quid

de caudâ pauxillùm dematur : idem lapsus esse potest, si quis pro ד vel ד ponat finale ד, vel contrà. Item ex similitudine litterarum potest facilè error nasci inter מ et ם finalem litteram, quæ subindè non ità exactè distinguuntur. His omnibus adhuc major nasci potuit lapsûs occasio inter ש et ש, ubi figura utriusque litteræ est prorsùs eadem, sed superposito duntaxat puncto dextrorsùm et sinistrorsùm distinguuntur. Sanè quàm facilè sit נשה *nascha*, quod significat *decipere*, scribere pro נשה *nasa*, *elevare*, nemo non videt, maximè ubi quis ad totius sententiæ sensum non advertit, vel ex utroque sensus commodus nasci potest. Multòque magis potuit una pro alterâ sumi, cùm antè Masorethas puncta hæc deessent, quæ ab ipsis addita sunt causâ internoscendi, etsi tunc in scribendo lapsus esse non potuerit. Et verò si inter litteras omninò dissimiles hujusmodi lapsus contingant, quantò magis inter similes? Et hæc quidem locum habent in Judæorum litteris posterioribus ab Esdrâ vel inventis, vel de novo usurpatis; nam in litteris Samaritanis, quæ antè Esdram in usu fuerunt, non tanta fuit ad lapsum facilitas, cùm non ea sit litterarum similitudo, quæ est in posterioribus.

Accedit et alia lapsûs occasio, quæ esse potuit, dùm quis altero dictante sacros libros transcribit : sunt enim litteræ nonnullæ apud Hebræos, quæ quoad aspectum quidem dissimilem figuram habent, ità ut ex eâ parte, dùm quis solus exscribit, non facilè error potuerit contingere; at quia eædem litteræ similem sonum vel non admodùm dissimilem reddunt, facilèque, altero dictante littera una pro alterâ substitui potest, eâ ex re menda in scriptione etiam necesse est oriantur. Hujusmodi litteræ sunt primùm gutturales omnes אהחע deindè ut nunc pronuntiamus, ח et כ facilè commutari possunt. Rursùm כ et ק similis soni sunt, item ferè his similis ג : item ט et ת ferè similem sonum habent; item ש, ס, צ ז, in sono penè conveniunt : neque admodùm sono dissentiunt ב et פ, maximè si Daghes habeant, et fortem pronuntiationem. Quæ litterarum unius pro alterâ substitutiones, tàm in litteris quæ antè Esdram fuerunt, quàm quæ post Esdram locum habere potuerunt. Hinc omninò verisimile est, et ferè certum, etiam antè Esdram hujusmodi errata in exscribendis sacris Libris contigisse; quæ etsi pleraque ex antiquioribus et minùs corruptis libris corrigi et emendari potuerint, tamen in nonnullis res fuit difficilior, maximè si sanus ex utraque lectione sensus nascatur, et antiquiores etiam libri inter se dissentiant. Hinc omninò credibile est, etiam tùm diversas exstitisse lectiones, et hanc fuisse præcipuam Esdræ cæterorumque Scribarum operam post captivitatem, ut Libros sacros suæ puritati, quoad fieri posset, restituerent. Ità sentit Radack in 3 Reg., cap. 17, et in Præfatione priorum Prophetarum : *In captivitate primâ*, inquit, *exemplaria corrupta sunt, elicueruntque ex uno exemplari sic, et ex alio aliter : et ubi clarum non potuerunt habere sensum, scripserunt unam lectionem intrà contextum, et aliam ad marginem. Perierunt quoque exemplaria et distracta sunt; et morientibus sapientibus qui tenebant Scripturæ sensum, conati sunt hi qui erant de Concilio magno, restituere Legem ad vetustatem suam; invenientesque dissensiones in exemplaribus, habuerunt fidem pluribus exemplaribus consentientibus.*

SECTIO III.

Hebræum textum malitiosè in nonnullis depravatum.

Dico secundò : Etiam Judæorum malitiâ nonnulla, sed non admodùm multa, in Hebraicum textum irrepsêre errata. Antequàm id probetur,

Notandum primò, errata hæc tantummodò esse in iis quæ de Christo sunt, vel Christianâ Ecclesiâ; quorsùm enim alia Judæi malitiosè immutâssent, quæ nullius momenti erant, neque ad Christianum dogma stabiliendum faciebant, quandoquidem Judæi semper studiosissimos se ostenderint Legis incorruptæ servandæ, et manifestè deprehendatur totam hanc malitiosam immutationem nonnisi ex odio Christianæ religionis esse profectam ?

Notandum secundò, non in omnibus quæ de Christo sunt Prophetiis etiam manifestis hanc fraudem admissam; non enim id ausi sunt, ubi necessaria fuisset alterius verbi planè dissimilis substitutio; sic enim sibi ipsis nimiùm nocuissent; et nimis apertè eorum fraus detecta fuisset; sed tantummodò ubi vel nulla, vel exigua litterarum esset facienda commutatio, maximè verò si tota diversitas ex punctorum diversorum appositione nasceretur.

Notandum tertiò, hanc malitiosam depravationem serò post Christum à Masorethis esse factam, non antè; quod eò fuit illis facilius, quòd ipsi puncta vocalia adinvenêre, cùm anteà sacri Libri Hebraicè scripti sine punctis legerentur. Porrò, non antè hæc tempora malitiosè depravatum fuisse Hebraicum textum, satis manifestè ostendi potest : siquidem non

antè Christum, cui enim bono? non Christi tempore à Pharisæis Scribisve id factum, cùm ad Scripturas illi non adverterent, nec attenderent eas in Christo impleri, seque illis implendis malitiâ suâ subservire. Imò, si vel Christi tempore, vel antè illud tempus malitiâ à Judæis depravatæ Scripturæ fuissent, non est dubium id Christum fuisse in ipsis reprehensurum; at Christus potiùs contrà facit, cùm eos super Movsis cathedram sedentes vult audiri, utique Scripturam legentes et interpretantes, Matth. cap. 23, eosdem ad Scripturas relega Joannis 5, vers. 39 et ultimis versibus capitis. Neque id factum post Christum antè D. Hieronymi tempora; id enim haud dubiè notâsset reprehendissetque Hieronymus, qui potiùs uno loco contrarium indicat, sed maximè ad Isaiæ cap. 6, ubi ridet eos qui hoc sibi persuaserint. Dicit quidem Hieronymus Epistolâ 89, quæ est ad Augustinum, cap. 6, se suâ versione voluisse ea testimonia quæ à Judæis prætermissa sunt vel corrupta, proferre in medium : *Ut scirent,* inquit, *nostri* (hoc est Latini), *quid Hebraica veritas contineret.* At ipse per Judæos ibi intelligit Aquilam, Symmachum, Theodotionem, interpretes Judaizantes, qui truncando, vel aliter corrumpendo Scripturam vitiârunt suâ interpretatione, non fontem ipsum Hebraicum turbando. Non etiam id factum post Masorethas illos, siquidem hi omni diligentiâ morali adhibitâ effecerunt ut deinceps nihil in textu Hebræo immutari vel depravari posset; nam singulorum librorum versus omnes, singulorum versuum voces omnes, singularum vocum litteras omnes numerârunt, eumque numerum sequentibus sæculis transmiserunt. Porrò omnium quotquot sunt in Scripturâ litterarum numerum ità descripserunt, ut quoties quælibet littera in Scripturâ habeatur, ex summâ ab ipsis initâ cognosci possit : quæ diligentia videtur sustulisse posteris rationem omnem depravandæ in posterum Scripturæ, addendo, demendo, litteras immutando, quandoquidem id fieri non possit quin facilè perspiciatur. Restat igitur, ut si depravata sit malitiosè Scriptura Hebraica, id factum sit à Judæis in odium Christianæ Religionis, vel intermedio tempore, quod est à S. Hieronymo usque ad Masorethas illos, centum videlicet et paulò pluribus annis; vel à Masorethis ipsis, qui tamen, ne viderentur malitiâ quidquam immutâsse, supervacaneam illam diligentiam, quam diximus, adhibuerunt, ut omnem imposturæ et depravationis à se suspicionem amolirentur. Porrò hæc sive tàm operosæ dinumerationis singulorum versuum, vocum, litterarum, sive appositionis punctorum vocalium diligentia ab ipsis præstita sub annum Domini quingentesimum in urbe Tiberiadę, non Mœsiæ vel Paphlagoniæ, ut quidam censuerunt, sed Judææ, idque eo fine, ne pedetentim Hebrææ linguæ usus et lectio ob difficultatem legendi sine punctis deperiret. His prænotatis, ea nonnullorum locorum depravatio, quam à Judæis factam diximus priore assertionis nostræ parte, manifestè colligitur et notatur ex Versione Septuaginta et Hieronymi; item fragmentis quæ supersunt aliarum versionum, ut Aquilæ, Symmachi, Theodotionis; item Chaldæo paraphraste : ex quibus omnibus subindè manifestè liquet ipsos aliter legisse quàm hoc tempore ex Masoretharum correctione legatur.

SECTIO IV.

Loca Scripturæ à Judæis depravata.

Porrò loca, quæ hâc ratione à Judæis malitiosè depravata notantur, hæc sunt præcipuè.

Primus locus est Gen. cap. 49, ubi pro שלוח *schalvach, missus,* vel *mittendus,* uti videtur legisse Hieronymus, vel pro שלה *schello,* uti videntur legisse Septuaginta, optimo utrique sensu, pro quo et Chaldæus Paraphrastes manifestè habet: *Messias cujus est regnum,* ipsi posuerunt שולה *schilo,* nullo sensu, idque ut ex eo loco revinci non possent jam Messiam advenisse.

Secundus locus est Psalm. 18, vers. 5, ubi pro : *sonus eorum,* quod habent Septuaginta et Hieronymus, quique proindè in Hebræo manifestè colliguntur legisse קולם *kolam,* quam jectionem versionemque probat Apostolus ad Rom., cap. 10, vers 18, Judæi, sublatâ unâ litterâ, substituerunt קום *kauvam, linea* vel *regula eorum,* nullo ferè sensu, idque ne ex loco revinci possent ex Evangelii per totum mundum prædicatione, Messiæ adventum et regnum advenisse.

Tertius locus est Psalm. 21, vers. 17, ubi pro eo quod habemus: *Foderunt manus meas et pedes meos,* qui locus maximè perspicuus erat de genere mortis Christi, ejusque crucifixione; ubi non dubium est Septuaginta e Hieronymum pro *foderunt*, in Hebræo legisse כרו *caru*, Judæi autem in Hebræo impiè illius loco substituerunt כארי *cuari, sicut leo,* litterâ unâ interposita, et י in ו commutato, idque nullo sensu, vel certè alieno ; esto enim id ad fortitudinem referri possit, id tamen à totius Psalmi contextu nimis quàm alienum est.

Quartus locus, de quo suspicio est à Judæis esse depravatum, est Isaiæ 9, vers. 6 : *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis,* etc., ubi tàm Septuaginta quàm Hieronymus habent *vocabitur,* ut planè videantur in Hebræo legisse *jikkare, vocabitur,* in passivâ conjugatione; hoc tamen tempore legitur *jikra, vocabit,* quod videntur Judæi substituisse alienis additis punctis, quia ex hoc loco manifestè probatur Divinitas Messiæ; legendo autem *vocabit,* omnes illos dignitatis titulos, quos Messiæ à Prophetâ datos agnoscimus, ipsi referunt ad Deum tanquàm suppositum verbi *vocabit,* præter ultimum, *princeps pacis,* hoc modo : *Et vocabit nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, principem pacis.* Et verò agnoscit ipse Calvinus, lib. 1 Institutionum, cap. 6, §. 11, eo loco Hebraici textûs depravationem. Fateor tamen non esse usque adeò apertum, an eo loco Judæi textum corruperint ; unde dixi tantummodò suspicionem esse : siquidem verbum istud *kara,* non semel legitur in Scripturâ in activâ quidem conjugatione, habens tamen significationem passivam : hujusque generis plura loca annotat Forsterus in suo Dictionario, et locum hunc inter cæteros; estque alius locus satis manifestus Deut. 15, vers 2, idemque notat in istius loci scholiis Vatablus. Et verò etiam Pagninus illud *jikra,* passivè vertit, *vocabitur,* uti et Tigurini, et Chaldæus paraphrastes, aliique passim, licet Chaldeus paraphrastes aliquid addat deindè ad loci depravationem. Quidquid sit, sive textus à Judæis fuerit isto loco depravatus, sive non, satis tamen constat passim ab omnibus passivè locum explicari, ut quamvis non possint apertè convinci de scriptione depravatâ, possint certè revinci de interpretatione perfidâ et vitiosâ. Similem in eâdem voce volunt aliqui esse depravationem, et agnoscit Calvinus Jerem. 23, vers. 6, è quo itidem loco Christi Divinitas manifestè probatur, ubi in textu Hebræo nunc habetur יקראו, *jikreo, vocabit eum,* ubi tamen Hieronymus manifestè legit יקרהו *jikreuhu, vocabunt eum, Dominus justus noster,* quomodò et sese legere in Hebræo manifestè indicat Hieronymus in Commentariis in Isaiam, etsi aliter videantur legisse Septuaginta; quæ ratio est cur et Pagninus et Tigurini *vocabunt eum,* cum Hieronymo reddiderint. Et verò mihi magis in hoc loco subolet Judæorum depravatio, quàm in priore, ut verisimile sit eos vel detraxisse affixum pronomen הו *hu,* et ex יקראי *jikreu, vocabunt,* fecisse יקראי *jikreo, vocabit eum,* vel pro יקרא *jikra, vocabitur,* passivè acceptum, ut in Isaiâ, addito pronomine affixo fecisse יקראו *jikreo, vocabit eum,* cum quo pronomine necessariò activè sumi debet.

Quintus locus esse potest Isaiæ 53, vers. 8, ubi habemus : *Propter scelus populi mei percussi eum,* ubi in Hebræo legitur, *plaga eis,* et pro *lo,* hoc est, *ei,* videntur substituisse *lamo eis,* ut non ad Christum, sed ad populum hæc percussio referatur.

Sextus locus esse potest Zachariæ 9 : *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator*; ubi et Septuaginta habent : καὶ σώζων αὐτός, *et salvans ipse :* sic et Chaldæus paraphrastes activè פרק *pharek,* cùm tamen Hebræa habeant נושע *noschah, salvatus,* quod videntur substituisse pro מושע *moschah, salvans.*

Queritur jam diù antè D. Hieronymum Justinus Psalm. 95: *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit,* ibi Judæos sustulisse, *à ligno ;* item Jerem. 11, sustulisse verba illa : *Mittamus lignum in panem ejus.* At posterius etiamnum habet textus Hebraicus, et legit in eodem post Justinum Hieronymus; prius nec versio Septuaginta antiquissima habet, nec est alius ullus qui questus ex eâ id erasum. Adferunt alii et alia loca, ut Isaiæ 28, vers. 11, quod non consentit cum eodem loco citato à Paulo 1 Cor. cap. 14, vers. 21. Item Isaiæ cap. 40, vers. 5, qui alter versus est à Septuaginta, juxtà quorum versionem etiam citatur Lucæ 3, vers. 6, quàm legatur in Hebræo. Item Deut. cap. 21, vers. 23, ubi in Hebræo habetur : *Maledictus à Deo,* cùm sine verbis illis, *à Deo,* citetur à Paulo ad Galat. cap. 3, vers. 13. Item Psalmo 2, vers. 6 : *Ego constitutus sum rex,* etc., ubi Hebræa habent : *Ego constitui regem meum.* Et Psalm. 109 : *Ex utero antè luciferum genui te;* at in Hebræo habetur : *Ex utero ab aurorâ tibi ros nativitatis tuæ.* Verùm si horum locorum facta est à Judæis depravatio, facta est antè D. Hieronymum, qui vertit ut nunc habetur in Hebræo, et consequenter nostra versio extrà Psalmos erit his depravationibus corrupta, quod nullo modo affirmari debet.

SECTIO V.

Quæ auctoritas sit Hebraici textûs, quæve ejus utilitates.

Ex dictis colligas primò, iis in locis, in quibus de Christo fideique Christianæ mysteriis agitur, non multùm fidendum esse Hebraico textui; in his enim malitiosa depravatio locum habere potuit. Præter loca tamen assignata, nescio an locus sit alius alicujus momenti, in quo Judæorum perfidia perspicuè notari possit.

Secundò colligas, extrà hæc loca, ad quæ depravanda odio Religionis Christianæ Judæi permoti sunt, esse magnam auctoritatem textûs Hebraici, sive ad textum nostrum, sicubi librariorum, vel typographorum oscitantiâ vel ignorantiâ vitiatus sit, emendandum; quòd etiam præstitisse se Bibliorum Sixtinorum correctores fatentur, possentque adhùc fortè nonnulla loca ex Hebræo emendari, quod non obscurè indicant iidem correctores; et Bellarminus admittit, Tom. 1 Controv. 1, lib. 2, cap. 2, in fine tertiæ objectionis, nonnullos typographorum errores etiamnum in Bibliis tolerari, quos ubi visum Ecclesiæ fuerit, ipsa tollere poterit. Verùm id nullo modo fieri debet, vel à privatis quibusque tentari, ut textum nostrum velint ex Hebræo emendari, præterquàm iis in locis, in quibus manifesta sunt argumenta, hujusmodi aliquod mendum irrepsisse.

Hinc tertiò colligo, non esse probandam eorum audaciam, qui sicubi textus noster ab Hebræo dissenserit, cùm nulla sunt in alterutram partem illapsi erroris argumenta, volunt ex Hebræo textum nostrum emendari; quod est plus tribuere Judæorum et impiorum hominum diligentiæ, quàm Ecclesiæ, quæ semper summam diligentiam adhibuit in asservandâ versionis nostræ puritate, et, si quid mendi à librariis vel typographis incidisset, erroribus castigandis. Itaque cùm et Judæi quovis tempore in exscribendis sacris libris per incuriam, inadvertentiam, ignorantiam errare potuerint, nec eam diligentiam adhibuerint ut incorruptos asservarent, mendaque corrigerent; vel si fecerint, non publicâ auctoritate, vel eâ Spiritûs sancti ope id ab ipsis factitatum, quâ id hactenùs fecit Ecclesia; hinc manifestè sequitur majorem versionis nostræ auctoritatem esse debere quàm textûs Hebraici (Catholicis loquor, nam frendeant oblatrentque, per me licet, hæretici), et, ubi cætera sunt paria, potiùs textum Hebraicum è nostrâ versione esse corrigendum quàm contrà.

Quocircà nec illud probare ullo modo possunt, quod pervincere nititur Galatinus, lib. 1 de Arcanis Catholicæ veritatis, cap. 8, nempè, in Hebræo textu etiam antè Christum à scribis et sapientibus Judæorum non pauca immutata esse et depravata; quæ depravationes dictæ sint ab Hebræis *ticcun Sopherim*, hoc est, *Correctiones Scribarum*: quarum correctionum exempla non pauca ipse adfert, easdemque depravationes vult in textum nostrum irrepsisse. Quæ autem loca hoc modo depravata sint, censet ipse è Thalmudè posse deprehendi, et ex eo sacros Bibliorum nostrorum Codices posse et debere corrigi. At ego hæc neque vera esse contendo, neque sine audaciâ et temeritate asseri posse; parùmque videri pium et religiosum tantam præbere religionis hostibus ansam calumniandi Ecclesiam, eique insultandi. Id enim Judæis dare, quid aliud est quàm perspicuè fateri Scripturam sacram ad nos nonnisi depravatam corruptamque pervenisse? id autem fateri, quid aliud est quàm totam Scripturam sacram in dubium revocare? Qui enim id intellexerit, quâvis Scripturæ sententiâ oblatâ, si nesciat quæ loca à scribis illis in particulari sint immutata, an non, dubitare poterit sitne ea quæ nunc illi effertur una ex iis, quæ hanc corruptionem admiserit? Sed et qui ea loca à Thalmudicis annotata sciverit, an quâ ratione hæc censebit esse corrupta, non facilè suspicari poterit multa alia pari modo esse corrupta, quæ ipsi non annotârint? quod erit aditum aperire, ut omnis Scripturæ fides abrogetur. Rursùm, qui Dei ergà suam Ecclesiam providentiam attenderit, an non judicabit ei planè consentaneum fuisse, ut Scriptura sacra quàm incorruptissima ad eam perveniret? illa autem nostrorum Codicum depravatione admissâ, quid aliud est quàm hanc Dei ergà suam Ecclesiam providentiam negare? Deindè, tota hæc depravationis injecta suspicio à maximis nostræ Religionis hostibus prodiit, Judæis, inquam, recentioribus et impiis; an igitur æquum est Ecclesiam eos audire, et sacræ Scripturæ correctionem ab iis emendicare, qui ut in aliis rebus plurimis mendacissimi sunt odio nostræ Religionis, ità et in hâc re esse potuerunt, nitentes Christianis hanc depravationem persuadere eâ mente ut, iis immutatis quæ ipsi commutari à nobis voluerint, nobis sincerum et incorruptum Scripturæ textum adimere possint, et ludibrio suorum sannisque exponere? Adde hanc depravationem deprehendi falsam è Septuaginta Interpretum versione, qui aliquot sæculis antè Christum suam versionem fecerunt, easdem autem sententias, quæ à Thalmudicis illis notantur, eodem modo efferunt, quo hoc tempore Hebræa nobis exhibent. Præterea, eadem falsitas revincitur ex Hieronymo, qui disertè negat Hebræos libros antè sua tempora fuisse corruptos, ridetque eos qui id non vereantur asserere. Et quis credat, Hieronymum, qui cum doctissimis Judæorum sui temporis consuetudinem habuit, id, si ità esset, ignorare potuisse, vel Hebræos illos, cum quibus familia-

riter versatus est Hieronymus, præsertim cùm hæc omnia per traditionem suorum accepisse se Thalmudici fateantur? Ubi verò est illa traditio per manus accepta, si doctissimi Hebræorum Hieronymi ævo eorum nihil sciverunt? Rursùm, quis credat Judæos antè Christum qui tam erant suæ Legis studiosi, ejusdemque incorruptæ servandæ tanto fervebant zelo, hanc depravationem tentare ausos, vel si ab aliquibus tentaretur, id fuisse permissuros? Quis credat omnes sapientes et scribas ità in eam depravationem conspirâsse, ut nullus eis se opponeret, ne Judæorum quidem Pontifex, cujus officii erat hosce sacros libros, quoad fieri poterat, quàm sincerissimos incorruptissimosque præstare et asservare? Deindè, quis credat hos scribas ità omnes libros, quotquot ubique erant seu in Judæâ, seu extrà Judæam in variis Judæorum coloniis et proseuchis, potuisse nancisci, ut has suas depravationes inferrent, sic ut nulli remanserint libri incorrupti, ex quibus ea depravatio deprehendi et emendari posset? Adde, non defuturum fuisse Christum, si scribæ id tentâssent, quominùs eam fraudem et impietatem illis impingeret, utpote quem legimus eorum vitia liberè coarguisse, et longè minora in ipsis notâsse ac reprehendisse, neque dixisset ipse: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergò quæcumque dixerint vobis, servate et facite*, si ipsi doctrinam et Scripturam adulteratam adferrent. Denique, esto id ab ipsis factum concederemus, ad Christi tamen providentiam pertinuit, Apostolos et Ecclesiam hujus fraudis et depravationis admonere, sacrosque libros sinceritati restituere, eosque quàm incorruptissimos Ecclesiæ tradere. Ex quibus omnibus conficio, manifestè convinci, totam hanc depravationem aliud nihil esse quàm purum putumque figmentum et mendacium, neque alio loco, quidquid alii sentiant, apud me futuram.

Non est tamen negandum, etsi nonnullæ à Judæis post Christum sanctumque Hieronymum, ut ex suprà dictis liquet, in Hebraicum textum depravationes irrepserint, plurimùm prodesse Hebraicum textum, sive ad menda, quæ in Latinam versionem incuriâ irrepserint, corrigenda; sive ut è variis in Latinâ versione lectionibus disquiratur, quæ verior et sincerior; sive ad vocem sententiamque in Latino Græcove codice ambiguam enotandam; sive ad singulorum verborum totiusque sententiæ vim meliùs percipiendam (habent enim linguæ singulæ quasdam vocum proprietates vimque significandi, quam alia lingua subindè assequi non potest); sive ad diversos sensus litterales, qui sub iisdem apicibus Hebræis latere possunt, quos unâ suâ versione Latinum Græcumve idioma exprimere non potest; sive ad nova aliqua sensa, mysteriaque alia arcana detegenda ad quæ interpretes concionatoresque manu ducunt Hebræa (1).

CAPUT XIV.

De Græco textu novi Testamenti, quæ illius debeat esse apud nos auctoritas.

Non dubium est his Græcis fontibus, quâ linguâ penè totum novum Testamentum conscriptum diximus, si puros esse constaret, summam auctoritatem et venerationem deberi, quod idem de Hebraico textu dicendum esset; at cùm neque hi Græci fontes omni ex parte puri sint et sinceri, sive oscitantiâ vel ignorantiâ librariorum et typographorum, sive malitiâ et perfidiâ hæreticorum, eadem propemodùm dici possunt, quæ de Hebraico textu dicta sunt, nempè, universìm loquendo, potiùs adhærendum esse nostro textui quàm Græco, sicubi inter illos sit discrepantia, non modò cùm argumenta manifesta sunt vel probabilia sinceritatis et incorruptionis Latinæ versionis, aut depravationis textûs Græci, verùm etiam cùm omnia utrinque sunt paria, juxtà ea quæ de Hebraico textu dicta sunt, et ob easdem rationes. Si tamen essent argumenta quæ convincerent mendum aliquod in textum nostrum irrepsisse, quæve pro Græci textûs incorruptione pugnarent, posse è textu Græco menda hæc corrigi, quemadmodùm semper fecit Ecclesia, et nuper correctores illi Sixtinorum Bibliorum fatentur se fecisse, et sanctus Hieronymus in emendatione novi Testamenti præstitit, uti de se testatur ipse Hieronymus Præfatione in 4 Evangelia ad Damasum. Hâc ratione fortè, cùm visum fuerit Ecclesiæ, poterit illud emendari Joannis cap. ult., vers. 22 et seq.: *Sic eum volo manere donec veniam:* ubi ex *si*, videtur factum *sic*, in nostro textu, quâ in re facilis est lapsus, qui non videtur esse facilis in Græco. Porrò, non esse Græcum textum hoc tempore purum et incorruptum, probari potest nonnullis exemplis.

Primus locus est ad Rom. cap. 12, vers. 11. ubi textus noster habet: *Domino servientes;* Græci ferè codices habent: καιρῷ, *tempori*, pro Κυρίῳ, *Domino*; cùm tamen ex antiquis Patribus probari possit olim lectum fuisse Κυρίῳ,

(1) Consule additamenta ad Bonfrerii præloquia.

et Hieronymus Epistola 102 ad Marcellam, bipedes asellos vocat, qui aliter quàm Κυρίῳ legunt.

Secundus locus est 1 Cor. cap. 7, vers. 33 et seq., ubi versio nostra habet : *Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo*, etc. At Græci aliter legunt et interpungunt : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori. Divisa est mulier et virgo : innupta cogitat quæ Domini sunt*, etc. Quam lectionem jam olim reprobavit in nonnullis Latinis codicibus Hieronymus, lib. 1 contrà Jovianum, negans eam esse Apostolicæ veritatis.

Tertius locus est 1 Cor. cap. 15, vers. 47. Versio nostra habet : *Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis.* At Græcus textus habet : *Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo Dominus è cœlo :* quæ lectio manifestè absurda est, nec antithesim servat ; eamque jam olim à Marcione hæretico fluxisse docet Tertullianus, lib. 5 adversùs Marcionem.

Quartus locus verisimiliter in Græco corruptus est eodem capite, vers. 51, ubi Latina versio habet : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* At codices Græci duas alias diversas lectiones præferunt ; una est : *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur;* altera est : *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur.*

Quintus locus potest esse Matth. cap. 6, ubi istorum verborum additione : *Quia tuum est regnum, et potentia, et gloria in sæcula*, manifestè vitiatus convinci potest locus : siquidem nulli Latini codices hoc habent ; Græci qui supersunt antiquiores non habent ; SS. Patres seu Græci, seu Latini, qui Dominicam Orationem interpretati sunt, hujus clausulæ non meminerunt ; liturgiæ Græcorum, etsi hanc sententiam habeant, non tamen ut clausulam Dominicæ Orationis ejusque Appendiculam, sed ab eâ Oratione sejunctam.

Denique in multis codicibus Græcis nonnulla vitiosè detracta sunt, ut Marci caput ultimum, è Joannis, cap. 8, historia de muliere adulterâ : è Marci cap. 11, vers. 26, hanc videmus sublatam sententiam : *Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.* Et 1 Joannis, cap. 5, vers. 7, luculentum illud de SS. Trinitate testimonium sublatum est : *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus : et hi tres unum sunt.*

Negari tamen non debet, plurimùm posse prodesse Græcum textum, de quo paria ferè dici possunt, iis quæ de Hebraico textu capite præcedenti diximus; nam valere potest ad menda Vulgatæ versionis corrigenda, ad statuendum de sinceriore è pluribus in Vulgatâ nostrâ lectione, ad Latinæ alicujus vocis ambiguitatem tollendam, ad diversos fortè literales sensus extundendos, ad vocum sententiarumque significationem meliùs percipiendam, quarum subindè major vis est in Græco quàm in Latino textu, ob vocum Græcarum energiam et fecunditatem, quam Latina lingua pauperior et sterilior assequi et exæquare minimè potest. Id exemplis aliquot docet Canus, lib. 2 de Locis Theolog, cap. 15; nam quod apud Marcum, cap. 6, vers. 46, Latinus textus dicit : *Cùm dimisisset eos*, in Græco significantius est ; verbum enim ἀποτάσσεθαι significat non quovis modo, sed *blandè et amicè dimittere.* Quod Epistolæ ad Ephes., cap. 1, vers. 4, et alibi in Evangeliis versio nostra dicit, *Antè constitutionem mundi*, vel *à constitutione mundi*, id in Græco significantius est : utitur enim Scriptura voce καταβολὴν, quæ plus aliquid significat, ut indicat Hieronymus ad eum Apostoli locum, dùm illius vocis energiam et emphasim hisce verbis declarat : *Non idipsum*, inquit, καταβολὴ, *quod constitutio sonat, undè et nos propter paupertatem linguæ et rerum novitatem, et (sicut quidam ait) quòd sit Græcorum sermo latior, et lingua felicior, conabimur non tàm verbum transferre è verbo (quod impossibile est) quàm vim verbi quodam explicare circuitu.* Καταβολὴ, *propriè dicitur cùm quid deorsum jacitur, vel cùm aliqua res sumit exordium. Undè hi qui ædium futurarum jaciunt fundamenta*, καταβεβληκέναι *dicuntur. Volens itaque Paulus ostendere quòd Deus universa machinatus est ex nihilo, non conditionem, non creaturam atque facturam, sed* καταβολὴ, *id est, initium fundamenti ad eum retulit.*

CAPUT XV.

De nostrâ versione Vulgatâ, ejus auctore, de auctoritate quam apud nos habere debeat.

SECTIO I.

De Versionis auctore universim.

Nota, nos agere de Vulgatâ editione, cujus nunc usus est in Ecclesiâ, et ab eâdem auctoritatem habet ; aliàs enim, ad omnem ambiguitatem tollendam, distingui potest duplex Vulgata editio : siquidem editio Septuaginta Interpretum in veteri Testamento, additis

libris cæteris, qui ex Græco seu in veteri, seu in novo Testamento versi sunt in Latinum, quos etiamnum editio nostra habet, et pauculis versis è Chaldæo, antè D. Hieronymum et multis adhuc post Hieronymum annis à SS. Patribus Vulgata editio appellatur, utpotè quâ tunc Ecclesia utebatur; et quanquàm plures eo tempore editiones circumferrentur, erat tamen una, quæ Itala dicebatur, communior et passim recepta, de quâ Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ Christianâ : *In ipsis*, inquit, *Itala cæteris præfertur : est enim verborum tenacior cum perspicuitate sermonis.* Cœpit quidem, Hieronymo mortuo, ipsius ex Hebræo translatio paulatim majoris majorisque fieri, et in libris commentariisque editis citari, eaque nova editio appellabatur, ad distinctionem alterius Septuaginta, quæ vetus editio dicebatur. Porrò, paulò antè D. Gregorii tempora, hoc est, antè Christi annum sexcentesimum, cœpit etiam illa D. Hieronymi in templis, concionibus, sacris lectionibus usurpari, retentâ etiam vetere, ut ipse indicat Gregorius in fine Epistolæ ad Leandrum, quæ præfigitur libris Moralium : quo tempore utra Vulgata censebatur, sic tamen, ut etiam plus nonnihil novæ versione tribueretur, ut de seipso indicat Gregorius lib. 20 Moralium, cap. 23. Post D. Gregorium, verò cœpit paulatim vetus illa editio relinqui, et sola nova usurpari, primò quidem, Doctorum omnium et Patrum consensione tacitâ, deindè verò etiam Ecclesiæ præcepto, ut indicat qui annis abhinc quingentis vixit Hugo de S. Victore, lib. de Scripturis, cap. 9, idque hoc nomine, quod Hebræo fonti, ex quo derivata, puriùs fideliùsque responderet, ut indicant locis citatis D. Gregorius et Hugo de sancto Victore.

De auctore nostræ Vulgatæ versionis illud universim dici potest, eam ferè totam esse Hieronymi vel versoris, vel emendatoris : siquidem ut ipse de se testatur in fine libri de Scriptoribus Ecclesiasticis : *Novum Testamentum Græcæ fidei reddidi, vetus juxtà Hebraicam transtuli.* Deindè, quos libros ipse veteris Testamenti ex Hebræo in Latinum transtulerit, testantur Præfationes, quas singulis libris à se translatis præfixit. Novum Testamentum, saltem Evangelia, jussu Damasi Papæ emendâsse liquet ex Præfatione in quatuor Evangelia ad Damasum Papam. Hanc autem veteris Testamenti versionem ferè in omnibus ab Ecclesiâ receptam, omnium Patrum constans est opinio, qui post D. Hieronymum fuerunt, qui omnes ferè eam D. Hieronymi esse asserunt, nec est ullus, quod sciam, qui id negârit. Deindè, loca quæ S. Hieronymus ait defuisse in editione Septuaginta, haberique asserit in Hebræo, in hâc editione Vulgatâ, iisdemque ac totidem verbis, quibus Hieronymus se vertisse ex Hebræo asserit, habentur. In hâc editione habetur Jonæ 4, vers. 6, *hedera*, quam in Hieronymi versione fuisse indicat grandis illa altercatio, de quâ in Augustini et Hieronymi leges Epistolis, apud Hieronymum Epistola 88, 89, 97, cùm apud Septuaginta pro *hedera* esset *cucurbita*. Adde, non Græco textui, sed Hebræo hanc versionem respondere : non potest autem alius præter Hieronymum nominari ex antiquis, qui ex Hebræo immediatè in Latinum verterit. Idem asseri potest de novi Testamenti emendatione Hieronymianâ, eam videlicet fuisse ab Ecclesiâ receptam; siquidem et Damasi Papæ auctoritate facta fuit, et de hâc emendatione factâ gratias agit S. Augustinus Hieronymo per Epistolam; et quæ alibi Hieronymus emendanda esse in novo Testamento scripserat, eadem iisdem verbis emendata inveniuntur in Vulgatâ nostrâ versione.

SECTIO II.

Versionis nostræ Vulgatæ qui libri in particulari sint S. Hieronymi interpretis, qui aliorum.

Porrò, licèt Vulgatam versionem dixerimus ferè ex Hieronymi vel versione, vel emendatione concinnatam fuisse, operæ pretium tamen erit scire quid in particulari à S. Hieronymo, quid ab aliis in eâ versione acceperimus. Igitur ex S. Hieronymi versione habemus omnes quotquot in Hebræorum Canone libri fuerunt, præter Psalterium; hoc est Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, libros Regum, Paralipomenon, Esdræ, Esther totum præter Appendiculas in fine libri, Job, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum canticorum, majores et minores Prophetas (exceptis pauculis in Daniele, Baruch et Epistolâ Jeremiæ), et præter hos, duos qui in Hebræo non erant Canone, Judith et Tobiam. Hos enim omnes libros vertisse Hieronymum, ex Præfationibus libris hisce præfixis et ad varios datis liquet. Igitur ex Hieronymi versione non sunt Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæi, Baruch, cum Jeremiæ adjunctâ Epistolâ, Psalterium, Appendiculæ libri Esther, Danielis duo ultima capita, et è cap. 3 Canticum trium puerorum, cum iis quæ antecedunt, quæque in Vulgatâ nostrâ versione dicuntur in Hebræo non reperta; quæ omnia, excepto Psalterio, Hieronymus

non vertit. Porrò, cur ista Hieronymus non verterit, ea fuit ratio, sive quòd ea Hebraicè scripta non repererit, cùm ejus consilium esset ex Hebræo tantummodò transferre; sive quòd eos non censuerit esse vel in Hebræo, vel in Christiano Canone. Has duas rationes passim ipse in suis Præfationibus insinuat; et verò hæc omnia visus est Hieronymus ablegâsse à Canone, vel certè de iis dubitâsse, ut satis indicat tùm in Prologo galeato, tùm Præfatione in Proverbia, et alterâ in Danielem. Asserit tamen iisdem locis Hebraicè se vidisse Ecclesiasticum, et lib. 1 Machabæorum.

Porrò ex his Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch cum Epistolâ Jeremiæ, Machabæos, Appendiculas libri Esther, habet Ecclesia ab antiquo interprete antè D. Hieronymum, eoque incognito. Quæ in Daniele Hieronymus Hebræo non reperiit, habemus ex Theodotionis versione, siquidem olim antè D. Hieronymi versionem Ecclesia Danielem totum legebat ex Theodotionis versione, ut testatur idem Hieronymus Præfatione in Josue, et Præfatione in Danielem; et quidem in posteriore hâc causas scrutantur, cur Ecclesia, relictâ editione Septuaginta, Danielem ex editione Theodotionis susceperit, his verbis: *Danielem Prophetam juxtà Septuaginta Interpretes, Domini Salvatoris Ecclesiæ non legunt, utentes Theodotionis editione; et hoc cur acciderit nescio: sive enim quia sermo Chaldaicus est, et quibusdam proprietatibus à nostro eloquio discrepat, noluerunt Septuaginta Interpretes easdem linguæ lineas in translatione servare; sive sub nomine eorum ab aliquo nescio quo non satis Chaldæam linguam sciente, editus est liber; sive aliud quid causa exstiterit ignorans; hoc unum affirmare possum, quòd multùm à veritate discordet, et recto judicio repudiatus sit.* Hæc ipse. Porrò, receptâ Hieronymi versione, quæ in eâ apud Danielem deerant, Ecclesia supplevit ex illâ olim versione receptâ.

Psalterium quidem etiam ex Hebræo verterat S. Hieronymus, quod etiamnum in Hieronymi libris invenitur multùm à Psalterio, quod usurpat Ecclesia, discrepans; at sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ à Spiritu sancto regitur, ob justas causas visum non est illud admittere in Vulgatam editionem, sed antiquam retinere, ab ipso Hieronymo etiam emendatam; quæ antiqua editio non erat ipsorum Septuaginta pura, sed Lucianea, quam nimirùm Lucianus martyr Hebraicè sciens ex Hebræo emendârat, quemadmodum Hieronymus declarat Epistolâ ad Suniam et Fretelam.

Ubi nota, ter vel potiùs quater in Psalterio laboratum à S. Hieronymo; nam ex Hebræo in Latinum Psalterium transtulit, uti et cæteros veteris Testamenti libros Hebraicè scriptos, petente id Sophronio, ad quem Hieronymi epistola, et ad Psalterium exstat præfatio. Secundò, ex Græcâ editione Septuaginta, sed purâ, quam Jerosolyma et Orientis Ecclesiæ sequebantur, idem Psalterium in sermonem Latinum vertit, additis obelis et astericis, quemadmodùm apertè indicat Epistola illa ad Suniam et Fretelam, quæ versio tàm Græca quàm Latina habetur apud Hieronymum, tom. 7. Tertiò, Lucianeam editionem, communis Vulgataque appellatur, quàque Latinæ Ecclesiæ utebântur, eratque, ut dixi, Septuaginta, sed non pura, utpotè à Luciano Martyre emendata primùm, deindè variis modis corrupta. Hanc emendavit primâ vice, ut indicat Epistola ad Sophronium; eamdem rursùm correxit vice alterâ, additis obelis et astericis, quemadmodùm ipse declarat Præfatione in Psalterium ad Paulam et Eustochium. Hanc emendationem Roma suscepit, teste Hieronymo, lib. 2 Apologiæ adversùs Ruffinum, cap. 8. Addo verò, Hieronymum non Psalmos modò, sed etiam omnes libros veteris Testamenti ex editione Septuaginta simili ratione emendâsse, ut indicat idem ipse Præfatione in libros Paralipomenon ad Chromatium, et Præfatione in Proverbia, et Epistolâ ad Augustinum. Ex Græco verò, ut verior habet opinio, non totum vetus Testamentum transtulit, sed tantummodò Psalterium, Job. cap. 8, reliquos tantummodò indicat à se emendatos.

Ratio autem cur Ecclesia Hieronymi translationem vel ex Hebraico vel ex Græco in Psalmis non receperit, sed ejus duntaxat emendationem, incerta quidem, neque una fortasse; ad hæc non videtur è minimis esse, quòd cùm hi Psalmi quotidiè in Ecclesiâ canerentur, jamque isti editioni passìm Ecclesiæ omnes assuevissent, plerisque ex memoriâ Psalmos recitantibus ac concinentibus, nimis difficile fuisset et violentum, novam inducere translationem, et ut, loquitur Hieronymus Præfatione ad Damasum, *senis linguam mutare, et senescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum.* Quàm difficile fuerit in nonnulla Capitula vel Monasteria Romani Officii usum antè paucos annos inducere, scimus; nimirùm quia ea quibus assuevimus, et in quibus consenuimus, difficulter deserimus. Accedit, quòd Hieronymiana versio, ut hujus Capitis initio dictum est, pedetentim usu ipso et tacitâ Doctorum approbatione cœpit esse in pretio,

hâc æstimatione sensim sine sensu crescente; at res non potuit eodem modo se habere in Psalmis, cùm illi ex Hieronymi versione nunquàm cœpti sint cani, nec verò in aliis sacris muniis usurpari facilè possent, nisi eos ad quotidianum illum cantum Ecclesia assumpsisset.

Porrò, à quo interprete habemus novi Testamenti Latinam versionem, non constat: de Marco quidem probabile est, uti diximus, eum Evangelium suum Latinè scripsisse; at cæterorum licèt ignoretur antiquus interpres, non dubium tamen eam interpretationem factam statim initio Ecclesiæ, et sub Apostolorum tempora, atque adeò à viro Apostolico et Spiritu Dei pleno; planèque verisimile est ab Apostolis visam et probatam. Hanc, ut dixi, Hieronymus emendavit, Ecclesiaque amplexa est. Et quanquàm ipsius tempore admodùm varii exstarent codices, ut ipse indicat Præfatione ad Damasum, tamen sive ex incorruptioribus antiquioribusque libris, sive ex Græco fonte potuerunt ea, quæ ab aliis vel temerè, vel inscienter inserta aut mutata erant, corrigi. Porrò, nostram hanc ab Hieronymo novi Testamenti emendatam versionem esse illam ipsam quæ antè Hieronymum Vulgata erat, satis indicant sententiæ quæ à Patribus Hieronymo antiquioribus è novo Testamento citantur, quæ ab ipsis iisdem verbis efferuntur, quibus nunc in versione nostrâ habentur.

SECTIO III.

Quam auctoritatem habere debeat Vulgata hæc editio.

Respondeo, apud Catholicos habere debere et reipsâ habere summam. Primò, ob antiquitatem et tot annorum usum in Ecclesiâ, cum quâ ex eâ parte sola editio Septuaginta in certamen venire posset.

Secundò, ob peritiam quam habuit linguæ Hebrææ, Græcæ, Latinæ Hieronymus, seu Interpres, seu emendator, quam de se, modestè tamen, non uno loco profitetur, præsertim Præfationibus in varios veteris Testamenti libros. Hanc ei laudem Lutherus, Calvinus, Munsterus, et similis farinæ arrosores musculi libenter detractam vellent, ne qua editioni nostræ eâ ex parte auctoritas accedat; at eam S. Augustinus, S. Gregorius, Venerabilis Beda, Hugo Victorinus, aliique Patres laudem adscribunt; hanc recentiores omnes viri docti, hanc Erasmus, in Proœmio ad tom. 4 Hieronymi, aliique etiam complures, velint nolint, hircum olentes hæretici; hanc Rabbini aliqui attribuunt, maximè verò Rabbi ille Elias Germanus, qui paratum se dicebat Hieronymi versionem contrà omnes seu Judæos, seu Christianos, ità defendere, ut à nullo justè impugnata videri posset. Accessit ad hanc peritiam ejusdem Hieronymi versoris fidelitas, et in vertendo diligentia, quòdque is ab omni semper hæreseos errorisque suspicione alienus fuerit, imò hæreticorum semper flagellum et hostis capitalis exstiterit; ut meritò præsumptio sit, è purissimo vasculo purissimas aquas esse hauriendas, quas plerique fœtentes è putentibus hæreticorum doliis hauriunt. Accessit ad hæc omnia Dei peculiare auxilium et concursus, quo hic Sanctus à Deo ad hanc perficiendam versionem in Ecclesiæ totius utilitatem adjutus est, de quâ re paulò post. Et hinc factum est ut Hieronymi versio, licèt multis obtrectatorum lacerata sit conviciis et calumniis, omnes tamen obtrectatorum calumniatorumque morsus tandem victrix evaserit.

Tertiò, accesst huic editioni publicum judicium et auctoritas Concilii Tridentini, Sess. 4, his verbis: *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parùm utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum Librorum, quænam pro authenticâ habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authenticâ tabeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* Hoc Ecclesiæ judicium ac decretum facilè quilibet Catholicus admittet, eique se submittet; at quicumque in cæteris Ecclesiæ auctoritatem rejiciunt, quibusque decretum est Dei Ecclesiæ pietatique bellum indicere, tantùm abest ut admittant, ut potiùs totis viribus huic sese opponant. Verùm id rectè statutum ab Ecclesiâ demonstrari potest, quia nullo modo expedit in Ecclesiâ tot tàmque varias esse versiones, sed unicam ab Ecclesiâ probatam, cui omnes adhæreant, idque ipsum experientiâ ipsâ probatum est, et queruntur ipsimet hæretici tot novas prodire versiones: et quidem jam suo tempore Lutherus, ut habetur in libro Prophetiarum ipsius post Symposiaca, Beza in cap. 10 Actuum Apostolorum, Tigurini in Præfatione suorum Bibliorum, Robertus Stephanus initio suorum Bibliorum; sed quod sibi intriverunt, ipsi edant; utpotè qui omnes ad lectionem, explicationem, interpretationem Scripturarum, idque ex privato spiritu, admitti volunt, repelli neminem: ex hâc enim pessimâ libertate quid

tandem consequi oportet aliud, nisi ut quisque sibi sciolus videbitur, parùmque in Hebræâ Græcâque linguâ profecisse novam apparet editionem, quâ sibi famæ aliquid comparet? quâ ex re nemo non videt quæ sit nata sequi confusio. Hâc stante libertate, querantur illi quantùm libuerit, impedimenta opponant, media ad impediendum principibus suggerant, nunquàm tamen impedient, donec cum Ecclesiâ in gratiam redeant, unique Ecclesiæ capiti Concilioque Tridentino se subjiciant: quod cùm Catholici faciant, nulla in Ecclesiâ est difficultas hunc interpretandi pruritum impedire, vel si qua de novo interpretatio prodeat, eam duntaxat auctoritatem apud Catholicos habeat, ut vel receptam editionem confimet, vel, sicubi discrepet, respuatur. Accedit ad hanc rationem confirmandam, quòd sicubi plures pari in pretio sint versiones, et in plerisque, ut fit, discrepantes, necesse sit lites et dissidia nasci, pronum sit, maximè populo, ambiguam ferè suspicari ubique esse Scripturæ sententiam et mentem, quemadmodùm Præfatione in Esdram Græcis accidere asserit Hieronymus, qui cum Septuaginta, Aquilam, Symmachum, Theodotionem in Hexaplis Origenis recipiebant: *Qui*, inquit, *Hebræi sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis veriùs dixerit; quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Græcos accidit, ut interdùm Scripturæ sensum relinquens, uniuscujusque interpretis sequeretur errorem.* Cùm igitur probatum sit, utile esse in Ecclesiâ unicam duntaxat esse versionem authenticam ab omnibus recipiendam, cui potiùs id tribueretur quàm illi quæ tàm antiqua, tàm diù in Ecclesiâ probata, tàm peritè, fideliter, diligenter, tantâ Spiritûs sancti ope, uti ostensum est, à tanto viro facta est?

Nota verò, postquàm à Concilio Tridentino probata est Vulgata nostra versio pro authenticâ, prohibitumque ne quis illam quovis prætextu rejicere audeat, subdi paulò post de imprimendâ hâc Versione quàm emendatissimè, et de hâc à variis mendis expurgatâ, quæ librariorum typographorumque errore irrepserant, priùs illud decretum esse intelligendum. Itaque non contrà Concilii mentem, sed ex ejus potiùs mente faceret, qui menda illa rejecisset, etiam antè emendationem Romæ auctoritate Summi Pontificis factam; hæc enim menda non probavit Ecclesia, sed potiùs ex libris correctioribus rejici voluit.

Petes quid importet vox illa *authentica*, cùm statuitur eam versionem esse authenticam; an in eâ nullum omninò errorem ab interprete esse admissum, an aliquid aliud?

Respondeo primò, hanc voce illâ versionem anteponi omnibus quæ hactenùs prodierunt versionibus, ut quæ fideliùs, veriùs, peritiùs, majore verborum energiâ sententiam Scripturæ, mentemque Spiritûs sancti exprimat, quàm ulla quæ hactenùs prodiit versio Latina. Quocircà non tantùm anteponitur novis quibusque versionibus, sed etiam Latinæ versioni quæ fuit olim ex Græco Septuaginta, quam nonnisi ratione et maturo judicio reliquit Ecclesia, assumptâ Hieronymianâ versione. Porrò, Hieronymi versionem hujusmodi Latinæ ex Septuaginta deductæ meritò anteponi ob fidelitatem hanc, sinceritatem, et convenientiam cum fonte Hebræo, indicant S. Gregorius, lib. 20 Moralium, cap. 23, Hugo de S. Victore, lib. de Scripturis, cap. 9. Et verò habet hìc locum quod ait de hâc eâdem re loquens S. Hieronymus Præfatione in libros Salomonis: *Sciat*, inquit (lector scilicet), *magis nostra scripta intelligi, quæ non in tertium vas transfusa coaluerint; sed statim de prælo purissimæ commendata testæ, suum saporem servaverint.*

Secundò, certum est hâc voce non anteponi versionem nostram fontibus ipsis Hebræis et Græcis, quidquid oblatrent hæretici, cùm nulla horum fiat mentio, atque adeò et nulla cum his instituatur comparatio, maximè si de fontibus puris agatur; semper enim fontes puri ipsis rivulis quantumvis puris præferuntur, vel minimùm exæquantur, cùm tota rivulorum puritas ex fontium puritate manet; et authenticam decerni versionem nihil aliud sit, quàm eam cum fonte et originariâ linguâ convenire. Hujusmodi quidem per omnia puri non sunt fontes Hebræi et Græci, quos nunc habemus, ut suprà ostensum est; quo fit ut licèt non sit mens Concilii versionem hanc illis anteferre, meritò tamen etiam rivulus purus et minimè turbatus recto et prudenti judicio anteponi potest et debet turbatis jam et impuris fontibus.

Tertiò, hæc vox *authentica* importat non tantùm esse fideliorem et sinceriorem quâvis aliâ versione, factâ cum illis comparatione, sed etiam absolutè et simpliciter esse fidelem et sinceram, quantùm moraliter et humano modo fieri potest, hoc est, ut nihil contineat subdolè et fraudulenter additum, detractum, immutatum, obscurè vel ambiguè versum ad fidei mysteria occultanda.

Quartò eadem vox importat, nihil in eâ versione contineri quod fieri repugnet vel bonis moribus, vel ex quo perniciosus aliquis error nasci posset. Agnoscunt hæc plerique

doctores significari voce illâ *authentica*, neque plus eâ volunt significari ; non autem eâ voce removeri omnia errata et leviores defectus, ex quibus nihil detrimenti in fide et moribus nasci potest ; et ad priora quidem illa errata evitanda accepisse seu Hieronymum, seu alios Bibliorum primos interpretes, Spiritûs sancti opem sufficientem, non autem ad posteriora illa seu leviora errata quæ Spiritus sanctus humanæ industriæ reliquit. Sic de hâc re Genebrardus, Præfatione suâ in Origenem : *Verùm*, inquit, *nihil ad Vulgatam* (novæ scilicet illæ editiones) *quæ ferè mentem et sententiam assequitur, etiam illis locis, quibus videtur ab Hebraicâ vel Græcâ veritate discedere, et minùs sæpè aberrat à suo archetypo; et cùm id facit, res momenti est levioris, quàm ut indè hæresis vel absurda opinio efformari queat.*

Addo tamen ego, videri hoc nomen *authenticæ* importare etiam aliquid ampliùs, quàm ut nihil sit quod fidei vel bonis moribus repugnet; verùm etiam nihil in eâ esse quod apertè falsitatis vel contradictionis alicujus possit revinci, etiamsi ad fidem vel mores nihil pertineat (1).

Porrò, leviora cætera, an videlicet singulas voces ità aptè verterit Hieronymus, ut commodiùs verti non possent; an singularum arborum, plantarum, gemmarum, animalium nomina ità expresserit, ut in eo nihil humani lapsûs admiserit, nolim ego asserere, nec Concilii Tridentini credo mentem esse velle hoc definire; ut et asserit, qui Concilio interfuit, Andreas Vega, et Concilii præses Cardinalis, qui posteà Pontifex, Marcellus II, interrogatus disertis verbis eidem indicavit. *Sirenes* nos passim appellamus, et Latini appellant humanâ formâ pisces; at Hieronymus Isaiæ 13, vers. ult., *sirenes* pro terrestri bestiâ posuit; Septuaginta eodem loco *echinos* seu *herinaceos* habent; alibi passim eamdem vocem tàm Hieronymus quàm Septuaginta *dracones* vertunt, alicubi *cete*, Hieronymus, Thren. 4, vers. 3, *lamias*, Septuaginta etiam Job 30, Isaiæ 34 et 43, *sirenes* alibi *passerem* vel *avem* vertunt, *struthiocamelos* Symmachus, Job 30. Itaque vocem quæ tàm variè à diversis vertitur, imò et ab uno eodemque Hieronymo diversis in locis, quis certò asserere possit et ausit ubique ab eo quàm optimè versam? Hujusmodi plura capite sequenti adferam, ubi de Septuaginta Interpretum versione disseremus. Et verò, si, quia nostra Ecclesiæ decreto authentica est versio, asserendum est Hieronymum omnes numeros in versione assecutum; idem dicendum erit de editione Septuaginta; nam et hæc olim fuit authentica, neque magis in suâ definitione potuit errare prior Ecclesia quàm posterior.

Hinc liquet, nihil contrà Concilii mentem agere qui non temerè, sed solidis motus rationibus, dicat aliquid videri in versione nostrâ commodiùs potuisse verti, aliquid addi posse ut clarior esset versio : nam id sine ratione dicere, sive quia tantummodò ità videtur, quia novatores aliter verterunt, vel verti volunt, quia Rabbini aliam dicunt vocis esse significationem, id omninò et imprudens est, estque cæcis se ducendum permittere. Porrò, ex aliquâ ratione firmâ et solidâ id asserere, vel conjecturam facere, nihil temeritatis habet, cùm et ipse Hieronymus nonnulla in versione suâ emendârit, fassusque sit rectiùs aliter verti potuisse. Adfert hujusmodi loca nonnulla Serarius in Prolegomenis: verterat Hieronymus primùm Ecclesiastæ 2, vers. 3 : *Cogitavit trahere carnem meam in vinum;* posteà verò, quemadmodum nostra habet versio : *Cogitavi abstrahere à vino carnem meam.* Indicârat Præfatione in Pentateuchum, et alibi, Isaiæ 11, vers. 1, vertendum esse : *Nazaræus de radice ejus ascendet;* posteà tamen vertit ipse, et ità vertendum esse declarat in Commentario : *Et flos de radice ejus ascendet.* Isaiæ 19. vers. 17. verterat: *Erit terra Juda Ægypto in festivitatem;* posteà alteram magis probavit versionem : *Erit terra Juda Ægypto in pavorem;* quam et in illius loci Commentario sinceram indicat, ratus, ut ipse ait, meliùs proprium errorem reprehendere, quàm, dùm erubescit imperitiam confiteri, in errore persistere. Et hanc Ecclesia versionem etiam probavit. Idem verò Hieronymus subindè versionem suam in nonnullis immutari voluisset, nec tamen Ecclesia, quæ à Spiritu sancto regitur, eam immutationem probavit. Verterat ipse Isaiæ 9, vers. 14 : *Incurvantem et depravantem;* posteà eadem in Hebræo verba, cap. 19, vers. 15, verterat : *incurvantem et refrenantem ;* re autem attentiùs consideratâ, voluisset reponi : *incurvum et lascivientem;* at hoc ejus judicium posterius non est secuta Ecclesia, quæ utroque loco *incurvantem et refrenantem* legi voluit.

Item, non est hoc contrà Concilii decretum, dicere videri aliquid additum vel demptum, quod sensui aliquo modo officiat; puta Exodi 38, vers. 25. aliquid è nostro textu excidisse; id enim passim omnes asserunt, et He-

(1) Hæc propositio, quia nimis generalis est, vera nobis non videtur.

bræus textus ac editio Septuaginta perspicuè id indicant, Josue 16, vers. 8, ubi habetur : *mare salsissimum*, additum est epitheton illud *salsissimum*, quod neque Hebræa neque Septuaginta habent, videturque omninò sensui officere. Hæc enim et similia ad menda pertinent, quæ non prohibet Concilium notari, cùm desideret menda tolli, et quàm emendatissima imprimi Biblia : et quamvis jam Pontificum auctoritate Bibliorum nostræ Vulgatæ editionis emendatio sit facta, fatentur tamen et ipsi emendatores, Præfatione ad Lectorem Bibliis præfixâ, se menda quædam et errata reliquisse, quæ alioqui videbantur immutanda, ad offensionem populorum vitandam; et sunt fortè nonnulla, quæ etiam hos tàm oculatos correctores fugere potuerint; quæ bonum est ab interpretibus annotari, ut siquandò aliam contingat fieri Bibliorum correctionem, loca hæc à correctoribus attentiùs inspiciantur.

SECTIO IV.

Hæreticorum objecta contrà editionem nostram, et ad ea responsiones.

Verùm multa objiciunt nostri ævi hæretici, quibus probent editionem nostram non esse puram et sinceram; et inprimis objiciunt barbarismos et solœcismos : sed de his reculis jam suprà egimus in his Præloquiis, cap 10, Sect. 1, et videri possunt, quæ illis respondeat Hieronymus in cap. 40 et 47 Ezech., et Augustinus, lib. 4 de Doctrinâ Christianâ, cap. 10.

Secundò, objiciunt quædam menda, quæ jampridem antè ipsos à doctoribus Latinis notata sunt, et in Sixtinis Bibliis correcta, cujusmodi sunt 1 Esdræ 9, vers. 8 : *pax illius*, ubi correctum est : *paxillus*. Prov. 16, vers. 11, *Lapides sæculi*, antè mendosè legebatur; correctum nunc : *lapides sacculi*. Sed hæc, ut dixi, ad scriptorum menda pertinent, quorum correctionem illis non debemus, cùm ex Catholicorum annotationibus ea hauserint.

Tertiò, objiciunt quædam loca, quæ non consentiant ipsis fontibus Hebræis vel Græcis; sed dicimus primùm fontes illos non esse sat puros ut in omnibus debeat ad illos editio nostra exigi et examinari. Secundò, ipsos sequi vel puncta vel interpunctiones à Masorethis positas, quas subindè vel constat malè positas, vel certè non parva est suspicio malitiosæ depravationis. Hujusmodi est illud Gen. cap. 3 : *Ipsa conteret caput tuum*, ubi pro *ipsa* volunt Mariomastiges hi *ipse* esse reponendum. Tertiò, si de verborum significatione agitur, petimus, undè ipsis constet vitiosam esse interpretationem, quæ in editione nostrâ habetur; respondebunt, se à Judæis id habere. At ego dico, nihil imperitius, nihil perfidius esse Judæis in hoc genere, maximè recentioribus, quibus omnibus junctis ego unum Hieronymum multis nominibus ausim præferre. Denique, novatores hos, qui hæc opponunt, in multis et imperitiam et improbitatem suam cum purâ libidine oblatrandi Ecclesiæ rebusque Ecclesiasticis apertè prodere.

Quartò, objicit Calvinus aliique nonnulli obscuritates quasdam, maximè in Psalmis, imprimisque Psalm. 67, quibus clarior interpretatio dari poterat. Sed et insuper nos Ecclesiamque instruere volunt quomodò vertendum sit. Has obscuritates et nos fatemur, et jam antè circumcelliones hos annotârant doctores Catholici; eas tamen mutare justas ob causas nunquàm visum est Ecclesiæ, neque id in posterum ut faciat ipsorum oblatrationibus movebitur; et sicubi mutari has Ecclesia volet, non mutuabitur ab illis suam Ecclesia interpretationem, ne quid illis debeat, cùm non desint ipsi qui vel æquè benè vel meliùs ex Hebræo vertere possint.

CAPUT XVI.

De editione Septuaginta Interpretum.

Multæ à nonnullis recensentur Græcæ Bibliorum à diversis factæ versiones, quarum pleræque jam omninò perierunt; at ego de his duntaxat agere statui, quarum nobis usus in sequentibus Commentariis erit ut intelligatur quæ auctoritas illis debeatur. Inter has primum meritò locum tenet Septuaginta Interpretum versio, de quâ hoc capite agere statui.

SECTIO I.

Quandò et quâ occasione facta Versio Interpretum Septuaginta.

Septuaginta duo Interpretes, quos compendio Septuaginta rotundo numero appellamus, hâc occasione suam Librorum sacrorum translationem non sine divino consilio absolverunt: Ptolemæus Philadelphus, qui post Ptolemæum Lagi filium in Ægypto regnavit, cùm librorum esset studiosissimus, bibliothecam amplissimam Alexandriæ in regione Bruchia appellata, teste Epiphanio, construxit, curâ ejusdem Demetrio Phalereo demandatâ; in quâ jam reconditis, quos undique corraserant, quinquaginta quatuor millibus librorum, et plus minùs octingentis, suggerente Demetrio, de Judæorum planè divinis libris, rex datis ad Eleazarum Pontificem litteris, missisque ad Jerosolymitanum templum magnificis donariis, captivisque

Judæorum per totam Ægyptum facilè centum viginti millibus manumissis, petiit ad se cum Lege sacrisque Libris mitti septuaginta seniores, senos è quâque tribu, utriusque linguæ Hebraicæ et Græcæ admodùm peritos, à quibus sacrorum Librorum in Græcam linguam fieret interpretatio. Quà re per Legatos impetratâ, septuaginta hi seniores Alexandriam cum sacris Libris venerunt, ibique eam interpretationem in Pharo insulâ regis magnâ voluntate absolverunt, quæ et in regiâ bibliothecâ fuit reposita. Habes hæc fusiùs apud Aristæam, seu Aristæum, qui et interpretationi interfuit, et legatus ad Eleazarum Pontificem exstitit, qui rem totam descripsit, quique etiamnum exstat (quanquàm à quibusdam in dubium revocetur an qui nunc habetur non sit Aristæi liber supposititius,), et Josephum 12 Antiq., cap. 2, Philonem lib. 2 de Vitâ Moysis, Epiphanium lib. de Mens. et Pond., Augustinum lib. 18 de Civit. Dei, cap. 42, Clementem Alexandrinum, lib. 1 Stromatum, antè finem. Nomina horum omnium Septuaginta Interpretum refert Aristæus, et ex eo Sixtus Senensis, lib. 4. suæ Bibliothecæ. Absoluta est autem hæc versio, teste Josepho, intrà septuaginta duos dies, anno decimo septimo regni Ptolemæi Philadelphi, teste Epiphanio, nisi in Epiphanio meo error sit; nam Serarius et Scaliger videntur legisse *septimo*; juxtà Eusebium autem in Chronico, anno tertio Olympiadis 124, anno regni Ptolemæi tertio; Torniellus in Annal. ad annum mundi 3798, sub finem regni Ptolemæi Philadelphi; juxtà Chrysostomum, ad cap. 1 Matth., Homil. 5, antè centum et aliquantò ampliùs Dominici Adventûs annos; juxtà Athanasium in Synopsi, ducentis triginta annis antè Christi Incarnationem; juxtà Epiphanium, lib. de Pond. et Mens., colliguntur fuisse anni 276; nam ab anno decimo septimo, vel juxtà alios, septimo Ptolemæi Philadelphi usque ad finem regni Cleopatræ, ponit annos 249, additisque annis 27, qui indè sunt ad Christum, fiunt anni 276. Præfatio Romana in Græcam editionem Interpretum Septuaginta, annos ponit 301; Galatinus lib. 1 de Arcanis, cap. 3, annos 250, cum quo sentit Torniellus; Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth., Olympiade 124, anno autem antè Christum 350, quæ tamen duo stare non possunt. Porrò juxtà Eusebium in Chronico (quæ verior est supputatio) sunt anni 272 (1).

(1) Consule additamenta ad Bonfrerii præloquia.

Hanc autem versionem divino consilio factam fuisse antè Christum, notat Eusebius lib. 8 Præparationis Evangelicæ, cap. 1, nempè ut divinis Scripturis Prophetiisque in linguam Græcam versis, quam sub Apostolorum tempora omnes ferè Gentes intelligebant, paratiores Gentilium animi redderentur ad Christi fidem recipiendam, dùm viderent sibi ea ab Apostolis nuntiari, quæ jam tanto antè tempore à Prophetis prænuntiata legerant. Deindè, ne si horum librorum versio, in tempus quod Christi mortem ascensionemque secutum est, dilata fuisset, Judæi nobis suas Scripturas invidissent, quas antè Christum libenti animo gentilibus communicârunt. Arguunt manifestè eamdem Dei providentiam et consilium ea quæ in eâ versione acciderunt admiranda, quæ Deum auctorem manifestè probant, de quibus Sectione 3.

SECTIO II.

Quos libros Septuaginta Interpretes verterint.

Hieronymus, Proœmio in Traditiones Hebraicas in Genesim, et in cap. 2 Michææ, et in 16 Ezech., indicat tantummodò libros quinque Moysis à Septuaginta versos, et hanc esse eruditorum opinionem; et in cap. 5 Ezechielis, hos viros eruditos nominans, indicat esse Aristæam, Josephum, et omnem Judæorum scholam. Attamen passìm in Prophetis ipse versionem Septuaginta explicat, et in eam commentatur, et lib. 2 adversùs Ruffinum hanc editionem Septuaginta in Prophetas Hieronymus agnoscit, et Epistolâ ad Suniam et Fretellam editionem Psalmorum Septuaginta duplicem distinguit, puram unam, alteram mixtam et corruptam, ut meritò quid verius esset potiùs dubitâsse, quàm ut certum affirmâsse credi possit Hieronymus.

Et verò longè probabilius est, hos Interpretes non solùm Pentateuchum, sed etiam reliquos omnes libros veteris Testamenti Hebraicè scriptos vertisse. Et primò probari potest meo judicio validissimo argumento; quia Apostoli et Evangelistæ citant Prophetas ex editione Græcâ, quæ in Ecclesiâ ex eo tempore fuit recepta; atqui antè Christum et Apostolos nullus legitur, aut solidè probari potest, vertisse Scripturam ex Hebræo in Græcum præter Septuaginta: ergò. Secundò, haud dubiè non fuisset satisfactum desiderio Ptolemæi regis, si ipse cognovisset Judæos alios habere libros, quos ipsi nollent prodere. Et verò, cùm rex ille librorum esset appetentissimus, quæ ratio fuisset, hos potiùs libros quàm Moysis libros

celandi? Tertiò, non fuisset satis Ecclesiæ in posterùm prospectum, cùm maximè è Prophetis et Psalmis firmanda essent quæ de Christo Apostoli proferebant. Quartò, quid mirum fuisset, si spatio 72 dierum tantummodò Pentateuchum interpretati essent? cùm enim in Pentateucho sint 187 capita, redirent in singulos dies duo circiter capita cum dimidio; hanc tamen interpretationem tàm citò fuisse absolutam miratur Aristæas, et cum eo Patres ferè omnes. Denique, hæc est communis antiquorum Patrum sententia. Neque momentum habet auctoritas Aristææ et Josephi; adde etiam, si lubet, Philonis : hi enim non asserunt solos Moysis libros fuisse ab his in Græcam linguam conversos, sed libros Legis; nomine autem Legis non tantùm libri Moysis, sed etiam sæpenumerò tota veteris Testamenti Scriptura venit.

SECTIO III.

De modo quo Versionem suam confecerunt Septuaginta, deque separatis eorum cellulis.

Longè plurimorum ea fuit opinio, hos Septuaginta Interpretes separatos in cellis singulis suam versionem absolvisse, non mutuâ inter se collatione; quæ tamen, postquàm fuit absoluta, reperta sit in omnibus non sensu modò, sed etiam verbis convenire, ut ne apice quidem unus ab altero discreparet. Quod si verum est, necesse est affirmare eam divini Numinis afflatu factam esse. Negat tamen id ex antiquioribus Hieronymus Præfatione in Pentateuchum, eamque persuasionem conatur aliis adimere : *Nescio quis primus auctor,* inquit, *Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitârint; cùm Aristæas ejusdem Ptolemæi* ὑπεραστιστὴς *et multò post tempore Josephus, nihil tale retulerint; sed in unâ basilicâ congregatos, contulisse scribant, non prophetâsse.* Et Præfatione priore in libros Paralip : *Et post Septuaginta cellulas,* inquit, *quæ vulgò sine auctore jactantur.* Et verò Septuaginta Interpretes videtur subindè Hieronymus libenter deprimere, eò quòd propter illam persuasionem, quæ omnium animis insederat, sive reverà censeret plus nimio illis tribui, sive non, videret suam ex Hebræo interpretationem passim rejici, eamque plurimorum calumniis et obtrectationibus patere. Hieronymo subscribunt pauculi recentiores. Nihilominùs, salvâ Hieronymi pace, difficile est à tot graviorum Patrum apertâ sententiâ recedere, uno sese contrà opponente Hieronymo; probant enim has cellulas separatas et factam sigillatim interpretationem, rege Ptolemæo ità volente, ut quam sincerissimam haberet Librorum sacrorum interpretationem, Justinus martyr, Oratione parænetica ad Gentes, qui et asserit, oculis suis se vidisse harum cellularum reliquias in Pharo insulâ, septem stadiis Alexandriâ distante; Irenæus lib. 3, cap. 25, et apud Eusebium, lib. 5, Hist. cap. 8; Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 4; S. Augustinus, lib. 18 de Civitate Dei, cap. 42, et lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 15; Philastrius lib. de Hæresibus, Hæres. 90, Clemens Alexandrinus lib. 1, Stromatum, Isidorus Hispalensis lib. 1 de Divinis Officiis, cap. 12. His accedunt è Judæis, Josephus Gorionides, Josippus in Compendio, et Philo Judæus, lib. 2 de Vitâ Moysis, qui hoc ipsum non obscurè indicat. *In eo,* inquit, *secessu cùm consedissent solitarii, nemine interveniente arbitro præter naturæ partes, terram, aquam, aerem, cœlum, de quibus primùm prodituri erant mysteria (nam mundi opificium est legum exordium), tanquam Numine correpti prophetabant, non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis invisibiliter.* His accedunt Epiphanius lib. de Mens., et pondere, et Justinianus Imp. in Novellis, Constitut. 146; qui quidem non 72 cellulas, sed 36 duntaxat ponunt, et binos in singulis cellulis; qui tamen et in illis Interpretibus propheticum spiritum agnoscunt, et eamdem in omnibus sententiam ac verba. Neque verò binæ hæ cellulæ quidquam de rei admirabilitate detrahunt. Accedunt his recentiores permulti viri docti, Leo Castrius, Disputatione Isaiæ Commentariis præfixâ, Baronius, tom. 2 Salmeron, Proleg. 5, Serarius in Prolegomenis Biblicis, Galatinus lib. de Arcanis, cap. 3, Sixtus Senensis, lib. 4, Bibliothecæ. Neque magnum momentum habet D. Hieronymi argumentum : nititur enim Aristææ et Josephi auctoritate negatâ, quod argumentum vel nullum, vel infirmum est, esto mirum videri possit, rem tàm admirabilem ab ipsis pressam silentio; sed de Josepho nihil mirum, qui sua ex Aristæâ est mutuatus : et verò à nobis habemus etiam è Judæis Philonem paulò et Josepho antiquiorem, et fide digniorem. Aliud quod è jam dictis confici posset argumentum paulò difficilius, infrà, Sect. 5, tangemus.

SECTIO IV.

De auctoritate hujus Versionis.

Hæc quæ diximus, si vera sunt, perspicuè liquet quanta hujus versionis debeat esse auctoritas : si enim divino nutu et consilio, si inspiratione divinâ ità factâ est hæc versio

ut omnes separatim commentantes in unam planè sententiam, verba, apices conspiraverint; nihil sanè ad versionis hujus auctoritatem videatur desiderari posse, neque dubitari posse quin Spiritûs sancti mentem per Prophetas et hagiographos Scriptores loquentis assecuti sint, quandoquidem ejusdem Spiritûs sancti suggestione, quo nemo meliùs potuit Græcâ vel aliâ peregrinâ linguâ sua sensa exprimere, suam versionem perfecerint, idque tantillo, nempè septuaginta duorum dierum spatio, quod non parùm admirabilitatem auget, et Spiritûs sancti instinctum declarat. Accedunt tamen et alia, quæ huic versioni non parvam auctoritatem conciliant.

Primò, quod ea in suis scriptis Apostoli et Evangelistæ citandis Scripturæ testimoniis sint usi, necnon etiam in vocali prædicatione ad Græcos et gentes, cùm præter hanc alia nulla versio exstaret.

Secundò, quòd Ecclesia tot annis, 600 videlicet et ampliùs, eam pro Vulgatâ et authenticâ assumpserit.

Tertiò, quòd tot SS. Patres antiquiores eam Commentariis suis illustrârint.

Quartò, quòd Ecclesia Græca quovis tempore non aliâ translatione sit usa, neque etiam si hoc tempore cum Romanâ Ecclesiâ sentiret, habitura esset.

Quintò, quòd ipsimet Judæi, Josephus Flavius, Philo, Josephus Gorionides, Josippus, eam probent, eâ etiam priores in Scripturæ sententiis proferendis utantur.

Accedit denique, quòd à Judæis in utrâque linguâ peritissimis confecta sit hæc versio, ut proindè caninæ et impudentissimæ frontis censeri debeant, qui ex hæreticis ipsis linguæ Hebraicæ imperitiam objectant, Lutherus, Munsterus; quibus etiam, quod mirêre, nonnulli Catholici, meo judicio parùm vel modesti vel periti, succinunt, dùm quâlibet occasione Septuaginta Interpretum versionem nescio quo supercilio rejiciunt ubi aliqua in eâ occurrerint quæ ipsi minimè capiunt, in quibus tamen subindè arcanæ quippiam eruditionis latet, ut infrà pluribus locis in Commentariorum decursu ostendam; neque advertunt suas vel sannas vel petulantiam in antiquiorem Ecclesiam redundare, utpotè quæ ineruditam, truncam, mutilam, insinceram, infidelem versionem tot annos secuta sit. Non ità sanè Hieronymus, qui ubi quid in illâ obscurum occurrerit, ingenuè fatetur se nescire quid voluerint, ut in Quæstionibus Hebraicis in Genes., ad cap. 35, ubi quid apud Septuaginta sit : *chabratha terræ*, vel ut alio loco habent : *in viâ hippodromi chabratha terræ;* qui eorum translationem à mendis correxit, et ex eâ quædam è Græco in Latinum vertit, qui ubique sese purgat, quòd suam editionem ex Hæbræo in Latinum cuderit, non ut quidquam de Septuaginta Interpretum honore decerperet, sed alias justas ob causas, inprimisque in Prologo galeato, ubi de se suâque versione demississimè loquitur; qui Præfatione alterâ in lib. Paralip., in Septuaginta Interpretibus Spiritum sanctum agnoscit. Non ità cæteri Patres, qui in illis divinum afflatum, et propheticum Spiritum agnoscunt, imprimisque D. Augustinus, lib. 2, de Doctrinâ Christianâ, cap. 15, et lib. 18 de Civitate Dei, cap. 42, multòque magis adhuc cap. 43, seq. ubi totus est in demonstrandâ hujus Versionis auctoritate, refellendisque quæ contrà objiciuntur, ubi hæc inter cætera : *Quamvis*, inquit, *non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, et omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit. Sed ejus tàm litteratum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem, Septuaginta verò Interpretes in multis errâsse contendant; tamen Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice, ad hoc tantum opus electorum, neminem judicant præferendum; quia etsi non in eis unus apparuisset Spiritus sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suæ Septuaginta docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus, hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi. Cùm verò tantùm in eis signum Divinitatis apparuit, profectò quisquis alius illarum Scripturarum ex Hebræâ in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis Septuaginta interpretibus, aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est. Spiritus enim qui in Prophetis erat, quandò illa dixerunt, idem ipse erat etiam in Septuaginta viris, quandò illa interpretati sunt. Qui profecto auctoritate divinâ et aliud dicere potuit, tanquàm Propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret, hoc ipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus dilucesceret; et aliquid prætermittere, et aliquid addere; etiam ut hinc ostenderetur, non humanam fuisse in illo opere servitutem, quam verbis debebat interpres, sed divinam potiùs potestatem, quæ mentem replebat et regebat interpretis.* Et paulò post : *Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in Scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei Spiritus, quidquid est in Hebræis codicibus, et non est apud Interpretes Septuaginta,*

noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas Dei Spiritus dicere. Quidquid verò est apud Septuaginta, in Hebræis autem codicibus non est, per istos maluit quàm per illos idem Spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse Prophetas. Isto enim modo alia per Isaiam, alia per Jeremiam, alia per alium atque alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc ac per illum dixit, ut voluit. Quidquid porrò apud utrosque invenitur, per utrosque dicere voluit unus atque idem Spiritus; sed ità, ut illi præcederent prophetando, isti sequerentur propheticè illos interpretando : quia sicut in illis vera et concordantia dicentibus unus pacis Spiritus fuit, sic et in istis non secum conferentibus, et tamen tanquàm uno ore cuncta interpretantibus idem Spiritus unus apparuit. Hæc ille. Non ità denique prisci illi seu Judæi seu aliarum gentium homines, de quibus Philo, lib. 2, de Vitâ Moysis, ubi ait etiam suo tempore solemnem quotannis celebritatem renovari in Pharo insulâ, ad quam non tantùm Judæi, sed et alii plurimi trajiciunt, locum veneraturi, in quo primùm visa est hæc interpretatio, et pro tanto beneficio quasi recente acturi Deo gratias.

SECTIO V.

Sitne authentica Septuaginta Interpretum Versio.

Ex dictis videtur sequi, nullam absolutiorem perfectioremque in omni genere versionem posse existere Versione hâc Septuaginta Interpretum, nullam illi æquari vel comparari posse, nullum in eâ errorem esse posse, utpotè quæ ab Spiritu sancto profecta sit. Ex quo ulteriùs illud videtur sequi, non rectè Hieronymum fecisse, qui post Septuaginta Interpretum Versionem aliam ex Hebræo in Latinum versionem cuderit : imò nec videri Ecclesiam rectè fecisse, quæ, relictâ Septuaginta Interpretum versione, Hieronymi versionem receperit. Sed de his sigillatim dicendum.

Olim authenticam fuisse hanc versionem, Ecclesiæ seu tacito seu expresso decreto, non dubium est, eique nullam fuisse præferendam ut quæ sola ab Ecclesiâ auctoritatem haberet, in confesso est, quemadmodùm ostendit Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 15, et lib. 18 de Civitate Dei, cap. 43, quod tamen, uti dixi, de purâ et emendatâ intelligi debet; non enim corruptelas seu imperitorum seu audaculorum hominum, vel mendas scriptorum probat Ecclesia, tolerat tamen aliquandò, quòd difficile sit, aut etiam moraliter impossibile, quin hæc subrepant. Verùm de hoc tempore quæstio est debeatne haberi authentica. Primùm non dubium est illi primas deberi post Vulgatam editionem, quandoquidem eam olim probârit Ecclesia, habueritque pro authenticâ, neque modò eam improbet, aut aliquo tempore improbârit : nam et in hâc re locum habet quod suprà de Scripturis Canonicis diximus, non posse scilicet improbare eam versionem quam aliquandò pro authenticâ habuit ; hoc enim esset judicare infidelem et insinceram versionem, quam aliquandò pro fideli et sincerâ habuit : potest tamen Ecclesia quod probavit, negativè non ampliùs quoad usum probare, comparatione factâ cum versione alterâ. Sic fortè non repugnaret adhuc omnibus numeris absolutiorem perfectioremque prodire versionem quàm sit Hieronymiana (non enim Spiritus sanctus semper quod est optimum perfectissimumque facit), et eam versionem Hieronymianæ ab Ecclesiâ præferri, quo Ecclesiæ judicio non positivè improbari censeretur Hieronymiana versio, sed cum alterâ comparata minùs probari.

Secundò, certum est jam non tantùm non posse præferri hoc tempore editionem Septuaginta editioni Hieronymianæ, sed ne æquari illi quidem, cùm suo judicio Ecclesia Hieronymianam prætulerit, et absolutè loquendo, uti est, meliorem judicaverit.

Tertiò, certum est jam quoad usum in templis et Officiis divinis, præterquàm in Psalmis decantandis, deserendam esse versionem Septuaginta ; cùm enim Ecclesia nolit plures versiones, quanquàm aliæ exstarent etiam in suo genere præclaræ, efficitur, unicam illam esse usurpandam quam Ecclesia probaverit.

Quartò, in Commentariis item edendis, lectionibus, concionibus pari modo hanc Hieronymianam usurpandam esse, licèt subindè ad Versionem nostram illustrandam confirmandamque possit Septuaginta Interpretum versio antè omnes cæteras adhiberi.

Denique, cæteris omnibus paribus, semper esse Vulgatam nostram versionem anteponendam. Ex quo liquet, si Septuaginta versio authentica dicenda sit, gradus quosdam in hâc re concedendos esse. Et verò, potest authentica dici comparatione cæterarum, quibus omninò est præferenda. Deindè, absolutè potest dici authentica tùm ratione modi planè admirabilis, quo divinâ ope et omnium inter se consensu prodiit; hoc enim ipso à Deo videtur auctoritatem accepisse; tùm quòd eam Ecclesia antè probârit, nec posteà improbârit; tùm quòd eâ usi sint Apostoli et Evangelistæ in Scripturæ proferendis testimoniis : cum quibus tamen omnibus stare potest, posse aliam,

uti dixi, posteà perfectiorem versionem prodire; cùm, etsi Deus prioris illius auctor fuerit, non semper optima quæque et perfectissima præstet.

Porrò ab Apostolis citari Scripturæ testimonia ex editione Septuaginta Interpretum, quæ res magnam auctoritatem illi conciliat, negare visus est primùm Hieronymus, posteà locis ab Augustino prolatis nimis perspicuis fateri compulsus est, sed negat id fieri, cùm Septuaginta ab Hebraico textu discreparent; quod item habet Epistolâ ad Pammachium 101 de optimo genere interpretandi. Verùm etiam contrà Hieronymum probari potest, hæc loca ab Apostolis proferri subindè ex versione Septuaginta, cùm illa ab Hebræo non tantùm verbis, sed etiam sensu aliquo modo dissidet, vel certè cùm ipsi paraphrasten agunt. Isaiæ 40, vers. 5, habent Septuaginta : *Videbit omnis caro salutare Dei nostri*, et juxtà hanc editionem citat locum hunc Lucas, cap. 3, vers. 6; at in Hebræo et Hieronymianâ versione habetur : *Videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum est.* Isaiæ 11. vers. 10. juxtà Septuaginta habetur eo modo quo eum citat Apostolus ad Rom. 15, vers. 12 : *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt;* at Hieronymi versio habet juxtà Hebræum : *In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Isaiæ 28, vers. 16, habetur in versione Septuaginta : *Qui crediderit, non confundetur;* et ità locum hunc citant Paulus ad Rom. 9, vers. ult., et Petrus 1, cap. 2, vers. 6, adduntque explicationis gratiâ, *in eum*, videlicet Christum, hoc modo : *Qui crediderit in eum, non confundetur;* at Hieronymi versio habet ex Hebræo : *Qui crediderit, non festinet;* quod ab altero non parùm diversum est. Psalm. 39, vers. 7, habuerunt Septuaginta pura, et etiamnum habent apud Hieronymum : *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi.* At nostra seu Lucianea editio, quæ est Septuaginta mixta, habet : *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* Hieronymus verò ex Hebræo : *Victimam et oblationem noluisti, aures fodisti mihi.* Porrò Apostolus ad Hebræos 10, vers. 5, eum locum citat planè juxtà versionem Septuaginta puram, et in eo in quo ab Hebræo ea versio differt, nimirùm in voce illâ *corpus*, momentum ponit Apostolus, subdens statim : *In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Adde his, Ecclesiam subindè etiamnùm in divinis Officiis citando Scripturam ex versione Septuaginta, etiam ubi à Vulgatâ versione dissidet, videri illam adhuc saltem secundùm quid probare. Ex quibus videtur illud confici, quod volebat Augustinus, etiam in iis, in quibus ab Hebræo textu dissident, haberi debere pro Scripturâ, quandoquidem Apostoli, Evangelistæ, Ecclesia ea pro Scripturâ habeant, atque adeò iis locis Septuaginta Prophetas egisse.

Verùm petes quomodò ea debeat censeri versio authentica, quæ non cum fonte seu originariâ linguâ consentit? Item, quomodo dici possunt dixisse Isaias, Jeremias, David, etc., quæ ipsi non dixerint? id enim fit, si Græca ab Hebræo discordent.

Ad primum respondeo videri in multis dissentire Hebræâ à versione Septuaginta primâ fronte, ubi tamen in sensu non est dissensio, si attentiùs considerentur; de quâ re plura infrà. Deindè, sicubi diversum sonet editio Septuaginta, nihilominùs esse authenticam, quia non est contrarium ei quod in fonte habetur, idemque ipsum voluit addi, demi, mutari per Interpretes Septuaginta, qui Scripturæ auctor est Deus.

Ad alterum respondeo, optimè posse dici totum corpus Libri vel Prophetiæ esse hujus vel illius primi scriptoris hagiographi, etsi paucula sint mutata vel addita; sicuti omnes ferè concedunt paucula esse addita quinque libris Moysis, et tamen nemo ob id negat libros illos esse Moysis; quia id quod additum est, tàm exiguum est, ut pro nihilo haberi possit. Aliud est, si particularis quædam sententia diceretur esse Isaiæ, vel alicujus alterius auctoris, quam tamen ipse in originariâ linguâ non protulisset : tunc enim non tàm verè et propriè dici posset ea sententia esse illius scriptoris hagiographi, quanquàm minùs propriè etiam eorum dici posset, nimirùm juxtà versionem eorum sinceram et fidelem factam à talibus Interpretibus.

SECTIO VI.

Errârintne aliquandò Septuaginta.

Ex dictis videtur sequi Septuaginta nunquam errâsse, quod locis suprà allatis Augustinus contendit : et verò, si Prophetico agebantur Spiritu, si omnia dictante Numine scripserint, ut vult Philo, et indicat tantus ille consensus separato in loco scribentium, videtur perspicuè sequi ne in verbulo quidem aut apice errare potuisse.

At Hieronymus, priore in Job Præfatione, videtur velle eos aliquandò errâsse. *Neque enim*, inquit, *fieri potest, ut quos plura intermisisse susceperint, non eosdem etiam in quibusdam er-*

râsse fateantur, præcipuè in Job : cui si ea quæ sub asteriscis addita sunt, subtraxeris, pars maxima detruncabitur. Et præfatione in Pentateuchum, Vates eos fuisse negat, sed Interpretes duntaxat, quod posterius propriè acceptum, verum est: nam *Propheta* eum significat propriè qui futura prædicit; at impropriè, videlicet afflatu Spiritûs sancti interpretando, et ejusdem ductu paucula mutando, demendo, addendo, Prophetas dici nihil negat. Judæi, qui tantummodò Pentateuchum à Septuaginta translatum volunt, tredecim loca annotant, quæ Septuaginta studio et certas ob causas immutârint. Sed falsum est, loca ista omnia à Septuaginta Interpretibus immutata, de uno aut altero loco verum est; at multa alia loca sunt à Septuaginta immutata, quæ ipsi non notârunt.

Post hos et Hieronymum non defuerunt qui multa in interpretatione errata illis impegerunt. Primò, quòd Scripturæ sensum subindè immutârint, vel addiderint nonnulla. Verùm ad hanc objectionem jam antè ex parte responsum est, id factum esse volente Spiritu sancto.

Addi tamen potest primò, Septuaginta Interpretes subindè paraphrastas egisse, et immutato sensu vel verba immutâsse, vel aliquid explicationis gratiâ addidisse, ut cùm Isaiæ 50, vers. 6. pro eo quod Hieronymus ex Hebræo habet : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus,* Septuaginta adhuc clariùs Prophetiam hanc de Christo explicantes dixerunt : *Dorsum meum dedi ad flagella, et genas meas ad alapas.* Hebræa et Hieronymus Isaiæ 65, vers. 2, habent : *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum;* Septuaginta addiderunt, *et contradicentem,* quam versionem etiam sequitur Apostolus ad Rom. 10, vers. ult. Initio Psalmi 21, habetur in Hebræo et Hieronymo : *Deus, Deus meus, quarè me dereliquisti?* Septuaginta interposuerunt aliqua : *Deus, Deus meus, respice in me, quarè me dereliquisti?* Verùm hoc sensui non obest, juvat eum potiùs. Hinc Hieronymus Præfatione alterâ in lib. Paralip., in fine, ait asterisco signari quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritûs sancti auctoritatem, licèt in Hebræis voluminibus non legeretur.

Secundò responderi potest, Hebræas subindè voces esse diversæ significationis, ipsosque Septuaginta non sententiam Hebraicam immutâsse, sed Hieronymum aliosque Interpretes unam vocis significationem sequi, Septuaginta aliam, et utrosque rectè, ut infrà latiùs.

Tertiò responderi potest, nonnulla hujus modi immutata vel addita ab aliis quàm à Septuaginta; nam olim Septuaginta fuisse valdè varios et corruptos, quibusdam additis et immutatis, etiam queritur non uno loco Hieronymus, inprimisque Præfatione priore in libros Paralipomenon. Idem alterâ Præfatione in libros Paralip.: *Nec hoc,* inquit, *Septuaginta Interpretibus, qui Spiritu sancto pleni, ea quæ vera fuerunt transtulerant, sed scriptorum culpæ adscribendum, dùm de emendatis inemendata scriptitant; et sæpè tria nomina, subtractis è medio syllabis, in unum vocabulum cogunt, vel è regione unum nomen, propter latitudinem suam, in duo vel tria vocabula dividunt.* Et Præfatione in Esdram : *Si quis autem Septuaginta vobis opposuerit Interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa lacerata et inversa demonstrat.* Item priore in Job Præfatione agnoscit in iis aliqua scriptorum vitio depravata. Quæ omnia etiam vera sunt de Græcis exemplaribus; nam his omnibus locis videtur, sermo esse de Græcis exemplaribus; et manifestum, priore in lib. Paralip. Præfatione de Græcis exemplaribus loqui. *Si,* inquit, *Septuaginta Interpretum pura, et ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret,* etc. Porrò quod ad Latinos codices pertinet, multò major Hieronymo querendi occasio, quod facit Præfatione in Josue. *Cùm,* inquit, *apud Latinos tot sint exemplaria quot codices, et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit quod ei visum est.* Idem Præfatione in librum Psalmorum ad Paulum et Eustochium, queritur se emendato semel Psalterio Vulgatæ editionis nihil profecisse, cùm totidem ferè denuò in codices vitia quot anteà irrepsissent, sibique alterâ vice assumendum fuisse laborem ejusdem emendandi. Item queritur Augustinus Epistolâ ad Hieronymum, quæ est inter Hieronymianas 88. *Plurimùm,* inquit, *profueris, si eam Scripturam Græcam quam Septuaginta interpretati sunt Latinæ veritati reddideris, quæ in diversis codicibus ità varia est, ut tolerari vix possit, et ità suspecta, ne in Græco aliud inveniatur, ut indè aliquid proferri, aut probari dubitetur.* Adde, per tot correctiones, quæ olim in Ecclesiâ factæ, et Origenis Hexapla, sublatis postmodùm obelis et asteriscis, de quâ re infrà, haud dubiè multis locis hanc versionem seu Græcam, seu in Latinum versam, fuisse adulteratam ; et Græcam quidem ex aliorum versionibus adjunctis, maximè verò ex versione Theodotionis non pauca in eam irrepsisse.

Hùc pertinent menda, quæ ad chronologiam sacram pertinent, quæque in versione Septuaginta irrepserunt, quâ in re multùm ab Hebræo et nostrâ versione dissident: cujusmodi

menda facilè solent in numeris irrepere vel ex oscitantiâ exscribentium, quâ ratione *tres* dies in translatione Septuaginta pro *quadraginta* diebus apud Jonam, cap. 3, vers. 4, legitur; vel ex malitiâ et perfidiâ, sive Judæorum, qui eam fidei nostræ odio conati sint depravare, et reipsà fecerint, ut vult Justinus Dialogo cum Tryphone; sive ejus qui primus ex autographo bibliothecæ Alexandrinæ exscripsit, dùm in annis primorum hominum describendis intendit persuadere priscos illos Patriarchas non excessisse ætatem hominum sui temporis, decemque annos ipsorum unum de nostris efficere: quâ de re videri potest Augustinus fusè, lib. 15 de Civitate Dei, cap. 12 et 13. Porrò, quoad annos hos primorum hominum antè et post diluvium, maximè discrepantes SS. Patrum sententiæ reperiuntnr, ut satis appareat editionem Septuaginta olim in variis libris, quibus ipsi usi, fuisse variam. Et verò certum est versionem Septuaginta in hisce annis passim esse mendosam, et in hâc annorum supputatione Latinum nostrum et Hebræum textum esse sequendum, ut idem qui suprà Augustinus, lib. 15 de Civitate Dei, cap. 13, ostendit, etsi ipsius tempore sola editio Septuaginta in Ecclesiâ tàm Græcâ quàm Latinâ esset recepta. Idque ipsum patet ex absurdo, quia constat tùm è cap. 7 et 8 Genes., tùm vel maximè è 1 Petri 3, vers. 20, non plures quàm octo homines fuisse in arcâ, et evasisse diluvium; cùm tamen juxtà supputationem Septuaginta, quæ in libris est emendatioribus, Mathusalem octo annis reperiatur supervixisse diluvio; juxtà verò Complutenses et regios codices adhuc pluribus, hoc est, quatuordecim, quem juxtà Hebræum et nostros codices reperimus ipso diluvii anno esse defunctum, nimirùm antè inchoatum diluvium. Quam ad rem confirmandam, addi possunt argumenta quæ adferam ad cap. 5 Gen., vers. 3.

Objiciunt secundò, versionem illam esse truncam, mutilam, diminutam, imperfectam, ut quæ multa quæ in Hebræo sunt detraxerit, quod totum etiam ad versionis adulterationem pertinet, cùm sit boni et fidelis interpretis omnia quæ in originariâ linguâ sunt, sincerè et fideliter exprimere. Idem non semel versioni Septuaginta impingit Hieronymus, et quidem Præfatione priore in Job ait, apud Septuaginta in Job septingentos aut octingentos versus deesse, *ut* inquit, *decurtatus et laceratus corrosusque liber, fœditatem suî publicè legentibus præbeat.* Alibi ostendit plura è veteri Testamento testimonia, quæ in novo Testamento ab Apostolis et Evangelistis citantur, non reperiri apud Septuaginta, quæ tamen in Hebræo reperiantur; cujusmodi sunt ista: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, et: *Quoniam Nazaræus vocabitur;* et: *Videbunt in quem compunxerunt;* et: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ;* et: *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se.* Ità ille Præfatione in Pentateuchum, Præfatione priore in lib. Paralip., Præfatione in Esdram. Vide etiam quæ de hâc re habet Origenes Epistolâ ad Africanum. Et verò, ad supplendum ea quæ deerant versioni Septuaginta, in Tetraplis et Hexaplis Origenis addita erant ex Theodotionis versione cum notâ asterisci, quâ de re pluribus agit locis Hieronymus, in plerisque Præfationibus, et lib. de optimo genere interpretandi, ad Pammachium.

Verùm ad hanc objectionem etiam jam ex parte responsum est primò, omisisse aliqua, cùm ità visum Spiritui sancto, prout temporibus illis congruebat. Secundò, hanc truncationem etiam Scriptorum vel negligentiâ vel malitiâ accidisse. Et verò quis credat tàm multa Septuaginta in Jobo omisisse, et non potiùs hæc in primis vel autographis vel apographis detruncata? Tertiò, sicubi aliquid, quod in Hebræo erat, ipsi omiserunt, vel id non fuisse ad sensum necessarium, vel justas habuisse causas cur ipsi omitterent, curque Spiritus sanctus omitti voluerit. Hujus rei causa à plerisque ea adfertur, quòd Deus nollet gentibus, inprimisque Ptolomæo regi quædam de Christo aliisque rebus mysteria detegi, cujusmodi erat Personarum in Deo pluralitas, Christi Divinitas, etc., quòd antè Christum non expediret hæc gentilibus evulgari, quandoquidem nec ipsi Judæi, exceptis pauculis meliùs instructis, ea intelligerent; maximè verò, quòd sibi persuasissent Gentiles, Judæos plures deos colere et agnoscere. Ità Hieronymus Præfatione in Pentateuchum: *Judæi,* inquit, *prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolemæus, unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem Divinitatem deprehenderet; quod maximè idcircò faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omninò tacuerunt, ut et regi satisfacerent, et arcanum fidei non vulgarent.* Item Præfatione in Isaiam, loquens de eo Prophetâ: *Ità,* inquit, *universa Christi Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere. Undè conjicio, noluisse tunc temporis Septuaginta*

Interpretes fidei suæ sacramenta perspicuè ethnicis prodere, ne sanctum canibus, et margaritas porcis darent : quæ, cùm hanc Editionem legeritis, ab illis animadvertetis abscondita. Item Proœmio in Traditiones Hebraicas in Genesim: *Neque verò*, inquit, *Septuaginta Interpretum, ut invidi latrant, errores arguimus ; nec nostrum laborem illorum reprehensionem putamus ; cùm illi Ptolemæo regi Alexandriæ, mystica quæque in Scripturis sanctis prodere noluerint, et maximè ea quæ Christi adventum pollicebantur : ne viderentur Judæi et alterum Deum colere ; quos ille Platonis sectator magnì idcircò faciebat, quia unum Deum colere dicerentur.* Hinc Septuaginta locum illum Isaiæ cap. 9, vers. 6, ubi versio nostra juxtà Hebræa habet : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis ;* quibus verbis apertè prodebatur Christi Divinitas ; ità ipsi paucis posteriora reddiderunt : *et vocatur nomen ejus magni consilii Angelus ;* quam tamen versionem non improbat, sed probat potiùs Ecclesia in Officio Ecclesiastico, in Introitu Missæ in Festo Circumcisionis Domini.

Objiciunt tertiò, in multis dissentire Septuaginta Interpretes ab Hebraicâ, quæ nunc est, lectione, et Hieronymi versione : primò, quia voces alicubi planè aliud significantes posuerunt. Secundò, quia etsi vox eam significationem habeat, iis tamen, in quibus ità verterunt, locis aliter capi debet, et Hieronymus aliter in suâ versione accepit. Tertiò, quia aliis punctis legerunt quàm modò legatur, vel etiam legerit Hieronymus. Quartò, aliter dispunxerunt, quàm vel modo in Hebræo dispunctum sit, vel Hieronymus dispunxerit. Quintò, duas in unum subindè dictiones conjunxerunt. Sextò, unum in duas aliquandò diviserunt. Septimò, litteras unius dictionis nonnunquàm transposuerunt, ex quâ transpositione planè alia dictio, et ab aliâ radice exstitit. Octavò, litteram pro litterâ supposuerunt aliquandò, ut ד pro ר, vel contrà ; ה pro ח, vel contrà; ב pro כ, vel contrà, etc.; idque factum dignoscitur vel propter figuræ characterum in Hebræo similitudinem, vel propter sonum similem vel affinem, vel propter aliam causam etiam in litteris planè dissimilibus, ut in lectione vocum Hebraicarum decepti fuisse videantur. Nonò, litteram alicui dictioni extraneam inseruerunt et adjecerunt aliquandò. Decimò, litteram aliquandò à dictione rejecerunt.

Respondeo primò in genere ad hanc objectionem, quæ multa membra continet : videri aliquandò dissentire ab Hebræo et Hieronymo Septuaginta, qui tamen, si attentiùs inspiciantur, non dissentient ; utpotè qui etsi non verba, rem tamen eamdem et sensum posuerunt. Secundò, non esse hâc in parte fidendum Hebræis codicibus, neque Masoretharum punctis vel interpunctionibus, ut aliàs monui, maximè sicubi etiam ab Hieronymi lectione dissentiant. Tertiò, diversas lectiones etiam fuisse olim in Hebræo codice probabiles, et unam subindè secutos Septuaginta, alteram Hieronymum : nam et similes lectiones variæ subindè visuntur apud Rabbinos ; et Spiritus sanctus has toleravit, ubi nullum in re gravi incommodum, et sensus non ineptus efficiebatur.

Deindè respondeo in particulari ad singula : Ad primum, novatores et nimis rigidos Septuaginta Interpretum censores mendicare vocum Hebraicarum significationes à Rabbinis et dictionariis parùm fidelibus, ut mirum non sit alienam vocis significationem ipsis videri esse, quæ tamen genuina sit, cùm possit una vox æquivoca diversa significare. Deindè, alia fortè tempore Septuaginta erat probabilis lectio, quæ modò in Hebræo textu, vel ad marginem non apparet.

Ad secundum respondeo, videri illis minùs aptam significationem, quæ tamen apta est et loco congruit. Exempla sint : Genes. 2, vers. 8, *mikkedem,* ubi Hieronymus *à principio* vertit, Septuaginta, *ab Oriente,* utrique rectè : mihi enim persuasum est Spiritum sanctum utrumque unâ eâdemque voce voluisse significare, imò et hanc unam esse causam cur Deus Hebraicam linguam elegerit, quâ in potissimam partem conscriberetur vetus Testamentum, quòd una eademque vox ut plurimùm Hebraica varias habeat significationes, ut proindè unâ eâdemque voce plura possint significari, et multiplex significatio à Spiritu sancto intendi; quo fit ut unâ versione non possit vocis Hebrææ significatio exhauriri : et in hâc sensuum significationumque varietate magnam in partem consistere sacræ Scripturæ profunditatem, quæ à nemine facilè possit exhauriri. Eòdem pertinet, cùm *negeb,* quod significat tàm *Meridiem* quàm *desertum,* pro utroque ponitur, et Hieronymus *Meridiem* vertit, Septuaginta *desertum,* ut Num. 21, vers. 1, et alibi sæpiùs ; cùm enim desertum illud vastum Arabiæ ad Judææ Meridiem esset, potuit utrumque unâ eâdemque voce significari. Simile et illud Gen. 49, vers. 9 : *Ad prædam fili mi, ascendisti,* Septuaginta : *ex germine ascendisti ;* Hebræa enim vox *tereph* tàm *prædam* quàm *germen* significat, estque

versio utraque vera, juxtà sensum à nobis eo loco datum; imò unus idemque Hier. duplicem vocis propriæ originem et significationem, eamque ab Abrahamo intentam indicat Gen. 20, ut ibi notamus, ad vers. 31 : *Bersabee* enim significat *puteum juramenti*, et *puteum septem*. Eòdem pertinet, cùm una versio vocem quampiam Hebræam sumit appellativè, altera propriè, ut Genes. 4, vers. 16, vocem Hebræam *nod* sumpsit Hieronymus appellativè, vertitque : *profugus;* at Septuaginta propriè, verteruntque : *in terra Nod:* nimirùm potuit terra et regio illa ab illâ Caini fugâ nomen suum accepisse.

Ad tertium respondeo, etiam hoc ad linguæ Hebrææ fecunditatem pertinere, et Spiritûs sancti multiplices sensus in Scripturâ intentos; atque ob id eâ linguâ Spiritum sanctum scribi Scripturam voluisse, quæ puncta vocalia non haberet, ut sub iisdem litteris ac dictionibus, adhibitis diversis punctis vocalibus, posset Spiritus sanctus diversa significare; idemque mecum sentit Serarius noster, in Proleg. Bibliacis, cap. 21, quæst. 12, § primum. Neque obstat, quod simul et semel non possit nisi uno modo pronuntiari; id enim satis indicat non posse unâ pronuntiatione totum Spiritûs sancti sensum exhauriri, sed pluribus opus esse. An autem Scriptor Hagiographus debuerit utrumque sensum, dùm scriberet, animo complecti, alia est quæstio; potuit ità fieri; potuit fortè aliter : non enim fortè est necesse ut omnem sensum à Spiritu sancto intentum iis verbis quæ scribit, animo sibi formet, ut plerique volunt fieri in sensibus mysticis : undè neque si plures sunt sensus litterales, videtur fortè necesse omnes à scriptore hagiographo comprehendi; sed de hâc re infrà, cap. 20, Sect. 6. Illustre est hujus rei exemplum Genes. 47, vers. ult., ubi Hieronymus vertit : *Adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput*. Septuaginta verò : *Adoravit Israel ad fastigium virgæ ejus*, ubi tota diversitas versionis nascitur ex unâ voce aliis punctis lectâ ab Hieronymo, et aliis à Septuaginta; nam Hieronymus legit *mitta*, quod *lectum* significat : Septuaginta verò *matte*, quod *virgam* significat. Neque potest alterutra harum versionum rejici; non Hieronymi, utpotè quam in Vulgatâ editione probet Ecclesia; non Septuaginta, cùm eam probet Apostolus ad Hebr. 11, vers. 21. Aliud exemplum est Habacuc 3, vers. 2, ubi Hieronymus vertit : *In medio annorum notum facies;* at Septuaginta : *In medio duorum animalium cognosceris*. Et quidem Hieronymus in Hebræo legit, uti et modò legitur : *bekereb schanim todiah*. At Septuaginta videntur legisse : *bekereb schenajim tiuuadah, in medio duorum cognosceris;* et explicationis gratiâ, ut quænam illa duo essent intelligi posset, addiderunt : *animalium*. Neque Catholicis licet temerè alterutram harum rejicere; non priorem, quæ est Vulgatæ nostræ versionis; non posteriorem, utpotè quam Ecclesia in Responsorio ultimo secundi Nocturni in festo Circumcisionis Domini probare videatur. Similia loca annotavi infrà, Genes. vers. 11, et cap. 15, vers. 11, et cap. 49, vers. 5, 6, 26. Addi ad hæc loca potest locus è cap. 49, vers. 6, ubi simul concurrit vox diversa significans, nullâ punctorum factâ mutatione, et alia vox que mutato puncto diversa significat, quem locum Hieronymus ità reddidit : *In voluntate suâ suffoderunt murum;* at Septuaginta : *In cupiditate suâ subnervaverunt taurum*. Estque hæc versio utraque bona, nisi quòd posterior omninò sit metaphorica, uti ad eum locum explico, eamque etiam sequitur Forsterus in Dictionario. Porrò eadem vox *hakar, suffodere* seu *eradicare* et *subnervare* significat; at pro postremâ voce legit Hieronymus *schur*, quod *murum* significat, at puncto mutato, *schor, bovem* vel *taurum* significat, quæ fuit Septuaginta Interpretum lectio. Hùc etiam pertinet, cùm littera ש ab uno legitur cum puncto in dextro cornu, ab altero in sinistro cornu, quæ res sæpè valdè diversam facit vocis significationem; hæc enim puncta olim non erant, et cum punctis vocalibus à Masorethis addita sunt; proindè potuit anteà utrovis modo legi, et potuit uterque sensus sub iisdem litteris à Spiritu sancto esse intentus. Hujus rei exemplum est Isaiæ 53, vers. 7, ubi Hieronymus legit: *niggasch oblatus est;* Septuaginta et passim alii legunt : *niggas, afflictus est*. Item 4 Reg. 18, vers. 20, et cap. 19, vers. 10, Hieronymus legit haud dubiè, et passim jam legitur : *jasschi, decipiat*, à radicè *nuscha, decipere;* at Septuaginta legerunt : *iassi, extollat, præsumere faciat*, à radice *nasa*. Sic in eâdem voce duplex lectio esse potest Abdiæ, vers. 3, sensu tamen optimo, ubi Septuaginta et Hieronymus vertunt : *Superbia cordis tui extulit te*, et legunt *hissi;* at alii ferè *hisschi, decepit*. Similes diversitates reperies à me infrà annotatas. Genes. 26, vers. 12, plerique legunt, et etiamnum legitur : *meæ schearim, centum mensuras;* at Septuaginta legunt : *mea seorim, centum hordea*, sive *centuplum hordei*. Eodem cap., vers. 33, Hieronymus legit *siba*, hoc est, *abundantiam, saturitatem;* Septuaginta verò legerunt *schiba, juramentum*, et uterque optimè, ut ibi annotamus.

Ad quartum respondeo, uti membro præcedenti, etiam hoc ad hujus linguæ fecunditatem pertinere, et sensus multiplices, quos omnes intendere potuerit Spiritus sanctus: neque enim antè Masorethas habebant Hebræi interpunctionum notas, seu accentus distinctivos; potuit igitur aliquandò ex diversâ interpretatione diversus sensus nasci. Hujus diversæ interpunctionis exemplum habes Genes. 4, vers. 7, quanquàm eo loco non sola interpunctio diversa concurrit, sed etiam vox una diversis punctis ab Hieronymo et Septuaginta affecta, et commutatio unius litteræ in affinem ה in ת; ut ibi explicamus, ex quibus omnibus diversus ille sensus emergit, quem nos ibi explicamus.

Ad quintum respondeo, ut suprà dixi, utramque lectionem fuisse receptam; quæ responsio valere potest pro omnibus membris sequentibus. Addo verò, non tantùm utramque potuisse esse probabilem et toleratam ratione dubii ex diversis libris et diversâ diversorum scriptione emergentis, sed etiam potuisse utramque esse à Spiritu sancto: non quidem quòd utraque à principio fuerit in textum recepta, sed ab ipsomet scriptore hagiographo potuisse unam in textum, alteram ad marginem scribi, quasi utrovis modo posset legi, Spiritu sancto in vocibus Hebræis affinibus ludente, et diversos sensus intendente. Hujus porrò conjunctionis duarum vocum in unam apud Septuaginta videri exemplum potest Zachariæ 11 vers. 7, et 11, ubi quod habetur nunc in Hebræo, et Hieronymus haud dubiè legit: *lachen anjie hattson, idcircò pauperes gregis,* Septuaginta videntur legisse: et conjunxisse duas priores dictiones *lakkenaani haattson, Chananæos gregis,* quæ lectio potest generare præclarum sensum; quanquàm eo loco non tantùm concurrat illa conjunctio unius dictionis in unam, sed etiam diversa ab Hieronymo interpunctio (nam illud *idcircò* jungit Hieronymus præcedentibus) et detractio unius litterulæ. Dabo et cæterorum membrorum hujus objectionis exemplum, cùm una ad omnia sit responsio.

Sextum membrum erat, divisio unius dictionis in duas. Hujus exemplum habes Psalm. 4, vers. 3, ubi Septuaginta vertunt: *Filii hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem?* etc. At Hieronymus vertit: *Filii viri, usquequò inclyti mei, ignominiosè diligitis vanitatem?* etc. Legit haud dubiè in Hebræo Hieronymus ut nunc legitur: *isch had me chebodi liclimma hechabunrik*, quod juxtà interpunctionem Hieronymi ad verbum verti debet: *Filii viri, usquequò gloria mea, ignominiosè diligitis vanitatem?* at prout nunc Hebræa Biblia interpungunt, sic vertunt: *Filii viri usquequò gloriam meam in ignominiam? diligitis vanitatem*, etc. At Septuaginta vocem illam *liclimma* dividunt, unâ etiam litterâ in affinem mutatâ, ב in כ, et adeò legerunt לבלבים *leb lamma*, et in medio harum dictionum interpungunt.

Septimum membrum erat, transpositio litterarum. Exemplum ejus habes Amos 9, versu 1, ubi Hieronymus legit *caphtor, superliminare;* at Septuaginta legerunt: *capporeth, propitiatorium.* Infrà hujus transpositionis litterarum insignem locum ex Osee 13 demonstrabo.

Octavum membrum erat, substitutio litteræ pro litterâ. Est id satis frequens in ד et ר, ut una pro alterâ substituatur, ob similitudinem utriusque elementi. Sic Septuaginta Amos 4, vers. 5: *thora, legem* legerunt, cùm Hieronymus et cæteri hoc tempore legant *thoda, laudem.* Isaiæ 29, vers. 3, legunt Hieronymus et alii: *caddur, quasi sphæram;* at Septuaginta *chedavid, quasi David,* utrique sensu optimo et accommodatissimo. Genes. 12, vers. 15, videtur Hieronymus legisse: *vaijaggidu, et nuntiaverunt,* cùm Septuaginta et cæteri legerint: *vaijru, et viderunt,* ubi hebræè duarum litterarum est diversitas. Plura hujusmodi infrà in Commentariis annotabimus.

Nonum membrum erat, additio unius litteræ extraneæ. Exemplum habes Isaiæ 27, vers. 1, ubi Hieronymus cum recentioribus legit: *charbo hakkascha, gladium suum durum;* est autem sermo de Dei gladio; Septuaginta autem legerunt: *charbo hakkedoscha, gladium suum sanctum,* idque sensu optimo.

Decimum et ultimum membrum erat, litteræ unius detractio, ut Proverbiorum 7, vers. 17, Hieronymus legit, uti et nunc legitur: *ahalim,* quod Hieronymus et cæteri vertunt *aloe;* Septuaginta videntur ultimam litteram omissise, et legisse *aholi, tabernaculum meum;* quanquàm potuerint fortè in plurali legisse, solâ mutatione punctorum, *ohalim, tabernacula,* esto per singulare reddiderint: οἶκον μου, *domum meam.* Psalm. 57, vers. 9, legit Hieronymus, ut et nunc in Hebræo habetur: *nephel escheth, abortivus mulieris;* ac Septuaginta extritâ ultimâ litterâ: *naphal esch, cecidit ignis.* Exemplum aliud in medio dictionis annoto infrà Genes. 24, vers. 59. Alia plura adferri possunt loca, in quibus etiam plura horum simul in unâ sententiâ locum habeant. Genes. 49, vers. 24, locum annoto, ubi diversitas est ob mutationem punctorum et additionem litteræ. Eodem cap., vers. 22, alium indico, in quo plura con-

currunt, diversa puncta, detractio litteræ, trium litterarum commutatio.

Restat hîc, et exemplo uno ostendam, posse utramque hujusmodi lectionem esse divinam, et sub istiusmodi diversis lectionibus aliquandò reipsà Spiritum sanctum sensus varios occultâsse. Id autem existimo manifestissimè et luculentissimè probari posse ex uno loco Osee 13, vers. 14, ubi Hieronymus vertit: *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne.* Septuaginta verò: *Ubi est mors causa tua? ubi est mors stimulus tuus?* Priorem Hieronymi lectionem, quæ est in Oseâ Vulgatæ nostræ versionis, et in Officio Sabbati sancti ad Laudes usurpat Ecclesia, non facilè Catholicus aliquis, ut existimo, rejiciet; at neque hæretici et novatores eam rejicient, cùm omnes ferè hoc tempore ita legant in Hebræo ut Hieronymus legit, et eodem modo vertant. Alteram etiam nemo Catholicus, imò ne hæreticus quidem rejiciet, qui 1 ad Corinth., Epistolam admiserit; in eâ enim, cap. 15, vers. 55, versionem Septuaginta probat Apostolus, citans eum locum juxtà ipsorum versionem, nisi quòd pro δίκη, quod *causam, litem, contentionem* significat, ipse νίκη vel νῖκος litterâ unâ mutatâ dixerit, quæ vox *victoriam* significat, estque effectus et finis litis et causæ forensis. Eamdem lectionem Septuaginta sequuntur Tigurini, esto ea non respondeat ei quæ nunc est in Hebræo lectioni. Est ergo versio utraque proba et divinæ auctoritatis. Porrò Hieronymus cum aliis legit haud dubiè, ut nunc Hebræa præferunt: *ehi debarecha maueth, ehi katabecha scheol.* Septuaginta verò utrobique pro *ehi, ero,* legerunt *aije, ubi,* transpositis litteris, et mutatis punctis. Est item et alia diversitas, quòd secundam vocem *debarecha* punctis immutatis Hieronymus et cæteri deducant à singulari *deber,* quod *exitium, pestem, mortem* significat; at Septuaginta à singulari *dabar,* quod *verbum, sermonem,* et *litem forensem,* quæ verbis peragitur, significat. Etsi verò lectio et versio utraque eodem tendat, nimirùm ut significet mortem et infernum à Christo vincenda esse; est tamen in modo id significandi magnum in utrâque discrimen: in priore enim Hieronymi planâ et dilucidâ assertione edicitur mortem et infernum esse à Christo destruenda; in altera est plenus energiæ sarcasmus, quo morti et inferno insultatur, utpotè quæ jam quasi de causâ sibi adjudicatâ et victoriâ in totum genus humanum obtentâ applaudebant, seque de eâ re superbè jactabant; at cum nihil minùs cogitarent aut metuerent, senserunt se per Christum debellari et everti, vice mortis et inferni allatâ hominibus immortalitate et beatâ æternitate. Vide locum alium Deut. 32, vers. 43, ubi Hieronymus ex lectione Hebraicâ nunc ab omnibus receptâ vertit: *Laudate, gentes, populum ejus;* at Septuaginta reddunt: *Lætamini, gentes cùm plebe ejus;* quæ versio multùm à priore diversa est, eamque probat Apostolus ad Rom. 15, ubi et ex eo loco mysterium conversionis gentium exprimit.

At dicet quis: Esto duæ hujusmodi differentes versiones possint esse authenticæ, at quis credat, cùm una certa aliqua species indicatur, et unus Interpres unam, alter alteram speciem versione suâ exprimit, utramque versionem probam esse, utrumque sensum esse verum? Quid enim si verum est *elon* esse *quercum,* quod unus interpres dicit, quâ ratione verum erit esse *terebinthum,* quod alter interpres asserit? Si verum est *bedolach* esse *bdellium,* ut Hieronymus vertit, quâ ratione verum erit, quod habent Septuaginta, esse *carbunculum,* vel ut habent alio loco, *crystallum?* Si verum est, *schoham,* juxtà versionem Hieronymi esse *onychem* vel *sardonychem* gemmam, quâ ratione veræ esse possunt tot tàmque variæ hujus ejusdem vocis versiones apud Septuaginta, qui modò *lapidem prasinum,* modò *smaragdum,* modò *lapidem sardium,* modò *berillum* reddunt? Si *tannin, draconem* significet, ut sæpiùs Hieronymus et Septuaginta aliique vertunt, quomodò *sirenem, cetum marinum, lamiam, passerem* significabit, ut iidem Septuaginta et Hieronymus alibi vertunt? Si in mensuris *ephi* quatuor sunt modii Italici et semis, et *hin* duodecim sextariorum, seu logorum erat; quomodo scriptus ab Hieronymo pro *ephi, modius;* pro *hin, sextarius,* Levit. 19, vers. 36? A Septuaginta verò quomodò pro utrâque mensurâ, unica, *chus* seu *congius,* ut habet Romanus codex (nam Basileensis et regius codex habent μετρα δικαια, καὶ χους δικαιος, *mensuræ justæ, et chus justus*) est posita? Fateor in hâc objectione difficultatis cardinem versari, neque adferri quidquam facilè posse, quod per omnia satisfaciat: quocircà concedi posset, in iis quæ ad fidem, mores, cæterasque res gravioris momenti pertinent, fuisse tàm Hieronymo quàm Septuaginta Interpretibus præsentem Spiritûssancti opem, ad aptè transferendas Scripturas ex originariâ linguâ in alteram; at in rebus levioribus sibi esse relictos, humanæque diligentiæ ac industriæ, ut proindè in his quæ difficulter inter se conciliantur, non sit necesse asserere Interpretes falli omninò non

potuisse, præsertim, ubi si unum verum est, alterum videatur non posse esse verum.

Quòd si aliquis objiciat, hâc ratione everti totum illum consensum et conspirationem, quam suprà statuimus, Septuaginta Interpretum in eamdem sententiam, voces, apices, cùm moraliter fieri non possit ut inter tot homines tanta sit consensio, nisi fiat Deo inspirante etiam singulas sententias et verba; responderi poterit, potuisse fieri in multis ut ea esset passim interpretatio sapientum inter Judæos, in quorum numero et hi erant Interpretes, ut proindè etiam naturaliter potuerint tot Interpretes subindè inter se consentire. Deindè, cùm ex Septuaginta Interpretibus aliqui locum essent interpretati (neque enim st verisimile, simul omnes eodem tempore et momento easdem Scripturæ sententias esse interpretatos), potuit illis ab Angelo vel Spiritu sancto offerri, non quid ex Hebræo verti debuerit, sed id quod jam priores in versione suâ posuissent.

Addo verò etiam ad pleniorem responsionem duo, quæ utrasque versiones aut in omnibus, aut in plerisque posse stare demonstrent. Primò, videri Hebræos satis pauca habere nomina plantarum, arborum, gemmarum, animalium, et hujusmodi voces quæ ad unam aliquam speciem determinatæ sint, sed ut plurimùm genericas, et multas sub se complectentes species, vel etiam æquivocas. Testatur id apertè Hieronymus. lib. 1 Apologiæ adversùs Ruffinum : cùm enim Hieronymus pro eo quod Septuaginta Interpretes dixerunt, δράξαθε παιδείας, *apprehendite disciplinam*, in Commentariis locum interpretans, dixisset : *adorate filium;* posteà verò Psalterium vertendo, ipse reddidisset, *adorate purè,* idque ei Ruffinus vitio daret, quasi versionis antiquæ immemor, in versione unâ sibi non constaret; respondet ipse, non debere videri mirum, si Hebræa à diversis, vel etiam ab eodem diverso tempore diversimodè vertantur, propter Hebraicarum vocum ambiguitatem. *Nisi enim*, inquit, *et prolixum esset, et redoleret gloriolam, jam nunc tibi ostenderem quid utilitatis habeat magistrorum limina terere, et artem ab artificibus discere : et videres quanta silva sit apud Hebræos ambiguorum nominum atque verborum. Quæ res diversæ interpretationi materiam præbuit, dùm uniusquisque inter dubia, quod sibi convenientius videtur, hoc transfert.* Ità ille. Quocircà cùm tanta sit in plerisque vocibus Hebræis ambiguitas, ut ad diversas sub eodem genere species proferantur, vel etiam res genere diversas, fit ut neque Judæi, neque qui Hebraicarum vocum conscribunt dictionaria, de hâc re quidquam statuere possint : et verisimile est, Judæos olim, cùm ad certam aliquam speciem determinare vocem aliquam vellent, id (nisi ex subjectâ materiâ satis intelligi posset) fecisse additâ aliquâ determinatione ad vocem genericam. Id ità esse ostendo in allatis exemplis ; siquidem *tannin* vocem esse æquivocam ad terrestres marinasque bestias, satis indicat Scriptura, quæ passim hanc vocem accommodat animalibus terrestribus, deserta et loca ab hominum habitatione remota incolentibus ; eamdem tamen ceto et marinæ belluæ accommodat tùm primo Geneseos cap., vers. 21, tùm alibi. Et verò Hieronymus et Septuaginta, qui toties hanc vocem *draconem* verterant, non poterant ignorare hâc voce *draconem* comprehendi, et eam rectè sic verti; iidem tamen alibi aliter verterunt, ut indicarent non unam speciem hâc voce comprehendi, sed plures; ità ut quidquid in quoque animalium genere monstrosum et visendum est, præsertim à magnitudine, id totum eâ voce significetur, ut proindè et *draconem*, et *cetum marinum*, et *sirenes* vel *faunos*, et in avium genere etiam *struthiocamelum* comprehendat; nam ità, ut suprà, vertit Symmachus, imò et Septuaginta : id enim nomine στρουθοῦ seu *passeris* apud ipsos intelligi debet, cùm illam vocem *tannin* sic vertunt, ut Jeremiæ 10, vers. 22, et cap. 49, vers. 33; non autem vulgaris ille passerculus. Et verò *struthiocamelus* dictus est quasi *passer camelus*, ab aliis etiam absolutè *struthius*, et ab Hieronymo in Scripturâ aliisque *struthio* appellatur; aliàs ferè cum addito, à Julio Capitolino *struthionem Maurum* dictum legimus, à Lampridio *struthionem Arabicum*, ab Herodoto στρουθὸν καταγαιον, *passerem terrestrem*, ab Aristophane et Athenæo στρουθὸν μεγάλην, *passerem magnum*, ab aliis στρουθὸν Λιβυκὴν, *passerem Libycum*, uti et apud Varinum Λίβυσσα ὄρνις appellatur, età Latinis, ut notat Acton, *Afra avis*, à Claudiano *vasta avis* dicta. Plautus *passerem marinum* nominat, et *Pœnam avem*. Cur autem hæc tàm vasta proceraque avis *passer* dicta sit, non convenit inter omnes; nam alii ità dictam volunt, quòd formâ corporis passerem referat : quod refutant alii, cùm potiùs in multis anseris formam habeat; itaque malunt στρουθὸν seu *passerem* appellatum per ironiam, ut si quis pygmæum gigantem diceret. Idem dici potest de voce *elon* vel *ela*, quod nunc *quercum*, nunc *terebinthum* Hieronymus et Septuaginta vertunt; alii *castaneam*, *ilicem*, vel aliter reddunt;

ut videatur vox hæc extendi ad omnem glandiferam arborem, vel etiam aliam quamvis, quæ quid aliquo modo glandibus simile profert. Hinc liquere potest, cur Hieronymus et Septuaginta nunc *quercum*, nunc *terebinthum* vertant, ut subindè in suâ versione videantur differre, cùm tamen conveniant. Cùm enim apud Græcos Latinosque non sit vox tàm latè patens, quæ omnes illas species comprehendat, satis illis fuit unam alteramve speciem magis familiarem et frequentiùs illâ voce significatam suâ versione efferre, sub quâ per synecdochen genus intelligeretur. Idem de multis aliis dici potest. Quòd autem Levit. 19, nec Hieronymus nec Septuaginta mensuras quæ in Hebræo sunt expresserint, id ab ipsis consilio optimo factum est : cùm enim ad Scripturæ sensum ibi nihil referret quæ species mensuræ apponeretur, quandoquidem species pro genere sumeretur, et sensus sit omnem tàm aridorum quàm liquidorum mensuram justam et æquam esse debere ; visum est ipsis satis, si Scripturæ sensum exprimerent, et mensuram aliquam efferrent apud suos Græcos Latinosve usitatam, *modium, sextarium, choa,* cùm nulla esset apud Latinos, quæ ejusdem capacitatis esset cum *ephi* vel *hin,* nulla item apud Græcos quæ cum *ephi* in aridis, vel cum *hin* in liquidis conveniret, esto *metreta* apud Græcos in liquidis fortè æqualis esset *ephi* Hebræorum in aridis, ut dicam aliàs. Adde, quòd Septuaginta unâ liquidorum mensurâ, *choe,* inquam, seu *congio*, quæ sex sextariorum erat, quamlibet tàm aridorum quàm liquidorum mensuram intelligi voluerint.

Alterum, quod ad pleniorem responsionem suprà allatam visum est addere, est quòd apud Græcos Latinosve subindè non sint voces quæ eamdem rem cum vocibus Hebræis significent : sicuti enim apud Indos hoc tempore sunt plantæ, arbores, animalia nobis nunquàm visa, et planè ignota, quæ proindè cùm suum habeant apud Indos nomen, apud nos tamen in nostrâ linguâ non habent : ità contigit ut apud Hebræos essent quædam species seu naturales, seu morales ex hominum institutione, quæ diversæ essent ab iis speciebus, quæ apud Græcos Latinosque reperirentur, quæque proindè apud eosdem nomine carerent; quid igitur Interpretes faciant? vel necesse est lacunam in suâ versione relinquant, vel barbaram ignotamque vocem suæ versioni inserant, vel vocem aliquam, quæ speciem affinem significet, adscribant. Lacunam porrò relinqui nullo modo conveniebat ; barbaram vocem versioni inseri judicârunt aliquandò non inconveniens, ut cùm, *hin, gomer, satum, cabum, ephi,* quæ Hebræorum erant mensuræ, dixerunt, maximè cùm vel quæ esset illa mensura alibi explicaretur, vel certa determinataque quantitas indicaretur; alibi tamen maluerunt peregrinam vocem non inserere suæ versioni, et vocem Græcam Latinamve potiùs usurpare, quæ speciem affinem significaret, et à Latinis Græcisve suis intelligi posset. Exempla id declarabunt. Sic enim Hieronymus *satum* non semel *modium* reddit, cùm tamen *modius* non æquaret *satum;* nam *modius* sexdecim erat sextariorum Italicorum, *satum* viginti quatuor sextarios habebat. Planior adhuc hæc tota res fiet exemplis sequentibus. Olim Septuaginta vocem quæ habetur Jonæ 4, vers. 6, 7, 9, 10, *kikaion* verterunt *cucurbitam,* quomodò etiam Pagninus, Tigurini, Latinus Chaldaicæ Paraphrasis interpres, et ferè alii recentiores ; at Hieronymus secutus Aquilam, Symmachum, Theodotionem, *hederam* vertit; ob quam versionem olim in nonnullis Ecclesiis tumultuatum scribit Augustinus Epistolâ ad Hieronymum, quæ inter Hieronymianas est 88, et alterâ sequenti, quæ est Hieronymi ad Augustinum, ubi harum turbarum auctores, et priscæ Septuaginta versionis retinentiores, *cucurbitarios* appellat. Verùm hoc tempore, ex iis quæ Hieronymis scribit, non difficile esset hunc tumultum dissidiumque componere : neutra enim harum versionum vim significationemque vocis *kikaion* explicat; sicuti enim extrà Judæam Syriamque is frutex vel arbuscula non provenit, ità nec extrà eam nomen habet : fuit igitur, dùm in alienam linguam facta fuit translatio, frutex aliquis affinis assumendus, qui in eâ nomen habet, eidemque frutici affinis est, et vel idem officium præstare potuisset quod frutex iste præstitisse apud Jonam scribitur, hoc est, qui exiguo tempore et crescere, et umbrâ solis radios arcere posset, vel aliam cum eodem frutice communem proprietatem habet. Itaque Hieronymus cum aliis vertit *hederam*, Septuaginta *cucurbitam.* De hâc re ità Hieronymus in Commentariis ad Jonam Prophetam : *Pro cucurbita,* inquit, *sive hederâ, in Hebræo legimus kikaion, quæ etiam linguâ Syriâ et Punicâ elkeroa dicitur. Est autem genus virgulti vel arbusculæ, lata habens folia in modum pampini, et umbram densissimam, suo trunco se sustinens ; quæ in Palæstinâ creberrimè nascitur, et maximè in arenosis locis; mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, citò confota consurgit in arborem, et intrà paucos dies quam herbam vide-*

ras, arbusculam suspicis. Undè et nos eodem tempore, quo interpretabamur Prophetas, voluimus idipsum Hebrææ linguæ nomen exprimere, quia sermo latinus hanc speciem arboris non habebat: sed timuimus grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi, et vel bestias Indiæ, vel montes Bœotiæ, aut istiusmodi quædam portenta confingerent; secutique sumus veteres translatores, qui et ipsi hederam interpretati sunt, quæ Græcè appelatur κίστος: *aliud enim quid dicerent non habebant.* Ità ille. Idem Epist. 89 ad Augustinum citatâ: *Ubi*, inquit, *Septuaginta Interpretes cucurbitam, et Aquila cum reliquis hederam transtulerunt, id est* κίστον, *in Hebræo volumine kikaion scriptum est, quam vulgò Syri elkeroa vocabant. Est autem genus virgulti, lata habens folia in modum pampini; cùmque plantatum fuerit, citò consurgit in arbusculam, absque ullis calamorum et hastilium adminiculis, quibus et cucurbitæ et hederæ indigent, suo trunco se sustinens. Hoc ergo verbum de verbo edisserens, si kikaion transferre voluissem, nullus intelligeret: si cucurbitam, id dicerem quod in Hebraico non habetur: hederam posui, ut cæteris Interpretibus consentirem.* Hìc vides ideò non esse Hebræam vocem ab Hieronymo versioni ipsius insertam (quod tamen passim faciunt novatores novavarum translationum cusores) ne vocem ei insereret quam nullus intelligeret, neve quis nescio quod monstrum vel chimæram lectâ hâc voce animo sibi fingeret. Aliud simile exemplum habes in voce hebreâ *schitta*, vel in plurali *schittim*, quam Hieronymus in Exodo passim, cap. 25, 26, 27, 30, 35, 36, 37, *setim*, Hebræâ voce retentâ, appellat; quia quid eâ voce significaretur, confusè saltem ex adjunctâ voce intelligi poterat; passim enim *ligna setim* dicuntur. Septuaginta genericè et periphrasticè ξύλα ἄσηπτα, *ligna imputribilia* iisdem locis dixerunt; at Isaiæ 41, vers. 19, eamdem vocem Hieronymus *spinam* vertit, quòd eo loco non ità commodè intelligi posset quid *schitta* vel *setta* esset: porrò eodem loco Septuaginta *buxum* transtulerunt. Rursùm Joelis 3, vers. 18, eodem modo, quemadmodùm in Isaiâ vertit eamdem vocem Hieronymus: *torrentem spinarum*; at Septuaginta eo loco, ut Hieronymus memorat, et nunc eorum habet editio: χειμάῤῥουν τῶν χοίνων, *torrentem funiculorum:* quæ versio non admodùm placet Hieronymo, et meritò: est enim meo judicio inepta; at eam non esse Septuaginta, mihi planè persuadeo; verùm eos non χοίνων, sed χίνων scripsisse non dubito; est autem χίνος arboris species, quam *lentiscum* dicimus. Verùm in hisce translationibus neque Septuaginta, neque Hieronymus ipsam arboris speciem voce illâ Hebræâ significatam expresserunt, quòd cum re vox tàm Latinis quàm Græcis deesset, quæ eam significaret. Indicat hoc apertè Hieronymus ad Joelis locum allatum. *Cæterùm*, inquit, *nulli dubium est, omnia quæ in tabernaculo Dei legimus, de lignis setim fuisse perfecta, quæ Septuaginta interpretati sunt ligna imputribilia. Est autem genus arboris in eremo, spinæ albæ simile colore et foliis, non magnitudine. Alioquin tàm grandes arbores sunt, ut latissima ex illis tabulata cædantur; lignumque fortissimum est, et incredibilis levitatis ac pulchritudinis, ità ut ex his etiam vasa torcularium, quæ* ἀρσένας καὶ θηλύας *vocant, ditissimi quique et studiosissimi faciant: quæ ligna in locis cultis, et in Romano solo absque Arabiæ solitudine non inveniuntur.* Liquet igitur ex iis quæ Hieronymus dicit *schittim*, neque *spinam* esse, neque *buxum*, neque *lentiscum*, neque aliquid cæterorum quæ in Europæ solo sunt; Hieronymum tamen *spinam* transtulisse, quòd externâ specie arbor hæc satis spinam referret. Septuaginta *buxum* in Isaiâ transtulêre, ob perennitatem et incorruptionem, quâ in re buxus arbori isti est similis; in Joele *lentiscum* vertêre, vel levitatem, vel aliam quampiam communem harum arborum proprietatem attendentes. Aliud exemplum sumi potest in voce *scaphan*, quâ voce animal quodpiam significari non dubium est, sed Rabbini et Hebraizantes volunt *cuniculum* esse. Hieronymus et Septuaginta eam vocem modò *leporem*, modò *herinacium*, modò *chærogryllum* verterunt. Et verò, si spectetur origo vocis *scaphan*, vel *saphan*, quod significat *abscondere*, aptissimè ea vox omnia ea animalia significare potest, cùm hæc omnia sese intrà terram abscondant, in eâque sedes figant; attamen hâc voce nihil istorum significari, sed animalculum quoddam Palæstinæ proprium, muris et ursi similitudinem habens, quodque apud Græcos Latinosque nomine caret, docebimus ex Hieronymo ad Levit. 11, vers. 5.

Hùc fortè referri potest (etsi id certò asserere non possimus, cùm Hebræa interciderint) quod olim tàm multos torsit, habeturque Danielis 13, in Danielis, de senibus qui Susannam ad mortem depoposcerant, judicio; ibi enim sunt paronomasiæ in Græco, quæ planissimè Græcæ linguæ conveniant, non item Hebrææ: Ἀπὸ τοῦ χίνου χρίσαι, Ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quas paronomasias etiam lingua Latina referre non potest; sat autem verisimile est, in Hebræâ linguâ alias ab his arboris species positas, quæ

in Chaldæâ forte, non item in Græciâ reperiebantur, in quibus hujusmodi essent allusiones : igitur cùm interpres linguâ suâ illas arboris species exprimere non posset, deditâ operâ et ratione optimâ alias arborum species Græcâ linguâ expressisse, in quibus similis paronomasia et vocum allusio redderetur.

Ex dictis liquet, multas hujuscemodi, quæ in utrâque versione cernuntur diversitates, judicio et ratione ab interpretibus factas esse ; neque facilè temerève pronuntiandum ab hujusmodi interpretibus divino Spiritu adjutis errorem aliquem in interpretatione admissum esse: credendum potiùs, si quid istiusmodi occurrerit, quod à nobis facilè extricari non possit, aliquid reconditi latere quod mentis nostræ aciem fugiat.

Monendum et illud rursùm, si quis aliquid repererit, in quo non videantur Septuaginta Interpretes cum Hieronymo conciliari posse, velitque ità sacrosanctam esse Hieronymi versionem, ut, quia ab Ecclesiâ authentica declarata est, nihil in eâ erroris esse possit; illud etiam meminerit, quod capite præcedenti monui, etiam olim Septuaginta Interpretum versionem authenticam in Ecclesiâ fuisse, neque magis potuisse errare in suo decreto priorem Ecclesiam quàm posteriorem; ob idque in dubium vocari posse, utra utri versio cedere debeat. Et quanquàm illud libenter dem, Hieronymi versionem, omnibus consideratis, meliorem esse Septuaginta Interpretum versione, tamen, si de particulari aliquo loco controversia sit, posse quæstionem moveri, utra versio aptiùs Hebrææ sententiæ sensum expresserit. Exemplo sit locus ille Genes. 35, vers. 16, et cap. 48, vers. 7, ubi Hieronymus vertit: *verno tempore*, vel: *erat vernum tempus*, quæ quidem interpretatio clara est et manifesta, meoque judicio bona ; at Septuaginta in alium sensum detorserunt, et ne quâ in re ab Hebræâ sententiâ recederent, ipsam vocem Hebræam retinuerunt, dicentes: *chabrata terræ*, et capite 48, ad vocis explicationem addentes, *secundùm hyppodromum*, vel ut reddidit legitve Hieronymus : *in viâ hippodromi*, quæ omnia quid velint, nescire se asserit Hieronymus. Ostendo tamen ad cap. 35, vers. 16, hanc versionem, licèt obscurior sit, videri optimam, et maximè cum Hebræo consentire.

SECTIO VII.

Cur Ecclesia, relictâ Septuaginta Interpretum versione, Hieronymi versionem amplexa est.

Meritò res hæc in quæstionem vocari potest : si enim tanta sit, fueritque olim in Ecclesiâ versionis Septuaginta Interpretum auctoritas, si Spiritûs sancti afflatu et ope tàm præsente facta, si tanto miraculo tot hominibus inter se consentientibus comprobata, certè videri posset non rectè fecisse Ecclesia, dùm relictâ eâ versione, Hieronymianam amplexa est. Nihilominùs dubium non est, certo prudentique judicio et ratione optima factum id ab Ecclesiâ ; neque si Septuaginta Interpretum versio bona fuit et à Spiritu sancto, necesse est ei ità adhærescere Ecclesiam, quasi alia ab eodem Spiritu sancto non possit prodire rebus omnibus consideratis melior, Ecclesiæque accommodatior. Fuerit sanè ea quæ Septuaginta Interpretum est, antè Christum, Ecclesiæque initiis accommodata et sufficiens; at adolescente Ecclesiâ, in diesque proficiente, variis rerum mutatis circumstantiis potuit esse alia convenientior, et ità ab Ecclesiâ, quæ à Spiritu sancto regitur, sapienter judicatum.

Porrò, quæ rationes ferè Hieronymum moverunt ut novam cuderet translationem, eædem Ecclesiam impulerunt, ut eamdem ab Hieronymo factam amplecteretur. Prima igitur ratio esse potest, quòd versio Septuaginta Interpretum multis in locis esset adulterata et corrupta; quam rationem non uno in loco indicat Hieronymus, inprimisque Præfatione priore in libros Paralipomenon, et nos suprà sub initium Sectionis præcedentis varia in eam rem Hieronymi loca attulimus. Et verò, videtur divini consilii fuisse, ut sub Hieronymi tempora tanta esset Latinarum Græcarumque editionum multitudo, quæ omnes nomen Septuaginta Interpretum præferrent, ut et Hieronymus animum ex Hebræo transferendi Scripturas assumeret, quod aliàs vix videtur fuisse ausurus, et Ecclesiam paulatim ab istâ Septuaginta versione avocaret, et in Hieronymi versionem inclinaret.

Secunda est illa, quam etiam præced. Sect., Object. 2, indicavimus, et ex Hieronymo probavimus, quòd versio Septuaginta Interpretum esset diminuta et imperfecta, utpotè qui studio, idque ità Spiritu sancto volente, nonnulla detraxerant, et mysteria ad Christum pertinentia occultaverant, quod nimirùm ità fieri conveniret antè Christi incarnationem ; quæ tamen mysteria, jam Christo revelato, et Ecclesiâ fideque Christianâ confirmatâ, conveveniebat esse quàm apertissima. Duas hasce primas causas in unum conjungit Hieronymus priore in Job Præfatione.

Tertia, quòd Christiani Judæis essent ludí-

brio, dùm conantibus Christianis contrà Judæos Christum fideique nostræ mysteria è Scripturâ probare, prolatâque Septuaginta Interpretum versione, passim ab illis responderetur, seu verè subindè, seu malitiosè, hoc non haberi in Hebræo. Addo verò, quòd etiam Judæi Christianis insultarent, quasi non esset apud eos vera germanaque Scripturæ interpretatio et sententia. Hanc causam indicat Hieronymus Præfat. in Josue, dùm suos obtrectatores et æmulos, qui ipsius versionem mordebant, his verbis alloquitur : *Quæ enim*, inquit, *audientis vel legentis utilitas est, nos laborando sudare, et alios detrahendo laborare? dolere Judæos quòd calumniandi eis et irridendi Christianos sit ablata occasio; et Ecclesiæ homines id despicere, imò lacerare, undè adversarii torqueantur?* Et in fine Præfationis in Isaiam : *Quem quantò plus amatis, ô Paula et Eustochium, tantò magis ab eo* (Christo) *petite, ut pro obtrectatione præsenti, quâ me indesinenter æmuli laniant, ipse mihi mercedem restituat in futuro; qui scit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione sudâsse, ne Judæi de falsitate Scripturarum Ecclesiis ejus diutiùs insultarent.*

Quarta, quia post Christum jam impletis Prophetiis, ex ipso rerum manifesto eventu longè clariùs potuerunt efferri priscorum Prophetarum Prophetiæ, quæ antequàm impleantur solent obscuræ esse, atque adeò nec ab Interpretibus nisi obscurè proponi possunt. Indicat hanc causam Hieronymus Præfatione in Pentateuchum : *Illi*, inquit, *interpretati sunt antè adventum Christi, et quod nesciebant, dubiis protulêre sententiis; nos verò post passionem et resurrectionem ejus, non tàm Prophetiam quàm Historiam scribimus : aliter enim audita, aliter visa narrantur; quod meliùs intelligimus, meliùs et proferimus.*

Quinta, quòd cæteris paribus ea præferenda sit interpretatio, quæ immediatè è fonte ipso hausta est, quàm quæ per rivulum deducta est, eò quòd et purior et germanior esse soleat. Hanc indicat causam Hieronymus in fine Præfationis in libros Salomonis. Eamdem ob causam Hieronymi versionem esse præferendam indicat sanctus Gregorius lib. 20 Moral., cap. 23, et Hugo de S. Victore, lib. de Scripturis, cap. 9.

SECTIO VIII.

De Græcis editionibus Septuaginta Interpretum, quæ hoc tempore supersunt, deque earum in Latinum versionibus.

Ex iis quas vidi Græcis editionibus Interpretum Septuaginta, est ea primùm quæ in Complutensibus et regiis Bibliis habetur, cum ejusdem versione Latinâ, quæ multùm à germanitate et puritate antiquæ versionis, quâ Patres olim usi, deviat, ut liquet è pluribus locis qui citantur à Patribus.

Altera est Basileensis codicis, quæ à præcedenti non rarò diversa est, videturque priore purior et germanior, etsi in multis etiam à veterum Patrum lectione recedere inveniatur. Hæc Latinè reddita et Basileæ typis edita est in parvis voluminibus, per Nicolaum Brylingerum typographum, anno Domini 1550. Sed quis Latinus sit Interpres non proditur.

Tertia est ea Græca versio, quæ Romæ à cardinali Caraffâ ex antiquissimo codice expressa est, quamque Sixtus V. Pontifex, suâ ad hanc editionem præfixâ sanctione commendat, et recipi jubet. Et hæc omnium optima quæ hactenùs in Romanâ Ecclesiâ prodierunt, etsi et hæc subindè à veterum Patrum fragmentis diversa esse reperiatur; imò in nonnullis Scripturæ partibus tanta est hujus etiam codicis à lectione eâ, quæ apud sanctos Patres est, discrepantia, ut planè diversa versio videri possit. Exemplo esse possit Canticum Debboræ; nam ubique ferè ab Origenis, Augustini, Theodereti, Procopii lectionibus hic codex in eo Cantico dissidet, cùm Regius et Basileensis codex longè propiùs ad istorum Patrum lectiones accedant. Hujus Latina versio non diù post Græcam Romæ prodiit, cujus nonnulli Flaminium Nobilium auctorem faciunt, et nos sub ejus nomine aliorum auctoritatem secuti infrà proferimus; at in Præfatione, quæ huic Latinæ versioni præfigitur, non Flaminio Nobilio versio, sed Notæ duntaxat asseruntur Flaminii esse Nobilii.

SECTIO IX.

De Origenis Tetraplis, Hexaplis, Octaplis.

Visum est de his (ut quid hæc sint, cùm de iis in antiquorum scriptis legimus, intelligere possimus) hic quasi appendiculam ad Septuaginta Interpretum versionem addere, quòd hæc omnia occasione versionis Septuaginta, et ad lucem aliquam eidem præbendam ab Origene elaborata sint.

Tetrapla igitur ab ipso primùm elaborata sunt, quæ ità concinnata erant, ut quæque pagina quatuor columnas haberet, in quarum primâ erat editio Septuaginta Interpretum, in secundâ Aquilæ esset versio, in tertiâ Symmachi, in quartâ et ultimâ Theodotionis.

Verùm cùm etiam ad Hebræa adjecisset animum Origenes, in eâque linguâ abundè sibi

profecisse videretur, *Hexapla* concinnavit, divisis quibusque paginis in sex columnas, quarum prima Hebræum textum Hebraico charactere exaratum haberet, secunda eumdem Græco conscriptum charactere, tertia versionem Septuaginta Interpretum, quarta Aquilæ, quinta Symmachi, sexta Theodotionis.

Post hæc deindè prodierunt duæ aliæ editiones Græcæ, quæ, quòd sine auctoris essent nomine, dictæ sunt quinta et sexta editio; quibus additis ad Hexapla, et in suas columnas distributis, emerserunt *Octapla*.

Verùm notandum in his Hexaplis et Octaplis, postquàm jam Septuaginta Interpretum versio cum Hebræo textu collata esset, repertaque esset non penitùs cum illo congruere, sed vel superfluere nonnulla, vel desiderari aliqua, Origenem obelos et asteriscos eidem versioni addidisse, ità ut ubicumque obelus esset seu veru sententiam aliquam jugulans et confodiens, intelligeretur id superfluere, et in Hebræo deesse; ubi autem asteriscus esset, seu stellula, intelligeretur id deesse versioni Septuaginta Interpretum, cùm tamen esset in Hebræo. Additum autem id erat ex Theodotionis versione, quæ cæteris purior et simplicior videbatur, additâ tamen, ut dixi, stellulâ; ne ea quæ addita erant, permiscerentur editioni Septuaginta. Totum hoc Origenis studium et laborem pluribus locis commemorat et describit Hieronymus Præfatione in Pentateuchum, Præfatione in Josue, Præfatione priore in libros Paralipomenon, Præfatione priore in librum Job, Præfatione in Psalmos ad Paulam et Eustochium, Epistolâ 89 ad Augustinum, cap. 6, Epistolâ 101 ad Pammachium de optimo genere interpretandi, cap. 4 Epistolâ 135, ad Suniam et Fretelam (1).

CAPUT XVII.

De aliis Græcis ex Hebræo versionibus.

SECTIO I.

Harum versionum auctores, et tempora quibus interpretati sunt.

De iis tantummodò agimus, quibus infrà usuri sumus; nam de aliis, quæ an fuerint etiamnùm controversum est, vel si fuerint, nulla vel exigua fragmenta supersunt, statui mihi supersedendum. Græcæ itaque versiones, post illam quæ à Septuaginta Interpretibus facta est, imò et post Christum concinnatæ, plures exstitère, quarum hoc tempore exigua tantummodò fragmenta supersunt, quibus tamen etiam subindè infrà in Commentariis usuri sumus. Harum versionum antiquiores plerique meminêre, imò et ex illis, uti cap. præcedent. dixi, sua Tetrapla, Hexapla, Octapla concinnavit Origenes. Sunt omnes hæ numero quinque, quæ ex ordine, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta appellatæ. Igitur versio, quæ ab antiquis secunda dicta est, fuit Aquilæ Pontici, urbe Sinope nati, qui sub Ariano Imp. eam versionem confecit, teste Epiphanio, lib. de Mensuris et Ponderibus.

Post hanc fuit et tertia editio, quam fecit Symmachus Severo imperante, ut scribunt Epiphanius, lib. de Mensuris, Athanasius in Synopsi; nisi fortè in Severo mendum sit, de quo paulò post.

Quarta editio nuncupata fuit Theodotionis, quam ipse sub Commodo Imp. confecit; ut idem Epiphanius et Athanasius testantur.

Verùm cùm Commodus antè Severum imperârit, quî factum ut non potiùs hæc tertia appellata sit, Symmachi verò quarta?

Respondeo, si verum est, Symmachum Severo imperante vertisse, non videri per omnia habitam rationem temporis, quo confectæ sunt hæ versiones, in hoc ordine constituendo; sed Symmachi editionem solitam Theodotionis versioni anteponi, vel quòd hæc, licèt prior confecta, seriùs in publicum prodierit, vel quòd Origenes hunc versionum ordinem in suis Hexaplis statuisset, non satis attentâ temporis ratione, idem deindè ab omnibus sit servatus. Dixi: *si verum est Symmachum Severo imperante vertisse;* hæc enim res planè non liquet, siquidem Latina Præfatio Romana ad Septuaginta, non Severum, sed Lucium Verum nominat, sub quo vixerit verteritque Symmachus, atque adeò in Epiphanio et Athanasio pro Severo videri restituendum Lucium Verum, cùm facilè potuerit unus pro altero supponi, quanquàm satis liqueat Epiphanium, ex ipsius discursu, Severum, non Lucium Verum scribere voluisse. Quod si verum est, jam omnia de Symmachi Theodotionisque ordine constant, cùm Lucius Verus antè Commodum imperârit.

Post eas prodiit ea quæ quinta editio appellata est, alio nomine Hierichuntina dicta, anno septimo Antonii Caracallæ, in doliis quibusdam inventa, teste Epiphanio et Athanasio. Pithis inventam ait Athanasius, sed Hierichunte confectam; at Epiphanius inventam

(1) Doct. Montefalconius quæ exstabant de Hexaplis cum notis eximiâ eruditione refertis collegit ediditque anno 1713.

Hierichunte. Hujus et sequentis versionis auctores incerti, teste Epiphanio.

Denique et altera prodiit etiam auctore incerto, quam sextam nuncupavêre; et quia tempore Alexandri Mammeæ, Nicopoli, quæ ad Actium promontorium est, inventa, Nicopolitana appellata est. Athanasius tamen etiam Pithis inventam, Nicopoli confectam vult in Synopsi. Porrò Hieronymus, Præfatione in Homilias Cantici canticorum Origenis, quas in Latinum vertit, ait Origenem scribere se quintam editionem in Actæo littore invenisse, cùm tamen id de sextâ editione passim asseratur; ad quod non habeo quod dicam, nisi quis ab Origene dici quintam velit, quæ posteà sexta appellata est, quòd inventa sit postmodùm esse posterior Hierichuntina. Fit et alibi septimæ editionis mentio, sed quam aliqui non aliam putant esse à Lucianeâ, quod non obscurè indicat Athanasius.

Porrò Lucianus martyr et Hesychius non novas versiones concinnârunt, sed Septuaginta Interpretum versionem diversis temporibus emendârunt. Emendationem Luciani amplexa est Constantinopolis et Græcia, Hesychii Ægyptus: de quibus ità Hieronymus Præfatione priore in lib. Paralipom.: *Alexandria,* inquit, *et Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat.* Facit tamen mentionem Hieronymus in Habacuc 1 duarum editionum post quintam, sed quæ duodecim Prophetarum tantummodò interpretationem contineant.

SECTIO II.

De geminis Aquilæ et Symmachi versionibus, deque harum et Theodotionis versionum quoad modum interpretandi differentiâ.

Verùm, quandoquidem subindè infrà horum quinque versionum fragmenta citaturi sumus, restat videndum quæ auctoritas his versionibus sit tribuenda. Ubi tamen duo prænotanda sunt. Primum, Aquilam et Symmachum duas fecisse versiones ex Hebræo in Græcum. Geminarum Aquilæ versionum meminit Hieronymus ad Ezech., cap. 3, 5, 8, 16, 20, idque bis eodem hoc cap. et ad cap. 40, quin et 8, 20, 40. utriusque, prioris et posterioris versionis, diversitatem notat. Porrò Hieronymus secundam versionem priori non uno loco anteponit, tùm ex suâ, tùm ex Judæorum opinione; et meritò, cùm δευτέρας φροντίδες σοφώτεραι existere soleant. Symmachi binas versiones disertè commemorat, et utrisque diversitatem notat in Jerem. cap. 32, idem Hieronymus.

Alterum prænotandum est hanc in tribus illis versionibus, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, fuisse quoad interpretandi modum differentiam, quòd Aquila verbum è verbo expresserit, Symmachus sensum è sensu, Theodotion medio quodam modo inter utrumque incesserit. Ità de his Hieronymus Epistolâ 125, ad Damasum quæst. 2: *Aquila, qui non contentiosiùs, ut quidam putant, sed studiosiùs verbum interpretatur ad verbum.* Et Præfatione in Evangelia ad eumdem Damasum: *Non quæro quid Aquila, quid Symmachus sapiant; quare Theodotion inter novos et veteres medius incedat.* Item Præfatione priore in librum Job. *Quasi non,* inquit, *et apud Græcos Aquila, Symmachus et Theodotion, vel verbum è verbo, vel sensum è sensu, vel ex utroque commixtum et mediè temperatum genus translationis expresserint.* Hæc ille. Ubi singula membra ad singulos eodem ordine, quo nominati interpretes, refert: illud, *verbum è verbo,* ad Aquilam; *sensum è sensu,* ad Symmachum; *ex utroque commixtum et temperatum,* ad Theodotionem.

SECTIO III.

De auctoritate harum trium versionum.

Porrò quod ad harum versionum auctoritatem attinet, illud universìm dici potest, horum trium versionibus, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, exiguam vel potiùs nullam, in iis, quæ de Christo fideique Christianæ rebus sunt, vaticiniis olim fidem esse habitam; quos satis constat odio Christianæ Religionis multa in suis versionibus pervertisse, vel subdolè celâsse. De his ità Hieronymus Præfatione priore in Job: *Quòd si apud Græcos, post Septuaginta editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, et Symmachus ac Theodotio, Judaizantes hæretici sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdolâ interpretatione celârunt, et tamen in* Ἑξαπλοῖς *habentur apud Ecclesias, et explanantur ab Ecclesiasticis viris; quantò magis ego Christianus?* etc. Item Præfatione in Esdram: *Porrò aliud est, si clausis, quod dicitur, oculis, mihi volunt maledicere, et non imitantur Græcorum studium ac benevolentiam, qui post Septuaginta translatores jam Christi Evangelio coruscante, Judæos et Ebionitas Legis veteris interpretes, Aquilam videlicet, et Symmachum et Theodotionem, et curiosè legunt, et per Origenis laborem in* Ἑξαπλοῖς *Ecclesiis dedicârunt.* Et verò, nihil mirum si parva his fides sit habita, si quales hi fuerint interpretes at-

tendatur : siquidem, teste Epiphanio lib. de Ponderibus, Aquila ex Gentili factus Jerosolymæ Christianus, cùm genethliacis et vanæ astrologiæ nimiùm esset addictus, nec monitus resipisceret, tandem Ecclesiâ pulsus est; ob eamque ignominiam animo malè affectus, abjuratâ Christianâ Religione Judæus effectus est; et in odium Christianæ Religionis, postquàm Hebraicam linguam probè didicisset, Scripturam interpretatus, ejus de Christo testimonia pervertit. Symmachus, natione Samaritanus, è Samaritano Judæus factus, ac denuò circumcisus, ex Judæo deindè Christianus, ac tandem ex Christiano hæreticus Ebionita effectus. Theodotion (quem aliqui Ponticum, alii Ephesium faciunt) Christianus factus, Tatiani, Marcionis, Ebionisque dogma sectatus est : indè proselytus factus, ad Judæos transiit. Ex quibus intelligas, cur Hieronymus interpretes hos passim vel Judæos vel Judaizantes hæreticos appellet ; cur Epistolâ 89, quæ est ad Augustinum, cap. 6, Theodotionem hominem Judæum et blasphemum, et Proœmio ad Commentarios in Danielem, incredulum et Ebionitam vocet. Idem in Habacuc 3, Aquilam Judæum nominat, Symmachum et Theodotionem semichristianos; ubi et ad nomen Ebionis alludens, quod Hebraicè *pauperem* significat, ait : *Theodotio verè quasi pauper et Ebionita; sed et Symmachus ejusdem dogmatis, pauperem sensum secuti Judaicè transtulerunt : Egressus es in salutem populi tui, ut salvares Christum tuum; et: Egressus salvare populum, salvare Christum tuum. Rem incredibilem dicturus sum, sed tamen veram. Isti semichristiani Judaicè transtulerunt, et Judæus Aquila interpretatus est ut Christianus.* Et eo quidem loco Aquilam à sincerâ interpretatione laudat ; verùm ad Isaiæ cap. 49, ubi Symmachus et Theodotion nostræ versioni congruunt, miratur et reprehendit Aquilam, quòd homo eruditissimus linguæ Hebraicæ, et verbum de verbo exprimens, eo tamen loco, qui de Christo est, et Judæorum perfidiam notat, ipse vel simulârit imperitiam, vel Pharisæorum perversâ expositione decipi se sit passus.

Hæc quidem de iis quæ ad Christum Christique Religionem spectant; at in cæteris horum interpretum non parva cùm apud cæteros olim, tùm apud Origenem et Hieronymum fuit auctoritas, quos ille in suis Hexaplis composuit, hic verò sæpè tùm alibi, tùm in Prophetis ex eorum versione verum Scripturæ sensum eruit; quorum etiam versionibus in concinnandâ suâ versione Latinâ adjutum fuisse non est dubium, nec diffitetur ipse, cùm iis in locis, in quibus à Septuaginta Interpretum versione discrepat, illorum se versionibus tueatur, suamque versionem confirmet. Quin etiam, teste Hieronymo, Eusebius et Apollinarius cum Septuaginta Interpretum versione etiam has disseruerunt et explicuerunt. Quocircà dubium non est, quin iis quæ ex his versionibus supersunt fragmentis, possit non parùm lucis Scripturæ adferri, et textûs nostri sinceritas defendi. Hieronymus tamen, etsi subindè Aquilam laudet, ut in Osee 2, ubi eum diligentem et curiosum interpretem vocat, et Epistolâ 138, ad Marcellam, ubi eum verborum Hebræorum diligentissimum explicatorem asserit, quemadmodùm et Augustinus lib. 15. de Civit. Dei, cap. 23 : *Aquila*, inquit, *quem interpretem Judæi cæteris anteponunt;* alibi tamen Hieronymus, lib. videlicet de optimo genere interpretandi, ad Pammachium, cap. 4, eum reprehendit, et quædam in ejus versione improbat : *Aquila*, inquit, *proselytus et contentiosus interpres, qui non solùm verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est, jure projicitur à nobis. Quis enim pro frumento et vino et oleo possit vel legere, vel intelligere,* χεῦμα, ὀπωρισμὸν, στιλβότητα, *quod nos possumus dicere fusionem, pomationem et splendentiam. Atqui non solùm Hebræi habent* ἄρθρα, *sed et ille* κακόζηλος, *qui syllabas interpretatur et litteras, ut dicat* σείει τὸν οὐρανὸν, καὶ σείει τὴν γῆν, *quod Latina lingua non recipit. Cujus rei exemplum nos ex nostro sermone capere possumus: quanta enim apud Græcos benè dicuntur, quæ si ad verbum transferamus, in Latino non resonant, et è regione quæ apud nos placent, si vertantur juxtà ordinem, apud illos displicebunt!*

Nota verò, esto horum trium versiones omnes in nonnullis probatæ, in aliis improbatæ fuerint, Theodotionis tamen versionem, omnibus consideratis, ob mixtum illum et temperatum interpretandi modum, de quo nos diximus Sectione præcedente, videri cæteris prælatum, tùm ab Origene in Hexaplis, utpotè cujus versionem miscuit Septuaginta interpretum versioni, ad supplenda ea quæ ex Hebræo illi deerant; tùm ab Epiphanio, lib. de Ponderibus et Mensuris, ubi ait, illum in suâ interpretatione pleraque consonanter cum Septuaginta duobus edidisse; tùm ab Hieronymo, qui itidem in Psalterio Septuaginta Interpretum à se emendato Theodotionis versionem Septuaginta Interpretum versioni miscuit, interpositis obelis et asteriscis; quâ de re ità ipse Præfatione in Psalterium ad Paulam et Eustochium : *Ubi*, inquit, *perspexerit stellæ similitudinem, de Hebræis voluminibus additum noverit æquè usque*

ad duo puncta, juxtà Theodotionis tantùm editionem, qui simplicitate sermonis à Septuaginta Interpretibus non discordat; tùm denique ab Ecclesiâ, quæ olim totum Danielem ex Theodotionis versione legebat, et etiamnum duo postrema capita cum Hymno trium puerorum, et Oratione antecedente cap. 2, legit.

SECTIO IV.

De auctoritate quintæ et sextæ editionis.

Has editiones ut impias, infideles, insinceras ab antiquis reprehensas non legimus; imò non uno loco Hieronymus laudat, et inprimis ad Habacuc 3 utramque laudat; quintam quidem, quòd accommodatè locum de Christo verterit, nimirùm quemadmodùm et ipse vertit : *Egressus es in salutem populi tui, et in salutem cum Christo tuo;* quem locum Symmachus et Theodotion suis versionibus corruperant : sextam verò, quòd ibidem suâ versione manifestissimè sacramentum prodat, cùm ait : Ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαὸν σοῦ διὰ Ἰησοῦν Χριστὸν σοῦ, *Egressus es ut salvares populum tuum per Jesum Christum tuum.* Quo ex loco satis manifestum fieri arbitror, hujus versionis auctorem fidelem exstitisse. Quintam editionem etiam Athanasius in Synopsi commendat, ut quæ à quopiam ex illis qui Jerosolymis pietati vacaverant esset conflata.

CAPUT XVIII.

De Latinis ex Hebræo recentiorum editionibus.

Non ea nobis mens agere de omnibus recentiorum editionibus, quæ variæ et multiplices à novatoribus prodiêre, et in dies prodeunt, ut vix hydra renascentium capitum fertilior exstiterit, quàm novarum editionum sit hæresis, cùm eæ à Catholicis ferè explodantur, nullamque apud eos auctoritatem habeant; de quibus videri potest quid Genebrardus sentiat Epistolâ Origeni præfixâ. De duabus tantummodò mihi agere decretum est, quæ nonnullam apud Catholicos auctoritatem invenêre, quibus et nos non semel usuri sumus : earum prima est viri Catholici è Dominicanâ familiâ, Santis, inquam, Pagnini Lucensis, qui eam anno 1528 concinnavit, de verbo ad verbum ferè Hebræa Latinè exprimens; altera est, quæ passim Vatablo adscribitur.

SECTIO I.

De Santis Pagnini editione.

Utiliter sanè in suâ versione seu cudendâ, seu publicandâ laboratum esse à Sante Pagnino, negari non potest; habet enim ea versio utilitates suas, easque non exiguas, maximè apud eos qui Hebraicam linguam minimè callent; quâ factum est, ut quilibet editionem nostram Vulgatam cum Hebræo textu conferre, eamque ex eo (nisi sicubi à Masorethis Hebræus textus depravatus sit) ferè firmare possit, præterquàm quòd ii qui Hebraicæ linguæ studiosi sunt, ejusque notitiam appetunt, non parùm eâ juvari possint. Sunt tamen quæ in eâ desiderentur, quæque minùs probentur; ut satis indicat censurâ illâ suâ Genebrardus in Epistolâ ad Origenem Præfatoriâ. Verba illius sunt : *Santis Pagnini secundùm eam* (Vulgatam) *omnium optima; sed, ut liberè dicam, minùs diligens, nimis ambitiosa, nimis curiosa, nimis grammatica, nimiùm Rabbinicarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum subtilitate noxam sinceritati et sententiarum et rerum sæpiusculè afferat; undè nec satis interdùm cohæret cum veterum Hebræorum doctrinâ, nec cum fidei Catholicæ mysteriis. Quin in propriis nominibus locorum, fluviorum, hominum, etc., parùm fidelis est.* Hæc ille. Leo Castrius in Isaiam etiam non semel queritur, vel pravâ interpretatione, vel additione à Pagnino perversam esse sacræ Scripturæ sententiam, imò Scripturam subindè invitam et reluctantem ad Judæorum sensus ab ipso deflecti; quas querelas invenies tùm alibi, tùm ad cap. 28 Isaiæ.

Accedit, quòd hæc Santis Pagnini versio emendata sit (si tamen ea emendatio dici debet) et in multis immutata à Benedicto Ariâ Montano, de quâ immutatione illud ferè dici posset, quòd in Aquilæ editione reprehendit Hieronymus, et nos cap. præced. Sect. 3, notavimus, qui cùm de verbo ad verbum reddens nimiùm subindè verbis insistit, et ipsas etiam verborum etymologias sectatur, suam versionem corrupit. Quis enim nescit multa esse in peregrinis linguis, quæ si verbo tenùs Latinè reddere studeas, nihil efficias, sed vel obscuriorem reddas sententiam, vel vocum invehas barbariem? Id sanè suâ quali quali emendatione effecit Arias Montanus, ut verba inusitata, inaudita, quæ Latinæ aures non ferant, nobis obstruderet, vocum significationes locis minùs convenientes substitueret, miras obscuritates pareret. Genesis cap. 14, vers 20, verterat Pagninus : *Ipse fuit pater inhabitantis tentorium, et pecudis;* non male, potest enim ea versio intelligi; at quis ferat pro eâ sententiâ substitui : *Ipse fuit pater sedentis tentorium, et possessionis?* quo sensu, quâ sententiæ claritate, alii judicent. Sed nimirùm verbum *jaschab, sedere* significat; ita est, verùm an non etiam *inhabi-*

tare? an hoc loco non meliùs ea significatio congruat? Verterat Pagninus Genesis cap. 13, vers. 19 : *Separa te nunc à me : si ieris ad sinistram, dexteram tenebo; et si ad dextram ieris, sinistram tenebo.* Plana minimèque obscura hæc sententia ; eam verò sic reddidit Arias Montanus : *Separare nunc desuper me: si ad sinistram, et dextrabo; et si ad dextram, sinistrabo.* Capite ultimo Geneseos, pro eo quod aliquotiès Pagninus reddiderat : *condire aromatibus;* Arias reposuit : *ad balsamandum, balsamare, balsamatores;* suntque hujusmodi non pauca alia. Probetur sanè hæc aliis versio; mihi verò probari non potest tanta in vertendis divinis oraculis verborum religio et ridenda barbaries.

Est et alia hujus versionis Pagnini correctio (si tamen et hæc correctio dicenda est) quam edidit anno 1557 Robertus Stephanus, quamque tùm ex ipsius Santis Pagnini privatis correctionibus annotationibusque, ac ejusdem in Thesauro observationibus, tùm è Vatabli prælectionibus à se concinnatam idem Robertus profitetur. Verùm hæc correctio, quòd ex hominis hæretici impurâ tabernâ prodierit, meritò et suspecta esse, et apud Catholicos exiguo loco esse debet. Neque verò sperandum fuit, ab homine perfido meliori fide hanc correctionem, adhibitis inter cætera Vatabli Notis, prodituram fuisse, quàm annis antè duodecim infidelis et insincera versio eidem Vatablo per mendacium afflicta, de quâ Sectione sequenti, ejusdem Stephani typis prodierat. Hæc Pagnini versio à Roberto Stephano correcta, in quadripartitis seu in quatuor columnas distributis Antuerpianorum Bibliis, falsò novæ versionis nomen habet, aut Vatablo adscribitur, cùm et ipsis se Pagnini verbis prodat, et ipsemet Robertus Stephanus Pagnini esse disertè asserat, correctionem autem, seu quæ in eâ est immutationem sibi, non Vatablo adscribat.

SECTIO II.

De alterâ editione, quæ Vatablo adscripta fuit.

Post illam Santis Pagnini versionem, etiam et alia apud Catholicos versio fidem aliquam et auctoritatem invenit; at nonnisi ubi ex eâ nostræ editionis lectio, firmari potest. Dedit huic apud Catholicos locum et nomen aliquod viri Catholici Francisci Vatabli præfixum nomen, non habiturum, si jam indè à principio è fœtente hæreticorum cloacâ eam prodiisse fuisset à Catholicis cognitum. Non esse enim eam Vatabli, doctioribus et oculatioribus liquidò persuasum est, tùm quòd Vatabli in Scripturam Notæ non modò diversa huic versioni præferant, sed etiam ex diametro repugnantia; tùm quòd ea versio nimis apertè quibusdam locis ad hæreticorum sensa et opiniones accommodata sit, quod de Vatablo nemo facilè suspicetur; tùm quòd ipse Vatablus supposititium hunc fœtum sibi adjudicârit, seque eo mirè offensum declarârit, utpotè qui advocatum ad se typographum Robertum Stephanum, jam tùm apostasiam meditantem, gravissimis verbis reprehenderit, et fugam, metu ne falsi crimine postularetur, arripere coegerit, ut testatur Genebrardus suâ ad Origenem Præfatione.

Cujus autem ea auctoris sit, non planè constat. Suspicatur Genebrardus in eâdem suâ Præfatione, esse quorumdam discipulorum Vatabli, qui, inquit, pravè dormitando à doctore accepta pejùs intelligebant, typisque mandabant, vel nomen sui doctoris prætexentes, interìm suas novitates novarum rerum cupidis specie Dei verbi instillabant. Alii verisimiliùs censent ex hæreticorum lacunis prodiisse, eamque à Leone Judâ, qui ex Judæo Zuinglianus factus erat, inchoatam, tandemque à Theodoro Bibliandro absolutam, et quòd Tiguri edita esset, Tigurina Biblia appelari solent, quo nomine et nos ferè eam infrà citabimus.

Porrò, cujus ea versio sit fidei cognosci poterit ex illâ Genebrardi Præfatione, cujus hæc verba sunt : *Si illa editio Vatabli est, Vatablus, quod horreo cogitare, non modò dicere, vel malitiosissimus fuit, vel Hebraicæ linguæ ignarissimus. Quippè quàm pessimè potuit, maximam partem et potiorem Scripturæ convertit, velut de industriâ à litterâ et sensu discedens, et datâ operâ aberrationem à veritate Hebraicâ appetens, ut eum dùm lego, et cum Hebraico confero, mihi videar in alio mundo versari, et non sacras litteras legere, sed fabulas è sacris litteris deductas et delineatas, sed farragines è verbo et humanis cogitationibus consarcinatas, quæ non tàm ad veritatem, quàm vertentis opinionem pertineant.*

CAPUT XIX.

De Chaldaicâ Paraphrasi, et Syriacâ novi Testamenti Versione.

De his etiam paucis agendum, quòd horum usus etiam in Scripturæ sacræ explanatione esse possit. De Thargum Jerosolymitano non ago, quòd is nec mihi sit visus, et illius exiguus usus esse possit, utpotè qui Judaicis nugis et impietatibus plenus esse perhibeatur.

SECTIO I.

Quis auctor Chaldaicæ Paraphrasis, quæve illius auctoritas.

Chaldaica Paraphrasis, quam et Thargum

Babylonium appellant, exstat in omnes veteris Testamenti libros, qui in Hebræorum fuerunt canone, habeturque in Bibliis Regiis, præterquàm in libros Paralipomenon, Esdræ et Danielis.

Hujus non unus est auctor, siquidem in Pentateuchum Paraphrasim confecit Onkelos, ut præ se fert hujus Thargum titulus, quem plerique non improbabiliter eumdem censent cum Aquilâ proselyto, qui itidem Scripturam in Græcum sermonem convertit. Paraphrasim eorum librorum quos Hebræi in Prophetis reponunt, hoc est Josue, Judicum, Samuelis, Regum, Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Duodecim minorum Prophetarum, confecit Rabbi Jonathan, cujus nomen Paraphrasi horum librorum præfigitur, quem aliqui antè Christum natum vel scripsisse, vel saltem fuisse aiunt. Est etiam non nemo, qui eumdem censet hunc Rabbi Jonathan cum Theodotione, auctore Græcæ editionis, ejusque rei verisimilitudinem aliquam sumit ex utriusque nominis eâdem significatione; nam quod apud Græcos *Theodotion* significat, hoc est *Dei donum*, idem apud Hebræos significat *Jonathan*. Quis autem cæterorum librorum, quos Hagiographos vocant, Esther, Job, Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastæ, Ruth, Threnorum Paraphrasim concinnârit, non omninò constat, undè nullius nomen in titulo præfertur. Plerique Joseph cæcum auctorem faciunt.

Valet hæc Paraphrasis, primò ad revincendos Judæos, qui eam magni faciunt; sunt enim loca nonnulla, quæ Judæi aliò torquere nituntur, hæc autem Paraphrasis disertè Messiæ accommodat. Secundò, ad defendendam puritatem et sinceritatem nostri textûs. Tertiò, ad intelligentiam quorumdam locorum obscuriorum.

Non est tamen eadem et par ubique hujus auctoritas, siquidem in Pentateuchum longè purior et sincerior est Paraphrasis hæc, quanquàm nec ibi omninò pura et sincera : in reliquis impura est et insincera, maximè verò nugis et fabulis Judaicis referti sunt Psalmi, Canticum canticorum, Threni, Job, Isaiæ, cap. 53.

SECTIO II.

De Syriacæ editionis novi Testamenti auctore, Latino interprete, auctoritate, utilitate.

Exstat et in Bibliis Regiis totius novi Testamenti Syriaca editio, præter Epistolam lib. 2 Petri cap. 2 et 3, Joannis, Judæ, et Apocalypsim, quæ tamen posteà à Maronitis accepta Patres nostri suppleverunt, etsi ea necdum viderim. Hâc editione Maronitæ et ferè Orientales utuntur populi, estque apud illos magnæ auctoritatis.

Ejus auctorem ipsi existimant S. Marcum Evangelistam; quod si verum esse constaret, haud dubiè maxima illius deberet esse auctoritas : at Bellarminus et Serarius eum auctorem negant his argumentis, quòd veteres Patres, qui in Syriâ, Palæstinâ, Ægypto versati sunt, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Alexandrinus, Athanasius, Theophilus, Epiphanius, Hieronymus, Origenes, Eusebius, Theodoretus, Damascenus, aliique hujusce rei aliquam mentionem facturi fuissent, si ità res habuisset, cùm tamen ipsi ne verbulo quidem hujus meminerint. Deindè quòd Marcus non potuerit, S. Joannis Evangelium, ejusque Apocalypsim vertere, quæ post Marci mortem à S. Joanne conscripta fuêre. Adde, quòd Græcorum codicum errorem editio hæc sequatur, utpotè quæ historiam de adulterâ Joannis 8 capite tollit. Quocircà verisimilius est, hanc editionem tempore Apostolorum posteriorum esse, cujus auctor incertus sit, ejusque auctoritatem inferiorem esse auctoritate Latinæ nostræ editionis, vel etiam Græci textûs; nam et sunt in eâ nonnulla quæ meritò viris doctis displicent.

Hanc editionem Syriacam Syriacis characteribus primùm edidit Viennæ Albertus Widmanstadius, Ferdinandi imperatoris cancellarius; eamdem Hebraico charactere expressit, et in Latinum convertit Guido Fabricius, quæ omnia tria habemus in Bibliis Regiis, iis, ut dixi, exceptis, quæ initio Syriaco charactere expressa non sunt reperta. At, ut dixi, suppleta hæc à nostris Patribus, et Moguntiæ à Patre Balthasare Etzelio Hebraicæ linguæ professore in Latinam linguam sunt conversa.

Habet editio hæc suas, nec parvas utilitates. Prima, quòd nostram in multis editionem firmet ac stabiliat. Secunda, quòd nonnullorum locorum difficiliorum et obscuriorum explicationi usui esse possit. Tertia, quòd inscriptiones et tituli varii additi, quibus significatur hæc vel ista certis in anno diebus legi solita, planè ostendant Orientalium Ecclesiarum cum Romanâ Ecclesiâ consensionem in cæremoniis et fidei dogmatibus; planèque novellos hæreticos impietatis revincant, cujusmodi sunt de Sanctorum cultu, de Veneratione S. Crucis, de Jejuniis, de Quadragesimâ, de Vigiliis, de Orationibus pro defunctis, quorum omnium in iis titulis fit mentio.

CAPUT XX.

De sacræ Scripturæ interpretatione, ejusque variis sensibus.

Ex iis quæ dicta sunt cap. 9 horum Præloquiorum, ubi actum de obscuritate et profun-

ditate Scripturæ sacræ, ex quibus interpretationis difficultas nascitur, satis liquet, non esse cujusvis Scripturam sacram interpretari, ejusque verum sensum elicere, sed ad hanc rem tùm humanam exercitationem diuturnam ac studium, tùm inprimis Spiritûs Sancti opem et instinctum esse necessarium, quem humilitate, puritate animi, oratione demerebimur, uti dictum illo cap. 9, Sect. 6. Accedit sensuum in Scripturâ sacrâ diversitas, quæ hanc interpretandi difficultatem non parùm auget, de quibus nunc nobis est dicendum.

SECTIO I.

Quotuplex in Scripturâ sit sensus.

Duplex Scripturæ sensus passim assignari solet: Litteralis, qui alio nomine Historicus appellatur, et Mysticus, quem aliqui Spiritualem, alii Figuratum appellant. Hanc divisionem sensuum non pauci nostri ævi hæretici cum Luthero rejiciunt et explodunt, nullum alium præter sensum litteralem agnoscentes, ad quos quàm proximè accedit Erasmus, qui hunc SS. Patrum in mysticis sensibus quasi lusum irridet et subsannat, in Præfatione Paraphraseon ad Imperatorem. Quibus succinit è Catholicis Abulensis in Matth. 2, quæst. 57, ubi asserit nullum sensum mysticum esse ex mente Spiritûs sancti, sed concionatorum esse figmenta.

Verùm, necessariò hæc sensuum divisio admittenda est, ac præter litteralem sensum mysticus omninò asserendus. Hunc enim sensum semper agnovit Ecclesia, et in Conciliis subindè utitur; usi sunt SS. Patres omnes; agnoscunt iidem disertis verbis hos sensus et distinguunt Origenes, lib. 10 in cap. 15 Epistolæ ad Rom., Homil. 2 et 7 in Genesim, Homil. 11 in Numeros, lib. 4, Periarchon cap. 2, Clemens Alexandrinus lib. 6 Stromatum, Cyrillus lib. 1 in Levit., et lib. 5 circà medium, Ambrosius in Psalmum 118, Serm. 1 initio, et lib. 3 in Lucam, ubi de genealogiâ Salvatoris, Basilius initio Hom. 9, Hexame. Nazianzenus Epistolâ ad Nemesium, Hieronymus in cap. 2. Ezechielis, et in cap. 16. lib. 5. et Epistolâ 100 ad Hedibiam quæst. 12. et Epistolâ 115. ad Paulinum, et ad Galat. cap. 4, Augustinus in Imperfecto de Genesi, cap. 2 et 1, de Genesi ad litteram, cap. 1, et Epistolâ 49, ad quæstionem ultimam, et Serm. 84 de Tempore, et lib. 12 contrà Faustum, et lib. 15 de Civit., cap. 27, et lib. 17, cap. 3, Eucherius, lib. de Spiritualibus formulis, Gregorius lib. 21 Moralium cap 1 et lib. 22, cap. 2, et Homil. 9 in Ezech., Beda, in principio Expositionis Geneseos, Bernardus Serm., 61 ex parvis, et Serm. 23 et 51 in Cantica. Hos secuti sunt omnes Ecclesiæ Catholicæ doctores. Utitur Philo libris de Mundi opificio, *Allegoriarum legis, etc.*, idemque lib. de Vitâ contemplativâ (quod et refert ex ipso Eusebius, lib. 2 Histor., cap. 17,) commendat Essenos Alexandrinos, quòd Scripturas sacras legentes philosopharentur, easque allegoricè tractarent, quòd existimarent sub manifesto litteræ cortice secretarum rerum latere symbola per figuras significata. Antè hos seu Apostoli, seu Judæi alii antè Christum, eamdem commentandi rationem tenuerunt; nam ibidem scribit, Essenos illos habuisse commentarios priscorum virorum, qui, cùm sectæ ipsorum duces essent, multa in formâ rerum allegoricè traditarum post se monumenta reliquerant, quæ tanquàm archetypos et exemplaria ad philosophandum commentandumque sibi proponerent. Probari hoc ipsum potest ex Eusebio, lib. 8 de Præparat. Evangelica, cap. 3, qui ex Aristæo refert Eleazari Judæorum Pontificis moralem interpretationem cur Deus quædam in Lege munda, alia immunda esse voluerit. Usi sunt eâdem commentandi in Scripturas formâ Esdras, omnesque Judæorum sapientes usque ad Moysen, si vera sunt ea, quæ infrà cap. seq., Sect. 2, dicemus de Judæorum Cabalâ. Denique, ità hunc mysticum sensum fuisse apud Judæos in pretio refert Galatinus, ut eum vocarent *dabar gadol, verbum magnum,* litteralem verò appellarent *dabar katon, verbum parvum.* Præter hos, Christus Dominus et Apostoli hoc genere Scripturas interpretandi usi sunt; nam et Jonas, qui in ventre ceti tribus diebus fuit et noctibus, à Christo allegoricè explicatur Matth., cap. 12 et ænei serpentis figura à Moyse exaltati, Joannis 3, et Paulus ad Galat. 4, allegoriam tractat de duobus Abrahæ filiis, et 1 Cor., cap. 10, allatis nonnullis è veteri Testamento figuris de nube, mari, escâ, potu, ait hæc omnia fuisse futurarum rerum figuras, et pro nobis scripta esse; quod verum esse non posset, si in ipso litteræ cortice sistatur. Accedunt plura alia loca singulorum mysticorum sensuum in novo Testamento, quæ infrà afferemus. Denique tollere mysticum sensum est tollere omnem rationem figuræ et typi rebus quæ in veteri Testamento erant, ut sacrificiis, immunditiis, purificationibus, et aliis id genus, quod meo judicio erroneum est, maximè cùm videamus eas ab Apostolis in novo Testamento, præsertim in Epistolâ ad Hebræos, allegoriæ adaptari.

Mysticus porrò sensus triplex est : Allegoricus, Tropologicus seu Moralis, et Anagogicus. Allegoricus spectat Christum et Ecclesiam militantem, sive res omnes fidei, quæ viæ in patriam sunt propria, iis seclusis quæ ad patriam spectant. Tropologicus, qui spectat ad mores. Anagogicus, qui alterius vitæ res respicit, nosque sursùm trahit, quemadmodùm et ipsa vocis notio indicat. Sive Allegoricus est de rebus credendis, Tropologicus de rebus agendis, Anagogicus de rebus sperandis. Undè hi versus :

Littera gesta docet ; quid credas, Allegoria ;
Moralis, quid agas ; quò tendas, Anagogia.

Notandum tamen, SS. Patres non semper tàm accuratè hos sensus distinguere, sed subindè nomine Allegoriæ quemlibet sensum mysticum intelligere : nec mirum, cùm ex vi ipsius vocis possit ad omnem sensum mysticum extendi, et tantummodò ob defectum vocis alterius propriæ isti particulari sensui, qui ad Christum et Ecclesiam refertur, nomen illud adhæserit.

SECTIO II.

Quid sit sensus litteralis, quid mysticus.

Ex dictis aliquo modo colligi potest quid sit sensus litteralis, quid mysticus. Est igitur sensus litteralis quem verba sive propriè, sive metaphoricè accepta ex Spiritûs sancti loquentis intentione primò et immediatè significant. Dixi : *verba sive propriè, sive metaphoricè accepta ;* non enim tantummodò is est litteralis, quem verba propriè sine tropo significant ; aliàs enim multa Scripturæ loca sensu litterali carerent : cùm enim verba propriè sumpta sensum absurdum vel minùs commodum generant, nequit istiusmodi sensus dici vel litteralis Scripturæ, vel absolutè esse Scripturæ sensus ; hoc enim esset Spiritui sancto sensum absurdum vel non convenientem adscribere. Exempla sunt passim obvia, ut cùm Matth. 3 Joannes de Christo dicit : *Cujus ventilabrum in manu suâ : et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Item Matth. 19 : *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Et alibi : *Attendite à fermento Pharisæorum.* Quæ omnia si velimus propriè ut verba sonant intelligere, sensus absurdus vel inconveniens existet. Est ergo sensus horum locorum litteralis, quem verba metaphoricè et tropicè sumpta significant, et hunc, non alium immediatè Spiritus sanctus intellexit. Porrò sub metaphorâ quemvis tropum intelligo ; sunt enim in Scripturâ cujusvis generis tropi, in quibus alienatur vocis significatio. Itaque qui Scripturam aliquandò sensu litterali carere, solumque mysticum (quo nomine metaphoricum intelligunt) habere asserunt, parùm accommodatè loquuntur ; cùm, ut ex dictis patet, is litteralis sensus dicendus sit, quem verba ex intentione loquentis proximè significant ; quo proindè nulla Scripturæ sententia carere potest. Adde quòd, ut passim doctores docent, mysticus remotus sit, atque adeò litteralem præsupponit, in eoque fundari debet. Vocant quidem Patres subindè metaphoricum sensum, etsi litteralem, mysticum ; iidemque subindè dicunt ubi deficit littera, eumdem esse ad mysterium ; verùm tunc nomine mystici et mysterii abutuntur, et mysticum opponunt proprio.

Nota verò, quòd de metaphorico sensu diximus, non esse extendendum ad similitudines et parabolas ; in his enim sensus litteralis est, quem verba propriè significant : si enim dicam diabolum leoni esse similem, ibi leo in propriâ significatione capitur ; at si dicam eum esse leonem, ibi metaphorica est illius vocis significatio. Itaque cùm Christus diversas parabolas profert, illud ipsum quod verba parabolæ sonant indicare vult, sive ut factum aliquandò, sive ut fieri solitum, sive ut rem possibilem, quamque facilè quis imaginari potest fieri : — quanquam etiam subindè possit res impossibilis quasi in parabolam seu potiùs apologum adduci, nempè ut res quæ imaginationi possit subjici ; cujusmodi est ille Joatham apologus Judic. 9, de lignis seu arboribus quæ iverunt ut constituerent super se regem. Porrò in omnibus hujusmodi parabolis, cùm sint in similitudine quâdam et comparatione positæ, semper duæ sunt partes : una est parabola ipsa, quæ semper est ænigmatica, sub quâ semper aliquid ulterius significandum intenditur, quod proindè tanquàm mysticum et occultum latere sub parabolâ dici potest ; altera est redditio parabolæ, quæ totam explicat parabolam, et indicat quò tota parabola ab eo qui eam proposuit referatur ; quæ pars subindè reticeri possit, quod et fecit Christus aliquandò, ut Matth. cap. 13, vers. 10 et seq., et vers. 36, et Luc. cap. 8, vers. 10, quòd turba indignam se redderet ulteriori explicatione, quam tamen posteà discipulis adhibebat.

Dixi in definitione sensûs litteralis : *ex Spiritûs sancti loquentis intentione :* quam quidem particulam aliqui negant esse necessariam ; verùm non video quâ ratione ea ab illius definitione tolli potest, cùm ex intentione loquentis pendeat ut verba vel propriè vel metapho-

ricè sumantur; quod etsi ex discursu, ex antecedentibus et consequentibus, ex subjectâ materiâ, ex circumstantiis plerumque possit à posteriori colligi, tamen per se et à priori pendet ex intentione loquentis ; et subindè fit ut non facilè ex adjunctis colligi possit sitne proprius an metaphoricus sensus. Si enim ità sermonem ordiar : Cavete, leo rugiens circuit; planè ex intentione loquentis pendet an de vero leone, an de dæmone sub metaphorâ leonis intelligi id debeat : esto consequentia fortè ostensura sit ad quem id referri debeat.

Mysticus sensus est, qui non proximè per voces, sed mediatè et remotè, mediantibus scilicet rebus per voces sensu litterali significatis, à Spiritu sancto indicatur. Dico *mediatè et remotè :* in hoc enim differt hic sensus à litterali, quòd non statim per verba intelligi possit, sed supposito sensu litterali, ex eo et rebus per ipsum significatis tanquàm inclusus eruatur : hinc mysticus, seu reconditus, et spiritualis appellatur. Ob eamdem causam ab Essenis, teste Philone, lib. de Vitâ contemplativâ, et à Nazianzeno Epist. ad Nemesium, litteralis sensus corpori, mysticus spiritui et animæ latenti similis dicebatur. Juxtà S. Hieronymum ad 2, Ezech., Scriptura sacra liber est scriptus intùs et foris, idemque, ut habetur in Apocalypsi, signatus ; est autem, ut ait Gregorius, intùs scriptus per allegoriam, foris per historiam; intùs per spiritualem intellectum, foris autem per sensum litteræ simplicem. Juxtà alios nuci est Scriptura similis, cujus exterior cortex littera est, nucleus latens sensus mysticus, quem qui educere vult, nucem frangat oportet, hoc est, necesse est examinet et penetret.

Nota verò, id proprium esse Scripturæ sacræ ut sensus hos reconditos et mysticos habeat sub cortice litteræ, idque ipsum asserit D. Thom. 1 part. quæst. 1, art. 10, et ob eamdem rationem ait sanctus Gregorius, lib. 20, Moral. cap. 11, Scripturam ipso locutionis suæ more omnes scientias transcendere. Etsi enim subindè nonnulli sub obscurioribus sententiis arcana quædam sensa abdiderint, ut Platonici et Pythagorei ; alii verò sub figuris symbolisque quibusdam hieroglyphicis res arcanas, et reconditas implicuerint ; alii sub apologis et fabulis rem planè aliam ad hominum mores facientem intellexerint : ille tamen sensus abditus est primus et proximus, quem immediatè sub figurarum istarum verborumque involucris intelligi voluerunt, non aliud quippiam ; at verò Spiritus sanctus in Scripturâ quippiam primò plano sensu et aperto, quod verba primo aspectu præ se ferunt, intelligit; ac deindè remotè aliud sub figurâ rerum priùs significatarum contentum, quodque Deo proprium est, aliud diù post futurum.

SECTIO III.

Quomodò sensus litteralis, quomodò mysticus eruatur.

Ad sensum litteralem loci alicujus Scripturæ eruendum magna adjumenta habentur. Primò, ex aliâ Scripturâ : quæ enim uno in loco obscurè dicuntur, sæpenumerò alibi clarè exprimuntur ; et sicubi obscurior sententia videtur primâ fronte contrarium sonare cum eo quod alibi apertiùs dicitur, vel is verus esse sensus non potest, quem primò præ se fert, vel aliqua explicatio, limitatio, distinctio alterutri loco adhibenda. Secundò, juvat scire omnes Ecclesiæ traditiones; quod enim his contrarium sonat, non potest verus Scripturæ sensus dici. Tertiò, concilia; ex his enim habemus receptos fidei Canones, anathematizatas hæreses, ipsa etiam Scripturæ loca explicata. Quartò, juvat Patrum interpretatio, maximè si omnes vel plures in eumdem sensum consentiant ; ubi autem inter se dissentiunt, et eos sensus Ecclesia non repudiat, liberum est cuique quem velit, probabilioremque judicat, sequi. Quintò, juvat ad eam rem Theologia scholastica; hæc enim ad multa extricanda loca magna adjumenta confert, maximè verò si quid cum communi scholasticorum sensu congruat, nec verba Scripturæ sensum hunc respuant. Sextò, juvat linguarum Hebraicæ et Græcæ cognitio : quod enim subindè in rivulis obscurum est, in fontibus ipsis liquidum et perspicuum reperitur. Septimò, juvat cæterarum scientiarum et artium, præsertim philosophiæ, astrologiæ, et cæterarum mathematicarum disciplinarum notitia. Octavò, denique et ultimò suprà modum juvat, præsertim ubi adjumenta desunt cætera, sententiam, cujus sensus quæritur, attentè cum antecedentibus et consequentibus conferre : hic enim verus et genuinus sensus litteralis esse debet, cum quo rectè antecedentia et consequentia conveniunt, ut ferè nulla alia certior regula post fidei regulas dari possit; quòque hæc antecedentia et consequentia meliùs sensui alicui adaptabuntur, hoc certius erit eum sensum esse verè litteralem et maximè proprium.

Nota tamen, hanc regulam in Psalmis et Prophetis subindè, itemque sententiis quæ ità per se stant, ut cum antecedentibus et consequentibus connexionem non habeant, cujusmodi

sunt multæ in Proverbiis et Ecclesiastico, locum non habere. In Psalmis verò et Prophetis aliquandò huic regulæ locum non esse, quia subindè more prophetico ab unâ re ad rem aliam subitò avolant, aliâ à figurâ ad rem figuratam ità obscurè et furtivè, ut cum de diversis rebus antè et post sit sermo, videatur tamen totus contextus de eâdem re esse, maximè ubi eodem nomine figura et res figurata afficitur; ut cùm ab Israele carnali et populo judaico tacitè ad Israel spiritualem et populum Christianum salitur, idque sub eodem Israelis nomine.

Illud tamen universè constituendum est, hanc antecedentium et consequentium collationem passim et ut plurimùm esse maximi momenti ad verum et genuinum litteræ sensum exprimendum, fietque ex hâc observatione, ut quarumdam sententiarum sensus, qui, dùm hæ sententiæ solitariæ sumuntur, primâ fronte videntur litterales, et tanquàm litterales passim ab omnibus usurpantur, collatis antecedentibus et consequentibus deprehendantur non esse litterales, imò planè alieni à Scripturæ scopo et mente. Tale est illud Psalm. 17, vers. 26: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris;* quod passim usurpatur, quasi bonorum familiaritas commendetur, dissuadeatur improborum; cùm tamen Scriptura hæc de Deo pronuntiet sensusque sit, Deum cum sancto sanctè et liberaliter agere, benignè promissam mercedem rependendo, cum perversis verò perversè et severè se habere puniendo. Item illud Psalmi 38, vers. 4 : *In meditatione meâ exardescet ignis;* quod non de fervore devotionis aut igne charitatis intelligendum est, quemadmodùm multi intelligunt, sed de irâ et indignatione contrà peccatores. Sic Job 21, vers 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernos descendunt;* quod plerique in sinistram partem trahunt, intelligentes hâc sententiâ significari infelicitatem et repentinam punitionem peccatorum, cùm potiùs contrarium velit Scriptura, et ad impiorum felicitatem id referri debeat; eos nempè ita felices esse, ut postquàm in hâc vitâ deliciati sunt, tandem momento morte placidissimâ moriantur absque gravi aliquo dolore aut vexatione. Simile illud Sap. 8, vers. 21 : *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, etc.*, quod non de castitate, ut communiter solet, intelligi debet; sed sensus est : Scivi quoniam aliter non potui fieri compos, istius scilicet sapientiæ, de quâ præcesserat et sequitur; itaque esse continens ibi idem significat quod obtinere et potiri. Plura istiusmodi alia loca deprehendet, qui in Scripturis ità versatus fuerit, ut non cursìm, sed attentè antecedentia et consequentia expendat.

Mystico sensui non parùm etiam conducit Scriptura, Concilia, Patrum consensus : ubi enim in his sensus Scripturæ indicatur, qui tamen litteralis esse non potest, necessariò mysticus esse dici debet. Rursùm nihil est necesse in hoc sensu, quod in litterali necessarium esse diximus, ut antecedentia et consequentia cum sensu alicujus sententiæ cohæreant, hoc enim litterali sensui est proprium; sed satis est, si supposito vero et litterali sensu, ex ipsâmet sententiâ hoc modo juxtà litteram explicatâ facilè et quasi suâ sponte, non violentè, non contortè is sensus mysticus nascatur.

Hinc colligas primò, longè difficilius esse scopum tangere in assignando sensu mystico, quàm litterali : ad sensum enim litteralem ipsa verborum significatio et totus contextus ducit; ad mysticum verò non item, præterquàm quòd is totus abstrusus sit, et ex Spiritûs sancti intentione pendeat; quæ intentio cùm ex verborum significatione et contextu in litterali colligatur, in mystico non habetur undè paretur.

Hinc secundò colligas, eos qui à multis adferuntur sensus mystici ferè solâ conjecturâ niti, cùm aliundè non constat eos Spiritum sanctum intendisse; atque adeò ut plurimùm minùs utiliter in his operam poni, quam in sensu litterali : propterea quòd plerumque in his multa humani ingenii figmenta venditentur pro mysticis sensibus, qui veri sensus non sunt, nec à Spiritu sancto intenti.

Tertiò, hinc fieri ut à mysticis sensibus passim longè debiliora et minùs firma argumenta ducantur, quàm ex sensu litterali : si enim quis neget eum esse sensum mysticum quem ego adinvenero, quânam ratione id probavero, cùm nemo scire possit quid Spiritus sanctus intenderit, nisi revelatione id acceperit? Sed de hâc re Sect. seq.

Quartò, hinc colligi, non rectè facere eos, qui neglecto sensu litterali toti sunt in sensibus mysticis indagandis, nisi priùs sensum litteralem verum et genuinum præmiserint; id enim facere, est sine fundamento ædificium construere : cùm enim mysticus sensus tanquàm fundamento litterali innitatur, eumque præsupponat, quid de reliquo ædificio sperandum sit, ubi fundamentum defuerit, nemo non videt.

Quintò, ex dictis facilè colligas præcipuum quoddam discrimen inter sensum litteralem et

mysticum : videlicet quòd nulla Scripturæ sententia litterali sensu careat; at verò non omnis sententia Scripturæ sensus habet mysticos, sed quædam omnes sensus mysticos admittit, ut Sabbati in antiquâ Lege institutio allegoricè requiem Christi in sepulcro, tropologicè quietem et cessationem à peccatis, anagogicè sabbatismum et quietem Sanctorum in cœlo significat. Alia sententia unum vel duos sensus mysticos non plures admittit, ut multa quæ de Sion et Jerusalem terrenâ in Scripturâ dicuntur, possunt ad Ecclesiam militantem et triumphantem sensu allegorico et anagogico trahi; quod etiam facit Apostolus ad Galat. 4. At eadem Jerusalem non facilè ad sensum moralem tranferri potest : contrà quæ de immunditiis et purificationibus legalibus in veteri Lege habentur, non facilè ad alium sensum quàm moralem trahi possunt. Denique sunt sententiæ non paucæ, quæ nullum sensum mysticum admittunt, cujusmodi est illa : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ, et ex totâ virtute tuâ : et diliges proximum tuum sicut teipsum.* Multæ item aliæ quæ de Deo, de Christo sunt sensu litterali. Hoc ipsum docent S. Augustinus, lib. 17 de civit. Dei, cap. 3, Petrus Damianus, Serm. 3 de Dedicatione, Epiphanius, Hæres. 61, Gregorius lib. 12, Moral.

Sextò, hinc etiam liquet, non rectè facere eos qui in sensibus mysticis sunt nimii, ut qui in omnibus allegorias vel morales sensus extundere student, idque plerumque violentè, et nullâ habitudine vel proportione ad sensum litteralem : multòque magis eos qui ità insistunt allegoriis sensibusque mysticis, ut sensum litteralem destruant, quod etiam in Philone, Origene, aliisque nonnullis antiquis meritò reprehenditur : reprehenditque in Origene Epiphanius Epistolâ ad Joannem Jerosolymitanum, Hier. Prologo libri 5 Commentarii in Isaiam, item ad 27 et 29 Jeremiæ, ubi allegoricum interpretem, delirum vocat, allegoriis suis veritatem fugere, delirare asserit. Et verò, esto Origenes, Hom. 2 in Levit., dicat historiam non negandam, et Homil. 11, asserat non ubique in Scripturis allegorias esse, et Homil 13 in Exodum dicat allegoriam sine auctoritate Scripturæ esse improbandam; reipsà tamen multis locis, quæ ipse asseruit et probavit, ipse non præstat, sed passim nimis liberè ingenio suo indulgens in allegorias excurrit, quarum ne vestigium quidem exstat in Scripturâ. Tenendam igitur in his mediam viam docet Nazianzenus Oratione 2 in Pascha : *Nos*, inquit, *mediâ quâdam via inter eos, qui crassiore omninò ingenio sunt, et eos qui nimio contemplationis et anagogiæ studio ducuntur, incedentes, ut nec prorsùs inertes ac torpidi maneamus, nec rursùs curiosiores simus quàm par sit, atque à proposito argumento excidamus et evagemur (alterum enim Judaicum quodammodo et abjectum, alterum ineptum ac somniorum conjectore dignum est, paremque utrumque reprehensionem meretur); ad hunc modum de his rebus non nimis absurdè, nec ridiculè disserimus.* Ità ille.

Septimò, ex dictis etiam colligas, sensum mysticum ferè proprium esse veteris Testamenti; illud enim figuris, allegoriis, symbolis res novi Testamenti repræsentantibus plenum erat : nihilominùs etiam subindè in novo Testamento is reperitur, siquidem lotio pedum, quam adhibuit Christus antè confectionem sui Corporis et Sanguinis, ad moralem sensum trahi potest de expurgandis animæ inordinatis affectionibus, et labeculis per eas contractis, maximè ubi ad hoc Sacramentum accedendum est. Navicula Petri fluctibus jactata concitatas in Ecclesiam persecutiones allegoricè juxtà Patres et Ecclesiæ sensum indicavit. Christus ex Petri naviculâ docens significavit in solâ Petri naviculâ seu Ecclesiâ veram Christi doctrinam contineri. August., Tract. 122 in Joannem allegoricè exponit illam capturam piscium, quæ habetur Luc. 5, in quâ rete rumpebatur; alteram verò quæ habetur Joannis 21, factam post resurrectionem, in quâ rete non rumpebatur, anagogicè.

Octavò, ex dictis licet colligere uter sensus sit præcipuus; est enim sensus mysticus absolutè dignior et præstantior, si cum sensu litterali ejusdem loci conferatur, cùm de rebus præstantioribus sit, utpotè de Christo, Ecclesiâ, Christianis virtutibus, bonis cœlestibus; litteralis autem sit de rebus terrenis, ob idque aptis ut habeant rationem figuræ et umbræ comparatione rerum præstantiorum : ex quo fit ut et mysticus præcipuè à Spiritu sancto sit intentus per modum quasi finis, cùm litteralis non tàm ratione suî, quàm ad mysticum indicandum sit intentus. Est tamen secundùm quid litteralis præcipuus, tùm quia ordine primus est, et primò per verba significatus; imò propriè loquendo solus litteralis per verba significatur, mysticus autem per res verbis significatas; tùm quia litteralis fundamentum est cæterorum. At si sensus mysticus cum litterali comparetur absolutè, non respectu alicujus loci particularis, sic poterit etiam litteralis vel dignitate æquare sensum mysti-

cum, vel etiam simpliciter loquendo et omnibus consideratis illi anteponi, de quâ re dicam paulò post.

Quam in rem nota, non repugnare ut sensus litteralis sit de rebus præstantissimis, ut de Christo, de beatitudine cœlesti; quem ferè sensum habet totum novum Testamentum, imò frequenter Prophetæ, Psalmi, Proverbia, Ecclesiasticus; nam de Christo, Ecclesiâ, bonis et gratiis novi Testamenti, cœlesti gloriâ, moribus aptè componendis litterali sensu loquuntur: sed tunc is sensus caret ulteriore sensu mystico quò referatur. Quofit, quod item ex dictis satis liquet, non omnem sensum qui ad mores pertinet, dici moralem et tropologicum, cùm litteralis etiam mores instruere possit, cujus modi est istud: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coràm hominibus,* neque omnem qui ad Christum et Ecclesiam pertinet posse dici allegoricum, cùm et litteralis de Christo vel Ecclesiâ esse possit uti est illud Isaiæ: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* etc. Totum Isaiæ cap. 53, de Christi passione ad litteram est. Idem dici potest de anagogico; nam illius sententiæ, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei,* sensus, qui est de cœlesti beatitudine, non est anagogicus, cùm ipsâ litterâ et vocibus immediatè significetur.

Hinc colliges, non posse sensum mysticum litterali, non factâ comparatione ad eumdem locum, anteponi, cùm sensus litteralis res æquè præstantes et divinas complectatur, quàm sensus mysticus; imò verò posse sensum litteralem absolutè omnibus consideratis anteponi, tùm quia is ubique in omni Scripturæ sententiâ est, non item mysticus; tùm quia litteralis ut plurimùm est certior, et ad probandum res fidei confirmandas, revincendosque errores, ut Sect. seq. dicam, vim majorem habet, tùm quia potior pars et præstantior Scripturæ, cujusmodi est novum Testamentum, sensu litterali circà res præstantissimas, sublimissimas et divinissimas versatur. Quarè si quis mystico sensui indulgere volet, id in veteri Testamento faciat per me licet; ibi enim illius locus est proprius, in Novo perquàm rarò id locum habet. Neque verò cùm locus aliquis sensu litterali ad mores pertinet, et ad eum illustrandum aliqua adferuntur, id est, sensum tractare mysticum vel moralem; multò minùs, in quo multi falluntur, si farrago sententiarum, apophthegmatum, exemplorum proferatur; id enim etsi suam habeat utilitatem, subsidiaque concionatoribus paulò occupatioribus præbeat, meâ tamen sententiâ ab interpretis Scripturæ officio, qui id facit, nonnihil videtur recedere.

Ex dictis alterius etiam quæstionis solutio haberi potest, in utro meliùs et utiliùs opera ponatur, in mystico sensu an litterali. Sunt qui malint in mystico laborare, quod res eis videatur facilior et jucundior hoc modo cum Scripturâ ludere, et sua sensa illi affingere. Sunt contrà, qui litteralem expositionem tanquàm rem levioris momenti, et Theologo minùs dignam rejiciant. Sunt denique qui, rejectis omnibus sensibus mysticis tanquàm ingenii figmentis, et inventis fortuitis, dormitanti, ut ait Sixtus Senensis, litteræ perpetuò assident, et solis mortuis syllabis et dictionibus incumbunt, frigidi, sine spiritu exsangues et exanimes, nihilque abest quin cum Judæis sentiant, et cum Luthero de Dionysio Areopagitâ pronuntient: *Ludit in allegoriis, quod est otiosorum hominum studium.* Verùm, ut suprà monui ex Nazianzeno, via media tenenda est: neque enim mystici sensus rejiciendi sunt, ubi præstans aliquis et eximius se offert; neque priores audiendi, qui in singulis Scripturæ locis coactas quasdam et insulsas allegorias proferunt, et ingenii sui figmenta pro arcanis et reconditis Ecclesiæ sacramentis venditant, quod in Origene reprehendit Hieronymus Prologo lib. 5 Commentarii in Isaiam. Et verò qui his nimiùm addicti sunt, audire possunt quid de ipsis olim Hieronymus senserit; ità enim ille in Jeremiæ cap. 29, postquam allegorica Origenis somnia retulisset: *Quæ,* inquit, *cùm audiunt discipuli ejus, et Grunnianæ familiæ stercora, putant se divina audire mysteria. Nosque qui ista contemnimus, quasi pro brutis habent animantibus, et vocant* πηλουσιώτας, *eò quòd in luto istius corporis constituti non possumus sentire cœlestia.* E quibus omnibus colligere licet, utiliùs ut plurimùm operam poni in sensu litterali, quàm mystico; et verò non præmisso sensu litterali, ferè operam perdi in mystico, imò etiam errorum periculo hominem exponi. Ridet August. Epist. 48. ad Vincentium, et meritò ridet Donatistas, qui ex illis verbis mysticè explicatis: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie,* colligebant Christi Ecclesiam in sola Africâ remansisse. Quis non rideat Manichæos, qui cùm litteralem sensum illius loci: *In sole posuit tabernaculum suum,* non caperent, ad ineptam et impiam allegoriam se converterunt, asserentes Christum post resurrectionem absque carne ad Patrem ascendisse, corpore suo intrà ambitum globi solaris relicto, ut à nobis caro ejus in sole tanquàm in suo tabernaculo existens adoraretur? Luserat ali-

quandò Hieronymus cùm esset junior mysticis sensibus in Abdiam prophetam (et verò facile est quidquid in buccam venerit effutire juveni minimè sollicito an quod dicit sensui litterali congruat), sed eumdem senem ità puduit eorum quæ juvenis scripserit, ut hæc de seipso in Procemio Commentariorum in Abdiam pronuntiârit : *Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, cogitabam ut parvulus ; postquàm factus sum vir, quæ parvuli erant deposui. Si Apostolus proficii, et quotidiè præteritorum obliviscens, in priora se extendit, secundùm præceptum Domini Salvatoris stivam tenens post tergum non respicit; quantò magis ego, qui necdùm ad ætatem perfecti viri, et in mensuram Christi veni, mereri debeo veniam, quòd in adolescentiâ meâ provocatus ardore et studio Scripturarum, allegoricè interpretatus sum Abdiam prophetam, cujus historiam nesciebam? Ardebat animus cognitione mysticâ, et quia legeram omnia possibilia credentibus, ignorabam diversa esse charismata. Litteras sæculi noveram, et ob id putabam me librum legere posse signatum. Sperabam in scriniolis latere quod scripseram, et ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram; cùm subitò de Italiâ affertur exemplar à quodam juvene tot annis quot ego quondam scripseram, laudante opusculum meum. Fateor, miratus sum quòd quantùmvis aliquis malè scripserit, invenit similem lectorem sui; ille prædicabat, ego erubescebam; ille quasi mysticos intellectus ferebat ad cœlum, ego demisso capite confiteri meum pudorem prohibebar. Quid igitur, condemnamus in quo pueri lusimus? minimè, sed liberè profiteor illud fuisse puerilis ingenii, et hoc quod nunc scribo maturæ senectutis.* Hæc ille et plura alia; et nos de hâc re plus satis.

Pergo ad alia, si modò illud antè notavero, non mihi probari eos, qui volunt figuram et litteralem sensum esse subindè de rebus præstantioribus, quàm sit res figurata et mystico sensu contenta; id enim meo judicio universìm falsum est ; neque exempla quæ adferunt rectè id probant. Nam humilitas Christi lavantis pedes discipulorum suorum, quam deindè dicunt Christum per tropologiam retulisse ad lotionem pedum mutuam ab Apostolis faciendam ; et Christus extrà portam passus, quod dicunt Apostolum ad Heb. 13, vers. 13, ad tropologiam retulisse istis verbis : *Exeamus igitur ad eum extrà castra, improperium ejus portantes*, meo judicio nihil ad rem faciunt, et ipsi *tropologiæ* vocabulo mihi abuti videntur. In his enim quæ ad me res pertinent hæc duo benè distinguenda sunt, figura et exemplum ad imitationem propositum. Figura est, quam Spiritus sanctus constituit et intendit ad aliud quod certò futurum est significandum ; quam figuram rei futuræ rudem quamdam imaginem dicere possumus, ob idque re quam repræsentat inferiorem ; at exemplum non est ad rei cujuspiam futuræ repræsentationem, sed ut splendor virtutis qui in facto aliquo emicat, nos rapiat et provocet ad imitationem. Undè, esto nullus imitaretur, haberet tamen rationem exempli ad imitandum propositi, at non rationem figuræ. Et quanquàm non desint qui exemplum propositum imitentur, quis tamen dicat omnia Christi illustria facta, quæ Sancti imitati sunt, fuisse illorum figuras? Si quis Abrahæ obedientiam imitetur, quis dicat Abrahamum alterius, qui obedientiam imitatus est, figuram gessisse? Maneat ergò, hæc et similia loca, quæ ipsi adferunt, ad exemplum et imitationem, non ad figuram et tropologiam pertinere. Potest quidem in eamdem rem ratio figuræ et exempli incidere : sic Apostolus 1 ad Cor. 10, proponit exempla antiquorum Judæorum, qui in deserto murmuratione, idololatriâ, fornicatione deliquerant, propter quæ à Deo puniti fuerant; post quæ hæc subdit : *Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis ; scripta sunt autem ad correptionem nostram.* Quibus verbis utrumque indicat, et figuram fuisse, et ad exemplum proponi : figuram quidem, quatenùs suis peccatis et punitione repræsentârunt Christianos, qui peccaturi erant, et ob peccata in alterâ vitâ puniendi ; ad exemplum verò, vel, ut ait Apostolus, ad correptionem nostram, quatenùs facti ipsorum turpitudo et punitio nos incitat vel incitare debet ne eorum exempla imitemur. Itaque in locis antè allatis non figura, sed exemplum ad mores continetur, licèt in citato ad Hebræos loco ultimo tropologia non in facto Christi, sed in eo quod antecessit, nempè in victimarum, quarum sanguis inferebatur in Sancta, crematione contineri possit, quemadmodùm ad illum locum Epistolæ ad Hebræos ostendimus.

SECTIO IV.

An mysticus sensus etiam ad probandum vim habeat.

Ea, ut suprà dixi, videtur esse Abulensis sententia, mysticum sensum nullo modo servire probationi, sed concionatorum duntaxat discursibus ac intentioni ; quocircà omnem sensum qui probationi deservit in Scripturâ, litteralem esse vult. Hieronymus, lib. 2 in Matth. videri non nemini posset esse in eâdem

sententiâ : ibi enim cùm illam è Matth. 13 parabolam, in quâ regnum cœlorum comparatur fermento quod mulier abscondit in farinæ satis tribus applicuisset Trinitati, subdit: *Pius quidem sensus, sed nunquàm parabola, et dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* Dionysius etiam in Epistolâ ad Polycarpum (ut quidam eum citant, eo tamen loco id non reperitur) ait : *Mystica Theologia non arguit.* Et S. August., lib. 1 contrà adversarium Legis, cap. 13: *Illud,* inquit, *quod magis Propheta hujus libri* (Genesis scilicet) *auctor intendit, ut ejus narratio rerum factarum esset etiam præfiguratio futurarum, non est contentiosis et infidelibus sensibus ingerendum.*

Verùm certò tenendum est, et asserendum, mysticum sensum perindè ad probationem valere, et ex eo æquè firmum argumentum duci atque ex sensu litterali, dummodò constet hunc esse verè sensum mysticum. Patet hoc, cùm hic sensus non minùs à Spiritu sancto intentus sit, quàm litteralis. Verùm hæc est inter litteralem et mysticum sensum differentia, ut suprà monui, quòd ut sensus litteralis magis est apertus et obvius, de quo proindè faciliùs et certiùs definiri potest quòd sit à Spiritu sancto intentus, ità communiter ab hoc sensu firmiora ducuntur argumenta quàm à sensu mystico, de quo non ità facilè constat an is verus sit sensus mysticus, qui adfertur, et à Spiritu sancto intentus; quilibet tamen sensus qui verè est mysticus et à Spiritu sancto intentus, æquè certus est et firmus in se ac sensus litteralis, licet quoad nos, seu comparatione nostrî, qui ignoramus an ille sit verè sensus mysticus, non sit æquè certus ac firmus. Et hoc est quod suprà vult Hieronymus, non autem nunquàm à sensu mystico firmum duci posse argumentum. Atque ob hanc causam ego paulò antè adjeci: *dummodò constet hunc esse sensum mysticum.* Constat autem vel ex Scripturâ, vel ex Conciliis, vel ex Patrum Doctorumque Ecclesiæ consensu. Adde verò subindè eam esse analogiam, proportionem, et congruentiam inter figuram aliquam veteris Testamenti, et rem in novo Testamento exhibitam, ut difficile sit, modò absit pertinacia, hujusmodi sensum mysticum negare, maximè ubi ad hujusmodi sensum aditum quemdam et fundamentum nobis Scriptura præbet. Exempli causâ, quia ex Scripturâ et Ecclesiæ sensu Salomon fuit expressa figura Christi Domini, ejusque regnum regni Christi, hinc aditus nobis præbetur, ut mystico sensu multa quæ in Salomone fuerunt, nec in Scripturâ Christo applicantur, nos ipsi Christo applicemus, puta opes et magnificentiam regni Salomonis, opibus et magnificentiæ regni Christi; sapientiam illius, hujus sapientiæ seu infusæ, seu increatæ; templum ab illo sumptibus suis ædificatum, Ecclesiæ seu militantis seu triumphantis, sumptibus Christi seu ipsius meritis et sanguine constructioni; quòd omnes desiderarent videre vultum Salomonis, desiderio quod omnes boni fideles habent videndi vultum Christi in cœlo, etc. Pari modo, cùm Apostolus, 4 Cor. 10, satis insinuet nobis, transitum Israelitarum per mare rubrum figuram exstitisse Baptismi, aditus nobis præbetur ut plurima quæ in eo transitu fuerunt Baptismo adaptemus, maris aquas Baptismi aquis, Israelitas baptizandis, Moysem Christo, Pharaonem et Ægyptios in mari demersos vel Lucifero et dæmonibus, vel peccato originali et actualibus mysticè et figuratè comparemus. Sic cùm è Scripturâ manifestum sit, Agnum Paschalem et manna Christi Domini in Eucharistiâ vel sacrificio cruento aut incruento figuram gessisse, aditus præbetur nobis, ut multa quæ in Agni Paschalis et mannæ historiâ mysticè in Scripturâ non explicantur, eidem Christo Domino et sacrificio incruento applicemus. Et hæc est ratio cur nos in Commentariis sensum litteralem duntaxat ut plurimùm persequamur: subindè tamen ubi hujusmodi aditus et fundamentum à Scripturâ præbetur, et figuræ illustriores sunt (quandoquidem vetus Testamentum novo subservire debeat), istiusmodi allegorias et figuras, quantùm satis est, novi Testamenti rebus adaptemus.

Porrò omnis generis sensus mysticos in Scripturâ ad probationem adhiberi, probari potest variis exemplis. Primò enim moralis sensus est in illo loco quod ex Deut. cap. 25 citat Apostolus, 1 ad Cor., cap. 9, vers. 9, et 1 ad. Timoth., cap. 5, vers. 18 : *Non alligabis os bovi trituranti,* quod Paulus applicat tropologico sensu concionatoribus et divini verbi satoribus; et priore quidem loco ità ipse: *Numquid,* inquit, *de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat arare, et qui triturat, in spe fructûs percipiendi.* Ubi verbis illis: *Numquid de bobus cura est Deo?* non vult negare Deum litterali sensu intendisse de bobus loqui, Judæisque id præceptum quoad boves datum, sed Deum aliud longè præstantius, quod per boves symbolicè et mysticè significabatur, illis verbis intendisse, videlicet doctorum et

concionatorum necessariam et honestam victûs suppeditationem.

Alius locus tropologico sensu explicatus apud Apostolum habetur 2 Cor., cap. 8, vers. 15, sumptus è cap. 16 Exodi, vers. 18, ubi quod dictum est ad litteram de iis qui colligebant manna, seu plus seu minùs colligerent, æqualem tamen mensuram posteà in admetiendo reperîsse, accommodat Apostolus moraliter ad fideles, quos ad quamdam æqualitatem vult reducere, in bonis temporalibus quidem divites per eleemosynam factam indigentibus, et vicissìm pauperes ditiores in bonis spiritualibus orationum et bonorum operum suorum communicatione factâ divitibus.

Allegoricus sensus adhibetur ab Apostolo ad Rom. cap. 10, vers. 18, in illis Psalmi verbis : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*, ad probandum, Evangelium toti mundo ab Apostolis prædicatum esse; cùm sensus litteralis sit de cœlis et astris. Item ad Hebr. cap. 1, vers. 5, ubi quod de Salomone ad litteram dictum est: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium*, Christo mysticè applicat, indèque probat Christum esse Dei filium majoremque Angelis.

Anagogicus sensus à Paulo adhibetur eâdem ad Hebr. Epistolâ cap. 4, ubi quod dictum erat Psalm. 94 : *Si introibunt in requiem meam*, et quod de sabbato dictum est Genes. cap. 2 : *Et requievit die septimâ ab omnibus operibus suis*, anagogicè applicat requiei et sabbatismo populi Dei in cœlo : *Itaque*, inquit, *relinquetur sabbatismus populo Dei*. Porrò hæc omnia mystico sensu usurpari, non accommodatitio neque litterali, satis perspicuum est. Non accommodatitio; accommodatitius enim sensus tantummodò æquivocè sensus est, et ad probandum vim nullam habet : undè asserere, Apostolum uti ad probandum sensu accommodatitio, idem est atque asserere Apostolum uti Scripturæ locis ad probandum, reipsà tamen nihil probare; ipsum adscribere Scripturæ locis sensum quem reverà non habent; dicereque sensum à Spiritu sancto esse intentum, quem ipse reverà non intendit. Non etiam litterali, quod visus est sensisse Abulensis, quæst. 57. in Matth., cap. 2; id enim falsum esse ostendit, quòd antecedentia et consequentia sensui isti ab Apostolo assignato non conveniant.

Itaque illud universè statuendum est, quotiescumque ab aliquo scriptore Hagiographo locus quispiam Scripturæ ad probandum adducitur, necessariò eum sensum, quem illi dat scriptor Hagiographus esse à Spiritu sancto; ergò esse vel litteralem vel mysticum : si litteralis esse non potest, necessariò esse mysticum. Pari modo dicendum quotiescumque in Evangeliis dicitur aliquid jam diù antè fuisse prophetatum, vel in aliquâ re Prophetiam impletam, necessariò est asserendum, locum Prophetiæ qui adfertur vel litterali vel mystico sensu eò referri debere; quòd si litterali nequeat, planè mysticum esse adstruendum. Hujusmodi est ille locus Matth. cap. 2, vers. 15, ex Osee cap. 11, Prophetiam citantis : *Ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum;* quod quidem ad litteram est de populo Israelitico ex Ægypto educto, secundùm mysticum verò sensum de Christo. Item illud quod eodem cap. ex Jeremiâ adducitur : *Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Vox in Ramâ audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt;* quod ad litteram de cæde puerorum factâ, expugnatâ urbe à Babyloniis, intelligi debet; at secundùm allegoriam, de infantium cæde ab Herode factâ. Alius est locus Matth. cap. 13, vers. 35 : *Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* Is Propheta, qui ibi citatur, est Asaph, cujus est Psalmus ille 77, uti nos diximus suprà horum præloquiorum cap. 7. Sect. 4. Propheta autem sensu litterali de seipso hoc dicit; at sensu allegorico Christo, cujus ille figuram gessit, hîc adaptatur. Illud item Joannis, cap. 19, huc pertinet : *Facta sunt hæc ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo:* quod manifestè allegoricum est, cùm sensus litteralis de Agno Paschali sit. Porrò dicere hæc omnia loca tantùm per accommodationem Christo applicari, quod Jansenius asserit, est perspicuè dicere non esse prophetatum quod Scriptura prophetatum fuisse dicit; non esse impletam prophetiam, quam Scriptura fuisse impletam dicit : quomodò enim prophetatum dici potest, vel prophetia impleta, si hoc nunquàm voluit prædicere Spiritus sanctus per os Prophetæ? hoc autem reipsà dicit qui ea tantummodò vult per accommodationem de Christo dici.

SECTIO V.

Utrùm ejusdem loci sint aliquandò plures sensus litterales.

Fatentur omnes, et fateri debent, id passìm in Scripturâ locum non habere. Rursùm

dico non temerè asseri debere sententiam aliquam plures habere sensus litterales, nisi qua justa ratio ad id asserendum impellat. Denique esto diversi Patres ejusdem loci diversos sensus adferant, vel unus idemque plures, non illicò asserendum eam Scripturam diversos habere sensus litterales; non enim omnes illi sensus certi sunt, sed probabiles tantùm, et Patres in multis veritatem venantur, non semper eam assequuntur. Quæstio autem est in genere, an aliquando plures istiusmodi sensus admittendi sint. Ad quam respondeo esse admittendos.

§ Probatur id primò ex sanctis Patribus. Hieronymus, Epistolâ 103 ad Paulinum, loquens de Apocalypsi : *In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Quod etsi quidam ad mysticos intellectus trahere velint, malim tamen ad litterales. Chrysostomus, Homil. 7 in 1 ad Cor.: *Prætereà*, inquit, *multis in locis duplices sunt prophetiæ, quæ facilè ab assuetioribus comprehendi possunt, ex quibus multa incerta invenire possumus.* Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ Christianâ cap. 27, et lib. 12 Confess., primùm id insinuat cap. 26, et posteà apertiùs cap. 31 : *Ità*, inquit, *cùm alius dixerit: Hoc sensit* (scriptor scilicet Hagiographus) *quod ego; et alius: Imò illud quod ego; religiosiùs me arbitror dicere: Cur non utrumque potiùs, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omninò aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit?*

Secundò probatur ex Theologis, qui idem passim tenent. D. Thomas, 1 part. quæst. 1, art. 10, et quest. 4, de potentiâ, art. 1, et in 2, Sententiarum dub. 12, art. 2 ad 7, Driedo de Ecclesiæ dogmatibus cap. 2, Melchior Canus lib. 2 de Locis, cap. 11 in 7, argumento principali ad 3, rationem, Alphonsus à Castro lib. 1 contrà Hæreses, cap. 3, Catharinus, lib. de Clavibus Scripturæ sacræ, Bellarminus tom. 1 Controv. 1, lib. 3, cap. 3, Serarius in Prolegomenis, Salmeron Proleg. 8, Molina, Valentia, Vasquez in 1 part., quanquàm hic moderationem quamdam adhibere videatur, nimirùm si ea sit rerum convenientia inter se et cum ipsis vocibus, ut unam et aliam significare, eidem litteræ et contextui dissonum non sit; sive ut paulò post explicat, si uterque sensus contextui aptè conveniat. Quam moderationem, si aliud nihil intelligat quàm ut totus contextus, hoc est antecedentia et consequentia utrique sensui aptè congruant, nec ego rejecero, nec alii Theologi, ut existimo, difficulter admiserint : debet enim omnis sensus litteralis contextui, antecedentibus et consequentibus aptè congruere, sicubi minimè congruere conspicitur, vel Scripturæ sensus non est, vel certè non est litteralis. Sin autem aliud quippiam velit Vasquez, ut videtur indicare ultimo illius disputationis capite, ut nimirùm inter se sensus ità conveniant, ut quasi unam videantur subire rationem, seu ut sint de rebus planè similibus, non possum ei assentiri. Illud enim refutari potest ex iis quæ suprà dixi, cap. 16, Sect. 6, ubi et illud ex eâdem Sectione notandum, nonnullos sensus litterales ex Hebræo textu erui posse, sive ob voces æquivocas et diversa significantes, quæ in eâ linguâ sunt, non in aliâ, sive ob varietatem punctorum vocalium, sive ob varietatem interpunctionum, sive ob diversam in Hebræo lectionem, qui è nostro textu erui non possint, cùm non potuerit interpres diversa simul iisdem vocibus Latinis explicare.

Tertiò probatur ratione : quid enim vetat? nam Deo, utpotè qui est sapientiæ infinitæ, estque in intelligendo fœcundissimus, non possunt deesse vel res vel modi diversa simul eâdem sententiâ significandi. Neque verò desunt voces et sententiæ diversa significantes : nam et subindè etiam homines iisdem signis possunt diversa significare, ut si idem tubæ campanæve signum dari soleat in incendio et adventu hostium, et utrumque simul eodem tempore concurrat ; poterit igitur et in vocibus, quæ signa sunt conceptuum etiam subindè diversorum, id locum habere. Deindè pertinet hoc ad profunditatem, obscuritatem, fœcunditatem commendationemque Scripturæ, et ad Dei sapientiam declarandam : quam ad rem suprà cap., 16, ostendi maximè idoneam fuisse linguam Hebraicam. Et ne cui ea res tàm absona videatur, illustremus id exemplo è Latinâ linguâ accepto : sumamus vocem unam, quæ ambiguæ significationis sit, cujusmodi est vox *lege*, quæ potest esse imperativus à verbo *lego*, et potest esse ablativus à nominativo *lex*. Nunc si dicam: *Lege facienda disces*, non habitâ ratione interpunctionis, quæ itidem nulla olim erat apud Judæos, cur non liceat mihi iisdem vocibus utrumque intelligere, videlicet eum è lege divinâ hausturum et intellecturum quæ ipsi agenda sint; et alterum, ut sumpto Scripturæ libro legat, forque ut ex eo discat quæ ipsi facienda sint, quod utrumque antecedentium et consequen-

tium contextui eodem modo cohærere potest.

Denique probari id potest tùm locis à nobis ex Hebræo textu suprà, cap. 16, Sect. 6, adductis, tùm verò id non obscurè probat locus ille Isaiæ, cap. 53: *Generationem ejus quis enarrabit?* quod Patres plurimi de æternâ Christi generatione, multi alii de temporali in utero Virginis intelligunt; utrique aptè, nam toti contextui utrumque quàm aptissimè quadrat; et est reverà utraque generatio incomprehensibilis et ineffabilis. In cæteris locis, qui pro duplici sensu litterali adferri solent, non facilè admisero duplicem sensum litteralem. Unus tamen est locus qui multis facessit difficultatem, Matth. cap. 8, vers. 17, ubi ejectis dæmoniis, et redditâ à Christo multis sanitate, subdit Evangelista : *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.* Hæc enim prophetia ex Isaiæ cap. 53, vers. 4, sumpta est, ubi ea sic ab Hieronymo in textu nostro effertur : *Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Porrò manifestum est, litteralem sensum apud Isaiam esse de languoribus spiritualibus, seu peccatis, ut totus contextus exigit; non erit ergo sensus ille litteralis apud Matthæum de morbis et infirmitatibus corporis, maximè cùm verba illa, *tulit, portavit*, significent non nudam ablationem, sed quòd ea ipse susceperit in se luenda, et sanguinis sui effusione expianda, quod etiam disertè exprimit editio Septuaginta : *Iste peccata nostra portat, et pro nobis dolet.* Deindè rursùm et illud videtur manifestum, non posse apud Matthæum esse sensum mysticum : non enim apta sunt peccata et morbi animi ut sint figuræ morborum corporis, sed contrà potiùs : et tamen suprà, Sect. 4, à nobis dictum est, cùm scriptor Hagiographus eâ utitur loquendi formulâ : *Ut adimpleretur*, etc., non sufficere sensum accommodatitium, sed necessarium esse vel sensum litteralem, vel mysticum. Verùm dico nihilominùs prophetiam illam à Matthæo proferri in sensu litterali. Quam in rem notandum, Christum non tantùm peccatorum culpas suscepisse morte et sanguine suo diluendas, sed etiam supplicia peccatis nostris debita, quæ supplicia naturali quodammodo et necessariâ sequelâ tanquàm effectus necessarii peccata consequuntur, et apud Isaiam possunt aptissimè dolorum nomine intelligi. Venit autem Christus ità in se ea suscipere, ut convenienti satisfactione datâ ea à nobis tolleret, et nos immunes tàm à peccatis, quàm ab omnibus quæ peccata consequuntur, faceret. Inter ea autem quæ ex peccato manârunt, sunt morbi, variæ miseriæ et infirmitates corporis, mors etiam ipsa : hæc ergò omnia Christus à nobis satisfactione jam datâ perfectè ablaturus est in resurrectione per dotem immortalitatis et impassibilitatis corporis; inchoatè tamen jam hoc ipsum cœpit Christus in vitâ suâ exercere dæmones ejiciendo, morbos sanando, à morte suscitando intuitu etiam satisfactionis jam pro nobis ab ipso Incarnationis momento inchoatæ, et in posterum complendæ. Sicuti ergò continebantur hi omnes peccatorum effectus in ipsis peccatis, ità horum omnium malorum et incommodorum immunitas continebatur in immunitate à peccatis. Quia igitur Christus apud Isaiam dicitur suscepisse nostra peccata, ut scilicet ea à nobis removeret, ità etiam supplicia et incommoda nata ex peccato, et peccato indivulsè cohærentia, dicendus est pari modo à nobis removisse. Quod ergò Christus apud Matthæum fecit intuitu illius suæ satisfactionis, censendum est tanquàm particula quædam et appendix in Isaiæ Prophetiâ contineri, atque adeò ad litteralem sensum pertinere.

Quæ à nonnullis contrà varium et multiplicem sensum litteralem à nobis constitutum objiciuntur, nullam habent difficultatem : illud videtur præcipuum, si essent hujusmodi plures sensus maximè omninò disparati, esset Scripturæ sententia multiplex, flexiloqua, ambigua, fallax, similisque dæmonum oraculis, factis ad homines decipiendos.

Verùm respondendum, latum esse discrimen inter Dei et dæmonis oracula : dæmon enim ex intentione decipiendi ea dabat, intendendo ut unus sensus intelligeretur falsus, alter qui verus erat non agnosceretur, et reipsà dæmon suo illo artificio homines decipiebat; at Deus non intendit pluribus sensibus decipere, sed instruere; neque falsum ullum habet, sed omnes veros; neque ullum præ altero abscondit, sed omnes æquè vult cognosci, licèt non absque studio, exercitatione; cæterisque ad Scripturæ studium adferendis.

SECTIO VI.

Debueritnè Scriptor Hagiograbus omnes hos sensus seu litterales, seu mysticos vidisse et intendisse.

Respondeo primò, nihil necesse asserere sensus mysticos illi fuisse notos : hos enim

potest Spiritus sanctus sibi postmodùm suo tempore commodiùs revelando reservare, cui proprium, per res immediatè vocibus significatas alia ulteriùs mysticè et symbolicè intelligere. Satis tamen credibile est, subindè magnis viris, ut Moysi, quemadmodùm cap. seq., Sect. 2, dicam, hæc mysteria fuisse revelata. Addo verò etiam nihil videri incommodi, si hos omnes sensus dicamus Hagiographo Scriptori fuisse notos : si enim Moyses omnia legis percepit mysteria, in quâ major pars mysteriorum et figurarum Scripturæ continetur, quidni idem de cæteris scriptoribus asseramus? Fatendum tamen, siquandò Deus hos sensus Scriptori non revelet, posteà tamen alteri debere revelari, ut sensus hic fide sit certus. Sic Paulo, primo ad Hebr. cap., revelari potuit illius loci : *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium*, sensum mysticum esse de Christo.

Secundò dico credibile esse, ubi plures sunt sensus litterales, eos omnes et vidisse et intendisse scriptorem Hagiographum ; neque tamen id omninò necesse; satis enim est si unum bonum sensum animo concipiat et intendat. Prior pars probari potest, tùm quia id ad perfectam rationem scriptoris pertinet, tùm quia non habemus fundamentum cur id negemus; et si unus sensus illi notus esse debuit, cur non et alter, cùm par sit utriusque ratio ? Posterior pars patet, quia satis est ad ratiodem scriptoris ut sit in iis quæ scribit liber et intelligens ; hoc autem habet, si unum sensum litteralem præ se habeat ; quia tamen est instrumentum Spiritùs sancti, tanquàm auctoris primarii Scripturæ, satis est si ipse reliquos sensus apud se retineat, iis non communicatis instrumento suo licèt animato, intelligenti et libero, præsertim cùm homo non sit ità tot capax diversorum sensuum et intellectuum. Addo verò etiam satis verisimile esse, scriptorem Hagiographum subindè non habuisse perfectam et distinctam notitiam, sed confusam tantummodò illius quod intendebat suis verbis significare. Hic tamen idem asserendum quod nos diximus de sensibus mysticis, nimirùm si quis initio litteralis sensus non fuerit notus et revelatus scriptori, debuisse posteà vel eidem, vel alteri fuisse revelatum, ut per eum aliis innotesceret.

Tertiò dico nihil repugnare ut Spiritus sanctus Scripturas sacras ità alicui dictet, ut nudè sese habeat ut amanuensis, et nihil intelligat eorum quæ scribit ; earumque Scripturarum par erit auctoritas cum aliis, quas sriptor intelligit et intendit; quandoquidem tota Scripturæ infallibitas à Spiritu sancto procedat.

Quartò, nihil etiam repugnare ut scriptor Spiritu sancto dictante scribat, et Spiritus sanctus unum intendat, Scriptor verò alterum, etiam falsum, absonum et impium. Patet hoc, quia non est major repugnantia cur minùs id fiat in prophetiâ scriptâ, quàm vocali; at vocalem hujusmodi prophetiam Caiphæ habemus Joannis cap. 11, qui cùm dixisset : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat;* ab Evangelistâ dicitur prophetâsse, eò quòd esset Pontifex anni illius ; constat verò alium fuisse in illis verbis Spiritûs sancti sensum, nempè eum quem ibi Evangelista explicat : *Prophetavit,* inquit, *quòd Jesus moriturus erat pro gente, et non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* At Caiphæ sensum liquet fuisse eum qui cohæret antecedentibus : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum ; et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem nostram.* Fuit ergo sensus Caiphæ politicus, impius et falsus : tantùm enim abest ut morte Christi gentem suam ab exitio vindicârint, Romanisque subesse desierint, ut potiùs Christi morte, tantique sceleris occasione exitium toti suæ genti à Romanis accersiverint. Et horum omnium ratio est quòd Scripturæ verus et legitimus sensus pendeat ab ipso auctore Scripturæ primario, Spiritu sancto scilicet, non à secundario et instrumento. Hinc D. Thomas, 1 part. quæst. 1, art. 10, rationem dans cur Scriptura plures habere sensus possit, ait quia auctor sacræ Scripturæ est Deus, qui plura potest iisdem verbis simul intendere et significare; non autem rationem dat quia scriptor plura simul intellexit vel indicare voluit.

SECTIO VII.

An habeat etiam in Scripturâ locum sensus accommodatitius.

Respondeo habere, cùm Scriptura usurpatur non ad aliquid probandum : nam quemadmodum Ecclesia in multis hujusmodi accommodatione utitur, ut in Officiis de Sanctis, et SS. Patres, inprimisque Bernardus, ità potest una Scriptura alterius Scripturæ verbis uti, et ad sensum alium accommodare. Hujus rei exempla sunt Apoc. cap. 11, vers 4: *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Quæ verba perspicuè sunt Zachariæ 4, ubi ea dicuntur de Jesu sacerdote, filio Josedech, et Zorobabel ; at in

Apocalypsi S. Joannes ea accommodat duobus illis in fine mundi testibus, qui communi sententiâ censentur fore Enoch et Elias. Idem accommodatitius sensus est apud Apostolum ad Rom. cap. 10, vers. 6 et seq.; ibi enim quæ Moyses, Deut. cap. 30, dixerat de mandatis legis, ut ostenderet ea non esse impossibilia, nec quemquam habere justam rationem tergiversandi quò minùs ea observet, Apostolus instituto suo, ut ostendat justitiam ex fide esse in hominis potestate, cùm sit in cujusque potestate in Christum credere, et per hanc fidem justificari, accommodat.

CAPUT XXI.

De Cabalâ, et interpretatione cabalisticâ, eane sit probanda.

SECTIO I.

Quid sit Cabala, et quotuplex.

Passìm cabala et cabalistæ apud Catholicos malè audiunt; quàm rectè, ostendent quæ dicturi sumus sequentia : sæpè enim fit ut quod bonum et probum est, ob affine malum repudietur, utque virtus, si nomen commune cum vitio sortiatur, ipsa hujus fœditate adspersa censeatur; quod in hâc materiâ planè accidit, ut, ob impiam infamemque cabalam, honesta puraque cabala infamiam pateretur. Res igitur tota hæc ex bonâ distinctione pendet; sed priùs quid nominis, quid rei, discipiendum.

Cabala apud Hebræos idem significat quod *receptio,* à radice קבל *kabal,* cui ut correlativum ex opposito respondet *traditio;* nemo enim accipit nisi alter det; atque adeò unius ejusdemque rei receptio est et traditio, et quòd unius respectu receptio appellatur, respectu alterius dici potest traditio. Porrò traditionem nominant Hebræi מסורת *masora,* à radice מסר *masar,* quod *tradere* significat. Hinc factum ut eamdem scientiam, quam Hebræi cabalam appellârunt, subindè etiam altero nomine Masoram dixerint, quanquàm prius nomen magis invaluerit. Est itaque cabala non admodùm dissimilis Ecclesiæ traditionibus : nam uti divina traditio in Ecclesiâ est quarumdam rerum ad fidem pertinentium per manus tradita receptaque notitia, ità cabala apud Hebræos in genere definiri potest, arcanorum et reconditorum sacræ Scripturæ mysteriorum per manus tradita receptaque notitia.

Porrò ut hæc tota res benè intelligatur, distinguenda est triplex Cabala : una proba et propriè dicta antiquiorum Judæorum antè Christum, altera minùs proba, sed secundùm se indifferens, Hebræorum recentiorum; tertia improba, quæ ad præcedentes magicas, et vanas observationes adjecit. De his singulis agendum sectionibus sequentibus.

SECTIO II.

De primo genere Cabalæ, quæ est antiquorum antè Christum.

Hoc genus cabalæ hactenùs ferè fuit Catholicis incognitum : cum Joannes Picus Mirandulæ comes, vir sanè pius, qui cum admirabili eruditione insignem vitæ sanctitatem conjunxit, primus præcedente sæculo repertis, et comparatis illius antiquioris cabalæ libris, Latinis auribus illius specimen aliquod donare conatus est, teste Galatino, lib. 1 de Arcanis, cap. 6, Rhodigino, lib. 10, cap. 1, Petro Gregorio, de Rep., lib. 12, cap. 5, Sixto Senensi, Biblioth. lib. 2; sed et exstant inter ipsius opera Pici Mirandulani comitis conclusiones, quas Romæ propugnandas juvenis contrà omnium assultus proposuit è philosophiâ Aristotelicâ, Pythagoricâ, Trismegisticâ, Theologiâ Thomisticâ, Scotisticâ, è cabalâ, è magiâ; quæ duo postrema nomina cùm Romæ malè audirent, ob easque conclusiones subjectas examini varias ipse perpessus esset difficultates, tædio victus urbem reliquit, et domum secessit, in quo secessu seriò pietati se dedit, et Apologiam pro suarum conclusionum defensione scripsit, quæ etiamnùm in operibus ipsius habetur, ostendens in iis nihil nisi sanum esse, et è cabalisticis istis disciplinis mirum in morum contrà Judæos omnes Catholicæ fidei articulos confirmari.

Est ergò hæc cabala secretior quædam et mystica Scripturæ expositio, quæ olim in lege veteri non erat scripta, neque passim omnibus, sed senioribus dumtaxat et in lege sapientioribus non scripto, sed ore tradebatur, atque ità ab his ad alios successivè derivabatur, ob idque subindè hæc legis interpretatio *tora behal pe, lex de ore* appellatur. Ex quo patet, propemodùm hanc cabalam cum mysticâ nostrâ Scripturæ expositione coincidere, vixque inter illa exiguum esse discrimen, de quo in fine sectionis.

Hanc cabalam, seu mysticam expositionem accersunt passìm ab ipso Moyse, cui eam Deus cum legis litterâ in monte tradiderit, in quâ sententiâ, ut refert Picus, sunt Rabbinorum non pauci, Rabbi Eliezer, Rabbi Moyses Ægyptius, Rabbi Simeon Benlakis, Rabbi Ismael, Rabbi Joda, et Rabbi Nechuniah, aliique plures, qui omnes asserunt, præter legem à Moyse scriptam et quinque libris comprehensam,

Moysi quoque ejusdem legis mysticam expositionem à Deo, cum manifestatione omnium secretorum et mysteriorum, quæ sub rudi litteræ cortice latebant, esse traditam. Itaque duplicem accepisse legem, unam litteralem, alteram spiritualem; illam scripsisse, et divino jussu rudi populo communicâsse; hanc verò jussum esse non scribere, sed sapientibus duntaxat, qui septuaginta erant, communicare, quos idem Moyses Dei jussu elegerat ad divinam legem conservandam, quibus simili modo præciperet ne eam scriberent, sed aliis vivâ voce traderent, et ità deinceps perpetuâ serie. Alii verò dicunt Moysem tradidisse hanc cabalam Josue, Josue verò senioribus, seniores Prophetis, Prophetas viris congregationis magnæ, qui cum Esdrâ fuerunt; disputatque hanc quæstionem Serarius noster, lib. Josue cap. 10, quæst. 2, an cabalam à Moyse acceperit Josue, et in eam rem, qui id asserant, plures citat Rabbinos. Et verò nemo est qui facilè id revocet in dubium de Moyse quin hanc mysteriorum notitiamà Deo acceperit. Rursùmque illud valdè per se probabile, ipsum non eam accepisse notitiam pro seipso tantummodò utque ea secum interiret, sed ut eam aliis communicaret.

Addunt verò, post captivitatem Babylonicam Esdram cum Concilio magno septuaginta seniorum cui ipse præerat, hæc omnia mysteria in 70 libros juxtà seniorum numerum optimo consilio congessisse: cùm enim metus esset ne hæc cabalæ scientia ob frequentes captivitates interiret, quòd difficilius esset eam de more vivâ voce ad hunc modum dispersis tradere, visum est ea conscribere, addito tamen præcepto ut hæc nemini præterquàm senioribus et sapientibus communicarentur. Accipiunt hæc probabilitatem aliquam è libro, licèt apocrypho, lib. 4 Esdræ, cap. 14, ubi primùm de horum revelatione factâ Moysi: *Revelans revelatus sum super rubum, et locutus sum Moysi, quandò populus meus serviebat in Ægypto, et misi eum, et eduxi eum de Ægypto, et adduxi eum super montem Sinai, et detinebam eum apud me diebus multis, et enarravi ei mirabilia multa, et ostendi ei temporum secreta et finem, et præcepi ei dicens: Hæc in palàm facies verba, et hæc abscondes.* Posteà verò de Esdrâ in fine capitis post scriptos ab eo jussu Dei quadraginta diebus libros ducentos quatuor, subditur: *Et factum est cùm complevissent quadraginta dies, locutus est Altissimus, dicens: Priora quæ scripsisti in palàm pone, et legant digni et indigni: novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectûs, et sapientiæ fons, et scientiæ flumen.* Habetur et de hâc re fusè in Judæorum Chronico, qui appellatur Seder Olam, seu ordo sæculorum.

Probat etiam hanc cabalam Moysi traditam ex Patribus Picus. Primùm ex Origene, qui super illud Pauli ad Rom. cap. 3: *Quid ergò amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? multùm per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt illis eloquia Dei*, quærit, utrùm hoc Apostolus dicat de litteris et libris, an de sensu et intelligentiâ legis? et definit id de sensu et intelligentiâ legis esse intelligendum, quia littera occidit. Et addit: De Moyse et Prophetis cæterisque horum similibus hæc intelligenda sunt dici, quibus credita sunt eloquia Dei, sed et si quis apud eos sapiens et intelligens auditor et mirabilis consiliarius fuit. Ubi per mirabilem consiliarium haud dubiè illos septuaginta seniores, qui erant de magno Concilio, intelligit. Idem probat Picus ex Hilario in expositione Psalmi 2: *Erat*, inquit, *jam à Moyse antè institutum in omni Synagogâ septuaginta esse Doctores: nam idem Moyses, quamvis veteris Testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatìm quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangiliis meminit, dicens: Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergò quæcumque dixerint vobis servate, et facite; secundùm verò facta eorum nolite facere. Doctrina ergò horum in posterum, quæ ab ipso scriptore legis accepta, in in hoc seniorum et numero et officio conservata est.* Hæc Hilarius. Addo verò ego ex eodem qui suprà Origine, tom. 6, in Joannem: *Perspicuum est*, inquit, *Moysem mentis acie legis veritatem, historiarumque apud se scriptarum allegorias juxtà anagogen vidisse.* Quod idem deindè dicit de Josue, Isaiâ, Ezechiele; et postmodùm illos comparans et æquans Apostolis, ait: *Ad hunc igitur modum neque Apostolos sapientiores Patribus, vel Moyse, vel Prophetis dicturi sumus; hisque præcipuè qui diutiùs ob virtutem supernis apparitionibus, vel repræsentationibus divinis, et revelationibus grandium mysteriorum fuêre digni habiti.* Gregorius item Nazianzenus, Apolog. 1, videtur horum librorum ab Esdrâ conscriptorum differentiam apertè notâsse: *Enimverò*, inquit, *Hebræorum sapientes hanc olim Hebræis legem fuisse narrant, inprimis egregiam et laude dignam, quâ non cui-*

vis ætati quivis Scripturæ liber concedebatur (nam ne hoc quidem utilius esse, quandoquidem nec tota statim à quolibet percipi possit, ac reconditissimus quisque locus externâ sui specie imperitioribus plurimùm mali adferre possit); verùm alii libri jam indè à primâ ætate omnibus permittebantur, communesque erant, nimirùm qui ne externo quidem verborum sensu quidquam improbandi absurdique contineant; alii autem his duntaxat qui vigesimum quintum ætatis annum excessissent, velut pro laboris et industriæ, honestæque et eximiæ vitæ præmio, committebantur (ii videlicet, qui mysticam pulchritudinem quasi vili quâdam veste contegunt, his solis affulgentem spectandamque se præbentem, qui mentis sordes eluerint), quòd scilicet hæc sola ætas suprà corporeum externumque sensum assurgere, atque à litterâ ad spiritum præclarè convolare queat.

Hanc itidem esse veram probatamque cabalam agnoscunt plerique recentiores. Sixtus quidem Senensis, lib. 2 Biblioth: *Cæterùm,* inquit, *quia ex decreto sanctæ Romanæ Inquisitionis omnes libri ad cabalam pertinentes nuper damnati sunt, sciendum est duplicem esse Cabalam, alteram veram, alteram falsam. Vera et pia est, quæ, ut jam diximus, arcana sacræ legis mysteria juxtà anagogen elucidat, quam in tertio hujus operis volumine ostendemus necessariam ad divinæ Scripturæ interpretationem, producentes aliquos ex illustribus tàm Græcis quàm Latinis expositoribus, qui eâ in explanationibus suis utuntur; hanc ergò nunquàm damnavit Ecclesia.* Ità ille. Serarius de eâdem in Josue: *Et tàm cabala, quàm Masora optima et laudatissima est. Quid enim vel Deus, vel Sancti isti (Moyses, Josue, Eleazar, Phinees) traderent vel acciperent, nisi optimum et laudatissimum?* Jansenius, Concord. Evang. cap. 146: *Hæc,* inquit, *Scripturarum explicatio, quam mox Dominus in Jerusalem coràm omnibus repetiit Apostolis, verissima est cabala, quam nobis post ipsum Apostoli partìm vivâ voce, partìm Epistolis suis tradiderunt.* Galatinus item loco suprà indicato mirè hanc cabalam effert.

Notandum verò, passim ferè huic cabalæ anagogicum sensum tribui. Ità Picus in Apologià, Galatinus, cap. 6, lib. 1 de Arcanis, Sixtus Senensis, lib. 1 Biblioth., ubi de Esdra, Petrus Gregorius. lib. 12 de Rep., cap. 5, et Origenes in Joannem paulò antè citatus. Ego tamen hanc cabalam nolim ad anagogicum sensum arctare, esto in eo maximè versetur, et quasi ultimò conquiescat: si enim verum est Moysi revelata fuisse omnia legis secreta et mysteria, quis neget ea quæ ad allegoricum sensum pertinent, et Christum, ejus passionem, Eucharistiam, Sacramenta alia in veteri lege adumbrârunt, eum agnovisse? Rursùm cùm immunditiæ legales et purificationes ferè ultimò in allegoricum vel tropologicum sensum resolvantur, quis credat hæc Moysem ignorâsse, quæ diù posteà non ignoravit Eleazarus ille Pontifex, qui ad Ptolemæum Philadelphum septuaginta duos Interpretes misit, ut ex Aristæo apud Eusebium de Præparatione Evangelicâ, lib. 8, cap. 3, suprà, cap. præced. Sect. 1, docui? Hæc enim omnia quo alio nomine quàm nomine cabalæ appellemus, cùm Thalmud et cætera Judæorum inventa posterioribus temporibus prodierint. Adde, quas è cabalâ depromit conclusiones Picus, non omnes spectare ad anagogen, sed multas etiam ad allegoriam, ut ex iis quas paulò post proferam liquebit. Undè esto Hebræi, et ex iis Picus et Galatinus, unumquemque Scripturæ sensum ità nominibus distinguant, ut litteralem *Pesat* appellent, allegoricum *Midras*, tropologicum *Sechel*, anagogicum *Cabalam*; tamen hi omnes tres sensus mystici videntur uno cabalæ nomine posse contineri, maximè cùm jam Hebræi omnem paulò secretiorem scientiam hoc nomine appellent: nam illam recentiorum scientiam litteras combinandi, transponendi, commutandi, et hoc artificio varias sententias abstrusosque sensus extundendi, de quo nos Sect. seq., etiam cabalam vocant, quæ tamen ab illâ cabalâ puriore longiùs haud dubiè distat, quàm allegoricus et tropologicus sensus ab anagogico.

Nota denique, plurimùm differre modum tradendi mysticos sensus in cabalâ ab eo quem servant Patres et Catholici in tradendis istis sensibus mysticis: hi enim, etsi res quam tradunt et explicant sensu mystico, de se sit sublimis et obscura, eam tamen verbis apertis et planis ità tradunt, ut si quis eam non capiat, tota obscuritas ex objecti et materiæ sublimitate nascatur, non ex tradendi modo; at cabalistæ sua mysteria etiam modo obscurissimo efferunt, non dissimili sanè modo quo Pythagoræi per secreta quædam symbola sua dogmata efferebant (quem modum etiam ab Hebræis cabalistis ipsum Pythagoram hausisse aliqui volunt), vel Paracelsistæ suæ medicinæ mysteria, vel chymistæ sua arcana involucris quibusdam verborum contexerunt; ità ut hæc cabalistica disciplina tota sit symbolica et ænigmatica, ut quamvis posterioribus temporibus ea in libris scripta fuerit, à paucissimis tamen qui lectitâssent ea intelligi posset,

nempè ab iis tantummodò qui quid ea symbola vellent novissent. Declarabunt hoc nonnullæ conclusiones quas hìc subjicio, quasque è cabalâ hâc deprompsit Picus, quæ tamen inter cæteras intellectu faciliores sunt, in quibus aliquid veluti per rimam mihi videor intelligere, obscuriores autem, quas fateor me omninò non intelligere, reliqui.

Nisi nomini Abraham littera He *addita fuisset, Abraham non generâsset.*

Omnes antè Moysem prophetârunt per cervam unicornem.

Qui sciet proprietatem, quæ est secretum tenebrarum, sciet cur mali dæmones plùs in nocte quàm in die nocent.

Idem est, bereschith, *id est in principio creavit, ac si dixisset : in Sapientiâ creavit.*

Sicut congregatio aquarum est justus, ità mare ad quod tendunt omnia flumina est divinitas.

Nulla res spiritualis descendens inferiùs operatur sine indumento.

Omnis anima bona est anima nova veniens ab oriente.

Sapientes Israel post cessationem prophetiæ per spiritum, prophetârunt per filiam vocis.

Non ponitur rex terræ in terrâ, quin priùs humilietur militia cœlestis in cœlo.

Cùm anima comprehenderit quidquid poterit comprehendere, et conjungetur animæ superiori, exspoliabit indumentum terrenum à se, et exstirpabitur de loco suo, et conjungetur cum divinitate.

Cùm fiet lux speculi non lucentis sicut speculi lucentis, erit nox sicut dies, ut dixit David.

Hanc conclusionem, quia mihi videor præ cæteris assecutus, paucis explico. Per speculum non lucens intelligo animam puram et sanctam quidem, sed necdùm beatam; per speculum lucens Christum Dei Filium, qui est speculum sine maculâ, et splendor gloriæ Patris. Est autem lucens, seu ob naturalem gloriam divinitatis, seu ipsius humanitatis Christi, cujus anima jam indè ab ipso Incarnationis momento beata exstitit, quæ beatitudo quasi per naturalem sequelam ipsius unionis hypostaticæ illi debebatur, quemadmodùm et corporis gloria, nisi ob finem alium, nempè ad generis humani redemptionem, ad aliquod tempus hæc fuisset dilata. Sensus ergo est : Cùm anima sancta beatitudinis luce perfusa fuerit, juxtà exemplar gloriæ filii Dei, qui, ut ait Apostolus ad Philipp. 3, *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ;* et Joannis 1, cap. 3, *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est;* tunc, inquam, fiet nox sicut dies, hoc est nulla erit nox, sed perpetuus æternitatis dies.

His conclusionibus addit posteà et alias Picus Mirandulanus suopte marte, magis prioribus perspicuas, ad revincendos Judæos, et Catholicæ fidei dogmata confirmanda; è quibus has selegi.

Quilibet Hebræus cabalista, secundùm principia et dicta scientiæ cabalæ, cogitur inevitabiliter concedere de Trinitate, et quâlibet personâ divinâ, Patre, Filio, et Spiritu sancto illud præcisè sine additione, diminutione aut variatione, quod fides Catholica Christianorum.

Nullus Hebræus Cabalista potest negare quòd nomen Jesu, si eum secundùm modum et principia cabalæ interpretemur, hoc totum præcisè et nihil aliud significat, scilicet Deum Dei Filium Patrisque sapientiam per tertiam Divinitatis personam, quæ est ardentissimus amoris ignis, naturæ humanæ in unitate suppositi unitum.

Ex præcedenti conclusione intelligi potest cur dixerit Paulus, datum esse Jesu nomen, quod est super omne nomen; et cur in nomine Jesu dictum sit omne genu flecti, cœlestium, terrestrium et infernorum, quod est maximè cabalisticum, et potest ex se intelligere qui est profundus in cabalâ.

Modus quo rationales animæ per Archangelum Deo sacrificuntur, qui à cabalistis non exprimitur, non est nisi per separationem animæ à corpore, non corporis ab animâ, nisi per accidens, ut contingit in morte osculi, de quo scribitur : Pretiosa in conspectu Domini, etc.

Per nomen, Job, He, Vau, He, *quod est nomen ineffabile, quod dicunt cabalistæ futurum esse nomen Messiæ, evidenter cognoscitur futurum eum Deum Dei Filium per Spiritum sanctum hominem factum, et post eum ad perfectionem humani generis super homines Paracletum descensurum.*

Qui sciverit quid est vinum purissimum apud cabalistas, sciet cur dixerit David : Inebriabor ab ubertate domûs tuæ.

Quilibet Cabalista habet concedere ex dictis doctorum hujus scientiæ hoc manifestè dicentium, quòd peccatum originale in adventu Messiæ expiabitur.

Quilibet cabalista habet concedere quòd Messias eos à captivitate diabolicâ, et non temporali erat liberaturus.

Ex principiis cabalistarum evidenter elicitur quòd per adventum Messiæ tolletur Circumcisionis necessitas.

Effectus qui sunt secuti mortem Christi, dant convincere quemlibet cabalistam quòd Jesus Nazarenus fuit verus Messias.

Hoc habent inevitabiliter concedere cabalistæ, quòd verus Messias per aquam homines purgabit.

Sciri potest in cabalâ per mysterium Mem clausi cur post se Christus miserit Paracletum.

Scitur in cabalâ apertissimè, cur Dei Filius cum aquâ Baptismi venerit, et Spiritus sanctus cum igne.

Per eclipsationem solis, quæ accidit in morte Christi, sciri potest secundùm fundamenta cabalæ, quòd tunc passus est Filius Dei et verus Messias.

Quod dicunt cabalistæ beatificandos nos in speculo lucente, reposito Sanctis in futuro sæculo, id est præcisè, sequendo fundamenta eorum, cum eo quod nos dicimus, beatificandos Sanctos in Filio.

Has Pici conclusiones visum est hìc adjicere, ut qualis sit hæc cabala, quasi ex ungue leonem, possit quivis dignoscere.

SECTIO II.

De secundo genere Cabalæ.

Secundum hoc genus cabalæ recentiorum est Judæorum, qui sanam illam et divinam cabalam negligentes vel ignorantes (siquidem et ingenuè fatentur Rabbinorum aliqui, inter quos Rabbi Elias, se sapientiam istam et scientiam Sanctorum, ità ipse appellat, non nosse) nugis quibusdam et næniis, si cum priore illâ cabalâ compares, totos se addixerunt, quas et cabalam nominârunt. Sunt tamen et nonnulla hujus cabalæ in Scripturâ et sanctis Patribus vestigia, ut mox ostendemus.

Est autem hæc cabala, quæ in distinctionibus et litteris verborum Scripturæ ludit, et vel resolvendo litteras, vel transponendo, vel unam cum aliâ commutando, vel figuram vel vim illarum arithmeticam aliudve simile attendendo, diversos sensus et arcanas intelligentias extundit. Est autem hæc cabala in multis non admodùm dissimilis ei artificio quod apud Latinos in logogryphis, anagrammatismis, chronographicis cernitur.

Hujus autem cabalæ plures assignari possunt modi, inter quos primus est, cùm vox aliqua in suas litteras resolvitur, et unicuique litteræ una dictio, quæ ab hâc litterâ incipit, assignatur, è quibus omnibus dictionibus simul conjunctis arcana quædam sententia eliciatur, quam sub iis litteris latere hi cabalistæ sibi persuadent. Exemplum hujus est lib. 3 Reg. cap. 2, vers. 8, ubi David de Semei: *qui maledixit mihi maledictione pessimâ*, ubi pro voce illâ *pessima*, in Hebræo vox est *nimretseth*. Cabalistæ autem hanc vocem in suas litteras resolventes, et singulis suas dictiones adscribentes, quæ ab iis litteris incipiant, has voces conficiunt: *noeph, adulter, Moab, Moabita, rotseach, homicida, tsarvach, leprosus, toheba, abominatio*: quæ omnia à Semei Davidi exprobrata volunt, videlicet ut adulterii reum, genere Moabitam, utpotè ex Ruth Moabitide ortum, homicidam esse et Uriæ percussorem, velut leprosum, hominibusque et Deo abominabilem, jure meritòque urbe regnoque ejici. Hanc hujus dictionis cabalisticam resolutionem habet S. Hieronymus in Qq. Hebr. ad lib. 3 Regum.

Simili vocis resolutione usi quidam SS. Patres in voce Adam, quam pro elementorum numero in quatuor voces Græcas dividentes, has voces effecerunt: ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσυμβρία, quibus quatuor orbis partes significantur, Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies; intelligentes hoc voci illi subesse mysterium, Adami posteritatem in quatuor orbis partes esse distribuendam, easque omnes repleturam.

Elegans verò imprimis et ingeniosa fuit Æsopi quarumdam litterarum Græcarum non in unam vocem coeuntium, sed à se invicem discretarum explicatio. Cùm enim ipse juxtà cum hero suo Xantho in veteris ædificii ruinas incidisset, marmorea ab iis conspicitur columna, in quâ hæ erant litteræ, α, β, δ, ο, ε, θ, χ, dùm cæteri omnes quid eæ sibi vellent se nescire faterentur, ità illas Æsopus explicuit: Ἀποβὰς βήματα τέσσαρα, ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου: *Abscedens gradus quatuor cùm foderis, inveniens thesaurum.* Verùm in hâc ingeniosâ conjectatione δ habet vim arithmeticam, significatque quatuor, quod sit quarta in alphabeto Græco littera. Placuit ergo solers hominis conjectatio, defossâque ab hero humo, inventoque thesauro, cùm partem thesauri, ut par erat, conjectori nullam daret, indicavit Æsopus lepidè esse et aliud quod columna iisdem litteris præciperet, nempè: Ἀνελόμενοι βαδίσαντες διέλεθε ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου: *Qui auferetis dùm disceditis, dividite quem invenistis thesaurum auri.* Verùm cùm ne tùm quidem ingratus herus modestam admonitionem admitteret, sibique totum thesaurum retineret, admonuit eum Æsopus, nisi ipse, quod æquitas postulabat faceret, se alteri ejusdem Scripturæ mandato obsecuturum; erat autem istud: Ἀπόδος βασιλεῖ Διονυσίᾳ ὃν εὕρες θησαυρὸν χρυσίου: *Redde regi Dionysio quem invenisti thesaurum auri.* Huic non dissimile est quod D. Hieronymus Præfatione Commentariorum in Threnos, et Epistolâ ad Paulam Urbicam mysterium in eâ re rimatur, quòd Threni et Psalmi aliqui per

Alphabetum Hebraicum procedant, et singulis litteris assignatâ suâ significatione, ex iis varia sacræ Scripturæ encomia et effectus elicit.

Neque dubium est quin *Tau* apud Ezechielem cap. 9, quod Dominicæ Passionis signum est, idemque signum salvandorum, quod ipsis inuri debet, plenum sit mysterio. Item α et ω Apocalypsis ultimo, quibus indicatur Christum, sive quà Deum, esse principium et finem rerum omnium, sive quà hominem, esse primum omnium Sanctorum, et principium omnis sanctitatis in cæteris per vitæ suæ et passionis suæ meritâ ; esse etiam finem, ad cujus illustrandam gloriam cæterorum Sanctorum sanctitas refertur.

Hùc etiam referri potest, cùm non quævis littera vocem, sed quævis vox integram sententiam et orationem significat, et illius loco ponitur. Hujus exemplum habemus in Daniele cap. 5, ubi cùm prodigiosa illa manus scribens in pariete apparuisset, nemoque alius scripturam legere posset, legit eam Daniel, tribus vocibus comprehensam : *Mane, Thekel, Phares*, hoc est, *numeravit, appendit, divisit :* addidit verò et ipse explicationem, cùm quælibet integræ orationis loco esset : *Mane, numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud ; Thekel, appensus es in staterâ, et inventus es minùs habens ; Phares, divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.*

Secundus modus hujus cabalæ est, cùm littera ponitur pro litterâ : quâ in re illud observatum, non quamlibet litteram pro quâlibet aliâ poni, sed, ut fit cùm quid arcanum aliquis vult per occultas litterarum notas alteri nuntiare, et unam pro alterâ substituit juxtà factam inter eos conventionem. Ità apud Hebræos solitæ sunt litteræ, retrogrado ordine factâ numeratione, substitui : Verbi gratiâ, pro א primâ apud Hebræos littera substituta ultima ת, et vicissim pro ב secundâ substituta ש, et sic deinceps, ut semper quot litteris una littera à primâ distat recto et naturali numerando ordine, tot gradibus altera quæ substituitur distet ab ultimâ, ordine retrogrado litteras recensendo. Hujus rei exemplum habemus in Jeremiâ cap. 25, vers. 26, quo in loco cùm de rege Babylonis infausta prænuntiaret, quòd ibi securum non esset Babylonem exprimere, Propheta pro בבל *Babel*, ששך *Sesach* substituit : *Et rex*, inquit, *Sesach bibet post eos.* Hoc arcana tegendi artificium pulchrè ad illum Prophetæ locum explicat Hieronymus, cujus hîc attexam verba : *Quomodò*, inquit, *Babylon, quæ Hebraicè dicitur* בבל, *Babel, intelligatur* ששך *Sesach, non magnoperè laborabit, qui Hebrææ linguæ parvam saltem habuerit scientiam. Sicut apud nos Græcum alphabetum usque ad novissimam litteram per ordinem legitur, hoc est* α, β, *et cætera usque ad* ω *rursùmque propter memoriam parvulorum solemus lectionis ordinem vertere, et primis extrema miscere, ut dicamus* α, ω, β, ψ ; *sic et apud Hebræos, primum est* א, *secundum* ב, *tertium* ג, *usque ad vigesimam secundam et extremam litteram* ת, *cui penultima est* ש. *Legimus itaque* אתבש *cùmque venerimus ad medium,* ל *litteræ occurrit* ב ; *et ut, si rectè legatur, legimus Babel, ità ordine commutato legimus Sesach. Vocales autem litteræ inter* ב *et* ב *et* ל *juxtà idioma linguæ Hebrææ non ponuntur.*

Tertius hujus cabalæ modus est, si litteræ unius et ejusdem dictionis inter se variè loco permutentur, et transpositione diversimodè combinentur, et in ipsâ combinatione modò plures, modò pauciores litteræ assumantur, modò eædem geminentur. Hujus luculentum exemplum habet Picus Mirandulanus, et ex eo Sixtus Senensis lib. 3. Bibl. in primâ Bibliorum voce בראשית *bereschith*, in quâ voce sex sunt litteræ : hæ igitur si inter se varè transponendo combinentur, possunt ex iis hæ voces confici : אש שת רב איש ברת טב אב בבר ראשית שבת ברא ראש : *Pater in filio*, sive *per filium principium, finem, creavit caput, ignem, fundamentum magni hominis fœdere bono*; ubi per magnum hominem intelligunt mundum, seu universitatem creaturarum tàm intellectualium quàm corporalium ; nam sicuti homo est parvus mundus, ità è converso mundus est magnus homo. Porrò ut mundus dicitur magnus homo, ità mundi partes indicantur ex analogiâ partium et membrorum hominis ; itaque per caput, in quo viget ratio et fons est omnis cognitionis, intelligunt mundum intellectualem, seu Angelicam naturam ; per ignem (quo symbolicè indicatur pars illa hominis media quæ est à capite ad umbilicum, in quâ est cor et calor ille vitalis, à quo omnes vitæ motus et actiones procedunt) cœlestem mundum intelligunt, in quo est sol, caloris in his inferioribus et vitæ omnis principium, per fundamentum seu infimam hominis partem ab umbilico usque ad pedes, in quâ sunt genitalia et instrumenta ad generationem, intelligunt sublunaria et inferiora hæc, in quibus viget rerum generatio et corruptio. Itaque totius illius sententiæ ex litteris illius vocis conflatæ hic emergit sensus, Patrem per Filium, qui est principium et finis, seu ut habe-

tur in Apocalypsi, α et ω creâsse mundum et creaturarum universitatem constantem intellectualibus creaturis, cœlestibus et sublunaribus, idque totum fœdere bono, siquidem hæc omnia inter se quodam pacis et amicitiæ vinculo colligavit.

Ex dictis colligas, hunc modum cabalæ ferè similem esse logogryphorum artificio; in hoc tamen discrimen esse, quòd in logogryphis res tota divinationi permittatur, neque ex verbis conjectatione expressis et inter se nexis necesse sit integram aliquam orationem effici; at hîc divinatio locum non habet, sed integra quædam sententia junctis inter se vocibus elicitur, quasi arcanum quoddam in unâ voce delitescens mysterium.

Quartus modus hujus cabalæ est, si aliquid in ipsâ litterarum figurâ attendatur, et ex eâ aliquod mysterium quis rimetur. Sic infrà Gen. cap. 17, vers. 5, nonnulla adferimus circà nomen Abraham, quæ hùc faciunt, et Exodi cap. 3, vers. 14, circà nomen tetragrammaton ejusmodi aliqua observamus. Et Galatinus, de Arcanis lib. 4, cap. 19, et lib. 7, cap. 14, cum Hebræis in מ litterâ clausâ in voce למרבה *lemarbe*, Isaiæ cap. 9. vers. 7. mysterium rimatur, et illud elicit, Christum ex Mariâ semper Virgine, quæ aptissimè designatur per *Mem* clausum', nasciturum. Item apud eumdem lib. 7, cap. 13, Rabbi Haccados ex למרבה המשרה *lemarbe hammisra, ad multiplicandum imperium,* vult illis vocibus significatum nomen matris Messiæ, et ex iis vocibus nititur id nomen extrahere, scilicet שרה מרים *miriam sara, Maria Domina,* sic tamen ut loco duorum *He*, quæ singula quinque valent, velit ad nomen illud extrahendum unum *Jod* reponi, quod decem valet, atque adeò duobus *He* quoad numerum æquivalet. Quo posito, inquirit cur duo *He* apud Isaiam sint posita loco *Jod;* et hanc ex figurâ *He* rationem reddit, quòd ה *He* apud Hebræos componatur ex *Daleth* et *Vau,* quo indicatur duplex natura Messiæ, divina et humana; duplex autem *He* ponitur, quòd sicuti in *He Daleth* ex se quasi *Vau* generare videatur; ità per duplex *He* duplex Messiæ filiatio significetur, una ex patre, divina; altera ex matre, humana.

Simile quippiam, ut notat Sixtus Senensis, in litterâ suâ Pythagoras, quam ob id Pythagoricam appellamus, mysterium indicare voluit, humanæ scilicet vitæ conditionem et proprietatem: hanc enim ità ille exsculpsit, ut inferior virgula recta procederet, quæ infantiam et pueritiam indicaret, ætatem videlicet, quæ necdùm idonea esset ad virtutes vel vitia consectanda: indè bivium occurrit, quæ adolescentiam indicat, quæ ætas dubia esse solet utram, seu virtutis, seu vitii, viam ineat: virtutis via à dextris ardua est et in sublime tendit, sed vitam beatam et requiem parat; altera facilis est, mollis et lata, sed ad præcipitium et interitum ducit. De hâc eâdem litterâ ità antiquus poeta, referente Lactantio lib. 6, cap. 3:

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primùm spectantibus offert;
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata; sed ultimâ metà
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.
At qui desidiam luxumque sequetur inertem,
Dùm fugit oppositos in cautâ mente labores,
Turpis inopsque simul miserabile transiget ævum.

Quintus modus hujus cabalæ est, cùm totum mysterium ad nihil præcedentium refertur, sed ad rationem et vim arithmeticam in ipsis litteris contentam, quæ res non planè dissimilis est iis quæ apud nos chronographica sunt, annumque rei alicujus gestæ indicant. Hæc tamen est differentia, quòd apud Latinos non omnes litteræ numerum aliquem significent, sed septem tantummodò, C, D, I, L, M, V, X; at apud Hebræos, quemadmodùm et apud Græcos, omnes litteræ in denumeratione certam vim habent, nullaque est quæ expers sit numeri. Ex hujus generis Cabalâ nonnulla etiam indicavimus ad Genes. cap. 17, v s. 5, in voce *Abraham*, et plerique rimantur mysterium in litterâ *Mem* clausâ apud Isaiam, ut indè eliciant annum nativitatis Messiæ ab anno prædictæ Prophetiæ; sed id à plerisque fit diversimodè, et vario artificio; nam à Petro Bruto episcopo Catarensi apud Sixtum Senensem sumitur primùm numerus, qui indicatur per litteram ת *Thau*, quæ sunt 400; indè omnes numeri qui sunt ab א *Aleph* primâ litterâ usque ad *Mem* clausum inclusivè, sic ut *Mem* apertum ponant valere 41, et Mem clausum 40, qui omnes numeri simul juncti efficiunt 185, iidem verò juncti cum numero 400, qui indicatur per *Thau*, simul efficient 585, et hunc volunt esse numerum ab istâ Isaiæ prophetiâ usque Christum. Verùm meo judicio hic modus est intricatior, et nimis multa sumit aliena, vel à litterâ, in quâ passim omnes rimantur mysterium, vel à dictione, in quâ littera hæc con-

tinetur. Adde quòd non memini me hactenùs legere *Mem* apertum significare 41, sed vel utrumque pro 40 ponitur, vel *Mem* clausum pro sexcentis statuitur ; quâ ratione ex solâ illâ litterâ *Mem* clausâ colligit Galatinus lib. 4, cap. 19, hunc annorum numerum ab Isaiæ prophetiâ ad Christum esse 600; at verò apud eumdem, lib. 7, cap. 13, Rabbi Haccados colligit hunc numerum esse 677; quod tamen quâ ratione rectè colligat non video, nisi tota dictio דמורבח *le marbe* sumatur, et relinquatur littera ר *Resch* quæ significat 200; at bis sumatur *Mem*, semel ut clausum, quâ ratione fient sexcenta; et semel ut apertum, quandoquidem in medio dictionis ponatur pro *Mem* aperto, quâ ratione substituetur pro 40 ; hâc enim ratione numerum illum conficiemus, non aliter : siquidem his 600 et 40 si addantur 30, quæ indicantur per litteram ל *Lamed*, et 5, significata per litteram ה *He*, et duo significata per litteram ב *Beth*, fient universìm 677. Verùm nihil istorum videtur satis veritati consentaneum, siquidem juxtà Eusebii supputationem ab istâ Isaiæ prophetiâ usque ad Christum minimùm sunt anni 740.

Hùc pertinet locus Scripturæ Apocalypsis 13, ubi dicitur bestiam seu Antichristum effecturum ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habuerit characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. Ubi mox subditur : *Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenta sexaginta sex.* Ubi Joannes ex litteris Græcis, earumque arithmeticâ significatione relinquit intelligendum et conjectandum, quodnam sit futurum Antichristi nomen ; et verò relictus est omnibus Catholicis, Scripturæque interpretibus latus divinandi campus, cùm ex variis litterarum Græcarum combinationibus possit is numerus emergere. Itaque Irenæus et Hippolytus censuerunt hoc nomen esse ΤΕΙΤΑΝ; nam Τ in numeris apud Græcos 300 indicat, cùmque in hâc dictione duplex Τ reperiatur, fiunt 600. Adde Ν, 50, Ι, 10, Ε, 5, Α, 1, exsurgit numerus 666.

Ticonius Antichristi nomen conjicit esse ΑΑΜΠΕΤΙΣ, Τ, 300, Σ. 200, Π 80, Μ. 40, Α, 30, Ι, 10, Ε, 5, Α, 1. ex quibus in unam summam conflatis idem exsurgit numerus 666.

Arethas nomen hoc facit ΑΑΤΕΙΝΟΣ, Τ, 300, Σ, 200, Ο, 70, Ν, 50, Α, 30, Ι, 10, Ε, 5, Α, 1, qui numeri itidem juncti conflant 666.

Primasius nomen hoc vult esse ΑΝΤΕΜΟΣ : Τ, 300, Ν, 200, Ο, 70, Ν, 50, Μ, 40, Ε, 5, Α, 1, conflatur eadem summa 666.

Plura ejusdem modi nomina conficta, in quibus idem numerus reperiatur, vide apud Maluendam, de Antichristo lib. 8, cap. 8, 17, ubi et reperies nonnullos, qui hunc numerum studuerunt exprimere à nomine Mahometis, Lutheri, Calvini; quàm rectè, ipsi viderint : certè nihil mirum foret si Antichristi character in hisce Antichristi prodromis sese proderet.

Potest et aliorum nominum conjecturis esse locus ; sed quis rem dici possit attigisse ? solus ille potest dicere, qui hoc arithmeticum ænigma conjectandum proposuit. Hi sunt istius cabalæ modi quinque, quos hactenùs observare potui ; et quanquàm possint etiam alii ingenii lusus existere ex litterarum variâ combinatione, cujusmodi sunt anagrammatismi, retrogradæ lectiones, et hujusmodi alii, ii tamen in exprimendâ aliquâ è Scripturâ sententiâ vel adhiberi non possunt, vel hactenùs adhibiti non sunt.

Quæret fortasse aliquis, quid de toto hoc cabalæ genere, et amœnâ ingenii exercitatione sentiam. Respondeo primò, hanc cabalam, si ad Scripturam interpretandam, vel ejus mysteria rimanda referatur, non posse universìm rejici, quandoquidem et Scriptura et SS. Patres eâ utantur, et nobis occasionem dent hæc mysteria rimandi.

Secundò, eam secundum se esse indifferentem ; posse enim ratione objecti et materiæ benè usurpari, posse malè : si quis pias è Scripturâ exprimat hoc artificio sententias, laudem mereri poterit; si quis impias, hæreticas, blasphemas, vituperio pœnâque haud dubiè dignus. Quin etiam si quis ad res ludicras aut indifferentes ista accommodet, id sine peccato facere non potest, cùm Scripturæ verba et apices non debeant ad jocos et nugas sæculares adaptari.

Tertiò, præter ea quæ à Patribus Scripturâque in hoc genere suggeruntur, vel in quibus præbetur aditus fundamentumque aliquod rimandi hoc artificio mysterium, ferè in hoc genere nihil esse solidum ad vera sensa seu mysteria Scripturæ exprimenda, sed ut plurimùm hanc esse vanam, inutilem et infructuosam ; multò magis si è quolibet quis extundere conetur quidlibet, quod nuper fecit insulsè nimis et irreligiosè Guillelmus Alabaster, qui in illo suo Apparatu ex inanibus hujusmodi fundamentis, ne dicam quisquiliis, conatus est nobis suam mysticam Theologiam, et (ità ipse vocat) interiorem Scripturæ sensum ac medullam (reipsà aliud nihil quàm deliramenta et somnia) exprimere ; quâ ex re malè audiit,

et Romæ censoriam Ecclesiæ virgulam meritò expertus est. Quis enim ferat quempiam, in re tâm seriâ, Scripturæ inquam interpretatione, pro probatis mercibus vendere quæ ipse parùm sano cerebro delirârit? Quis ferat, in Gedeonis Madianitas adorientis historiâ hydrias in campanulas, lampades in campanæ plectra seu linguas portentosâ metamorphosi transformari, vel si mavis quidlibet ex quolibet fieri, dum ipse modò Gedeonem ipsum, modó gladium ipsius, modò panem subcinericium, modò lampades, campanæ plectra statuit; campanas modò hydrias, modò Madianitas ipsos, modò eorumdem tabernacula esse vult; et ut ipse hujusmodi deliramenta statuat, panis subcinericii somnium velle evertere, præsertìm cùm Apparatûs initio sibi nefas putet à Vulgatæ versionis sententia recedere? Quis non rideat, in Samsonis historiâ examen apum esse Religiosos, vel nescio quas mysticas intelligentias rerum vocumque universales, mel eorumdem intelligentias singulares, vel ænigma, Thamnata esse modò legem, modò legis evacuationem, vineas annotationem propositionum universalium, catulum leoninum præceptum prohibitorium, leonem divinam legem, leonem discertum legem diffissam seu penetratam, Spiritum Dei intelligentiam Scripturæ, manum esse intentionem mentis, cadaver leonis legem occisam, Thamnathæos juvenes esse logicos seu academicos, et alia plura ejusmodi? et ex his nescio quem contextum sphingis grypho obscuriorem exprimere, imò hæc omnia è vocibus Hebraicis, vel vocum divisionibus obtorto collo velle extundere. Quid quòd idem auctor ità somnia Pharaonis, pincernæ, pistoris, Nabuchodonosoris explicet, quasi in vocibus res ipsa significata contineretur, quasi nimirùm Pharao istique alii Hebraicos apices et idioma calluerint, vel somnia ipsa non de rerum significatarum symbolis, sed de vocibus et apicibus fuerint? Miror sanè alicui has nugas posse adlubescere, quæ nonnisi cum temporis jacturâ, tædio, nauseâ legi posse videantur.

Quartò, Hebræos plerosque hâc cabalâ abusos, seu ad blasphemias in Christum et Religionem Christianam (facile enim est hujusmodi sententias à Scripturæ verbis extundere quæ impietatis plenæ sint, prout animi affectus trahit, litterarum variâ commutatione et transpositione; quemadmodùm contrà qui pius est ex iisdem non difficulter pias sententias exprimet), seu ad magica et vanas observationes, de quâ re Sect. seq., qui cabalæ usus non potest non esse pessimus, ut ob hæc meritò cabala hæc apud plerosque pessimè audierit: attamen hoc ad abusum hunc duntaxat, non ad pium et commodum usum extendendum.

Sixti Senensis lib. 3, Biblioth. de hâc Cabalâ istud est judicium: *Ut eos* inquit, *non damno, qui moderatè et aptè hæc suis locis interdùm accommodant, ità eos non laudo, qui eadem nimis anxiè, et inutili ac prorsùs inani labore persequuntur, cùm me non prætereat ex hoc fonte emanâsse prodigiosam Valentinianorum et Gnosticorum insaniam; qui, ut Iræneus et Epiphanius, uterque in primo adversùs Hæreses libro, ostendunt omnem divinam Scripturam juxtà hanc elementorum discussionem examinantes, inaudita novarum hæreseon portenta invulgârunt.* In hanc cabalam meo judicio paulò severiùs invehitur Genebrardus lib. 2. Chronolog. Etsi enim verum sit in eâ plurimum esse vanitatis, eaque, prout à Judæis plerisque usurpatur, inepta, vana, stulta ars vocari possit; universìm tamen ità non est appellanda, nisí et Scripturam, et SS. Patres, quemadmodùm ex præcedentibus patet, damnare velimus. Illud ab eo rectè additum, præter istiusmodi ineptias eam continere multa impia, et ex omni hæresum furfure conflata; illudque imprimis reprehendit, quòd constituat decem Sephiroth sive numerationes pro suo fundamento, quas sive statuant esse essentiam Dei, sive aliquid aliud extrà Dei essentiam, impiè introductas ex eo apparet, quòd in Deo numerum et multitudinem realem ponant. Ità ille. Sed hæc, uti dixi, non de ipsâ nudâ cabalâ, sed de cabalæ abusu intelligi debent.

SECTIO IV.

De tertio cabalæ genere.

Hoc meritò tertium genus cabalæ constituî debet, cùm, licèt præcedentium cabalarum secretis et arcanis utatur, usus tamen et finis planè sit diversus; in cujus quidem condemnationem et reprehensionem nihil dicendum restat, sed tantummodò indicandum quid de eâ boni auctores senserint, ex quo mirum videri non debeat, cur apud optimos quosque cabalæ nomen tàm malè audierint, ut vix ipsius nomen aures eorum ferre sustineant.

De hâc igitur cabalâ ità Sixtus Senensis Biblioth. lib. 2: *Falsa* inquit, *atque impia cabala est ementitum quoddam Judaicæ traditionis genus, quod improbi quidam Judæi à Moyse ex Patribus usque ad ipsos emanâsse dicunt, innumeris vanitatibus ac falsitatibus refertum, nihil aut parùm à necromantiâ distans: explicat enim*

secreta Dei nomina, ipsorumque virtutes occultas, quibus ad ligandos dæmones, et ad præstigia facienda necromantici nonnulli apud Judæos utuntur, asserentes Christum nostrum hujus artis ope omnia sua miracula edidisse. Hoc igitur superstitionis genus, cabalam impropriè appellatum, Ecclesia proximis annis meritò damnavit.

Julius Scaliger, in suâ ad Cardanum Exercitatione 355: *Mauritaniæ Tingitanæ*, inquit, *magis eâ videntur uti scientiâ, quæ à Judæis cabala nuncupatur, ab ipsis zairagia. Cujus præscriptionibus verissima respondendo summam Prophetarum opinionem etiam apud sapientes consequuntur. Cæterùm haud ex divinis nominibus, sed ex quâdam, quæ litterarum complexu conflatur, coordinatione, quasi miscella planetarum, lunæ mansionum, signorum situm, motus, conventus, solitudines, discessus, dissidia et consensiones notant; et tùm alia, tùm anni universi commoda atque incommoda denuntiant ex tempestatibus.*

Michael Neander, in Erotematis linguæ sanctæ, postquàm de primâ illâ et puriore cabalâ Moysi inspiratâ, et ab Esdrâ in 70 volumina digestâ egisset, subdit: *Quam*, inquit, *posteà juniores, præter artem revelationis litterarum, mille magicæ artis deliramentis, et Goetiæ vanitatibus conspurcârunt.*

Serarius in Josue, postquàm de optimo genere cabalæ egisset, ità subjicit: *Est ea cabala per Judæorum Rabbinos variè aucta, et nonnullis interdùm magis et erroribus depravata; ut patet primò ex iis quæ de miraculis per certos characteres et voces ac litteras faciendis docent apud Capnionem, lib. 3 cabalæ.* Et verò hic Capnio passìm meritò reprehenditur, qui istiusmodi nugas et characterum virtutes aliaque non pauca ad hanc vanitatem spectantia, magiamque olentia, tertio illo cabalæ libro prodiderit, nec ea refutârit, ut proindè apud Romanos meritam censuram invenerit.

REGULÆ VEL CANONES,

Ad totius SACRÆ SCRIPTURÆ *intelligentiam perutiles.*

Canon I. Post Ecclesiæ interpretationem, vel SS. Patrum consensum, nihil æquè juvat ad litteralem sensum inveniendum, quàm conferre antecedentia et consequentia cum loco, cujus sensum investigamus; et si quidem omnia rectè congruant, hic litteralis sensus; et ubi melius omnia congruant, hic sensus verior, et magis nativus. Quòd si omnia cum diverso sensu rectè conveniant, uterque potest esse litteralis, et æquè immediatè ac primariò intentus à Spiritu sancto, vel unus primariò, et alter aliquo modo secundariò, seu mediante priore sensu, cujus quodam modo est appendix, quemadmodùm et suprà docui, cùm de litterali sensu à nobis actum est. In sensibus mysticis nihil est necesse, quemadmodùm in sensu litterali, antecedentia et consequentia componere; sufficit ut ex ipso loco natus, non contortus et vi aliquâ expressus videatur; quòque is magis in litterâ fundatus fuerit, eò melior eòque probabilius erit eum à Spiritu sancto fuisse intentum.

CAN. II. Ubi in Scripturâ fidei articulus tangitur, et locus est obscurior, per alia loca clariora, vel Ecclesiæ traditionem explicandus est.

CAN. III. Cavenda est in Scripturis nimia argutia et subtilitas. Itaque ubi Scriptura philosophiæ adversari videtur, potiùs philosophia Scripturæ, quàm Scriptura philosophiæ adaptanda est.

CAN. IV. Quotiescumque verba in Scripturâ sine aliquo incommodo propriè capi possunt, ità capienda sunt, neque ad metaphoras, tropos et sensus improprios inflectenda, nisi ex verbis propriè acceptis absurdus aliquis sensus eliceretur.

CAN. V. In Scripturâ sacrâ non semper servatur in rerum narratione ordo temporum, sed quæ priùs acciderunt, subindè posteriùs narrantur. Recapitulationem aliqui hoc vocant. Exempla sunt in Genesi, cap. 2, ubi terrestris Paradisi plantatio à Deo facta refertur post narrata sex dierum opera, cùm tamen ea facta sit creationis mundi die tertio. Aliud exemplum habes initio capitis duodecimi, et in Evangeliis plura.

CAN. VI. Subindè, maximè in Psalmis et Prophetis, subitus est transitus à figurâ ad rem figuratam, ut à Salomone ad Christum, à Sion et Jerusalem ad Ecclesiam, ab Israel carnali ad Israel spiritualem, seu populum Christianum, idque sub eodem nomine, quasi de eâdem re esset sermo. Imò verò nomen figuræ subindè tribuitur rei figuratæ, ut Christus Ezechielis cap. 34, vers. 23, et Osee 3, vers. 5, vocatur David. Idem Aggæi 2, vers. 24, quorumdam opinione vocatur Zorobabel.

CAN. VII. His affine est, cùm nomen proprium vel gentilitium datur, sumptum ex morum similitudine. Sic Prophetæ Israelitas impios, Chananæos, Amorrhæos, semen Chanaan, Sodomistas, Gomorrhæos vocant; Christus Judam, diabolum; Joannes in Apocal. cap. 11, vers. 8, Jerosolymam impiam appellat Sodomam et Ægyptum, et cap. 18, vers. 2, Romam vocat Babylonem.

Can. VIII. Subindè Interpres noster pro nomine proprio, quod est in Hebræo, ejus interpretationem ponit, quasi nomen esset appellativum, idque tùm maximè, cùm ad vocis significationem alluditur, vel aliquod in nomine proprio latet mysterium, quod occultum remaneret, si vox Hebræa retineretur. Ut Psalm. 75, vers. 3: *Et factus est in pace locus ejus;* pro *pace* in Hebræo est שלם *Schalem*, quam omninò vocem verisimilius ibi significare Jerusalem, et indicat vox Sion, quæ in eodem versu sequitur. Sic infrà, Genes. 26, plura. Et Job ultimo, vers. 14, Osee 1, vers 6 et 9. Ad quem locum alludit simili modo Paulus, et voces Hebræas, licèt Hebræas, interpretatur ad Rom. cap. 9, vers. 25, et Petrus Epist. 1, cap. 2, vers. 10. Item Ezechielis 25, vers. 16, et Sophon., 2, vers. 5, pro interfectoribus, et perditoribus, Hebraicè est קרתים *cheretim;* quam vocem plerique putant nomen esse gentis ad mare.

Can. IX. Non rarò bonorum spiritualium in Evangelicâ Lege futura copia describitur typicè ab iisdem Prophetis per ubertatem rerum temporalium, quæ erat in antiquâ Lege.

Can. X. Nonnunquàm, maximè in Psalmis, Prophetis, Cantico canticorum, dialogismus texitur, et plures inducuntur personæ loquentes, nec tamen indicatur cùm ab unâ personâ ad aliam interloquentem fit transitus.

Can. XI. Multa Deo in Scripturâ tribuuntur, quasi ea ipse faciat, uti est excæcatio, obduratio, peccata ipsa, quæ tamen nullo modo ei tribuenda sunt ut auctori, vel impulsori: possunt tamen duobus modis, aliquo modo, sed impropriè ei tribui. Primò ut permittenti, quandoquidem ipse ea prævideat futura, et impedire possit, nec tamen faciat; quia tamen ea non tenetur impedire, imò ordinatissima ejus providentia ut plurimùm exigit, ut ea ipse permittat, impropriè ei tribuuntur. Secundò, ut aliquid facienti vel quasi facienti, undè illa ipsa consequuntur, et ex quo ea ipse prævidet secutura, justissimè tamen, neque eâ intentione ut ista eveniant, sed aliâ occultiore, ut cùm subtrahit gratiam propter præcedentia peccata, vel aliquid facit, undè impii peccandi aut sese obdurandi occasiones sumunt. Itaque vel explicanda sunt verba illa, *excæcavit, obduravit*, occasionaliter, hoc est, fecit aliquid undè obduratio secuta est, vel permissivè, hoc est, excæcari, obdurari permisit, ut verba activa hîc passionem vel permissionem significent.

Can. XII. Negantes propositiones in Scripturâ absolutè, hoc est, absque limitatione vel conditione intelligendæ sunt, nisi sese habeant per modum comminationum; affirmationes verò in promissionibus, nonnisi cum conditione et limitatione intelligendæ, si videlicet cætera absint necessaria, si nihil aliud impediat. Sic fidei, spei, Dei invocationi salus æterna promittitur.

Can. XIII. Promissiones quæ alicui fiunt, non semper intelligi debent in ipso esse implendas, sed subindè tantummodò in ejus posteris. Sic intelligendæ promissiones factæ Abrahæ de dandâ illi terrâ Chanaan.

Can. XIV. Dubitationum particulis utitur Deus in Scripturâ, non quòd dubitet vel ignoret quid futurum sit, sed vel (idque sæpiùs) ad indicandam humani arbitrii libertatem, quæ ex se est indeterminata, et potest alterutrum facere; vel ad indicandam paucitatem eorum, qui rem, de quâ agitur, facturi sunt. Vide Jeremiæ 26, vers. 3, item Ezech. 2 et 3 aliquoties.

Can. XV. Cùm unum per comparationem alteri præfert Scriptura, solet subindè id quod præfert affirmare, alterum negare. Ut illud Osee 6, vers. 6: *Misericordiam volui, et non sacrificium*, hoc est, misericordiam malo quàm sacrificium. 1 Cor. 3, vers. 7: *Non ego sed gratia Dei*, hoc est, non tàm ego quàm gratia Dei, quanquàm et ego cum gratiâ Dei.

Can. XVI. Huic affine est, cùm utitur Scriptura epitasi, seu verbo vehementiori pro minùs vehementi, ut Malachiæ 1, et ad Roman. 9: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: ubi odio habere, ponitur pro negligere, postponere, minùs amare. Aliquandò contrà verbum usurpat Scriptura, quod minùs significat quàm intendit significare, ut Levit. 10, vers. 1: *Offerentes coràm Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat*, pro, quod eis vetitum erat. Sic Proverb. 18, vers. 5, et 24, vers. 23, Eccli. 7, vers. 14: *Non est bonum*, idem est quod, est valdè malum.

Can. XVII. Subindè in comparationibus non apponitur particula similitudinis et comparationis. Exempla multa sunt in Proverbiis Salomonis. Subindè altera pars comparationis non redditur, ut 1 Tim. 1, vers. 3.

Can. XVIII. Pro comparativo et superlativo Latinus interpres, imitatus Hebræos qui carent his gradibus comparationis, usurpat positivum, ut Psalm. 117: *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine*, pro, melius.

Can XIX. Scriptura sacra subindè ponit plenum et rotundum numerum, neglecto minore numero qui excrescit, vel aliquantulùm deficit.

Judic. 9, vers. 18, septuaginta filii Jerobaal dicuntur ab Abimelech interfecti, cùm ad hunc numerum duo deessent, ipsemet scilicet Abimelech qui interfecerat, et Joathan, natu minimus, qui evaserat.

Can. XX. In annorum vel dierum numeris assignandis sæpè utitur Scriptura synecdoche, totum ponendo pro parte. Sic Christus tres dies dicitur fuisse in sepulchro, è quibus tamen primus et tertius fuerunt incompleti. Sic et anni vitæ primorum hominum, anni regnorum, subindè completi, subindè incompleti sumuntur, quæ res etiam obscuriorem reddit sacram chronologiam. Sunt et aliæ in Scripturâ synecdochæ. Pars pro toto ponitur, ut caro sæpè, vel anima, vel sanguis, pro homine. Alia synecdoche est, non prætereunda, generis pro specie, cùm tempus ponitur pro anno, et tempora pro annis pluribus : ut Danielis 7, vers. 25. Alibi materia pro re ex eâ confectâ, ut 2 Reg. 6, vers. 5 : *Ludere in omnibus lignis fabrefactis*, vel ut est in Hebræo, *ludere in omnibus lignis abietum*, est ludere omnibus instrumentis musicis.

Can. XXI. Usurpat etiam Scriptura præter synecdochen, de quâ paulò antè, etiam alterius omnis generis tropos, metaphoras et allegorias frequentissimè ; tunc autem litteralis sensus censeri debet, non quem verba propriè significant, sed quem translatè et metaphoricè. Metonymia notanda est in voce *peccatum*, quod subindè pro pœnâ vel effectu peccati, subindè pro hostiâ quæ pro peccato offerebatur, ponitur ; item pro nudâ etiam immunditiâ legali, ut Levitic. 12, vers. 6, et 14, vers. 13. In hâc voce pulchrè lusit Paulus ad Rom. 8, vers. 3, et 2 Corinth. 5, vers. ult. Antecedens pro consequenti ponitur, ut commutatio pro pretio, Matth. 16 : *Quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?* Judicium pro punitione, et judicare pro punire : ut Genes. 15, vers. 14, et alibi sæpè signum pro re cujus est signum, ut verbum pro re per verbum significatâ, vel contrà, res pro signo, ut Genes. 17, vers. 10 et 13, pactum meum, pro signum pacti mei. Antonomasia est, cùm fluvius vel flumen absque addito ponitur pro Euphrate. Ironia est Ecclesiastæ 11, vers 9, Zachariæ 11, vers. 13. Catachresis est, cùm diffamare ponitur pro evulgare rem laude dignam, ut Matth. 9, vers. 31 ; cùm fœnerari ponitur pro mutuare, ut Deut. 15, vers. 6, Luc. 6, vers. 34. Imò nec hyperbolen Scriptura refugit, ut Joannis ult., Gen. 41, vers. 49, et 3 Reg. 10, vers. 27. Sic cùm passim Terra promissionis vocatur terra fluens lacte et melle.

Can. XXII. Scriptura ab unâ metaphorâ subindè transit ad aliam, ut Zachar. 3, vers. 8, et 9, ubi Christum nunc orientem, seu germen vocat, nunc lapidem. Subindè à metaphorâ transit ad rem significatam, ut Isaiæ cap. 11, vers. 1 et 2, à metaphorâ floris, ad Christum per florem significatum salit. Nahum 3, vers. 4 et seq., à metaphorâ meretricis, ad urbem Niniven nomine meretricis significatam transit. Joel. 1, quos erucas, locustas, bruchos dixit, posteà milites terram vastaturos vocat.

Can. XXIII. Orbis plagæ, Oriens, Occidens, etc., intelligendæ sunt in Scripturâ assignatæ comparatione urbis Jerusalem, vel Terræ sanctæ. Porrò Occidens communiter Scriptura vocat mare, eò quòd mare Mediterraneum, quod Palæstinam attingit, Judæis est ad Occidentem ; subindè Meridiem vocant dextram, Septentrionem sinistram, eò quòd convertenti faciem ad Orientem talis harum partium sit situs.

Can. XXIV. Quæ de Christo in Scripturâ dicuntur, non semper ei in personâ applicanda sunt, sed subindè ei tanquàm capiti, subindè ejus corpori Ecclesiæ, subindè utrique, ut Zach. 8, vers. 2, dicit Christus se missum esse ad gentes, quod fecit, non in se, sed in Apostolis.

Can. XXV. Apud Prophetas decem tribus, prout distinctæ erant ab aliis duabus, et sub diverso erant rege, vocantur Ephraim vel Samaria, quia scilicet sedes regum Israel erat in Samariâ, et in tribu Ephraim.

Can. XXVI. Idololatria ferè, maximè apud Prophetas, fornicationis nomine indicatur, propterea quòd idololatra, deserto vero Deo, idolis adhæreat; perindè atque adultera, deserto marito, adultero copulatur.

Can. XXVII. Scripturæ, maximè apud Prophetas, solent de urbibus loqui, quasi mulieres essent, easque passim filias vocant, subindè meretrices, quas de idololatriâ notant; alias virgines, vel quòd Dei veri cultum retineant, vel quòd à Deo amentur, non secùs ac juveni sponso virgo sponsa chara est, vel quòd nunquàm in captivitatem fuerint abductæ, vel denique ob earum opes et pulchritudinem. Aliquandò legas non filias absolutè, sed alicujus alterius urbis filias vocari, ut 1 Paralip. 7, vers. 28 et 29, atque alibi sæpiùs. Quâ locutione significatur oppida illa esse alteri subjecta.

Can. XXVIII. Scriptura filios vel filias vocat quidquid ex aliquâ re extrahitur et quasi ab

eâ paritur ; item cùm subjectio, obligatio, amicitia, familiaritas, vel conjunctio est aliqua rei cum re. Sic sagittas vocat *filias pharetræ*, Thren. 3, vers. 13. Isaiæ cap. 21, vers. 10, frumenti grana excussa vocantur *filii areæ*, quanquàm ibi ulterior sit metaphora de Babylonis excidio; et cap. 23, vers. 10, Tyrus *filia maris* vocatur. Ecclesiastæ 12, aures *filiæ carminis* appellantur. Zachar. 4, *duo filii olei*, hoc est, pinguedine pleni. Sic *filius superbiæ, filius iniquitatis, filius mortis, filius pacis, filius sponsi, filius regni*, etc. *Filii Prophetarum*, hoc est discipuli. Rabbini dicunt חמץ בן יין, *chomets ben iajin, acetum filius vini.*

Can. XXIX. Solet Scriptura et Hebræi, quæ aliquam fœditatem habent adjunctam, et verecundiùs nominantur, verbis honestis exprimere. Sic uxorem cognoscere, *ingredi ad uxorem, revelare alterius turpitudinem* dicunt. Genes. 31, vers. 35, menstruorum fluxum vocat Scriptura *consuetudinem feminarum*, quem et alibi *muliebria* vocat. Isaiæ cap. 7, vers 20, pilos pubis ac verendorum, vocat *pilos pedum;* quidquid enim infrà alvum est, in Scripturâ tribuitur pedibus; sic et alibi *urina pedum*. Hinc pro eo quod habemus, Gen. 49, versic. 10 : *dux de femore ejus*, in Hebræo est, *dux de inter pedes ejus*. Purgare ventrem, Hebræi honestè dicunt *tergere pedes*, vel ut alii explicant, *purgare pedes;* et sic in Hebræo est. 1, Reg. 24, vers. 4, pro eodem Deuter. 23, vers. 12, Hebræus textus *sedere* dicit. Deuter. 23, vers. 10, pollutio nocturna in Hebræo textu *vocatur accidens noctis*.

Can. XXX. *Æternum* et *sempiternum* in Scripturâ non semper significant durationem illam, quæ est sine fine, sed frequenter etiam quodvis longum tempus, cujusmodi est à Lege datâ Moysi usque ad Christum et novam Legem ; idque maximè fit, cùm finis temporis illius ignoratur. Exempla habes 1 Paralip. 15, vers 2, et 1 Machab. 2, vers. 54, et alibi passim sunt obvia. Sic et illud tempus totum, quod futurum erat usque ad finem mundi, æternum dicitur, ut Ps. 108, vers. 89. Similiter à parte antè æternum subindè dicitur, quod est antiquum, ut Psalm. 76, vers. 6, *anni æterni*. Psalm. 75. vers. 5, *montes æterni*, hoc est, Angeli, vel secundum alios, cœli jampridem conditi. *In sæculum* subindè ponitur pro æternitate, subindè etiam pro longo tempore, etsi non longissimo, ut pro Jubileo seu annis quinquaginta, ut Exodi 21, vers. 6. *In sæculum sæculi*, frequentiùs pro æternitate, etsi etiam subindè pro longissimo aliquo tempore. *In sæcula sæculorum*, semper pro æternitate.

Can. XXXI. Subindè pars alicujus sententiæ non est connectenda cum proximiore, sed cum remotiore. Sic Cantic. 1, vers. 4 : *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Illud enim, *sicut tabernacula Cedar*, conjungendum est cum *nigra sum*, non cum *formosa;* ejusmodi enim erant tabernacula istorum pastorum Arabum, fœda scilicet et deformia, facta ad arcendum imbrem et æstum ; similiter illud: *sicut pelles Salomonis*, connectendum cum illo, *sed formosa;* erant enim istæ pelles pulcherrimæ et rubricatæ.

Can. XXXII. Non rarò Scriptura utitur abstractis, vel quasi abstractis, pro concretis, ut circumcisionem ponit pro circumciso, præputium pro gentili et præputiato, sanctificatio dicitur pro sanctificatore, redemptio pro Redemptore. Quòd tunc præcipuè locum habet, cùm abstractum ponitur in genitivo pro concreto adjectivo, ut *Deus majestatis*, pro, Deus magnus; *sanctuarium sanctitatis*, pro, sanctuarium sanctum; *spiritus veritatis*, pro spiritus verus vel verax; *mulier virtutis*, pro, mulier fortis et strenua. Quod etiam habet subindè locum cum aliis substantivis non abstractis, ut *mare salis*, pro mare salsum. Addo etiam subindè hæc abstracta pro concretis posita, nunc activè, nunc passivè sumi. Sic justitia pro justificatore sumitur 1 Corinth. 1, vers. 30, ubi Christus dicitur factus nobis justitia ; aliàs pro justificato, ut cùm 2 Corinth. 5, vers. ult., dicimur facti justitia in Christo.

Can. XXXIII. Nonnunquàm sensus unus, vel ipsius actus pro alio ponitur, imprimisque visus. Sic *videre voces*, Exod. 20, vers. 18, ponitur pro audire. Similia sunt apud profanos auctores, ut cùm Horatius dicit :

Densum humeris bibit aure vulgus.

Quemlibet verò sensum externum pro intellectu, et sensationem pro intellectione, propter universalitatem istius potentiæ, quæ in omne ens etiam sensibile cognoscendo fertur, sumi, nimis quàm familiare est. Psalm. 33 : *Gustate, et videte quàm suavis est Dominus*. Sic *audire*, 1 Cor. 14, vers. 2, ad Hebr. 5, vers. 11.

Can. XXXIV. Subindè potentia, vel actus potentiæ pro objecto ponitur, ut *visio*, pro re visâ, Daniel. 8, vers. 13, Habacuc 2, vers. 3. *Aspectus*, pro colore qui conspicitur, Levit. 13, vers. 10. *Auditus*, pro re auditâ, Isaiæ 53, vers. 1, Jerem. 49, vers. 23, Ezech. 7, vers. 26, et cap. 21, vers. 7, Habac. 3, vers. 1, et alibi. *Spes*, pro re quæ speratur, Pro-

verb. 13, vers. 12, Rom. 8, vers. 24, ad Coloss. 1, vers. 5. *Timor*, pro re quæ timetur, Gen. 31, vers. 42 et 53. Isa. 8, vers. 12. *Concupiscentia* et *desiderium*, pro re quæ concupiscitur et desideratur, ut Sap. 16, vers. 3, Psalm. 105, vers. 14, et Psalm. 77, vers. 29. *Expectatio* et *præstolatio*, pro re quæ exspectatur, Proverb. 17, vers. 8, et cap. 23, vers. 18. *Intellectus*, pro re intellectâ, Ecclesiastici 24, versic. 9. *Patientia*, pro re quæ patienter exspectatur, Jerem. 29, versic. 11. *Petitio*, pro re quæ petitur, 1 Joan. 5, vers. 15, Psalm. 105, vers. 15. Simile est cùm *ebrietas* ponitur pro eo quod inebriat, Isaiæ. 5, vers. 22, cùm *custodia* ponitur pro re quæ custoditur, vel custodiri debet, Habacuc. 2, vers. 1, Zachar. 3, vers. 7.

Can. XXXV. Verba realia subindè per mentalia vel verbalia exponenda sunt. Ad Rom. 2, vers. 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* hoc est, adducere decrevit, vel cogitavit. Levit. 13, vers. 6, 11, 20, 27 et 30, *mundabit* et *contaminabit*, significat mundum vel contaminatum pronuntiabit. Jerem. 1, vers. 10: *Constitui te super Gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et dissipes, et ædifices, et plantes* : hoc est, ut prædices, et prophetes evulsionem, destructionem, etc.

Can. XXXVI. Verba neutra subindè activè explicanda sunt, et verba activa per duplicem actionem, more conjugationis Hebrææ *Hiphil*. 2 Corinth. 2, vers. 14 : *Deus triumphat nos;* hoc est, triumphare facit. Osee 8, vers 4 : *Ipsi regnaverunt*, hoc est, regem sibi constituerunt. Psalm. 51, vers. 7, *Emigrabit te*, hoc est, emigrare faciet. Jonæ 3, vers. 7, *et clamavit*, scilicet rex, hoc est, clamare fecit. Roman. 8 : *Spiritus postulat pro nobis*, hoc est, postulare facit.

Can. XXXVII. Idem verbum geminatum semel in gerundio vel participio, et semel in alio tempore positum, emphasim et exaggerationem plerumque in asseverando habet, ut 2 Reg. 9, vers. 7: *Faciens faciam in te misericordiam;* hoc est, certissimè faciam. Psalm. 117, vers. 18 : *Castigans castigavit me Dominus;* hoc est, vehementer castigavit. Thren. 1, vers. 2 : *Plorans ploravit*. Habacuc 2 : *Veniens veniet;* hoc est, certissimè veniet. Sic etiam extrà gerundium vel participium : *morte morieris*, hoc est, certissimè morieris.

Can. XXXVIII. Idem substantivum geminatum, sed semel in genitivo plurali positum, excellentiam quamdam in eo genere significat, et superlativi vim obtinet, ut *Sancta sanctorum*, hoc est, sanctissima. *Canticum canticorum*, hoc est, excellentissimum canticum. *Vanitas vanitatum*, hoc est, res vanissima. Quod subindè habet locum etiam in diversis substantivis, ut Daniel. 11, vers. 17 : *filiam feminarum*, hoc est, filiam pulcherrimam feminarum.

Can. XXXIX. Eadem vox substantiva in eodem casu geminata, sive interpositâ particulâ copulativâ, sive non, multitudinem vel universitatem ejus rei significat. Psalm. 86: *Homo et homo natus est in eâ;* hoc est, multi homines nati sunt in eâ, scilicet Ecclesia, per Baptismum. Psalm. 144 : *Generatio et generatio laudabit opera tua;* hoc est, multæ vel omnes generationes. Joel. 3, vers. 14 : *populi populi*, hoc est, omnes populi. Psalm. 121, vers. 4 : *tribus tribus Domini*, hoc est, omnes tribus. Et frequens est illud in Hebræo איש איש *isch isch, vir vir*, hoc est, quilibet vir. Subindè tamen geminatio, interpositâ particulâ *et*, tantummodò duplicitatem vel diversitatem significat, ut Psalm. 11, vers. 3 : *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt;* hoc est, duplici corde.

Can. XL. Nonnunquàm pluralis numerus debet explicari disjunctìm. Joan. 6, vers. 45, et Act. 13, vers. 40, *in Prophetis*, hoc est, in uno aliquo ex Prophetis, vel hoc vel illo. Genes. 23, vers. 6 : *In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum;* hoc est, in aliquo ex selectioribus sepulchris nostris.

Can. XLI. Subindè Interpres noster, secutus Hebræos qui neutro carent genere, pro eo utitur feminino, ut Psalm. 26, vers. 4 : *Unam petii à Domino, hanc requiram;* pro, unum petii, hoc requiram.

Can. XLII. Hebraismo nonnunquàm antecedens simul et relativum ponitur, idque in diverso casu, ut Psalm. 10, vers. 5 : *Dominus in cœlo sedes ejus*, pro, Domini in cœlo sedes est.

Can. XLIII. Hebraismo subindè gerundium ponitur cum nominativo vel accusativo, quod habet vicem suppositi pro subjunctivo cum nominativo. Psalm. 115 : *In convertendo Dominus captivitatem;* pro, cùm converteret Dominus. Psalm. 141, vers. 4 : *In deficiendo ex me spiritum meum;* hoc est, cùm deficeret spiritus meus.

Can. XLIV. Frequens est in Scripturâ cujusvis generis enallage. Primò, temporis ; nam apud Prophetas sæpè res futuræ prænuntiantur per verbum præteriti temporis, propter rei futuræ certitudinem, vel per imperativum.

Similiter præteritum pro præsenti non rarò ponitur, Isa. 1, v. 1. Item perfectum pro plusquàm perfecto, ut Gen. 11, vers. 29, Joannis 18, vers. 24. Futurum non rarò ponitur pro præsenti, Psalm. 72, vers. 5 et alibi. Item futurum pro præterito, ut Psalm. 17, vers. 24, et Psalm. 39, vers. 10. Rursùm futurum pro imperativo, ut Genes. 4, vers. 7, Psalm. 50, vers. 9 et alibi sæpè. Item præsens pro præterito, ut Psalm. 47, vers. 3, et pro futuro, ut Psalm. 90, vers. 15. Secundò, more Hebræorum qui præsenti carent tempore, participium pro præsenti vel imperfecto ponitur, ut 1 Cor. 12, *ad simulacra euntes*, hoc est, ibatis. 2 Cor. vers. 12, *metientes, comparantes*, pro, metimur, comparamus. Tertiò, una persona ponitur pro alterâ, et ab unâ subindè ad alteram transitur, cùm de eâdem re est sermo. Sophon. 3, vers. 7, *ejus* et *eam* ponitur pro tuum et tuam, cùm anteà præcesserit secunda persona. Isa. 42, vers. 24, à primâ personâ pluralis numeri ad tertiam transitur: *peccavimus, noluerunt*. Psalm. 66, statim initio à tertiâ personâ ad secundam transitur. Quartò, singularis numerus pro plurali, vel contrà. Et à singulari ad pluralem transitur, maximè cùm suppositum est vox collectiva, ut Sophon. 3, vers. 7, *corruperunt*, cùm anteà præcessisset numerus singularis; et aliàs frequenter apud Prophetas, cùm populum, et Synagogam, vel aliam hominum multitudinem alloquuntur. Quintò, à genere ad genus fit transitus, cùm de eodem est sermo, maximè apud Prophetas, qui populum nunc sub populi vel Israelis nomine compellant, masculino genere, nunc sub nomine vineæ vel similis, genere feminino.

Can. XLV. Aliquandò una eadem locutionis forma, diversis locis usurpata, diversam, et ferè contrariam habet significationem, ut *portare iniquitatem*, modò significat ignoscere, vel veniam impetrare, ut Exod. 28, vers. 38, Levit. 10, vers. 17, et 1 Reg. 15, vers. 28; modò significat puniri pro peccato, ut Levit. 17, vers. ult., et cap. 14, vers. 15, alibique sæpiùs.

Can. XLVI. Juvat denique mirè ad intelligentiam Scripturarum, nosse idiotismos Hebraicos. Præter eos quos sparsim superioribus Canonibus indicavi, notabo hîc præcipuos aliquot et difficiliores.

Primò, *Gladium* vocant quidquid pungit, torquet, et cruciat.

Secundò, *Vasa* vocant quævis instrumenta, ut *vasa mortis*, instrumenta omnia quibus mors infertur; *vasa belli*, arma omnia et instrumenta bellica; *vasa psalmi et cantici*, instrumenta omnia musica.

Tertiò, *adipem et medullam* in quâque re vocant, quod est præstantissimum. Sic *adeps frumenti, medulla olei, vini*, etc. Num. 18, versic. 12, Deut. 32, vers. 14, Psalm. 80, vers. ult.

Quartò, *Penna solis*, Malach. 4, sunt ejus radii.

Quintò, *Animam suam habere*, vel *ponere in manibus*, est exponi vel exponere vitam suam periculo; quod indè sumptum est, quòd ea, quæ in manibus nostris sunt, facilè excutiantur.

Sextò, *Revelare aurem alicujus*, est admonere, et alteri indicare quod ignorabat, ut 1, Reg. 9, vers. 15, et cap. 20, vers. 13.

Septimò, *Baculus panis*, est alimentum, quo quis indiget ad sustentationem, sicuti senes baculi auxilio incedunt, ut Levit. 26, vers. 26.

Octavò, *Calix*, sors est cujusque, seu bona, seu mala.

Nonò, *Exitus et introitus*, vel *ingressus et egressus alicujus*, est omnis vitæ ipsius actio, conversatio et negotia : 2 Reg. 3, vers. 25, et alibi.

Decimò, *Pactum salis*, Num. 18, vers. 19, et Paralip. 13, vers. 5, est pactum firmum et incorruptum; sal enim à corruptione præservat.

Undecimò, *Benedicere*, per antiphrasin ponitur pro maledicere : Job. 1, vers. 11, et cap. 2, vers. 5 et 9 ; item 3, Reg. 21, vers. 13. Similis antiphrasis est in voce *sanctificari*, Deut. 22, vers. 9, quæ ibi significat pollui.

Duodecimò, *Commune* dicitur quidquid est immundum, vel profanum : Deut. 20, vers. 6, et 1 Machab. 1, vers. 50, Marc. 7, versic. 2, Act. 10, vers. 14 et 15, ad Rom. 14, vers. 14. Hinc et *communicare* est polluere et coinquinare, Marc. 7, vers. 15, 18, 20, 23.

Decimotertiò, *Cornu* subindè potentiam, eò quòd cornutorum animalium robur sit in cornibus; subindè regnum significat, quòd humana potentia maximè in regibus spectetur. Prioris exemplum est Deuteron. 33, vers. 17, Psalm. 43, vers. 6, Psalm. 74, vers. ult. Posterioris, Ecclesiastici 47; vers. 13, Ezech. 29, vers. ult., Daniel. 7 et 8, Ps. 131, vers. 17, Luc. 1, vers. 69.

Decimoquartò, *Domum alicui facere*, vel *ædificare*, est dare illi prolem et posteritatem : Exod. 1, vers. 21, et 1 Reg. 2, vers. 35, et 3 Reg. 7, vers 11, et 1 Paralip. 7, vers. 10 et 25.

Decimoquintò, *Funis* vel *funiculus*, hereditatis portio, quæ alicui obveniebat, dicitur, quia scilicet funibus mensurari solebant prædia : Psalm. 15, vers. 6, Deut. 32, vers. 9, Josue 17, vers. 5, et alibi.

Decimosextò, *Græci* vocantur omnes gentiles, in Actis Apostolorum et Pauli Epistolis non semel.

Decimoseptimò, *Sicuti est dies hæc*, vel *secundum diem hanc*, quod sæpiùs habes in veteri Testamento, significat : sicuti hodiè apparet.

Decimooctavò, *Implere manum alicujus*, vel suam, Judic. 17, versic. 5 et 12, item 3 Reg. 13, vers. 33 et 2, Paralip. 29, vers. 31, est consecrare aliquem, vel consecrari in Sacerdotem. Imò Ezech. 43, vers. 26, pro consecrare altare, dicitur *implere manum ejus*. Hujus locutionis ratio est quòd manus illius qui in Sacerdotem consecrabatur, ungerentur, et oleo implerentur.

Decimononò, *Esse in caput*, vel *in caudam*, est primum vel ultimum fieri, Deut. 18, vers. 13 et 44.

Vigesimò, *Levare manum*, etsi plura significet, specialiore tamen usurpatione, significat juvare ; Genes. 14, vers. 22, Exod. 6, vers. 8, Num. 14, vers. 30 et alibi.

Vigesimoprimò, *Manus* aliquandò significat idem quod littus, vel latus : Psalm. 103, vers. 25, Ecclesiastici 14, vers. 25 et alibi.

Vigesimosecundò, *Onus* apud Prophetas, est Prophetia quæ afflictionem et punitionem prænuntiat.

Vigesimotertiò, *Pingues* vocantur homines potentes et primarii, Psalm. 77, vers. 31, Isa. 10, vers. 16.

Vigesimoquartò, *Ponere faciem suam contra aliquem*, est irasci alicui, et velle punire : contrà, *ponere oculos super aliquem*, significat ei favere, et velle benefacere.

Vigesimoquintò, *Portæ* non rarò ponuntur pro forensibus judiciis. Thren. 5, vers. 14, Prov. 22, vers. 22, et cap. 24, vers. 7, et cap. 31, vers. 23 et alibi. Ratio, quia apud Judæos in portis exercebantur judicia.

Vigesimosextò, *Prophetare*, præter communem significationem, subindè significat Deum laudare, ut 1 Reg. 10, vers. 5, 10, 12 et 13. Aliàs significat insanire, vel insana loqui, ut 1 Reg. 18, vers. 10 et 3, Reg. 18, vers. 29, Jerem. 29, vers. 26. Aliàs significat miraculum patrare, ut Ecclesiastici 48, vers. 14, aliquandò Scripturas interpretari, ut 1. Corinth. 14.

Vigesimoseptimò, *Sacerdos* subindè pro principe sumitur, ut 2 Reg. cap. 8. vers. ult.

Vigesimooctavò, *Caput canis* est res admodùm vilis ; 2 Reg. 3, vers. 8.

Vigesimononò, *Ludere* subindè est duellum committere, 2 Reg. 2, vers. 14, subindè persequi et vexare ; Genes. 21, vers. 9, subindè idola colere, vel saltationes ac tripudia exercere ; Exod. 22, vers. 6.

Trigesimò, *Indui re aliquâ*, est illam in se habere, ac possidere ; Psalm. 92, vers. 1, ad Rom. 13, vers. 14 et alibi.

Trigesimoprimò, *Os gladii* vocatur ejus acies. Sic *percutere, interficere in ore gladii*, Deut. 20, vers. 12 et 17, alibique sæpiùs.

Trigesimosecundò, *Fodere* significat emere, ac pretio comparare, Osee 3, vers. 2.

Trigesimotertiò, *Ad dextram vel sinistram ire*, est vel aliò ire, vel à rectâ viâ aberrare.

Trigesimoquartò, *Anima* subindè ponitur pro cadavere, quod caret animâ ; Num. 9, vers. 6, Aggæi 2, vers. 14.

Trigesimoquintò, *Blasphemare* non rarò ponitur pro contumeliis probrisque afficere quempiam, ut 2 Reg. 21, vers. 21.

Trigesimosextò, *Apponi populo suo*, vel *ad patres suos*, vel *congregari ad illos*, est mori, seu inter mortuos censeri.

Trigesimoseptimò, *Heri et nudiustertius*, hoc est, præterito tempore ; *cras*, hoc est, tempore futuro.

Postremò notanda est particularum vis et significatio varia, id enim ad totius Scripturæ intelligentiam mirum in modum confert : verbi gratiâ, præpositio *In*, ferè omnium aliarum præpositionum vicem et significationem induit ; conjunctio *Et*, nunc pro *aut* disjunctivâ, nunc pro *enim* vel *quia*, nunc pro *autem*, nunc pro *sed*, nunc pro *ergò*, nunc pro *ut*, pro *sic*, pro *sicut*, pro *etiamsi*, pro *ideò*, pro *prætereà*, pro *tamen*, pro *quin etiam*, pro *id est* sumitur ; alibi redundat.

VALTONI VITA.

Valtonus, anglicè Walthon (Brianus), è Clevelandiâ in comitatu eboracensi, maximâ eruditionis famâ apud suos florebat, cùm *Biblia polyglotta* edidit Parisiis Michael Le Jay. Quod immoderato venumdari pretio videntes Angli, Valtonum adivêre deprecantes ut propriam patriæ *Bibliorum polyglottorum* editionem conderet. Grande igitur aggressus pensum Valtonus, juvantibus Edm. Castello, Alex. Huisso, Samuel Clerico, ac Thomâ Hyde, plurimisque ob regium favorem innixus privilegiis nec non nummariè à concivibus sustentus, primum edidit volumen *Bibliorum polyglottorum*, Londini, 1654. Quæ sequentibus annis continuata, sex tomos in-f° explevêre 1657, quorum primo præfixa est posthàc auctoris effigies. Legenti mirandum prorsùs videtur tantâ linguarum peritiâ et varietate digestum opus paulò minùs quàm quinque annis exactum fuisse. Quippè quod, licèt voluminum numero et præsertim amplitudine impar sit editioni parisianæ, tamen præter multas quæ in hâc continentur versiones orientales, varia habet hactenùs in polyglottis inedita.

« *Biblia Polyglotta,* inquit Jacobus Lelong (1), *Anglicana vel Londinensia nuncupata, complectuntur textus originales, hebraicum cum Pentateucho samaritano, chaldaicum, græcum, versionumque antiquarum, samaritanæ, græcæ, Septuaginta interpretum, chaldaicæ, syriacæ, arabicæ, æthiopicæ, persicæ, Vulgatæ latinæ; quidquid comparari poterat cum textuum et versionum orientalium translationibus latinis ex vetustissimis manuscriptis undiquè conquisitis, optimisque exemplaribus impressis summâ fide collatis. Quæ in prioribus editionibus deerant suppleta; omnia ex ordine disposita, ut textus cum versionibus uno intuitu conferri possint.* »

Bibliis Polyglottis Londinensibus plurimæ præpositæ sunt de variis bibliorum editionibus dissertationes quæ vulgò Valtoni *Prolegomena* appellantur, et in quibus potissimùm elucescit quantâ judicii sapientiâ quantoque acumine, quantâ simul linguarum orientalium peritiâ præcelleret. Narrant quidam Pearsonum, inter Anglos doctrinâ insignem virum, collaboratorem in hoc opere perutilem adfuisse. Quidquid id est, Carolo II in Britanniæ sceptris reposito, litteras nuncupatorias scripsit Valtonus, quas in Bibliorum suorum limine curavit imprimendas: quamobrem Cestriensi episcopatu à Carolo fuit donatus, in quo obiit anno 1661.

Non semel Valtoni *Prolegomena*, ex quo mortuus est, typis mandata sunt, primò Tigure in Helvetiâ 1673, et posteà Lugduni Galliarum. Quæ posterior editio gallico facta sermone, decurtatior est mendisque scatet. Tiguris igitur editionem elegimus, ut egregium hocce opus, necessarium ad Præloquia Bonfrerii additamentum, recuderemus. Cùm verò, quamdiù viveret, religionem anglicanam secutus sit Valtonus (2), à proposito nostro leviter declinandum existimavimus, emendatis pauculis quæ catholicam fidem minùs quàm decet redolere videbantur.

(1) Vide Bibliothecam sacram, p. 34 et seq.

(2) Catholicis ex scriptoribus nullus exstat qui speciale de variis Bibliorum editionibus opus exegerit. Nobis igitur quemdam inter *Protestantes* admittere coactis, nihil potius superesse poterat, quàm ut errores de fide hic illic sparsos in ipsâ textûs compagine emendaremus. Sic enim multæ effugiuntur discussiones quæ in cursu theologico extensè aptiùsque tractabuntur. Non aliter egit doctissimus Ackermann cùm Iannhi archeologiam reviseret, ut videre est in Introductionis nostræ parte tertiâ.

VALTONI PROLEGOMENA.

Caput primum.

DE PRÆCIPUIS BIBLIORUM EDITIONIBUS.

Ut magnum et ineffabile erat divinæ bonitatis argumentum, voluntatem suam de salute humanâ, primò per homines θεοπνεύστους scripto consignare, quò meliùs doctrina cœlestis contrà temporum injurias conservari posset, sic, postquàm sacrorum scriptorum αὐτόγραφα vetustate consumpta perierant, (ἀπόγραφα verò omnia ab hominibus errori obnoxiis descripta sunt), non minùs invigilavit divina providentia, ne in exemplaria Sacra quicquam irreperet, quòd vel fidem labefactaret, vel saluti officeret; sed ut sanctissima hæc salutis humanæ monumenta sarta tecta in omne ævum durarent. Ecclesia enim Christi (cui concredita sunt oracula cœlestia, quam constituit Deus columnam et firmamentum veritatis, et cui se semper adfuturum promisit Dominus usque ad consummationem sæculi,) semper habuit viros doctrinâ ac pietate claros, qui situm et squalorem, quem ex frequenti exemplarium descriptione, scribarum oscitantiâ vel audaciâ, et rectorum Ecclesiæ inadvertentiâ, divina volumina contraxerant, emacularent, et per collationem antiquorum codicum, aliaque media, pristino nitori restituerent. Hinc sæpiùs novæ editiones adornatæ (præsertim hoc ultimo sæculo), in quibus nullam non adhibuit diligentiam Ecclesia, ut sacrum hoc depositum custodiret, et doctrinam in eo consignatam, prout ab ipso auctore eam acceperat, posteris (quantùm fieri potuit) puram et incorruptam traderet. Haud inutile itaque judicavimus, celebriores Bibliorum editiones, quæ variis sæculis, (præsertim hoc ultimo) prodierunt, enumerare, et quid in singulis præstitum sit breviter indicare. Primò autem dicemus de Editionibus, quæ factæ sunt in linguis originalibus, quibus Scripturæ primùm conscriptæ sunt; posteà de versionibus ex fontibus in alias linguas traductis.

Prima et maximè celebris librorum Veteris Test. editio, erat illa Esdræ (quem alterum Moysem vocant Judæi) et Synedrii magni, sive virorum magnæ Synagogæ, post reditum à Babylone. Nam cùm toto captivitatis tempore negligenter servata fuerint Sacra volumina, quia nec erat templum nec tabernaculum, ubi authentica exemplaria erant deposita, codices ex variis locis collegerunt, ordinârunt, et in unum corpus redegerunt Esdras et socii; quæ vitiata erant, repurgârunt et integritati suæ restituerunt, et sic Canonem constituerunt. Erat verò hæc ipsorum constitutio divinæ prorsùs auctoritatis, cùm in isto Synedrio essent non tantùm Esdras, sed et Prophetarum ultimi, Aggæus, Zacharias, Malachias, et (ut quibusdam videtur) Daniel; qui omnes partem Canonis ab ipsis sanciti instinctu divino priùs scripserant. Libri verò hi primùm in 24 volumina distributi erant, ut asserit El. Lev. Præf. 1 in Mas. Hammasor, et Buxtorf., comment. Masoreth., c. 11. Compendii verò causâ, et ad juvandum memoriam in libros 22. ab ultimâ antiquitate distincti, juxtà numerum litterarum Hebraicarum. Sic Joseph. in Appion. l. 2, Euseb. Hist. Eccles. l, 3, c. 10, Hieronym. in Prolog. Galeato, et alii. Rem totam dilucidè explicat Sixtus Senens. Biblioth. l. 1, p. 2, cujus verba sunt: *Apud Judæos libri sacri, qui soli in auctoritate habentur, triplici numerorum varietate supputari solent. 1° Quidam, inter quos Joseph. et Philo, supputârunt libros sanctos juxtà nmmerum litterarum Hebraicarum: ut, sicut apud Hebræos duæ et viginti sunt litteræ, quibus omnia, quæ dici scribique possunt, comprehenduntur, ità viginti duo volumina sunt, quibus continentur omnia quæ de divinis rebus scribi et enunciari queant; quam enumerationem secuti sunt inter Christianos Origenes, Epiphanius, Gregorius Theologus, Hieronymus, Ruffinus. 2° Alii ex Judæis (de quorum numero sunt Aben Ezra et*

D. Kimchi) 24. *libros Vet. Test. recensent, juxtà eumdem litterarum numerum, ter tamen repetitâ litterâ* Jod, *in honorem divini nominis. Solent enim Judæi nomen Dei quadrilitterum (quod apud ipsos propter Dei reverentiam linguâ et voce proferre nefas est) triplicatâ litterâ* Jod, *Chaldaico more, conscribere, hoc modo* יי. *Hanc partitionem nonnulli veterum Græcorum, quòd aptissimè conveniret numero* 24 *Græcarum litterarum, susceperunt; et Latinorum plerique, tùm prisci, quàm recentiores, pari studio complexi sunt, respicientes ad mysticum illum numerum* 24 *seniorum in Apocalypsi,* etc. *Rursùs Hebræorum nonnulli* 27 *libros numerare consueverunt, juxtà numerum* 27 *characterum Judaicocorum, additis* 5 *litteris finalibus.* Hactenùs Sixt. Senens. Inter hos non numerantur libri Esdræ tertius, Tobiæ, Judith, Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, Macchabæorum, nec additamenta ad Estheram et Danielem; quòd extrà controversiam est, cùm ex Josepho constat, eosdem pro libris sacris, habitos. Nam contrà Appionem loca quædam profert ex his sub nomine librorum Sacrorum : undè et à primis Christianis recepti sunt, et cum reliquis Scripturæ libris in uno eodemque volumine semper conjuncti, et inter libros Ecclesiasticos relati.

De his libris Vet. Test. opinio est quorumdam, tàm antiquorum, quàm recentium, omnia exemplaria incendio templi conflagrâsse, vel in captivitate Babylonicâ periisse ; ab Esdra verò (suggerente Spiritu sancto) de novo reparata fuisse. Quòd ex spurio et (ex omnium sententiâ) Apocrypho libro 4 Esdræ adscripto, cap. 14, probant, ubi scriptum est Esdram totis 40 diebus divino Spiritu afflatum, quinque viris dictâsse qui summâ celeritate, quæ ab eo dicebantur, excipiebant : hoc modo totam Scripturam reparatam fuisse. Citant etiam Basil. Epist., ad Chilonem, cujus verba sunt : *Hic campus, in quo Esdras, secessu facto, divinos libros ex mandato Dei eructavit.* Ejusdem etiam sententiæ videntur esse Clem. Strom. 1, Tertull., de habitu mulier., c. 3, Irenæ. lib. 3, cap. 25, Isid. Etymol. lib. 6, cap. 1, cum aliis. Hoc si verum esset, nihil derogaret canonicæ Verbi divini auctoritati, cùm Esdræ Prophetæ et à Deo edocto Canonis restitutio adscribatur. Nequaquàm tamen admittendum est, cùm fabuloso nitatur fundamento; undè et impugnatur à Bellar. l. 2, de verbo Dei, c. 1, à Marianâ Vict. in Schol. ad Hieron. Prol. Galeatum, aliisque plurimis. Liber enim iste fabulas Judaicas in multis redolet ; et in illo ipso capite auctor loquitur de aliis libris secretis, et perfectiorem doctrinam continentibus, ut Judæi solent de suâ cabalâ et lege orali. Præterea non erat unicum tantùm legis exemplar, sicut unica erat arca, quæ cum templo in cineres redacta est ; sed tùm rex, tùm populus, plura exemplaria habebant à scribis descripta, ex quibus levitæ et sacerdotes per tribus dispersi populum instruebant; et ad hoc ex mandato divino tenebantur : imò statuunt Rabbini unumquemque teneri librum legis per se vel per alium descriptum habere. An verò probabile est Prophetas, Ezechielem, Jeremiam, Aggæum, Zach., Malach., Esdram, etc., viros sanctos, zelo legis ardentes, nulla exemplaria habuisse ? Imò de Daniele expressè dicitur : *eum intellexisse ex libris numerum annorum Captivitatis, anno primo Darii,* Dan. 9, et cùm populus Esdræ dixerit : *ut legem Moysis adferret, eamque perlegeret*, non petunt, ut librum legis de novo conscriberet, sed ut adferret, quia sciebant exstare. Chrysostomus, Hom. 8 ad Hebr., dicit : *ex reliquiis Scripturæ Esdram iterùm eam composuisse.* Sic Hilar., Præf. in Psal., dicit, *Esdram omnes Psalmos collegisse, et ex iis unum librum confecisse.* Theodor. etiam in Præf. in Psal. ait : *Scripturam vetere tempore Captivitatis depravatam, ab Esdrâ fuisse restitutam.* Basil. verò : *plateam, ubi populus adstabat ad legem audiendam*, intelligit, alludens ad Esdr. 8. Ad testimonia verò Clem., Tertul., Irenæi, etc., negat Bellarm. : *eos hoc apertè docuisse, sed Esdram tantùm recensuisse, et instaurâsse libros Vet. Testamenti*, nec de historiâ illâ Esd. 4 aliquid dicunt. Hieronymus Esdram *legis Instauratorem* vocat, quòd *codices sacros repurgaverit, in ordinem redegerit, et adhibitis novis characteribus,* Assyriis scilicet quibus populus assuetus erat (*veteribus* Cuthæis, sive *Samaritanis*, hostibus Judæorum capitalibus, *relictis*), *codices quasi novos confecerit, prioribus abrogatis* ; quod fortâsse fabulæ occasionem dederit.

Ipsum verò Esdræ αὐτόγραφον quidam nimis creduli hodiè exstare volunt in civitate Bononiensi, in Ecclesiâ S. Dominici : sic Finus Adrianus in flagello Judæorum, lib. 4, cap. 2, Ang. Roecha in Biblioth. Varic., p. 394. Addit Finus : *Biblia hæc multis locis vitiata esse, quia per communitatem Bononiæ loco pignoris data fuissent Judæis, à quibus pecunias mutuata est civitas.* Hæc verò habent ex traditione, vel potiùs errore populari Bononiensium. Cùm verò nec in Judæorum antiquorum, nec in Christianorum Patrum scriptis, ulla sit

mentio hujus exemplaris, planè fictam esse narrationem unicuique constare potest. Undè et eam rejicit Morinus Exercit. Bibl. 1, cap. 2. Refert quidem Ar. Mont., præf. de variis Hebr. lection., *se hunc codicem vidisse*, et ut *antiquum et elegantem* laudat; sed Esdræ non adscribit. Simile commentum est, quòd habet R. Azar., cap. 4, part. 3 libri Meor Enajim, de Esdræ codice Cabilione ad Ararim (fortè Chalone in Galliâ, ad fluvium Saona) conservato; et quòd *Maimon ex Ægypto Cabillonem venerat, ut librum Legis cum hoc MS. Esdræ conferret*, etc., quod merum figmentum esse, ipsa Azariæ relatio, si cuiquam locum inspicere libeat, clarè ostendit.

Post hanc Esdræ editionem authenticam, alias numerant quidam post tempora Antiochi. Nobilis verò illa 70 Seniorum versio, de quâ suo loco, inter editiones textûs Hebræi non est ponenda. Genebrard., Chron. l. 2, duas facit editiones. Quæ verò de duplici vel triplici Canone ab iis dicuntur cùm nullo nitantur veterum testimonio, sed conjecturis meris, eâdem facilitate rejiciuntur, quâ affirmantur. Hoc quidem certum est, Josephum, lib. 2 contrà Appionem citare verba Eccles. 42, 14, ut ex divinâ lege deprompta; et Rabbinos in utroque Talmude, et in aliis ipsorum libris, sententias quasdam ex his libris proferre. Undè Junil. Afric., ib. de part. divin. legis, cap. 3, ait, *hos libros à Judæis cum aliquâ differentiâ recipi;* idemque testatur Hieron. aliique veterum. Nec minùs certum est, hos libros non æqualem cum cæteris habuisse auctoritatem : disertè enim testatur Josephus, lib. 1 contrà Appionem, *præter illos* 22 *libros esse et alios, sed non simili dignos fide*. Nam postquàm numerâsset libros illos 22, addit : *Ab Artaxerxe verò usque ad nostrum tempus, singula quidem conscripta* (volumina,) *non tamen prioribus simili sunt fide habita, eò quod non fuerit certa successio Prophetarum*, qui in Canone illos inscribere potuerunt. Post Antiochi verò tempora, qui in libros sacros sæviebat, et omnia exemplaria comburi jussit, Legemque à Judæis prælegi sub pœnâ capitis prohibuit (undè ortum habuerunt lectiones Prophetarum, quæ Haphtaroth vocantur), et templum idolis polluit et prophanavit (cessante demùm persecutione, templo repurgato, et Religionis exercitio publicè instaurato), probabile quidem est, Pontificem cum sacerdotibus libros sacros recensuisse, et si quas maculas tempore persecutionis contraxissent, emendâsse ; at alium Canonem constituisse, vel alios libros in Canonem recepisse, nulla vel probationis umbra ab ullo fide digno historico profertur.

Post Christi Ascensionem, cùm ubique prædicâssent Evangelium Apostoli, tandem scripto doctrinam suam consignârunt; at non simul, sed successivè, ut ex scriptoribus Ecclesiasticis liquet. Ultimus, S. Joannes Apocalypsim suam conscripsit : quæ tamen non statim apud omnes Ecclesias in Canonem recepta est, sed de hâc aliisque quibusdam partibus N. Testamenti per quædam sæcula dubitatum erat, donec tandem omnes libri, prout hodiè leguntur, recepti et approbati sint. Sed cùm non de primâ librorum sacrorum scriptione, vel receptione, nostra instituitur dissertatio, sed tantùm de eorum editionibus præcipuis, nolo hic diutiùs immorari.

Veteris Test. post Christi adventum varias habuerunt editiones tàm Judæi, quàm Christiani. Inter Judæos, nobilissima erat illa Masoretharum Tiberiensium; qui ad faciliorem textûs lectionem, et ut meliùs servaretur vera lectio cum rectâ pronunciatione (quam usu et majorum traditione acceperant), puncta vocalia et accentus textui apposuerunt circà annum Christi 500, quorum ope etiam linguæ Hebraicæ ignari eam facilè legere et addiscere possunt. Notas etiam criticas, cum Keri et Ketib, quæ hodiè in Bibliorum marginibus cernuntur, ex parte addiderunt. Etsi verò quædam ex nimiâ curiositate, quæ sine dispendio abesse poterant, excogitârunt, inventum tamen laudabile erat, et ob evidentem utilitatem ab omnibus statim receptum.

Codices etiam quosdam, variis seculis, summâ curâ et studio elaborârunt insigniores Rabbini ; per quos exemplaria reliqua corrigi et emendari poterant. Nam antè inventionem artis typographicæ, à doctioribus Rabbinis et grammaticis libri quidam accuratè et magnâ diligentiâ conscripti erant : ad quos, ut ad lapidem Lydium, exemplaria sua vicini Judæi examinârunt et correxerunt; quorum multos recenset Elias in Tabulis fractis. Talis fuit, 1° Codex Hillelis. 2° Codex Ben Ascher, qui etiam Palæstinus sive Hierosolymitanus, ut et Ægyptius, dicebatur. 3° Codex Ben Naphtali sive Babylonicus. 4° Codex Sinai. 5° Pentateuchus Hierichuntinus. 6° Codices Hispaniæ. De Codice Hillelis scribunt Elias in Tab. fract., D. Kimchi, D. Hortingerus Thesauro Philol. J. Morin. in Pent. Samar., exercit. 4, c. 9, et in Exer. Bibl. 1, c. 2. Codex hic ab Hillele quodam scriptus, et magno studio correctus

est ; per quem vulgus Judæorum codices suos probârunt. Hujus codicis auctoritatem sæpiùs adducit Kimchi, et de eo scribit Abr. Zucuth in Juchasin, anno mundi 4956 : *Cùm magna defectio contigit in regno Legionensi, eductum fuisse librum* 24 (Biblia scil.), *qui Hillelis dicebatur, quem scripsit R. Hillell. ex quo corrigebant omnes libros.* Testatur etiam se vidisse *partem ejus, quæ vendebatur in Africâ*, illo verò tempore, 900 fuisse annos, cùm scriptus erat. Kimchi etiam, parte primâ Grammaticæ memorat codicem illum fuisse Toleti. Cùm verò plures fuerint Hilleles, disputant quisnam fuerit iste Hillel. qui librum hunc exquisitum scripsit. Quidam volunt esse Hillelem Babylonicum, qui Christi tempore vixit, et multos habuit in scholâ suâ Rabbinos celebres ; sic Schickardus, de Jure Reg., pag. 19. Alii volunt esse Hillelem illum apud Epiphanium in Panario, qui princeps inter suos dictus erat ; et, ut quidam, Christi fidem suscepit, et baptizatus est : sic D. Buxtorf., de punctis vocalibus, pag. 553. Nepos hic fuit R. Jehudæ auctoris Mishnæ, et circà annum Christi 340 floruit. Alii dicunt fuisse quemdam Hillelem recentiorem in Hispaniâ ; ad cujus exemplar Hispani Judæi libros suos abhinc 500 annis emendare solebant. Antiquum illum non fuisse ferè omnes concedunt ; nec ullam rationem, vel testimonium antiquum adducit Schickardus pro hâc sententiâ. Non fuisse illum, qui Christianus factus est, indè liquet quòd illum posteriores Judæi nunquàm ità honorârunt, nec codicem illius ità extollerent, si ad fidem conversus esset. Imò neutrum horum antiquorum fuisse satis apertè constat. Nam si tantæ esset antiquitatis, Masorethæ, reliquique critici, libros suos ex hoc emendâssent ; nec Ben Ascher et Ben Naphtali tantùm operæ impendissent in codicibus suis edendis, vel tantùm discrepâssent, cùm uterque ex Hillelis codice suos corrigere, eique conformes reddere possent. Restat itaque fuisse recentioris cujusdam Hillelis, qui post Ben Ascher et Ben Naphtali vixit; et fortâsse Hispani illius. Meminit tamen Ramban, in lib. Jetsirah., fol. 62, libri Helleliani ; vixit autem Ramban, teste Buxt. in Abbreviaturis, circà annum Christi 1200. Et Joh. Morinus exercit. in Pent. Samarit. 4, c. 9, n. 4, describit exemplar MS. Hebr. in Bibliothecâ Oratorianâ, scriptum anno Christi 1208, ubi duo illi versus Jos. 21, 36, 37, primum scripti fuerant ; sed posteà ab eo qui scripserat, erasi sunt, hâc notâ in margine additâ : *Non invenimus illos duos versus in Hellelianis.* Si quis tamen antiquiorem fuisse probaverit, me contradicentem non habebit. Ratio etiam probabilis reddi potest, cur non habeamus codices Hebræos ità antiquos, ut Græcos quosdam Veteris ac Novi Testamenti : quia scilicet post Masoretharum criticam et punctationem ab omnibus receptam, Judæorum magistri omnes codices his non conformes, ut profanos et illegitimos, damnârunt : undè post pauca sæcula, omnibus juxtà Masoretharum exemplaria descriptis, reliqui rejecti et aboliti. Hinc est, quòd pauca habemus exemplaria Hebraica 500 vel 600 annorum : quædam tamen affirmat D. Buxtorfius se vidisse annorum 700 vel 800, quæ rarissima. Græca tamen habemus suprà mille ducentos annos abhinc scripta, ut MS. Vaticanum, nostrumque Alexandrinum, 70 Interpretum, etc.

Codices Ben Ascher et Ben Naphtali conjungimus. Erant hi Rabbini, ut scribit Elias, duo capita sive rectores academiarum, et à R. Gedal. vocantur *magni sapientes :* certè nobiles suo sæculo Masorethæ fuerunt. Ben Ascher, ut ex libro de accentibus constat, qui in Bibl. Ven. primis exstat, et huic auctori adscribitur, fuit ex Tiberiade, juxtà Gennesareth, vel rector academiæ, vel doctor celebris. Ubi obiter notandum Tiberiade, post punctationem inventam, longo tempore fuisse scholas et doctores. Ben Naphtali putatur fuisse Babylonius, undè Orientales ejus lectionem sequuntur. Floruerunt, teste eodem Gedaliah, circà annum æræ Judaicæ 4794, id est, Christi 1034. Uterque multùm laborat, ut Biblia quàm emendatissimè ederent. Ortæ tamen inter eos dissensiones, non de dictionibus integris vel litteris, sed de punctis vocalibus, præsertim et accentibus minoribus. Differentes utriusque lectiones notantur in Bibliis Venet. et Basiliens., sed valdè confusè; nec notantur capita vel versus, ubi inveniuntur, quod in solis nostris Bibliis, id est Polyglottis London, hactenùs factum est. Magni nominis uterque erat : undè Babylonii secuti sunt lectionem Ben Naphtali, Palæstini Ben Ascher : ad cujus normam conformantur omnia Bibliorum exemplaria impressa. Codex autem hic Ben Ascher aliquandò vocatur Ægyptiacus, de quo Maim. in Hil. seph. Thora., c. 8. s. 4, ità scribit: *Liber, cui innixi sumus in rebus istis, est liber celeberrimus per Ægyptum, qui à plurimis annis erat Hierosolymis, ut ex eo corrigerentur libri. Huic autem omnes innitebantur, eò quòd cùm eum correxisset Ben Ascher, et multos annos diligentem in eo operam navâsset, et sæpiùs eum recensuisset, istum librum secutus*

sum et ego in libro Legis, quem descripsi juxtà ejus formam. De hoc etiam libro scribit Elias, scilicet: *Librum esse, cui inititur R. Jonas Grammaticus, qui fortàsse est liber quem emendavit B. Ascher, qui longo tempore Hierosolymis vixit.* Addit, *ad hujus libri formam descriptos codices vocari libros Israelis, id est, Palæstinorum ; codicem verò Ben Naphtali vocari Babylonicum.* R. Moses Bar Nachman quem per abbreviaturam vocant Ramban, qui circà annum Christi 1200 floruit, comment. in Lib. Jetsirah., fol. 61, meminit trium codicum præcipuorum, cùm dixi : *in* עתה *non reperiri Dhagues per totam scripturam, ut deprehenditur ex accuratâ perquisitione in omnibus libris Babylonicis et Hierosolymæ, nec in libro Hilleliano.* Ex quibus verbis liquet hos tres codices tunc celebres fuisse. De Ben Ascher et Ben Naphtali, vide D. Buxt., l. 1, de Punctis, c. 15.

Codex Sinai erat Pentateuchus emendatus, ut scribit Elias in Tab. fractis. Dicit enim : *Sinai esse, nomen Pentateuchi correcti, tractantis diversitatem accentuum.*

De Pentateucho Jerichuntino idem Elias ibid. scribit, *hunc codicem agere non de accentibus, ut Sinai; sed de vocibus plenis et defectivis. Vocat Chumasch Jericho, exemplar Legis correctissimum Jerichunte allatum.*

Præter codices hos MSS. celebres inter Judæos non desunt codices M. SS. Hebraici antiquissimi, qui hodiè in Bibliothecis Christianorum exstant. Scribit Ar. Mont. *se habuisse quosdam,* ut ex modo scripturæ conjicit, *antè* 400 *annos descriptos, et in Complut. academiâ esse antiquiores, Bononiæ et Mediolani antiquissimos.* In Coll. Gonvilli et Caii Acad. Cantab. exstat MS. exemplar antiquissimum, cui deest Pentateuchus ; et hoc peculiare habet, quòd nullum Keri in margine notatur, ut in aliis exemplaribus, sed in textum plerumque inseritur; ut ex collationibus hujus libri cum hodiernis impressis, quas mihi misit vir doctiss. istius academiæ, apparet. Habeo exemplar MS. quod olim erat Joh. Seldini, scriptum annis abhinc 350, cum variis lectionibus Orientalium et Occidentalium, Ben Ascher et Ben Naphtali ; ex quibus quædam supplevimus in nostris Bibliis, quæ nec in Venetis, nec in Basileensibus habentur. Erat quondàm Leonis Modenæ, scriptum verò anno Judaicæ 5064, Christianæ 1304, ut in fine libri notatur. Joh. Morinus meminit etiam exemplarium quorumdam antiquorum, ex occasione versuum duorum Jos. 21, 36, 37, qui in plerisque antiquis codicibus desunt. In Pent. Samar. exerc. 4, c. 9, n. 4, 5, 6, 7, memorat unum esse in Biblioth. Oratorianâ descriptum anno Christi 1208 ; aliud ibidem scriptum anno 1300 ; aliud in regiâ bibliothecâ, quod ut fertur, Veneti Henrico 2 regi obtulerunt, propter antiquitatem magnam, cùm è Poloniâ in Galliam rediens Venetiis hospitaretur. In horum primo fit mentio codicis Hillelis, in quo deficiebant isti versus ; in reliquis etiam desunt. In bibliothecâ Heidelb. exstabat codex MS. antiquissimus, cujus auctoritatem D. Junius codicibus vulgaribus prætulit, ut ex versione ejus Lat. 2, Chron. 26, 5, et 35, 3, liquet. Dicit etiam D. Buxtorfius quosdam codices esse MSS. Hebraicos antè annos 800 exaratos, Anticrit., p. 149. Exemplaris verò illius Marchionis Badensis, quod olim erat Reuchlini, quodque Machabæorum temporibus descriptum esse volunt, antiquitas planè conficta est, nec aliam fidem meretur quam illud Bononiense Esdræ manu conscriptum, de quo suprà.

Præter editiones Hebraicas Judæorum, vix aliquas à Christianis antè hoc ultimò elapsum seculum prodiisse legimus, exceptâ illâ in Origenis Hexaplis. Hic enim post Biblia sua Tetrapla, ex 4 versionibus Græcis concinnata, Septuaginta, Symmachi, Theodotionis, et Aquilæ, Hebraicum textum adjecit, litteris tàm Hebraicis quàm Græcis, per columnas suas sibi invicem respondentes descriptum (undè Hexapla dicta); Opus magni laboris, nec minoris utilitatis : quod magno Ecclesiæ damno, et intolerandâ Græcorum negligentiâ periit. Si enim hodiè extaret, quæstiones variæ, quæ circà textum Hebraicum ejusque lectionem hodiè agitantur, facilè terminari possent. Sola versio 70, quia in publico usu Ecclesiarum fuit, adhuc servatur : reliquæ versiones evanuerunt, nisi quòd earum reliquiæ quædam hìc illìc in veterum scriptis sparsæ inveniuntur ; sed de hoc Origenis opere fusiùs agemus, cùm ad Sept. Versionem deventum erit.

Superiori, ut et nostro sæculo, variæ prodierunt editiones Biblicæ Hebraicæ, typis impressæ, tùm à Judæis, tùm à Christianis adornatæ ; quarum præcipuas enumerabimus, tùm quæ totum vetus Testamentum complectuntur, tùm quæ ejus partes quasdam recenset Buxtorf. in Bibliothecâ Rabbinicâ : quibus alias adjungimus, quas nobis videre contigit.

Biblia Complutensis, eodem tempore adornata quo primæ editionis Veneta, prodierunt in fol. anno 1515, impensis Francisci Ximenii Cardinalis, archiepis. Toletani, collatis studiis theologorum academiæ Complutensis. Complectuntur Textum Hebraicum, Ver-

sionem Græcam Sept., Vulgatam Latinam, Chaldaicam etiam, sed Pentateuchi tantùm, scilicet Onkelosi, Novum Testamentum Græcum sine spiritibus et accentibus, cum versione Latinâ. Exstant in 6 voluminibus, cum apparatu, grammaticis, lexicis, indicibus, etc.

Venetæ editiones quatuor. Prima incœpta anno 1515, finita anno 1517, operâ et impensis Danielis Bombergi, typographi celebris. Operi præfuit Felix Pratensis, cujus ductu et hortatu Bombergus primò litteras Hebraicas didicit, et per typographiam mirificè propagavit. Continet hæc editio textum Hebræum, Targum, et varios Rabbinorum commentarios. In fine adjiciuntur Targum Hierosol. in Pentateuchum, Targum secundum in librum Esther, Tabulæ perfectionum Legis et Haphatarum sive lectionum propheticarum, articuli 13, sivè fundamenta fidei Judæorum, præcepta jubentia et prohibentia, libellus de accentibus R. Ben Ascher, lectiones variantes inter Ben Ascher et Ben Naphtali, cum notis quibusdam Masorethicis; in quas vehementer invehitur Elias in præf. lib. 3 Masoreth., quia scilicet à Judæo non sunt appositæ; scribit etiam, quòd *in Masorâ nihil intellexit, qui eas apposuit; sed palpat, ut cæcus in tenebris.* Secunda, in fol., per eumdem Bompergum, inchoata anno 1523, finita anno 1528. In hâc editione usus est Bombergus operâ R. Jacob Ben Chajim, quem magnâ pecuniæ summâ conduxit. Præmissa operi, 1° Præfatio R. Jacob, ubi de Masarâ, Keri et Ketib, de discrepantiis inter Talmudistas et Masorethas; de 18 locis, quos vocant correctiones scribarum, et de Masoræ magnæ ordine. 2° Indices capitum sive paraschioth, sectionum, ordinum partium totius Scripturæ juxtà Masorethas. 3° Præfatio Aben Ezræ de ratione commentandi in Scripturam, et de 5 modis interpretandi. Adjecta est duplex Masora; minor, quæ singulis paginis ad latera textûs imprimitur; et major, quæ partim ad finem juxtà seriem Alphabeticam apponitur, cum instructione Ben Chajim, partim per singulas paginas infrà et suprà textum. Posteà subjiciuntur lectiones variantes Ben Ascher et Ben Naphtali, Orientalium et Occidentalium, et libellus de accentibus. Hanc editionem magnis encomiis celebrat Elias, et in ejus laudem carmen encomiasticum composuit. Tertia editio Veneta, impressa anno 1618. Eadem est cum secundâ, sed multò correctior: vix tamen vicesimam partem animadverterunt correctores eorum, quæ emendationem desiderârunt, ut affirmat D. Buxtorfius in præf. ad Biblia Basileensia. Quarta editio Veneta prodiit anno 1623. Eadem est cum priori, sed typorum elegantiâ et impressionis nitore, præcedentibus multò inferior.

Biblia Regia, sic dicta quia auspiciis et sumptibus Philippi 2, Hispaniarum regis, in usum Ecclesiæ edita. Prodierunt in 8 Tomis, chartâ regali, typis Plantinianis, Antuerpiæ, anno 1571. Magnifico huic operi præfuit Ben Arias Montanus. Hæc Biblia opus Complutense multùm superant, tùm chartæ et typorum elegantiâ, tùm quòd multa habeant, quæ in Complutensibus desiderantur. 1° Chaldaicam paraphrasim integram, cum Versione Latinâ. 2° Textum Hebræum Veteris, et Græcum Novi Testamenti, cum versione interlineari Santis Pagnini, tomo peculiari. 3° Syriacos Novi Test. libros, tàm Syriacis, quàm Hebræis characteribus descriptos, operâ Guidonis Fabricii Boderiani. 4. Apparatum magnum duobus Tomis comprehensum, in quibus tractatus varii ad Scripturæ intelligentiam facientes, lexica, grammaticæ, variæ lectiones, tabulæ, indices, etc. Tomus ille cum versione interlineari etiam seorsim editus est variis locis et formis: In-Fol. per Plantinum; iterùm Genevæ, cum supplemento librorum apocryphorum Græco-Latino, anno 1619; in-4° ex officinâ Plantinianâ Raphelengii, anno 1613.

Sebastianus Munsterus Biblia edidit Hebræo-Latina, Versionis propriæ in-fol. Basil. 1534 in Tomis. Adjiciuntur ex Rabbinorum commentariis, annotationes haud pœnitendæ, pulchrè voces ambiguas et obscuriora quæque elucidantes.

Eliæ Hutteri Biblia Hebraica litteris majusculis impressa Hamburgi, in-fol. 1587. Editio hæc maximè accommodata est tyronum captui: nam in singulis dictionibus, litteræ serviles à radicalibus, ut et quiescentes etiam et deficientes, figurâ distinguuntur.

Roberti Stephani Biblia, quæ vulgò Francisci Vatabli, linguæ Sacræ professoris Parisiensis, esse dicuntur, complectentia textum Hebræum, cum versione Græcâ ex editione Complutensi, Latinam Vulgatam, cum Latinâ alterâ novâ. Prodierunt primò in amplo quarto tribus voluminibus, adjuncto Novo Testamento. Posteà in-fol. tribus vol. 1586, ex officinâ Santandreanâ, cum annotationibus quæ à quibusdam Vatablo adscribuntur. Editio hæc posterior hunc titulum habet: *Biblia Sacra, Hebraicè, Græcè, Latinè. Latina interpretatio duplex est, altera vetus, altera nova, cum annotationibus Francisci Vatabli. Omnia cum editione*

Complutensi diligenter collata, additis in margine, quos Vatablus in suis annotationibus nonnunquàm omiserat, idiotismis, verborumque difficiliorum radicibus. Nulla præfigitur præfatio his editionibus; nec ex toto opere constare potest, quisnam eas procuravit, vel versionis novæ auctor fuit. At Stephanum auctorem esse annotationum istarum, quas primò ipse edidit 1545, cum versione Vulgatâ et Tigurinâ, quæ posteà auctæ et immutatæ sunt in editionibus sequentibus, probat Arn. Bootius in animadv. sacris, indice auctorum, ex Stephani Præf. Edit. primæ, ubi dicit, *accessionem ad priores suas annotationes nolle sibi acceptam referre: hoc tantùm præstitisse, ut nonnulla ex iis quæ professorum regiorum auditores exceperunt, ad alios typographicæ artis beneficio fideliter permanarent.* Addit: *Fruimini ultimis nostris collectaneis.* Stephanus autem modestè ad Vatablum eas refert, quia ex ejus prælectionibus quasdam earum exceperat, cùm ipse Vatablus indignè tulerit eas sibi attribui, eò quòd multa haberent, quæ Religionem reformatam saperent, à quâ ipse alienus fuit.

Joannis Buxtorfii Biblia Hebraica et Chaldaica Basileæ prodierunt fol. 1618, cùm Masora, quæ critica est Hebræorum, magnâ et parvâ, et selectissimis Hebræorum Commentariis, Rab. Salom. Jarchi, Aben Ezræ, D. Kimchi, etc., quibus textus Grammaticè et historicè illustratur; in quibus post 4 editiones Venetas, textus Chaldaicus à deformitate punctationis et pravitate vocum innumerarum vindicatus, loca in Masorâ transposita, deficientia, pugnantia, numeris depravata, subsidio diversorum exemplarium et concordantiarum Hebraicarum reposita, restituta, et reconciliata sunt. Hanc quidem editionem omnibus prioribus correctiorem secuti sumus in Bibliis nostris, in Chaldaicâ scilicet paraphrasi. Licèt verò magnam curam et diligentiam in hâc editione adhibuit Buxtorf., fatetur tamen quædam reperiri posse, quæ diligentiam suam effugerunt, quod ex collatione nostrorum Bibliorum lector alicubi perspicere potest.

Biblia magna Heptaglotta, impensis D. Michaelis Le Jay, studio et operâ Gabrielis Sionitæ Maronitæ, Joannis Morini et Abrahami Ecchellensis in decem tomis, folio magno, chartâ imperiali, Parisiis excusa 1645, characterum elegantiâ, et chartæ magnificentiâ, tùm Regia (quæ à quibusdam *Orbis miraculum* dicebantur), tùm omnes alias editiones superantia; adjectis etiam aliis antiquis monumentis, quæ à nemine antehàc typis evulgata erant. Nam præter textus et versiones, quæ in Regiis anteà exstabant, de novo adduntur Pentateuchus Samaritanus, unà cum versione Samaritanâ, et versione ejus Latinâ, Syriaca versio Testamenti Veteris, et tàm Veteris quàm Novi Arabica, quæ in Regiis non exstabant. Dolendum verò, apparatum cum prolegomenis et appendicibus variarum lectionum, tabulis indicibus, aliisque quæ ad operis complementum pertinebant, ex dissidio eorum qui operi profuerunt, desiderari; nec editiones, quas protulit hæc ætas, limatiores quàm quæ in Complutensi vel Regio opere habentur, eos secutos fuisse; ut nil dicam de intolerandâ ipsorum incuriâ qui correctioni invigilare debuerunt. Undè innumeris mendis et erratis scatet hæc editio, quæ splendorem ejus multùm obscurârunt (1).

Præter has editiones in-folio, exstant et aliæ plurimæ in-quarto, octavo, decimo sexto, et vicesimo quarto, à Plantino et aliis, cum punctis, et sinè punctis variis locis excusæ: quas sigillatìm omnes enumerare difficile esset, nec lectori multùm profuturum. Editionem accuratam Hebraici textûs cum punctis, et litteris elegantissimis, item Keri et Ketib., in marginibus nuper adornavit Manasses Ben Israel in quarto Amstel. 1635: Aliamque in-octavo cum punctis vocalibus et accentibus, notisque marginalibus eisdem, edidit idem Manasses Amstel. 1639: quæ omnium manibus teruntur. Exstant etiam et aliæ editiones, non totius Vet. Testamenti, sed quarumdam ejus partium; quarum præcipuæ sunt: 1° Pentateuchi, inter quas insigniores sunt. Constantinopolitana in-fol. à Judæis impressa anno 1551, ubi præter textum Hebræum, imprimitur per singulas paginas variis columnis, Targum Onkelosi, cum versione Arabicâ R. Saadiæ, et Persicâ

(1) Biblia Londin. omnia continent quæ Parisina, sed accuratiùs edita. Exhibent prætereà 1° versionem interlinearem Pagnini et Ariæ Montani. 2° Versionem 70 editionis Romanæ juxtà exemplar Vaticanum, lectionibus variis ad finem cujusque columnæ annexis, adeò ut duo totius orbis antiquissima exemplaria versionis Græcæ simul lectori represententur. 3° Versionis Samaritanæ, ubi à textu Samaritano differt, translatio Latina. 4° Pentateuchus Persicus. 5° Chaldaica Jonathanis paraphrasis in legem cum versione Latinâ. 6° Targum Hierosolymit. cum versione Latinâ. 7° Psalmi æthiopici, Canticum canticorum et N. Test. æthiopicum cum versione Latinâ, ut et prolegomena, variæ lectiones textûs Hebr., differentia textûs Hebr. à textu Samarit. Syriacæ versionis et Arab. collatæ variantes, lectiones heptaglotton Castelli lexicon, etc.

Jacobi Tawsi (utraque litteris Hebraicis) et Commentariis R. Salomonis; Pentateuchus Hebraicus, cum triplici Targum, Onkelosi, Jonathanis, et Hierosolymitano, et commentariis Rabbi Salomonis, notis quibusdam Masorethicis ac symbolis gematricis, etc., Venet. 1590 in-quarto. Versio verò illa Persica, Persicis characteribus descripta; et Targumim illa Jonathanis et Hierosol. cùm singulorum translationibus Latinis, in quarto tomo nostrorum Bibliorum imprimi curavimus. 2° Psalmorum, qui sæpiùs cusi et recusi. Duæ tamen eorum insigniores sunt editiones : 1° Augustini Justiniani Episc. Nebiensis, qui Psalterium Hebraicum edidit, cum versione Chaldaicâ, Græcâ et Arabicâ, adjectâ triplici interpretatione Latinâ, et scholiis utilibus, Genuæ, in-fol. 1516. 2° Joannis Potkenii præpositi Ecclesiæ Sancti Georgii Coloniæ, qui Psalmos Hebraicè, Græcè, Æthiopicè et Latinè per columnas in quâlibet paginâ sibi respondentes edidit Coloniæ, 1513.

Inter veteres, licet multi N. Test. commentariis illustrârunt, et de variis lectionibus exemplarium Græcorum in quibusdam locis interdùm differunt, nemo tamen, quod sciam, editionem novam totius Novi Testamenti agressus est, unico excepto Hieronymo, qui jussu Damasi Pontificis Romani, Versionem Vulgatam Latinam cum Græcis codicibus contulit et recognovit ; cujus tamen scopus erat magis versionem Latinam emendare ex ejus collatione cum Græcis exemplaribus, quàm editionem aliquam Græcam ex Græcorum codicum collatione emendatam dare. Sic enim scribit, præf. ad Evangel. *Hæc præfatiuncula pollicetur quatuor tantùm Evangelia, codicum Græcorum emendatâ collatione, sed veterum : quæ ne multùm à lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ità calamum temperavimus, ut his tantùm, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.* Non deerant tamen antiquissimi codices Græci MSS. quos, cùm dubium aliquod de verâ lectione oriebatur, vel cùm Hæretici textum corrumpere laborârunt, consuluerunt Ecclesiæ Patres, ut indè veram lectionem confirmarent vel restituerent. Nostro verò sæculo plurimæ prodierunt editiones N. Test. græcæ, quas omnes enumerare vix possibile est. Præcipuæ verò, circà quas sudârunt viri docti, sunt quæ sequuntur. Erasmi, viri magnæ lectionis, nec minoris judicii, qui multa vetusta exemplaria MSS. contulit, et ex iis N. Test. Græcè, quàm potuit, emendare publicavit ; annotationes etiam doctissimas edidit, in quibus lectionum, quas secutus est, rationem reddidit, et ex libris antiquis confirmavit. Complutensis, quæ in Bibliis Complutensibus, Regiis, et Parisiensibus exstat, à Complutensibus ad fidem veterum exemplarium magno studio et diligentiâ collata. Roberti Stephani, omnium accuratissima, *cujus,* ut ipse agnoscit in præf., *mirus est cum Complutensi consensus.* Præter Complutense tamen, exemplaria 15 alia, quæ ex Italiâ, bibliothecâ regiâ, et aliundè ab amicis habuit, contulit, et varias lectiones collegit, quas in margine interiori notavit. In alterâ concordantias Evangeliorum secundùm Canones Eusebianos adjecit, et librorum singulorum capita. Prodiit primò Paris. in-fol. 1550, posteà Francof. in-fol. anno 1601, dein pluribus formis, Theodori Bezæ, qui variis collatis codicibus, multùm laboravit in editione Græcâ N. Test. quod cum versione Latinâ duplici, Vulgatâ et propriâ, unà cum annotationibus, sæpiùs edidit et recognovit. Docti auctorem nimis audacem fuisse judicant, dùm à receptâ lectione sæpiùs sine necessitate recedit ; et unius, interdùm nullius codicis auctoritate fretus prætoriam exercet potestatem, et conjecturis mutando et interpolando textum sacrum prohibitè. Vide inter alia, Luc. 9, 48, 53, et 3, 36, 1 Cor. 16, 55, etc. Prima verò Bibliorum editio impressa, erat Latinæ vulgatæ, Moguntiæ, anno 1472, teste Lucâ Brugensi præf. libri de variantibus Scripturæ locis. Aliam tamen illâ priorem quidam se vidisse dicunt. Hanc subsecutæ sunt Coloniensis, anno 1479, Nurenburgensis, 1578, Veneta, 1497. Posteà prodiit Complutensis Heb. Græc. Chald. anno 1515, Veneta Hebraica, 1517, Græca, Venetiis. 1518, per Aldum Manutium aliæque innumeræ.

Caput ij.

DE BIBLIORUM VERSIONIBUS.

Magna est, ut linguarum, sic versionum varietas, quibus mysteriorum suorum thesaurum communicare dignatus est Deus. Cùm enim Apostolos in universum mundum misit, cum mandatis, ut *omnes gentes docerent, et omni creaturæ Evangelium prædicarent*, ipsisque in hunc finem variarum linguarum *charismata*, id est gratias cœlitùs contulit, hoc ipso ostendit, se nolle doctrinam suam in aliquo orbis angulo delitescere, sed ut omnes propriis linguis magna Dei audirent : ut impleretur illud Prophetæ Isaiæ 45 : *Omne genu mihi flectetur, et omnis lingua confitebitur Deo.* In hoc enim sapientiæ divinæ abyssus manifestata erat, ut qui primò per varias linguas insanorum Babelis structorum consilia dissipavit, ipsosque in varias terras dispersit, idem per variarum linguarum gratias Ecclesiam suam ex omnibus terris colligeret, domumque Dei, cujus fastigium cœlos superat, eisdem machinis ex lapidibus vivis ædificaret. Cùm verò post jecta Ecclesiæ fundamenta charismata hæc cessaverint, necessarium erat oracula divina in linguas vernaculas propagari. Nam, ut olim Ptolemæus rex, cùm Hebræorum volumina in Græcam linguam transferri desideravit, in Epistolâ ad Judæorum Pontificem, quam recitat Epiph., lib. de pond. et mens. : *Thesauri absconditi, et fontis obsignati quæ utilitas?* hinc varias in purâ et primævâ Ecclesiâ versiones factas legimus. S. Aug. lib. 2. de doctrinâ Christianâ, cap. 5, dicit : *Scripturas per varias interpretum linguas longè latèque diffusas esse.* Et in Psal. 105, agnoscit *magnum Dei beneficium, qui Scripturas suas in multis linguis esse voluit.* Theodoretus verò lib. 5. de curand. Græc. affectibus testatur : *universam faciem terræ, quantacumque soli subjicitur, ejusmodi verborum (Apostolicæ et Propheticæ doctrinæ) plenam jam esse. Hebraicos verò libros non in unicum idioma conversos esse, sed in Romanam, Ægyptiacam, Persicam, Indicam, Armenam, Scythicam, adeòque Sauromaticam, uno verbo, in omnes linguas.* Chrysostomus in Joan. cap. 1, Hom. 1, versionum meminit *Syriacarum, Ægyptiacarum, Persicarum, Æthiopicarum, et aliarum nationum Barbararum*, etc. Hieronymus, præf. in Evang. ad Damasum, dicit, *Scripturam in variarum gentium linguas translatam esse.* Ipse verò utrumque Testamentum transtulit in linguam Dalmaticam : ut et Chrysostomum Psalmos, et N. Testamentum in Armenam vertisse, fatentur Sixtus Senens. et Stapletonus. Meminit Augustinus versionis Psalmorum in linguam Punicam, in Psal. 118, ad finem; Cyrillus vel (ut alii) Methodius in Sclavonicam, Scripturam transtulit. Ulphilas, Gothorum episcopus, primus litterarum Gothicarum inventor, *in propriam linguam convertit libros sacros*, teste Sozom. lib. 6, c. 37 (Vide et Isid. in Chron. Gothorum, et Paul. Diac., lib. 12), Beda in Anglicam, teste Joh. Trevisano. Michael Adam, Judæus conversus, in Germanicam et characteribus Hebræis in usum Judæorum expressit, teste Wulf. Strab. de rebus Eccles. cap. 7, et Sixt. Senens. lib. 4. Johannes Seviliæ episc. in Arabicam, anno Christi, 717. Valdo episc. Frisingensis circà annum 800, Evangelia Germanicè transtulit, teste Beato Rhenano; Italicè Jac. de Voragine, archiep. Genevensis, anno 1200, testibus Stapletono et Sixto Senensi, Polonicè Hieron. Leopold, Gallicè Carolus 5, rex Galliæ.

Johannes Papa 8, circà annum Christi 880, ut ex ejus litteris ad Sfontem Comitem de Methodio constat, affirmat : *Sanæ fidei non repugnare, sive missas, sive sacra Evangelia, vel lectiones divinas Veteris et Novi Testamenti benè translatas, linguâ Sclavonicâ canere : quoniam qui fecit tres linguas principales, creavit et omnes alias ad laudem et gloriam suam*, ut refert Baron. Annal. tom. 10. Observatione etiam digna sunt Johannis Morini verba, exercit. Bib. 1, cap. 5, 11, 8, de Versionum utilitate : *Utilissimus esse de multis causis, ut potestas et energia dictionis cujuspiam exprimatur, quæ Latinè non satis expressa est, aut non potest exprimi : ut variæ vocis aut phrasis significationes cognoscantur, quæ peregrinâ linguâ, unico verbo, aut unica phrasi, omnes repræsentari non possunt; ut emphasim et genium linguæ, sine cujus cognitione sensus auctoris interdùm obscurus est, et*

variarum versionum comparatione sacræ lectionis studiosus percipiat et imbibat ; ut Judæi propriis armis confodiantur, et dissentientibus ex utrâque parte variis Latinis codicibus, fons tunc velut arbiter consulatur, etc.

Versionum etiam antiquarum usus et utilitas hinc colligitur, quòd harum collatione integritati sacrorum codicum et veritatis divinæ consulitur. Mirus etiam versionum consensus in omnibus, quæ ad fidem et salutem necessaria sunt (nam in aliis minutioribus omnis ferè varietas consistit), inter omnes populos, tantis terræ marisque intervallis dissitos, soloque ejusdem fidei vinculo connexos, clarè testatur, doctrinam horum codicum non in sapientiâ humanâ fundatam esse, sed auctoritate divinâ stabilitam, quorum conservatio contrà Satanæ ejusque satellitum furores, qui eos non tantùm corrumpere, sed penitùs abolere totis viribus conati sunt, apertè eorum originem divinam probant. Erroribus etiam, qui ex librariorum inscitiâ, incuriâ et audaciâ, vel Hæreticorum fraude irrepere possunt, obviatur. Nam quod in unâ linguâ fortè contingere potest, in tot per orbem versionibus fieri non potest. Prætereà versionum antiquarum collationem ad verum Scripturæ sensum in dubiis et obscuris eliciendum, multùm lucis adferre, nemo negaverit. Maximè verò Orientalium utilitas apparet, ratione affinitatis, quam habent cum linguis originariis, quâ pleniùs vim et energiam verborum exprimere possunt.

Versiones verò omnes enumerandi non est animus : saltem, quæ exstant veteres, nominâsse satis erit.

Prima et omnium antiquissima est nobilis illa 72 Seniorum ex Hebræo in Græcum sermonem traducta sub Ptolemæo Philadelpho, annis antè Christum 277, quæ non sine speciali Dei providentiâ facta est in linguam omnium latissimè per orbem propagatam : ut antè ortum Solis justitiæ, quasi prodromus orbem tenebris immersum aliquo modo illustraret, et viam pararet pro adventu Salvatoris, qui pulsis errorum tenebris, omnes gentes radiis Evangelii illuminavit. Qui verò aliam antè hanc factam fuisse, vel non totam Scripturam, sed solum Pentateuchum à 70 translatum esse, vel versionem illam periisse, et quoad substantiam adhuc non superesse, (quod affirmant Neoterici quidam) errore manifesto teneri ostendemus, cùm de hâc versione in specie agemus.

Est Samaritana. Nam præter Pentateuchum Hebraicâ linguâ, et Samaritanis sivè antiquis Hebraicis litteris descriptum, habent etiam Samaritani Pentateuchum in linguam Samaritanam vulgarem conversum : quorum uterque in Bibliis Parisianis, ut et in nostris, exhibetur. Versio hæc saltem antè natum Dominum facta esse videtur. Joh. Morinus facit Græcâ antiquiorem, scilicet ab Esdræ tempore, de quo posteà.

Est Paraphrasis Chaldaica, à variis auctoribus diversis temporibus concinnata. Legem transtulit Onkelos circà Christi tempora. Prophetas priores et posteriores Jonathan Ben Uziel, Hillelis illius celeberrimi discipulus, de quo mira tradunt Talmudici ; vixit circà annum 30 antè Christum. Huic etiam adscribunt aliam in Pentateuchum paraphrasim : quæ tamen multò posterioris auctoris esse probabitur, cùm ad illam deveniemus. Hagiographorum versio vulgò adscribitur Josepho Cæco ; sed à variis auctoribus factam, et non antè annum Christi 600 judicat doctiss. Buxtorfius. Targum Hierosolymitanum non totum Pentateuchum, sed quasdam ejus partes explicat, sæpè in medio versiculi definit. Probabile est olim integrum exstitisse (multa enim citat Elias, ut ex Targ. Hierosol. quæ in hoc non leguntur), vel duplex fuisse. Qui ad Apostolorum tempora referunt, falluntur : multò recentius esse suadent, tùm altum de eo silentium apud antiquiores Judæorum scriptores, tùm vocum barbararum mixtio. Targum Megilloth sivè libellorum quinque, qui hoc nomine peculiari ratione appellantur, scilicet Cant. Salom. Thren. Ruth, Eccles. et Esther ; ut et Targum secundum Esther, recentiora esse et post Talmud scripta, inter alia probant, Cant. lib. 2, Thren. 2, 19, ubi expressa fit Talmudis mentio.

Syriacam tàm Veteris quàm Novi Testamenti, non multò post Apostolorum tempora factam esse, constans est Orientalium traditio ; nec desunt argumenta, quæ idem suadent. Publicè per Orientem in Ecclesiis legitur ; plerumque textum Hebræum sequitur, ex quo Vet. Test. versio facta est. Hanc verò vocant antiquam et simplicem, ut ab alterâ recentiore ex Græcâ 70 traductâ distinguatur.

Est Æthiopica totius Scripturæ, quam multò antiquiorem esse, quàm putat Jos. Scaliger, infrà probabimus. Chrysost. Hom. 1 in Joh. 1, ejus mentionem facit. In Vet. Test. plerùmque Græcam sequitur ; in Novo multùm cum vulgatâ Latinâ concordat.

Armeniaca etiam exstat totius Scripturæ, ut à testibus oculatis accepi. Evangelia quatuor

Armeniaca habeo ; sed in multis obliterata, ità ut sine alterius exemplaris integrioris ope, typis imprimi non possint. Plerique à Chrysost. factam affirmant, cùm ab imperatore in Armeniam relegatus erat, ut Sozom. Hist. lib. 8, cap. 22. Sic Sixtus Senens. Biblioth. lib. 4. Theodoretus, lib. 5 de curandis Græc. affectibus, testatur, *ejus tempore Armenos habuisse Scripturas linguâ vernaculâ ;* vixit autem paulò post Chrysostomum. Angelus de Recchâ in Biblioth. Vaticanâ, p. 117, scribit, *Chrysost. invenisse characteres Armenos, quibus hodiè utuntur.* Ipsi verò Armeni in Historiâ Eccles. Armenâ, Latinè et Armeniacè nuper editâ, cap. 2, tùm Scripturæ versionem, tùm gentis ad fidem conversionem, ad Georgium primum suum Patriarcham referunt : cujus operâ rex cum totâ gente ad fidem conversus est ; quem etiam annis 266 elapsis, in Apostolorum Bartholomæi et Thaddæi cathedram successisse volunt.

Versiones Græcas, Aquilæ, Theodotionis, et Symmachi, in Tetraplis et Hexaplis suis disposuit Origenes, iisque posteà quintam et sextam addidit : undè cum Hebræo textu litteris Hebræis et Græcis exarato, Octapla nominavit hæc volumina. Aquila, qui ad Judæos defecit, versionem suam fecit circà annum Christi 130. Theodotion etiam, proselytus et apostata factus, primò Marcionita, posteà Judæus, suam confecit circà annum 180. Symmachus etiam proselytus suam edidit, Severo imperante, circà annum 200. Versiones istæ in odium versionis Sept. ab apostatis et Judaizantibus factæ, licèt iis usi sint veteres in scriptis suis, numquàm tamen ab Ecclesiâ publicè receptæ vel approbatæ sunt : undè et omnes hodiè evanuêre (superstite tamen illâ 70, quia semper in publico Ecclesiarum usu fuit), fragmentis quibusdam paucis exceptis, quæ ex veterum scriptis collegêre viri docti. Idemque fatum subierunt duæ aliæ versiones, quas in doliis repertas Nicomediæ et Hierichunte Origenes suis Octaplis inseruit.

Coptica sivè Ægyptiaca, circà tempora concilii Niceni facta est, ut conjicit Athanas. Kircherus in Prodr. Coptico. Exemplaria ejus rarissima sunt, ex quo, extirpatâ ferè Religione Christianâ, Ægyptii Turcis servierunt.

Arabicas versiones habemus tùm Judæorum, tùm Christianorum. Judæorum duplex exstat Pentateuchus Arabicus. 1° Rabbi Saadiæ, qui circà 900 annum post Christum floruit ; ejus versio Arab. exstat in Bibliis Constantinopolitanis, de quibus suprà, inter editiones Hebr. Hic etiam reliquos libros Vet. Testamenti transtulit. 2° est Judæorum Maurorum, quam edidit Cl. Erpenius. Meminit etiam Versionis Arabicæ factæ per Johannem Episcopum Sevilliensem, circà annum Christi 717, Vaseus in Chron. Hisp. cujus nulla pars, quòd sciam, hodiè exstat. Duæ tamen hodiè exstant inter Christianos versiones Bibliorum Arabicæ, ut ex Nebiensi et aliis colligitur : Una Antiochena, quam nondùm vidi ; altera Alexandrina, sive Ægyptiaca, à Christianis sub Patriarchâ Alexandrino usurpata ; cujus exemplar scriptum annis abhinc 300 Gabriel Sionita nactus in Bibliis Parisianis, publicavit ; quod etiam multis in locis ex MSS. antiquis suppletum, ubi Parisiense deficiebat, in Bibliis Londin. habetur.

Persicam olim exstitisse versionem testantur Theodoretus et alii ; hodiè verò an versionis istius antiquæ aliquæ supersint reliquiæ, dubitatur. Evangeliorum varias habemus Versiones. Unam edidit Abrahamus Whelocus secundùm exemplar Cantabrigiense ; aliam in Bibliis Londin. secundùm exemplar MS. Pocockianum, quod trecentis abhinc annis scriptum fuisse, ex ipso exemplari constat.

Datur et antiqua versio Gothica ab Ulphilâ Gothorum episcopo facta, qui successor erat Theophili, qui Concilio Niceno interfuit, et inter reliquos episcopos Concilio subscripsit. De hâc versione Socrates lib. 4, c. 17, Sozom, lib. 2, c. 37, et Niceph. Hist. Eccles. lib. 11, c. 48.

His annumerare licet Hieronymi versionem in linguam Dalmaticam ; quod præter alios testatur ipse Hieron. Epist. ad Sophronium. Hunc etiam ferunt, characteres Dalmaticos invenisse, qui ab ipso Hieronymiani dicuntur : et hodiè in usu sunt per Liburniam, Istriam, Moraviam, Silesiam, Bohemiam, Poloniam. Aliam etiam habent Sclavoni versionem Hieron. recentiorem in linguâ vernaculâ à Byrillo (non Alexandrino, nec Hierosolymitano, sed alio), qui vixit circà annum Christi 860, factam : quem linguâ suâ vocant Sclavoni Chiurill, qui cum Methodio, Circassianos, Guearenses et Mengrellianos ad fidem Christi convertit. Hic Cyrillus aliud alphabetum Illyricum invenit, ab Hieronym. diversum, in quibus versionem habent descriptam, per Rasciam, Bulgariam, Moldaviam, Russiam, Moscoviam, aliasque regiones, quæ linguâ utuntur Sclavonicâ.

Quod ad versiones Latinas attinet, multæ olim erant ex Græco factæ, ità ut vix numerari possint, teste Augustino lib. 2 de doct. Christianâ, cap. 11. Quisquis enim Græcæ linguæ

vel mediocrem cognitionem assecutus erat, protinùs ad vertendum se accingebat. Inter reliquas tamen unam præ reliquis commendat, quæ *Vulgata et Itala* dicta est, quæ in verbis erat cæteris magis perspicua. Hanc verò, cùm *Vulgatæ et Veteris* nomen his temporibus nacta sit, reliquis Latinis antiquiorem esse necesse est. Cùmque Latina Ecclesia sine versione Latinâ nunquàm fuerit, verisimile est hanc primam fuisse Latinam versionem ex Græco factam Apostolorum temporibus, vel non multò post. Hieronymus bis sacros codices transtulit. 1° Ex Græcâ versione 70, ut in Origenis Hexaplis exstabat, pura et incorrupta, ut ipse testatur Epist. ad Suniam et Fretellam. 2° Ex Hebræo. Novi verò Testamenti Latinam versionem Evangeliorum juxtà Græcum textum correxit hortatu Damasi Papæ; non de novo confecit, ut ex præf. ad Evangelia liquet. Hæc verò postrema Vet. Test. Hieron. versio non statim recepta est; sed ut nova, et in opprobrium Græcæ Sept. facta, multos habuit magni nominis in Ecclesiâ contradicentes. S. Augustinus non permisit in suâ diœcesi publicè legi; alii in eam invectivas scripsêre, ut ex ejus apologiis patet. Ducentis post Hieronymum annis, utraque tàm vetus quàm nova in usu erat, ut ex Gregor. Epist. ad Leandrum, antè libros Moralium, et Moral. libr. 20. cap. 23. constat; donec tandem ex utrâque Vulgata hodierna conflata est. Sed de auctore et tempore silent historici, teste Baronio ad annum 231, Sect. 47.

Caput iij.

DE VARIIS IN SCRIPTURA LECTIONIBUS.

Dari lectiones variantes, non tantùm in Scripturæ versionibus, præsertim antiquis, sed etiam in ipso textu Hebraico Veteris, et Græco Novi Testamenti, à nemine negari potest, cùm hoc testentur tot varietates ex codicibus MSS. et impressis à viris doctis annotatæ. Quales sunt in Test. Veteri, Keri et Ketib, à Masorethis collectæ; item discrepantes Orientalium et Occidentalium lectiones; quæque inter codices Ben Ascher et Ben Naphtali observantur, quæ in Bibliis Venetis, Basileensibus et in Londin. imprimuntur. Tales ex Novo Testamento collegit Rob. Stephanus ex 16 exemplaribus antiquissimis 2384, quas in N. Test. à se edito excudit, præter loca deficientia 280, quæ obeliscis notavit, et multò plures ex vetustis aliis codicibus à nobis collectæ sunt, quæ in Bibliis nostris exhibentur. Ex Latinis codicibus idem fecêre Stephanus in Bibliis suis magnis, Hentenius, aliique Theologi Lovanienses in Bibliis à se editis; maximè verò in hoc pulvere sudârunt viri duo, linguarum et S. Theologiæ scientiâ clari, Lucas Brugensis, Decanus Lovaninesis, et Ludov. Capellus S. T. D. et linguæ Hebraicæ professor Salmuriensis, ut ex libris de hoc argumento ab ipsis editis liquet. Cumque ipsa scriptorum sacrorum αὐτόγραφα hodie non exstent; ἀπόγραφα verò, quæ habentur, omnia ab hominibus errori obnoxiis exarata sint, nec sapientiæ divinæ visum sit, ut vel Ecclesiam, vel Scripturarum scribas et librarios ab omni erroris labe immunes servaret; ità tamen invigilavit providentia Divina, Ecclesiæque diligentia, ut in iis quæ ad salutem necessaria sunt, et ad fidem et mores spectant, omnia pura et integra sint.

De causâ undè fluxerunt variantes lectiones, non multùm laborandum; cùm certum sit eas à scriptoribus sacris oriri non posse. Nec enim audiendi sunt, qui eos alicubi memoriâ lapsos esse in rebus leviculis asserere audent. Eorum enim αὐτόγραφα, cùm dictante Spiritu S. vel calamum ità dirigente ut errare non potuerint, exarata sint, ab omni vel levissimâ erroris labe immunia esse, pro certo sumendum. Errores itaque omnes à scribis, vel interpretibus ortos fuisse, necessarium est. A scribis vel librariis, qui exemplaria descripserunt, et non satis accuratè cum codice originario contulerunt, fluxêre primò: à quibus alii alia describentes, errores eorum propagârunt; qui (non extantibus codicibus originariis, undè corrigi et emendari poterant) in plures derivati sunt. Sic ab uno codice multa millia propagari possunt; et quò plures codices descripti, et quò longiùs à prototypis distant, eò plures mendas contrahere proclive est. Scribarum verò error interdùm ex oscitantiâ, vel non satis attentâ ectypti cum archetypo collatione

oritur ; aliquandò ex inscitiâ vel ignorantiâ, cùm verba haud satis intellexit, unum pro alio, vel sensu alieno reddens; sæpè ex audaciâ nimiâ, cùm quæ in margine notata invenit, in textum inserit, vel mendam suspicans, ubi nulla est, sub specie corrigendi textum, corrumpit. De Hæreticis etiam frequens est inter veteres querela, qui in textum manus sacrilegas injecerunt, ut erroribus velum obtenderent. Nec non interpretes (licèt non ità frequenter ut scribæ, quibus plerùmque doctiores sunt, nec ità festinanter scribunt, ac ii qui pretio conducti, pensum, quàm citissimè poterunt, absolvunt, aliquandò ex inadvertentiâ, vel aliis de causis, verba non aptè reddunt, nec verum sensum exprimunt. Notandum etiam, ex linguæ Hebrææ genio proclivem esse tùm scribarum, tùm interpretum errorem; tùm ob litterarum quarumdam similitudinem, ut כ et ב, ד et ר etc. quas difficile est distinguere, præsertim cùm libri minutis characteribus olim descripti fuerint; ità ut Hieronym. præf. lib. 7, comment. in Ezech. dicat, *suo sæculo, codices fuisse tàm exiguis litterulis depictos, ut eos ad nocturnum lumen nequaquàm potuerint distinguere, et ad solis ortum et diei fulgorem oculi cæcentur;* tùm ob soni in aliis affinitatem, ut et per litterarum metathesin et transpositionem, maximè ob vocum quarumdam ex absentiâ punctorum ambiguitatem, ut in דבר, quæ secundum punctationem variam, *mortem* et *pestem*, vel *verbum* significat. Et licèt plerùmque in orationis contextu ambiguitas tollatur, sæpè tamen ambiguitas manet, et solo usu tollitur. Aliquandò etiam ex verborum variâ divisione vel compositione, ambiguitas oritur : quorum omnium exempla proferemus in tractatu de Keri et Ketib.

Restat ut disquiramus undè lectiones variæ colligendæ sint: de quo à viris undequàque doctissimis magnâ animorum contentione disceptatur. Alii enim ex solo Textu originario colligendas esse volunt, alii etiam ex antiquis versionibus, Græcâ, Chaldæâ, Syriacâ, Samaritanâ, etc. Alii, licèt de quibusdam versionibus hoc concedant, alias tamen excludunt : hic Græcam 70 et Samaritanam; ille Hieronymi Latinam et Chaldæam in Prophetis, etc., quas ità mendis refertas esse volunt, ut nil certi indè hauriri possit. Alii deniquè ex propriâ conjecturâ sine codicum et versionum consensu extrahi posse statuunt. De hisce verò sciendum est primò, non quaslibet discrepantias codicum hîc intelligi, cùm multæ sint, quæ non exemplarium diversitate, sed ex scribarum errore manifesto fluxêre ; scribarum verò errores, de quibus certò constat, inter varias lectiones nequaquàm referendi. Licèt enim omnes discrepantiæ à librariorum vel interpretum errore originem primò duxerint (ipsi enim prototypè à seipsis non poterant variare), tamen, cùm liquidò ostendi, non potest, discrepantiam ex hoc fonte emanâsse, ad exemplarium, ex quibus codices suos descripserunt, differentiam, necesse est confugere ; et tales discrepantiæ pro variis lectionibus habendæ sunt, ex quarum collatione de verâ lectione et loci sensu genuino meliùs judicare possumus. Secundò, certum est, ex codicibus Hebraicis veteris, et Græcis novi Testamenti varias lectiones colligi posse, easque omnium certissimas esse. Hoc enim omnes concedunt (ut suprà ostendimus), licèt multi olim aliter senserunt, de textu, scilicet Hebraico ; nàm de novo Testamento haud ità solliciti erant. Tertiò, quod ad versiones attinet, ex quibus nullas textûs originarii varietates colligi posse, quidam absolutè statuunt, certum est plerosque Theologos etiam ex versionibus discrepantes textûs Græci et Hebraici lectiones collegisse, quod ex omnium ferè virorum doctorum scriptis liquet, qui commentarios in Scripturam ediderunt, vel qui eruditione Hebraicâ clari erant; etiam qui integritatis textûs Hebraici defensores sunt acerrimi ; ut miror, viros quosdam doctos contrarium tàm fidenter sine ullâ limitatione asserere. Concedo quidem has non pari certitudinis gradu cum iis incedere, quæ in codicibus originariis inveniuntur.

Ratio manifestè probat, ex interprete auctoris mentem, et quomodò interpres legerit, colligi posse. Versio enim auctoris verba et sensum reddit ut speculum imaginem ; aliàs versio dici non meretur. Hoc in omnibus libris in omni scientiarum genere constat. Aliàs frustrà essent versiones, et nulli usui inservirent ; et inter alia, frustrà tot antiquas versiones in hoc Bibliorum opere (cujus pars maxima ex versionibus constat) congessimus, si ex iis de textûs originalis tùm sensu, tùm lectione, nihil judicare possemus. Cùm enim eumdem codicem varii interpretes variè reddunt, hujusque causa saltem probabilis reddi potest, præsertim si periti fuerint, et fideliter omnia reddere sibi proposuerint, ipsos codices originarios à se invicem in quibusdam discrepâsse colligitur. Exstat jam Arati Phænomenon, quod Latinè olim reddidit Cicero ; observant verò critici codicum varietatem ex Ciceronis versione. Idemque de Aristotelis et Galeni versio-

nibus per Averroem et Avicennam observatur, ipsorum codices in aliquibus ab hodierno textu Græco diversos fuisse. Nec est, quòd quis objiciat hujusmodi lectiones esse conjecturas tantùm, non demonstrationes. Nam etsi interdùm diversitas ex interpretis errore, vel ex certo consilio oriri possit, plerùmque ex ipsâ versione colligi potest ; tamen cùm causa varietatis manifestè reddi potest, istiusmodi lectiones variantes suam certitudinem habent, cùm scilicet ex levi litterarum figurâ, vel sono similium, mutatione, vel metathesi sive transpositione, vel ex ambiguitate per absentiam punctorum, istiusmodi lectio oriri potest, qualem reddit interpres ; nec alia ratio ostendi potest probabilior cur interpres ità reddiderit. Certè demonstrationes mathematicæ in omni materiâ non dantur ; sed secundùm subjectam materiam probationes sunt distinguendæ ; et in hoc genere alia demonstratio dari non potest, quam ostendo, versionem quadrare lectioni, quæ illi tribuitur, nec posse cum alterâ congruere. Sic demonstramus 70 et Evangelistam legisse ריאם, non רואם, quia vocem Hebraicam reddiderunt per ὤρυξαν, *foderunt*, quod nulli lectioni convenit nisi ריאם. Sed de hâc reliquisque versionibus, earumque usu, uberiùs dicemus, cùm ad singulas in specie deventum erit.

Non tamen omnes interpretum ab originario textu discrepantias pro variis lectionibus habendas volumus ; nec quemquam novi, qui hoc affirmat, etsi Bootius omnibus sibi adversantibus affingit. Multæ enim esse possunt ex interpretis lapsu, dùm vel in lectione, vel in genuino loci sensu, vel in verâ verborum significatione errare possit. Sæpè etiam paraphrastem agit, et verba quædam ad loci explicationem addit ; quædam etiam, quæ minùs necessaria videntur, omittit. Scribarum etiam errores, qui tùm in textum, tùm in versionem irrepere possunt, pro variis lectionibus non habendi. Distinguendi itaque sunt errores librariorum ab ipsâ versione ; et in hâc accuratè distinguendi sunt interpretis lapsus et expositiones paraphrasticæ à variantibus codicis originarii lectionibus. Variæ enim possunt esse causæ, cur interpres aliter legerit, quàm vertit. Cùm verò ratio alia nulla probabilis reddi potest, cur interpres ità transtulerit, præter exemplaris varietatem, et ratio probabilis adferri potest, ex vocabuli ambiguitate, vel litterarum figurâ, vel sono similium, mutatione, vel ex litterarum levi transpositione, vel ex vocis divisione vel compositione, etc., exemplar ità habuisse ; non video quin hoc casu ex versione, varia exemplaris lectio colligi possit.

At ex merâ conjecturâ varias colligere lectiones (cùm scilicet nulla codicum vel interpretum discrepantia adferri possit, nec lectio recepta quicquam in se falsum et absurdum contineat), quia ex levi scilicet punctorum mutatione, vel litterarum similium transpositione, mutatione, etc., melior elici videtur sensus, salvo aliorum judicio, vix tutum est. Hoc concesso, lata fenestra aperietur luxuriantibus ingeniis Scripturam depravandi et in quemlibet sensum flectendi : ità ut instar cothurni Theramidis cujuslibet pedibus aptari possit. Quod enim in profanis auctoribus non audent critici (sine codicum vel interpretum auctoritate, vel urgente necessitate) ex proprio ingenio corrigere, et aliam lectionem substituere (quod in istiusmodi libris vix ferendum), in libris Sacris planè illicitum. Undè illorum auctoritas non sollicitanda, nec lectio usitata mutanda nisi ex optimorum codicum vel interpretum consensu et ex definitionibus Ecclesiæ, vel cùm lectio absurda et planè falsa in textum irrepsit, quæ nullo modo defendi possit.

Unica restat quæstio an semper per textus originarios corrigendæ sint versiones, an aliquandò per versiones corrigi possint textus originarii? Etsi verò ex dictis decidi hæc quæstio possit, tamen quia statuunt nonnulli, ex Vulgatâ Latinâ corrigi debere codices Græcos et Hebræos, hæc pauca adjicimus. Etsi versiones, antiquæ præsertim, multùm conferre possint, cùm erratum in textum originarium casu irrepsit, ad veram lectionem indagandam et restituendam, tamen, generaliter loquendo, versiones omnes secundùm textus originales corrigi et examinari debere. Nam, cùm omnes versiones, tanquàm rivuli, ex codicibus originariis, ut fontibus, fluxerint, necesse est ut quicquid veritatis in versionibus inveniatur, illud à fontibus habuerint. Eatenùs enim versio vera dici potest, quatenùs cum textu originario concordat. Sic enim Greg. de Valentiâ: *Translatio vera est, cujus sensus à suo fonte non deviat, sed sententias reddit easdem et æquales, nec restrictiores*, etc. Contradictionem itaque planè implicat, affirmare simpliciter, fontem ex versione corrigendum : æquè enim absurdum est, ac si quis solis motum ex horologio corrigere vellet ; vel cum automaton aberrat, dicere solem irregulariter circumferri, potiùs quàm vitium aliquod in automato concedere. Quod enim quidam asserere audent, Vulgatam

Latinam factam esse peculiari Spiritûs S. assistentiâ, ità ut interpres errare non posset, à doctoribus Ecclesiæ ut ineptum rejicitur. *Stultum est* (inquit Bellarm. liq. 2, de Verbo Dei, c. 11, *dicere, Theodotionem hæreticum* (ex cujus versione quædam sunt in Vulgatâ, ut scilicet liber Danielis) *non potuisse errare; vel S. Hieronymum unquàm erràsse, cùm ipse in Isaiam cap.* 19, *dicat se erràsse, et Ecclesia ejus correctionem acceperit. Non illos auctores canonizavit Ecclesia, sed tantùm hanc Versionem approbavit; nec ità approbavit, ut assereret nullos in eâ librariorum errores reperiri; sed certos nos reddere voluit, in iis, quæ ad finem et mores pertinent, nulla esse in hâc Versione interpretum errata.*

Caput IV.

DE MASORA, KERI ET KETIB, LECTIONIBUS VARIIS ORIENTALIUM ET OCCIDENTALIUM, BEN ASCHER ET BEN NAPHTALI, ET DE CABALA.

De Masorâ scripserunt Elias Levita, Petr. Galatinus, Joh. Morinus, Joh. D'Espeires, et alii; omnium verò accuratissimè D. Buxtorfius in Tiberiade. Nos pauca, quæ necessaria nobis videntur, excerpemus. Dicemus verò : 1° de nomine, quid per illud significetur. 2° De materiâ circà quam versatur. 3° De modis variis, quibus olim descripta et hodiè impressa est. 4° De ejus auctoribus. 5° De usu et utilitate.

Masora est vox Hebraica, et diversimodè scribitur, sensu eodem. Masora *traditionem* significat, scilicet cùm quis aliquid quasi in manus alteri tradit, vel committit, ut explicat Elias, sive de rebus, sive de personis accipiatur. Hic pro doctrinâ accipitur, quam quis à majoribus quasi traditam posteris de manu in manum transmittit. Undè eam describunt esse criticam Hebræorum sacram, quâ scriptionis et lectionis varietas per totam Scripturam traditur, quoties, quo loco, et quâ formâ quæque dictio in textu Hebræo invenitur; inventa, ut genuina lectio ab omni corruptione et mutatione immunis servetur. Opus sanè incredibilis et stupendi laboris, totius Scripturæ structuram, quoad omnes minutias versuum, dictionum, litterarum, punctorum, etc., excutere, et ad incudem revocare; omnes versus, dictiones, et litteras numerare, virgulam censoriam adhibere, etc. Horum verò omnium notas in Bibliis Venetis et Basileensibus impressis, partim per singulas paginas in margine, et inter columnas, partim ad finem Bibliorum excuderunt. An verò ex tantis laboribus fructus et utilitas tanta exsurget, et an hoc studio effecerint, ut nihil posteà in textu Hebræo depravari aut mutari possit (prout à multis affirmatur), posthàc disquirendum est.

Quod ad materiam Masoræ attinet, sciendum est, eam positam esse in annotationibus criticis circà textum Hebræum, et versari circà : 1° versus; 2° voces; 3° litteras; 4° puncta vocalia et accentus. Circà versus, numerârunt Masorethæ singulos versus uniuscujusque libri et uniuscujusque sectionis majoris Legis; nec tantùm Pentateuchi, sed et totius textûs Hebraici; numerumque ad finem cujusque sectionis vel libri annotârunt, primò litteris numeralibus, dein nomine aliquo symbolico, ex cujus litteris idem numerus exsurgit. Dein versum medium singulorum librorum annotârunt. In Genesi numerant versus 1532, et versum medium esse cap. 27, 40 : *Et gladio tuo vives.* In Exodo, 1209, medium, c. 22, 28: *Magistratui ne maledicito.* In Levit. 859, medium, c. 15, 7 : *Qui tetigerit carnem fluidi.* In Numer 1288, medium, c. 17, 5: *Et erit ut ejus, quem elegero, virga floreat.* In Deuter. 955, medium, c. 17, 10: *Et facies juxtà verbum.* Omnium summa est 5845. In hâc tamen summâ, ut observat D. Buxt., dissentiunt codices, dùm in omnibus impressis mendosè ponitur 5245. Edit. Venet. per Fœlicem Pratensem, anno 1517, ponit in Deut. 1055, ubi centum redundant. Sic etiam discrepant Elias et Talmudici : ille præf. 3. lib. Masor., numerat 5842. Hi in libro Kidduschin. 5888. In omnibus mendosè.

cùm ex Masorâ ad finem cujusque libri constet numerum esse 5845. In reliquis libris idem fecerunt. In Josue sunt versus 656, medius, c. 10, 8. In Samuelis, 1 et 2, 1506, medius, 1. Sam. 28, 24. In Regum 1534, medius, 1. Reg. 22, 6. In Isaiæ, 1295, medius, c. 33, 21. Jerem., 1565, medius, cap. 28, 11. Ezech. 1275, medius non apponitur in fine libri, sed in Masorâ parvâ notatur, cap. 26, 1. Prophetæ minores pro uno libro habentur, in quo 1050, medius, Mich. 3, 12. Psalm. 2527, medius, 78, 36. Prov. 915, medius, cap. 16, 18. Job. 1070, medius, cap. 22, 16. Cantic. 117, medius, 4, 14. Ruth. 85, medius, c. 2, 21. Threni non habent numerum adscriptum : est autem 154, medius, cap. 3, 34. Eccles. 222, medius, cap. 6, 10. Esther. 166, medius, cap. 5, 7. Daniel. 157, medius, c. 5, 30. Esdras et Nehem. 688, medius, Nehem. 3, 32. Chronic. 1 et 2, 1763, medius, 1. Chron. 27. 25. Summa omnium versuum Vet. Testament. est, 23206. Hos versus numerârunt, ne quis fraude vel negligentiâ versum aliquem detruncaret, vel audacter adderet : quem finem an assecuti sint, infrà disquiremus. In versibus etiam quædam observârunt quoad voces et litteras, ex quibus constant ; quorum quædam proponit D. Buxtorfius, et alia multa quisque colligere potest. Verbi gratiâ, unus versiculus datur, constans ex 42 vocibus et litteris 160, scilicet Jer. 21, 7. Duo sunt tantùm in Lege, quæ incipiunt à litterâ *Samech*, scil. Exod. 32, Num. 14, 19. Et duo in Lege, quorum singulæ voces exeunt in *Samech*. vid. Gen. 32, 14, Num. 29, 33. Tres sunt, in quarum singulis sunt 80 litteræ, quorum unus notatur in Mas. mag. Num. 36, 8. Hæc, inter alia innumera proferre placuit, ut per ea de reliquis judicare quisque possit. Circà versus etiam notârunt, in quibusdam esse hiatum, ubi sensus est ellipticus vel imperfectus; horum alii numerant 25, alii 28, ubi in libris quibusdam vacuum spatium relinquitur. Primus est Gen. 4, 8, ubi textus Hebræus habet : *Et locutus est Cain cum Abele fratre suo;* post hæc verba relinquitur spatium, quod 70 et Cod. Samarit. supplent hoc modo : *Eamus in agrum.* Ad quem locum Masora ait esse 28 versus deficientes in medio versûs, scilicet quoad sensum, qui imperfectus videtur. At Gen. 33, 21, Masora notat tantùm 25 hujusmodi loca, quam notam veriorem esse putat Buxtorf. Loca recenset in Lege quatuor, Gen. 4, 8, et 33, 22; Num. 23, 19, sive 16, 1, Deut : 2, 8. Reliqua sunt Jos. 4, 1, et 8, 24, Judic. 2, 1, 1. Sam. 14, 13, 20, 37, et 16, 12, et 19, 21, et 25, 11, 2, Sam. 5, 2, 19, et 7, 4, et 24, 11, 1, Reg. 13, 20, Isa. 8, 3, Ezech. 3, 17, et 44, 15. De quibusdam tamen dubitat, an hùc pertineant. Ad versus etiam pertinent notæ Masorethicæ circà correctiones scribarum, voces scilicet 18, quas scribas mutâsse aiunt. Loca recensentur ad initium libri Numer. et Psal. 106, 20; de his locis egimus Proleg. de Textuum Original. integritate, ubi ostendimus per scribas intelligi Esdram et viros Synagogæ magnæ, qui loca ista emendârunt, et veram lectionem restituerunt. Hùc etiam referri potest ablatio scribarum in quinque vocibus, de quibus Masora, Gen. 18, 5. Dicunt enim quinque esse voces, quibus in vulgaribus codicibus præposita erat littera *Vau:* quæ tamen in textu authentico non exstabat, sed auferri debuit. Monent enim, istis locis ità legi non debere : quòd perindè est, ac si auferri vellent, undè *ablatio scribarum* dicta. Loca sunt, Gen. 18, 5, Gen. 24, 55. Num. 12, 14, Psal. 56, 7. Mas. magna tantùm quatuor istiusmodi locorum meminit, uno per errorem omisso; at Masoram correxit Buxtorfius. Ad versus etiam pertinet, quòd in quatuor libris penultimum versum repetunt, vel ejus saltem initium, id est ad finem Esaiæ, Thren. Malach. et Ecclesiastis; ut in libris, tàm impressis, quàm MSS. videre licet. Causam hanc reddunt, quòd versus ultimi istorum librorum desinunt in minis, vel pœnis. Versus verò penultimus benedictionem vel bonum aliquod habet : ergò, ne lectores tristes discederent, versus penultimos repetunt, ut læti discedant. Alii aliam causam reddunt, à dignitate versuum penultimorum, qui sæpè repetendi et ruminandi sunt.

Ut versus, sic voces recensuerunt : circà quas, 1° annotârunt varias codicum lectiones, aliaque quæ sub nomine Keri et Ketib comprehenduntur; cùm vox scilicet aliter in textu scribitur, aliter in margine legenda notatur : undè puncta, quæ voci marginali propria sunt, voci textuali adscribuntur. Horum variæ sunt species : non enim omnia ad lectionis varietatem propriè pertinent. De his verò peculiari diatribâ dicendum est. 2° Notârunt voces quasdam plenè vel defectivè scriptas. Plenæ dicuntur, cùm litteræ *Vau* et *Jod* quiescentes, exprimuntur, ubi non semper exprimi solent; vel cùm *He* paragogicum additur personæ secundæ præteriti, et ejus affixo. Defectivæ, cùm voces scribuntur sine litteris *Jod, Vau, Aleph,* quiescentibus, vel

He finali, licèt communiter cum iis scribi soleant. Non verò ad omnes ejusmodi voces plenas vel defectivas annotârunt aliquid Masorethæ; sed ad eas maximè, quæ communiter scribi solent plenè, et rarò defectivè, vel communiter defectivè, et rarò plenè, secundùm regulam Eliæ in præf. 3 Mas. c. 1. Cùm dictiones plenæ plures sunt, quàm deficientes, numerârunt deficientes; è contrà, cùm deficientes sunt plures, quàm plenæ, numerârunt plenas. V. g. Gen. 2, 7, Jon. 2, 5, 5. Quædam notârunt circà vocum situm vel locum, respectu initii, medii, vel finis alicujus versûs, ut Gen. 1, 30. notant ילכל quater versum incipere; loca verò alibi proferunt, scilicet ad finem Deuteronom. Gen. 1, 1. Masora notat vocem quæ versum ibi terminat, ter in fine versûs inveniri, Gen. 6, 4. Voces quæ sunt in medio versûs, notantur ter inveniri simul in versiculi medio; frequentissimè verò hoc notant in particulis indeclinabilibus. Significationis ambiguitatem in quibusdam notârunt, ut Gen. 19, 8, ad האל notant octies accipi in significatione communi, siiicet pro pronomine, cùm aliàs sit unum ex divinis nominibus. Huc etiam referri possunt voces, quas quis existimare possit aliter legendas esse, vel propter sensum, vel quia aliter leguntur. Præcavent (ut quibusdam placet) temeritatem audaculorum, ne aliquid immutare præsumant, vel ut alii conjecturas suas proponant de aliâ lectione. Verborum quorumdam structuram notant, cùm verbum aliquod cum nomine certo, vel cum præpositione certâ peculiariter jungitur, vel cum litteris servilibus extrà communem usum; loca recenset Masora, Genes. 42, 18. Multas etiam voces numerârunt Masorethæ, quoties sciiicet in Bibliis inveniuntur, ut Jon. 3, 6, notant vocem ויעבר noviès reperiri; loca verò, ubi occurrunt, non semper exprimunt. Notârunt etiam voces 15, quæ supernè uno vel pluribus punctis, notantur: quarum 10 sunt in Lege, 4 in Prophetis, et una in Hagiographis. Hæc puncta verò non sunt vocalium notæ, sed ad mysteria quædam notanda apposita esse volunt, quæ Legis oralis pars erant; hodiè verò per frequentes dispersiones oblivioni ferè tradita. Antiqua est horum punctorum mentio in Talmude Tract. Berachoth. c. 1, et libro Zohar: undè quidam ad Esdram et viros Synagogæ magnæ referunt. Ut verò facilè concedam, à posterioribus Masorethis non esse adscripta, qui puncta vocalia invenerunt, quia antè Talmudem exstiterunt; sic non facilè credam ab Esdrâ vel Prophetis apposita esse; sed post eorum tempora casu (ut alia ejusmodi) in textum irrepsisse; vel fortè consultò à quibusdam Judæis addita, ut indè mysteria quædam de textu depromerent; posteriores verò mutare noluisse, sed quasi ab Esdrâ vel sacris Scriptoribus adjecta essent, superstitiosè retinuisse: quòd ipsis solemne est. Mysteria enim, quæ à Masorethis eliciuntur, planè ridicula sunt, et Spiritu Dei indigna, superstitionem Rabbinicam olentia. Loca verò sunt Gen. 16, 5. In ובינך suprà *Jod* posterius punctum affigitur; vox verò hæc non plenè scripta est in totâ Lege, nisi hoc loco cum duplici *Jod* ad hoc mysterium scilicet notandum. Sara his verbis cum Abrahamo expostulat, dicens: *Judicabit Deus inter me* ובינך *et inter te.* Hoc verò verbum cum duplici *Jod*, significare potest (*et inter filium tuum*), undè volunt Saram, licèt voce externâ Abrahamum alloquens, dixit: *Judicet Deus inter te et me*, tamen tacitè in animo Agaram, dixisse, scilicet: *Judicet Deus inter me* וביניך *et filium tuum*, quem silicet Agar in utero gessit; ità ut Abrahamum voce, et ancillam animo allocuta sit; et ob hoc magnum mysterium scilicet, Rabbini nonnulli nugantur hanc vocem supernè punctatam esse. Quis verò ferat, ut istiusmodi ineptiæ sacris Scriptoribus adscribantur? 2 locus Gen. 18, 9 (3.) Gen. 19, 33 (4.) Gen. 33, 4 (5.) Gen. 37, 12 (6.) Numer. 3, 39 (7.) Num. 9, 10, (8.) Num. 21, (9.) Num. 29 (10.) Deut. 29, 29 (11.) 2, Sam. 19 20, (12.) Esa. 44 9, (13.) Ezech. 41, 20, (14.) Ezech. 46 22, (15.) In Hagiographis una istiusmodi vox est, Psal. 27, 13.

Ut versus et voces, sic etiam litteras, tàm consonantes, quàm vocales, recensuerunt Masorethæ. Circà consonantes, quas vulgò vocant litteras 22, alphabeti, notârunt quædam spectantia, tàm quantitatem quàm situm et numerum. Respectu quantitatis, quasdam notârunt in textu, reliquis majores, quasdam minores, quasdam quasi suspensas suprà reliquas in eâdem lineâ, quasdam inversas, quasdam medias in quolibet libro. Respectu numeri, ad calculum revocârunt, quot litteræ occurrant in singulis libris, quot ex quinque finalibus, quot in omnibus libris Vet. Test. Licèt verò labor hic immensus ex magnâ parte inutilis ac superfluus videatur, parùmque conducat ad textûs Hebraici integritatem conservandam (de quo posteà), libet tamen singula lectori proponere, ejusque judicio subjicere.

Litteræ majusculæ constituunt in Lege alphabetum, quibusdam tamen litteris geminatis, et unâ triplicatâ. Catalogum recenset Masora initio Genesis, et initio libri Chron.; sed cum discrimine circà *Vau*, *Teth*, *Lamed*, *Noun*, *Samech* et *Pe* finale, ut suis locis videbimus. Harum mentio est in Talmude, tract. de Scribis, undè et Masorethis Tiberiensibus antiquiores sunt. Tempus verò, quo in textum introductæ sunt, exactè notare non possumus. Quòd verò quidam, qui Masoram ad Esdram et Synagogam magnam referunt, statuunt mysteria quædam in his litteris, ut et reliquis, olim fuisse Hebræis nota; hodiè verò oblivioni tradita, probare non possum. Quidquid enim antiquiores de iis judicabant, certè mysteria, quæ à posterioribus Masorethis et Rabbinis traduntur, mera somnia sunt, et gerris Siculis vaniora; ut cùm littera ג majori formâ scribitur, Levit. 13, 33, volunt memoriale esse trium, qui radi tenebantur, scilicet Nazaræorum, pollutorum, et Levitarum, qui 13 annum excesserant. ב in primâ voce Gen. 1, 1, ad denotandum duplex opus Creationis, scilicet cœli et terræ. א in voce *Adam* 1. Chron. 1. 1. ad denotandum primum hominem, undè humani generis origo. Quis verò non videt hæc esse mera hominum commenta, à sacris scriptoribus nequaquàm intentà vel cogitata? Litteræ verò istæ non in omnibus Bibliis exprimuntur; Munsterus ex suis eliminavit; in aliis editionibus quædam notantur, quædam omittuntur. Cùm tamen in plerisque editionibus majoribus retineantur, etiam in *Polyglottis Londin.* exprimi curavimus; eas verò hîc excudere nullius esset utilitatis. De his, ut et de minusculis, inversis, suspensis, finalibus, indictionis medio, et è contrà, eorum sententiæ accedimus, qui statuunt errore librariorum, vel casu fortuito, in textum primò irrepsisse; scribas verò posteriores, qui cùm codices alios exscriberent, talium litterarum quantitatem et situm observantes ex libris vetustioribus, certo consilio à majoribus ità scripta fuisse sibi persuaserunt; et ex innatâ gentis superstitione mysteria nescio qualia ex eis elicuêre (quæ à posteris, qui à majorum placitis vel latum unguem discedere nefas arbitrantur, potiùs aucta, quàm imminuta sunt, et ambabus manibus accepta ac firmiter retenta); vel Judæos quosdam antiquiores, qui ex textu per cabalam alios sensus, mysticos scilicet præter litteralem hausêre, has litteras isto modo scripsisse: quas posteriores ab Esdrà profectas esse, stultè sibi persuaserunt.

Litteras etiam minusculas annotârunt, reliquis minores, ad numerum 35, per singulas litteras alphabeti. Quædam tamen sunt triplices, una quadruplex: de quibus idem dicendum, quod de majusculis, in quibusdam libris non exprimi, in aliis plures vel pauciores, ut videre est apud Buxtorf. in Tiberiade, qui quasdam ab Eliâ in Masorâ omissas supplevit. Significant verò in genere ex mente Rabbinorum, rei de quâ agitur, *diminutionem* vel *contemptum*; et ex eodem fonte profluxerunt, quo majusculæ. Earum etiam mentio fit in Talmud. tract. de Scribis: recensentur initio Levitici, et initio Masoræ magnæ.

Tertiò notârunt litteras quasdam suspensas, et unam, scilicet נ inversam. Suspensæ notantur in Masora ad Judic. 18, 30, et Psalm. 80, 14. *Noun* suspensum est Judic. 18, 30, in *Menasses*. *Ayin* 3 locis Psal. 80, 14, Job. 38, 13, et v. 15. *Noun* verò inversum esse in novem locis, notat Masora. Num. 10, 35, et Psal. 107, 23. Loca sunt, Num. 10, 35, ubi *Noun* inversum est, ut innuatur, sic retrorsùm agendos esse omnes hostes Israelis. Quis hic non miretur acumen Rabbinicum? Imò quis non indignetur talia ad sacros scriptores referri? Num. 11. 1. Reliqua sunt in Psalm. 107, ubi tamen, *Noun* inversum non cernitur in textu, sed figura *Noun* inversi ponitur in marg. in Bibl. Venetis. Primum est v. 23, 2, v. 24, 3, v. 24, in quo nullum est *Noun*: undè Masora hoc loco mendosa est. 4, v. 26, 5, v. 27, 6, et v. 28, in quo tamen nullum *Noun* invenitur.

Quartò notârunt litteras *Mem* et *Noun*, in quibusdam locis irregulariter scribi, scilicet *Mem* clausum in medio dictionis, Es. 9, v. 7, et *Mem* apertum in fine Neh. 2, 13. *Noun* etiam medium scribitur in fine vocis. Job. 38, 1, et in quibusdam libris Keri marginale monet legendum cum *Noun* finali. Notârunt etiam litteram mediam cujusque libri, et libri cujusque litteras omnes ut ex reliquiis quibusdam istiusmodi Masoræ adhuc servatis colligitur. Nam Levit. 11, 42, ad *Vau* in voce גחון notat Masora, litteram *Vau* esse litteram mediam legis: quod etiam notatur in Talm. lib. Kidduschin. cap. 1. Sic Psal. 80, 14, in ביער, *ex sylvâ*, littera *Ayin* notatur esse media libri Psalmorum, ut et legitur in Talm. eodem loco. Litteras etiam singulorum librorum numerârunt. In fine Genes. post versiculorum numerum addunt numerum litterarum istius libri esse 4395; quod tamen, monente D. Buxt. intelligendum est de ultimâ sectione istius libri, non de toto libro. Elias Lev. Præf. 3, dicit,

litteras totius Legis esse 600045, et litteras primæ sectionis esse 1915, quem calculum tamen falsum esse, monet idem Buxtorf., qui putat esse ultrà 5000. Ità fecerunt in reliquis libris, licèt in Masorâ hodiernâ illorum calculi non exstent : nam haud dimidia est pars Masoræ, quam in Bibliis impressis habemus.

Numerârunt etiam, quoties litteræ 5, finales quas vocant, in toto occurrunt Vet. Test. Notârunt *Caph* finale inveniri vicibus 10981. *Mem* finale 24973. *Noun* 8719. *Pe* 1975. *Tzade* 4872. Summa totalis est 51520. Easdem litteras intermedias etiam ad calculum revocârunt 37272, *Mem* 52805, *Noun* 32977, *Pe* 20750, *Tzade* 16950 vicibus reperiri. In toto 160754. Numerârunt etiam quoties singulæ alphabeti litteræ per totum Vet. Test. reperiuntur. Quod ex carmine de hoc composito per Saadiam Gaon, qui Babylone floruit post annum Christi 900, et Vet. Test. ex Hebræo in Arabicum transtulit, constat : quod ex Eliâ proponit Buxt. c. 18 Comment. Masor. Singularum verò litterarum summam, tabula sequens declarat.

א	42577.	ו	76922.	כ	48255.	ע	20175.	ש	52148.
ב	38218.	ז	28867.	ל	41517.	פ	22725.	ת	59545.
ג	29557.	ח	25437.	מ	77778.	צ	21882.	Summa	
ד	32550.	ט	11052.	נ	41696	ק	22972.	totalis :	
ה	47554.	י	66420.	ס	15580.	ר	22147.	815280.	

Hos verò litterarum numeros collegit Saadias ex Masoræ schedis, quæ tunc exstabant, nobis verò ignotæ sunt : et fortasse fideliùs et multò certiùs in Masorâ, quàm in Saadiæ rythmis exprimebantur. Unicuique verò litteræ versum Biblicum subjungit, qui eumdem numerum, quem litteris priùs expresserat, vocibus integris designaret. An verò hic numerus bene subductus sit, à multis (idque non sine causâ) dubitatur. Schickardus in Bechinhap. p. 47, supputationem quamdam conjecturalem instituit, per paginam unam vel alteram; undè numerum multò majorem esse conjicit. Certè, si vera sit Eliæ supputatio, qui ultrà 60000 in solo Pentateucho colligit, numerus multò major exsurget per omnes libros Vet. Testamenti. Suspicatur itaque Schickardus, litteras tantùm quæ in Prophetis et Hagiographis continentur, sub hoc calculo comprehendi : cui si addantur litteræ in Pentateucho, scilicet 600045, exsurget numerus, 1415525. Alii hanc viam tentârunt. Primò litteras unius paginæ numerârunt, quas per paginarum numerum per tota Biblia multiplicant : undè numerum 120000 litterarum in toto Vet. Test. collegerunt. Quisnam verò sit numerus certus et exactus, nemo adhuc (quod sciam) demonstravit ; nec videtur, moraliter loquendo, possibile esse calculum exactum conficere, cùm vix possibile sit librum aliquem ità exactè correctum invenire, in quo litterarum quarumdam mendæ non reperiantur; litteræ etiam multæ ità sibi similes sunt, ut facilè possit calculator unam pro aliâ legere, si nullus esset error in ipso codice, undè calculus necessariò falsus conficitur. Nec video, quomodò ad textus sacri integritatem conservandam labor hic inutilis inserviat, ut posteà ostendemus.

Judæos imitati sunt Arabes, aliique Muhamedani in Alcorano suo, idque non tantùm in punctatione, et variarum lectionum collectione, sed etiam in versuum, dictionum, et literarum calculo conficiendo : quem testatur Cl. Hottingerus Thes. Philol. lib. 1, cap. 3, sect. 4, in MS. quodam Arabico se invenisse, in quo numerantur versus in Alcorano, in exemplari Medinensi priori, 6000, in Medinensi altero, 6216, in Meccensi, 9219, in Cufensi, 6236, in Bozorensi, 6216, in Syriaco vel Schaniensi, 6226. Litterarum numerus, 323015. Nec defuerunt inter Christianos, qui non tantum στίχοις numerârunt in Nov. Test., ad finem cujusque libri quorum distinctio utilissima fuit, sed et versus et litteras librorum quorumdam Vet. Testamenti, ut in MSS. Syriacis quibusdam invenimus, de quibus alibi.

Circà vocales, earumque punctationem, et accentuum notas, magnam eamque utilissimam operam navârunt Masorethæ. Idque primò in punctorum inventione, quibus textum non pro arbitrio, sed secundùm veram et receptam lectionem à sacris scriptoribus ad ipsorum tempora conservatam punctârunt : undè facilior lectio, et textus ambiguitati ac corruptioni minùs obnoxius redditur : hoc enim ipsorum inventum fuisse, suprà, ni fallor, satis clarè probatum. Etsi verò punctorum vocalium et accentuum notas plurimas sine necessitate multiplicârunt, et minori compendio idem efficere poterant, tamen, quin utilissimum hoc eorum inventum fuerit, nemo iverit inficias : undè et in aliis linguis orientalibus idem imitati sunt Arabes, Syri, Persæ, etc. Post punctorum appositionem, multa annotârunt posteriores Masorethæ, circà vocalium lectionem rectam, et irregularem multorum punctationem; ne quis eas, mendosas esse suspicans, mutare tentaret : ut cùm vox irregulariter, sine causâ legitimâ, contrà formam communem, et similium vocum analogiam, punctata est; cujus

exstant exempla plurima. Insolens etiam et inconstans ratio in punctis *Daghes* et *Mappik*, contrà analogiam grammaticam notatur. Annotârunt etiam vocum quarumdam structuram, quæ cum aliis, vel cum litteris servilibus contrà regulas communes construuntur. Multas etiam voces hoc vel illo modo punctatas numerârunt, quoties scilicet in Scripturâ inveniuntur ; et loca sæpè indicant. Monet verò D. Buxtorf. Tiber, lib. 1, cap. 13, in Masorâ magnâ, vocales tantùm nominari *Camets* et *Tsere*; sub *Camets* verò *Patach*, sub *Tsere Sægol* comprehendi; posteriores verò Rabbinos, qui Masoram parvam ex magnâ collegerunt, distinctionis causâ eas vocâsse *Camets* parvum et *Patach* parvum. Masora verò parva, interdùm vocalium istarum et aliorum nomina exprimit, interdùm nudam figuram ponit : quòd fit in iis tantùm vocibus ubi periculum aliquod esse videretur erroris in lectione, vel quòd alibi sic non occurrant, vel ut distinguerentur ab aliis locis, ubi aliæ vocales legebantur. Exempla ubique obvia in Bibliis Venetis et Basileensibus. De accentibus etiam quædam observârunt; at non adeò frequenter ac in vocalibus, cùm non tàm significationi quàm pronuntiationi inserviant. Nam, etsi sensum per membra sententiæ accentus indicant, tamen (observante eodem) de hoc nihil monent. At cùm vocales per accentus distinguentes mutantur, vel non mutantur, id observant aliquandò, cùm à communi usu ratio aliqua peculiaris inerat diversa. Tandem, cùm vox aliqua cum accentu contrà usum communem notatur, monent talem accentum illo loco esse debere, etsi vox sæpiùs alibi alio accentu notetur. Sic cùm vox aliqua contrà naturam accentûs est punctata, hoc casu tùm accentum, tùm vocalem notant, ne quis mendam scribæ esse putaret; at cum accentu privatur, et sequenti voci per *Maccaph* conjungitur, habere debet *Sægol*. At contrà hanc regulam, observant ad Gen. 17, 17, septies exstare hanc vocem, cum *Patach* parvo, id est *Sægol*; et è contrà quater cum *Tsere* et *Maccaph*, contrà usum communem. Infinita hujusmodi occurrunt : quædam etiam, quarum causa nos latet, auctoribus fortasse perspecta, quorum rationem reddere non possumus.

Hæc paulò fusiùs de materiâ Masoræ. Formam quod attinet, alia fuit olim, quàm quæ hodiè in Bibliis impressis conspicitur, ut ex Eliâ observârunt D. Buxtorf. Schickard. Joh. D'Espeires, et alii. Non enim textui Hebræo in margine adscripta erat, sed in chartis sive schedis separatis observationes suas annotârunt, quas publicè in scholis discipulis suis explicabant : in tantam etiam molem excrescebant, ut textum Biblicum superarent, teste eodem Eliâ : undè in marginibus Bibliorum commodè describi non poterant. Deindè non simul et semel, nec ab uno auctore notæ istæ collectæ sunt, sed à diversis auctoribus, variisque temporibus, imò per plura secula compilatæ, novisque observationibus in dies auctæ, cùm posteriores prioribus semper aliqua nova addiderint; adeò ut, instar crocodili (quem, quamdiù vivit, crescere et augeri scribunt), nova incrementa quotidiè faceret Masora, nec in hunc diem (teste eodem Buxtorf.) finem perfectum assecuta sit. Hanc verò fuisse antiquam Masoræ formam, testantur antiquissima exemplaria MSS. quæ hodiè apud Judæos sunt in Pergameno per libros separatos conscripta : ex quibus R. Jacob Ben Chajim suam, quæ Bibliis Venetis primò, posteà et in Basileensibus imprimitur, extraxit: nec enim omnia publicavit, sed ex pluribus schedis, quæ sibi potiora visa sunt, extraxit, quæ cum Bibliis Venetis prodierunt, rejectis vel omissis reliquis, quæ major pars erant. Talibus etiam usus est Elias. Tale etiam habuit Capnio ex dono Maximiliani I, Rom. imperatoris, quod conscriptum erat antè aliquot secula pro Aben Ezrâ, minutissimis litteris exaratum, nec per lineas, sed per varias animalium formas quasi depictum, quòd Schickard. præf. ad Bechin. Happ. testatur se vidisse, et jam esse apud Marchionem Badensem. Alterius etiam meminit D. Buxtorf. in Bibliothecâ Palatinâ asservari. Cùm verò variæ Masoræ exemplaria MSS. in publicum prodirent, et apud populum innotescerent, cœperunt Masorethæ, vanâ scientiâ tumidi, et ut popularem auram captarent (referente D. Buxtorf.), et pecunias corrogarent, suas notas ad singulas paginas Bibliorum adscribere; quasdam ad partem paginæ superiorem, quasdam ad inferiorem, quasdam ad latera describendo; ut in Bibliis quibusdam MSS. antiquis videre licet : undè magna confusio et multiplices errores orti, de quibus conqueritur Elias Levita. Habeo tale exemplar Bibliorum MSS. antè annos 500 exaratum, cum variis Masorethicis, quæ tàm minutis characteribus descriptæ sunt, ut oculorum aciem effugiant. Sic verò per partes ad textum adscriptæ erant, confusè, et mendosè, donec typis primus edidit cum textu Hebræo, Bombergus, Typo-

graphus celebris Venet., usus in hoc operâ Judæi illius Tunerani, R. Jacob Ben Chajim, quem magnâ summâ conduxit : qui collectis undiquè et collatis notis Masorethicis, sive per libros separatim, sivè cum textu conjunctim scriptis, et post plurima errata correcta, in hodiernam formam reduxit, quam in Bibliis Venetis videmus ; multis quidem erroribus conspersam ; quos tamen magnâ parte correxit Buxtorf. in Bibliis suis. Est autem hæc Masora, vel potiùs Masoræ pars reliqua (nam ex majori parte, ut dixi, periit) duplex, Textualis et Finalis. Textualem in magnam et parvam dividunt. Parva ex magnâ contracta est, et ad latus interius, vel si materia postulat, ad exterius, litteris numeralibus, vocibus decurtatis et symbolicis, breviter describitur. Loca Scripturæ hic non designantur, nisi vox bis tantùm occurrat : tùm enim locus alter, unâ alteràque voce ad ב adjectâ recensetur. Numerus major aliquandò per verba symbolica, idque linguâ Chaldaicâ, exprimitur. Nota Masorethica refertur ad vocem in textu, quæ circello notatur; si verò plures sint, notæ ipsis ordine respondent. Si verò ad medium duarum vel plurium dictionum circellus ponatur, nota Masorethica ad omnes conjunctim refertur. Hæc et alia ejusmodi ad Masoræ usum spectantia apud D. Buxtorf. habentur, Clave Masor., c. 1. Masora magna Textualis est, quæ cuique paginæ suprà et infrà textum, et aliquandò ad latus, cum comment. Rabb. totum spatium non explent, adscribitur. Hic voces præcipuè recensentur, et loca Scripturæ enumerantur, quæ in parvâ omittuntur. Primò enim ponunt vocem textûs, deindè numerum, quoties repetitur, et tandem loca Biblica notantur, quæ aliquandò per *etc.* omittuntur, et ad alium locum referuntur. Puncta duo notam Masorethicam finiunt, et duo apices indicant verba *Ben Chajim*, qui Masoram ordinavit. Hùc spectant et Masoræ præliminares, quæ in librorum quorumdam vestibulo circà vocem primam majusculam ponuntur ; quarum notæ non semper ad textum istum spectant, sed generalia quædam plerumque continent, occasione ex textu captâ. Masora magna Finalis in fine Bibliorum disponitur ordine alphabetico, et inter alia habet plurima, quæ in Textuali Masorâ ob spatii angustiam adscribi non poterant. Voces proponit secundùm duas priores litteras radicales, undè vox incipit ; primò autem generalia quædam præmittuntur, quæ ad talem litteram, ejusque communes affectiones spectant, tùm ad voces ipsas secundùm formam radicis progrediuntur; sæpè tamen peccant, cùm voces non secundùm formam derivativam in alienâ litterâ proponunt ; undè confusio magna, observante Buxtorf. Nec proponunt librum et caput in vocibus recensendis, (hæc enim ex concordantiis petenda), sed verba quædam ex versu, ubi ista habentur, repetuntur. Loca verò Biblica vel statim adducunt, vel ad Textualem Masoram relegant. Videatur D. Buxtorfius.

De auctoribus Masoræ non una est omnium sententia. Quidam ad Mosem et traditionem è monte Sinai, ut omnia sua somnia et deliria, referunt : quod planè ineptum, cùm vix quarta Veteris Test. pars per Mosem tradita, vel ejus tempore conscripta sit ; Masora verò continet observationes per omnes libros Testamenti. Judæorum plerique Esdram et viros Synagogæ, inter quos Prophetarum ultimi numerantur, auctores Masoræ faciunt. Alii denique ad Masorethas Tiberienses, circà annum Christi 500, notas Masorethicas ; non negant tamen, quin variis seculis, à variis auctæ et continuatæ fuerint. Quod mihi videtur verò consentaneum, paucis expediam. 1° Certum est, notas has Masorethicas, nec simul, nec ab uno auctore collectas fuisse, sed per varia secula à diversis auctoribus compilatas. Hoc tandem omnes concedunt, Buxtorf. Joh. D'Espeires, etc. Undè Elias præf. 2 in Masor. Hammasor, ait : *notas illas ejusmodi esse, ut semper iis aliquid novi adjici possit, et novæ in dies excogitari possint.* Hoc etiam res ipsa clamat, cùm notæ circà voces irregulariter punctatas, et de earum numero, necessariò supponunt punctationem multò antè factam, et Masoretharum distinctio in priores et posteriores planè arguit, diversis temporibus eos scripsisse. 2° Constat etiam, quasdam notarum Masorethicarum partes collectas fuisse antè confectum Talmud : ideò tota Masora non est à Tiberiensibus. Hoc patet ex vocibus supernè punctatis, et ex litteris majusculis, minusculis, suspensis, inversis : quarum expressa fit in Talmude mentio, prout suprà notavimus. 3° Esdram, vel sacros scriptores, et magnæ Synagogæ viros, fuisse auctores Masoræ, vel alicujus partis Masoræ, nullâ solidâ ratione hactenùs probatur, imò multa potiùs suadent contrarium. Nam punctorum vocalium et accentuum inventio, et ad textum appositio post Talmud facta est, ut suprà evicimus ; at maxima pars Masoræ est circà voces punctatas, et puncta-

tione, ut fundamento, nititur. Notæ verò circà litteras majusculas, minusculas, suspensas, inversas, *Mem* et *Noun* medias et finales, etc. planè, superstitionem olent Rabbinicam; et sacris scriptoribus, virisque θεοπνεύστοις indignæ sunt, circà quas futilitatem suam vel pueris ridendam præbent Rabbini, dùm earum rationes reddere conantur. Varias verò lectiones, quæ sub Keri et Ketib nomine veniunt, nemo sacris scriptoribus adscribet, qui perpendet, quòd in Esdræ, Danielis, Zach. et Malachiæ prophetiis istiusmodi notæ inveniuntur; nemo enim mente sanus affirmaverit ipsos veram in propriis scriptis lectionem ignorâsse; vel quas in diversis codicibus invenerant, sub ק in margine annotâsse. Numerum verò vocum et litterarum in singulis libris colligere; item medias litteras, etc., cujusque libri annotare; res est planè inutilis, nec quicquam ad integritatem textûs conservandam faciens, ut anteà ostendimus, et statim clariùs demonstrabimus : ità ut viris istis divinis talia adscribere, non aliud est, quàm magnâ injuriâ eos afficere. Cùm itaque quicquid in Masorâ aliquid habet utilitatis longè post Esdræ tempora inventum sit, reliqua verò, quæ planè inutilia vel superstitiosa sunt, nefas sit Prophetis adscribere, sequitur nullam Masoræ partem ab iis compositam esse. Certè si tales habuisset auctores, divinæ esset auctoritatis, ut reliqua Scriptura, quam viri isti Sp. Sancto afflati scripto consignârunt : cùm tamen omnes, quòd sciam, fateantur humanæ tantùm auctoritatis esse. Nec ità negligenter eam tractâssent Rabbini, ut in varias chartas ac schedas quisque pro libitu eam conjiceret, et dimidiam ad minimum partem perire sinerent. Imò quisque pro arbitrio eam corrigit, et à Masoretharum traditionibus non rarò discedit, teste Eliâ, Tab. 1, orat. 3, R. Jacob Ben Chajim Præf. in Biblia Venet., et ex Christianis multi viri Hebraicè doctissimi, Masoræ sæpè contradicunt, eamque corrigunt, Scal. de Emend. lib. 5. Gomarus de Relig. disp. 6, præter Capellum et alios. Deniquè non ausi fuissent notas suas, posteriores Masorethæ iis, quas viri divinitùs inspirati collegerunt, adjungere, et cum iis miscere, quasi pari gradu incederent. Hæc et alia, quæ adferri possent, hoc planè certum reddunt, Masoram post Esdram incœpisse. Judæorum verò auctoritas parùm valet, ut suprà ostendimus, in proprià causâ ; cùm ex ipsorum historiis fabulis refertis post dispersionem, nil certi haberi possit; nec iis tutò fidendum sit, nisi aliundè confirmetur, præsertim cùm rationes firmæ in contrarium adducuntur. 4° Probabile tamen est, licèt non statim post Esdram, tamen circà tempora Machabæorum, cùm Pharisæorum secta exorta est, qui traditionum magistri erant, quosdam incœpisse observationes facere. Tunc enim incœperunt esse valdè studiosi circà Legis corticem, verùm ejus sensum et observationem parùm curantes, quòd studium eorum posteri multò auxerunt, dùm quisque criticen suam exerceret, et novas observationes cumulo adjiceret. Probabile autem est primò versus numerâsse, posteà verba et litteras, tandem, post apposita puncta vocalia et accentus, ex iis observationes confecisse. Summa hùc redit, Masoram non esse ex ullâ parte ab Esdrâ et Prophetis, sed humanæ tantùm auctoritatis : antè Talmud quædam observata fuisse, post Talmud multa plura à Tiberiensibus aliisque adjecta; præcisè verò tempus, cùm primò incœperit, vel quandò desierit, assignari non posset.

Ad usum Masoræ tandem devenimus ; quam quidam ità admirantur, ut dicant impossibile esse post Masoram, ullum errorem, depravationem, vel mutationem in textum irrepere posse. Alii è contrà opus vanum, inutile, nulli usui inserviens, otiosorum hominum inventum esse, affirmant. Qui vilipendunt sunt tùm inter Judæos, tùm Christianos. Auctor libri Cosri, serm. 3, c. 31, ad proselytum suum, hæc verba habet : *Vides eorum opus* (Masoretharum) *vanum fuisse et supervacaneum, et occupationem diligentem in re inutili.* Cosri commentator in hunc locum eamdem fuisse sententiam plurium Rabbinorum affirmat. *Multi* (inquit) *sapientes, quos vidi et audivi, traducunt, despiciunt, et vituperant hoc studium* (Masorethicum). *Sapiens quoque R. Aben Ezra comparat eos numeranti folia et paginas librorum medicorum, quibus omnibus non sanatur ullum vulnus.* Inter Christianos multi sunt viri docti, qui hanc operam nihili faciunt. Vir doctus, in criticâ suâ Hebræâ, licèt Masoram ex magnâ parte ad Esdram et magnam Synagogam referat, et multa adferat pro utilitate ejus ad textum purum conservandum, ità tamen concludit : *Hoc tempore Masoram non posse Scripturam defendere, quia jam est corrupta, et dimidiâ suâ parte mutila ; ideòque etiam non est certa et infallibilis regula lectionis Sacræ Scripturæ. Judæi jam diù sub jugo aliorum habitârunt, ac propterea Masoram suam tàm nitidè et incorruptè con-*

servare non potuerunt. Hinc est, quod tractu temporis magna ejus pars perierit; et reliqua pars, quæ adhuc superest, corruptionem talem passa sit, ut non ampliùs regula incorruptibilitatis Scripturæ esse possit. Joh. Morinus in Pent. Samarit. exerc. 4, c. 7, 8, contendit, *Masoram esse in multis confusam, corruptam, incertam, falsam; nisi, quòd cùm res aliundè nobis constat, Masoræ consensu quomodocunquè confirmetur.* R. Jacob Ben Chajim, qui Masoram in Bibliis Venetis primus edidit, fatetur ad finem Præf. Masoræ, *Libros quos inspexit fuisse omninò confusos, et ità perturbatos, ut nulla in illis esset domus sine mortuo.* Etiam et ipse Elias, licèt Masoram multis encomiis celebrat, tamen Præf. 2 in Masoram Hammas. invehitur contrà Masorethas propter inanis gloriæ desiderium, et affirmat, *defectus Masoræ non posse numerari;* et concludit, *opus imperfectum defectibus undiquè scatere.* Nec aliter D. Buxt., qui in c. 19 Comment, Masor. ait, *infinitos errores in Masoram introductos esse, ut ex castigationibus suis abundè liquet;* et incusat *Judæorum negligentiam, immanem incuriam, et oscitantiam, qui ad manifestissima etiam vitia cæcutiêre, et inter tot impressiones ad ea meliorem manum non adhibuêre.* Etsi verò librum integrum conscripserit de Masoræ erroribus, quos ipse emendavit, addit tamen: *Ne quis credat omnia esse correcta, et emendata:* quia nunquàm ordine in singula inquisivit, sed prout quæque nunc hic, nunc illic obviam accedebant, ità ad censuram vocavit; et multa non dubitat superesse, ad quæ examinanda hinc patebit aditus. E contrà alii quàm magnificè de Masorâ sentiunt. Idem Elias sibimet contradicens, Præf. 3, dicit, *quòd post Masoram fieri non potest ut incidat mutatio aut depravatio quovismodo in aliquibus libris Scripturæ. Undè non sine causâ dixerunt magistri: Masora est sepes legis.* Eliæ suffragantur hodiè omnes Judæi, et ex Christianis non pauci. D. Buxtorf, dicto libro, licèt multa in Masorâ falsa et confusa esse ostendat, tamen sæpè de eâ loquitur, ac si post hunc laborem vix posset Scriptura Veteris Test. corrumpi, vel mutari in aliquo. Arias Mont. Præf. Tom 1 ad Bibl. Reg., ait: *In Masorâ, tanquàm in sacrâ et fidâ custodiâ, summâ diligentiâ, etc., antiquæ lectionis reliquiæ, vestigia exemplaque omnia continentur, etc.* Et in Præf. de variis lection. Hebr. vocat *Masoram utilissimum thesaurum, qui varias lectiones fideliter tradat, et tantâ curâ conservat, ut nulla ne vel minima in variis exemplaribus discrepantia, vel perspicacissimo deprehensa unquam fuerit, etc.* Mariana (1) act. pro Edit. Vulg. cap. 10, *per Masoretharum diligentiam cautum esse dicit, ne facilè Hebræi codices vitiari possint.* Bonfrer. Præloq. c. 13, sect. 3, ait, *eos omni diligentiâ morali adhibitâ effecisse, ut deinceps nihil in textu Hebræo immutari vel depravari possit.* Idem sentiunt multi alii, præsertìm qui rem seriò non perpenderunt. Schickard. Happ. disput. 3, de Masoreth., p. mihi 52, 53, allatis quibusdam locis ex Eliâ et Ab. Ez. de Masoretharum diligentiâ, quasi extrà se raptus exclamat: *O incredibilem etiam in minutissimis diligentiam! O singulare Numinis beneficium! O mirandam, tot exemplarium per omnes Europæ, Africæ, Asiæque angulos dispersorum, per tot sæcula ad nos propagationem, et salutarem harmoniam!* Tandem concludit, quòd *ne vel tantillùm depravare* (scioli) *possint, quin id sacrilegium sacra hæc critica statim proderet.* Simeon de Muis. Censur. exercit. Samar Morini p. 148, 149, scribit, *quòd Masora nobis Biblica Volumina sarta tecta servavit, æternumque servatura sit;* et: *quòd ne minimus apex de Bibliis Hebraicis periit, Masoræ beneficium est.*

Ut verò quid de hâc re sentimus explicemus, distinguendæ sunt Masoræ partes. Quædam enim in eâ notata utilitatem magnam habere, et ad textum conservandum multùm facere, negari non potest; alia verò planè superflua et parùm utilia esse, haud difficile est ostendere. Masoram verò nunquàm ità perfectam fuisse, ut efficeret ne posthàc ulla depravatio vel mutatio oriri possit, hoc per partes probandum. Et primò, licèt Masora aliquid valeat, ut textus Hebræus in quibusdam locis integer conservetur, nunquàm tamen effecerunt Masorethæ, ut totus textus sacer esset extrà omne periculum mutationis vel depravationis cujuscumque. Nam primò, opus suum nunquàm perfecerunt Masorethæ, cùm semper novas observationes quisque adjiceret, ut suprà ex Eliâ et Ben Chajim ostendimus. Multa quidem notârunt circà voces plenas et defectivas, et circà vocales et accentus in quibusdam vocibus, quæ loca ab ipsis notata si concederemus depravari non posse, quid tamen de reliquis vocibus fiet (quæ infinitæ), ad quas nihil notârunt? Hæ in eodem statu sunt, ac si nulla esset Masora, ideòque depravationi non minùs obnoxiæ sunt, quàm si

(1) Vide inferiùs Marianæ dissertationem pro editione Vulgatâ.

Masora nulla fuisset. Dein constat, quòd, non obstante Masoretharum diligentiâ, multa errata in textum irrepserint, codicesque in multis discrepaverint; nec ex Masorâ omnes discrepantias componi posse. Hoc clarissimè liquet ex differentiis codicum Ben Aser et Ben Naphtali, tùm ex variis notis in Masorâ positis ex codicibus è priori Masorâ discrepantibus; quas discrepantias collegit Ben Chajim ex libris plurimis; et in Bibliis Venetis et Basileensibus exstant. Multa observârunt Sixt. Amam., Joh. Morinus et alii. Celebris est locus Jos. 21, 36, 37, ubi versus duos in omnibus antiquis correctis codicibus deesse notat Masora. Undè in Edit. Ven. 2. et Basileensi omittuntur; et in quibusdam recentioribus MSS. codicibus, ubi adduntur hi versus, notatur, *non extare in libro Hillelis*. Masorethicus etiam versuum numerus quadrat, si versus isti omittuntur, de quo suprà; ex textu tamen clarum est adesse debere; et hodiè ubiquè in Bibliis extant. Multa etiam effugerunt Masoretharum diligentiam, ut in variis locis observârunt viri docti; nec contulerunt, vel conferre possent omnes codices, sed quos comparare poterant. Undè in aliis codicibus aliæ possent esse discrepantiæ, non obstante eorum diligentiâ. Masora etiam ità conscripta est, linguâ Chaldaicâ, vocibus decurtatis et abbreviatis, litterisque numeralibus, ut una facilè pro aliâ poni possit, undè Masora depravatur, vocabulis etiam quibusdam Masoræ propriis, quæ alias nullibi exstant: quæ omnia Masoram ità difficilem lectu reddunt, ut innumeris mendis necessariò scateat, quod Buxt. Clavis Masor. testatur. Undè profitetur Elias præf. 3, *se viginti annos in hoc studio insumpsisse, ut Masoram explicaret*; primus enim Elias explicavit, licet Ben Chajim antè Eliam in ordinem redegerit. Hinc innumeræ mendæ deprehensæ, de quibus iidem Rabbini unà cum Buxtorfio; ut nil dicam de Masoræ contrarietate, magnæ cum parvâ, et magnæ secum, etc., de quâ Lud. Capell. Crit. lib. 5, c. 12. D. Buxtorfius, qui primus inter Christianos in Masoræ mysteria altiùs penetravit, plurima errata in numeris aliisque notis Masorethicis correxit, partim ex aliis Masoræ locis, partim ex propriis observationibus. Plurima talia notavit Buxtorf. In solo Pentat. correxit suprà 200 istiusmodi mendas; et in Masorâ finali, quæ paucis constat paginis, ultrà 180. Cùm verò Masora ità sit imperfecta, falsa, et erratis scatens, quomodò potest esse fidelis custos veræ lectionis per totum Vetus Testamentum, cùm ipsa correctione et castigatione toties egeat, nec adhuc perfectè castigata sit? quomodò textum ubique purum et incorruptum servare potest? *quis custodiet ipsos custodes?*

Magnam verò Masoræ partem, parùm utilem esse, vel usui nulli inservire, multa probant. Numeratio scilicet vocum, præcipuè litterarum per singulos libros, et per tota Biblia; litteræ mediæ Legis vel aliorum librorum notatio; litterarum etiam finalium, item majusculârum, minusculârum, inversarum, suspensarum, *Mem* clausæ et apertæ, *Noun* finalis et mediæ: quæ nihil ad textûs Hebræi conservationem conferunt, vel conferre possunt. In versuum numero discrepant, dùm alii in Genesi numerant 534, alii 1540, in Deuter. 1455, alii 1055, ut observat D. Croius observ. in Nov. Testament. p. 74, c. 10. In litterarum numero calculum incertum esse fatentur præcipui Masoræ patroni; imò falsum, ut suprà notavimus. Nec possibile est, in vocibus præsertim et litteris, exactum calculum conficere, cùm per humanam industriam fieri non possit, ut exemplar tale sit, in quo non deficiunt vel redundant litteræ aliquæ; nec quisquam adhuc exstitit, qui examen instituit an Masoretharum calculus verus sit. Nec, ut dixi, Masorethæ omnes codices examinârunt, sed numerum ex codicibus suis, quos contulerunt, collegêre; si verò alios contulissent, discrepâssent calculi, cùm impossibile sit duos codices, multò minùs omnes in omnibus inter se consentire, ut ne in unicâ litterâ discrepent. In variis lectionibus Orientalium et Occidentalium, observârunt nonnulli, pro nomine tetragrammato יהוה quod exstat apud Occidentales, ponere Orientales אדני apellativum. Vid. Thren. 5, 21, quod planè probat Masoretharum calculum incertum esse de numero singul rum litterarum, cùm incertum sit utram lectionem sequaris. Si verò hæc in nomine illo sacro incertitudo sit, quantò magis in aliis vocibus! Tentârunt Muhamedani in suo Alcorano, versus, voces, et litteras numerare; at ne unum exemplar cum altero convenit; sed in omnibus erat aliqua discrepantia, ut suprà notavimus. Idem fecerunt quidam inter Christianos, qui vocum quorumdam Scripturæ librorum numerum confecerunt. In MSS. quibusdam Syriacis, quibus usi sumus, notatur ad finem libri Samuelis, constare illum librum vocibus 3436. Initio libri Regum notatur, illum librum constare vocibus 5221. In Novo etiam Testamento Æthiopico, ad finem quorumdam librorum, invenitur verborum calculus, quæ in illo libro exstant. Sed nulli usui inservierunt tales calculi, nec textum sine mendis conservare

poterant ; quem, cùm occurrebant, vel cùm codices variârunt, nunquàm ex computatione litterarum, sed ex loci circumstantiis, et variorum codicum collatione, aliisque mediis, emendavimus. Judæorum calculum, ut dixi, nemo adhuc ità otio abundavit ut ad examen revocaverit ; nec sanè multùm refert an verus sit necne. Nam posito tali numero certo et definito litterarum in aliquo libro, possunt tamen corruptelæ et mutationes introduci, manente eodem numero litterarum. Unius vocis vel litteræ pro aliâ subtitutio, transpositio, additio, substractio vocum et litterarum fieri potest ; ut et vocum divisio, conjunctio, et distinctio, eodem manente litterarum numero fieri, potest ; quibus sensus mutari et corrumpi potest, numerus tamen vocum et litterarum idem maneat. Quis, inquam, in locis controversis, vel in textu Hebr. Græco, vel alio, hanc viam tentavit, cùm quæstio de verâ lectione exorta sit, vel de corruptelâ loci alicujus, ut ex vocum vel litterarum numero per totum librum, vel mediæ litteræ observatione, litem dirimeret, vel locum restitueret ? Imò ipsi Judæi, cùm de lectione exorta esset quæstio, (ut inter Orientales et Occidentales), non ad calculum vocum vel litterarum confugerunt, vel ex mediâ litterâ alicujus libri, vel aliis istiusmodi rationibus litem determinârunt ; sed ex codicibus antiquis et correctis, locorum collatione, etc., libros emendârunt et veram lectionem eruerunt. Cùm itaque hæc Masoræ pars ad hunc finem inepta sit, non possum satis mirari, viros doctos, cùm de hâc vocum et litterarum numeratione loquuntur, quasi pro confesso sumere, omni corruptelæ hoc modo obicem esse positum. Undè etiam patet, quàm absurdum sit hoc divinis scriptoribus adscribere quod ab hominibus otio abutentibus profectum est. Idem de mediâ litterâ Legis, et mediâ aliorum librorum dicendum; quis nos certos facere potest, talem litteram esse mediam ? Si verò constaret, quomodò hoc modo depravationi obviatur, cùm mille possint esse errores in Lege, manente *Vau* Levit. 11, 48, media Legis littera, præsertim si corruptelæ consilio non casu factæ fuerint ; licèt utroque modo accidere possit eodem litterarum numero manente ? Nunquàm legimus, Ecclesiam Christi, cui majorem Spiritûs sui mensuram ipse promisit, talibus mediis usam ad textum Græcum Novi Testamenti conservandum.

Quædam etiam in Masorâ planè superstitionem Judaicam olent (tantùm est, ut ab Esdrâ, vel Prophetis originem ducant), qualia sunt litterarum majuscularum, inversarum, suspensarum, vocum supernè punctatarum, et alia ejusdem farinæ, annotatio. Arbitrantur quidam viri docti, priscos Judæos sapientes harum rationem reddere potuisse ; fatentur tamen rationes, quas reddunt Rabbini, esse vanas et ridiculas : nec probabile est Esdram et Synagogam magnam, qui toti erant pro Legis observantiâ, quæ omnium legium finis est, in istiusmodi tricis, quæ ad pietatem nil spectant, operam collocâsse. Est planè infrà majestatem Spiritûs S. per litterarum figuras et situm mysteria adumbrare, et sensus planè contrarios in eâdem sententiâ proponere. Nec gravissimi Theologi in commentariis suis istiusmodi mysteria notârunt vel curârunt ; nec si veteres Judæi hæc ab Esdrâ et Prophetis profecta fuisse credidissent, ad mysteria quædam significanda, ità incuriosi fuissent, ut eorum significationem veram obliviscerentur. Ad hoc caput etiam referri potest pro dictionibus in textu quæ ipsis obscœniora visa sunt, aliorum honestiorum in margine substitutio ; quibus apposuerunt signum ut monerent aliter legendum esse. Hoc enim excusari non potest, cùm Deo ipso sapientiores videri velint, et aures ità castas habere, quæ offenderentur vocibus à Spiritu S. in textu positis.

Quædam tamen in Masorâ utilitatem suam habere negari non potest. Punctatio enim, licèt multò majori compendio fieri posset, multùm confert ad veram et facilem lectionem textûs Hebraici. Multa etiam quæ annotârunt circà punctationem vocum quarumdam irregularem, et quoties voces hâc vel illâ significatione accipiuntur ; item de vocibus plenè et defectivè scriptis ; variæ item lectiones in margine notatæ, et quæ habent de insolitâ vocum quarumdam cum aliis structurâ : hæc, inquam, et alia ejusmodi, utilia esse tùm ad lectionem veram, tùm ad sensum genuinum, libenter agnoscimus. Concludam itaquè hoc caput verbis D. Buxtorf. fil. Anticrit. part. 2. c. 4 : *Scio equidem Masoram suos habere errores aliquandò, neque semper sibi constare, vel plenam et perfectam esse. Illi tamen errores sæpè* (non semper) *ex collatione Masoræ ipsius corrigi et deprehendi possunt; neque illa propterea prorsùs est negligenda : magnum enim adhuc usum nobis præstare potest.*

Hæc de Masorâ in genere ; jam de Keri et Ketib dicendum ; quæ cùm inter præcipuas Masoræ partes numerentur, ideò seorsùm tractanda. Per Keri significari *lectum*, per Ketib *scriptum*, omnes nôrunt. In marginibus verò Bibliorum pro Keri occurrit ejus prima littera, brevitatis causâ, quæ lectorem monet, vocem

in margine adscriptam legendam esse; at cum punctis, quibus afficitur vox in textu; vox verò in textu scripta, quæ vocatur Ketib, circellum suprà se appositum habet, quo lectorem ad vocem marginalem remittit. De iis verò hæc tradunt Judæorum magistri, Elias et alii. 1° Vocem, quæ margine scribitur, legendam esse, non quæ in textu. 2° Vocem textualem non haberes ibi propria vocalia affixa vel accentus; sed quæ ad vocem marginalem pertinent. 3° Quùm puncta vocis marginalis plura sunt, quàm litteræ vocis textualis ferre possunt, tùm sæpè litteram unam textualem pluribus punctis affici; ut et cùm vox textualis plures habet litteras, quàm marginalis, earum aliqua punctis destituitur. 4° Cùm duæ sunt voces in margine, unica verò in textu, puncta quæ ad duas voces marginales adscribi debent, uni voci textuali apponuntur. 5° E contrà, cùm duæ sunt voces in textu, et unica in margine, littera finalis prioris dictionis textualis non est legenda omninò. Quorsùm spectat hæc regula, planè ignoro, cùm ex primâ regulâ, vox textualis non sit legenda.

De his notis, 1° de earum variis speciebus, 2° de numero, 3° de auctoribus, inquirendum. 1° Variantes lectiones versantur vel circà dictiones integras, vel circà litteras, sive consonas, quas vocant: nam circà puncta vocalia et accentûs varietates, hæ non versantur. Quæ autem circà voces integras versantur, oriuntur, vel ex vocum omissione, additione, compositione, vel permutatione. Et primò, quædam sunt istiusmodi notarum, quæ sunt circà voces, quæ leguntur et non scribuntur, vel quæ scribuntur et non leguntur. Primi generis sunt, quæ in textu non scribuntur, vacuo spatio relicto, aut solis punctis adscriptis, cum hâc notâ marginali: *Legitur, sed non scribitur.* Et hujusmodi sunt 13. Quæ scribuntur, sed non leguntur, habent hanc notam in margine: *Scribitur, sed non legitur;* et his nulla puncta subscribuntur. Loca talia numerant quæ cum reliquis vide tomo ultimo. 2° Quædam conjunctim scribuntur in textu, ac si essent vox una, quas divisim legendas esse monet Keri marginale. Tales dictiones communiter numerantur 11, secundùm Masoram parvam 15. Quædam è contrà divisim scribuntur, sed conjunctim leguntur: quarum sunt 8. 3° Quædam sunt voces, pro quibus, quia obscœnæ videbantur, alias substituerunt Rabbini in margine legendas, magis castas et honestas. Tales sunt decem. 4° quæ circà litteras versantur, vel sunt ex litterarum omissione, additione, metathesi, sive transpositione, vel permutatione; et versantur vel circà litteras radicales, vel serviles; 5° quædam sunt voces, quæ per metathesin litteræ radicalis aliæ fiunt, et sunt secundùm Eliam, 11. Ex litterarum additione, vel permutatione notat Masora 62 lectiones varias. 1° Radicalium, *Daleth* bis legitur non scriptum; semel ponitur pro *Vau*, bis pro *Resch*, ter pro *Cheth*; *Cheth* bis legitur non scriptum; semel pro *Tau*, semel pro *Ayin*, quater pro *He*. *Ayin* ponitur pro *Aleph* quater. *Pe* ponitur pro *Beth* semel. *Resch* scribitur pro *Beth* semel, pro *Daleth* quater. 2° Circà litteras serviles frequentiores sunt lectiones variæ, sive sint actu serviles, sive de radice. *Beth* semel deficit, radicale quater pro *Caph* ponitur, servile septies pro *Caph*. *Beth* semel ponitur pro *He*, semel pro *Daleth*, pro *Pe* semel. *Caph* radicale redundat bis, deficit semel, ponitur pro *Beth* ter, pro *He* semel; finale ponitur semel pro *Daleth*, et semel pro *Mem*. *Lamed* redundat semel, et semel deficit. *Mem* redundat bis, deficit ter; semel ponitur pro *Beth*, bis pro *He* fœminino. *Mem* finale semel ponitur pro *Samech*, plurale semel pro *Noun*, clausum semel pro initiali, et apertum pro clauso semel. *Noun* redundat ter, et ter deficit; initiale pro finali ponitur semel, semel pro *Tau*, pro *Mem* finali bis. *Schin* semel redundat, semel pro *Thet* ponitur. *Tau* redundat bis, semel deficit; bis ponitur pro *Daleth*, et bis pro *He*. Circà litteras אהוי frequentissimæ sunt variæ lectiones, tùm quia interdùm moventur litteræ, interdùm quiescunt; tùm quia sunt matres lectionis, et sono vel figurâ affines. Hæ verò vel abundant, vel deficiunt, vel transponuntur, vel pro aliâ litterâ ponuntur; idque initio, medio, vel fine vocis. *Aleph* redundat in medio vocis, 45 locis. *He* initio, medio, et fine, in 33 locis, *Vau* 35, *Jod* 147. Deficiunt etiam, *He* 44 locis, *Vau* 30 *Jod* innumeris locis. Sed de harum numero, discrepant tùm inter se, tùm cum Masorâ, variæ editiones Biblicæ, quarum differentias multas diligenter annotavit D. Capellus.

De summâ omnium istarum variantium lectionum, quibus Keri in margine apponitur, viri docti variant. Affirmat Elias Lev. Præf. 1 Mas. Hammas se omnes numerâsse, et invenisse summam totalem esse 848. Quarum in Lege 65. In Prophetis 454. In Hagiographis 329. Miratur verò tàm paucas inveniri in Lege. In libro autem Josue, qui non æquat decimam partem Legis, sunt 32, et in libris Samuelis, qui vix quartam partem Legis æquant, inveniuntur 133. Hunc verò Eliæ computum haud accura-

tum esse constat; vel tantùm, quas in suo codice invenit, expressit; nam alios codices ab hoc calculo variare certum est. D. Capellus editiones quasdam celebriores Bibliorum Hebr. contulit, quæ secundùm MSS. et exemplaria optima editæ sunt. Scilicet Venetam secundam, Regiam, et Plantinianam in-quarto; et tàm voces quibus Keri apponitur, quàm voces multas in quibus litteræ אהוי redundant; et quasdam earum, in quibus eædem litteræ deficiunt, annotavit: quæ licèt ad eadem variarum lectionum capita referri possunt, in dictis tamen editionibus ab iis distinguuntur. Editiones autem tàm à se invicem singulas, quàm ab Eliæ calculo omnes discrepantes invenit, ut ex tabulâ subjectâ liquet.

In Edit. Venet. secundâ.	In Ed. Plant.	In Bibliis Regiis.	Elias Levit.
Pentat. Ker. 73. *Jeth.* 1.	*K.*74. *Jeth.* 1. *Chas.* 2.	*K.* 69. *Jeth.* 1. *Chas.* 1.	*K.* 65.
Megill. Ker. 31. *Jeth.* 11.	*K.* 43 *Jet.* 14. *K.* 239. *Jeth.* 23.	*K.* 48. *Jeth.* 8.	
Proph. prio. Ker. 337. *Jet.* 11. *Chas.* 2.	*Chas.* 1.	*K.* 277. *Jet.* 18. *Ch.* 3.	*K.* 454.
Proph. post. Ker. 348. *Jeth.* 2.	*K.* 250. *Jeth.* 23. *Chas.* 1.	*K.* 317. *Jet.* 11.	
Hagiog. Ker. 362. *Jeth.* 60. *Chas.* 1.	*K.* 187. *Jeth.* 34. *Chas.* 1.	*K.* 242. *Jet.* 20. *Ch.* 1.	*K.* 229.
Summa K. 1171. *totalis Jeth.* 85. *Chas.* 3.	*K.* 793. *Jeth.* 99. *Chas.* 9.	*K.* 983. *Jet.* 58. *Ch.* 7.	*K.* 848.

Scripsit quidem Ar. Montanus, notas hasce marginales easdem in omnibus exemplaribus deprehensas fuisse, et ab omni ævo sine ullâ mutatione permansisse; ejusdemque sententiæ sunt multi viri docti. Sed in hoc deceptos esse, nemo non videre potest: Undè etiam acerrimi Hebræi textûs vindices tandem fatentur, numerum ipsum in codicibus, tàm MSS. quàm impressis, variare. Doctiss. Buxtorf. fil. integrum librum magno studio composuit; in quo non tantùm ex libris omnibus impressis, sed et ex MSS. plurimis, variantes omnes lectiones collegit, et in corpus digessit, judiciumque suum de singulis adjecit: opus hactenùs à nullo Christianorum tentatum. Plures itaque sunt istiusmodi codicum discrepantiæ, quàm in Bibliis impressis habemus; quæ ex variis MSS. colligendæ restant: ità ut earum numerus certus et determinatus adhuc non exstet. Imò earum, quæ in codicibus impressis exstant, agnoscunt viri docti, quasdam recentiores esse, et per posteros numerum auctum fuisse: rationemque quidam ineunt, quâ veteres novis dignosci possunt; scilicet per Masoræ et antiquorum codicum collatationem; et ubi vox marginalis habet puncta subjecta, quod novitatis est indicium, quales multæ sunt in Edit. Venet. per Fœlicem Pratensem; cùm voces antiquitùs notatæ nulla habeant puncta in margine, sed tantùm in textu.

De auctoribus istarum notarum, variant tàm Judæi, quàm doctores Christiani. Inter illos sunt, qui ad traditionem Mosis in monte Sinâ referunt: qui risu potiùs, quàm refutatione seriâ digni sunt. Ridiculum enim est Mosem traditionem dedisse de variis lectionibus in libris, qui non exstabant, sed post multa secula scripti sunt; nisi dicamus, ipsorum mentem esse, quòd Moses annotavit omnia Kerioth per Pentateuchum, ad cujus exempli reliqui S. Scriptores in suis scriptis idem fecerunt: sic enim eorum sententia à quibusdam exponitur: quod nescio an cum eorum verbis conciliari possit. Utcumquè, planè absurda est hæc sententia cùm nec Moses, nec reliqui Scriptores sacri ignorare possent veram in suis scriptis lectionem. Et ipsis indignum est, ut ex variis codicibus differentias colligerent, et in margine annotarent: unica enim est lectio à Spiritu S. profecta, nec possunt esse plures, nedùm contrariæ. Alii itaque, imò Judæorum plerique, et inter Christianos non pauci, originem ad Esdram et viros Synagogæ magnæ (si talis Synagoga unquàm fuerit; video enim quosdam viros doctos, et in Hebraicis antiquitatibus versatos, de hoc dubitare), referunt: quos volunt post reditum à Babylone libros sacros contulisse; et ubi discrepantiam invenerunt, lectionem unam in textu reliquisse, aliam in margine collocâsse; quasi ambigui hærerent, utra lectio esset præferenda. Addunt etiam Judæi (ut ex Eliâ patet) mysteria quædam magna in his vocibus marginalibus latere, quæ per cabalam, à Mose per Prophetarum manus, Esdras et socii ejus acceperunt. Videantur Elias Præf. 3 in Masor., et Ben Chajim præf. in Bibl. Venet. Inter nostros sunt, qui partim ad Esdram referunt, partim ad Masorethas ante-Talmudicos et post-Talmudicos: quænam tamen Esdræ et Synagogæ adscribenda, quænam Masorethis, dicunt se non posse definire. Doctiss. Buxtorf. Vindic. Hebr. part. 2, c. 4, p. 449, in medio relinquit an Judæis hoc asserentibus fides sit adhibenda, et an sufficientibus id probent rationibus; in eorum tamen sententiam magis propendere videtur, qui ad Esdram referunt.

Contrà omnes hasce sententias, utcumquè explicentur, conclusio nostra est : *Esdram et socios non fuisse harum notarum auctores; sed longo post Esdram tempore, partim antè Talmud, partim post, à Masorethis annotatas fuisse.* Nam 1° præter Esdram et Nehemiam in hoc concilio aderant Aggeus, Zacharias, Malachias, Prophetarum ultimi, in quorum omnium libris inveniuntur istæ marginales notæ de Keri et Ketib. Cùm verò instinctu divino libros sacros recensuerint et restaurârint, maximè absurdum est asserere eos in variis codicum lectionibus hæsisse dubios, vel discrepantiam codicum in margine annotâsse; quasi in libris ab ipsis scriptis veram lectionem, et mentem propriam ignorâssent, cùm iis adfuit Spiritus S. cujus ductu libros sacros pristino nitori restituere, et mendas omnes corrigere, veramque lectionem secundùm mentem Dei restituere potuissent; nec lectores dubios reliquissent. 2° Discrepantia inter Orientales et Occidentales Judæos hoc commentum planè refellit. Si enim Keri et Ketib vel à Mose, vel ab Esdrâ et Prophetis fuisset, hocque Judæi antiqui credidissent, eadem esset traditio de iis, idemque numerus apud omnes; absurdum enim est dicere, Esdram et Prophetas has notas aliter tradidisse Orientalibus quàm Occidentalibus. At certum est, aliter legere et scribere Orientales quàm Occidentales, ut ex indiculo illo variarum lectionum inter utrosque constat, qui primùm in Bibliis Venetis per Ben Chajim, posteà in Basileensibus prodiit. Interdùm utrique conveniunt in Ketib, at in Keri discrepant, ut Jos. 8, 13; sæpiùs conveniunt in Keri, sed differunt in Ketib, ut Jos. 8, 12 et 15, 51, et in vocibus, in quibus discrepant, plerisque geminam agnoscunt lectionem Occidentales, scilicet Keri et Ketib : ubi Orientales unicam habent, ut Judic. 19, 5 Reg. 9, 15, 3. Si ab Esdrâ et Prophetis essent, divinam prorsùs auctoritatem haberent : quòd si ità sensissent Judæi, non miscuissent cum reliquis, quæ à Masorethis posterioribus appositæ erant; sed ab reliquis, quæ humanæ erant industriæ, seorsìm summâ cum reverentiâ servâssent et tractâssent. 4° Regula apud omnes Judæos recepta, lectionem marginalem esse meliorem : undè et in Synagogis, et privatim semper legunt ut est in margine, licèt in libris Synagogicis ista lectio marginalis apposita non sit, sed memoriter recitetur. At certissimum est, tùm 70, tùm Chaldæos paraphrastas, Onkelosum et Jonathanem, imò Aquilam, Symmachum et Theodot. in versionibus suis aliquandò Keri, aliquandò Ketib sequi, prout in suis codicibus legerunt, ut variis instantiis jamjam ostendam : quod planè indicat in codicibus suis istis voces variâsse, ipsosque transtulisse prout in suis codicibus invenerant; nec regulam talem de lectione marginali, qualem somniârunt posteriores Judæi agnovisse, imò Keri et Ketib nondùm notata vel collecta fuisse. 5° In Misnâ, quod quasi textus est Talmudis, nulla est mentio Keri et Ketib; nec in Gemarâ, quod instar glossæ seu commentarii est in Talmud, quod antè annum Christi 500 consignatum non erat. Notantur tantùm in libro octo voces, quæ leguntur et non scribuntur; et quinque quæ scribuntur et non leguntur: quæ minima pars sunt Keri et Ketib; reliquarum lectionum nulla in Talmude vola, nec vestigium. Imò in his discrepant Masorethæ à Talmude; quod certò probat ab Esdrâ et Prophetis non fluxisse : addunt enim Masorethæ duas ad voces lectas, sed non scriptas, et ad scriptas, sed non lectas, sex. Objiciunt ex Talmude Hierosolymitano, lib. Sanhedrin, ubi dicunt, Aggæ. cap. 1, vers. 8, legi cum *He*, scriptum verò fuisse cum defectu litteræ *He*. Respondeo, hìc nihil de Keri in margine notato : hoc tantùm inferri posse codicem variâsse in hoc loco; legi cum *He* in uno codice, scribi sine *He* in altero. Nec apud Origenem, qui allegoriis deditus mysteria ex verbis venari solebat; nec apud Hieronymum in Hebraicis doctissimum, qui Hebræorum monumenta penitùs investigavit; nec apud ullos Ecclesiæ Græcæ vel Latinæ Patres antiquos, ulla est memoria Keri et Ketib. Nec apud Josephum et Philonem, Judaicarum antiquitatum solertes indagatores, ulla est eorum mentio; etiam cùm de libris sacris agunt, vel eos contrà hostes defendunt, Appionem vel alios, qui hujusmodi varietates, si annotatæ essent, Judæis objecissent. Nec valet, quod producit vir doctus ex Hieronymi comment. in Is. 49, 5, ubi reprehendit Aquilam, quòd *deceptus perversâ expositione Pharisæorum, transtulit per* לו *(ei) cùm verbum Hebr. scriptum sit per* לא *quod* non *significat :* undè infert לו *fuisse* Keri, לא *Ketib.* At nihil hìc apud Hieronymum dicitur de Keri vel Ketib; vel de voce aliter lectâ, aliter scriptâ : imò potiùs hìnc probatur, varietates illas tunc non fuisse annotatas. Hieronymus enim unam lectionem agnoscit, scilicet לא, et de interpretatione, quam Pharisæorum vocat, cum Aquilâ contendit, non de lectione, ut verba ejus legenti liquet.

Restat itaque, auctores, si non omnium,

certè plerarumque, fuisse Masorethas; posteriores Tiberienses scilicet aliosque, qui post confectum Talmud floruerunt. Quædam à Talmudicis annotatæ sunt, ut in loco superiori diximus de vocibus scriptis et non lectis, et lectis sed non scriptis : quibus etiam addendæ voces obscœnæ, quas noluerunt legi, de quibus in Talmud. cod. Megilla., c. 3: *Omnes voces, quæ in Lege sunt obscœnæ, eas legant honestè*. Reliquarum verò in Talmude nullum est vestigium. Ad Esdram verò et Prophetas ultimos non posse referri, jam ostendimus : undè necessariò sequitur, Masorethas posteriores earum auctores fuisse, Tiberienses scilicet et alios, ut cum Eliâ statuunt plerique theologi graviores, et inter Hebræorum criticos haud pauci. Fuerunt Tiberienses plerarumque auctores; alii tamen post illos exstiterunt, qui plures observationes (ut de Masorâ diximus in genere) addiderunt : pluresque ex MSS. codicibus addi possunt, ut ex Buxt. aliisque observavimus. Nugatorium verò planè est, quod à quodam adfertur in crit. Hebr. ad probandam antiquitatem Keri et Ketib, quòd Chaldæus paraphrastes, imò ipsi 70, sæpiùs exprimunt lectionem Keri, aliquandò lectionem Ketib; quasi scilicet 70, et Chaldæus mentionem fecissent Keri et Ketib : ad hoc enim probandum adfertur hoc argumentum; de quibus tamen antiqui illi interpretes ne per somnium cogitârunt; hoc tantùm sequitur, codices tunc temporis variâsse, et in aliquibus fuisse lectionem, quam posteà Masorethæ in marginem posuerunt sub nomine Keri; et in aliis lectionem, quæ in textu remansit, quam Ketib dixerunt. Imò contrarium certissimè colligitur, quia scilicet in textu legerunt, quæ nunc in margine collocârunt Masorethæ; ideò notas hasce Masorethicas istorum interpretum temporibus non exstitisse, cùm ipsi transtulerint prout in suis codicibus legerint.

Restat alia quæstio. Hoc enim supposito, Masorethas fuisse auctores, adhuc quæritur, an ex variantibus codicibus has notas collegerint, an verò ex proprio judicio et criticâ censurâ voces textuales recensuerint; et illam, quam meliorem lectionem judicârint, in margine legendam posuerint? Hic verò distinctio est adhibenda. Nam primò, quædam sunt circà voces obscœniores, quas per castiores efferendas in margine monuerunt. Has verò non esse ex codicum discrepantiâ apertum est, sed ex Rabbinorum audaciâ et superstitione. Sacri enim scriptores nunquàm scripsissent voces, quas noluerunt legi; nec alias eorum loco in textu substituissent. Si enim aures offendunt, cùm leguntur, cur non etiam legentis oculos, cùm tàm per oculos, quàm per aures turpia repræsentari animo possint? Secundò, reliquas lectiones existimo cum S. Amamâ, fuisse ex codicum discrepantium collatione. Cùm enim lectionem in textu, codicum antiquitate et reverentiâ ducti, non ausi sint mutare, lectionem aliorum codicum, quam veriorem judicabant, in margine annotârunt, punctis vocis marginalis sub voce textuali adhibitis : ut hoc modo monerent vocem marginalem legendam esse. Et hæc est communis plerorumque doctorum sententia; contrà illud verò, quòd de codicibus variantibus lectiones has colligi diximus, non ex Masoretharum judicio critico, objicit vir doctiss. quòd sine codicum collatione potuerunt Masorethæ ex proprio judicio et censurâ criticâ voces anomalè, vel irregulariter et vitiosè scriptas, ex linguæ naturâ et analogiâ grammaticâ corrigere et emendare. Hoc quidem verum est; probabilius tamen est, varios codices consuluisse, et non nisi eas, quas aliorum codicum auctoritate niti invenerunt, in margine annotâsse : cùm non omnes ejusmodi voces annotârint (quòd sanè fecissent, si ex solo proprio judicio correctionem istam instituissent), sed eas tantùm, quas aliorum codicum consensu firmatas viderint. Vide Joh. Morin. exercit. Samarit. 4, cap. 5, n. 9.

Præter lectiones istas variantes Keri et Ketib, quas omnium antiquissimas statuunt Judæi, notantur etiam in Bibliis Venetis et Basileensibus, ut et in nostris, duo alia variarum lectionum genera : quarum primum est inter Orientales et Occidentales, alterum inter codices Ben Ascher et Ben Naphtali : de quibus breviter. Per Orientales intelliguntur Judæi Babylonii, per Occidentales Palæstini : frequentissima enim est hæc distinctio in Judæorum scriptis. Undè Talmud Hierosolymitanum vocatur Talmud filiorum *Occidentis*, ut Babylonicum *Orientis*. In his enim locis, Babyloniâ scilicet et Palæstinâ, post excidium templi et urbis (alii post Captivitatem Babylonicam dicunt, quâ auctoritate nescio), celebriores erant scholæ per varia secula continuatæ, et Rabbini ac doctores qui multos habuêre discipulos. Ex hâc verò divisione, ut fieri solet, dissensiones et æmulationes inter academias et scholas ortæ sunt; ut ex utroque Talmude inter alios notat D. Buxtorf. Undè et ex variante codicum descriptione (qui, ut anteà ostendimus, vix ullâ humanâ

diligentiâ ità accuratè exarari possunt, quin varietas aliqua oriatur), vel ex codicibus per celebriores Rabbinos emendatis (ex quibus utrarumque partium discipuli et sequaces suos descripserint), dùm utrique lectionem suam sequerentur, ortus est variarum lectionum catalogus. De antiquitate harum varietatum fatentur, qui maximè in Hebræorum scriptis versati sunt, sibi non constare, quandò collectæ fuerint. Primus, qui eas publicavit, erat auctor Bibl. Venet. Edit. 1 in-fol., quam procuravit Fælix Pratensis, ubi index istarum varietatum habetur : numerantur verò 210, quarum nulla est in Lege; ex hoc tamen numero detrahendæ sunt duæ, nisi librarii vel typographi sit lapsus, scilicet Ezech. 21, 14, et Jer. 39, 11, ubi utrosque dicit iste indiculus legere צל. At errorem esse, non sine causâ judicat Capell. Crit. lib. 3, cap. 17, sect. 1, et legendum esse loco priore צל apud Orientales, et loco altero אל apud eosdem. Undè hunc indicem habuerit Pratensis, vel à quo collectus sit, non exprimit ; videntur lectiones tamen esse antiquæ, et punctorum vocalium inventionem præcessisse ut affirmat Elias præf. 3, in Masorâ, cùm omnes sint circà litteras et voces, nullæ circà puncta et accentus ; circà quæ tamen multò facilior fuisset scribarum in describendo lapsus, si puncta vocalia et accentus tunc exstitissent. An verò præcesserint collectionem Keri et Ketib, quæ in Occidentalium libris notantur, quæri potest. Mihi quidem videntur antiquiores esse, quùm tàm in Keri quàm in Ketib, multùm sit inter eas discriminis; tùm quòd et Keri et Ketib multò aliter in variis locis referantur in isto indice, et aliter Occidentalibus adscribatur, quàm hodiè in editionibus Occidentalium invenimus.

Quod ad varias lectiones inter Ben Ascher et Ben Naphtali attinet, licèt earum auctores abbreviatè dicuntur *Ben Ascher et Ben Naphtali*, nomina tamen plena sunt, notante Eliâ, illius : *R. Aharon filius R. Mosis de tribu Ascher;* hujus : *R. Jacob filius Naphtali ;* Fuère etiam principes vel Rectores Academiarum. Locum verò, ubi Ben Ascher vixit, liber de accentibus in Bibliis Venet. Aschero adscriptus, dicit fuisse Tiberiadem ad lacum Genesareth : undè probabiliter colligitur, fuisse rectorem Tiberiadis (sic Buxtorf.), et academiam ibi tunc fuisse (quòd observandum in controversiâ de punctorum antiquitate); alterum verò floruisse Babylone statuunt. Nam Orientales sequuntur lectionem Ben Naphtali, Occidentales Ben Ascher. De his Maimon. ità scribit : *Liber, cui in his innitimur, est liber per Ægyptum notissimus, qui viginti quatuor libros complectitur* (id est, Vet. Test.) *qui multis annis Hierosolymis servabatur, ut ex eo corrigerentur et emendarentur libri : et omnes huic innituntur quia eum correxit, et emendavit fil. Aser, et laboravit in eo diligenter per multos annos, et sæpiùs illum correxit, prout ex eo describebant.* De hoc libro etiam Elias affirmat, *ejus lectionem se et reliquos sequi in omnibus his regionibus.* Tempus, quo vixerunt, refert D. Buxt. ex Gedaliâ ad annum Christi 1034, licèt Genebr. et Galatinus illos antiquiores faciunt. Studia eorum erant, emendata et correcta Bibliorum exemplaria edere. Undè, quia æmulatio fortasse inter doctores Babylonicos et Palæstinos gliscebat, noluit alter alterius opem petere, ut collatis studiis unum emendatissimum exemplar conficerent; sed uterque criticâ suâ scientiâ tumidus, codicem proprium, quàm emendatissimè potuit, conscripsit; quem publici juris fecit, ut ex eis reliqui suorum sequacium libri corrigerentur. Undè Occidentales communiter sequuntur lectionem Ben Ascher (ut in Bibliis Europæis est videre), Orientales Ben Naphtali, ità tamen, ut aliquandò, notante Mercero in Gen. 41, 50, et 32, 17, in Bibliis quibusdam MSS. et impressis, apud Occidentales inveniatur lectio Ben Naphtali. Differentia verò inter illas non est circà litteras vel voces, sed de punctis quibusdam, maximè verò de accentibus. De punctis, scilicet de *Cholem, Camets* magno, *Patach, Camets Chataph, Scheva* et *Chateph Patach* et de *Daghes* et *Mappick*. De accentibus verò minoribus, ut de *Metheg, Maccaph, Munach,* Pasta, ut an uno an gemino accentu Pasta legenda sit, etc. Unicam tamen notat D. Buxt. discrepantiam de vocis integræ scriptione, Cant. 8, 6, non verò de sensu. Hinc etiam constat, lectiones istas grammaticales tantùm rixas fuisse, nulliùsque momenti, quùm sensus idem sit in utrâque lectione, et quùm circà puncta et accentus versentur. Extrà dubium ponit Elias, annotatas fuisse has varietates, postquàm puncta et accentus inventa essent : quòd unicuique clarum est. Numerantur verò istarum varietatum 864, ut in Bibliis Venet. et Basil. videre licet; in quibus exstat earum catalogus : qui etiam in Bibliorum Londinens. tomo ultimo exhibetur, sed ex MS. codice antiquo in aliquibus auctus, et in meliorem ordinem digestus; unà cum libri capitis et versûs notatione ubi singulæ inveniuntur in Bibliis Lond. : quod anteà in nullâ editione præstitum fuit.

Cabalam Masoræ subjungimus : sunt enim correlata. Cabala est *receptio*, ut Masora *traditio*. Undè unius et ejusdem rei diverso respectu est traditio et receptio ; cademque scientia apud Judæos tàm cabala, quàm Masora, dicitur ; at usus obstinuit, ut cabalam dixerint non quamvis traditionem, sed non scriptam ; nec omnem non scriptam, sed eam tantùm, quæ est mysteriosa. Legem etiam distinguunt in scriptam et traditam sive oralem. Illam in quinque libris Mosis contineri dicunt ; hanc à Mose voce traditam volunt : undè legem *Oralem*, appellant, quam à Mose continuâ successione ad Esdram, et ab illo ad ipsos quasi manu traditam à majoribus dicunt. Hanc verò in duas dispescunt partes, quarum una pleniorem habet explicationem præceptorum et ceremoniarum Legis, à legisperitis et prudentibus, diversis temporibus, factam : quæ in Misnâ et Gematâ, Talmudis partibus integralibus, continentur. Et tales non omninò sunt rejiciendæ, si nil habent verbo scripto contrarium, nec in se ineptæ sint, quales plurimæ hujusmodi Talmudicæ, nec auctoritatem divinam sibi arrogent, sed pro humanis constitutionibus vel explicationibus recipiantur. Hùc etiam spectant notæ grammaticæ circà voces, litteras, puncta, etc., de quibus suprà tract. de Masorâ ; quæ strictè Masora dicuntur, quam statuit Possev. Biblioth. l. 2, c. 18, *Nihil aliud esse, quàm traditionem grammaticam de punctis vocalibus, accentibus, syllabis, et istiusmodi minutiis.* Altera pars circà profunda legis mysteria versatur, quæ ex verbis, litteris, punctis, etc., eliciuntur : et hæc pars, quæ magis Theologica videtur, propriè ab ipsis *Cabala* dicitur. Qui verò legi scriptæ tantùm inhærent, ab iis stupidi et indocti, ut qui circà corticem tantùm versati sunt, habentur. At qui traditiones callent, præcipuè cabalisticas, ut sapientes celebrant, qui intimos legis sensus, et altiorem scientiam, quàm reliqui, investigârunt. Hinc somnia et commenta sua non tantùm legibus divinis æquabant, sed prætulerunt : undè illud decantatum in Talmude, *Plus esse in verbis sapientum, quàm in Lege*, Tit. Berachoth Chagiga, et de Synedrio. Et: *Verba cabalæ æquiparantur Legi ;* imò Scripturam, ejusque sensum litteralem, comparant candelæ, quæ minimo quadrante emitur ; cabalam verò margaritæ pretiosæ, quæ per candelam accensam invenitur. Tantam etiam reverentiam apud imperitum vulgus nacti sunt harum rerum auctores, ut sententiam hanc in ore habeant : *Si dixerint doctores, dextram esse sinistram, et sinistram esse dextram, audiendi sunt.* Hinc, qui ultrà legem scriptam non sapiunt, ut rudes, imperiti æstimantur. Misnicos doctores assimilant apothecariis, qui medicamenta parant ex medici præscripto, quorum vires ipsi ignorant ; et cabalistas doctores medicis, qui omnium rerum causas et vires penitùs exploratas habent. Videatur Manasses Ben Israel in Conciliatore. Hæc habent Judæi de cabalâ, *de quâ* altum est silentium apud antiquos Ecclesiæ scriptores, licèt apud Hieronymum traditionum non scriptarum subindè mentio fiat. Joh. Picus Mirandulan., et post ipsum Galatinus, primò apud Christianos cabalæ naturam explicârunt.

Hujus verò cabalæ species numerantur tres à Galatino, Sixto Senensi, Bonfrerio, Serario, aliisque qui de eâ scripserunt. Prima est eorum qui antè Christum vixerunt, quam ex Judæorum libris primus J. Picus Mirandulan. Christianis aperuit, testibus Petro Galat. l. 1, c. 6 et Sixto Sen. Biblioth. l. 2, et aliis. Continet verò mysticam et secretam Scripturæ expositionem, non scriptam, sed ore traditam ; idque non omnibus, sed senioribus et sapientioribus. Nec multùm differre volunt à mysticâ Scripturæ expositione, quæ à Christianis quibusdam usurpatur. Hanc volunt, Mosem primò à Deo in monte Sinai accepisse, quam Josue tradidit ; hic verò 70 senioribus ; hi prophetis : à quibus Esdras et Synagoga magna acceperunt, et ab his Rabbini et Judæi hodierni quasi per manus habuerunt. Et ad hanc speciem referunt quidam verba fabulosi scriptoris, qui nomine Esdræ circumfertur, l. 4, c. 14, v. 46, 47, ubi jubetur Esdras præter legem scriptam, quam ex revelatione divinâ restituit, omnibusque legi permisit, doctrinam secretiorem, quam à Deo accepit solis sapientibus tradere : quia *in his erat vena intellectûs et sapientiæ fons.* Etsi verò sub hâc cabalâ multa habuêre antiquiores Judæi, quæ de Messiâ ejusque regno rectè exposuerunt, multas tamen fabulas et ineptias miscebant, et verborum involucris tegebant ; quarum specimen dat Mirandulan., ut videre est in ejus operibus : ità ut inter sensus mysticos Veteris Testamenti, præter eos quos nobis reliquerunt scriptores sacri Novi Test., vel quos ex Apostolicâ traditione Ecclesia Christi Catholica, Patresque orthodoxi consensu unanimi explicârunt, ex Judæorum scriptis vix aliquid sani hauriri possit. Fatendum verò est, præter sensum litteralem, quem verba Scripturæ, sive propriè sive metaphoricè accepta, ex Sp. S. in-

tentione primò et immediatè significant, dari etiam sensum mysticum quorumdam Scripturæ locorum, qui non primò per voces, sed remotè per res ipsas, etiam ex intentione Sp. S. designantur, sicut reconditum quid et medulla, cujus resipsæ typus sive umbra fuêre : hicque tùm allegoricus ad Christum et ejus regnum, tùm tropologicus ad mores spectans.

1° De hujusmodi tamen sensibus notandum, non licere unicuique pro libitu sensum mysticum in Scripturâ fingere. Nam vel ex ipsâ Scripturâ, vel ex traditione Catholicâ (quæ necessariò Apostolos vel Prophetas auctores habet), vel ex definitionibus Ecclesiæ constare debet sensum istiusmodi Spiritûs S. intentioni respondere. Ideòque inutilem operam ponunt in sensu mystico indagando, qui, neglecto sensu litterali, proprii ingenii figmenta pro sensu mystico venditant, quæ vel in ipsâ Scripturâ, vel traditione Catholicâ fundamentum non habent. In hoc tùm à Christianis, tùm à Judæis, multùm peccatum est, dùm allegorias sectando et similitudines, proprias conjecturas pro Verbo divino crepant : quæ, si ut ingenii partum ad Scripturam illustrandam, non ad aliquid probandum proponerent, tolerari possent : dùm verò pro sensu vero Scripturæ, sivè litterali, sivè mystico, aliis obtrudunt, non sunt audiendi. 2° Scripturæ sacræ proprium esse, sensum mysticum reconditum habere sub cortice litteræ, ut notat Thom. part. 1, q. 1, art. 10, et ex ipso Bonfrer. præloq. c. 20, sect. 2. Undè Gregorius, l. 20. Moral. cap. 1, ait, *Scripturam omnes alias scientias suo locutionis more transcendere*. Licèt enim Platonici et Pythagorici obscuris verborum ambagibus quædam addiderint, Ægyptii figuris hieroglyphicis, res quas arcanas esse voluêre, legerint; alii per fabulas et parabolas res alias ad mores spectantes repræsentarent, sensus tamen illorum abditus primus est, quem sub istis involucris intelligi volunt. At verò in Scripturâ verba sensum litteralem proximum ostendunt; remotè tamen alium sensum habent, sub rerum ipsarum, quæ verbis exprimuntur, figuris contectum; quem solius Dei est rebus imponere, qui, ut omnia intellectu suo comprehendit, sic pro supremâ potestate suâ, tùm verba, tùm res verbis significatas, in signa constituere potest, ad quicquid ipsi placuerit exprimendum. 3° Multùm etiam differt modus tradendi sensus mysticos in cabalâ, ab eo quem scriptores Novi Testamenti, vel Patres Ecclesiæ servârunt. Cabalistæ enim obscuris verbis mysteria sua tradunt, ut à vulgo non intelligantur (ut Pythagorei per obscura symbola mysteria sua efferebant, quos à cabalistis antiquis hunc modum hausisse volunt), vel ut chymici doctores secreta sua obscuris verborum involucris involvunt : quod faciunt, quia pleraque falsa et inepta sunt, et risum moverent, si citrà ambages apertè proponerentur. At sensus mystici Christianorum planè et perspicuè traduntur : ut, si quis non intelligat, non ex tradendi modo, sed ex objecto (quod sublime) obscuritas oriri videatur. Cabalistæ etiam pro libitu sensus mysticos comminiscuntur, et somnia sua ac deliria pro verbi divini sensu mystico obtrudunt. At sensus mystici, qui à nobis probantur, sunt tantùm qui vel ex Novi Testamenti scriptoribus et eorum libris colliguntur, vel quos Ecclesiæ traditio nobis commendat.

Alia species cabalæ est, quam *Practicam* vocant, quæ ab omnibus ut magica et illicita damnatur, cùm è litteris vel verbis Scripturæ detortis, et arcanis quibusdam indè elicitis, Judæi quidam se Angelis familiares reddere opinantur, miracula posse patrare, morbos sanare, dæmones fugare, etc. Hùc spectant exorcismi, amuleta, etc. Exemplum hujus magicæ cabalæ refert Ramban, sive R. Mos. Ben Nachman, de medico quodam, qui cùm propter scortationem comburendus esset, beneficio cabalæ praticæ ità formam suam mutavit, ut ejus loco equum in ignem conjicerent. Refert etiam idem de seipso, quod virtute nominis Tetragram, quod in schedulâ habebat scriptum, navem à terrâ in mare deduceret, quam naupegi loco movere non potuerunt, quod factum erat Barcilonæ in conspectu regis. Et per hoc nomen (cum miracula Christi negare non possint) non minùs ridiculè quàm impiè blasphemant Christum Dominum omnia sua miracula perfecisse, nomine hoc scilicet in templo invento, quod in membranâ scriptum, in vulnere pede facto occultaverat. Hoc verò, ut dixi, non minùs ridiculè quàm impiè ab iis fictum. Si enim per veram nominis hujus pronuntiationem miracula patrari possunt; cur sacerdotes, qui stante templo, per nomen hoc (cujus veram pronuntiationem nôrant), populum benedicerent, istiusmodi miracula efficere non poterant? Vide Sixt. Senens. lib. 2, Bonfrer. præloq. cap. 21, sect. 4, Schickard.

Tertia species cabalæ apud Judæos recentiores, specialiter *Cabala* dicitur, quæ in litteris, punctis et accentibus, et Scripturæ verbis ludit; ex variis permutationibus, et combinationibus, abbreviaturis, vel ex litterarum

figurâ, vel valore arithmetico, mysticos sensûs eliciendo, et mysteria plerùmque inania, et superstitiosa excogitando. Hæc ars à Judæis, qui eam profitentur, studiosè occultatur; ità ut vulgus nihil, et qui inter eos docti habentur paucissimi de eâ aliquid intelligant. Undè et Elias Levita (qui tamen inter ipsos grammaticorum doctissimus sui temporis habetur) in Thesbite, lit. Coph, profiteatur se non posse hanc sapientiam sufficienter exponere, et ob pravitatem suam non attigisse istam sapientiam et scientiam sanctorum, et R. Bechari Bar Ascher, qui multùm in hoc studio profecerat, et quædam de eâ obscurè scripta reliquit, lectoribus suis seriò injungit, si aliqua istorum mysteriorum didicerint, ne temerè aliis communicent. Plinius tamen (utcumquè occultarent) de eâ aliquid subolfecit, cùm hanc inter magiæ species referat, licèt nomine depravato: nam Jochabelam vocat, et à Mose et Judæis arcescit, licèt multis annorum millibus post Zoroastrem ponat, Hist. lib. 30. c. 1. Ut verò quid sit meliùs intelligamus, singulas ejus species consideremus: quas pleriquè tres faciunt, alii plures: ut Schick. et Manas. in Conciliatore in Ex., et alii; quæ tamen omnes ad has facilè revocari possunt.

Prima est *Gematria*. Vox est origine græca; hìc tamen usurpatur ad denotandam arithmeticam litterarum supputationem, quâ dictionum quarumdam, quarum litteræ eumdem numerum producunt, unam per alteram explicant. Fundamentum hujus est, quòd litteræ apud Hebræos, ut apud alios, singulæ numeros denotant, quos nos per cyphras designamus. Nec multùm dissimile est hoc artificium chronogrammatismo, quo per verborum litteras numerales annum rei gestæ indicamus: cum hoc discrimine, quòd non omnes litteræ Romanæ numeros denotant, sed hæ tantùm, C, D, I, L, M, V, X; apud Hebræos verò omnes huic officio deserviunt. Exempla inter plura hæc sunt, Zach. 3, 8: *Adducam servum meum, Tsemach*: ubi Kimchi notat quosdam intelligere Messiam. Hoc verò probant, quia inter Messiæ nomina, quæ à Thamuldicis ei tribuuntur, unum est Menachem, *Consolator;* litteræ autem utriusque vocis, producunt numerum 138, undè inferunt intelligi Messiam: acutè sanè. Sic ex primâ voce Genesis probant Deum creâsse mundum in *lege*, quia scilicet ex his verbis: *In lege formavit*, idem numerus elicitur, scilicet 913. Sic ex: *In principio creavit*, Gen. 1, 1, probant mundum creatum fuisse initio anni, scilicet mense septembris, quia in his verbis: *In principio anni creatus est*, idem numerus scilicet, 1136, continetur. Hùc etiam referunt quidam artificium, quo ex ædificiis, ut arcæ, templi, etc., mysteria eliciunt; ut cùm Genes. 6, 15, arca describatur esse longa 300 cubitos, lata 50, alta 30; longitudinem dividunt per altitudinem: undè summam 10, producunt, quæ respondet litteræ *Jod*; deinde huic numero adjungunt arcæ longitudinem, scilicet 300, qualis numerus denotatur per Schin; tandem eam dividunt per latitudinem, scilicet per 50, et prodeunt sex, quæ denotantur per *Vau*. Sic Jesu elicitur nomen Salvatoris. Hùc etiam à quibusdam refertur, cùm ex figuris vel formis litterarum aliquid eliciunt: de quibus Schickard. Bechin. pag. 78.

Secunda species dicitur *Notaricon*, quo per compendium litterarum singulæ litteræ alicujus dictionis totidem verba significant, quæ easdem litteras initiales vel finales habent. Ut Genes. 1, 1, ex: *In principio*, hunc sensum eliciunt: *In principio vidit Deus, quòd Israelitæ acceperunt Legem*, quia scilicet litteræ initiales verborum hujus sententiæ, eædem sunt et in eodem ordine ponuntur, quæ in *Bereschit*, quasi scilicet Deus mundum creâsset, quòd videret Israelitas legem recepturos. Sic in vulgato illo nomine *Maccabei* singulas litteras volunt exprimere totidem voces iisdem litteris incipientes. Exod. 15, 11: *Quis sicut tu, inter deos, Domine?* Dicunt quidam Judam, cùm contrà Antiochum præliaturus erat, hoc signum in vexillis habuisse; undè, partâ victoriâ, posteà dictus est Machabæus. Ut initiales, sic finales litteræ, huic usui inserviunt, ut cùm dicitur: *Principium verborum tuorum veritas;* quærunt profundi isti doctores, quomodò hoc verum esse possit, cùm principium Genesis sit: *In principio creavit Deus*, etc. Quæstionem verò solvunt per artem notaricam, quia post primam dictionem, trium sequentium litteræ finales faciunt verbum *veritatem*, undè probant quòd principium verborum Dei sit veritas.

Tertia species est *Permutatio*, quâ, eodem litterarum numero retento, eas, eodem ordine manente, aliter componunt; vel, mutato ordine, transponunt; vel per certam alphabeti combinationem cum aliis permutant. Sic enim optimè secundam hanc speciem explicat Schickardus, cùm ex litteris transpositis aliud vocabulum exurgit, quod primum explicat. Et hic modus similis est anagrammatismo, Latinis aliisque usitato. Tertius modus est cùm unam

litteram pro aliâ ponunt, ità ut idem sit litterarum num rus, una tamen alterius potestatem habeat, undè in magno alphabeto faciunt 242 portas sivè congregationes ; ipsi tamen unam seriem tollunt, et tantùm 231 numerant. Non quòd quælibet littera pro quâlibet ponatur ; sed quòd una littera pro aliâ substituatur, ex pacto inter eos, qui arcana inter se per occultas litterarum notas communicant. Præter has cabalæ species, alias recensent Manass. loco citato : quarum quædam ad has referri possunt. Aliæ depromuntur ex vocibus scriptis, et non lectis, et lectis, sed non scriptis ; ex litteris clausis et apertis, magnis et parvis, inversis et suspensis; ex plenis et defectivis, ex vocibus supernè punctatis, ex accentuum irregularitate, etc., de quibus suprà in Masorâ diximus. Mysteria verò, quæ ex his depromunt, cùm meræ nugæ et ineptiæ sint, nolo in iis tempus terere.

Restat, ut quædam de auctoribus et usu cabalæ subnectam. Ubi primò statuendum est, falsissimum esse, et nullo fundamento niti, quòd Judæi hæc omnia ad Mosem vel Prophetas referant. Quàm indignum enim est Scriptores sacros istarum nugarum auctores facere? Nec credendum est eos Scripturas, earumque verum sensum ità pervertere voluisse, ut in cabalâ fieri videmus. Auctores itaque non sunt alii, quàm superstitiosi Rabbini, qui justo judicio Dei excæcati ob rejectum Salvatorem, dùm cæcum populum ducant, in foveam secum præcipitant, et pro verbo divino animarum pabulo, quisquiliis deludunt potiùs quàm pascunt. Horum quidam ante-Talmudici, plerique recentiores. Secundò, artem hanc, quam ad Scripturæ sensum eruendum adhibent, prorsùs vanam, ridiculam, sæpè impiam et superstitiosam esse. Talibus enim commentis quidlibet ex verbo Dei extrahere possunt, et pro regulâ fidei et morum, regulam Lesbiam facere. Undè et apud ipsos etiam Judæos, cordatiores tales interpretationes parùm curant. Aben Esra præf. in Legem, tales interpretes *noctuis assimilat, qui in litteralis sensûs splendore cæci sunt, at in mysteriorum tenebris perspicaces :* et in Gen. 14, 24, ait : *Scripturam non loqui gematricè; sed verba intelligenda sunt prout sonant.* Etsi ergò quædam habeant, quæ ingeniosa videntur, quæque in aliis scriptis tolerari possent, utpotè in se indifferentia, tamen, cùm in rebus sacris ludere nefas sit, et mysteria sua isti pro vero Scripturæ sensu venditent, quæ potiùs ad Scripturam sacram corrumpendam viam muniunt, istiusmodi studia, ut inutilia et infructuosa, rejicienda censeo. Videant, qui plura desiderant, Bonfrer. Præloq. c. 21, Serar. in Prolog.

Caput v.

DE VERSIONIBUS GRÆCIS, PRÆCIPUE 72 SENIORUM.

Inter Græcas Veteris Testamenti versiones principem locum meritò obtinet celebris illa 72 Interpretum, nobile illud Synagogæ et Ecclesiæ monumentum, ut quæ in tanto honore fuit tàm apud Judæos, quàm Christianos, tùm Orientis, tùm Occidentis, ut ab illis in Synagogis, ab his ferè sola, vel ex eâ factæ versiones, in Ecclesiis, publicè perlegerentur. Ex hâc reliquæ versiones omnes ab Ecclesiâ antiquitùs approbatæ (solâ exceptâ Syriacâ) traductæ sunt, vid. Arabica, Æthiopica, Armena, Illyrica, Gothica, Latina vetus antè Hieronymum ; nec aliam Ecclesia Græca, et pleræque Orientales in hunc usquè diem agnoscunt, hâc solâ contenti. Hanc Patres et Theologi, tàm Græci quàm Latini, commentariis illustràrunt, et in scriptis suis ubiquè citàrunt, Ignatius, Clemens uterque, Justinus, Tertullianus, Irenæus, Cyrillus, Basilius, Theodoretus, Gregorius, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, totusque venerandus veterum chorus, antiqua illa Ecclesiæ lumina, quotquot doctrinâ et sanctitate claruerunt. Ex hâc veritatem doctrinæ probârunt, errores et hæreses profligârunt, vitæ et disciplinæ regulas hauserunt. Imò in conciliis, tàm provincialibus, quàm generalibus, à sanctissimis Patribus usurpata ; ità ut Philastrius Hæres. 39, 40, scribere non dubitaverit, quòd *hanc Ecclesia Catholica colit, legit, prædicat; alias autem* (scilicet Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis) *ut supervacaneas, et tantæ editioni contrarias contemnit.* Multi tanquàm divinam, et speciali Spiritûs S. afflatu factam

prædicârunt ; et, teste S. Augustino de Civit. lib. 18, *ità hanc acceperunt*, p æsertim inter Græcos, *ut, an alia esset, ignorarent*. Hieronymus etiam, qui inter omnes veteres minùs æquus erat in hanc versionem, eam tamen, ut ab *Apostolis approbatam, veram esse* statuit, Præf. in 4. Evangel. ad Damasum, et Epist. ad Suniam et Fretelam, affirmat : *Versionem Græcam, quæ in Origenis Hexaplis habetur, et quam ipse verterat, ipsam esse quæ in eruditorum libris incorrupta et immaculata* 70 *Interpretum translatio reservatur ; et quod quicquid ab hâc discrepat, nulli dubium esse quin ità et ab Hebræorum auctoritate discordet*. Maximum verò auctoritatis pondus huic versioni accedit, quòd Christo et Apostolis in usu fuerit, qui pleraque testimonia, quæ ex veteri Testamento proferunt, secundùm hanc versionem citant ; imò, cùm verba ab Hebraico textu differre videntur. Undè Irenæus, lib. 3, c. 25, hæc habet : *Apostoli, cùm sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, et interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus, et Joannes, et Matthæus, et Paulus, et reliqui deinceps, et horum sectatores prophetica omnia ità enunciârunt, quemadmodùm Seniorum interpretatio continet*, etc. Per hanc Ecclesia ubique terrarum Christo primùm acquisita, hujusque lacte sacro enutrita. Undè Chrysost. in Joan. 9, Hom. 68, versionem 70 vocat *ostium ad Christum*. Et recentiores critici et grammatici, qui novandi studio omnia antiquorum monumenta spernunt et conculcant, et in versionem Græcam convitia pleno ore eructant, inviti tamen aliquandò pro eâdem testimonium honorificum ferunt. Scal. in Euseb. anno 1734, fol. 124, scribit : *multa à se dici posse, quàm utilis istius translationis lectio sit, quamvis ab Hebraicis fontibus longè recederet*. Et versionem hanc *rarum et incomparabilem thesaurum esse, neminem negare posse, nisi qui ab omni eruditione alienus sit*, scribit Heinsius Aristarch. Sacri c. 15, p. mihi 951. Et auctor anonymus quæstionis de locis parallelis Veteris et Novi Testamenti, licèt in 70 iniquus esse videatur, tamen p. 490, dicit, *neminem esse, qui non eam et antiquâ suâ canitie, et ex miris dotibus, et rerum earum, quas exprimit, præstantiâ, dignam judicet, ut omnium præconiis celebretur : prout ea etiam omnium sæculorum probata suffragiis ad nostra usque tempora pervenit*. De hâc itaque translatione dicturi, 1° de ejus historiâ, à quibus, quandò, quâ occasione facta, quos libros transtulerint, et de quibus exemplaribus ; et de historicis hoc testantibus, etc.; 2° de ejus sinceritate, 3° de ejus auctoritate, inquirendum.

Historiam hujus interpretationis primò scripsit Aristæs, qui et Aristæus et à quibusdam Aristæas dicitur, inter Philadelphi regis Ægypti, Lagi filii, ab Alexandro tertii, proceres summus ; ob eximiam eruditionem, prudentiam et probitatem regi charus, et ex amicis intimis ; Hieronymo regis ὑπερασπίστης dicitur, quasi ejus *propugnator;* aliis Regi à cubiculo fuisse dicitur. Hic testis omnium oculatus, rebus gestis interfuit : undè historicus fide dignus, et omni exceptione major haberi debet. Librum primus conscripsit peculiarem sermone Græco ad Philocratem fratrem suum ; in quo rem totam plenè narrat ; ad quem Josephus lectorem remittit, eumdemque in Hebraicum sermonem transtulit R. Azar. Idumæus, et in libro Meor Enajim continetur (Vide Buxt. Biblioth. Rabbinic.). In Latinum verò Idioma varii verterunt : alii etiam in linguas vernaculas transtulerunt. Quæ verò scripsit, Ægyptiorum annalibus, quæ à sacerdotibus summâ curâ scribi consueverant, confirmari tradit Galesinius Com. de 72 Interp., p. 9. Nec suspicari quisquam potest ipsum historiæ leges neglexisse, vel in Judæorum gratiam aliquid commentum fuisse, cùm Judæus non fuerit, licèt ipsis ex innatâ bonitate faveret, ipsorumque patrocinium in se susceperit. Circà idem tempus, vel non multò post, Aristobulus, Judæus Aristotelicâ philosophiâ clarus, libro ad Ptolom. Philometorem l. 1, c. 4, cujus etiam præceptorem fuisse tradunt, eamdem historiam refert. Ad hunc Aristobulum legimus, 2 Machab. 1, 10, Judam et senatum cum populo epistolam dedisse, quæ ibi recitatur. Post hos historiam hanc scripserunt, Joseph. lib. 12, Antiq., c. 2, et Præf. ad hist., et lib. 2 contrà Appionem ; Philol. lib. 2 de vitâ Mosis, historicorum apud Judæos facilè principes; Talmud utrumquè tract. Megill., et Rabbini plurimi. Inter Christianos verò Justinus Mart., Tertullianus, Eusebius, Augustinus, Hieronymus, Epiphanius, reliquique Ecclesiastici scriptores, qui omnes historiam, ut ab Aristæâ et Josepho refertur, ut certissimam sine ullâ dubitatione receperunt : ità ut verissimè dixerit Joan. D'Espeires, Tract. de 70 Interp., *historiam hanc esse testatissimam et celeberrimam : ità ut vix ulla sit inter ethnicos nobilior vel certior*. Summa historiæ totius hùc redit : regem Ptolemæum (quem magnis elogiis ornat Philo, ut qui suprà omnes sui vel superiorum seculorum reges, virtuti-

bus regiis emineret, ità ut ab ipso in proverbium abierit ut omne opus magnum et sumptuosum *Philadelphium* diceretur), cum magno litterarum studio flagraret, omnisque generis libros, qui ullibì haberi poterant, conquireret, ut bibliothecam suam magnis sumptibus Alexandriæ structam ornaret, et instructissimam haberet, suasu Demetrii Phalerii (quem bibliothecæ præfecerat), Judæorum leges et religionem, cum ipsorum libris sacris, in bibliothecam suam inferri desiderâsse, et ut in linguam Græcam, quæ omnium longissimè propagata, et sibi optimè nota erat, verterentur. In hunc finem legationem honorificam misit cum litteris, et magnificis in usum templi donariis, ad Eleazarum Judæorum Pontificem (hic fuit Oniæ primi filius, Simeonis Justi frater; de quo Siracides cap. 10 et Jadi nepos, qui Alexandro obviam ivit, ejusque iram placavit) postulans, ut libros suos sacros ad ipsum mitteret, unà cum viris, tàm doctrinâ, quàm ætate et moribus conspicuis, qui ad tantum opus conficiendum idonei essent. Eleazarus, convocato concilio, viros 72. ex quâlibet tribu sex, unà cum exemplari librorum Sacrorum, (quod ex multis membranis artificiosè connexis constabat, et litteris aureis erat descriptum), ad regem misit ; qui summo gaudio eos excepit, et volumina sacra venerabundus aspexit ; et post convivia et colloquia, in insulam Pharum, septem stadiis ab Alexandriâ distantem, remisit : ubi procul à strepitu, domum contemplationibus divinis idoneam eis assignavit, ubi omnibus necessariis instructi, versionem ex Hebraicâ in linguam Græcam perficerent ; quam spatio 72 dierum absolverunt. Quâ peractâ, et jussu Demetrii, in præsentiâ Sacerdotum, et principum Judæorum, totiusque populi Judaici (quorum multi erant in Ægypto), perlectâ et examinatâ, ab omnibus acclamatum est, benè et fideliter omnia translata esse : utquè rata in perpetuum maneret, neminique aliquid in eâ mutare liceret, dira imprecati sunt in omnes qui quicquam in eâ mutare tentarent. Rex verò, cùm omnia ei perlecta essent, Legislatoris sapientiam admiratus, libros religiosè asservari jussit; permissis principibus Judæorum Synagogarum, ut exemplaria describerent in usum suum, ipsisque 72 Interpretibus cum donariis magnis in patriam remissis, et centum viginti Judæorum captivorum millibus, Demetrii suasu, rege λύτρον persolvente, pro manumissis, tùm exemplar quoddam Hebraicum, tùm ipsam versionem in bibliothecam collocavit. Rege etiam à Demetrio quærente, quot libros comparâsset, respondit, *se habere circà ducenta millia ; sperare tamen se brevi habiturum quingenta millia.* Imò Aul. Gellius, lib. 6; cap. ult., affirmat Demetrium comparâsse volumina septingenta millia. Quorum pars magna, si non omnia, bello Alexandrino priore, tempore Julii Cæsaris, conflagratione perierunt. Tantùm etiam invaluit hujus versionis auctoritas apud Judæos, ut ubiquè per Ægyptum, Græciam, Asiam, etc., imò in ipsâ Hierosolymâ, publicè in Synagogis, ut jam innuimus, prælegeretur, omnibus Judæis linguam Græcam optimè callentibus, cùm Hebraicam (quæ dudùm vernacula esse desierat,) soli Sacerdotes et docti intelligerent.

Versionem verò hanc non sine admirando consilio divino factam esse fatentur omnes : quòd à rege Ægypti, Judæorum et eorum religionis hoste, paganæ superstitionis studioso, hæc translatio procurata esset in linguam per orbem notissimam, quâ paratiores factæ sint gentes ad Evangelium amplectendum. Sic Tert. in Apol. cap. 19, Lact. lib. 4, cap. 2, Clem. Strom. 3, Euseb. Præp. lib. 9, cap. 1. Chrysost. etiam Hom. 4 in Genes., *rarum et singulare miraculum* appellat, *ut à rege barbaro, alieno, et populo Dei inimico, veritas divina inter gentes dispergeretur.* Et August. de Doct. Christ lib. 2, cap. 15, observat hanc versionem Apostolorum prædicationi viam stravisse; cùm gentes linguâ sibi notâ, ea quæ ab Apostolis de Christo prædicata erant, à Prophetis priùs prædicta fuisse legerent : ità ut fuerit quasi fundamentum magni cujusdam ædificii immensæ molis, quod inter gentes super illud extruendum foret. Nulla enim de Apostolorum fraude, vel de Judæorum malitiâ et obstinatâ perfidiâ dubitatio oriri poterat, cùm ipsi Judæi libros sacros diligentissimè in linguam Græcam traductos gentibus tradidissent : ex quibus tùm mysteria Christiana probari, tùm ipsorum incredulitas, qui Christum non receperant, redargui poterant. Si verò post Christum facta fuisset hæc versio, suspicarentur Judæi haud fideliter factam fuisse ; et ipsi vel ex invidiâ libros suos corrumpere tentâssent, vel Christianos de corruptione accusâssent. Ampliùs etiam circà hanc versionem elucescit providentia divina, quòd cùm conflagraret bibliotheca Philadelphi, in quâ repositum erat ipsum translatorum αὐτόγραφον, ipsam nihilominùs versionem ab interitu servavit : quòd exemplaria indè descripta in omnium manibus tunc temporis extarent, et in synagogis publicè

prælecta, quo versio ipsamet sarta tecta servata est : et vanitas argumenti quod à neoterico quodam affertur, apparet : qui, ut probaret versionem 72 hodiè non extare, hoc utitur argumento, quòd temporibus Cæsaris incendio perierat ipsa bibliotheca, et versio Græca originalis : quasi non fuissent exemplaria innumera inter Judæos per orbem terrarum dispersos, qui hàc tàm publicè quàm privatìm usi sunt. *Ingrati itaquè, imò indigni* (verba sunt Doctiss. Woweri Syntag. cap. 8), *nisi providentiæ divinæ ingens beneficium agnoscamus et admiremur : Scripturam sacram, tanquàm propriam et peculiarem Judæorum, Hebræis consignatam litteris, plurimis annis antè exortum salutare Christi sidus, Græco sermone indutam, ipsisque Judæis invitis veritatem effluxisse ; et nisi antè felicissima tempora, quandò Christus hominem induit, opus hoc Græcæ interpretationis absolutum fuisset, flagrantibus livore et odio Judæis, sordibus et mendis depravatam Scripturam, aut mirâ obscuritate involuta prodidissent*, ut observavit Euseb. Præp. lib. 8.

In hâc historiâ, quâ nulla ferè inter Judæos vel Christianos certior vel illustrior, quædam sunt de quibus neoterici quidam, qui omnia in dubium revocant, quæstionem movent. Primò de Aristææ libello, qui hujus historiæ quasi fons habetur, et ad quem Josephus lectorem remittit. De quo omnium primus Lud. Vives in Aug. de Civit. lib. 11, cap. 42, dubium injicit, an non à Judæo aliquo nomine Aristææ evulgatus sit ? Confictum enim ipse putat ab aliquo recentiore ; cui adstipulantur Leo à Castro proœmio in Isaiam, Salmeron Proleg. 6, maximè Joseph. Scal. ad annum Euseb. 1730, qui librum supposititium esse pronuntiat, et à Judæis Alexandrinis confictum. Lud. Vives tamen non hoc absolutè asserit, sed ità se putare dicit. Scaliger etiam loco citato, Ptolemæum Philadelphum Alexandriæ bibliothecam locupletissimam extruxisse, et Hebræorum monumenta sacra in Græcum sermonem converti præcepisse, certum esse affirmat. Historiam tamen Aristæi carpit, et falsam esse vult. At argumenta ab ipso et aliis leviora sunt, quàm ut historiam tantis et tàm antiquis præsidiis munitam convellere possint : contrà hos enim aliosque paucos recentiores testium nubem adferre licet. Nam inter omnes, qui hanc historiam pertractant, nulli hactenùs inventi sunt qui de eâ vel tantillùm dubitàrunt, sed ut rem certam et indubiam supponunt, exceptis paucis quibusdam recentioribus ; quorum auctoritatem veteribus illis, qui propiùs multò erant ad Aristæi tempora, et veritatem meliùs percipere possent, nemo sanus æquiparat, multò minùs præfert ; cùm non tantùm Josephus, Philo, Tertullianus, Cyrillus, reliquique antiqui scriptores, sed et ipse Hieronymus plurimis in locis Aristæi testimonia proferat ; omniaque, quæ vel ab illo, vel à Josepho, aliisque veterum ex Aristæâ depromuntur, libro Aristææ, qui hodiè exstat, ad amussim respondeant : ut observat, inter alios, Bellarm. lib. 2 de Verbo Dei, cap. 6. Undè doctissimus Usserius, licèt nullum non moveat lapidem ut versionem hanc deprimat, Aristæam tamen contrà Scalig. tuetur, Syntag. cap. 1, et Isaacus Casaubonus, in Græcis Scriptoribus versatissimus, qui de ipsorum νοθείᾳ optimè, si quis alius, judicare poterat, in notis quibusdam propriâ ipsius manu scriptis, quas mihi communicavit doctiss. ejus filius Mericus, S. T. D., de Aristææ historiâ hoc fert judicium: *Aristæam elegantem esse scriptorem cujus antiquitatem tùm phrasis arguit; tùm Josephus, qui multa hìnc descripsit.* Et paulò post: *Credimus admodùm antiquum esse, et planè ejusmodi quem non legisse pœniteat studiosos aut Græcæ linguæ aut antiquitatis ; nam antiquissimus est auctor. Nec dubito eum esse, de quo Josephus. Itaquè ille ipse est, qui rebus gestis interfuit, quæ hìc memorantur.* Hæc Casaubonus : Quibus hoc addendum, nullam rationem dari posse, cur libellum hunc fingerent Judæi : *ut auctoritatem hujus versionis elevarent,* dicit Salmeron, *miraculum cellularum silentio suo extenuendo*; è contrà : *ut auctoritatem huic versioni conciliarent*, dicit Scaliger, *fingendo prodigia circà hanc versionem :* Sic alter alterius fundamenta convellit, cùm utraque ruinosa sint. Quæ à Scaligero et aliis subjiciuntur, facilè diluuntur. Primò, cùm Aristæas scribat, Demetrium Phalereum bibliothecæ præfectum fuisse, et versionem Græcam procurâsse; hoc falsum esse probat Scaliger, quia Demetrius, initio regni Philadelphi extinctus, et regi semper in odio fuit, ut ex Diogene Laertio probare nititur. At hoc ex auctore indubitato refellitur, qui paulò post Aristæam scripsit, et vel ab ipso, vel aliis, qui rei gestæ interfuerunt, veritatem addiscere potuit, Aristobulo scilicet, Judæo, philosopho Peripatetico, cujus hæc verba inter alia ex ejus libro ad Ptol. Philometorem refert Euseb. de Præp. Evang. lib. 13: *Tota verò Legis interpretatio sub rege Philadelpho cognominato, abavo tuo, peracta est, Demetrio Phalereo magnum studium adhibente, et totum negotium promovente.* His Aristobuli verbis, quid clarius pro iis, quæ de Demetrio narrat Aristæas, dici

poterat, non video. At ultrà objiciunt : quomodò ex singulis tribubus senes deligi possent, cùm solæ relictæ fuerint tribus Judæ et Benjamin, reliquis longè anteà deportatis? Ad hoc respondeo cum Serario ex omni tribu aliquos semper in patriâ mansisse tempore Captivitatis, et ex omnibus tribubus aliquos rediisse. Undè Luc. 1 legitur Annam fuisse de tribu Aser : et inter veteres, Chrysost. Euthym. et alia affirmant Pharisæos fuisse ex omnibus 12 tribubus. S. Jacobus etiam Epistolam scripsit 12 tribubus dispersis ; et doctiss. Usserius, Annal. ad annum 3468, scribit quòd *non integras regni Israelitici tribus Salmanasser abduxit, sed partem reliquit, qui cum Judæis, Benjaminitis, et Levitis à Nebuchadnesaro in Babylonem deportati, et à Cyro dimissi. Undè, solutâ captivitate, anno 1 Cyri omnes Israelitæ* dicuntur *habitâsse in civitatibus suis*, Esdr. 2, 70. Et 6, 16, 17, *hirci duodecim oblati sunt pro peccatis totius Israelis, juxtà numerum tribuum.* Et Matth. 4, 14, impletum est vaticinium Isaiæ de *terrâ Zabulon et Nephtali, videntes magnam lucem* per Christi prædicationem. Ex quibus planè constat, tribuum distinctionem fuisse etiam Christi temporibus, diù post Philadelphum. Quod verò objicit Salmeron, quòd ab aliis Aristæus, et Aristæas hic auctor vocetur, nullius est momenti, cùm diversæ terminationes ejusdem nominis ubique occurrant, nec inter varias antiquorum MSS. lectiones, varietas major invenitur, quàm in propriis nominibus.

Quo tempore facta fuerit hæc versio, nondùm inter auctores convenit ; apud omnes tamen constat, quibusdam seculis antè Christum factam esse, et apud Judæos in usu publico fuisse. Quidam ex antiquis ad Ptolemæi Lagi tempora referunt, ut Irenæus et Clem. Alexandriæ. Alii, ut Aristæas, Josephus, Philo, et reliqui ferè omnes, ad Philadelphum. De numero annorum antè Christum etiam discrepant : tot enim sunt ferè sententiæ, quot auctores. Sixtus Senensis numerat annos 350, Geneb. 200, Bellarm. 291, Euseb. et Baron. 280, Bonfrerius 272, Rever. Usserius 277, Dionys. Petav. 278, Torniellus 245. Omnes tamen hodiè concordant, quòd vel Philadelphi tertio, ut Euseb. in Chron., vel ejus anno 7, ut Epiph. de Pond. et mensuris, facta fuerit. Nam, quod quidam in Epiph. legunt 17, hoc erroneum esse, et legi deberi, 7, docent Serarius in Proleg. 4, 17, 9, et Scalig. Isag. in Proleg. Mihi potior videtur Epiphanii, quàm Eusebii sententia, anno 7, factam esse, non verò 3, licèt uterque magnos sequaces habeat. De anno etiam antè Christum libenter in Rev. Usser. sententiam ibo, qui in annalibus refert ad annum 277, cum quo ferè consentit Petavius, vir in chronologicis exercitatissimus, magnique judicii, qui per Characterismum cœlestem, certissimum in chronologicis fundamentum, idem demonstrat. Exstat enim observatio astronomica apud Ptolemæum, lib. 10, c. 4, de tempore quo regnavit Philadelphus, quandò à Timocharide notata erat Venus anno 13 Philadelphi esse in gradu Virginis 4, 10, Mesori 17, sequente 18, qui fuit Octobris 12, annis antè natum Christum 272. Undè infertur, Philadelphum incœpisse regnare anno antè Christum 285, et annum ejus septimum fuisse antè Christum 278. Sed unius anni differentia haud tanti est, cùm ex initio anni, quo regnavit Ptolemæus, non certo cognito, talis discrepantia oriri possit. De anno mundi non laboro, cùm in hoc incertitudo magna sit inter præstantissimos chronologos ; nec inter innumeros, quos protulit hæc ætas, vel duos reperias, qui circà annos à mundo condito exactè conveniunt.

An versio hæc prima omnium fuerit, inter doctos disceptatur. De Græcis autem Vet. Test. versionibus intelligitur hæc quæstio, quam hoc loco tractandam proponimus. Nam, quòd quidam dicant, versionem quamdam Chaldaicam à temporibus Esdræ exstitisse, quæ hodiè periit ; alii Samariticam versionem, ejusque translationem Græcam iisdem temporibus fuisse contendunt, propriis locis cùm scilicet ad versiones Chaldaicas et Samariticas deventum erit, examinabimus. Versionem autem aliam Græcam ex Archivis Hebraicis, antè Philadephi tempora, saltem Legis factam fuisse, affirmârunt multi ex veteribus, Clem. Alexand. Strom. 1, ex aristobulo Judæo, Euseb. lib. 9, Præp. cap. 3, Justin. Mart. Apol. Chrysost. Theodoret., quibus adstipulantur recentiorum plurimi : Bellarm. lib. 2 de Verbo Dei, cap. 5, Serarius Proleg. cap. 16, q. 2; Galisinius verò p. 13, *nullum de hoc dubitandi locum esse* asserit, *quin antè Alexandri tempora et Persarum imperium, Pentateuchus saltem in Græcum sermonem conversus fuerit.* Fundamentum hujus sententiæ est, quòd philosophi Græci multa hauserunt ex Scripturis, quæ in scriptis suis quasi propria venditant, id est Plato, Aristoteles et alii. Undè Cyrillus eos *fures* appellat, lib. 1 contrà Julian. et Joseph. lib. 2 contrà Appion., dicit Platonem in libris de Legibus ex Mose multa deprompsisse ; undè alii Platonem vocârunt *Mosem Atticum*. S. Ambros. ex Salo-

monis Cantico Platonem multa transtulisse scribit. Ex Lege Mosis Pythagoram multa habuisse dicit Hermippus Pythagoræus, et Just. Mart. adversùs gentes ; quod et de Aristotele affirmat Clearchus Peripateticus, et de Platone Numenius Pythagoræus. Contrà verò Baronius Tom. 2, anno Christi 231, sect. 10, 11, etc., Dom. Bannes in 1 Tom. q. 1, art. 8, Joh. D'Espeires, tract. 2, disp. 2, dub. 3, D. Lud. Capell., Critic. lib. 4, cap. 1, et alii, ex traditione, et Judæorum vicinitate, eorumque commercio et convictu, philosophos ista hausisse statuunt, potiùs quàm versione aliquâ Græcâ quæ publicè exstabat ; quorum opinio mihi multò probabilior videtur (1). Nam si versio aliqua Græca priùs exstitisset, quorsùm Philadelphus tantis sumptibus tantoque strepitu aliam procurâsset, cùm omnes libros, qui ubique exstarent, præsertìm Græcos, per totum orbem conquisiverat, ut in bibliothecâ suâ reponeret ? Quomodò potuerit versionem illam Græcam, si talis exstitisset, ignorare Demetrius Phalereus, qui tamen expressè regi dixit, se Judæorum volumina sacra desiderare? Certè, si talis versio alicubì exstitisset, in Ægypto reperta fuisset, quò Platonem aliosque philosophos peregrinatos fuisse, ut Orientalium doctrinam addiscerent, testantur omnes. In Ægypto etiam plures habitâsse Judæos, quàm alibì, constat ex Philone : qui testatur, deciès centena Judæorum millia per Ægyptum dispersos fuisse. Ex historiâ tamen Josephi et Aristeæ constat, nec Judæos in Ægypto degentes, nec Ptolemæum Ægypti regem, ejusve bibliothecarium, de tali versione quicquam inaudivisse. Apud Aristæam enim legimus, *cùm regi indicâsset Demetrius*, quandò de bibliothecâ et librorum numero verba haberet, *Judæorum leges dignas esse, quæ transcriberentur, et in bibliothecâ reponerentur ;* regi dicenti, *nihil obstare, quod hoc fieri prohiberet, nam omnia ipsi* (Demetrio) *in hunc usum prompta fore*, respondit Demetrius, *interpretatione opus esse.* Undè rex promittit *se scripturum ad Judæorum Pontificem, ut omnia perficeret*, id est, ut interpretes mitteret : ex quibus liquet nullam fuisse antè illud tempus versionem Græcam. Idem ex Josepho et Philone colligitur. Ille lib. 12, cap. 2, et contrà Appion. refert, Demetrium regi dixisse, *Neminem historicorum vel poetarum ausum fuisse hos libros attingere : quosdam enim à Numine punitos fuisse, qui temerè eos attrectârunt, Theodectum poetam*, etc.

(1) Consule Frassen, Disq. bibl.

Philo etiam, lib. 2 de vitâ Mosis, disertè affirmat, *Legem scriptam esse sermone Chaldaico* (Hebraicum intelligit), *et in eo per longum tempus mansisse, quamdiù ejus pulchritudo externis hominibus non esset intellecta :* hoc erat, ut posteà explicat, *donec jussu Ptolemæi traducta erat in linguam Græcam. Opus enim, quia magnum erat, non fuit privatorum hominum sed regis potentissimi et celebratissimi.* Ex his Philonis verbis planè constat, Legem antè Ptolemæum illum haud alio sermone notam fuisse, quàm Hebraico, quo primùm conscripta fuit. Prætereà, si alia fuisset versio Græca, quænam causa reddi potest, cur Ptolemæus novam fieri curaret? An quia prior illa minùs accurata fuerit? at altum de hoc silentium est apud scriptores antiquos, qui versionis Septuag. meminerunt. Et cur minùs accurata esset, cùm facta fuerit eo tempore, quo Judæorum lingua vernacula ipsis erat, et multò magis nota et familiaris, quàm cùm suam versionem fecerint 70 Interpretes? An verò versio illa perierat prorsùs ? at hoc post Captivitatem fieri non potuit, florente et pacato Judæorum statu à reditu Babylonico ad tempora Philadelphi ; nec tàm brevi temporis intervallo probabile est versionem talem extinctam fuisse. Antè Captivitatem verò minùs probabile est, cum illis temporibus rarum aut nullum erat Judæorum cum Græcis commercium. Potuerunt tamen Græci philosophi, præsertìm post Captivitatem, aliquam habere legum Judaicarum cognitionem ex Judæorum commercio, à quibus quædam addiscere possent, etsi versio nulla scripta esset. Sic enim refert Clearchus apud Jos. l. 1 contrà Appionem, de Aristotele præceptore ejus, quòd *usus sit viro Hebræo, ut Scripturas ipsi interpretaretur.* Si verò versio aliqua nota fuisset, quorsùm opus esset interprete? Didicerunt philosophi doctrinam gymnosophistarum, Druidum, etc., qui tamen nihil scriptum reliquerunt. Refert etiam Jos. contrà Appion. *multos fuisse, qui de rebus Judæorum scripserunt, historicos Ægyptiacos, Chaldæos, Phœnicios, Græcos :* ex quibus etiam poterant Philosophi multa de Judæorum ritibus et Religione cognoscere; et affirmat Hecatæum Abderitam, qui circà Alexandri tempora vixit, libellum integrum de Judæis scripsisse. Ex his itaque, etsi non exstaret Græca Scripturæ versio, multa haurire poterant Græci. Undè concludit Orig. contrà Celsum, lib. 6 : *Platonem vel à Judæis quædam audivisse, vel in Prophetarum libris legisse.* Judæi verò, cùm ubique magno

numero inter Græcos post Captivitatem degerent, nulli dubium esse potest, quin eorum plurimi Græcam linguam didicerint (aliàs quomodò inter eos viverent?), cùmque ipsorum lingua post Captivitatem Chaldaica sive Syriaca fuerit, quam Græcorum plures callebant, hinc, ut Judæi Græcorum, sic Græci Judæorum res et Religionem cognoscere poterant, etsi nulla Scripturæ versio Græca exstaret.

Interpretes fuisse 72 tradunt, Aristæas, Joseph Philo, et quotquot inter Christianos hanc historiam commemorant; nec unus à nato Christo, per quindecim sæcula repertus est, qui de hoc dubitavit; nec ullum proferri potest testimonium in contrarium, vel ex Judaicis, vel ex Christianis scriptoribus, inter omnes qui de hâc versione mentionem fecerint, tanto temporis intervallo, unico excepto Talmudico in Mass. Soph. (quod adfert Azarias), c. 1, ubi heb. translatio vocatur *opus quinque seniorum*: quod tamen, ut communi et receptæ Judæorum sententiæ contrarium, posteriores Rabbini commodâ aliquâ interpretatione emollire student, cùm defendere nequeant; quasi ex numero 72 quinque delegati essent, qui hoc opus perficerent: quod probant quidam ex hoc, quòd unam vocem per quinque significata transferunt. Nostro sæculo non defuerunt, qui ut alias historiæ partes circà hanc versionem, sic numerum septuagenarium in dubium vocant. Jos. Scaliger, Annot. in Euseb. 1730, loco cit., tùm Epist. 14, ut Aristæi historiam, ità 72 Interpretes à Ptolemæò accersitos fuisse, *fabulam à Judæis confictam* esse dicit. Eadem ex Scalig. habet Wowerus Syntag. cap. 4. Et Dan. Heinsius in Aristarcho suo sacro, c. 10, numerum Interpretum, unà cum cellulis, et interpretandi ratione, *inter nugas à Græcis excogitatas* refert. Rationes à tantis viris non exspectes, ipsi dixerunt: ergò dubitare nefas est. Ne tamen sine ratione insanire videatur Heinsius, *ipsam nominis originem et scenæ* (ut ipse loquitur) *detegere* ipsi placuit, *quod hactenùs factum à nemine*. Exod. 24, 7, 11, dictum erat, cùm Moses legisset in lib. fœderis coram populo, *Mosem, Aaronem et 70 Seniores ascendisse ad Deum; et quòd in principes filiorum Israel non misit manum suam, pro quibus ultimis verbis Hellenistæ habent: Et Electorum Israel non dissomit neque unus: hinc* (ait Heinsius) *haud dubio historia de Ptolemæo, ex illis 70 Senioribus, Seniores Interpretes; hinc famosæ illæ scenæ, quas Beatus Hieronymus explodit; hinc inventum illud, neminem in tanto numero in exprimendis sacris dissensisse!* Quis hic non miretur acumen grammatici, qui rem nobis inauditam, de quâ nemo antehàc cogitavit, detexit, et ex tenebris in lucem produxit? Imò potiùs, quis non vani hominis arrogantiam ridet, de tripode dictantis, quæ nullo testimonio veterum, nec aliquâ rationis umbrâ nituntur, imò qui contrà omnem historiæ fidem, contrà omnes Ecclesiæ et Synagogæ scriptores, ausus est fabulam, sui cerebri figmentum, orbi obtrudere? Undè enim habuit Heinsius, Hellenistas ex his verbis Exod. 24 tàm ineptas deduxisse consequentias? Vel unicum proferat verbum ex scriptoris alicujus Judæi vel Christiani monumentis, quo hoc somnium stabiliat. Quòd enim Hieronymum pro suâ sententiâ adducit, quasi Hieronym. cum ipso sentiret, non minùs falsum est quàm Judæos Hellenistas hæc somniâsse quæ ipsis affingit. Nunquàm dubitavit Hieronymus de numero 72 Interpretum, nec de Aristeæ vel Josephi historiâ, nec à Ptolemæo eos accersitos fuisse; sed ubique Aristæam et Josephum citat; imò cellularum historiam rejicit, quia nec in Aristæâ, nec in Josepho ulla sit earum mentio. Meritò itaque hæc istorum hominum, qui nil certi nobis in historiâ relinquere volunt, commenta et deliria rejicimus. Quæ de Aristææ historiâ suprà diximus, satis sunt ad ejusmodi temerarias assertiones refellendas: ad quæ lectorem remittimus. Fixum itaque sit, quod unanimi omnium veterum consensu testatum habemus, de numero 72 Interpretum. At quinam fuerint isti 72 non ità liquidò constat. Certum est, fuisse linguæ Hebraicæ et Græcæ pro ratione illorum temporum peritos, doctrinâ et probitate conspicuos, et ex singulis tribubus electos. Addunt quidam, fuisse ipsos Synedrii magni assessores, ad quos ex officio pertinebat de rebus quæ S. Scripturam spectant, decernere: undè opus tantum ipsi per se exequuti sunt; idque rei dignitas postulare videtur. Sic Baron. loc. cit., sect. 18, 19, qui hoc confirmare nititur ex Origine, qui frequenter eos nominat Seniores, et ex Hilar. Psal. 8. Infirmo verò tibicine nititur hæc sententia. Seniores enim dicuntur, tàm propter ætatem, quàm dignitatem. Synedrium etiam, cùm fixam habuerit sedem Hierosolymis, in quo omnes controversiæ difficiliores terminandæ erant, et ad quod ex omni tribu ultima facta est appellatio; quis credat Senatum illum, deserto reipub. clavo, in regionem exteram demigrâsse, totamque gentem suam sine judicibus suis supremis reliquisse? Præterea in

Aristæâ disertè legimus, Ptolemæum postulâsse, ut ex omni tribu senes deligerentur ad hoc munus obeundum; quod et præstitisse Eleazarum ex eâdem historiâ constat. Certè Synedrium illud antè legationem Ptolemæi constitutum erat; at quos ipse postulavit Interpretes, post legationem delecti et missi sunt. Hæc de ipsis Interpretibus.

Quod ad cellas attinet, primus qui de iis expressè scripsit, erat Justinus martyr, vir ob doctrinam eximiam et sanctitatem clarus, quique martyrio coronatus fuit; patriâ Samaritanus, natione Palæstinus. Hic Orat. ad Gentes testatur, se Alexandriæ vidisse cellularum istarum reliquias, quarum memoriam per majorum traditionem Alexandrini ad ejus tempora servârunt. Sic enim scribit: *Nec sanè vobis* (Græci) *ut fabulam aut confictam narramus historiam; sed quæ ipsi, cùm Alexandriæ fuimus, vestigia ædicularum reliqua in Pharo vidimus, et ab incolis, qui res patrias à majoribus acceperunt, audivimus, commemoramus : quæ ex aliis quoque ex parte intelligere potestis, et potissimùm ex iis, qui ista scriptis suis inseruerunt, sapientibus et spectatis viris, Philone, Josepho, et aliis pluribus.* Hoc viri sanctissimi testimonium amplexi sunt scriptores plerique veteres (unico ferè excepto Hieronymo), Irenæus l. 3, c. 25, Tertul. Apologet., c. 18, Clem. Alex. Strom. l. 1, Cyrill. Hierosol. Catech. 4, Hilar. in Psal. 2, August. de doctr. Christ. l. 2, c. 15, et de Civit. l. 18, c. 43, Theodoret. Præf. in Psal. Epiphanius verò tradit *binos in singulis cellis inclusos;* quem Bellar. de Verbo Dei, lib. 2, c. 10, putat *non legisse Aristæam, vel ex aliorum relatione audivisse quæ scripserat.* Consentit Talmud utrumque in tract. Megill., ubi hanc historiam ità referunt, quòd *Ptolemæus rex, congregatis 72 Senioribus, posuit eos in 72 domunculis, et non revelavit iis quorsùm eos congregaverat* (hoc autem est Talmudicum figmentum contrà Aristæam et Josephum); *et congregavit eos separatìm unumquemque ab altero; et dixit eis : Scribite mihi legem Mosis, Magistri vestri. Dedit Sanctus Benedictus ipsis consilium in corde uniuscujusque eorum, et concors fuit sententia eorum in unam sententiam.* Huic sententiæ præter veteres adstipulantur Serarius, Bonfrerius, Galesinius, cum multis recentioribus interpretibus Sacræ Scripturæ. E contrà Hieronymus Præfat. in Pent. narrationem de cellulis explodit, dicens, *se nescire quis primus auctor 70 cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxit.* Et Præf. primâ in Chron. dicit, *cellulas istas vulgò sine auctore jactari.* Hieronymum sequuntur multi ex recentioribus, Masius Præf. in Jos., Bellar. loco cit. Joh. D'Espeires, Tract 2, disp. 1, dub. 5. Baronius etiam affirmanti sententiæ inclinat; concludit tamen : *Non esse suâ de tàm antiquâ quæstione quid certius definire.* Rationes sunt : 1° Altum de hisce cellulis silentium apud Aristæam, Josephum et Philonem, etiam cùm occasio se obtulit de hoc miraculo dicendi. Philonis enim verba, quæ à quibusdam pro cellulis adferuntur, nil tale probant, lib. 2 de vitâ Mosis, ubi hæc habet : *Non alii alia, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis invisibiliter, reddiderunt.* Quæ verba nil aliud probant, quàm in eamdem sententiam convenisse : quod fieri potuit omnibus simul in eâdem domo conferentibus. Undè Bellar. l. 2 de Verbo Dei, c. 10, dicit : *Summam consensionem in eamdem sententiam non necessariò convincere eos loqui de cellulis. Nam reverà mirum tùm fuit, tot homines simul conferendo potuisse tàm brevi tempore convenire in singulis sententiis transferendis : ubi enim est multitudo, diversitas judiciorum evitari non potest; et rarò conveniunt, nisi post longam disceptationem.* 2° Imò disertè dicunt Aristæus et Josephus : *Eos omnes in unam basilicam congregatos inter se contulisse.* Si simul in uno loco contulerunt, non singuli in cellis prophetârunt, sed disputabant inter se de re quâlibet, donec convenirent omnes in unam sententiam, quam redegerunt in scriptis. Imò opus esset, ut singulis singuli codices traderentur à Sacerdote summo, qui ipsos miserat, à singulis sigillatim vertendos : cùm tamen in historiâ legamus unicum exemplar aureis litteris descriptum ab Eleazare ad regem missum fuisse. Nec potuit Pontifex divinare Ptolemæum tale de Interpretibus sumpturum experimentum, aut credere in hoc morem illi gerendum fuisse, Deumque sine necessitate tentandum, ut notat doctiss. Capel. Crit. l. 4, c. ult. Ob has rationes, potiorem existimo sententiam cellulas negantium. Licèt enim invitus antiquos deseram, tamen Aristæas, Josephus et Philo antiquiores sunt omnibus, qui affirmativam tuentur. De Justino verò respondeo cum Bellarmino, quòd Judæi fabulam à se confictam ipsi persuaserint, et quasdam ruinas ostendentes, cellulas esse dixerint 70 Interpretum; undè facilè fieri potuit, ut Justinus eis fidem habuerit. Nec minùs facile fuit ut Justino, viro sancto, fidem haberent alii, cùm dicat se habuisse ab accolis Alexandriæ. Tertullianus verò nil habet de cellulis, loco citato, et Augustinus dubitanter, non asseveranter

loquitur, cùm his verbis utitur, l. 2 de Doctr. Christ., c. 15 : *Dicuntur* 70 *Interpretes*, etc., *fertur, et multi fide non indigni prædicant, singulis cellis inclusos fuisse*, etc.; quæ verba indicant, ipsum non certò hoc de cellulis affirmâsse. Etsi verò negamus singulos in cellulis seorsùm versionem suam confecisse, aliquid tamen veri fortasse in hâc sententiâ inesse potest, ut in sequenti quæstione explicabimus, singulos proprium habuisse cubiculum vel domunculam, ubi studiis et orationi vacabant, et pensum sibi assignatum verterunt : quod posteà, cùm simul omnes convenerunt, refectum, examinatum, et approbatum, et omnium nomine Demetrio oblatum; reliqua verò à Judæis, falsa veris miscentibus, assuta fuisse.

Versionem hanc 72 dierum spatio confectam fuisse tradunt Aristæas, Josephus, omnesque scriptores veteres, Judæi et Christiani, qui unanimiter in hoc concordant : nec antè avorum memoriam quisquam aliter scripsit. Dubitârunt quidem aliqui, an solus Pentateuchus, an verò omnes libri Veteris Test. ab ipsis traducti sint ; nemo tamen dubitavit, quin hoc temporis spatio tota versio, quorumcumque librorum fuerit, confecta sit. Neoterici quidam, qui omnia in dubium vocant, ut Aristææ historiam reliquam, sic hoc de 72 dierum spatio à Judæis confictum esse, asserere non verentur. Horum audaciæ occurrere conati sumus, cùm de Aristææ libro egimus. Alii, inter quos Joh. D'Espeires, tract. 2, disp. 1, dub. 7, statuunt solùm libros Legis infrà 72 dies versos fuisse; reliquos ab iisdem posteà, vel Alexandriæ, vel domum reversis traductos fuisse. Rationem verò reddit, *quia moraliter, imò physicè impossibile esset, ut tàm exiguo temporis spatio, duorum mensium et dimidii, tot ac tanta volumina scripserint, nedùm ut conferentes et disputantes transtulerint ex Hebræo in Græcum*. Legem Mosis facilè potuisse intrà illud tempus transferri probat Bonfrer. Præloq. c. 16, s. 2, hâc ratiocinatione, quòd *capitula librorum Legis sunt tantùm* 187, *ut hodiè distinguuntur. Si verò duo capita cum dimidio singulis diebus absolverent, totum Pentateuchum intrà* 72 *dies conficere potuissent, idque sine miraculo*. Imò totam Scripturam intrà hoc tempus transferri potuisse non dubitarem, si verum esset, quod à multis affirmatur, scilicet ipso Spiritu S. suggerente, quasi Prophetas eos locutos fuisse. Cùm verò de hoc dubitetur, dicendum videtur, potuisse tot viros Hebraicè et Græcè doctissimos (qui enim recentiores ignorantiam linguarum eis exprobant, propriam inscitiam produnt), mediis ordinariis 72 diebus hoc opus perficere, totum Vet. Testamentum vertendo, idque sine miraculo. Nam primò maximè probabile est, cùm ad hoc munus delecti essent, antequàm è patria discederent, inter se convenisse, et de modo, quo tantum opus confici posset, inter se deliberâsse ; unumquemque etiam se diligenter præparâsse, tùm codices conferendo, tùm partem quamdam Scripturæ transferendo et loca difficilia annotando; observationes etiam suas in schedas conjecisse, quas secum attulerunt, quò citiùs et feliciùs opus absolverent. Nam (quòd dicunt Talmudici) ipsos ignorâsse quorsùm rex eos accersiverat, antequàm in Ægyptum venerant, est Talmudicum figmentum, contrà historiæ fidem ut apud Jos. et Arist. legimus. Deindè, cùm Alexandriæ convenissent, haud probabile est, omnes simul in unâquâque sectione vel libro vertendo laborâsse (quanta enim hinc confusio orta esset, si omnes simul loquerentur!), sed totum opus inter se partitos fuisse, aliis hanc partem, aliis illam assignando ; cùmque singuli pensum suum, vel ejus partem aliquam confecissent, statutis horis, vel diebus, inter se convenisse, ubi singulorum elucrubationes reliquorum judicio submissæ ; et si dubium aliquod occurrebat, communi consilio explicatum, omnibusque maturè perpensis et discussis, quod ab uno vel pluribus primò confectum fuerat, communi omnium suffragio approbatum, pro totius conventûs versione receptum et evulgatum fuit. In hâc conjecturâ habeo viros doctos consentientes. Bonfrer. Præloq. c. 16., sect. 6, agnoscit, *Non esse verisimile omnes simul eodem tempore et momento easdem Scripturæ sententias esse interpretatos*. Et Serar. Proleg. c. q. 10, in Aristææ verba, quòd *omnes in unâ basilicâ inter se conferebant*, etc., hæc habet : *In unâ basilicâ suas versiones rectè dicuntur contulisse, sed non eo tempore quo fiebant; verùm posteà, cùm factæ jam essent : ut significant Aristæas et Josephus*. Hinc etiam oriri potuit styli illa diversitas in quibusdam libris, cùm alii magis cum Hebræo conveniant, quod de Pentat. observat Hieronymus, et de Jeremiâ Usserius ; in aliis liberiùs à verbis discedunt. Hinc etiam fortâsse ortum illud de cellulis, quia singuli diversis cellulis vel cubiculis partem aliquam Scripturæ primò verterunt, quam posteà reliquis in unâ basilicâ congregatis communicârunt : ubi post disceptationem, quod omnibus probatum erat, communi calculo ratum fuit. Undè non tantùm

probabile, sed necessarium erat singulos cellam vel cubiculum peculiare habuisse, ubi versioni vacarent, præter domum communem, in quà omnes convenirent. Hujusmodi ordinem in hoc opere conficiendo eos observàsse mihi verisimile videtur, et vix aliter fieri potuisse. Sic singulis diebus 72 Interpretes, rege salutato primò, in unam basilicam vel domum convenerunt, ubi, precibus fusis, se ad opus parabant; et, quàm poterant, accuratè interpretabantur, *usquè ad horam nonam assidentes operi* (ut Josephus refert), id est seorsìm singuli operi suo incumbebant, ubi per *horam nonam,* mediam diei partem inter meridiem et solis occasum intelligit. Solebant enim Judæi diem in 12 horas dividere ab ortu solis ad occasum; ità ut meridies esset hora sexta, solis occasus duodecima, medium inter eos nona. Si itaque singulis diebus huic operi singuli incumbebant, non video quin sine miraculo possent omnes Veteris Test. libros Canonicos (reliquos enim, qui vulgò apocryphi vocantur, eos non attigisse posteà patebit) spatio 72 dierum in Græcum transferre. Supponamus enim singulos dimidium capitis singulis diebus transtulisse (quod nullo negotio fieri poterat), totum opus, quod 925 capitibus concluditur, singulis diebus capita 36 interpretando, intrà 28 dies absolvere potuissent, qui non multùm superant partem tertiam dierum 72. Reliquum verò temporis impendi poterat, quod à singulis confectum fuit, coram omnibus legendo et examinando : undè post disceptationem de iis quæ dubia visa fuerint, et deliberationem maturam, quod communi suffragio ratum erat, Demetrio offerebatur. Dices : hoc supposito, singulos legis exemplaria habuisse necessarium esset, cùm tamen unicum exemplar rex postulàsset, nec de alio in hàc historiâ sit mentio. Respondeo negando sequelam. Nam unicum exemplar in plures partes dividendo, unicuique aliquam ejus partem assignare poterant. Et licèt unum tantùm habuissent exemplar publicum, quod quidam opinantur fuisse ipsum volumen quod in templo publicè in usu fuit, quia Pontifex à rege petiit ut ipsum tutò remitteret, nil tamen vetat quin singuli Interpretes etiam per se in usum proprium exemplaria propria habuerint. Et planè incredibile est eos ad tantum opus à rege potentissimo evocatos ità incuriosos fuisse, ut non singuli propria exemplaria haberent, quò meliùs regis et aliorum exspectationi satisfacerent. In hoc consentientem habeo Wower. Syntag. cap. 7. Certè, si hodiè talis doctorum numerus ad aliquo principe extraneo ad transferendum Biblia Hebraica in latinum idioma vocaretur, nullus eorum sine codice suo, itineris socio, ad tale opus se accingeret. Quod de his Interpretibus magis probabile est, eo quòd ex Judæorum sententiâ, quilibet tenetur volumen Legis in usum proprium describere; vel, si ipse litteras nesciat, per alium describendum procurare. Quis itaque credat hos Interpretes, cùm infimi subsellii non fuerint, sed apud suos in maximo honore, singulos proprium codicem non habuisse, vel secum in itinere non attulisse? Si quis verò objiciat, auctores, qui historiam de cellulis referunt, dicere singulos Interpretes totam Scripturam transtulisse, omnesque in unum conspirâsse miraculosè, licèt simul non convenirent, nec invicem conferrent, respondeo, hoc ab iis, undè illi historiam de hâc versione hauserunt, non dici, sed potiùs contrarium : ut modò ostendimus ex Aristæâ, Josepho et Philone. Posteriores quidem tale quid affirmârunt, ut historiam magis miraculosam redderent; et probabile est, ut jam dixi, Judæos vera falsis miscuisse, et figmenta sua veræ historiæ assuisse, ut ex Talmude ostendimus : undè quidam incauti temerè de totâ historiâ judicârunt. A Judæis verò Christianos scriptores eosdem errores imbibisse, cùm aliundè hanc historiam habere non poterant, non est cur miremur.

Ut de Interpretibus, sic de libris quos verterunt, quæstionem movent nonnulli : 1° An solum Pentateuchum verterint, an etiam totam Veteris Test. Scripturam. 2° An libros qui vulgò apocryphi vocantur transtulerint. Neoterici quidam, qui versionem Græcam hodiernam deprimere conantur, duplici argumento probare nituntur, 72 Interpretes solum Pentateuchum vertisse : quia Aristæas et Josephus, qui primi hanc historiam nobis tradiderunt, Legis tantùm mentionem faciunt, non reliquorum librorum Scripturæ. 2° Idem auctores cum Philone dicunt, versionem 72 exactè Hebræo textui respondisse, et ab omnibus acclamatum fuisse translationem fideliter factam esse, cùm tamen editiones Græcæ hodiernæ multùm ab Hebræo textu differre videantur. De his itaque hujus sententiæ fundamentis videndum est an vera sint, et quantùm ponderis habeant. Ut primus, sic solus est Hieronymus inter veteres Ecclesiæ scriptores, qui solum Pentateuchum à 70 senioribus versum fuisse

asseruit; qui tamen dubitanter hoc affirmat, et pluribus in locis Græcam reliquorum librorum translationem iisdem adscribit; ità ut sibimet contradicere videatur, undè in hâc questione ejus auctoritas parùm valet. In Præf. Quæst. in Genes. sic scribit : *Accedit ad hoc quoque, quòd Josephus, qui* 70 *ponit historiam, quinque tantùm libros Mosis ab iis translatos refert : quos nos quoque profitemur plus quàm cæteros cum Hebraicis consonare.* Item. in c. 5 Ezech. dicit : *Quanquam et Aristæus, et Josephus, et tota schola Judæorum quinque tantùm libros Mosis à* 70 *translatos asserant.* Et in Ezech. 16, affirmat, *hanc esse eruditorum opinionem,* id est, Josephi, Aristæi et Judæorum, ut sese explicat loco priori. Et in Mich. 2, videtur ipse in hanc opinionem propendere; nunquàm tamen disertè profitetur Hieronymus se huic sententiæ suffragari, sed tantùm Judæorum opinionem refert. Multi tamen recentiorum scriptorum huic sententiæ subscribunt, quia auctoritati hujus Versionis videtur hæc sententia detrahere, si à 70 Senioribus profecta non sit. Judæi etiam plerique post Talmuden idem sentiunt, licèt relatio illa talmudica sit merè fabulosa, ut suprà ostendi, cùm de cellis egimus. Contraria sententia est veterum Ecclesiæ scriptorum omnium, solo excepto Hieronymo, qui (ut diximus) dubitare videtur, plerorumque etiam recentiorum, ut et quorumdam Rabbinorum, qui, non obstante Talmude, vel contrarium asserunt, vel dubitare videntur. Just. Mart. *totam Scripturam ab iis translatam* affirmat, Apol. ad Antonin. imperatorem, et Dialog. cum Tryph. Clem. Alexand. expressè dicit, *ipsos transtulisse* Legem et Prophetas. Euseb. Præpar. lib. 1, idem ostendit ex Aristobulo Judæo, qui paulò post ipsos 70 vixit, quemque suprà adduximus pro Aristæâ qui libro ad Ptolem. regem disertè scripsit : *Totam Scripturam sacram Demetrii Phalerei operâ et Philadelphi regis jussu rectè translatam.* His consentiunt Irenæus, Tertul. Orig. August. Epiphan. etc., totusque antiquæ Ecclesiæ venerandus chorus. Imò ipse Hieronymus, licèt alicubi dubitare videatur, posteà tamen plurimis locis totam Græcam versionem 70 adscribit. Nam in Commentariis suis in Prophetas, ipsam Sept. versionem Latinam, sub nomine Septuaginta, præter propriam ex Hebræo, per columnas sibi respondentes apponit, eamque exponit et ubiquè pro ipsorum versione agnoscit. Idem contrà Ruffinum, lib. 2 : *Egone* (inquit) *contrà* 70 *Interpretes aliquid locutus etc. quos quotidiè in conventu fratrum edissero? Universi tractatus mei horum testimoniis texti sunt : commentarii in* 12 *Prophetas, et meam, et* 70 *versionem edisserunt.* Et Epist. ad Suniam et Fretelam, dicit : *Editionem Psalmorum* κοινὴν *ipsam esse, quæ et Septuaginta.* Rationes verò magni ponderis pro hâc sententiâ adferuntur. Primò, Evangelistæ et Apostoli, cùm ex Veteri Testamento, ex Prophetis et hagiographis, loca à seipsis, vel à Domino citata adferunt, plerùmque secundùm versionem Græcam reddunt, quæ cum hodiernis Græcis editionibus concordant, ut infrà demonstrabimus. Editionem verò Græcam Prophetarum et Hagiographorum nullam præter illam 70 exstitisse antè Christi tempora, ità certum est, ut ex nullo auctore vel verbulum in contrarium produci possit. Aquila enim primus fuit, qui post 70 ex Hebræo in Græcum sermonem Vetus Test. vertere tentavit. Undè vir Reverend., in Syntag. quod contrà Græcam versionem collegit, agnoscit : *Versionem Græcam, quam communiter usurpârunt Judæi in Synagogis, et ex quâ Dominus et Apostoli testimonia sua protulerunt, fuisse sub* 70 *nomine communiter receptam eamdemque esse quæ hodiè exstat:* licèt alia ἀσύστατα addat, de quibus posthàc. Secundò, ità argumentantur Masius Præf. in Jos. pag. 119, aliique viri docti : *Quæ potuisset causa Ptolemæum movere (qui studio incredibili tenebatur omnia antiquitatis monumenta comparandi, quæ litteris consignata erant), ut Mosis leges à Pontifice posceret, cæteras gentis nobilissimæ admirandas historias, et prophetica oracula prætermitteret?* etc. Certè qui omnes per totum orbem libros conquisivit, non hosce neglexisset. Si verò quosdam neglexisset, tamen, ut observat Baronius, *illos qui rerum judaicarum continerent historiam, qui regibus et rerum antiquarum studiosis magno in pretio esse solent, non prætermisisset.* Tertiò, ostendimus suprà (quod et omnes agnoscunt) miram Dei providentiam circà hanc versionem factam antè Christum, ut gentes pararet ad Evangelium recipiendum : undè et *ostium ad Christum* à Chrysostomo vocatur. Jam verò ad hunc finem necessarium erat, non tantùm ut lex Mosis, sed et præcipuè ut Prophetarum oracula in linguam Græcam omnibus notissimam transferrentur, ut quæ à Christo et Apostolis prædicabantur, et Judæis et Gentibus ex hâc versione Græcâ probarent; et ut omnia à Prophetis priùs prædicta fuisse constaret. Quartò, apud omnes in confesso est, et tàm ex Judaicâ historiâ quàm ex Novo Testam. constat, et Legem et Prophetas linguâ Græcâ

in Synagogis publicè prælecta fuisse; et ab Antiochi temporibus certum est, Haphtoras ex Prophetis Hebr. prælectas, cùm tyrannus sub pœnâ capitis Pentateuchi lectionem prohibuisset; aliam verò præter hanc versionem Græcam tunc fuisse, nemo adhuc probavit. Denique ex Judæis varii idem nobiscum sentiunt, non obstante Talmudis auctoritate. R. Azar. varia loca ex Rabbinis profert, ubi per Legem totam Scripturam intelligunt, et rationem pro totius Scripturæ versione ex Prolemæi consilio urget. Jos. Hebr. cap. 17 libri sui Constantinop. antè annos 120 impressi, *libros sacros* 24 *ab Interpretibus* 70 *versos fuisse*. Dubitat Gedalias in Catenâ Cabalæ et scribit *se nescire in quam partem propendendum sit*. Ad objectiones in contrarium facilis est responsio. Nam licèt Aristæas et Josephus de Lege per 70 versâ loquantur, certum tamen est per Legem totam Scripturam sæpissimè intelligi; et ità intellexisse Judæos constat ex Evang. Joan. 15, 25, in lege ubi Dominus dicit esse scriptum: *Oderunt me sine causâ:* quod ex Psal. 34, 19, producit; et: *Nonnè scriptum est in Lege vestrâ: Ego dixi, quòd dii estis?* Joan. 10, 34, quod Psal. 82, 6, habetur. Apostolus 1 Cor. 14, 21, dicit, *in Lege scriptum esse: Quoniam in aliis linguis et labiis loquar populo huic;* quod tamen non in Pentat. invenitur, sed Isa. 28, 11. Ad eumdem modum loquuntur veteres. Hilar. in Psal. 2: *In* 22 *libros Lex Vet. Testamenti deputatur*. Et ipse Hieron. agnoscit Epist. ad Algasiam, *Psalmos Legem appellari;* et in Prol. Galeato: *Ità fiunt Veteris Legis libri* 22. Sic Judæi, R. Azar. in Meor Enajim: *Apud sapientes nostros multa loca reperiuntur, in quibus nomen Legis complectitur etiam Prophetas et Hagiographa*. Josephus etiam lib. 20, cap. 4, et de Bell. Judaic. lib. 2, cap. 12, agens de libris Judæorum, qui in Synagogis legi consueverant, omnes sub libris *Legis* comprehendit, cùm tamen præter Pentateuchum constet legi etiam solitos Prophetas, Luc. 4, Act. 15. Nec unquàm Josephus dixit solos 5 libros Mosis à Senioribus conversos fuisse, licèt hoc de ipso affirmaverit Hieronymus, sed *Legem* per quam totam Scripturam intelligi posse ostendimus. Proœmio tamen in Historiam Antiq. dicit ipsos 70 *Legem, non verò reliquam Scripturam interpretatos fuisse;* ubi quidam respondent, per *Scripturam* intelligi posse libros, qui vulgò *apocryphi* vocantur; quos licèt inferiori gradu collocet Josephus, pro sacris tamen agnoscit, lib. 1 contrà Appion. Hoc mihi tamen videtur nimis longè petitum, nec Josephi verbis vel menti convenire. Itaque meliùs est, Josepho unico teste, præter omnes Christianæ Ecclesiæ Patres, qui contrarium asserunt, Judæum Aristobulum opponere, quem suprà ex Eusebio adduximus libro ad Ptolem. cujus auctoritas Josephi multò potior est in hâc re, cùm multò antè Josephum vixerit, et paulò post ipsam versionem scripserit, ità ut vel ipse rebus gestis interfuerit, vel ab iis, qui interesse poterant, omnia circà hanc versionem gesta habuerit. Sic Josepho Judæo Judæum ipso antiquiorem Aristobulum opponimus, virum doctum, philosophum insignem; et Hieronymo, tùm ipsum Hieronymum locis aliis, tùm universam Ecclesiam Græcam et Latinam. Quòd verò Joh. D'Espeires dicto loco putat, *Impossibile fuisse tot tantaque volumina* 72 *diebus transferri posse;* undè conjicit, *Legem tantùm* 72 *illis diebus jussu Ptolemæi versam; reliquos verò libros posteà, vel Alexandriæ, vel post Seniorum reditum, Hierosolymis eosdem transtulisse*, quod et antè ipsum Paradinus præfatione in edition. Gallicam Aristæi, et Genebr. in Chronol. affirmârant, hoc sine necessitate excogitatum videtur: cùm (ut suprà vidimus) sine ullo miraculo, à tot viris Hebraicè et Græcè doctis, 72 diebus omnes Vet. Testamenti libri verti possent; nec Ptolemæi desiderio satisfecissent, nisi omne vertissent. Si hoc tamen probabilius cuiquam videbitur, nolo anxiè de eo contendere: frustrà enim sunt, qui hinc diminutam fore versionis hujus auctoritatem sperant, si reliquos libros post Pentateuchi versionem ab aliis traductos fuisse evincant. Cùm enim versionem quam hodiè habemus Græcam, contendant tempore Philometoris circà centum annos post Philadelphum factam fuisse (quod tamen sine ullâ ratione et contrà omnium veterum auctoritatem asserunt), non multùm refert, sive Alexandriæ, sive Hierosolymis, sive jussu Ptolemæi, sive tempore 72 Seniorum, sive posteà facta fuerit. Auctoritas enim eadem est, cùm à Judæis omnium librorum versio publicè recepta et usurpata sit variis antè Christum seculis; eademque à Domino et Apostolis ubique citata, Ecclesiæ Christianæ ab iisdem tradita, ab universâ Ecclesiâ approbata, et apud Græcos aliosque Orientales in hunc usque diem continuata, et in sumno honore habita. Hoc verò, si concessum illis fuerit (quod ab ullo verecundè negari non potest), videant quid indè lucrati sunt, et annon magno molimine nihil agant, qui 72 Interpretes solùm Pentateuchum vertisse dicunt.

Quod ad secundum argumentum attinet, videtur quidem Philo sentire 70 ad verbum

transtulisse : loco enim citato ait *propria propriis nominibus reddita fuisse, Græcis ad Chaldaica* (intelligit Hebraica) *exactè respondentibus : undè in utrâque Scripturâ, tàm Chaldaicâ, quàm ejus interpretatione, miretur quis germanitatem, imò rerum verborumque consonantiam adoret.* Antè Philonem scripsit Aristæus, *admirabilem fuisse rerum et verborum consonantiam inter codices Hebræos et versionem Græcam;* et ad finem libri, *Interpretationem ab omnibus discussam, consideratam, examinatam, antequàm in regis bibliothecâ poneretur; et ab omnibus acclamatum, sanctè fideliter singula esse translata, ut nihil addi, nihil demi posset.* Hæc à Neotericis quibusdam avidè arripiuntur, ut probent veterem illam translationem periisse : quia hæc, quam hodiè habemus, in multis ab Hebraicis codicibus differt. De hâc verò quæstione infrà fusiùs agemus. Hic breviter ad argumentum respondemus, Interpretes non verba verbis, sed sententias sententiis reddidisse. S. Augustinus de Consensu Evangelist. c. 60, ait : *Manifestum esse, illam interpretationem in nonnullis aliter se habere, quàm invenimus in Hebræo,* quod de verbis, non de sensu affirmat. Hieron. de optimo gen. interpretandi, ait : *In iis quæ addita sunt, non verba consideranda, sed sensus; ad quem* 70 *de suo nihil addiderunt, licèt verba quædam, quæ in Hebræo non sunt, adjunxerint.* Probatque idem Hieron. Præf. in Eusebii Chron : *Difficile esse alienas linguas insequentem non alicubi excidere, et ut quæ in alienâ linguâ bene dicta sint, eumdem decorem in translatione conservent.* Et eodem loco : *Illud suum, ut ità dicam, vernaculum linguæ genus, si ad verbum interpretor, absurdè sonat.* Undè illud : *Nec verbum verbo reddere curat fidus interpres.* Addit Baronius : *Ex linguâ Hebr. singula Græcâ reddere si voluissent, facere non potuisse : cùm nonnulla sint in Hebraicis verba, quæ vix unâ periodo orationis æquè rectè possint Græcè interpretari.* Et hunc fuisse modum vertendi veterum, observat Genebr. in Psal. 95, 10, *ut paucula obiter intercalarent, quæ inservirent perspicuitati Mysterii.* Sic sæpè præter Hebraicum contextum nonnulla de suo interponunt in Lege et Prophetis, ad locos obscuriores illuminandos, Jonathan et Onkelos : qui proindè non tàm Chaldaici translatores, quàm paraphrastæ appellantur. Hoc etiam frequenter apud Apostolos observatum, in citatione locorum Veteris Testamenti, non tàm verba quàm sensum respexisse : undè quædam verba mutare, non obstat fidelitati translatoris, si servetur ejusdem sensûs veritas. Imò verissimum est illud Serarii in Prolog. : *Optimum et nobilissimum modum interpretandi de linguâ in linguam esse, cùm ab auctoris mente nihil discedat interpres, sivè de verbo ad verbum transferat, sivè aliter, contractiùs, vel uberiùs, et paraphrasticè addendo vel demendo aliqua, prout primus auctor, habitâ rerum, personarum, et circumstantiarum ratione, fieri vult.* Cùm enim oratio mentis interpretatio sit, optimè quis alicujus orationem interpretatur, qui ejus mentem optimè, prout ille, personis atque circumstantiis omnibus exprimi curat. Ad Philonis verò testimonium, respondent Baronius et alii, et ex ipsis Philonis verbis probant nihil aliud ipsum voluisse nisi Interpretes ità vertisse, ut rebus significatis verba optimè congruerent, non ut omnia Hebræa Græcis quasi numerato responderent, sed ut verba et res ità congruerent, ut auctoris mens optimè exprimatur. Philonem verò aliud non sensisse, manifestè hinc constat, quòd ipse hanc versionem ubique sequatur ejusque loca citat, quæ cum Hebræo ad verbum non conveniunt, sed exemplaribus Græcis hodiernis plerùmque congruunt; et quam ipse descripserat versionem, eamdem suo tempore exstitisse existimavit. Quomodò itaque potuit existimare ipsos de verbo ad verbum vertisse, cùm contrarium ex ipsâ versione, quam quotidiè legebat, ipsi constabat? Addit alius, Philonem *more suo hyperbolicè et rhetoricè multa locutum fuisse.* Imò Hieronymus ipse Epist. dicta ad Pammach. de opt. gen. interpret. qui omnes in illâ versione errores illapsos notavit, sæpiùs testatur eos *non verba verbis, sed sententias sententiis* reddidisse : legerat utique ipse Aristæam et Philonem, nec tamen eo sensu eorum verba accipienda esse putavit. De discrepantiâ verò versionis Græcæ ab Hebr. ejusque causis, nolumus hoc loco plura dicere, cùm de sinceritate et auctoritate ejus agemus, de his latiùs disserturi.

De libris apocryhis, an eos transtulerint 70 prout hodiè exstant, meritò dubitatur. Existimat vir Rever. totius Veteris Testam. versionem factam fuisse post Ptol. Philometoris annum quartum, et antè Evergetis 38, idque probat ex additione quâdam ad calcem libri Estheris in Edit. Græcâ, ubi legimus : *Anno 4, regnantibus Ptolemæo et Cleopatrâ, attulisse Dositheum qui se sacerdotem esse Levitici generis ferebat, et filium ejus Ptolemæum, epistolam Phrurim. Ptolemæus* (inquit ille) *non fuit alius quàm Philometor, ut observat Pererius in* Dan. 13,

cujus et Cleopatræ uxoris ejus meminit Joseph. l. 2 contrà Appion. Hæc adfert vir Rev. ut probet editionem Græcam Veteris Test. non fuisse antè annum 4. Philometoris, qui secundùm computationem ejus erat antè Christum 177, cùm illa 70 (Pentateuchi solius, ut ipsi videtur) ex ejusdem calculo, fuerit anno 277. Infirmissima verò est hæc ratio, nisi simul probaret omnes libros apocryphos, et omnia eorum additamenta, simul cum Canonicis versos fuisse, quod nemo ipsi concesserit contrà illud quod totius Ecclesiæ Christianæ consensu unanimi stabilitum et testatum est. Deindè luce clarius est libros omnes apocryphos cum reliquis Canonicis versos non fuisse, cùm eorum quidam tunc temporis non exstiterint, sed longo post tempore scripti sint. Quis unquàm somniavit, Machabæorum libros tempore 70 scriptos, vel in Græcum sermonem traductos esse? De Ecclesiastico etiam ex ipsâ Siracidis præfatione liquet, librum hunc non à Septuag. sed ex Hebræo in Græcum fuisse conversum post annum 38 Evergetis. Machabæorum etiam libri post tempora Antiochi scripti sunt : quis verò indè argumentum ducet, ad probandum versionem Græcam post Antiochi tempora factam? Libri etiam apocriphi dicti, licèt apud Judæos Alexandrinos in usu, ab Hebræis tamen Hierosolymitanis, qui tantùm Hebraicos 22 agnoscunt, recepti nunquàm sunt in Canonem. Nec probabile est Eleazarum Pontificem, qui exemplar aureis litteris descriptum ad Philadelphum misit, libros dubiæ auctoritatis cum iis misisse. Incertum enim est an librorum istorum aliqui tunc temporis exstiterint, certum aliquos non exstitisse. Libri itaquè apocryphi, ut à variis auctoribus, ità variis temporibus scripti sunt, quidam Hebraicè, quidam Græcè ; et licèt apud Hellenistas primùm recepti fuerint, tempus tamen præcisè assignari non potest, quandò cum reliquis libris sacris in unum volumen compacti fuerint. Hoc tamen clarum est à Judæis Hellenistis cum reliquâ Scripturâ Ecclesiam eos recepisse. Etsi verò haud ità antiquam facimus eorum versionem, ut ad Sept. Seniores referri possint, non tamen iis assentimur, qui Theodotionem primùm eos in Græcam linguam vertisse dicunt. Vix enim credibile est Judæos, qui Græcam linguam meliùs quàm Hebræam plerique callebant, non habuisse hos libros, qui historiam suæ gentis complexi sunt, linguâ sibi notâ descriptos antè Theodotionem. Liber Ecclesiasticus etiam quibusdam antè Theodotionem seculis Græcè traductus erat : et Clemens Romanus in Epistolâ ad Corinth. auctoritatis indubitatæ, quam Patricius Junius ex tenebris, postquàm mille annos delituerat, ex MS. nostro Alexandrino in lucem produxit, loca quædam ex his libris Græcè profert, ut observat clariss. Grotius Epist. ad Gal. 154. Et Josephus (de quo multi dubitant, an linguæ Hebraicæ peritus fuerit), lib. contrà App. loca quædam ex his libris Græcè citat : ex quibus clarissimè constat antè Theodotionem hos libros Græcè exstitisse.

Codice Hebræo, puro, optimæque notæ, usos esse 70 Interpretes, quem curavit Eleazarus Pontifex ad regem mitti, tàm clarè tradunt Aristæus, Josephus, aliique veterum, ut nemo de hoc dubitaverit antè hoc ultimum sæculum quo omnia, quæ prioribus seculis certa erant et indubitata, in quæstionem vocàrunt homines sceptici et vertiginosi. Fingunt enim Neoterici quidam, ut Versionem Græcam nunquàm ullius pretii fuisse probent, contrà omnem historiæ fidem, omniumque Judæorum et Christianorum consensum, 70 Senes non Hebraicis, sed Syriacis, vel Chaldaicis, vel Samaritanis codicibus, iisque corruptis et plebeiis, usos fuisse in suâ translatione : undè causam reddunt, cur sæpè ab hodiernis Hebræis codicibus differat versio Græca, quia non ex puro fonte, et probatis codicibus, sed ex codicibus vulgaribus, qui in manibus plebis erant, eam extraxerint. Primus qui hoc figmentum propalavit, erat Guillel. Postellus, in Tab. 12 linguarum, vir certè linguarum scientiâ clarus, at senex Judaicis et Rabbinicis ineptiis miserè fascinatus, necnon erroribus periculosis contrà fidem Christianam, et fanaticis opinionibus mirè irretitus : quibus tamen (teste Spondano in continuatione suâ) antè mortem renunciavit. Hic primus asseruit *Septuaginta ex codicibus Samaritanis suam versionem confecisse.* Alii verò è contrà *Samaritanos ex Græcâ Versione Pentateuchum suum descripsisse* aiunt; in quam sententiam adducunt quidam Lud. de Dieu. in Matth. 19, 5, et Joh. Seldenum, in Mareclauso, p. 57, quorum tamen neuter hoc directè affirmavit. R. Azar. libro Meor Enajim. c. 8 et 9, paulò antè illum R. Gedalias, dicunt : *Post Esdræ reditum, Legem in linguam Chaldæam translatam fuisse, in gratiam vulgi, quòd linguæ Hebrææ tempore Captivitatis obliti, Chaldæam meliùs intelligerent, et hujus usus durâsset per totum tempus templi secundi. Sed quia carebant Masorâ, inter vulgus corruptam e. depravatam fuisse, et ex hoc depravato codice Chaldaico Septuaginta*

suam fecisse versionem : hanc esse causam discrepantiarum inter eam et Hebræum, licèt exemplari, quod secuti sunt, ad amussim respondeat. Contrà hanc sententiam tota clamat historia Versionis. 1° Demetrius ad Ptolemæum scribit : *Velim te scire, inter libros, quos adhuc desideramus, esse Judæorum leges. Hebraicis enim characteribus, et gentili eorum linguâ cùm scriptæ sint, à nobis intelligi non possunt.* Hic videmus codicem, quem Demetrius desiderabat, fuisse Hebræum, quem Syri vel Chaldæi intelligere non poterant : nam etsi affinitatem hæ linguæ habeant, diversæ tamen sunt, ut qui unam intelligit, non statim intelligat alteram. Exemplar etiam, quod ab Eleazaro missum est, non erat aliquod vulgare, sed *magnificum, eleganter descriptum aureis litteris, membranis cum commissuris adeò subtilibus* (teste Josepho) *ut oculorum aciem effugerent : quod rex non sine admiratione conspexit, et volumina sacra adoravit.* Quis verò credat Pontificem, tanto apparatu descriptum codicem, legatione publicâ, per tot viros scientiâ et probitate claros, ad regem potentissimum, sub quo tot Judæorum myriades vixerunt, corruptum, vulgarem, mille mendis scatentem, idque consultò, misisse? vel Eleazarum ità studiosè à Rege petiisse ut codicem talem remitteret cum ipsis Interpretibus? Testatur etiam historia, postquàm versionem absolverant Interpretes, non tantùm coràm Demetrio, sed et coràm Judæis, eorumque Senioribus, Sacerdotibus, totoque populo, lectam fuisse, discussam et approbatam; petitumque, ut si quis aliquid deesse vel additum esse deprehenderit, indicaret : aliàs ut rata maneret in perpetuum, neminique liceret aliquid de eâ mutare; cui omnes consenserunt, et anathematè devoverunt omnes, qui contrà irent. cAnn verò credibile est, si ex corrupto codice versio corrupta facta fuisset, neminem ex Judæis hoc deprehendisse, sed omnes in talem versionem, quæ ipsos falsarios esse convinceret, conspirâsse? Prætereà ex Talmude affirmant Judæi, loca 15 ab Interpretibus mutata esse in textu Hebraico (quàm verè hoc asserunt, hoc loco non disputo), ne quid impium aut indecorum rex in Lege suspicaretur. At quorsùm hic metus, hæc cura, si codicibus corruptis, Syriacis vel Samaritanis, regem fallere voluissent? Ex his itaque patet 70 ex Hebraicis fontibus versionem suam traduxisse, non verò ex turbidis rivulorum lacunis. Pro confictâ Azariæ narratione nullus adfertur testis, sed frivolæ quædam ratiunculæ, quas referre piget. Unam maximè urgent, quæ tamen nullius est momenti, quòd Philo scribat, 70 *ex Chaldæo in Græcum sermonem Legem transtulisse.* At omnibus notum est Philonem per Chaldæam Hebræam linguam intellexisse, ut ex libro de Abrahamo liquet, ubi nomina Hebraica *Henoch, Sara,* etc., explicans, modò Hebraica, modò Chaldaica vocat; et lib. 3 de vitâ Mosis, scribit de festo Paschali, quod vocant *Chaldæi Pascha*, quùm tamen libro de Decal. dicat quòd hoc festum Hebræi patriâ linguâ vocant *Pascha.* Sententiam itaque hanc, ut novam et falsam omninò, rejicimus; nec possum non mirari, virum doctum ejus patrocinium in se suscipere, ut eam *probabilem esse et nihil manifestò falsum in se continere* asserat, cùm manifestò falsum sit Interpretes Chaldaico vulgari, et non Hebraico codice usos esse, quo nihil falsius affirmari poterat. Nam, ut utar verbis D. Hottingeri, Exerc. Anti-Mor. sect. 43. *Quotquot historiam 70 Interpretum pertexuère (pertexuerunt autem eam Hebræi antiquiores, recentiores, Græci, Arabes, Christiani æquè ac Mustimini, Latini), ὁμοθυμαδὸν R. Azariæ reclamant docentque Biblia Græca versa esse non ex mendosis, situ et squalore obsitis, multò minùs sacrilegis plebis manibus dilaniatis et discerptis exemplaribus Chaldaicis, sed emendatissimo codice Hebræo.* Versionem hanc Græcam à Judæis olim receptam et approbatam fuisse, licèt ex dictis satis constet, quædam tamen ad hoc confirmandum adjicere placuit. Ex Aristæâ, Josepho, Philone, pro certo supponitur. Verba Aristææ sunt : *Cùm translatio illa approbata esset ab omnibus (* id est, principibus Judæorum, Sacerdotibus, et populo), *et decretum approbationis promulgatum, jussit Demetrius, ut Judæi pro eorum consuetudine imprecarentur, si quis addere, transferre, mutare, vel delere auderet quidquam ex iis quæ scripta sunt; cùmque universi hæc ritè explevissent, ut perennis illa sit semperque servetur, Judæos adjurant; quod se facturos cum maximo gaudio et plausu receperunt.* Hactenùs Aristæas : cui suffragantur Josephus, Philo, omnesque scriptores veteres. Cùm enim publicâ Pontificis summi et Synedrii auctoritate hæc versio adornata esset, non potuit non ab omnibus Judæis recipi et agnosci : undè postquam exemplaria indè descripta fuerint, in Synagogis publicè lecta et usurpata sunt. Testatur Jos. Scaliger Animadv. in Euseb. loc. cit., *per totam Asiam, Græciam et Ægyptum lectam fuisse in Synagogis.* Cui omnes concordant, qui ab ultimâ antiquitate, inter Hellenistas præ-

sertim, publicè et privatim, usurpatam fuisse testantur. Undè R. Azar., p. 26, scribit *confirmatam fuisse interpretationem Græcorum ab universo Israelitarum cœtu.* Idemque affirmat *Talmudicorum decreto sancitum fuisse, ut Lex solis Græcis litteris scriberetur. Non permiserunt scribere libros ullà linguâ, exceptâ Græcâ.* Hùc pertinet historia in Talm. Hiersol. Sota. c. 7, quam refert Buxtorf. Lex. Talm. p. 104, de quodam R. Levi, *qui Cæsareæ audiens eos legentes Græcè, vellet impedire; at R. Jose iratus est, dicens : Qui Hebraicè non potest legere, nùm omninò non leget? imò legat quàcumque linguâ, quam intelligit, et sic officio suo satisfaciet.* Talmud utrumque tract. Megillah. c. 1 historiam translationis refert, licèt mendaciis conspersam, ut suprà monuimus. Ubi dicunt *Magistros suos permisisse linguam Græcam, sed nonnisi pro libro Legis : undè ortum est opus Ptolemæi regis,* etc. Posteà referunt loca 13, quæ 70 aliter interpretati sunt, de quibus posteà. Idem testatur Tertull. Apologet. cap. 18.: *Judæi* (inquit) *palàm lectitant : Vectigalis libertas vulgò auditur sabbatis omnibus : qui audierit, inveniet Deum.* Ubi per *vectigalem* (ut omnes consentiunt) intelligit libertatem legendi et audiendi, quam omnes tributo redemerunt. His gemina habet Justin. 2 Apol. et Oratione ad Græcos Parænet. Imò Hierosolymis, apud Hellenistas, qui ibi vixerunt, in Synagogis suis Græcam versionem prælectam fuisse constat, tùm ex Act. 6, 1, ubi scriptum est, *fuisse murmur Hellenistarum adversùs Hebræos :* ubi *per Hebræos iidem quos Chrysost. in Act.* 6, *vocat* graves Hebræos, *intelliguntur, id est, Judæi, qui Bibliis Hebræis utebantur, oppositè ad Hellenistas, qui linguâ et Bibliis Græcis usi sunt ;* ut in notis suis ad Chrysost. Edit. Savil. ostendit Andræas Dunæus, sive Downes. Talem Alexandrinam Synagogam Hierosolymis fuisse, notatur in Glossâ ad cap. 11 Hesteris, et aliam Cæsareæ, in Talm. Hierosol. Undè Syrus Act. 9, 29, Ἑλληνιστὰς interpretatur *Judæos, qui noverunt Græcè ;* Chrysost. Œcumenius Theophilactus τοὺς Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους. *Horum plerique non intelligebant Hebraicè, quorum fuit et Philo, quanquàm judæus ex Judæis ortus.* Sic Grot. in Act. 6. Ex S. Luc. Evang. c. 4, v. 18, 19, colligunt viri haud indocti, Dominum in Synagogâ legisse ex versione Græcâ, verba quæ ibidem recenset Evangelista secundùm illam translationem, non secundùm textum Hebræum. Locus est Isai. 61, 1, ubi verba secundùm 70 ità reddit Lucas : *Spiritus Domini super me, propter quòd unxit me ; evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum.* Textus Hebraicus eumdem fundit sensum, sed verbis discrepantibus, quæ ità Latinè redduntur : *Spiritus Domini Dei mei super me: ideò unxit Dominus me ad pronunciandum mansuetis ; misit me ad alligandum contritos corde, ad prædicandum captivis libertatem, et vinctis apertionem carceris.* Hic videmus verba Evangelistæ ab hebræo textu differre: quæ tamèn cum interpretatione Græcâ exactè congruant. Undè videtur colligi posse, Dominum versionem Græcam in Synagogâ usurpâsse, quam posteà linguâ vernaculâ, Syriacâ, populo explicavit. Quicquid verò dicamus de codice ex quo Dominus hunc locum legit, certum est Evangelistam secundùm 70 ejus verba recitare ; et in Synagogis Judæorum, qui inter Græcos dispersi vixerint, Legem et Prophetas ex hâc versione singulis sabbatis lectos fuisse ut ex Act. 13, 15; et cap. 15, 21, quæ non de solis Judæis Judæam habitantibus, sed de omnibus per universum orbem dispersis dicuntur à Jacobo. Prætereà ex Josephi et Philonis libris Græcè scriptis constat ipsos Græcam versionem in Scripturis citandis sequi. Imò dictus Azarias dicit *hanc Versionem esse apud Judæos gloriam et ornamentum Israelis.* E contrà tamen videntur Judæorum multi hanc versionem vituperâsse et Hellenistas propter ejus usum odio prosecutos esse. Undè discordiam inter Hebræos et Hellenistas Act. 6, 1, licèt ex aliâ causâ profectam, ex Bibliorum tamen discrimine primò ortam, et posteà continuatam observârunt multi, quibus assentit Jos. Scal. qui ex Benjaminis Itinerario notat Alexandriæ duo fuisse Judæorum genera, Babyloniorum et Hellenistarum, quorum illi hos cane pejùs et angue oderunt, et per contemptum vocarunt : *Legentes barbarè*, et *legentes Ægyptiacè*, quia versio illa confecta fuit in Ægypto. Circà annum Christi 550, tempore Justiniani imperatoris, controversiam hanc magnâ animi contentione prosequebantur, dùm alii solum textum Hebræum publicè legi vellent, alii verò etiam versionem Græcam legendam censerent. Justinianus verò, ut litem dirimeret, Constitutionem edidit, quæ exstat Novel. 146, in quâ pro Hellenistis sententiam tulit : *Per has enim, quæ ad nos allatæ sunt interpretationes, didicimus, quòd quidam solum habentes Hebraicam vocem, et ipsâ uti in Sacrorum lectione librorum volunt ; alii verò Græcam editionem assumendam quoque esse arbitrantur, et per multum jamdudùm tempus hâc de re inter se contendunt. Nos igitur cùm hæc audierimus, meliores*

judicavimus esse eos, qui Græcam quoque editionem ad librorum sacrorum lectionem assumere volunt, et quamcumque linguam simpliciter, quam locus commodiorem et aptiorem audientibus facit. In hâc imperatoris constitutione observare licet cum Croio, observ. in Novum Test. cap. 31 : *Petiisse eos qui Græcæ editionis lectionem petebant, ut hujus lectio unà cum Hebræo textu simul conjungeretur : quod et Justiniani constitutio admittit.* Dein in Judæorum Calendario, octavo mensis Tebith, jejunium quotannis celebrandum indicitur, propter Legem Græcè translatam : et in aliis Judæorum libris, etiam antiquis, describuntur dies quibus se affligunt propter Legem translatam. Undè tenebras fingunt fuisse super universam terram per tres dies, et in Talm. tract. Sopherim dicitur *diem illum fuisse durum Israeli, sicut dies in quo factus est aureus vitulus.* Ad hæc verò respondetur jejunium hoc omnibus antiquioribus Judæis ignotum recentiorum Rabbinorum commentum esse, cui ansam fortè dedit traditio de 13 locis à 70 mutatis in Lege, ne regis animum offenderent. Quod verò ab uno Rabbino alicujus nominis semel traditur, statim reliqui arripiunt et mordicùs tuentur, quod ipsis solemne est. Licèt etiam hoc jejunium aliquandò celebratum fuisse non negaverim, hodiè tamen desiit, et in Calendariis vulgaribus omittitur, nec inter Judæorum festa et jejunia à Buxt. recensetur in Synagogâ Judaicâ. Videatur Joh. Morinus Exerc. Bibl. 8, c. 3. Originem verò hujus jejunii et Judæorum odii ergà hanc versionem cum Serario hanc fuisse arbitror : quòd ægrè ferrent Judæi, per eam gentes ad Christi fidem converti et in eâ nutriri; eamdemque in magno pretio fuisse apud veteris Ecclesiæ et Judæorum plurimos : hâc enim plerùmque usi sunt Apostoli in prædicatione suâ. Ob hanc causam nollent Rabbini ut in Synagogis legeretur : et licèt antè Christi tempora eam magni æstimabant, posteriores qui gentium ad fidem conversionem invidebant, omnibus modis deprimere conati sunt.

Ut in textu Hebræo tradunt Talmudici, 18 esse loca quæ ab iis *correctiones scribarum* vocantur, in quibus sapientes ipsorum à vero textûs sensu decessisse volunt; sic in versione Græcâ loca 13 memorant, quæ Sept. aliter de industriâ transtulerunt, ne Ptolemæi regis ethnici animum offenderent, vel occasionem scandali darent, vel pravæ cogitationis, aliqua in Lege sinistrè intelligendi. Hoc in utroque Talm. Tract. Megillah, et ab aliis Judæorum scriptoribus refertur; ipsaque loca in Talm. recensentur. Nec hoc ipsorum 70 consilium improbant, sed potiùs laudant, ut à causis gravissimis profectum; ex locorum verò inspectione patebit, pleraque cum textu Hebræo convenire, ejusque vel verba vel sensum referre, ità ut hæc observatio meritò inter fabulas Rabbinicas numerari possit. Gen. 1, 1, dicunt 70 transtulisse : Ὁ θεὸς ἐποίησεν Ἐν ἀρχῇ etc. non Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς, quod falsum est, cùm in omnibus exemplaribus Græcis, verba hoc ordine leguntur : Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς etc. Ratio verò R. Jacob est ridicula : *Ne* scilicet *putaret aliquis, Beresith esse nomen Dei, et sic viderentur duos deos introducere, quorum alter alterum creâsset.* Gen. 1, 26, volunt ipsos transtulisse : *Faciam hominem,* non : *Faciamus,* ne deorum pluralitatem introducere viderentur. Hoc verò est merum commentum Rabbinicum : nam verterunt 70 : ποιήσωμεν, *Faciamus,* ut omnia exemplaria testantur. Gen. 2, 2, ubi dicunt, 70 vertisse : *Et consummavit Deus die sexto opera sua, quæ fecit, et requievit die septimo;* cùm in Heb. sit : *Consummavit die septimo opera sua.* Et quidem verum est ità legi in græcis codicibus; ità etiam legunt codices Samaritani, omnesque antiqui scriptores; sensus verò idem est in utrâque lectione. At ratio R. Jacob, cur ità transtulerint, inter somnia Rabbinica referri potest : *Ne* scilicet *aliquis existimaret Deum laborâsse die sabbati.* Gen. 11, 7, verterunt : *Descendam,* pro *Descendamus.* At hoc aliter est in Græcâ; nam in plurali est : *Descendamus.* Genes. 18, 12, de Sarâ dicitur, secundùm 70, *ipsam risisse cum propinquis suis*; at secundùm Heb. *in seipsâ.* At et hoc est commentum Talmudicum; nam apud 70 est *in seipsâ.* Gen. 49, 6, ubi vertunt : *Occiderunt taurum,* quod in Heb. est : *Suffoderunt murum.* At verba Hebr. utroque modo reddi possunt; et ità præter Septuaginta reddiderunt etiam Forsterus, Cajetanus, et plerique interpretes Judæi. Exod. 4, 20, dicunt, 70 vertisse : *super id quod gestat filios hominum,* pro : *suprà asinum.* Sensus idem est : tamen transferunt 70 *super subjugalia, sive jumenta.* Exod. 12, 40, rèddunt 70 : *Habitatio filiorum Israel, qui habitaverunt in Ægypto, et in terrâ Chanaan* (vel ut est in Talmude, *in reliquis terris*), *annorum fuit quadringentorum triginta;* cùm tamen in Hebræo sit : *Habitatio filiorum Israel, qui habitaverunt in Ægypto, fuit quadringentorum et triginta annorum.* Est quidem hic locus princeps, quem aliter reddidère 70 ac in textu Hebræo; et certum est Israelitas in Ægypto

commoratos esse tantùm 210 annos, et ad complendum numerum 430, includi debere annos à peregrinatione Abrahami in terrâ Chanaan, quomodò plerique hunc locum exponunt. At hinc non probatur 70 hunc locum de industriâ immutâsse, sed vel codices Hebræos olim in hoc variâsse (quod multi opinantur, nam codex Samarit. ità legit, ut 70), vel 70 hæc verba (*et in terrâ Chanaan*) addidisse explicationis causâ, prout in pluribus aliis locis ob eamdem causam verba quædam addunt, quæ in textu Hebræo non leguntur. Exod. 24, 11, dicunt ipsos reddidisse : *Et ad minimos filiorum Israel non misit manum suam;* cùm in Hebr. sit : *Et ad principes filiorum Israel non misit manum suam.* At et hic nugantur : nam 70 verterunt : *Electorum*, id est, *nobilium* sive *principum non dissonuit unus.* Lev. 11, 5, dicunt 70 transtulisse שפן pro *lepore*, δασύποδα, *parvum pedibus*, quia Ptolemæi uxor appellata erat, λαγὸς, ne viderentur ipsam irrisisse, cùm ejus nomen inter animalia immunda poneretur. At delirant : nam δασυπους non *parvum pedibus*, sed *hirsutum pedibus* propriè significat, à δασὺς, hirsutus, et tàm δασύπους quàm שפן generaliter significant tàm *leporem* quàm *cuniculum :* nec ullibi constat Ptolemæi uxorem nominatam fuisse *lagos.* Fortassè aliquid audierant de Ptolemæo Lago, Philadelphi avo, quod ineptè retulêre ad Philadelphi uxorem. Num. 16, 25, vertunt 70 : *Nihil desiderabile ab iis accepi,* cùm in Hebr. sit : *Non asinum ab iis accepi.* Ità legit codex Samaritanus (*desiderabile*). Aliàs dici possit ipsos in genere expressisse, quod in Hebræo per *asinum* in particulari exprimitur. Sensus enim idem est in utrisque, se nihil ab iis accepisse, ne quidem asellum. Deut. 4, 19, affirmant, 70 addidisse textui Hebræo : *Ut lucerent omnibus populis.* Sed et hoc ejusdem commatis est cum prioribus : nam verba ista non habentur apud 70. Deut, 17, 3, dicunt, 70 hæc verba omisisse : *Et adoret eos, et soli et omni militiæ cœlorum serviat.* Sed hoc à vero abest : nam hæc verba habentur apud 70. Videmus itaque mutationes istas, exceptis duabus vel tribus, omnes confictas esse : undè est, quòd apud Josephum et Philonem, qui translationem istam fusè descripserunt, nulla sit earum mentio. In Rabbinorum itaque cerebris natæ.

Ut verò Judæi fingunt 70 quædam de industriâ mutâsse in locis istis, ità scriptorum Christianorum veterum multi, et recentiorum non pauci, idem de aliis locis per eosdem omisis, vel aliter versis quàm in Hebr. leguntur, tradunt, cùm de mysteriis fidei, ut de Trinitate, de Incarnatione Christi, ejusque Deitate, Regno, etc., agitur, ne scilicet mysteria fidei ethnicis deridenda proponerent : idcircò noluerunt *sancta dare canibus.* Hinc Hieron. Præf. in Pent.: *Ubicumque testatur Scriptura de Patre et Filio et Sp. S., aut aliter interpretati sunt, aut omninò tacuerunt, ut et regi satisfacerent, et arcanum fidei non vulgarent.* Idem habet Præf. in Isaiam : *Conjicio tunc temporis noluisse 70 Interpretes fidei suæ Sacramenta ethnicis perspicuè prodere, ne sanctum canibus et margaritas porcis darent.* Sic et in Tradit. Hebr. in Genes. Sic August. de Civit. l. 18, 42, 44. Inter recentiores Sixtus Senens. Biblioth. lib. 4; Bonfrer. Præloq. c. 16 sect. 6. De his verò Patrum dictis sentio cum Bellar. l. 2 de Verbo Dei, c. 6 : *Patres istos piè quæsivisse rationes excusandi, et defendendi istam versionem, quâ tunc Ecclesia usa est, potiùs quàm Interpretes ex hâc causâ aliter vertisse.* Septuaginta itaque non ob hanc causam aliquid aliter verterunt quàm legerunt in Textu Heb.; sed discrepantiæ quæ inveniuntur ab aliis causis fluxêre : de quibus quædam in superioribus diximus, plura in sequentibus dicturi.

Hisce, quæ hactenùs historicè de versione hâc protulimus, subnectenda quædam quæ ad illustrationem ejus spectant, id est de aliis versionibus Græcis, à quibus, et quandò confectæ; et de aliis editionibus versionis 70 à veteribus vel recentioribus elaboratis. Quod ad alias versiones attinet, primò quæritur an præter illam 70 alia Græcè facta fuerit antè Christum. Hic verò non agam de illâ quæstione, an 70 Pentateuchum tantùm verterint, an totum Vetus Testamentum, cùm de hâc jam dictum sit, sed an totum Vetus Testamentum post Philadelphi tempora in sermonem Græcum conversum sit. Etsi enim Judæorum plerique, et nostrorum nonnulli statuant tantùm quinque libros Mosis à 70 translatos esse, aliam tamen totius Veteris Testamenti versionem post illam 70 factam fuisse antè Christi tempora, vix aliquis est qui affirmaverit, unico excepto, qui libro de hoc argumento nuper edito, inter alia contendit : *Veterem illam* 70 (quam Pentateuchi tantùm fuisse affirmat) *periisse funditus, aliamque, quæ hodiè exstat, post annum quartum Philometoris,* à nescio quibus, *confectam fuisse : quam in templum suum Heliopolitanum Onias Pontifex, qui illud construxit, primùm introduxit.* Etsi verò à viro longè doctissimo hæc

dicantur, cùm tamen nullo, ne unico veterum testimonio suffulta sit hæc sententia, nec probationem ullam præter nudum (*videtur*) adferat ejus auctor; imò contrà omnes qui de versione 70 quicquam nobis scriptum reliquerunt noviter inventa sit, per nudum (*non videtur*) satis refellitur. Qui enim contrà omnium veterum sententiam (etiam eorum qui propè ipsa tempora, quibus illud, de quo controvertitur, factum erat) scripserunt, aliquid proferre audent, non nudas conjecturas, sed apertissimas rationes adferre debent, quibus nemo contradicere potest; aliàs apud omnes qui vel micam judicii habent, oleam operamque perdunt. De hoc verò plura dicemus, cùm ad quæstionem illam deveniemus, an antiqua illa Græca versio 70 Seniorum adhuc supersit, et eadem sit cum illâ quæ hodiè exstat. Hic quædam subjungam quæ ad historiam elucidandam conferre possunt. Primò, certum esse autographon ipsum 70 Seniorum in Ptolemæi bibliothecâ repositum fuisse, ibique mansisse suprà annos 200, usquè ad Julii Cæsaris tempora, quandò annis antè natum Christum circà 48, bello priori Alexandrino à Cæsare gesto, ex militum seditione, bibliotheca illa celeberrima conflagratione periit, libris tamen quibusdam (ut quidam asserunt) è flammis ereptis, inter quos fortassè fuit illud 70 Seniorum αὐτόγραφον, cùm affirment Tertull. Justin. Mart. et Chrysost., illud suis temporibus in Serapeo exstitisse. Secundò, nec minùs certum est versionem hanc in Judæorum manibus, præsertim Hellenistarum, fuisse, et in Synagogis cum textu Hebræo, vel sine eo publicè prælectam fuisse. Nam ex Aristæà et Josepho liquet Judæos Alexandrinos ex ipso αὐτογράφῳ exemplaria descripsisse, permissu Demetrii; disertè etiam legitur, Act. 15, 21, *Mosem ab antiquis temporibus habuisse, qui ipsum prædicârunt in Synagogis singulis sabbatis*, ab antiquis temporibus. Et ex Act. 13, 15, constat *Mosem et Prophetas publicè in Synagogis lectos fuisse:* quòd de Græcâ versione apud Hellenistas Antiochenses intelligi debere fatetur Rev. Usser. Syntag. cap 3, pag. 24, qui et hæc addit, *Græcos hos libros à Judæis ubiquè lectos fuisse.* Et adducit testimonia à nobis suprà allata, Just. Mart. et Tertull. et narrationem illam quam suprà dedimus, ex Gemarâ Hieros. tract. Sota, c. 7. Tertiò, post Ptolemæi bibliothecam incensam, novam eodem loco construxisse Cleopatram, testatur Epiphanius, de Pond. et Mensuris, quæ prioris filia dicebatur: quam libris undiquè conquisitis instruxit, ut priorem referret. Undè apud Plutarch. legitur in vitâ Antonii, hoc *contrà Antonium objectum fuisse, quòd Cleopatræ donâsset bibliothecas quæ Pergami erant, in quibus essent ducenta millia librorum simplicium:* quos probabile est, eam in hâc suâ novâ bibliothecâ collocâsse. Locus verò hujus bibliothecæ erat Serapidis templum, vel ejus saltem porticus quædam, testibus Tertull. dicto Apol. cap. 18, et Chrysostom. Orat. contrà Judaisantes, tom. 6 Edit. Savil. pag. 373, qui affirmant αὐτογραφον versionis Græcæ suis temporibus in Serapeo fuisse. Sive verò ipsum αὐτόγραγον ibi servatum fuerit, sive non, certum est exemplaria, tàm Græca quàm Hebraica, in hâc bibliothecâ reposita esse; nec dubitari potest quin optima et maximè castigata exemplaria pro hoc celeberrimo librorum repositorio eos comparâsse. Et cùm fateatur Usser. Syntag. c. 3, p. 25, *Christi et Apostolorum temporibus, in privatorum manibus post incensam Philadelphi bibliothecam, veteris illius 70 Seniorum versionis adhuc exemplaria exstitisse, quorum admirandam cum textu originali consonantiam à Philone prædicatam suprà* ostenderat, quis ambigere potest, si genuina exemplaria tunc exstitissent, quin in hâc splendidâ librorum officinâ servata fuerint? Nemo enim sanæ mentis, corrupta et vitiata exemplaria, quæque ipse talia esse noverat, tanto studio, præsertim in usum publicum, comparare vellet; cùm pura et genuina, quæque ipse omnesque alii pro talibus habuêre, parabilia essent: undè ex his necessariò sequitur, vera et genuina primævæ versionis exemplaria 70 in Cleopatræ bibliothecâ posita fuisse, annis circiter 48 antè Christum. Nec valet objectio Baronii, *non potuisse Chrysostomum vel per somnium cogitare, ipsum autographon Græcum in Serapidis templo servatum fuisse: cùm constet, anno secundo Commodi, Serapidis templum conflagrâsse, et antequàm Chrysostomus ea scriberet, sub Theodosio seniore funditùs dirutum esse.* Respondet enim Usser. eodem cap. 3, pag. 33: *Etsi à Serapidis templo non abstinuerit ignis, totum tamen templum non fuisse absumptum, sed porticus saltem illas, in quibus erat bibliotheca, superstites fuisse relictas, ex Tertull. testimonio citato manifestissimum est. Et de templis Alexandrinis suo tempore exstantibus agens Ammianus Marcellinus lib. 22, inter ea eminere Serapeum scribit, in quo bibliothecæ fuerant inæstimabiles. Serapeum verò jussu Thèodosii anno æræ Christianæ 380, cum reliquis Ægypti templis idolorum cultui dicatis, excisum est; libris quoque direptis, ut ex Orosio*

constat, qui et eorum armaria exinanita ipse se vidisse testatur; Chrysostomum verò orationem istam habuisse, cùm diaconus esset, antè annum 386, quod ex variis auctoribus idem Usserius ostendit.

Nulla itaque exstitit alia antè Christum Versio Græca præter illam 70 : post Christum verò, seculo secundo et tertio, variæ fuerunt Græcæ ex Hebræo fonte traductæ, ex quibus Tetrapla, Hexapla, et Octapla sua contexuit Origenes, quarum nulla ab Ecclesiâ publicè probata fuit, at in privatis doctorum manibus exstiterunt qui in commentariis et expositionibus suis iis usi sunt : undè est quòd omnes perierint, nec de iis aliquid hodiè exstat præter fragmenta, quæ in scriptorum veterum libris hìc illìc dispersa reperiuntur; quæ, quantùm per industriam virorum doctorum fieri potuit, in unum collecta dedit Montefalconius. Sola illa 70, ut quæ in usu publico erat, tàm in Synagogis quàm Ecclesiis, et adhùc sola in Ecclesiis Græcorum legitur, hodiè mansit. Prima post Christum fuit Aquilæ, gente Pontici, urbe Synopæi, quem malè confundunt quidam cum Onkeloso, paraphraste Chaldæo. Aquila enim longè post urbis excidium vixit, et sub Adriano imperatore versionem suam fecit, circà annum Christi 130, teste Epiphanio, de Pond. et Mens. Onkelosum verò antè calamitatem istam mortuum esse plerique affirmant. Fuit verò Aquila proselytus, ex Christiano factus Judæus, et Rab. Akibæ, Christiani nominis hostis infensissimi, discipulus; qui, teste Hieronymo ad Pammach. c. 4, et Comment. in Isai. 8, *Biblia in Græcam linguam contentiosè transtulit, qui non solùm verba, sed etymologias verborum transferre conatus est: undè jure projicitur à nobis. Quis enim pro frumento, et vino, et oleo posset vel legere vel intelligere* χεῦμα, ὀπωρισμόν, σιλβότητα *quod nos possumus dicere, fusionem, pomationem et splendorem? Alibi ineptè vertit pro sole, calorem; pro Lunâ, album.* Hic gentilis primò, posteà ad fidem conversus, cùm astrologiæ et genethliacæ nimiùm deditus esset, et post monitionem non resipiscens ejectus esset ex Ecclesiâ, à fide Christianâ deficiens fit apostata Judæus; et cùm linguam Hebræam didicerat, interpretationem Græcam aggressus est, in quâ ex odio Christianæ religionis testimonia de Christo, quantùm potuit, pervertit et corrupit, teste Epiph. loco citato. Hieronymus tamen, licèt ipsum *Judæum* vocet in Habac. 3, alibi collaudat, ut *verborum Hebræorum Interpretem diligentissimum*, Epist. ad Marcellam, quæ est 138. Et in Hos. 2, vocat *curiosum et diligentem interpretem;* et Epist. 125 ad Damasum, q. 2, dicit : *Aquilam non contentiosiùs, ut quidam putant, sed studiosiùs verbum interpretari ad verbum.* Aug. etiam de Civ. lib. 15, cap. 23, affirmat *Judæos Aquilam interpretem cæteris anteferre* ; et teste Hieronymo in Ezech. 3, *versionem ejus secundam dixerunt esse* κατ' ἀκρίβειαν. Secunda erat Symmachi sub Severo imperatore, testibus eodem Epiphanio et Athanasio in Synopsi. Alii verò non sub Severo, sed sub Lucio Vero Symmachum transtulisse volunt : undè eum antè Theodotionem ponunt, qui sub Commodo scripsit. Ideò mendum suspicantur in Epiphanio, Severo pro Lucio Vero per errorem scribæ posito, quod tamen legenti Epiphanium vix probabile videbitur. Fuit Symmachus natione Samaritanus, posteà Judæus et circumcisus, deindè Christianus, postremò Ebionita hæreticus, ut ex Epiphanio liquet. Undè Hieron. Præf. priore in Job, vocat Symmachum et Theodotionem *Judaisantes hæreticos :* alibi etiam ipsum laudat, quòd *non verbum è verbo, ut Aquila, sed sensum ex sensu expressit.* Tertia erat Theodotionis, qui Commodo imperante suam conflavit, testibus iisdem Epiphan. et Ath. Multùm enim errant, qui Theodotionem eumdem esse dicunt cum Jonathane, paraphraste Chaldæo, cùm inter eos intercesserint anni plus minùs 200. Hic natione Ponticus, vel, ut alii, Ephesius, postquàm ad fidem conversus erat, ad Ebionis et Marcionis hæreses prolapsus, tandem proselytus et apostolata Judæus factus est. Undè ab Hieron. Procem. ad Danielem, vocatur *incredulus et Ebionita:* et Epist. 89 ad August. *homo Judæus et blasphemus.* Hic tamen, quia medium inter Aquilam et Symmachum, et temperatum scribendi genus ex utroque mixtum expressit, teste Hieron. Præf. ad Evangel. ad Damasum, et Præf. priore in Job, cæteris prælatus est, tùm apud Origenem in Hexaplis, qui quæ in 70 deerant ex Hebræo, supplevit ex Theodotione (undè et Epiphan. libro dicto, illum plerumque cum 70 consensisse scribit), tùm ab Hieron. qui in Psalmorum libro à se emendato obelis et asteriscis appositis, Theodotionem in emendatione 70 secutus est; tùm ab Ecclesiâ, quæ Danielem ex Theodotionis versione Græcâ publicè legit. De Aquilâ etiam et Symmacho notandum, utrosque duas versiones confecisse, ut ex Hieronymo patet. De Aquilâ, in Ezech. 3, 5, 8, 16 et 40, et in cap. 8, 20, 40, ubi utriusque ejus versionis discrepantias no-

tat, et sæpè posteriorem priori præfert. De Symmacho idem affirmat in Jer. cap. 32, ubi utriusque varietatem notat, et Nah. cap. 3. De auctoritate vel usu harum versionum si quis quærat, respondeo quòd in iis quæ ad Christum et Christianæ Religionis mysteria spectant, et de iis vaticinia, nullam fidem merentur, cùm ex odio Christianæ Religionis factæ fuerint, ut ex dictis patet. Undè ab Hieronymo *Judaisantes hæretici* dicuntur, *qui multa mysteria Salvatoris subdolâ interpretatione celârunt*, Præf. priore in Job. In reliquis, ut ex iis quæ supersunt fragmentis liquet, ad verum sensum eliciendum, et versionis 70 sinceritatem demonstrandam, non parùm prosunt: undè ab Origene in Hexaplis descriptæ, et ab Hieronymo in Commentariis, aliisque veteribus scriptoribus Ecclesiasticis sæpiùs citatæ. Hieronymus etiam tùm in versione ejus Latinâ, tùm alibi, cùm à 70 discedit, eos pro se adfert, et, ut suprà indicavimus, sæpè laudat.

Præter has tres, duas alias ab Origene fortè inventas legimus, circà idem tempus quo Symmachus suam confecit, ut ex Epiphan. Hieron. Eusebio et aliis habemus: quas, quia auctores incerti essent, *Quintam et Sextam* appellârunt. Illam reperit in nescio quibusdam doliis, anno septimo Caracallæ, Hierichunte (undè *Hierichuntina* dicta), teste eodem Epiphanio, licèt Athanasius inventam Pythis, et Hierichunte scriptam asserat. Hæc, quæ et Quinta ab Origene dicebatur, teste Hieronymo, quia fortassè antè Sextam inventa, Nicopoli, ad Actium promontorium, tempore Alexandri Mammææ, reperta; quam tamen Athanasius inventam vult Pythis, ut priorem, Nicopoli verò confectam. Harum auctores licèt ignoti fuerint, quidam tamen Judæos fuisse volunt, ut Hieronym. lib. 2 contrà Ruffin. alii utrosque putant Christianos fuisse. Quintam enim commendat Athanas. in Synopsi, ut à quodam qui Hierosolymis orationibus vacaverat, compositam; utramque Hieronym. in Habac., quòd locum de Christo benè explicâssent. In Sextâ etiam *Jesus Christus* nominatur, ut Salvator mundi. Meminit etiam Hieronym. in Habac. 2, præter Quintam, duarum editionum, quæ erant 12 Prophetarum: et cap. 3 in Tit., præter Quintam et Sextam, meminit etiam Septimæ editionis, *quæ omnes sine nominibus auctoritatem consecutæ sunt*. Et in Catal. scriptorum Ecclesiast. dicit: *Originem 5, 6 et 7 editiones, quas ipse ex ejus bibliothecâ habuit, miro labore reperiisse, et cum cæteris editionibus contulisse*. Euseb. etiam Hist. lib. 6, 12, Septimæ hujus editionis meminit. Hanc tamen Septimam editionem, non novam aliquam versionem fuisse constat, sed Luciani editionem, cùm qui editiones numerârunt, Epiphan., Athanas., Theodoret. et alii, aliam Septimam non agnoscant, præter illam Luciani martyris, imò tam Euseb. quàm Hieron. Apol. 2 contrà Ruffin.; licèt Septimam enumerent, alibi tamen sex tantùm memorant in Hexaplis vel Octaplis descriptas fuisse; imò suspicantur nonnulli talem fuisse qualis Lucianea, Quintam illam apud August. lib. 17 de Civit. quamque Isidorus lib. 7, *Vulgarem* vocat; in quâ etiam habebantur libri post 70 scripti, scil. Ecclesiastici et Machab. Undè Joh. Morinus Præf. ad Bibl. 70, quænam illa Septima fuerit divinandum relinquit, et Flam. nobil. Præf. ad Latinam editionem Romanam 70, dicit: *In vetustis scholiis Quintæ duntaxat et Sextæ mentionem fieri, nec ferè Græcos aliam Septimam agnoscere præter Luciani, qui ætate inferior erat Origene, interpretationem*. De Quintâ, Sextâ et hâc Septimâ, si talis aliqua fuerit præter Lucianeam dubitant nonnulli, an fuerint totius Veteris Test. an solorum librorum qui Hebraicè metricè compositi dicuntur, scilicet Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastis et Cantici Salomonis, unà cum 12 minoribus Prophetis; idque non sine causâ, ut ex Hieron. verbis suprà adductis probabile videtur. Sixtus Senens. Biblioth. lib 4, aliorum versionum meminit Hebr. Græc. quas fecerunt Eusebius et Patroclus; quod probare studet ex Socr. l. 1 Hist., et Sozom. lib. 2, c. 6, cùm nihil aliud ibi dicatur, quàm Eusebium Emissenum Scripturæ intelligentiam à Patrophilo et Eusebio Cæsariensi hausisse, dùm libros sacros explicarent.

Alias Versiones Græcas præter dictas non reperimus. Editionum tamen versionis 70 plurium mentio apud veteres ubique occurrit, ut Origenis, Luciani Martyris, Hesychii, Eusebii, Pamphili; quas quidem per errorem pro novis versionibus habuère, cùm tantùm veteris versionibus recensiores fuerint. Nemo enim Christianorum post 70 antè Hieron. novam ex Hebræo versionem Græcam tentavit (1).

Prima erat Origenis, quem propter magnos labores *Adamantium* vocarunt, et ob multiplicem doctrinam, post Apostolos *Ecclesiarum magistrum* dixerunt veteres; quod *neminem, nisi ignorantem negare posse*, affirmavit Hieronymus. Hic cùm in editionem quæ tunc *Vulgata*

(1) Eratne Christianus Sextæ versionis auctor qui, ut suprà vidimus, Jesum Christum tanquàm mundi Salvatorem prædicat?

et Communis dicebatur, errata quædam irrepsisse advertisset, ex Alexandrinâ bibliothecâ, ubi genuinum Cleopatræ exemplar (et ut quidam sentiunt, Ptolemæi autographon) asservatum erat, versionem Græcam 70 descripsit, et collatis plurimis optimisque exemplaribus, magno labore, puram Septuaginta editionem exhibuit : in quâ nihil ad textum Græcum adjecit, nihil ademit, sed quantùm potuit, ab omni corruptelâ et mixturâ puram, et integritati suæ restitutam vindicavit ; quam in Tetraplis et Hexaplis posuit : et hæc ab omnibus veteribus pro sincerâ et genuinâ (etiam ab ipso Hieronymo) semper agnita fuit. Et ut ex aliorum versionum collatione plùs utilitatis ad Ecclesiam redundaret, primò tres illas, Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis, unà cum illâ 70, per columnas singulis paginis disposuit, ità ut uno intuitu lector omnes conspiceret, easque conferre posset : quæ volumina propter quatuor columnas, et versiones, *Tetrapla* appelavit. In Threnis tamen, teste Origene in Cateno Græco, editio Aquilæ et Theodotionis nusquàm apparet, sed solius Symmachi et 70. Postquàm etiam linguæ Hebraicæ cognitionem assecutus esset, textum Heb. characteribus tùm Hebræis tùm Græcis addidit : undè *Hexapla* nominata. Tandem post repertam Quintam et Sextam versionem, et ipsas cum reliquis disposuit, et *Octapla* nominavit. Hoc ejus opus ità omnibus probatum erat, ut *opus Ecclesiæ* nominaretur, propter multiplicem ejus usum, quod olim præstabat, et adhuc, si exstaret, præstaret. Nam ex illo, textus Veteris Testamenti, ejusque sensus verus illustrari, et sinceritas demonstrari posset; multæque controversiæ hodiernæ, de ejus integritate, ut et de litteris, punctis vocalibus, verâ lectione, et rectâ pronunciatione, determinari possent. Undè inexcusabilis est Græcorum negligentia, qui nobilissimum, et incomparabilem hunc thesaurum amiserunt. De his suis laboribus ità scribit Orig. tract. 8 in Matth. : *In Veteris Test. exemplaribus, quæcumque fuerunt inconsonantia, Deo præstante, coaptare potuimus, utentes judicio cæterarum editionum. Ea enim quæ videbantur apud* 70 *dubia esse propter dissonantiam exemplarium, facientes judicium ex editionibus reliquis, convenientiâ servavimus,* etc. Idem in Epistolâ ad Africanum hæc habet : *Excussi omnes omnium editiones et omnes varietates, ut collatâ varietate translationum, intelligerem* 70 *translationem et illius sensus sacros eruerem. Non enim fuit consilium cudere quicquam, quod discreparet à Scripturâ in Ecclesiâ Catholicâ receptâ, neque volui ansam dare iis qui quærunt occasiones, ut res receptissimas cavillentur, et communem sententiam Ecclesiæ Catholicæ damnent.* Hic videmus quantam diligentiam et cautelam adhibuit in conferendis exemplaribus, et quantùm à novandi studio abfuerit, ne quicquam mutaret, quod ab Ecclesiâ Catholicâ receptum erat. De hoc præclaro opere ità scribit Ruffin. lib. 6 Historiæ Eusebianæ à se Latinè redditæ, cap. 13 : *Famosissimos illos codices primus composuit Origenes, in quibus per singulas columnulas è regione separatim opus Interpretis uniuscujusque descripsit, ità ut primò omnium, ipsa Hebræa verba Hebraicis litteris poneret, secundò in loco per ordinem Græcis litteris è regione Hebræa verba describeret, tertiam Aquilæ editionem adjungeret, quartam Symmachi, quintam* 70 *Interpretum, quæ nostra est, sextam Theodotionis collocaret : et propter ejusmodi compositionem exemplaria ipsa nominavit Hexapla.* Hieronymus paulò pleniùs in cap. 3 Epist. ad Titum : *Nobis* (inquit) *curæ fuit omnes veteres Legis libros, quæ vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Cæsariensi bibliothecâ descriptos ex ipsis authenticis emendare. In quibus et ipsa Hebræa propriis suis characteribus verba descripta, et Græcis litteris, tramite è vicino ; Aquila item et Symmachus, Septuaginta et Theodotion suum ordinem tenent. Nonnulli verò libri, et maximè hi qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent, quas Quintam et Sextam et Septimam translationem vocant auctoritatem sine nominibus consecutas. Hoc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit.*

Idem Origenes, cùm omnium non esset magna hæc volumina comparare, aliam editionem elaboravit solius versionis 70, cui asteriscos et obelos apposuit. Quæ enim in textu Hebræo erant, et in Græco deerant, supplevit ex Theodotione plerùmque, ut qui præ reliquis propiùs ad versionem 70 accederet, apposito asterisco, ne additamentum hoc contextu 70 confunderetur; quæ verò in Græco erant, et non in Hebræo, non expunxit nec delevit, sed obelo notavit, non ut quicquam in textu 70 mutaret ; nam in dictâ Epistolâ ad Jul. African. sic scribit : *Quædam notavimus quasi non posita in Hebræo, non audentes ea auferre ; quædam autem cum asteriscis addidimus, ut sit manifestum, quoniam quæ non fuerunt posita apud* 70 *ex editionibus cæteris addidimus convenienter Hebræo.* Rationem hanc reddit Epiphan. de Pond. et Mens. *ut Judæi faciliùs à Christianis revincerentur, qui ubique Christianis exprobrârunt, aliter esse in Hebræo textu quàm in eorum*

Græcâ versione, et ut Judæorum interpretationum impostura meliùs patesceret. Et hæc editio, ut facilè parabilis, in omnium manibus statim erat; et, teste August., *omnes bibliothecas implevit.* In neutrâ tamen editione mutationem ullam in textu Græco fecit Origenes. Undè Ruffin. Invect. secundâ dicit : *Origenem neque verbum aliquod de suo inseruisse, neque nostrorum exemplarium fidem fecisse in aliquo vacillare.* Et Aug. de Civit. l. 18, c. 43, et lib. 16, c. 14, dicit : *Mysterio non carere, quòd 70 Interpretes in plurimis, quæ diversa dicere viderentur, ex Hebræo emendare ausus est nemo.* Observat tamen vir doctiss. ex Schol. Græc. in 1 Reg. 15, 42 : *Origenem in hâc editione non solùm quæ in Hebræo, sed et quæ in Theodotione ampliùs repererat adjecisse, et asterisco (licèt in Hebræo non essent) prænotâsse ; at hoc rarissimum.*

Quod ad ordinem attinet, quem in versionibus disponendis servavit Origenes, licèt res sit haud magni momenti, hoc ex Hieron. Ruffino, locis citatis, aliisque notare licet, in Tetraplis primò positam esse versionem 70, at in Hexaplis non immediatè post textum Hebræum, sed in medio positam fuisse post Symmachum ; adeò ut primum locum inter Interpretes teneret Aquila, secundum Symmachus, tertium 70 Interpret., quartum Theodotion, post quem erant Quinta, Sexta, et fortassè Septima : adeò ut versio 70 medium locum occupaverit, tanquàm reliquarum norma et regula, per quam probari debeant (1). De versione 70 quæstionem nuper movit vir longè doctissimus, annon duplex fuerit in Origenis Hexaplis? et concludit, *præter accuratam illam et puram, quam agnoverunt Hieron. et alii, fuisse etiam aliam, quam Vulgatam vocat, et pro corruptâ habet, obelis et asteriscis notatam.* Undè Hexapla dicta vult, *non à sex columnis, sed à sex versionibus.* Hoc verò repugnat omnibus veteribus, ut ex verbis Origenis, Ruffini, Hieronymi, Eusebii, etc., suprà adductis manifestum est, qui de versione 70 in Hexaplis, ut de unicâ, semper loquuntur; nec Hexapla dicta volunt à sex editionibus, sed à sex columnis; Hebraica in duas divisa, quarum una Hebraicis, altera Græcis litteris erat descripta, quæ cum quatuor versionibus Græcis numerum sex conficiebant. Conficta planè est illa duplicis in Hexaplis 70 editionis distinctio, ne quis hodiernam Græcam editionem eamdem esse cum illâ veterum in Hexaplis agnosceret. Optimè enim novit vir ille in veterum monumentis versatus, negari non posse versionem Græcam, quæ hodiè exstat, eamdem esse cum illâ in Hexaplis, quam tantoperè celebrârunt veteres : idcircò, ut ejus auctoritatem deprimeret, contrà apertissima veterum testimonia et rationes clarissimas asseruit, præter illam quam omnes pro sincerâ in Hexaplis habebant, fuisse etiam aliam in iisdem Hexaplis, corruptam licet et depravatam, quæ cum hodiernâ convenit. Sed de hoc plura dicemus, in quæstione illâ an versio illa 70 adhùc exstet? Hic notare sufficit, Hieronymum huic sententiæ apertè contradicere. Nam in Epistolâ ad Suniam et Fretelam, editionem Vulgatam distinguit ab eâ quæ in Hexaplis erat, quam puram et immaculatam judicat : nec possunt ejus verba aliter exponi quàm de unicâ 70 versione, quæ erat in Hexaplis. Nec aliis opus est testimoniis, cùm ex specimine dicto, ex antiquiss. MS. Barb. ex Hexaplis descripto, ad oculum constet quot editiones et quo ordine in Hexaplis exstarent : ubi post duas columnas, in quibus textus Heb. litteris Hebr. et Græcis exaratur, sequuntur quatuor aliæ pro Aq., Symm., 70 et Theodot. Quæ autem adfert vir Rever. ex Hieron. in secundo advers. Ruffinum, et ex Masii verbis Epist. Dedic. in Jos. de Syro interprete, vel ex scholiis Græcis in 3 Reg. c p. 14, et 1 Reg. 14, et 42, vid. *quòd in Orig. Hexaplis observârunt asteriscos et obelos, Theodotionis additamenta*, nil probant, cùm haud negemus Originem in Hexaplis, versioni 70 quam *puram et immaculatam* dixerat Hieronymus, apposuisse asteriscos et obelos vel in margine, vel in textu cùm prima Hexapla conficeret, vel posteà, ut per has notas verus textus à Theodotionis additamentis distingueretur, et hoc sensisse auctores quos profert; nam ut Hier. Epist. ad Augustinum : *Si vis verus amator esse 70 Interpretum, non legas quæ sub asteriscis sunt.* Si quis enim puram 70 Versionem habere vellet, omittendo quæ sub asteriscis erant, et legendo quæ sub obelis, veram habebit illorum versionem. Hoc ex Masio luce clariùs constat, qui obelos et asteriscos cum lemniscis et hypolemniscis, per totum Josuam apposuit; ut hoc modo ipsam, quam cum veteribus sinceram fuisse credidit in Hexaplis olim exstitisse restitueret, et posteris servâret juxtà exemplar suum Syriacum, quod antè mille annos ex Origenis Hexaplis expressum erat; quod (etiamsi obelis et asteriscis distinctum) pro genuinâ 70 Editione agnovit. Ex dictis etiam concidunt quæ eodem fundamento superstruit idem vir

(1) Vide doctissimi Montefalconii Origenis Hexapla.

rever. qui putat lemniscis et hypolemniscis, eas voces denotari, quæ in puriori illâ 70 editione in Hexaplis aliter legerentur quàm in Vulgatâ; quam etiam in iisdem voluminibus fuisse autumat, cùm Masius de lemniscis et hypolemniscis, ex eodem antiquissimo exemplari desumptis, Josuæ librum distinctum excudi curavit, planè ostendat, lemniscum duobus punctis signatum diversam scripturam denotare, hypolemniscum puncto unico subsignitum, eamdem sed pauciorum codicum testimonio confirmari; quod probabile videtur. Quæ in contrarium afferuntur ex Hesychio in Psal. 12 (aliàs 13) parùm valent: qui licèt de usu harum notarum fortassè à Masio discrepet, ne verbulum tamen habet de duplici editione 70 in Hexaplis per illas designatâ, cùm hæc tantùm dicat: *Lemnisco, per mediam virgulam significari versiculum sive στίχον per duo puncta, quorum unum suprà, alterum infrà, duos ordines ipsorum Interpretum.* Quod quidem concedi potest: erat enim Vulgata sine obelis et asteriscis, et Vulgata cum illis: sed in Hexaplis hæc distinctè posita fuisse, ne verbulum habet. Verba etiam (utcumque obscura) de duobus, vel pluribus exemplaribus, quæ istam lectionem secuta sunt, meliùs intelligi possunt, quàm de duabus editionibus 70, quæ in Hexaplis exstabant; de quo nemo veterum vel per somnium cogitavit.

Nobile hoc Origenis opus, licèt multiplicis esset utilitatis, detractores tamen habuit, qui illud carpebant: inter veteres Hieronymum, inter recentiores Galefinium et alios. Quia enim obeli et asterisci appositi erant cum supplementis ex Theodotione, hinc textum Græcum ab illo mixtum fuisse clamârunt. Hieronymus, vir doctus, at acris et fervidi ingenii, ut qui neminem sibi contradicentem ferre potuit, inter alia, quæ ubique contrà editionem Sept. inculcat, etiam et hæc contrà Origenem scribit: *per asteriscos et obelos eum Græcam editionem corrupisse.* Nam præf. 1 in Paralip. dicit: *Originem non solùm exempla composuisse quatuor editionum è regione singula verba describentem, ut unus dissentiens statim cæteris inter se convenientibus arguatur, sed quòd majoris audaciæ erat, in editione 70 Theodotionis editionem miscuisse, asteriscis designantem, quæ minùs fuerant, virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita.* Hic audaciam Origenis taxat, et Epist. ad Chromat. quæ est 107, eum culpat, quòd *Theodotionem profanum auctorem admiscuit versioni 70 Interp.* At immeritò hoc Origeni objicit. Nam, ut ex Ruffino suprà ostendimus, Invect. 2, *neque verbum unum de suo inseruit, nec nostrorum exemplarium fidem fecit in aliquo vacillare.* Asterisco enim satis prospectum fuit integritati 70, cùm ille distingueret quæ ex Theodotione addita sunt; et Hieron. ipse Præf. l. 16 in Isaiam, testatur *tantùm abesse, ut Origenis editio habita sit corrupta, ut omnes bibliothecas impleverat, et Vulgata dicta sit.* Et in Epist. ad Tit. c. 3, de Origenis opere scribit: *Hoc nobis immortale illud ingenium suo labore donavit; ut non magnoperè pertimescamus Judæorum supercilium, solutis labiis, et obortâ linguâ, et stridente salivâ, et rasâ facie gaudentium.* Etiam et Epiphan. licèt Origeni infensissimus, lib. de Pond. et Mens. hæc habet: *Eodem modo Origenes rectè fecit, et de obelo judicavit*; et posteà: *Sex columnas Interpretum alternatim collocans, magnam utilitatem cognitionis exhibuit*, etc. Non erat itaque Origenis hic labor corruptio, sed *diligens facta collatio*, ut ait Baron., ad annum Christi 231, sect. 4. Inter omnes tamen non possum satis mirari, cur Hieronym. hoc Origeni objiceret, cùm ipse Origenem in hoc sibi imitandum proposuit. Ipse etiam Latinam suam 70 Versionem immiscuit obelis et asteriscis, asteriscos verò, non ex Theodotione, sed de suo transtulit ex Hebræo. Sic enim scribit Apol. adv. Ruffin. inter alia: *se libros Salomonis, quos olim juxtà 70 in latinum verterat, obelis et asteriscis additis, ex Hebræo transtulisse. Si cui 70 Interpretum magis editio placeat, habet eam à nobis olim emendatam; neque enim sic nova cudimus, ut vetera destruamus.* Et Epist. 104, quæ est Præf. in Pentat. expressè dicit: *Origenis studium ipsum provocâsse, qui editioni antiquæ Theodotionis translationem miscuit, asterisco et obelo opus omne distinguens*, etc. Origenes etiam à se calumniam hanc abstergit, dùm scopum suum candidè et sincerè proponit, Epist. ad Jul. Africanum, ut ex ejus verbis, quæ jam adduximus, satis liquet. Objiciunt tamen quidam ex Hieronymo, quòd indè manavit corruptionis occasio, quòd cùm scribæ asteriscos omitterent et obelos, indè factam fuisse ex Theodotione et 70 mixtam versionem. At hoc non Origeni, sed scribis adscribendum est, et licèt aliquandò contigerit scribarum incuriâ, semper tamen exstabant exemplaria vetera, ex quibus errata emendare licuit. Nam ex Origenis Hexaplis in bibliothecâ Cæsariensi, Eusebium et Pamphilum emendatos codices habuisse notum est; quod et alios factitâsse, Lucianum, Hesychium, ipsumque Hieronymum (ut ex Epist. ad Suniam et Fretelam constat, ubi disertè hoc affirmat) est extrà dubium. Etsi itaque nec Ptolemæi codex nec illud exemplar quod in Cleopatræ bibliothecâ

repositum erat, exstitisset, quorum tamen posteriùs Origenis tempore ibi servatum fuisse fatentur qui in versionem 70 iniquissimi sunt, tamen ex aliis exemplaribus, quæ ex antiquioribus correcta et emendati, quæque in publico usu Ecclesiarum florentissimarum erant, et accuratè castigata, codices suos correxisse Ecclesiarum præsides (id postulante Ecclesiarum quibus eos Christus præfecerat necessitate), nulla est ratio cur dubitemus: nam per temporum injurias, et frequentes descriptiones, quin vitia quædam obrepant, moraliter loquendo, vix est possibile. Sed de his infrà pleniùs agemus.

Hæc de Origenis editione in quâ prolixiores fuimus, quia omnium prima et celeberrima, et reliquarum fundamentum. Secunda enim, quæ fuit Eusebii et Pamphili, qui martyrium subiit sub persecutione decimâ, alia non erat, quàm ipsa 70 versio Origenis, à mendis, quæ irrepserant, castigata. Nam teste Hieronymo, Præf. 1 in Paralip., *Codices ab Origene elaboratos evulgârunt*. Origenes enim, ut diximus, nihil in textu Græco immutavit; et ut idem Hieron. Epist. ad Suniam et Fretelam: *Illa editio, quæ in Hexaplis erat, pura et sincera erat, et ab omnibus ità habita;* cùmque Hexapla non nisi magnis sumptibus describi poterant, solam versionem 70 ex Hexaplis descripserunt quàm emendatissimè. Et hæc editio maximè in usu fuit in provinciis inter Antiochiam et Ægyptum, *et vocati etiam sunt isti codices Palæstini, quia in Palæstinâ Origenes, cùm esset apud Cæsaream, eos elaboravit; vel quòd Pamphilus ex Hexaplis, quæ in bibliothecâ Cæsariensi reposita, eos transcripsit, et cum Eusebio, qui posteà Cæsariensis erat episcopus* (*cui ob familiaritatem cognomen dedit*), *emendavit et seorsim evulgavit:* prout ex Hieron. Epist. 104 ad Chromat. colligit Usser. Syntag. cap. 6, p. 73. Tertia editio fuit Luciani, presbyteri Alexandrini, et sanctissimi martyris; qui, teste Eusebio, Hist. lib. 8, *Editionem 70 cum codicibus Hebræis contulit et recensuit*. De hâc Euthym. Præf. in Psalmos. *Hæc cum 70 translatione consentit, et quæ ab aliis depravata fuerunt, reprobat*. De Luciano etiam et Hesychio affirmat Hieron. Præf. in 4 Evang., *Eos nec in toto Vet. Testamento post 70 Interpretes emendare licuisse, nec in Novo emendâsse profuit*. Hic itaque emendavit, non de novo transtulit. Et ut idem Hieronym. Epist. 135 ad Suniam et Fretelam, *eadem fuit cum Vulgatâ, ità ut* Κοινὴ *sive Vulgata à plerisque* Λουκιανὸς *diceretur:* undè iterùm patet novam versionem non fuisse, sed Vulgatam emendatam. Flam. Nobil. Præfat. ad Edit. Rom. Lat. dicit, quòd in *Apollinario reprehendit Hieronymus, quòd Sept. Interpretum dictiones mutavit sæpè, ac pro ipsis Symmachi vel alterius, vel etiam suas substitueret. Lucianus Martyr in eodem fortassè instituto verecundior tamen videtur fuisse. Hujus enim interpretationem, memoriæ proditum est, cum 70 interpretatione, rejectis iis quæ ab aliis depravata erant, consensisse. Hinc fluxit illa, quam multi Septimam nominârunt*. Hæc Luciani editio, ejus manu scripta, teste Athanasio in Synopsi, post ipsius certamen sub Maximiano Nicomediæ inventa est. Quarta fuit Hesychii episcopi Ægyptii, in eâdem persecutione decimâ martyrio coronati: de quo Euseb. Hist. lib. 8, cap. 14. Hic veterem translationem recognovit, quæ, teste Hieron. per Ægyptum et Alexandriam celebris erat, novam non cudit. Hujus editionis habemus antiquissimum exemplar, quod ex Alexandriâ allatum fuit; cujus discrepantias à codice Vaticano, in hâc Bibliorum editione excudi curavimus. De his editionibus scribit Hieronym. in Epist. ad Chromat. quæ in lib. Paral. est Præfatio 1, quòd *Alexandria et Ægyptus in 70 suis Hesychium laudant auctorem, Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probent. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus evulgaverunt; totusque orbis inter se hâc trifariâ varietate compugnat*. Quicquid verò scripserit Hieronymus de harum editionum discrepantiis, qui omnes ingenii nervos intendit, ut versionem 70 deprimeret, et ut suam Latinam, ex Hebræo noviter factam, in ejus locum in Occidentis Ecclesias introduceret, varietates tamen istas haud magni momenti fuisse patet, tùm ex scriptis et commentariis eorum qui iisdem locis, ubi editiones istæ vigebant, claruerunt, in quibus magna est concordia (ità ut nemo præter Hieron. alicujus ferè differentiæ inter illas editiones meminerit), et ex ipsis discrepantiis, quæ ab Hieronymo afferuntur, Epist. ad Suniam et Fretelam, quæ nullius momenti sunt; tùm ex præcipuis exemplaribus et editionibus antiquis et recentibus, eorumque collatione, maximè verò ex Psalterio Vulg. Latino, quod ex Luciani editione esse, Hieronymus omnesque alii fatentur; inter quod et illud quod ex Græco 70 in nostris Bibliis imprimitur, vix aliquod discrimen observatur. Sed de his posthàc plura.

Præter has, quas enumeravimus, editiones, Quintam addunt alii, Vulgatam, quam à reliquis distinguunt. De quâ scribit Hieron. Epist.

155 ad Suniam et Fretelam, *pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum veterum corruptam esse editionem;* et ab eâ distinguit, *quæ in hexaplis exstabat,* et quam ipse *fideliter in linguam latinam verterat, quæque in eruditorum libris pura et immaculata* 70 *translatio habebatur, et Hierosolymis, et in Orientis Ecclesiis decantabatur.* Ex his enim aliisque hujusmodi Hieronymi verbis, hyperbolicè ab ipso pro more dictis, probare nituntur Neoterici quidam, editionem Græcam, quæ in communi usu erat Ecclesiarum, corruptam et vitiosam fuisse. Undè cùm Origenis Hexapla (in quibus sincèra editio descripta fuit) hodiè non exstent, inferunt veram et genuinam editionem hodiè non haberi. Ex iisdem etiam Hieronymi verbis (quæ tamen, quod notandum, de Psalterio tantùm, non de toto Vetere Test. dicta sunt), colligit vir longè doctiss. Vulgatam sive Κοινὴν, et illam in Ἑξαπλοῖς, quam sinceram 70 fuisse uno ore judicabant veteres (quos ipse tamen omnes deceptos arbitratur), toto cœlo differre, quasi duæ essent versiones. Hinc verba hæc habet, quæ captum meum planè superant: *Priorem, quam sinceram et immaculatam* fuisse putabant Origenes, Hieronymus et alii, *Origeni ex ipso authentico exemplari in Alexandriæ bibliothecâ (ad quam quotidianus illi patebat accessus) asservato, describere facilè licuit; sed in posteriore* (Vulgatâ scil. sive Κοινὴ) *ut corruptelis et veterum scriptorum varietatibus laborante emendandâ, et ad certum ordinem redigendâ, ampliùs illi insudandum fuit.* Et paulò post: *Ad argumentum Baronii, quòd ne fingi potuit, vetus exemplar versionis* 70 *in bibliothecâ Alexandrinâ remansisse ad Chrysostomi usque tempora: quia si ipsum suppetebat exemplar originale, cur adeò elaboratum ab Origene primùm, deindè à Luciano et Hesychio, in eo recognoscendo, emendando, et in candorem pristinum restituendo; cùm ex ipso exemplari originali potuissent omnia quàm verissimè atque purissimè summâ facilitate corrigi et emendari?* respondet, *id ipsum fugere, ab Origene primùm, deindè à Luciano et Hesychio, non in eâ quæ pura et germana* 70 *habebatur, sed in alterâ indè dirivatâ, quæ in communi usu omnium erat, indèque τῆς Κοινῆς, et Vulgatæ editionis nomen obtinuit, emaculandâ, tantoperè fuisse laboratum.* Hæc sunt viri Reverendi verba, quæ, nisi me ratio fugit, ostendunt, quantas præjudicium nebulas menti effundat, etiam in viris aliàs doctissimis, ut potiùs quàm ab opinionibus semel imbibitis recedere videantur, absurdissima quæque affirmare non vereantur. Quæram enim, annon per Vulgatam editionem intelligat ipsam 70 versionem? Aliam non fuisse ex Hieronymi verbis, loco citato, planè constat, cujus etiam verba idem auctor adfert: Κοινὴ *enim* (inquit) *ista editio ipsa est, quæ et Septuaginta,* Epistol. ad Suniam et Fretel. Hoc autem concesso (quod nec ipse, nec alius quisquam unquàm negavit), libenter scire vellem quidnam sibi proposuerint Origenes, Lucianus, Hesychius, etc., in editionibus suis, vel in recognoscendâ 70 versione? Annon, ut puram et immaculatam redderent, et pristino nitori restituerent? At cùm in Alexandrinâ Bibliothecâ, et posteà in Hexaplis, exstaret illa, quam puram et sinceram ipsi omnesque alii agnoscebant, imò ipse Hieronymus, cur tantùm laborarent in Vulgatâ illâ, sive corruptâ, restituendâ, cùm ex ipso exemplari publicè servato, puro et immaculato, omnia cum summâ facilitate corrigere et emendare poterant? Anne laborârint ut vitiosam et corruptam editionem denuò ederent, cùm puram et sinceram ad manum haberent, ex quâ omnia describere possent, nullo negotio omnia corrigere? Eratne Vulgata, sivè Κοινὴ, tot corruptelis, et veterum scriptorum varietatibus depravata; et adeò stolidos, et planè stipites fuisse existimemus Origenem, Eusebium, Pamphilum, Lucianum, Hesychium, ut pro emendatâ editione ipsam corruptam editionem iterùm exhiberent, etiam cùm exemplaria haberent emendatissima, quæque ipsi talia esse judicabant, ex quibus omnia corrigere possent? Mira sanè est hæc emendatio: quid enim est codicem aliquem emendare et restituere, nisi ad pristinam pur tatem reducere, et genuinum sublatis corruptelis exhibere?

Si verò dicat per Vulgatam editionem intelligi editionem mixtam ex Theodotionis additamentis, cum asteriscis, etc., ipsosque laborâsse, ut astericos restituerent, quibus distinguebantur Theodotionis additamenta à textu ipsorum 70, respondeo, licèt talis editio cum asteriscis propriè non sit Vulgata, nec ab iis, contrà quos disputamus, ità habeatur, hoc tamen concesso, vim argumenti non infringi. Poterant enim ex Origenis Hexaplis puram 70 Versionem describere, et additamenta per astericos signare facili labore. Pura enim editio esse potuit etiam cum asteriscis et obelis, cùm per astericos additamenta à reliquo textu distingui possent: sublatis enim asteriscis, et verbis quæ sub ipsis erant, quod reliquum est, erit ipsa pura 70 versio. Dico itaque, ne fingi quidem posse, ipsos in editione corruptâ restituendâ laborâsse, et puram editionem neglexisse. Ejusdem commatis sunt, quæ habet idem co-

dem libro, et planè (ut mihi videntur) ἀσύστατα Dicit, et quidem verissimè, *ipsum Sept. Seniorum* αὐτόγραφον *in Ptolemæi bibliothecâ servatum fuisse* (undè alia exemplaria describi, et ex eâ emendari poterant : liber enim omnibus patebat aditus) *usquè ad conflagrationem sub Julio Cæsare;* et alibi, *geminam illam* 70 *versionem puram in privatorum manibus fuisse tempore Apostolorum;* et tamen alibi eodem libro affirmat, *Judæos aliam planè versionem, Vulgatam scilicet* et corruptam, à nescio quibus confectam (quæ eadem est cum eâ quæ hodie exstat), *in Synagogis publicè et etiam privatìm usurpâsse : Josephum etiam et Philonem, imò ipsos Apostolos, Vulgatam et corruptam illam citâsse, et hanc Ecclesiæ Christianæ tradidisse.* His gemina sunt, quæ apud eumdem legimus, id est *Palæstinos Christianos, cùm priùs eâ, quæ pura* 70 *editio habita est, usi fuissent* (quam et *Justinum Martyrem, qui inter eos degebat, usurpâsse* scribit), *Vulgatam illam editionem alteram ab Origene interpolatam, posteà recepisse, priori abjectâ, exceptis Psalmis.* Hæc mihi sanè ἄτοπα videntur. Ut itaque hujusmodi absurditatum scopulos evitemus, sciendum est, per Vulgatam versionem apud Hieron. ipsam 70 versionem intelligi, et ipsam, quæ in Hexaplis erat, quamque Hieronymus verterat in Latinum sermonem, fuisse eamdem cum Vulgatâ et Κοινῇ, ut verè affirmavit Baron. anno 231, sect. 8, 40, 41, licèt fortassè in nonnullis magis correctam, quàm quæ in vulgari usu erat. Dicta enim erat Vulgata, non respectu alterius editionis, quæ pura et incorrupta erat, quasi Vulgata sola esset impura et corrupta, sed quòd in communi usu erat omnium Ecclesiarum : sicut Vulgata Latina in Occidente ità dicta est, non respectu alterius editionis quæ purior, sed quia sola hæc in vulgari usu apud Latinos sit. Nam etsi Vulgatam Latinam recensuerint Sixtus 5 et Clem. 8, et editionem mille locis emendatiorem fecerint, nemo tamen negabit, codices correctos Vulgatam Latinam versionem exhibere. Hoc tùm ex aliis veterum testimoniis, tùm ex ipso Hieronymo clarissimè constat. Euseb. Hist. lib. 6, cap. 15, dicit : *Origenem præter Vulgatam et communem, alias invenisse translationes inter se variantes, Aquilæ, Symmachi,* etc. Hìc videmus, Græcam 70 versionem in genere, ab ipso dici Vulgatam et communem. Sic in codice Barbarico, MS. antiquissimo, in quo variæ lectiones collectæ sunt versionum et editionum antiquarum, Zach. 12, 10, editio 70 et Κοινὴ pro eâdem sumuntur. Sed quid pluribus opus est, cùm ipsum habeamus Hieronym. idem disertè affirmantem? Nam in Comment. in Prophetas, quos in dictâ Epist. ad Suniam et Fretelam ex purâ et immaculatâ Hexaplon editione, se in Latinum vertisse dicit, sæpissimè editionem illam Vulgatam et Κοινὴν, appellat editionem 70. Loca in commentariis istis ubique occurrunt. Pauca ex Isaiâ adferam. Isai. 26, 9 : *Volumus* (inquit) *et Hebraicum sequi, et Vulgatam editionem non penitùs præterire.* Hic editionem, quæ in Hexaplis erat (nam in hanc commentatur) communem vocat. Sic cap. 30, 20 : *Multùm in hoc loco Sept. editio Hebraicaque discordant : primò itaque de Vulgatâ editione tractabimus.* Hic editionem 70 et Vulgatam unam eamdemque facit tàm inter se, quàm cum editione illâ, quæ in Hexaplis. Multa plura adferri possent, si necessarium esset. Quid ergò dicemus ad Hieronymi verba, Epistolâ 135, ubi aliam facit editionem Vulgatam, aliam quæ in Hexaplis ; et ad alios, qui versionem 70, ab Origenis, Eusebii, Luciani, etc., editionibus videntur distinguere? Resp. hoc solùm voluisse Hieronymum, nisi sibimetipsi contradicere velit, illam in Hexaplis in quibusdam locis ab Origene emendatam esse, licet et ipsa Vulgata esset, cùm alii quidam codices, qui in usu vulgari erant et ex Hexaplis nondùm correcti, non ità castigati fuerint. Et idem discendum de aliis, qui editionem Κοινὴν à Vulgatâ distinguere videntur. Editiones etiam illæ, Eusebii, Luciani, et Hesychii, tot erant Vulgatæ sive communes editiones, quæ haud multùm inter se discrepârunt; dùm quisque vitia, quæ oscitantiâ librariorum, vel aliâ de causâ irrepserant, ex aliorum veterum exemplarium collatione (quorum Origenis Hexapla, et quæ ex iis emanârunt primas tenuêre) emendârunt. Has verò editiones vix in rebus alicujus momenti discrepâsse jam ostendimus. Sed videtur Hieronymus in hoc, ut in aliis, quæ ad minuendam Sept. versionis æstimationem ubique inculcat, hyperbolicè locutum esse : nec varietates multas in codicibus, præsertim accuratè scriptis, et ad celebrium amussim examinatis, alicujus momenti reperiri; sed in vulgaribus tantùm, quæ ex librariorum festinatione et lucri desiderio corruptè scripti erant. Nec alias fuisse quàm quales hodiè in omnium librorum editionibus variis conspicimus, Aristotelis, Platonis, Ciceronis, Senecæ aliorumque ; ubi variantes quædam lectiones annotantur ab iis, qui eos ediderunt, quæ tamen auctoritati codicum non derogant, nec editiones multùm faciunt differre.

His editionibus antiquis, visum est recentiores, quas hoc seculum produxit, annectere, unà cum MSS. vetustioribus. Editiones hujus seculi Græcæ 70 Interpretum, tres sunt, à quibus reliquæ derivantur. 1° Complutensis. 2° Veneta. 3° Romana; quibus quartam adjicere licet, illam videlicet in Bibliis Londin. ex MS. Alexandrino. Prima est Complutensis; operâ Theologorum Complutensium, anno 1515, sumptibus et auspiciis cardinalis Ximenii archiepiscopi Toletani, unà cum textu Hebraico, Chaldaicâ Paraphrasi Pentateuchi, et Vulgatâ Latinâ, per columnas sibi ex adverso respondentibus prodiit; quam posteà Bibliis regiis inseruit Ar. Montanus, anno 1571. Eadem etiam recusa typis Commelianis, in Bibliis, quæ Vatabli nomine vocantur, cum ejusdem Vatabli annotationibus, anno 1599, posteà in magno illo opere Parisiano Heptaglotto, D. Michaelis le Jay, excusa anno 1645. Hujus etiam editionis versio Latina cum Græcâ editione Venetâ (interdùm tamen mutata, ut cum Edit. Venetâ congrueret, licèt hoc non semper observatum sit) impressa est per Andr. Cratandrum Basil. anno 1520, et iterùm Basileæ anno 1550, typis Rich. Brylingeri. In hâc editione observârunt viri docti, quòd licèt tantum honorem consecuta sit, ut in celebribus editionibus, Complutensi, Regiâ, Vatabli, et Jayanâ exstet, omnium tamen quæ impressæ sunt, maximè mixta sit et interpolata, et à genuinâ Sept. versione maximè distet. Licèt enim inter omnes hodiernas editiones ad textum Hebræum proximè accedat, undè à lectore ignaro, et in versione Sept., prout olim apud veteres exstabat, et ut hodie in MSS. antiquissimis habetur, non versato, optima primâ fronte videatur, tamen rerum istiusmodi peritus, et in lectione veterum exercitatus, omnibus inferiorem esse, et à genuinâ Sept. versione, quæ apud vereres celeberrima fuit, omnium longissimè abesse, deprehendet. Nova enim et mixta est hæc versio, partìm ex Septuaginta, partìm ex Origenis additamentis ex Theodotione, partìm ex Aquilæ, Symmachi, aliorumque interpretum, imò et commentatorum Græcorum verbis consarcinata, ut hoc modo textui Hebræo per columnas aptiùs responderet. Undè doctiss. Masius Annot. in Jos. 21, dicit, *Meram esse inscitiam, si quis dicat Complutensem editionem puram* 70 *versionem repræsentare. Licèt enim viri isti docti* (ut observat Nobilius in Præf. ad editionem Romanam), *hujus editionis auctores, Origenem aliquâ ex parte sibi imitandum proposuerint, ut quæ in Hebræo essent, et non in* 70, *ex aliâ versione supplerent, in hoc tamen ab Origenis instituto discesserunt, quòd quæ apud* 70 *habentur, et non sunt in Hebræo, quæque Origenes non tollere ausus est, sed obelo notavit, ipsi sæpè resecuerint, et delectu habito, collatisque exemplaribus non modò Bibliorum sed et Græcorum commentatorum, ubi varia esset lectio (quod frequentissimè evenit), eam probarent et retinerent, non quæ Sept. interpretum fuisse constabat, sed quæ ad Hebraicum propiùs accederet, etiamsi esset Aquilæ, Symmachi, vel alterius cujusque interpretis; hoc tamen vel libris destituti, vel tædio victi, non perpetuò fecerunt. Hoc ipsorum consilium ut non damno (rationes enim fortassè quasdam habuêre, cur hoc sibi proponerent), omninò tamen non ad editionem* 70 *Interpretum constituendam, sed ad novam potiùs ex multis cudendam* (ut censet Nobilius) *videtur pertinere.* Aliud enim est Græcam versionem secundùm textûs Hebraici normam conficere, aliud versionem illam Sept. ut apud veteres exstabat, repræsentare. Hoc in libro Job demonstrat Usser. Syntag. cap. 8, p. 81, ex Orig. Epist. ad Jul. Africanum, ubi *ea quæ affirmat Origenes in* 70 *haberi, sed non in Hebræo, in hâc editione resecantur; alia quæ idem asserit in Hebræo exstare, sed non apud* 70, *hìc leguntur.* Specimina quædam placuit subjicere ex Job. cap. 1, vers. 1. Legunt 70: ἐν τῇ χώρᾳ τῇ Αὐσίτιδι, *in regione Ausitide;* Compl. legunt ex Aquil. ἐν γῇ Οὖς, *in terrâ Us.* Ibid. legunt 70, θεοσεβὴς, *Dei cultor;* Comp: ex aliâ versione, φοβούμενος τὸν Θεὸν, *timens Deum.* V. 3, Sept. εὐγενὴς, *nobilis;* Compl. μέγας, *magnus;* V. 4, Comp. ἕκαστον τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, ex Aquilâ, pro καθ' ἑκάστην ἡμέραν, *quotidiè;* V. 5, Sept. μήποτε οἱ υἱοί μου ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτῶν ἐνενόησαν τὸν Θεὸν ἐπὶ καρδίας αὐτῶν, *ne fortè filii mei in mente suâ cogitaverint mala ergà Deum;* Compl. μήποτε ἥμαρτον καὶ εὐλόγησαν Θεὸν ἐπὶ καρδίας αὐτῶν οἱ υἱοίμου, *ne fortè peccaverint et benedixerint Deo in cordibus suis filii mei;* sic ferè Aquila. V. 6, Sept. οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, *Angeli Dei;* Complut. ex aliâ versione, οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, *filii Dei;* ibidem, μετ' αὐτῶν, *cum iis;* Complut. ex Aquila, ἐν μέσῳ αὐτῶν, *in medio eorum.* Plura observare licet ex collationibus Compl. editionis cum Romanâ.

Secunda est Veneta, quam ex multis vetustissimis exemplaribus operâ Andreæ Asulani, excudit Aldus Manutius, anno 1518. Hæc quidem editio proximè ad Romanam accedit, et Complutensi purior est. Absunt enim plerumque additiones, quæ sub asteriscis posuit Origenes; adsunt, quæ per obelos notavit;

transpositiones etiam capitum et versuum, quas commemorant veteres in editione 70 fuisse, in hâc editione inveniuntur. Quæ etiam à veteribus allegata vel commentariis illustrata erant, eadem plerumque sunt in hâc editione. Undè doctiss. Masius, Præf. Comment. in Jos. scribit, *Venetam editionem esse quidem simplicis interpretationis* 70 *Seniorum exemplum* : addit tamen, *sed haud ab omni admixtione verborum Theodotionis liberum*: quod verissimum judico. Quædam enim, licèt paucissima, istorum additamentorum relicta esse tùm in hâc, tùm in aliis castigatissimis editionibus, non negandum; quæ tamen ejus sinceritatem non tollunt, quin vera et genuina 70 editio dici possit. Ab hâc Aldinâ editione fluxerunt omnes editiones Germanicæ : quæ plerumque quoad verba Aldinam sequuntur, nisi quòd ordinem librorum, capitum, et versuum quorumdam, quæ alio ordine quàm in Hebræo posita fuisse omnes antiqui codices testantur, ad normam textûs Hebræi plerumque mutârint et transposuerint. Libros etiam, qui vulgò apocryphi dicuntur, sparsìm inter reliquos secundùm ordinem historiæ, ut omnes antiqui codices habent, sed separatìm post reliquos posuerunt. 1° Basileensis prima per Andream Cratandrum, anno 1520, cui, ut jam diximus, apposita est Latina versio Complutensis. 2° Argentoratensis apud Wolphium Cephalæum, operâ Loniceri in-octavo, anno 1527. 3° Basileensis secunda typis Hervagianis, in-fol. cum Melanchthonis Præf. Hæc, licèt ille qui Francofurtensem edidit, dicat cum Aldinâ prorsùs convenire, in iis tamen, quæ jam notavimus, discrepat. 4° Basileensis tertia, Græco-Lat. per Nicolaum Brylingerum in-octavo, 1550. 5° Francofurtensis per Wechelianos in-fol., Græcè tantùm, ex recensione, ut putatur, Francisci Junii, anno 1596, cum variis lectionibus. Memorant quidam alias editiones, quas nondùm videre contigit : Santandreanam anno 1597, Amburgensem apud Jacobum Lucium, Jul. 1596. Et addit Draudius in Catal. aliam editionem Basil. Græco-Lat. in-octavo, 1578. Omnes istæ editiones à Venetâ parùm discrepant; ità ut qui Venetam habet, omnes habeat. Excipiendæ tamen, ut diximus, transpositiones plurimæ, in quibus alii quædam, alii omnia ad ordinem Hebræum reposuerunt. In Francofurtensi etiam, in quatuor Exodi penultimis capitibus, ut et alicubi in Proverb. pleraque, quæ in Venetâ erant, expuncta sunt, et eorum loco textus Complutensis insertus. Libri etiam apocryphi in omnibus seorsìm positi, et in quibusdam Liber Josephi post Machabæos additus de Imperio rationis, sive de Martyrio Machabæorum, qui in plerisque Græcis MSS. antiquissimis habetur. Contrà has editiones objicit vir doctiss. *glossemata multa ex margine in textum irrepsisse variis locis* : quod probare nititur ex locis quibusdam per Apost. citatis, quæ aliter in Vulg. Græcâ 70 leguntur, ut Isai. 52, 7, Zach. 12, 10, ex Rom. 10, 15, et Joh. 19, 37, etc. At hæc potiùs probant, codices Græcos in istiusmodi locis variâsse, quàm ex Nov. Test. in Græcos codices verba infulta esse, vel Apostolos sensum potiùs quàm verba respexisse, nec sinceritati hujus editionis quicquam derogari. Si paucis locis verbum unum aut alterum aliter legatur in uno codice quàm in alio, quid hoc ad generalem editionis corruptionem? Si hujusmodi argumenta valerent, omnes codices, tàm sacri quàm profani, ut corrupti abjiciendi essent. Quodque porrò objicitur, *Integros libros Job, et Isaiæ, ex mixtâ editione Origenis expressos esse*, aliter se habere ex collatione textûs Romani cum Aldino et Complutensi, liquet, ubi, quæ absunt in codice Romano et in Alexandrino, per asteriscos in editione mixtâ notata, etiam in Aldinâ plerumque exulant.

Tertia est Romana, quæ ex codice MS. Vaticano antiquissimo operâ Anton. Carafæ cardinalis, aliorumque virorum doctorum, qui per 9 annos in hâc editione sudârunt, auspiciis et jussu Sixti 5, Pontificis, prodiit; qui cùm cardinalis erat, Gregorio 13 auctor fuit, ut hoc opus aggrederetur : quod sub Gregorio inceptum, et cardinali Carafæ demandatum, ipso jam Pontifice, ejusdem cardinalis operâ perfectum est. Primò Græcè tantùm edita cum scholiis Græcis Romanæ anno 1587, posteà Latinè cum notis doctissimis et longè utilissimis per Flaminium Nobilium etiam Romanæ, anno 1588. Tandem Græcam editionem cum Latinâ conjunxit, versuum etiam distinctione juxtà Vulgatam Latinam adhibitâ, et tàm Græcis scholiis quàm Nobilii notis, ad finem cujuslibet capitis appositis; vir doctiss. Joh. Morinus, quam Parisiis excudi curavit, anno 1628, per Nicol. Bluon. De hâc editione, et de MS. exemplari Vaticano, ex quo expressa est, multa habentur lectu digna in Præfationibus editioni præfixis; ut et apud Joh. Morinum in Exercit. Bibl. lib. 1, exerc. 9, cap 1, n. 8, 9, 10, 11, 12. Nos hæc pauca annotamus. Codicem MS. Vaticanum, ex quo hæc editio expolita fuit, describunt exaratum litteris majoribus, sive uncialibus, quas verè antiquas vocant, sine capitum,

versuum, vel verborum distinctione, sine accentuum vel spirituum notis, et, quantùm ex scripturâ conjicere licuit, antè mille ducentos annos, id est antè Hieronymi tempora scriptum videri. In libro tamen 4, Prophetarum distinctio quædam subobscura apparebat, illi penè similis, quam describit S. Dorotheus Martyr. Inscriptionem habuit: *Juxtà Septuaginta.* Mancus erat ab initio Genes. ad cap 48, et in Psalmis deerant omnes à Psalm. 105 ad 148, paginis vetustate exesis. Machabæorum etiam libri aberant. Hæc autem omnia ad fidem exemplarium restituta sunt. Præter hunc codicem duobus usi sunt, qui ad ejus vetustatem proximi accesserunt; uno Veneto ex bibliothecâ cardinalis Bessarionis, majoribus etiam litteris scripto; altero ex magnâ Græciâ advecto, cujus cum Vaticano summus erat consensus, ità ut ille ex hoc tanquàm archetypo descriptus esse videretur. Licèt verò tùm horum codicum, tùm aliorum multorum, quos per omnes Italiæ bibliothecas Carafa conquisiverat, maximè verò ex Medicæâ Florentiæ, varias lectiones ex codicum collatione notari curaverat idem Carafa (quarum multas in scholiis retulit, ex quibus etiam Vaticani textûs sinceritas multis in locis confirmata et illustrata); ad Vaticani tamen MS. codicis normam, qui omnium antiquissimus, respexerunt, et librum ipsum ad litteram, quantùm fieri posset (nisi ubi constabat de manifesto librariorum lapsu), exprimebant: cujus bonitas non tam ex aliorum codicum consensu perspicitur, quàm ex locis quæ ab antiquis scriptoribus adducuntur vel explicantur, qui ferè semper cum hoc exemplari conveniunt, nisi cùm aliorum interpretum loca afferunt, non 70. In libris Prophetarum (excepto Daniele, qui ex Theodotione in omnibus Ecclesiis legebatur) puram 70 versionem resipit hoc exemplar, cùm desint quæ deesse debent, quæque ex veteribus Græcorum et Latinorum scriptis sub asteriscis notata fuisse constet. Scopus hujus editionis, ut scribit idem Carafa, *non erat, ut ex interpretationum aliarum permixtione Latinæ Vulgatæ vel Hebræo respondeat, sed ut ad eam, quam 72 interpretes ediderunt, quantùm per veteres libros fieri posset, proximè accedat.* Contrà etiam editionem objicit vir doctiss. *Hoc exemplar Vaticanum ex illâ, quæ pro purâ habebatur in Hexaplis, et communi sive* Κοινῇ *mixtam esse.* Quod ex locis quibusdam in Psalmis probare conatur, quæ aliter in Hexaplis, aliter in Vulgatâ et Romanâ editione leguntur. Nec in Prophetis puram 70 versionem resipere, ex paucis aliis adstruere nititur. Sed hæc parvi sunt ponderis, cùm paucis illis locis non obstantibus, in quibus codices antiqui variare poterant, non tollitur generalis illa hujus editionis puritas, nec inducitur generalis aliqua corruptela: aliàs de Græco Novi Test. textu actum esset, in quo multò plures varietates (si molem libri spectemus) cernuntur, quàm inter hæc exemplaria Græca.

Quod ad Latinam, ex Græcâ 70 expressam, versionem attinet, quæ olim *Vulgatæ* nomen obtinuit, quâque solâ usa est Ecclesia Latina antè versionem Hieronymi, quæque post Hieronym., tempore Gregorii Magni adhuc in usu erat, ut ex variis Gregorii locis alibi adductis constat, etsi nunquàm eamdem cum Græcâ auctoritatem habuerit, nec eadem ubique esset per Occidentem (tot enim Augustini tempore erant versiones Latinæ, ut vix numerari possent, eodem teste), hanc tamen cæteris præfert Augustinus quam ipse *Italam,* Hieronymus *Vulgatam,* Gregorius *Veterem* appellat; quamque Hieronymus ad Græcam, quæ in Hexaplis erat sincera, recensuit et castigavit. Hanc Augustinus cæteris prætulit, *quòd verborum tenacior fuit, cum perspicuitate sententiæ.* Licèt autem in vulgari usu fuerit, postquàm tamen nova Hieron. in Ecclesias post Gregorii tempora recepta fuerit, vel planè evanuit (exceptis Psalterio, partibus quibusdam Estheræ et Danielis, Baruch, Epist. Jeremiæ, libris Macchabæorum, Esdræ tertio et quarto, Sapientiæ et Ecclesiastico); nisi quæ in veterum scriptis et commentariis reperitur, vel in unam cum novâ coaluit. Undè, cùm haud æquum visum fuerit, ut versio illa, quæ Ecclesiæ Occidentalis nutrix fuerat, cùm consenuisset, rejiceretur, nullâ ejus ratione habitâ, rem magnam aggressus est Flam. Nobilius, vir in Patrum scriptis, et antiquis Ecclesiæ monumentis multùm versatus, veteris hujus versionis Latinæ partes laceras in veterum scriptis hìc illìc dispersas, quasi membra Hippolyti discerpta, in unum colligendo. Primò enim, Vulgatam hanc Latinam jam per mille annos intermortuam ex variis veterum scriptis conquisitam, quasi redivivam fecit; idque ipsissimis ipsorum verbis, ubi haberi poterant, reliqua non ex proprio ingenio supplevit, sed verba in hâc versione usitata, easdemque locutiones et phrases, quantùm res ipsa ferret, retinuit: simplicem enim et incultam illam loquendi formam ipsi 70 constanter tenuerunt. *Habet enim Scriptura sancta,* testibus Chrysost. et Greg., *suas proprietates et verbo-*

rum formas simplices, quæ licèt criticis nostris non arrideant, majestatem tamen divinam spirant. Undè illud Aug.: *Verba cœlestis Oraculi non sunt restringenda ad regulas Donati; et melius est ut nos reprehendant grammatici, quàm ut non intelligant populi.* Secundò, thesaurum inæstimabilem annotationum doctissimarum ex Patribus Græcis et Latinis, et ex aliis editionibus, omnibusque Ecclesiæ scriptoribus antiquis, eorumque monumentis (quibus editio Romana confirmatur vel illustratur, vel Scripturæ sensus verus et vera lectio eruitur et explicatur), herculeo labore compilavit.

Etsi autem editionem hanc omnium, quæ exstant, maximè sinceram judicamus, et proximè ad puram Sept. editionem accedere; tamen ex omni parte perfectam esse non audemus asserere, cùm hoc non asserant, qui ipsam ediderunt. Quædam enim habere potest σφάλματα ex librariorum incuriâ, incogitantiâ, vel audaciâ introducta, ut Aldina, Basileensis aliæque editiones; hoc tamen non efficit, quin eadem sit versio, quæ primis trecentis post Christum annis, et Hieronymi tempore pro illâ 70 habita et recepta fuit: nec causa est ulla, cur non pro genuinâ Sept. versione, et non alterius auctoris censeri debeat. Nobilius ipse, in notis ad Regn. 3, cap. 3, scribit, *quòd multis modis constat, aliqua admista ex aliis interpretationibus, et nonnunquàm ex margine quædam in textum irrepsisse;* et editores in Præf. non dicunt: *ex omni parte perfectam et sine mendâ esse; sed ad eam, quam 70 ediderunt, quantùm per veteres libros fieri possit, quàm proximè accedere.* Joh. Morinus, strenuus hujus editionis defensor, Diatr. part. 1, cap 12, dicit, *omnium quæ nunc exstant esse maximè sinceram, et à mendis ac perturbationibus expurgatissimam; et ad primogenitam illam proximè accedere.* Posteà etiam se explicat et scribit: *Hæc epitheta* (vera, germana, sincera) *rei fictæ, adulterinæ et suppositiæ opponuntur, non autem mendis aut labeculis aspersæ.* Et Exerc. lib. 1, exerc. 9, cap. 3, ad finem: *Negare nolim additamentorum originariorum pauca quædam in editione Romanâ superesse,* ut Isai. 54, 4, Jerem. 16, 17. Itaque cum larvis luctantur, et contrà umbram propriam dimicant qui quædam ex asteriscis adhuc manere magnoperè contendunt; vel, si quædam loca proferre possunt, quæ apud veterem aliquem scriptorem, præsertim apud Hieronymum aliter lecta erant, statim clamant, versiones hodiernas et corruptas esse, nec veram 70 versionem exstare: cùm varietates istæ ne centesimam partem codicis spectent; et in confesso sit apud omnes non omnimodam puritatem in hâc editione exspectandam, sed tantam quæ eamdem cum illâ à veteribus celebratâ versionem hanc esse, ostendit: quod paucis instantiis in contrarium everti non potest. Nec quicquam valet objectio cujusdam, quòd *licèt non sit ex Origenis mixtâ editione desumpta, tamen ex Edit. Vulg. sive Κοινῇ desumpta esse posset:* cùm ex iis quæ suprà de Vulg. diximus constet Vulg. aliam non esse, quàm ipsam 70, quæ in Hexaplis fortassè emendatior erat quàm in aliis quibusdam libris. Si verò per *Vulgatam* intelligat mixtam ex Theodotione et illâ 70 editionem, ultrò concedit idem, ex eo quòd non habeat quæ asteriscis notantur, sequi, *ex mixtâ illâ editione illam factam non esse,* cap. 8, p. 73.

Editio hæc Romana etiam nuper Londini prodiit in-octavo, 1653, Græcè tantùm. In quâ, etsi profiteantur se editionem Romanam excudere, nimiam tamen licentiam assumpserunt, eam pro libitu mutandi et interpolandi, ut ad Hebræum textum et nuperas versiones accommodarent. Non enim tantùm ordinem librorum, capitum, et versuum, contrà omnium antiquorum codicum fidem, in quibus discrepantiæ ab Hebræo per transpositiones quasdam semper notatæ erant, ad normam Hebræi codicis reduxerunt, ut auctores Germanicarum editionum plerumque fecerunt, et Psalmorum nomenclaturam, quæ à veteribus, Justino, Cypriano, Hilario, Athanasio, Hieronymo, Augustino, etc., observata erat, in illam Hebræorum commutârunt, sed etiam quædam ex Complutensi aliisque editionibus addiderunt, quæ in editione Romanâ non habentur: ut Exod. 25, 6, ubi versiculum ex Aldinâ editione adjecerunt; et cap. 28, post vers. 22, pro duobus versibus, qui et in Romanâ et in Aldinâ editione leguntur, substituunt octo versus ex Complutensi, ut Hebræo aptiùs respondentes. Quorumdam etiam capitum distinctionem aliter ac in Romanâ editione, dederunt, ut versioni Anglicanæ meliùs responderet. At hoc non est editionem Romanam, vel antiquam 70 versionem excudere, ut editores præ se ferunt, sed novam et mixtam editionem conficere. In plerisque tamen codicem Romanum exprimunt; et in hoc laudandi, quòd editionem, quæ exstat, optimam, ut minori formâ, sic minori pretio, parabilem fecerunt.

Restat, ut de MS. nostro celeberrimo et vetustissimo, quem Alexandrinum vocamus, qui à multis diù desideratus, in Bibliis Londin. primùm lucem vidit, quædam addamus. Alexandrinum dicimus, non tam quòd ex recensione

Hesychii fuerit, à quo exemplaria per Alexandriam et Ægyptum secundùm ipsius codicem castigata emanàrunt, quàm quòd ex Alexandriâ primò allatus sit per Cyrillum Lucarem, nuper sedis Alexandrinæ Patriarcham, qui cùm ad Constantinopolitanam translatus erat, hunc librum tanquàm magnum thesaurum secum attulit, quem per D. Tho. Roe, equitem auratum regis nostri apud Turcarum imperatorem legatum, eidem regi donavit. Exaratus est hic liber in Pergameno litteris majoribus antiquis sine ullâ capitum, versiculorum, vel verborum distinctione, et sine accentuum vel spirituum notis, exceptis quibusdam sectionibus, quæ per spatium quoddam inter verba designantur, et libris 5, quos per stichos olim distinctos fuisse tradiderunt veteres; scilicet Job. Psal. Prov. Eccles. et Cant., ut ex libro Job. quem ex hoc MS. olim publicavit Patric. Junius, perspicere licet. His etiam in eodem volumine, atque eâdem stichorum formâ, adduntur libri Sapientiæ et Ecclesiastici. Descriptus est hic liber Alexandriæ per Theclam, fœminam nobilem, cujus nomen (jam obliteratum) ad finem libri olim inscriptum fuisse, testatur idem Cyrillus, cujus verba ipsius manu initio libri exarata hæc sunt: *Liber iste Scripturæ sacræ Veteris et Novi Testamenti, prout ex traditione habemus, est scriptus manu Theclæ, nobilis fœminæ Ægyptiæ, antè mille et trecentos annos circiter, paulò post Concilium Nicænum. Nomen Theclæ in fine libri erat exaratum, sed exstincto Christianismo in Ægypto à Mahumetanis, et libri unà Christianorum in similem sunt redacti conditionem; exstinctum et Theclæ nomen laceratum, sed memoria, et traditio recens observat.* Hæc Cyrillus. Quænam hæc Thecla fuerit, nolo anxiè inquirere. Quamdam, istius nomine, martyrium pro Christo subiisse, constat ex Oratione Chrysost. in laudem 8, Theclæ; at an ab hâc sanctâ fœminâ codex hic scriptus fuerit, an ità indicatur, quia ad monasterium aliquod S. Theclæ dicatum pertinebat, non multùm refert, cùm constet, antiquissimum esse, et codicis Vaticani seculum æquare saltem, si non superare: quod præter dicta, suadent tùm scriptionis modus, characterum figura, accentuum et spirituum absentia, tùm alia quæ summam vetustatem testantur: ut cùm frequenter ponunt αι pro ε, ut παιδιον, pro πεδιον, αραισον pro αρεσον, et è contrà ε pro αι, ut φυλαξε pro φυλαξαι. Ad eumdem modum scribunt ε pro αι diphthongo, ut λαβε pro λαβει, μ pro ν, ut ομμεσον pro εν μεσω. Sic μ sæpe interponitur præsertim in descendentibus à λαμβανω, ut λημψομαι pro ληψομαι, ν duplex pro simplici, in verbis à βαινω, ut διαβεννετε pro διαβαινετε; aliaque hujusmodi quæ fortuitò scribæ errori non imputanda, cùm ubique per totum codicem reperiantur. Nov. Testam. iisdem litteris et eodem modo scriptum est, Evangelia in κεφαλαια distincta, quæ singulis Evangeliis præfiguntur: ipsa etiam κεφαλαια in minores sectiones sive στιχους divisa, quæ secundùm Canones Eusebianos minio in margine distinctæ. In quibusdam etiam mancus est: nam à Psal. 49, 20, ad 79, 12, omnia desunt; ut in novo Testamento Evang. S. Matt. usque ad cap. 27. Ad finem libri exstant Epistolæ duæ Clementi Romano adscriptæ: quarum prima est ipsissima Clementis S. Pauli discipuli, veteribus decantata, quæ in Ecclesiis quibusdam olim publicè cum Scripturis prælecta erat, ut omnes docti consentiunt, et inter alios argumentis insitis probat nobiliss. Grotius, Epist. ad Gallos, quæ est 105. Hanc post mille annos, cùm periisse credebatur, in lucem revocavit ex hoc MS. Patricius Junius, eamque cum versione Latinâ publicavit. Altera lacera est et imperfecta, quam etiam cum priori edidit D. Junius Græcè tantùm. D. Grotio primi seculi esse videtur, et licèt Clementis nomen præ se ferat, alterius tamen Clementis esse antiqui judicârunt. Inter Vaticanum et hunc nostrum consensus magnus in plerisque observatur, licèt in minutis quibusdam subindè differant, præcipuè in libro Josue, etiam in Judicum, Reg. 3 et Job. Discrepantia invenitur maximè in propriis nominibus, in quibus inter omnes libros antiquos discrimen sæpiùs occurrit. Hæc tamen non efficiunt, ut non sit veræ et genuinæ versionis Sept. exemplar, prout apud antiquos Ecclesiæ Patres exstabat. Mixtam enim editionem non esse, probant additamentorum Theodotionis sub asteriscis absentia, et eorum quæ obelo notata sunt præsentia, et cum Hieronymi aliorumque commentariis, locisque ab antiquis citatis vel explicatis consensus: undè et in singulis paginis in edit. Londin. unà cum Romanâ excudi curavimus, ubi scilicet à Romanâ differt: ut hoc modo lector utrumque exemplar inter se meliùs conferre posset, et duo antiquissima et nobilissima totius orbis MSS. exemplaria uno intuitu conspiceret. Quæ verò ex codice Alexand. subjicimus, sine ullâ mutatione exhibuimus, etiam ubi aliquandò constabat de scribæ errore, vel obsoletus illius seculi scribendi modus ad nostrum fortassè reducendus videretur. Proposuit quidem D.

Junius multis antehàc annis MS. hoc typis evulgare, cujus etiam specimen impressum vidi : sed consilium ejus multis viris doctis meritò improbatum, ejus progressum retardavit, dùm multa pro arbitrio ex MS. detruncavit , et mutavit; idque cùm nulla premebat necessitas, prout ex catalogo satis magno vocabulorum per pauca Geneseos capita, quæ ipse mutaverat et expunxerat (quem mihi ostenderat typographus) constat.

Tandem ad quæstiones maximi momenti deventum est, ad quas omnia hactenùs dicta referenda sunt, scilicet de sinceritate hujus versionis, an quæ hodiè exstat, vera et genuina sit Sept. versio, quæ apud Judæos antè Christum, ab Apostolis et Ecclesiâ Christianâ post Christum in usu fuit, quæque apud veteres tantoperè celebrata erat : et de auctoritate, an divina et authentica sit, ut quidam ; an nullius planè auctoritatis, ut alii Neoterici statuunt ? Has enim quæstiones pervicacia quorumdam recentiorum, et partium studium, nobis peperit. De primâ primùm dicendum, de quâ hæc præfari libet : hìc non quæri, an 70 solum Pentateuchum, an omnes libros Vet. Test. verterint (de hoc enim suprà egimus ubi ostendimus totum Vetus Testamentum ab ipsis conversum esse); nec an alia Græca versio facta sit tempore Philometoris, quæ in locum Sept. succreverit : probavimus enim unicam tantùm versionem Græcam antè Christi tempora notam fuisse, nec à Judæis vel à Christianis aliam agnosci ; sed an illa, quam Judæi variis sæculis antè Christum in Synagogis prælegerunt, quam Apostoli et Evangelistæ in scriptis et sermonibus suis citârunt, quamque Ecclesiæ Christianæ reliquerunt ; quæque apud veteres in tanto honore fuit , adhuc superstes sit , ità ut vera et genuina ejus exemplaria habeamus. Hoc enim si probatum dabimus, frustrà se torquent Neoterici, ut probent non Philadelphi , sed Philometoris tempore confectam fuisse; nec omnes libros 70 vertisse, sed tantùm 5 libros Mosis. Hæc enim , licèt falsissima esse suprà, ni fallor, demonstratum sit, nec veritati vel auctoritati hodiernorum codicum quicquam derogant. Undè nobis perindè erit, quid de his statuant, modò quæstionem propositam probemus. Nec negamus , codices Græcos hodiernos suos nævos et mendas habere; et, pro omnium librorum antiquorum fato, sordes quasdam contraxisse , per frequentes descriptiones , et exemplarium per totum orbem dispersionem, jam per annos ferè bis mille, à quo primùm facta est hæc versio. Fatetur enim Nobilius, nobilis ille hujus versionis scholiastes, ejusque defensor strenuus, Præf. ad Edit. Lat. Rom., quòd *post Hieronymi ætatem, librariorum primùm, deindè typographorum inscitiâ et impudentiâ, confusis variis interpretationibus alienoque loco positis, membranisque laceratis et luxatis, dictionibus sæpè contaminatis, liber ille, qui nascenti Ecclesiæ bonæ obstetricis, crescenti nutricis officium præstiterat, non solùm exiguo cum fructu, sed cum magno dolore legebatur.* Etiam et hoc monendum, demonstrationes mathematicas non exspectandas esse , quæ in rebus hujusmodi haberi non possunt, sed quæ ex probatis cujusque seculi scriptoribus, et antiquorum exemplarium cum hodiernis collatione , Ecclesiæ etiam Judaicæ et Christianæ consensu et praxi, etc., petuntur. Denique et hoc præfandum, licèt onus probandi nobis non incumbat, cùm versio hæc apud Judæos antè Christum, et à temporibus Christi in usu continuo, Ecclesiæ præsertìm Græcæ, semper fuerit, et adhuc sit, et in possessione suæ auctoritatis posita, sub nomine 70 Seniorum, undè ad eos, qui contrarium affirmant, probandi munus pertinet;tamen ex abundanti ea proferemus argumenta quænon nisi pertinacem in assensum trahere possunt.

De hâc quæstione, quæ sæculis superioribus erat ignota, recentiores acriter contendunt. Postquàm enim Concilium Trident. Vulgatam Latinam pro authenticâ habendam declarâsset, hìnc quidam, licèt contrà mentem Concilii, contrà omnes alias versiones, præcipuè contrà Græcam, quæ cum Latinâ contendere videtur, insurgunt, cùm illa in Oriente, ut hæc in Occidente, in usu communi semper fuerit, adhucque sit; nec tantùm contrà sersiones, sed contrà ipsos fontes et textus originales, calamos strinxerunt. Alii è contrà extrema sectantes ex imbecillitate humanâ, non tantùm Vulgatam Latinam, sed et omnes versiones antiquas, et inter reliquas, Græcam, utpotè omnium antiquissimam (quam eo nomine odio prosequuntur) rejiciunt, et solos textus originales, prout hodiè exstant, unicè venerantur. Indè apud utrosque sunt, qui Græcam hodiernam explodunt, et ità corruptam, et interpolatam esse clamitant, ut eadem cum illâ quæ apud antiquos olìm in usu fuerat dici non mereatur. Contrà plerique viri graves et docti, qui in hâc arenâ sudârunt, et partium studiis non abrepti nudam veritatem quærunt, ut aliam non agnoscunt præter illam Sept. antè versionem Aquilæ , ità illam, sæpiùs ab Ori-

gene, Eusebio, Luciano et Hesychio emendatam et repurgatam, adhuc exstare sentiunt, eamdemque planè esse hodiernam cum illâ apud veteres celebratâ; et licèt, pro fato omnium librorum, ut suprà diximus, multa passa sit à librariis, et injuriâ temporum, hæc tamen tanti non esse, quin vera et genuina adhuc sit, et haberi debeat, versio illa quæ hodiè exstat. Quod rationibus sequentibus stabiliri existimant.

Primò, habemus testimonium Judæorum generale, apud quos hæc versio publicè in Synagogis, et privatim à plerisque lecta et recepta fuit per tria ferè secula antè Christum, et post Christum ad tempora post-Talmudica, scil. post Justiniani tempora : quod suprà ostendimus ex Aristeâ, Josepho, Philone, Talmude, et Rabbinis, et ex scriptoribus Christianis omni exceptione majoribus. Eamdem verò fuisse ipsorum versionem cum nostrâ hodiernâ, indè constat, quòd primi Christiani à Judæis Hellenistis versionem suam Græcam acceperunt, quam ad nostra tempora successivè continuatam fuisse, præsertim in Ecclesiâ Græcâ, statim probabimus : undè unâ eâdemque operâ probabitur, eamdem cum hodiernâ fuisse illam Christianæ Ecclesiæ primævæ et Judæorum versionem. Præter hoc argumentum, quo firmius in hâc materiâ dari non potest, idem ostendi potest ex scriptoribus Judaicis, præcipuè ex fide dignioribus, qui Scripturæ testimonia in scriptis suis ex versione 70 sui temporis citant, quæ cum hodiernâ Græcâ exactè congruunt. Hoc de Josepho et Philone apud omnes constat, qui testimonia Scripturæ ubique secundùm versionem Græcam hodiernam proferunt, etiam in iis locis, ubi 70 versio ab Hebræo discrepare videtur. Consulat quis Philonem, verbi gratiâ, libro Leg. Allegoriarum, et videbit citata loca cum versione Græcâ convenire, cùm ab Hebræo differunt : ut Gen 2, 2, legit Philo, *die sexto*, ut et 70, cùm in Hebr. sit, *die septimo*. Idem observare licet, cap. 2, 3, 4, cap. 3, 15 et locis aliis innumeris. Undè Usserius Syntag. c. 5, p. 25, fatetur Philonem Alexandrinum, eò quòd communi Hellenistarum usu hæc versio recepta sit, in Pentateuchi explicatione semper illâ usum esse.

Secundò, idem probatur ex locis Vet. Test. quæ ab Apostolis et Evangelistis proferuntur plerùmque ex 70, etiam cum 70 et textus Hebr. non videntur convenire. Interdùm quidem, licèt rarò, textum Hebræum sequuntur, aliquandò sensum verborum, non ipsa verba, vel secundùm Hebræum vel Græcum referunt : In plerisque tamen versionem 70 sequuntur, et in omnibus istis locis verba ab ipsis prolata cum nostris exemplaribus congruunt. Undè August Epistol. ad Hieronym. inquit : *Non parvum pondus habet illa* (Versio Græca) *quæ sic meruit defamari et quà usos Apostolos non tantùm res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini.* Ex locis multis pauca seligemus, ubi sequuntur Græcam 70, etiam cùm aliter in Hebr. legitur. Luc. 3, 36, in genealogiâ Christi numeratur Cainan secundùm Sept. Gen. 11, 12. At in codicibus Hebræis, istius Cainanis nulla est mentio ; in codicibus tamen hodiernis Græcis legitur. Act. 7, 14, dicit S. Stephanus Jacobi familiam, quæ cum ipso in Ægyptum descendit, fuisse 75 animarum ; sic etiam legunt codices nostri Græci, cum antiquis, Gen. 46, 28. At in codicibus Hebræis dicuntur fuisse tantùm 70. Eodem cap. Act. scil. 7, vers. 43, ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, *tabernaculum Moloch :* sic codices Græci hodierni. Hebr. tamen Amos. 5, 26, legit, *tabernaculum regis vestri.* Sic Rom. 10, 18, citat Apost. locum ex Psalm. 19, 5 : *In omnem terram exivit vox eorum :* sic Apostolus, sic omnes nostri codices. At Hebraicè legitur : *linea eorum.* Hebr. 11, 21, *adoravit Jacob super summitatem baculi sui :* et sic legunt codices hodierni. At in Gen. 37, 31, legitur, secundùm punctationem hodiernam : *In caput lecti;* differentia enim lectionis est tantùm in punctis, ut suprà notavimus. Rom. 15, 12, citat Apostolus locum ex Isa. 11, 10, ubi verba secundùm 70 et nostros codices ità redduntur : *Erit radix Jesse, qui stat in signum populorum, et qui etiam exsurget regere gentes: in eum gentes sperabunt.* At secundùm textum Hebr. est : *In illâ die radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Luc. 3, 6, citat Evangelista, ex Isaiâ 40, 5 : *Videbit omnis caro Salutare Dei;* sic habent etiam nostri codices. At in Heb. est : *Videbit omnis caro, quòd os Dei locutum est.* Idem videre est in Rom. 9, ult. collato cum Isa. 28, 16, Heb. 10, 5, citato ex Psal. 39, 7, aliisque locis, ubi quæ ab Apostolis verba proferuntur, eadem reperiuntur in codicibus Græcis, licèt verba aliud sonare videantur in textu Hebræo. In multis aliis etiam locis conveniunt verba Apostolorum cum Græcis codicibus hodiernis, ubi etiam textus Hebr. consentit. Ut hujus argumenti vim eludant, hoc effugium excogitârunt quidam, quod planè miserum est, et desperatæ causæ indicium; quòd Apostoli et Evangelistæ loca illa, quæ citârunt, de novo

interpretati sunt, prout Spiritus S. illis suggerebat, quæ posteà per scribas et alios, ità descripta sunt et mutata in omnibus Græcis exemplaribus, ut hoc modo exemplaria Græca 70 concordarent cum Evangelistis; sic Apostoli interpretum vestigiis non inhærebant, sed exemplaria Græca ex Apostolorum scriptis mutata sunt. At hujus commenti vanitatem ostendunt, quòd non in omnibus locis, sed in quibusdam tantùm hæc mutatio facta sit, cùm eadem esset causa, ut ità fieret in omnibus, et planè incredibile est, omnes Græcos codices per totum orbem, qui vel in Judæorum, vel Christianorum manibus essent, tali alicui codici conformes subitò factos fuisse: nam si fingamus, Christianos, codices suos omnes Apostolorum verbis conformes reddidisse, anne Judæi etiam suos mutare vellent? Imò hoc Christianis exprobrâssent, quòd versionem 70 falsâssent, cùm contrà eos disputantes loca ex versione 70 attulissent: aliter enim in suis codicibus legerunt. Denique, cur nemo veterum de hâc mutatione locorum quidquam scripserit, sed omnes de eo altum silent? Imò planè contrarium affirmant, cùm omnes uno ore fateantur, Apostolos ex translatione Sept. testimonia protulisse. Hoc itaque ut febricitantis somnium meritò rejicimus; certumque manet sacros Nov. Fœderis scriptores, testimonia, ut plurimùm, Veteris Test. secundùm 70 versionem citâsse: quæ cùm ità in codicibus hodiernis reperiuntur, prout illi citârunt, argumentum invictum præbent pro veritate et sinceritate nostrorum codicum.

Ex dictis planè refelluntur duæ Hieronymi assertiones. Primò, negavit versionem ab Apostolis unquàm in suis scriptis citari. At cum locis clarissimis ab Augustino allatis, contrarium fateri coactus esset, affirmavit hoc tantùm ab iis fieri, cùm versio Sept. cum Hebræo conveniebat, non ubi discrepabant, Epist. 101 ad Pammach. lib. 15, Comment. in Isa. et in Malach. 1, et Epist. ad Algaz. q. 2. At hoc etiam à vero absonum esse, ex locis à nobis jam allatis luce clariùs probatur. Interdùm quidem citantur loca, quæ nec in Heb. nec in Græc. inveniuntur: sed allusione quâdam sensus utcumque retinetur, ut Matth. 5, 33, ex Lev. 19, 22, et Matth. 10, 35, 36, ex Mich. 7, 6, etc. Interdùm etiam, uti diximus, relictis 70, quia textus Heb. sensum habet meliorem, hunc secuti sunt; ut Job. 19, 37, ex Zach. 12, 10, Matth. 2, 15, ex Hos. 11, 1, aliisque locis paucissimis. Plerùmque tamen ad 70 respiciunt, non ad textum Hebræum, ut in locis suprà allatis, innumerisque aliis patet. Profert quidem Hieron. Præf. in Pent. et in Jos. et in Paralip. quinque loca ab Evangelistis et Apostolis citata, quæ in 70 non exstant, sed in Hebr. inveniuntur, quæ vehementer pro more urget, scil.: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, Et: *Quoniam Nazaræus vocabitur;* Et: *Videbunt, quem confixerunt;* Et: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et: *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*, etc. Quibus responderi potest, excepto primo, et fortassè tertio, reliqua nec in Hebræo, nec in Græco, quoad verba reperiri. In primo verò est tantùm unius litterulæ differentia, cùm 70 legerint *filios ejus*, Evangelista, *filium meum*. In tertio, codices Græci variârunt; alii enim legunt, *saltaverunt*, alii (ut ex Nobilii notis in Zach. 12 constat) legunt *compunxerunt*, ut est in Hebræo. Sic videmus hanc Hieronymi jactantiam in fumos abire. Secundò, affirmavit Hieronym. de Epistolâ ad Hebræos dubitâsse veteres, quia loca in eâ adducuntur juxtà 70, non secundùm Hebræum. At hoc ejusdem commatis est cum priori. Nam de hâc Epistolâ nunquàm dubitârunt Græci, inter Latinos pauci: et qui dubitârunt, non hâc de causâ dubios fuisse liquet quia testimoniis ex Græco utitur (hoc enim nullus affirmat), sed quia cap. 6 et 10, Novati erroribus patrocinari videtur. Deindè, quî fieri possit, ut huic Epistolæ contradicerent, quia testimoniis ex Græcâ 70 utatur, cùm Ecclesiæ Orientales, Occidentales, Græcæ, Latinæ, Græcâ 70, vel ex eâ expressis versionibus, tunc temporis ubique usæ sint.

Tertiò, post Apostolorum tempora, Ecclesia Christiana ejusque præcipui doctores, apud quos versio 70 in magno honore fuit, hanc publicè in Ecclesiis, vel ex eâ factas versiones (solâ exceptâ Syriacâ primâ) legerunt, populo exposuerunt, in hanc commentati sunt, ex hâc exorientes hæreses et errores jugulârunt, eamque scriptis suis ubique illustrârunt, imò, ut olim S. August., an alia esset præter Græcam, quidam ignorabant. Eamdem verò fuisse cum hâc nostrâ unicuique planè constabit, si quis editionem Venetam, et quæ ex eâ expressæ sunt (exceptis quibusdam, de quibus suprà), maximè verò Romanam, vel nostram Alexandrinam, cum veterum scriptis confert. Commentarios ediderunt Hilarius, Ambros. August. in Psalmos, Cyrillus et Procopius in Isaiam; Origenes et Ambros. in Prophetas majores; Cyrillus in Genesim, Leviticum, et Prophetas majores,

et quod nuper prodiit, in minores; Hieronymus in omnes Prophetas; Chrysost. et Theodoretus in totum ferè Vetus Testam., vel in partem ejus majorem. Jam si quis horum commentarios cum editionibus prædictis confert, experietur in locis quæ primò occurrunt, et statim deprehendet, textum Græcum hodiernum eumdem esse cum eo, quem antiqui isti scriptores ubique illustrârunt : quædam hìc illìc discrepantia inveniet, ut in omnibus scriptis antiquis, sed quæ ne centesimam partem conficiunt eorum, in quibus conveniunt. Præter commentarios, etiam in veterum scriptis ubique textus quidam citantur, quos aliquandò (longiores præsertim) ad verbum exprimunt, aliquandò memoriter citant. Hoc cum dictis editionibus si quis contulerit, magnam ferè semper consensionem inveniet : quod ut in vetustissimis Ecclesiæ scriptoribus, Ignatio, Justino, Irenæo, Tertulliano, etc., ubique est videre, ità in illo, qui omnes hos præcessit Clemente Romano, Apostolorum Petri ac Pauli discipulo ; cujus Epistolam ad Corinthios, è tenebris, ubi suprà mille annos delituerat, eruit, et ex MS. nostro Alexandrino in lucem produxit Patric. Junius. In hâc Epistolâ multa ex Vet. Test. citantur, initio Epistolæ, versus 6, ex Gen. 4, in quibus hæc verba Caïn ab Abelem : *Egrediamur foràs*, exstant : et alibì loca plura adducit ex versione purâ, ut annotavit clariss. Grotius Epist. ad Gallos 105, quæque cum nostris editionibus mirè conveniunt. Ubi autem memoriter tantùm verba refert, vel plura loca in unum coacervat, quod et Apostolis frequens erat, sensum potiùs quàm verba respiciens, apertum est, haud aliam versionem, quàm illam 70 usum fuisse, non verò secundùm textum Hebræum allegâsse, et quòd verborum sensus cum nostris codicibus consentit.

Quartò, idem clarè probatur ex variis locis, quæ commemorant antiqui Ecclesiæ Patres apud 70 abfuisse, et in Hebræo adfuisse, quæ asterisco notârunt ; vel in textu Græco redundâsse, et in Hebræo abesse, quæ obelo notârunt ; vel alio ordine poni, quàm in codicibus Hebræis. Sic Jos. 20, tres versus in antiquis editionibus Græcis defuisse, ex antiquis Græcorum commentariis liquet, ut observat Nobilius in notis, licèt in Hebræo exstarent. At absunt iidem in editione Venetâ, Romanâ, Alexandrinâ. In Jerem. 17, initio, notavit Hier. quatuor versus in textu 70 abfuisse, quæ et absunt in Edit. Rom. Aldinâ, et Londin. Isa. 1, 4, aberant hæc verba : *Abalienati sunt retrorsùm*, testibus Hieron. et Basil. vel, quod idem est, sub asterisco notata erant. Quæ verba etiam in editionibus nostris absunt. Sic Is. 2, versum 22 abesse notârunt Hieronym. Basil. Cyrill. Isa. 6, v. 13 aberat, et cap. 9, v. 6, cap. 10, 4, cap. 14, 1, cap. 23, 7, 13, cap. 4, 7, 8, vel toti, vel quædam eorum particulæ ab antiquis notantur cum asterisco, eo quòd aberant à Græcâ 70. Eadem verò verba in nostris codicibus plerùmque exulant. Multa talia ubique occurrunt apud Nobilium. Secundò, multa à veteribus obelo erant notata, quæ in 70 exstabant, sed in Hebr. deerant. Talia multa diligenter collegit. D. Morinus, exerc. Bibl. 9, c. 2. Jos. 15, 60, annumerantur urbes 11, quæ, teste Hieron. in Mich. 11, non reperiuntur in Hebræo; at omnes recensentur in Edit. Romanâ, Venetâ, Alexandrinâ, etiam Basileens. Argentor. et Francofurt. quamvis hujus auctor multa addidit, et varia expunxit, ut textui Hebræo conformem redderet. Loca istiusmodi multa notantur à veteribus. Jos. cap. ult., Deut. 32, 43, Prov. 9, 2, Reg. cap. ult. ad finem, 3 Reg. c. 8, 53, Ezech. 17, 23, aliaque plurima; ubi versus unus, vel plures, vel unius particulæ quædam à Justino, Hilario, Epiphanio, Theodereto, Procopio, aliisque deesse dicuntur; quæ omnia in editionibus hodiernis desunt. Tertiò multa sunt capita versusque varii qui transponuntur, hoc est, aliter ponuntur in Græcâ 70 editione quàm in Hebræo ; quas transpositiones observârunt veteres in codicibus suis fuisse. Sic Exod. cap. 36, 37, 38, 39, omnia variè transposita olim fuerunt, quæ eodem modo transposita sunt in nostris codicibus. 3 Reg. cap. 3, 4, 5, variè transponuntur. Sic in Jer. à cap. 25 ad finem libri, omnia aliter ponuntur. Plures tales transpositiones in Proverbiis, libris Regum, Ecclesiastico, etc., olim fuisse, ostendunt notæ Nobilii, et observârunt Orig. Epist. ad Jul. Afric. Olympiodorus, Theodoret. Procopius, Gazæus et alii; ità etiam hodiè esse in editionibus dictis, Venetâ, Rom. Alex. ex locorum inspectione patet. Ità ut ex iis, quæ vel abesse vel adesse, vel alio loco et ordine disponi, notârunt veteres in sui temporis codicibus Græcis, cùm eadem planè in nostris codicibus inveniantur, quis nisi vertigine abreptus negabit, versionem hodiernam eamdem cum illâ antiquorum esse ? Si quis autem quærat undè ista capitum ac versuum transpositio originem duxerit, respondeo sive ex schedarum confusione, antequàm compactæ fuerint, ut

suspicatur D. Capellus ; sive ex sciolorum audaciâ, qui ordinem meliorem introducere vellent; sive aliâ causâ evenerit; hoc nihil contrà versionem 70 facit, cùm eadem possit esse versio, licèt capitum et sententiarum ordo permutetur; nec à situ in codice Sacro pendet verbi divini auctoritas, sed à Dei ipsius infallibili veracitate, et supremo imperio. Sic, sive Prophetæ majores, ut hodiè, sive minores, ut olim, primo loco ponantur, eadem est utrorumque auctoritas. Sic in Novo Test. ordo Evangelistarum, Actuum, et Epistolarum hodiernus multùm differt ab illo, quem in multis antiquis MSS. codicibus invenimus; hoc tamen eorum auctoritati non derogat. *Non enim curæ erat Prophetis, tempora conservare, quæ historiæ leges desiderant,* ut olim Hieron. in cap. 25 Jerem. Judæi etiam hodiè ordinem librorum Veteris Testamenti diversum habent ab eo quem tàm Græci quàm Latini habent codices, omnesque versiones hodiernæ in linguis vernaculis.

Quintò, ex antiquis libris MSS. quorum quidam nuper in lucem editi, versionem illam veterem 70 adhuc exstare, clarissimè ostenditur. De hoc codice Vaticano et nostro Alex. non opus est plura addere iis, quæ anteà dicta sunt. Hi enim cùm Hieronym. vel Origenis ferè tempora attingunt, palàm testantur, versionem Græcam, quam his temporibus Ecclesia secuta est, eamdem cum hodiernâ esse. Præter hæc, alia omnia, quæ hodiè reperiuntur, vetusta monumenta idem demonstrant. 1° Codex Cottonianus exhibet Genesis versionem Græcam, cujus pleraque capita ad Gen. 47 cum editione Romanâ collata, in sexto polyglot. Londin. habentur. Liber hic MS. est longè vetustissimus, Vaticano, et Alexandrino antiquior; quem sæpius audivi Usser. affirmantem, *esse omnium totius orbis antiquissimum*, quantùm conjicere posset. Si verò cuiquam placuerit variantes lectiones istius codicis, quas notavimus, perlegere, perspiciet planè, eamdem cum hodiernâ versionem illam fuisse, nec in rebus alicujus momenti discrepare, et varietates paucas esse, quales in omnibus libris, si cum antiquis exemplaribus conferantur, inveniuntur. 2° Testatur doctiss. Masius, Præf. in Jos. se habuisse Syriaca exemplaria antiqua suprà mille annos abhinc, *conscripta Alexandriæ, id est anno ab Alex. Mag.* 927, hoc est, antè annos 1000, secundùm æram Christianam, *quæ ad verbum conversa erant ex Græco exemplari, quod manu Eusebii ad Origenis libros, quo in Ecclesiæ Cæsariensis bibliothecâ asservabantur, emendatum erat; cùm ei ad hanc rem adjutor fuisset suus Pamphilus.* In his libris Syriacis, cùm omnes ubique notæ, asterisci, obeli, lemnisci et hypolemnisci, summâ curâ et incredibili diligentiâ appositæ fuerint; sine magno labore, et nullo errore deprehendi judicarique poterant eæ, quas modò dicebam, additiones. Libros habuit præter Josuam, ut ipse refert, Judicum, Regum, Chronicorum, Esdræ, Estheris, Judith, Tobiæ et partem Deuteron. Ex hoc codice Syriaco, qui ipsissima Origenis Hexapla referebat, librum Josuæ edidit Masius, et asteriscos omnes atque obelos, lemniscos etiam et hypolemniscos apposuit, et omnia quàm accuratissimè correxit; ut, demptis asteriscis, versionem Græcam puram, quæ in Hexaplis exstabat, exactè repræsentaret. 3° Exstat in bibliothecâ publicâ Cantab. vetustissimum exemplar Chronicorum, quod ex Græciâ cum aliis multis selectis libris Græcis olim allatum erat, per Theodorum, archiepiscopum Cantuariensem, qui sedem illam tenuit anno Christi 668, Godwino de præsulibus Angliæ. Undè constat antè mille annos hunc librum scriptum fuisse. Antiquis litteris descriptus est, quarum figura in quibusdam ab hodiernis differt. Hunc codicem cum Romanâ collatum habeo operâ generosi summæque spei juvenis, D. Man. Collegii Christo dicati Cantab. nuper commensalis, qui lectiones variantes mihi misit. 4° Edidit Joh. Curterius Procopium in Isaiam, cum ejus versione Latinâ, cui etiam addidit Isaiæ textum ex admirandæ antiquitatis libro MS. quod olim ad cardinalem Rupifucaldianum pertinuit, et Marchalum Renatum aliquandò possessorem habuit. Liber iste, ut refert Joh. Morinus, qui ipsum vidit et cum aliis exemplaribus contulit, continet Prophetas, è quibus Isaiam publici juris fecit Curterius, Oseæ quatuor priora capita cum commentariis Joh. Philippæus. Descriptus est ille codex ex Apollinarii cœnobiarchæ codice, in quo ad finem hæc verba adjiciuntur : « Desumptus est Isaias ex Hexaplis, juxtà editiones, collatus autem cum Hexaplo alio, in quo ista adnotantur. Accuratè editiones omnes correctæ sunt; collatus enim cum Tetraplo Isaias et cum Hexaplis. Ad hæc, ab initio etiam usque ad visionem Tyri, accuratiùs emendatus est: usi enim fuimus ad finem usque visionis, quæ de Tyro est, tomis Origenis, in quibus Isaiam explicat; et sedulò advertentes, quo sensu singulas dictiones sumpsisset, quantùm potuimus, omne dubium ex sensu ipsius correximus.

« Præterèà collata est etiam quæ 70 virorum « est editio cum iis, quæ in Isaiam scripsit « Eusebius, atque in quibus erat varietas ex « indagato explicationis sensu, eam ipsi quo- « que correximus. Ego Eusebius scholia adjeci. « Pamph. et Euseb. correxerunt. » Hic videmus Apollinarium purissimum textum ex Hexaplis et Tetraplis exscripsisse; quæ verò ex aliis codicibus exscripsit, in margine annotavit; obeli autem notam in honorem 70 omisit. Notæ, quas in margine adhibuit, sunt asteriscus, lemniscus, et hypolemniscus, illo addito ex hebræo, his ex variis codicibus. 5° In cardinalis Barbarini bibliothecâ, Romæ, est aliud exemplar Prophetarum vetustissimum, scholiis marginalibus ex Aq. Symmacho, Theodotione, Luciano, et in Os. 5, ex versione Quintâ, item ex Heb. et Syr. ut et aliis exemplaribus 70 insignitum. Secundum Hexapla hunc codicem correctum fuisse constat, quòd in locis quibusdam scriba exhibet specimina quædam textûs Hebræi, et versionum Græcarum, prout in Hexaplis disposita erant, per columnas, de quibus quædam suprà dicta sunt. Hujus exemplaris collationem cum editione Romanâ comparavi. Horum vetustissimorum exemplarium collationes, si quis cum editionibus hodiernis, Venetâ, Romanâ aut Alexandrinâ, conferre velit, inveniet inter omnes magnum consensum: varietates etiam pauciores et minoris momenti esse, quàm quæ ex variis Græcis Novi Testamenti exemplaribus congessimus. Adeò ut si quis ex iis inferre velit, non eamdem esse versionem illam antiquorum cum hodiernâ, eâdem operâ etiam probabit, Evangelia, ut in hodiernis exstant codicibus, non esse eadem cum illis quæ ab Evangelistis scriptis tradita erant. Quod qui assereret, helleboro opus haberet. Discrepantiæ enim quæ occurrunt, tales sunt ut plerasque ex scribarum inscitiâ, incuriâ, vel sciolorum audaciâ irrepere potuisse facilè deprehendi possit.

Sextò, si omnia alia argumenta deficerent, Ecclesiæ Græcæ praxis continua omnibus novandi studio haud obcæcatis satis probaret, eamdem versionem hodiè exstare quæ apud primævam Ecclesiam in usu fuit. Cùm enim ab initio nascentis Ecclesiæ Græci aliam non agnoverint, quàm illam 70, quam in Ecclesiis publicè prælegerunt, populo in concionibus et homiliis exposuerunt, scriptis suis explicârunt et illustrârunt, nec aliam in hunc usque diem in cultu publico et officiis Divinis usurpant, undè profitentur Ecclesiæ doctores: Bonfrer., Præloq. c. 16, sect. 4, Sixt. Senens. Bibliothec. lib. 8, *si reconciliatio fieret inter Ecclesiam Græcam et Romanam, haud aliam versionem habituros fore Græcos, quàm quæ ipsis nunc in usu est*; quis imaginari poterit, Ecclesiam illam amplissimam, et olim florentissimam, quæ tot viros doctrinâ et sanctitate claros peperit, Scripturam, quam ipsorum linguâ ab initio habuerint, quæque in usu quotidiano apud eos fuerit, sartam tectam non conservâsse, cùm Judæi Hebræum textum, Romani Latinum; Syri, Moranitæ, Syriacum conservâsse videamus? Vel si sordes quasdam temporis progressu contraxerit, quis Ecclesiarum rectores ità incuriosos et stupidos crediderit, ut ex aliis antiquis exemplaribus non emaculaverint, et correxerint? Imò his ritè perpensis, liquet moraliter, ut loquuntur scholastici, vix possibile esse versionem hanc periisse. Quin etiam, translationes omnes antiquæ inter Orientales, ubicumquè Christus Ecclesiam sibi collegit, quæque ex Græcâ 70 expressæ sunt, exceptâ Syriacâ primâ, Græcam illam adhuc exstare, clarè testantur; omnes enim cum Græcâ hodiernâ conspirare, ex collatione quisque perspicere potest. Hoc ex his versionibus, earumque partibus, quæ ad manus nostras pervenerunt et in Bibliis imprimuntur, Arabicâ, exceptis libris quibusdam, et Æthiopicâ, est videre; discrepantias verò, quæ occurrunt, vix ullius esse momenti. Reliquas etiam, quæ adhuc ineditæ, scil. Syriacam illam secundam de quâ Syrus Scholiastes, Armenorus à Chrysostomo, vel à Georgio Patriarchâ eorum, Gothorum ab Ulphilâ, Dalmatarum ab Hieronymo factas, ex eodem fonte 70 profluxisse, plerique sentiunt; cùmque tot Græcæ versionis propagines ubique terrarum exstent, quis credet ipsorum radicem exaruisse, vel tot scaturigines orbem terrarum irrigare, fontem verò nullibì reperiri posse?

Tandem adducere possumus adversariorum præcipuorum testimonia, qui fatentur versionem illam, quam post 4 Philometoris annum natam arbitrantur quamque Apostoli citârunt, adhùc manere, licèt Vulgatam et corruptam esse clamitent. Sic enim vir magnus, de quo suprà, qui instar multorum esse possit, cùm omnes, qui 70 versionem oppugnârunt, eruditione multiplici longè superet, cap. 3, pag. 21, scribit: « Stante adhuc Alexandrinâ Ptolemæi « Philadelphi bibliothecâ, in quâ accurata illa « Pentateuchi interpretatio asservabatur, etiam « perturbatam illam, quam hodiè habemus, « legis Mosaicæ versionem in manibus homi- « num fuisse, Demetrii illa annorum mundi « chronologia manifestè demonstrat. Nequę

« legis solùm, sed et Prophetarum ex Hebraico « factam versionem tunc exstitisse, in Eccle- « siastici sui prologo Jesus Siracides indicat. » Et cap. eodem, pag. 25 : « Christi postremis « et Apostolorum primis temporibus scribens « Alexandrinus Philo, quòd communi Helle- « nistarum usu eadem tùm quoque esset re- « cepta, in Pentateuchi explicatione semper « illâ est usus. Et ob eamdem causam Apostoli et « Evangelistæ, in citandis veteris Scripturæ « testimoniis frequenter, in sermonis vero ge- « nere passìm hanc sequuntur. » Idem etiam paulò antè, de Hieronymo affirmat : « Indè, « *ait*, Hieronymus, quòd in Ecclesiis etiam « editionem obtinuisse videret, in Scripturarum « citatione et ipse eâ est usus. » Hic videmus editionem illam Græcam, quam hodiè habemus, fuisse in hominum manibus antè Christum natum; eâdem Philonem usum esse; imò Apostolos et Evangelistas in citandis vet. Scripturæ testimoniis frequenter, et in sermonis genere passìm hanc secutos; eamdem Hieronymum usurpâsse: quod nobis sufficit ad probandam conclusionem nostram. Quòd enim perturbatam et corruptam illam fuisse dicit, in responsionibus ad sequentes objectiones examinabimus.

Ad argumenta contraria, quæ à quibusdam adferuntur, jam deventum est. Primum et præcipuum, quo innituntur, est, quòd locis innumeris Græca hodierna versio à textu Hebræo discrepet, ut conferenti ubique patet; cùm tamen Aristæus scripserit : *admirabilem rerum et verborum consensum fuisse inter versionem Græcam et libros Hebræos :* et Philo lib. 2. de Vit. Mos. cujus verba suprà retulimus, scribat: *Græca Hebræis,* vel, ut ille loquitur, *Chaldaicis, exactè respondisse :* nec tantùm verba, sed et integri versus et periodi adduntur in 70, quæ non sunt in Hebr., vel deficiunt in 70, quæ sunt in Hebr.

Ad hoc, quod palmarium est ipsorum argumentum, respondemus. Primò, licèt in multis discrepet versio Græca ab Hebræo, hoc discrimen tamen esse in rebus parvi momenti. Fatentur enim adversæ sententiæ patroni, ità omnia disposuisse divinam providentiam, ut omnia salutaria dogmata, quæque fidem et mores spectant, in hâc versione sarta tecta conserventur, nec quicquam continere iis contrarium, teste Usser. Epist. ad Lud. Capell. Hoc verò satis est, ut versio aliqua dicatur authentica, juxtà Bonfrer., Serarium, et alios. Quorum sententiæ licèt non assentior, contrà eos tamen est argumentum ad hominem, qui hoc argumento contrà versionem Græcam uti non possunt. Secundò, negandum 70 ad verbum vertisse; nam ad sensum plerùmque respexerunt magis quàm ad verba; undè paraphrastas sæpiùs agunt ut suprà demonstravimus. Apostoli sæpè etiam, dùm loca ex 70 allegant, paraphrastas agunt; quædam addendo explicationis gratiâ, quædam detrahendo, ubi sensus plenus esset sine illis. Hoc modo interpretes, sensu non mutato, verba sæpiùs mutârunt et aliquid explicationis gratiâ addiderunt, ut Isai. 50, 6, Hebræus habet : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus;* Sept. verò clariùs, quasi de Christo; explicant: *Dorsum meum dedi ad flagella, et genas meas ad alapas.* Isai. 65, 2, ex Hebr. reddit Hieronymus : *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum :* Sept. reddunt : *incredulum et contradicentem,* prout et Apost. Rom. 10, ult. Philo itaque et Aristæas non sunt aliter intelligendi, quàm eos ità interpretatos esse, ut rebus verba optimè congruerent : quod evidenter de Philone constat, qui ubique Scripturam allegat secundùm versionem Græcam, prout eam hodiè habemus, nec aliam tamen versionem agnovit, quàm illam quæ suo tempore vigebat 70. Tertiò, in multis videri 70 à textu Hebræo differr , cùm tamen optimè conveniant; ità ut nec ad variam lectionem in textu Hebræo, nec ad errorem in 70 necessariò recurrendum sit. Sæpè enim vox Hebræa varias habet significationes, quarum unam secuti sunt Rabbini, Hieronym. et alii interpretes, aliam Septuaginta. Undè, ut observat vir doctus, « Neoterici, qui versionem « 70 magno supercilio despiciunt, cùm ex « solis Rabbinis et eorum lexicis parùm fidelibus, « dictionum Hebraicarum sensum emendicant, « haud mirum est significationem genuinam « ipsis videri alienam. » Ut cùm verba Gen. 4, 9: *Ad prædam ascendisti, fili mi;* Sept. reddunt : *Ex germine ascendisti* : quia vox hebraica tàm *germen* quàm *prædam* significat. Sic Numer. 21, 1, vox ab Hieronymo redditur *meridies,* à 70 *desertum;* utrasque enim significationes complectitur. Hoc in aliis locis, speciminis ergò, egregiè ostendit D. Pocokius in Portæ Mosis Append. cap. 1, 2, 3, etc., ubi pluribus demonstrat : « verba quædam Hebraica, quæ « unam tantùm significationem vulgò putantur « habere, eò quòd in Bibliis solis habemus re- « liquias linguæ Hebraicæ, aliam posse signifi- « cationem habere, prout 70 reddiderunt : « quæ non tantùm ex textu Hebræo et loci « circumstantiis erui potest, sed ex versio-

« nibus antiquis, quarum auctores vixerunt « temporibus quibus Judæorum res et lingua « magis florerent, et faciliùs hæc addisceretur, « quales præcipuè Græca 70 et Chaldaica; « et ex Rabbinis, qui in hâc linguâ, quam à « teneris unguiculis statim addiscunt, exercita- « tissimi sunt: et quod ad verba attinet, non « parùm iis tribuunt Christianorum cordatiores; « et tandem ex vicinarum linguarum colla- « tione, Syriacæ, Chaldaicæ, et Arabicæ. » Hinc Jer. 31, 32, *Baalti* non necessariò per *dominatus sum, vel maritus fui*, sed commodè per ἠμέλησα, *neglexi, despexi*, verti posse ostendit, prout verterunt 70. Isa. 28, 16, *non festinet*, verti posse cum 70, μὴ καταισχυνθῇ, *non pudefiet*. Non aliter itaque legerunt 70 quàm nos hodiè, sed aliter reddiderunt, quàm recentiores, cùm varias significationes ambitu suo idem verbum comprehendat. Sic in loco celebri, Psal. 19, 4: *In omnem terram exivit*, Kavam, *linea eorum*, quod vertunt 70 φθόγγος αὐτῶν, *sonus eorum*, ostendit ille ex Arabicâ voce aliud significatum, licèt minùs notum, convenire, scil. tàm *clamoris* quàm *lineæ vel amussis*: undè rectè verti possit cum 70: *vox eorum*. Hæc inter alia profert vir ille doctiss. Quam viam utinàm alii tentâssent, antequàm virgulam censoriam ad 70 versionem apposuissent, vel in Hebr. ad codicum varietatem confugissent! Novi virum doctissimum, linguarum peritissimum, qui quarumdam Hebræo vicinarum subsidiis, aliisque fundamentis nixus, versionem Græcam cum textu Hebræo reconciliare feliciter incœpit et libros quosdam perfecit. Quartò, discrepantiæ multæ ortæ sunt ex scribarum mercede conductorum incuriâ et festinatione, qui, ut citiùs pensum absolverent, mendas plurimas reliquerunt; quod in libris toties descriptis, ubiquè terrarum dispersis, facilè evenire poterat; aliæ etiam ex audaciâ et temeritate sciolornm, qui sub specie corrigendi textum corruperunt; aliæ ex glossematis in margine ex aliis exemplaribus annotatis; quæ in textum posteà migrârunt; quod in omnibus libris nimis frequens est et familiare; aliæ ex interpretum lapsu; nam in quibusdam eos errâsse, ut homines, nullatenùs dubitandum. Nam facilè erat ipsos hallucinari in opere adeò difficili, à nemine anteà tentato, in quo neminem habuère præeuntem vel prælucentem: cùm destituti etiam fuerint plurimis adminiculis, quæ nos habemus; nec alio viatico instructi, quàm mediocri, licèt pro temporum ratione magnâ, Hebraicæ et Græcæ linguæ cognitione, qualis tunc temporis inter Judæos esse poterat, quo sæculo Græca illis peregrina et barbara fuit; Hebraica etiam per ducentos ferè annos Judæis desierat esse vernacula, ut observavit doctiss. Capell. de locis parallelis. Novimus rerum omnium principia rudia esse, nec mirandum progressus in omni cognitionis genere meliores in dies fieri; facilè enim est inventis addere. Ipsi primò hoc tentârunt, et alii ipsorum operâ adjuti loca quædam fortassè meliùs reddere possunt; nam pigmæus gigantis humeris insidens, longiùs prospicere potest, quàm gigas ipse. Undè fieri possit, ut sequentibus seculis, quibus tot, tàm Judæi quàm Christiani, in hoc studio incubuerunt, et sacrarum litterarum illustrationi operam navârunt, quidam versione hâc suffulti multa observaverint, et commodiùs explicârint, quàm qui primò glaciem fregerunt. Quintò, etiam ex codicum Hebræorum varietate quasdam discrepantias fluxisse certum est, undè unam lectionem secuti 70, aliam Rabbini et Pharisæi, qui libros Hebræos post Antiochi tyrannidem recensuerunt. Hoc constat ex notis marginalibus Keri et Ketib, prout suprà notavimus, ubì 70 aliquandò lectionem, quam posteà in marginem retulerunt Masorethæ, in textu secuti sunt. Judæorum enim scribæ privilegium infallibilitatis habuisse, præ Novi Testam. descriptoribus, nulla ratio suadet. Ex defectu etiam punctorum non negandum, voces quasdam et sententias ambiguitate laborâsse et alio sensu reddi posse. Idem etiam ex litterarum transpositione, mutatione, etc., ob soni vel figuræ affinitatem, aliisque de causis, accidere posse, ostendunt Schindlerus, Præf. Lexic. Pentaglott. et D. Capellus Criticæ lib. 4. Hæc omnia accuratè distinguere, et ex causis dictis discrepantias singulas sigillatìm colligere, ut quænam ex scribarum negligentiâ, sciolorum audaciâ, interpretum inadvertentiâ, vel codicum varietate, profluxerint, dignosci possit, opus esset viris, qui judicio, doctrinâ et otio abundant dignissimum, in quo multa quidem præstitit Nobilius; omnia tamen non ità perfecit, quin multa adhùc restant in eodem genere peragenda.

Objiciunt secundò, Tetrapla, Hexapla et Octapla periisse et unà cum iis eam, quæ pro purâ et sincerâ 70 versione olìm habita est; sic vir rever. Prætereà exemplaria hodierna mixta esse ex Aquilæ, Sym. Theodot. aliisque versionibus, unà cum illâ 70. Origenis etiam asteriscos et obelos evanuisse, ità ut Vulgata et mixta sit, quæ nunc habetur. Resp. negando puram et sinceram illam, quæ in Origenis He-

xaplis exstabat, unà cum Hexaplis periisse, nec possum non mirari virum rever. ista scripsisse; cùm idem sæpiùs Hieron. epistolam ad Suniam et Fretelam citaverit, ubi disertè affirmat Hieron. : « puram illam, quæ in Hexaplis erat, « à se versam fideliter in latinum sermonem, « eamdem Hierosolymis, atque in Orientis « Ecclesiis decantari, necnon in eruditorum « libris incorruptam et immaculatam reser- « vari. » Si in Orientis Ecclesiis et Hierosolymis in usu fuit hæc pura translatio, si ab ipso Hieronymo in latinum versa, cujus versionem Prophetarum adhùc inter ejus opera habemus, si in eruditorum libris tunc temporis exstabat, quomodò perire poterat cum Hexaplis? Adeòne negligentes erant omnes Ecclesiæ Orientis, ità vecordes omnes eruditi, ut nil curarent de purâ versione posteris transmittendâ, sed veram et sinceram editionem, quam publicè in divinis usurpabant, perire sinerent? Imò nobis pura exemplaria reliquerunt; adhuc enim habemus exemplaria cum Hexaplis convenientia, quædam ex iis correcta et elaborata, de quibus suprà prolixè disseruimus.

Si quis verò dicat, omnia illa exemplaria vetusta vulgatam tantùm editionem referre, non puram, licèt de vulgatâ illâ editione quædam suprà habuimus, hoc addendum censemus, maximè absurdum esse hoc effugium et ab omni ratione alienum. Supponit enim omnes qui codices suos emendare et corrigere desiderabant, neglectâ purâ et sincerâ editione, quam ipsi pro tali habebant, quæque ad manum erat, impuram secutos esse et se ipsos Ecclesiasque miserè per summam stultitiam decepisse. Si verò per vulgatam intelligant mixtam cum astericis, pura esse poterant istius modi exemplaria, si asteriscos habuissent appositos. Nam, ut Hieron. ad Augustinum : *Tolle, vel ne legas, quæ sub astericis posita sunt, et habebis reliquam versionem* 70. Sic in ipsâ vulgatâ erat et editio pura.

Tertiò, objiciunt quidam, αὐτόγραφον ipsum 70 periisse in conflagratione bibliothecæ Ptolemæi; ergò hodiè non exstat verum aliquod exemplar. At hoc planè puerile est, et responsione seriâ vix dignum, cùm tempore conflagrationis istius nemo ignoret, infinita fuisse exemplaria inter Judæos ubique dispersos, qui hanc versionem publicè in synagogis, et privatim legerunt. Simili argumento probare possent nulla sincera Veteris vel Novi Testamenti exemplaria hodiè exstare, quia omnes codices originales perierunt, et à multis seculis nullibi exstârunt. Certè helleboro opus habet, qui indè probare vellet, nulla vera sacrorum librorum ἀπόγραφα hodiè haberi. Ratio tamen est planè eadem, vertant se quocumquè velint.

Quartò, objiciunt alii, Sept. Seniores tantùm quinque libros Mosis vertisse, cùm in editionibus hodiernis omnes Vet. Testamenti libros conversos habeamus. Ad hoc suprà responsum, quò lectorem remitto.

Quintò, affirmat Hieron. Præf. in Job : *Si quis ea, quæ in hoc libro sub astericis addita erant, detraxerit, pars maxima detruncabitur;* et in latinis codicibus antè suam emendationem, 70 vel 80 versus defuisse. Danielis etiam versionem Græcam ità corruptam fuisse, ut Ecclesiæ Christianæ, quæ in aliis libris 70 versionem secutæ sunt, hic eam repudiant; et quòd in ejus locum Theodotionis versionem substituere coactæ sint. Librum etiam Estheræ valdè corruptum fuisse ostendit vir ille doctiss. ex Hieron. et ex duobus exemplaribus MSS. multùm inter se discrepantibus; producit etiam ex editione Romanâ Judicum cap. 8. et cum editione nostrâ Alexandrinâ confert, ut magnam inter illa duo vetustissima exemplaria discrepantiam probet; necnon ex Justino loca varia profert, quæ à lectione codicum hodiernorum multùm distant. Respondeo : In Danielem magis æquus erat Hieronym. licèt in 70 omnium veterum maximè iniquus, quàm Neoterici nostri; nam alias causas refert, cur Theodotionis interpretatio loco 70 perlecta publicè fuerit; non quòd vitiosa erat, et adeò corrupta 70, ut aliam coacti sint Ecclesiæ præsides ejus loco substituere : nam nihil tale apud Hieronymum legitur. Verba ejus sunt : « Cur hoc acciderit, nescio. Sive « enim quia sermo Chaldaicus est, et quibus- « dam proprietatibus à nostro eloquio discre- « pat, noluerunt 70 interpretes easdem linguæ « lineas in translatione servare; sive sub no- « mine eorum, ab alio, nescio quo, non satis « Chaldæam linguam sciente, editus est liber; « sivè aliud quid causæ exstiterit, ignorans; « hoc unum affirmare possum, quòd multùm « à veritate discordet, et recto judicio repu- « diatus sit. » Hic videmus Hieronymum alias causas adferre; inter quas est et illa, quod non à 70, sed ab alio linguæ Chaldaicæ ignaro, versus sit hic liber, quod probabile est. Cur enim Ecclesiarum magistri hunc potiùs librum, quàm reliquos, respuerent, non video, si ab iisdem auctoribus profectum fuisse credidissent. Hoc telum itaque versionem 70 non petit. Si conjecturæ locus sit, videtur hic liber, cùm prophetias haberet apertas de mu-

tatione, et ruinâ maximorum orbis regnorum, sub quibus Judæi vixerunt, publicè ab iis prælectum non fuisse, ne principes, sub quorum jugo erant, irritarent, ut de Apocalypsi suspicantur multi, ob hanc causam non statim publicatam, vel in Ecclesiâ receptam, quia in eâ multa mala imperio Romano prædicta erant. Imò fortassè ob eamdem causam, Sept. hunc librum non transtulerunt, ne Ptolemæum offenderent, sed ab alio quodam posteà in Græcum conversus erat. Ad illud Hieronymi, de triplici ferè parte libri Job in vers. 70 decurtato, resp. Hieronymum fortassè in aliquod tale exemplar mancum et imperfectum incidisse, vel in quibusdam Ecclesiis talia exemplaria fertè vidisse; at alia omnia exemplaria talia fuisse, à vero alienissimum esse, testantur codices MSS. antiquissimi, Vaticanus et Alexandrinus, quorum uterque Hieronymi seculo antiquior est, in quibus liber Job integer habetur, prout hodiè in aliis libris impressis legitur. Idem etiam constat ex veterum scriptis, qui vel in librum Job commentarios ediderunt, ut Greg. Magnus, vel ejus loca quædam explicant, vel allegant, apud quos altum est de hisce defectibus silentium. Imò liquet, ipsum Hieron. hunc librum integrum legisse. Ex hoc autem aliisque liquet Hieronymum omnem occasionem captâsse versionem hanc deprimendi, quò faciliùs suam ex Hebræo traductam in Ecclesiam Latinam ejus loco introduceret : nec tutò fidendum Hieronymo in iis, quæ contrà versionem 70 profert, cùm ex animi impetu et fervore, affectibus nimis indulgens, multa hyperbolicè locutus sit, imò circà eam variis locis suî oblitus apertè contradictoria scripserit. Idem de libro Estheræ dicendum Hieronymum ex uno vel altero codice, quos viderat, de omnibus temerè pronunciâsse. Nam in libris MSS. Hieronymo antiquioribus, liber Esther, consentit cum exemplaribus reliquis impressis. In omnibus quædam sunt, quæ apocryphorum nomine in quibusdam exemplaribus recentioribus seorsim imprimuntur, quæ in omnibus antiquis codicibus per totum librum intersparsa reperiuntur, quæ fortè Hieronymo erroris occasionem dederunt, cùm aliter in codice Hebræo legerit. In exemplaribus antiquis Romano et Alexandrino discrepantiæ quædam occurrunt, ut in omnibus antiquis codicibus, præsertim in libris Judicum et Regum ; at vix alicujus sunt momenti, nec plerumquè aliæ, quàm quæ ex scribarum oscitantiâ, vel sciolorum audaciâ in omnes libros irrepere possunt. Imò in Novi Test. antiquis Græcis codicibus, si quis exemplaria impressa cum antiquissimis MSS., nostro Alex., aliisque ; tot inveniet discrepantias, ut si aliquid valeret hoc argumentum, codicum Novi Fœderis auctoritatem, ut anteà diximus, enervaret, vel prorsùs everteret. Quæ ex Justino aliisque Patribus adferuntur, quæ ab hodiernis codicibus differre videntur, haud magni ponderis sunt; nam Patres sæpè memoriter verba Scripturæ citant, ad sensum, non ad verba respicientes. Sæpè per allusionem referunt, ubì nec sensum quærunt; aliquandò codices habuêre vitiatos, per glossemata per culpam librariorum intrà textum illapsa et cum eo commixta ; hinc testimonia sæpè proferunt à 70 diversa. Hoc enim multis solemne fuit, cùm versionem 70 legerunt, eamque vel cum Aq., Sym., vel Theodot. contulerunt, vel cum textu Hebræo, quædam in margine annotare, ubì aliquod discrimen deprehenderent. Undè notis istis ex margine in textum receptis, qui istiusmodi codicibus usi sunt, vel aliis ex ejus descriptis, sæpè multùm discrepantia à verâ 70 lectione verba referunt.

De auctoritate hujus versionis, quantumque ei tribuendum sit, licèt ex dictis judicare possimus, quædam tamen addenda duximus, ad recentiorum ora obstruenda ; qui Hebraicæ veritati, vel Vulgatæ Latinæ honorem debitum exhibere se non putent, nisi in Græcam versionem involent et tantùm non pedibus conculcent.

Inter veteres solus Hieronymus passim interpretes erroris incusat et ipsorum versionem carpit, Comment. in Prophetas, et alibi. Præf. priori in Job : « Neque, inquit, fieri potest, « ut quos plura intermisisse susceperint, non « eosdem etiam in quibusdam errâsse fateantur, præcipuè in Job, cui si ea quæ sub « asteriscis sunt substraxeris, pars maxima de« truncabitur. » Loca verò, quæ ex Hieronymo in contrarium adferuntur, ubì honorificè de 70 et eorum versione loqui videtur, ut Præf. 2 in Paralip., ubì scribit : *eos Spirit. S. plenos ea quæ vera fuerunt transtulisse, sed scriptorum culpæ adscribenda errata,* etc. Et lib. 2 Apol. contrà Ruffinum, ubì profitetur « se nunquàm « 70 interpr. tantillùm voluisse detrahere : « egone, inquit, contrà 70 interpretes aliquid « sum locutus, quos antè annos plurimos dili« gentissimè emendatos meæ linguæ studiosis « dedi ? » etc. Hæc, inquam, loca tantùm probant, vel Hieronymum sententiam mutâsse, vel cùm ab adversariis premeretur, quasi ipsis detraheret, ut invidiam à se amoveret, ho-

norificè de 70 scripsisse ; cùm tamen in expositionibus, ubi liberè quid sensit deprompsit, passìm eorum interpretationem carpserit : undè videtur, Hieronymum suî oblitum, interdùm de hâc re contraria scripsisse.

Quæ verò à recentioribus contrà hanc versionem dicuntur, longissimè à vero abesse, cuivis constabit, qui animo perpenderit, universam Christi Ecclesiam aliam versionem, per quingentos post Christum annos, præter hanc, et quæ ex eâ derivatæ sunt, versiones, unicâ exceptâ Syriacâ, ignorâsse ; hanc unà cum fide Christianâ ab Apostolis accepisse, et tantùm non pro sacrosanctâ habuisse, tantùmque abfuisse, ut de interpretum fide dubitârint, ut potiùs Spiritu S. dictante, ità eos scripsisse affirmârint. Etsi enim interpretes non fuissent vates, tamen sacros codices spontè eos corrupisse, licèt quà homines errare potuissent, dictu nefas omnes existimârint. Undè valdè temeraria, ne quid gravius dicam, est illorum censura, qui *ipsos pro arbitrio addidisse, detraxisse, et quodlibet mutâsse, lusumque ipsis fuisse, omnia pro libitu mutare et corrumpere,* dicunt : quod non interpretum erat, sed corruptorum pessimorum, imò impiorum et perditissimorum nebulonum ; hoc enim nulli homini sobrio, vel mentis compoti in mentem venire poterat, nedùm viris tantis, doctrinâ et probitate celeberrimis. Quæ verò à viro summo dicuntur, infirmis niti fundamentis, ex sequentibus liquet : 1° Quod de auctore nescio quo habet hujus versionis, qui eam coactus est conficere, et quantâ potuit negligentiâ perfecit, *ne porcis,* id est gentibus, *margaritas projiceret,* etc., planè novum est et inauditum, cùm nullum veterum testimonium pro eo adferat : imò omnes historiæ, omnesque veteres scriptores reclamant, qui unicam tantùm versionem agnoscunt, eamque 70 interpretibus adscribunt, vel si Pentateuchum solum ad 70 referant, ut Judæorum quidam videntur, nemo tamen reliquorum librorum interpretes textum spontè corrupisse, vel coactos illum vertisse, affirmavit ; sed à Judæis quibusdam in gratiam Judæorum Alexandrinorum, qui Hebraicam linguam ignorârunt, conversum fuisse opinantur. Qui verò contrà unanimem omnium veterum scriptorum, imò totius Ecclesiæ Christianæ, sententiam quidquam profert in rebus, quæ testimoniis præcipuè nituntur, certè non nudas conjecturas, sed majoris ponderis testimonia, vel liquidas demonstrationes, quibus nemo refragari poterit, adferre debet. 2° Dùm versionem illam corruptam, et à nescio quo profectam, in locum puræ 70 versionis succrevisse, ejusque nomine tàm apud Judæos quàm apud Christianos, invaluisse contendit, plurima indè absurda necessariò sequuntur : 1° Hanc impuram et perturbatam versionem ab omnibus Judæis per Asiam, Ægyptum, etc., publicè in Synagogis receptam et usurpatam fuisse, cùm tamen, fatente eodem, *pura* 70, *saltem Pentateuchi, versio in Ptolemæi bibliothecâ usquè ad Cæsaris tempora exstaret, cui omnibus liber aditus patebat, et ex quo,* teste Aristæâ, *Judæi alia exemplaria descripserunt;* hoc tamen licèt optimè scirent, voluisse aquam turbidam et cœnosam bibere, potiùs quàm puram et limpidam ex fonte puro. 2° Etsi *pura illa* 70 *in privatorum manibus extaret temporibus Domini et Apostolorum,* fatente eodem, Josephum tamen et Philonem ubique ferè turbidam illam in citationibus secutos esse ; imò Apostolos, purâ illâ ,quæ tùm exstabat, neglectâ, turbidam et vulgatam in concionibus et disputationibus usurpâsse, imò in sacro Novi Testamenti Canone, omnia ferè ex illâ citâsse, et quasi consecrâsse et authenticam fecisse. 3° Eosdem vulgatam hanc et impuram versionem Ecclesiæ tradidisse, nec de erroribus monuisse, nec de aliâ meliori prospexisse, cùm tamen ipsam 70 sinceram in multorum manibus esse nôssent. Hæc et alia ejusmodi ἄτοπα plurima, ex uno dato necessariò sequuntur, quæ digito monstrare satis erit. Denique, si vera essent quæ affirmant Neoterici, eorum causam nil juvarent. Nam sive hæc versio facta fuerit sub Philadelpho, sive sub Philometore, sive à 70 viris, sive ab aliis, cùm apud omnes certum sit, quibusdam antè Christum seculis à Judæis publicè receptam, et ab Apostolis et Ecclesiâ Christianâ usurpatam, ut ex dictis abundè liquet, auctoritatem eamdem habet et habere debet apud omnes. Nam non ex eo quòd per Sept. Seniores facta sit, vel quòd tempore Philadelphi, vel Philometoris, etc., sed quòd tùm à Judæis, tùm ab Apostolis et Ecclesiâ, accepta et approbata fuerit, auctoritas ejus pendet. Nam ut Synagogam antè Christum, sic Ecclesiam posteà, veritatis columnam, et sacrorum codicum custodem, Deus constituit, ex cujus ore legem populus haurire debet, teste Prophetâ Malach. 2, 7.

Qui contrà versionem 70 seniorum calamum strinxerunt, inter alia argumenta, quibus eam impetunt, hoc imprimìs urgent, quòd in annis Patriarcharum antè et post diluvium usquè ad Abrahamum à codicibus Hebræis

multùm variat, et annos circà 1500 ad calculum Hebræum addat. Etsì verò quæstiones chronologicæ nihil sunt ad fidem et mores, nec authentiam textûs tollunt, et ad chronologiam hæc quæstio propriè pertineat, cùm tamen ad versionis Græcæ auctoritatem convellendam à quibusdam hoc adferatur, paucis de eo hoc loco agemus. Cùm autem in his numeris concordet Vulgata Latina cum hodierno Hebræo, indè est quòd plerique tùm Romano-Catholici, tùm Protestantes, computationem Græcorum rejiciant. Vir summus, ex quo anteà quædam adduximus, c. 2, v. 14, *lusisse*, ait, *in chronologià istà pertexendà Hellenistam nostrum, nihilque minùs quàm interpretis officio fungi voluisse; sed datâ operâ ab eo quod in textu originali invenit, recessisse; veritatis ratione omni insuper habitâ in annorum Mathusalem, et filii ejus Lamechi designatione.* Quæ quidem censura, ut iniquissima, sic à vero est maximè aliena, tùm in eo quòd Hellenistam, nescio quem, auctorem versionis Græcæ fingit, contrà omnes veteres; tùm in hoc de annis Mathusalæ. Cùm enim de eo affirmet, ex calculo 70, ipsum diluvio 14 annis supervixisse, contrà expressam Scripturam, 1 Pet., 3, 20, Gen. 4, 7 et 8, 16, 28, 23, optimè novit, errorem illum omnes codices Græcos non invasisse, cùm Augustinus notaverit, *in tribus Græcis exemplaribus, uno Syriaco et altero Latino, aliter annos Mathusalæ descriptos fuisse*, de Civit. lib. 15, 13. Et idem q. 2 in Genes. dicit, « quæstionem illam plurium codicum « mendositatem peperisse, quia non solùm in « Hebraicis aliter invenitur, verùm etiam in « 70 interpretatione, Mathusalem, in codicibus « paucioribus, sed veracioribus, sex annos « antè diluvium reperitur fuisse defunctus. » Alii eodem anno diluvii mortuum esse dicunt, et quòd pro 187 annis Mathusalem, cùm generavit Lamech, scribendi sunt 187, prout in MSS. legitur et in antiquisimo Cottoniano MS. Octateucho Job, Clementis, et Aldinâ editione, ex quâ pleræque Germanicæ. Et ità legisse Epiphanium, Augustinum, et Julianum Africanum ex eorum computatione constat. Merus itaque calumniandi pruritus recentiores adegit, ut hæc contrà 70 objicerent, cùm inter eos doctiores optimè nôrint in antiquissimis Græcis codicibus aliter legi : undè errorem corrigere debuerunt, non calumniandi causam arripere.

Ut ad reliquorum Patriarcharum annos veniamus, in sex eorum antediluvianis, post παιδογονίαν annos 100 singulis adimit versio 70; totidemque iis antè παιδογονίαν addit, Genes. 5. Et Genes. 11, sex similiter aliorum Patriarcharum singulis annos 100 antè παιδογονίαν adjicit. Calculus itaque ætatum Patriarcharum antè diluvium, secundùm Heb. et Vul. Lat., est annorum 1656, Græcorum 2242, post diluvium ad Abraham secundùm Hebræos, 292, secundùm 70 interp. 1171. Hæc ut meliùs intelligantur, consulat lector tabulas chronologicas doctiss. Lud. Capel. De hâc quæstione gravi ac difficili, nos sententiam non ferimus; sed rationes pro utrâque lectione proponimus, omnia lectoris pii ac prudentis judicio subjicientes. Ex unâ parte, pro calculo Hebraico militat codicum Hebraicorum consensus, saltem à temporibus Tamuldicis; imò in quibusdam codicibus circà tempora Christi ità lectum fuisse ex Onkelosi Paraphrasi constat, quæ omnium consensu circà illa tempora facta est, et exactè in annorum istorum computatione, cum codicibus hodiernis Hebræis convenit. Ità etiam Hieronym. ex Hebræo transtulit, et Vulgata Latina apud Occidentales Ecclesias in usu suprà mille annos, ità legit. Magni quidem ponderis est hoc argumentum ex auctoritate codicum originariorum deductum, quibus antè omnes versiones fides adhibenda est, nisi ostendi possit errorem in textum Hebræum irrepsisse, quod hìc vix probabile est, cùm nullus post tot annorum centurias emendationem tentaverit, nec lectionis varietatem agnoverint Masorethæ priores vel posteriores; cùm in aliis locis emendationem videamus, ut Jos. 21, ubi duo versiculi in omnibus ferè antiquis codicibus Hebræis aberant, quos adesse debere manifestum est, et in omnibus ferè codicibus et exemplaribus recentioribus restituuntur. Accedit plerorumque hujus seculi chronographorum consensus, inter quos viri multi doctissimi, qui vel Hebraici textûs, vel Vulgatæ Latinæ auctoritate ducti, calculum 70 rejiciunt.

Ex alterâ parte, multa producuntur à variis doctrinâ et judicio claris, et in hâc quæstione exercitatissimis. Versio illa Græca antiquissima, constanter has annorum centurias addit, quod aliundè fieri non potuit, nisi quòd ità erat in exemplaribus Hebræis, quibus usi sunt 70. Quam versionem licèt nemo sanus font æquet, multò minùs præferat, textus enim originalis versioni, cæteris paribus, præferendus est, cùm tamen ex versione et aliis evidentibus rationibus ostendi possit codices quosdam Hebræos olim aliter legisse; tùm non inter fontem et versionem instituitur quæstio,

sed inter codices varios, quorum alii hoc, alii alio modo legerunt, cujusnam codicis lectio sit præferenda? Etsi probari possit in codices hodiernos mendam irrepsisse, calculus 70 erit præferendus. In codicibus autem Græcis mendam non esse, inter alia hæc suadent, quòd nec casu, nec consilio hæc variatio fieri potuit. Non casu fortuito, vel librarii lapsu factum esse fatentur omnes; nam licèt in unius Patriarchæ vitâ annorum centuria casu addi posset, in tot fieri non potuit, nisi certo consilio. Et verba sequentia in quolibet versu, quo Patriarcharum anni antè et post παιδογονίαν in unam summam colliguntur, quæ summa cum centuriis adjectis congruit, planè convincunt hoc casu fortuito fieri non potuisse.

Caput vj.

DE VULGATA LATINA VERSIONE.

Multas olìm fuisse versiones Scripturæ latinas docet S. Augustinus lib. 2 de doctrinâ Christianâ cap. 11, ubì ità scribit: « Qui Scripturas in Græcam linguam verterunt numerari possunt. Latini autem interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, et aliquantulùm facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. » Inter illas autem una erat quæ ab Augustino loco citato, cap. 15, *Itala,* ab Hieronymo in cap. 14 et 49 Isaiæ, *Communis* et *Vulgata*, à Gregorio Epist. ad Leandrum antè Moral. præfix., *Vetus* appellata erat, quam reliquis prætulerunt, quia, ut Augustinus, erat verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ; hanc verò in Ecclesiâ latinâ maximè in usu fuisse, undè nomen *Italæ* et *Vulgatæ* habuit; quia verò reliquis antiquior erat, *Vetus* dicebatur. Facta est autem hæc versio, ut et reliquæ omnes Latinæ Veteris Test. istorum temporum, ex Græcâ 70, et magnæ auctoritatis erat apud Ecclesias Occidentis. Primus enim inter orthodoxos, qui post 70 ex Hebræo fonte Latinam versionem aggressus est, erat Hieronymus. Auctoritatis verò tantæ fuit, ut quidam ad Apostolorum discipulum quemdam ut auctorem, referre non dubitârint, ut Serar. Proleg. Bibl. cap. 19, q. 8, et alii, qui peculiari Spiritûs S. assistentiâ factam esse volunt, quod licèt sine auctoritate asserant, probabile tamen est ipsam ab ipsis Ecclesiæ primordiis in usu fuisse, cùm Ecclesia Latina sine versione Latinâ esse non potuerit, eamque Ecclesia Romana, quæ principem inter Ecclesias locum semper tenuit, et antiquarum traditionum tenacissima fuit, in communi usu reciperet. Undè Sixtus Senensis Biblioth. l. 8, ait editionem veterem *Vulgatæ* et *Communis* nomen accepisse, tùm quia nullum certum haberet auctorem, tùm quia non de Hebræo fonte sed de κοινῇ vel de 70 interpretatione sumpta esset, quemadmodùm Augustin. 18 de Civit. Dei, et Hieronymus Præf. Evangeliorum, testantur. Cujus lectione usa est Ecclesia longè antè Hieronymi tempora, et etiam multò post, usquè ad tempora Gregorii Papæ. Hanc enim communis Patrum assensus à primordio nascentis Ecclesiæ usquè ad Damasum Papam longo usu approbat. De hâc quædam diximus cùm de editione Romanâ 70 disseruimus. Constat etiam Hieronymum multis annis antequàm ad textum Hebraicum vertendum se accingeret, Græcam 70 Latinè transtulisse, ut ex lib. 2 contrà Ruffinum, quem circà 15 annos antè ipsius obitum scripsit, satis constat, ubi scribit se 70 interpretes antè annos plurimos diligentissimè emendâsse, et linguæ suæ studiosis dedisse, et quòd Psalterium juxtà 70, à se emendatum, Romæ receptum esset. Eadem habet Præf. in Paralip. ad Chromatium, et Præfat. ad Lev. et Epist. ad Augustinum. Undè benè colligit J. Morinus Hieronymum cùm adhùc juvenis esset hoc opus confecisse; hujus verò versionis suæ habemus Prophetas inter opera sua adhùc servatos. An verò Hieronymus Latinam illam versionem ex Græcâ 70 de novo fecerit, an tantùm Vulgatam et Italam emandaverit, vix liquidò constat. Probabile tamen mihi videtur quosdam libros de novo vertisse, reliquos tantùm emendâsse. De novo vertit Psalterium, ut ipse scribit Epist. ad Sun. et Fret., librum Jobi, ut ex utrâque præfatione constat, et libros Salomonis, ut lib. 2 adversùs Ruff. cap. 8, habetur. Reliquos solùm emendavit. Codices verò sibi Græcos comparavit quàm maximè castigatos, qui scilicet in Hexaplis exstabant, ubi puram et incorruptam versionem 70, ab Origene descrip-

tam fuisse, ipse tùm Epist. ad Suniam et Fretelam, tùm alibi affirmat. Asteriscis etiam et obelis hanc suam versionem notavit, non tamen ex Theodotione, ut fecerat Origenes, sed ex ipso Hebræo, qui quidem hodiè evanuerunt, nec ullibi apparent. Hoc ex Præf. 2 in Paralip. et Epist. ad August. constat, ubi hæc habet: « Quod in aliis quæris Epistolis cur prior « mea in libris Canonicis interpretatio asteriscos « habeat, et virgulas prænotatas, et posteà aliam « translationem absque iis ediderim, etc.; » *respondet:* « se non tàm vetera abolere conatum « fuisse, quàm linguæ suæ hominibus emen- « data de Græco in Latinum transtulisse, « etc. » Nec etiam vetus illa, quam *Vulgatam* dicimus, antè Nobilii labores, ullibi simul exstabat. In usu quidem fuit, non obstante novâ Hieronymi versione ex Hebræo, per ducentos ferè annos post Hieronymum, ut ex verbis Gregorii constat, qui utrâque tàm novâ Hieronymi quàm vetere illâ ex 70, in Commentariis suis usus est, ut ex verbis ejus in Epist. ad Leandrum præfixâ libris Moralium, et lib 20 Moral. cap 23, liquet: *Quia sedes Catholica*, inquit, *cui auctore Deo præsideo, utrâque utitur, mei quoque labor studii ex utrâque fulcietur.*

Cùm verò hodiernæ Vulgatæ editionis auctorem esse Hieronymum multi contendant, de Hieronymi versione ex Hebræo primò dicendum est, videlicet 1° Quibus auxiliis suffultus versionem suam aggressus sit. 2° Rationes quænam fuerint, quæ ad hoc opus ipsum impulerint. 3° Quosnam Scripturæ libros verterit. 4° De laboris et operis hujus successu, sive quomodò recepta fuit hæc versio in Ecclesiâ. Posteà inquirendum: 1° an Vulgata hodierna eadem sit cum illâ Hieronymi, vel quemnam habuerit auctorem. 2° Cujus auctor tatis antè et post Concil. Trident. 3° Ex quibus codicibus confecta sit. 4° Cur Ecclesia Latina, relictâ veteri Vulgatâ Latinâ, novam receperit.

Hieronymum quidem dotibus naturæ et artis optimè instructum fuisse ad hoc opus nemo negabit, cùm improbo labore trium linguarum præ reliquis sui temporis fuerit peritissimus, et in omni litteraturâ excellens. Undè illud Prosperi de ipso distichon:

Hebræo simul et Graio Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister.

Ex ipsius enim operibus colligitur ipsum variis Judæorum Rabbinis præceptoribus usum fuisse, ut in linguæ Hebrææ et Chaldaicæ scientiam penitiorem penetraret. Primò cùm juvenis in eremo degeret, vitam monasticam sectans, à Judæo converso prima linguæ Hebraicæ rudimenta hausit; sic enim scribit epist. 4 ad Ruffinum, quòd quùm juvenis in eremo esset, nec vitiorum incentiva nec naturæ ardorem jejuniis frangere poterat, ad mentem edomandam, fratri cuidam, qui ex Hebræis crediderat, se in disciplinam dederat, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatem Frontonis, et lenitatem Plinii, alphabetum disceret, et stridentia anhelantiaque verba meditaretur, etc. Eadem habet Præf. in Dan. 2. Post annos suprà 20, ex Ægypto rediens Hierosolymam majores fecit progressus in Hebraicis sub Barrabano Judæo, quem magno pretio conduxerat, ut ipsum nocte instrueret, quia instar Nicodemi, Judæos fratres suos timuit. Sic Epist. 65 ad Pammachium et Oceanum, cùm putabant homines se finem fecisse discendi, scribit quòd venit rursùm Hierosolymam et Bethleem, quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habuit præceptorem. Timebat enim Judæos, et mihi alterum exhibebat Nicodemum. De hoc etiam in Is. 21, 3. Posteà alterum habuit præceptorem de Tiberiade, legis doctorem, qui apud suos in admiratione habebatur, cum quo contulit à vertice ad extremum unguem. De hoc Præf. in Paralip. 4. Alium habuit Lyddæum præceptorem, qui apud Hebræos primus putabatur, quem multis redemit nummis. De quo in Job. 5. Alium tandem habuit pro linguâ Chald., de quo Præf. in Dan. *Adhortante quodam Heb. et illud crebriùs in suâ linguâ ingeminante: Labor improbus omnia vincit, qui mihi videbar sciolus inter Hebr., cœpi rursùs esse discipulus Chaldaicus.* Ex hisce videmus ipsum nullis laboribus vel sumptibus pepercisse, ut ad Hebraicæ eruditionis culmen ascenderet. Undè Augustinus, licet Hieronymi consilium non probaret, fatetur tamen ipsum fuisse trium linguarum peritissimum. Jam verò præter linguarum subsidia, magnum adjumentum in hoc opere perficiendo suppeditârunt Origenis Tetrapla, Hexapla et Octapla, in quibus præter textum Hebræum tàm Hebraicis quàm Græcis descriptum litteris, sex habuit versiones Græcas, de quibus suprà, id est Aquilæ, Symmachi, 70 seniorum, Theodotionis, et Quintam ac Sextam anonymas, et quarum tùm secum invicem, tùm cum textu Hebræo collatione, non potuit non multùm proficere.

Causæ verò quæ ipsum ad hoc opus impulerunt, prout ipse variis in locis agnoscit, erant variæ quæ in versionibus Græcis et Latinis irrepserunt corruptelæ, tùm etiam

quòd ipsos 70 sæpiùs cespitâsse, et ab Hebraico textu longè discessisse ipse, postquàm Hebraicam linguam exactiùs calleret, observârat, tùm quòd reliquæ versiones factæ sunt ab hominibus semichristianis et Judaicis apostatis, qui in odium fidei Christianæ multa Scripturæ loca perversâ expositione corruperant. Prætereà Aquila, ut suprà innuimus, non tantùm vocum sensum, sed et vocum etymologias superstitiosè sæpè sectatus est, undè obscurus erat. Symmachus vocum sensum respiciens, verbis se non obstringens, longè à vero sensu aberravit. Theodotion verò, licèt medius incederet, et à doctis præ reliquis probaretur, sæpè tamen, cùm à fide deficeret, verba torquebat, ut erroribus suis patrocinium quæreret. Hieronymus ergò, vir acri et fervido ingenio, imperfectiones aliarum versionum animo revolvens, et amicorum suasu ac hortatu excitatus, rem Ecclesiæ utilem se facturum existimabat, si novam versionem ex Hebraico fonte exprimeret, quam ingenti animo et laboribus indefessis tandem perfecit, quæ magis quàm reliquæ cum Hebræo conveniebat, et accuratior erat. Hanc fuisse consilii sui rationem ipse sæpiùs explicat. Præf. Paral. hæc habet : « Si 70 interpretum pura, et ut « ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superfluè me, Chromati, episcoporum « sanctissime, impelleres, ut tibi Hebr. volumina Latino sermone transferrem. Quod « enim semel aures hominum occupaverit « et nascentis Ecclesiæ roboraverit fidem, « justum erat etiam nostro silentio comprobari. Enimverò cùm varietate regionum « diversa ferantur exemplaria, et germana « illa et antiqua translatio corrupta sit atque « violata, nostri arbitrii putas, *aut* in pluribus « indicare quid sit verum, etc. » Hæc et alia isto loco et alibi in versionem 70 scribit, quæ licèt hyperbolicè ab ipso dicta sint, nec tantam passa esset illa versio mutationem, quantam ille credi voluit, imò ex aliis illius scriptis, præsertìm antequàm de Hebræâ in Latinam vertendo cogitaverat, ipsum planè contrarium sensisse constat de Græcâ versione, ut suprà ostendimus, quæ alias haud passa sit corruptelas, quàm omnes libri vitio librariorum et temporum injuriâ contrahunt, hanc tamen causam ubique affert, eamque more suo exaggerat datâ quâlibet occasione, ut hoc modo ab adversariorum invidiâ se protegeret, qui hoc ipsius molimen suggillârunt, ut in 70 versionis opprobrium factum, de quâ omnium animis altè insederat existimatio veneranda. Hoc itaque aggressus est Hieronymus privâto consilio et quorumdam amicorum hortatu, non verò ex jussu Damasi Pontificis, ut inter alios affirmat Joh. D'Espeires tract. 3, disp. 3, dub. 1. Affirmat etiam Platina in Vitis Pontif., Damasum primum scriptis Hieronymi auctoritatem dedisse, cùm priùs 70 interpretum scripta tantummodò in pretio erant. Certum tamen est Hieronymum hanc versionem post Damasi mortem confecisse. Damaso quidem charus erat, cui fuit ab Epistolis, sed juvenis erat cùm Damaso innotuit, et Damasum annos suprà triginta supervixit et, mortuo Damaso, Româ Hierosolymam secessit, et Bethleemum, ubi per quinquennium in monasterio vixit, ut ex Epist. 99 ad Asellam, et initio Epist. 116 ad Paulam et Eustochium colligitur. Post hæc Barrabanum præceptorem habuit, ut ex Epist. 65 ad Pammachium constat, et posteà Hebraicè satìs instructus ad versionem ex Hebræo se accinxit. Verum est ipsum jussu Damasi N. Testamentum vel Evangelia saltem emendâsse, ut ex Præf. Evangeliorum liquet; at V. Testamenti ex Hebræo versionem non potuit aggredi ex Damasi jussu, qui multis anteà annis mortuus est.

Quosnam verò Scripturæ libros vertit? Quoad Testamentum, ex Præfationibus quas singulis libris præfixit constat, omnes qui ab Hebræis pro canonicis recipiuntur, ut et libros Judith et Tobiam, vertisse; in quibus Præfationibus calumniam frequenter deprecatur, quòd Scripturam ex Hebræo in Latinum vertere ausus sit. Affirmat de se, libro De viris illustribus extremo, et testatur Augustinus Epist. 8 et 10, et de Civitate Dei l. 18, cap. 43, ipsum Vetus Testamentum ex Hebræo vertisse; libros verò Sapientiæ, Ecclesiastici, Macchabæorum, Baruch, Epistolam Jeremiæ, Additiones ad Estherem et ad Danielem non vertit. Ecclesiasticum et lib. 1 Macchabæorum affirmat se in Hebraicâ linguâ vidisse, ut et librum Tobiæ. Inter Canonicos, constat ipsum Psalterium tùm ex Hebræo convertisse, licèt hæc ejus versio in Vulgatâ hodiernâ non sit; tùm sæpiùs ex Græco vel vertisse vel emendâsse. Quater enim circà Psalterium laboravit. Primò ex Hebræo, ut dixi, in Latinum vertit, ut in Epist. ad Sophronium legimus, et hæc ejus versio inter opera ejus exstat. Secundò, ex editione 70 Græcâ, quæ in Hexaplis erat sincera et incorrupta, quam asteriscis et obelis notavit, de quâ in Epist. 135 ad Suniam et Fretelam. Tertiò, ex Præf. Psalt. ad Paulam et Eustochium et Epistol. ad Sophronium

constat ipsum bis emendâsse, ex editione Lucianeâ, quæ Vulgata et Communis dicta est, quæ eadem erat cum 70, sed à Luciano in quibusdam correcta et emendata; hanc primâ vice emendavit, ut est in Epist. ad Sophronium et posteà iterùm emendavit, additis asteriscis et obelis, ut ipse affirmat Præf. in Psalt. ad Paulam et Eustochium; et hæc ejus emendatio auctoritate Damasi Romæ in usu erat teste ipso Hieronymo l. 1 contrà Ruffinum, c. 8. Novum verò Testamentum non de novo vertit Hieronymus, sed tantùm emendavit, nec fortassè totum emendavit, sed Evangelia tantùm. Sic enim ipse lib. De script. Eccles. : *Vetus Testamentum juxtà Hebraicum transtuli, Novum Græcæ fidei reddidi.* Hoc verò jussu Damasi Pontificis præstitit. Sic enim Præf. ad Damasum scribit : « Novum opus me cogis facere ex veteri, ut « post exemplaria Scripturarum toto orbe dis- « persa quasi quidam arbiter sedeam, et quia « inter, se variant, quæ sunt illa quæ cum « Græcâ consentiant veritate decernam. Pius « labor sed periculosa præsumptio judicare « de cæteris, ipsum ab omnibus judicandum, « etc. » Posteà hæc addit : « Hæc præsens « præfatiuncula pollicetur quatuor tantùm « Evangelia, quorum ordo est Matth. Marc. « Luc. Joan. codicum Græcorum emendatâ col- « latione, sed veterum, quæ ne multùm à « lectionis Latinæ consuetudine discreparent, « ità calamum temperavimus, ut his tantùm « quæ sensum mutare videbantur correctis, « reliqua manere pateremur ut fuerunt. » Hìc apertè videmus Hieronymum non versionem, sed emendationem sibi arrogare, et Evangelia tantùm nominare, licèt alibi de toto Novo Test. loqui videatur. Cùm enim Augustinus Epist. 10, cap. 4, hoc opus sibi acceptum esse significavit, licèt aliter de ejus labore in veteri Test. vertendo sentiret, sic scribit : « Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, « quòd Evangelium ex Græco interpretatus « sis, quia in omnibus ferè nulla est offensio, « cùm Scripturam Græcam contulerimus. » Hieronymus respondet : *Si me, ut dicis, in Novi Testamenti emendatione suscipis*, etc. Ubì quòd Augustinus *versionem* vocâsset, ipse tantùm *emendationem* dicit, et de Novo Test. in genere loquitur. Quandò verò vel à quo facta sit Latina hæc Novi Test. versio, difficile est aliquid certi statuere. Probabile est antiquissimam fuisse, et in Ecclesiâ Romanâ ab ipsis Apostolorum temporibus in usu fuisse, ut de Veteri Vulgatâ Veteris Test. diximus, cùm de nullâ aliâ antiquiore aliquid leginus. Nec verisimile est Latinâ versione Ecclesiam Latinam caruisse, nec quam initio habuerit primævis temporibus Apostolorum voluisse mutare vel rejicere.

De successu verò conatûs ejus constat, quòd licèt versio ad textum Hebr. propiùs accederet quàm illa 70, cùm illi sensum sæpè paraphrasticè reddiderint, hic verò ipsa verba exactè plerumquè secutus sit, et sensum sæpiùs optimè expresserit, undè à multis cum magno applausu recepta fuit, plerique tamen doctores, Ecclesiarum rectores et episcopi, inter quos Augustinus, hoc ejus incœptum primò improbârunt ut temerarium, et ad auctoritatem versionis 70 convellendam et minuendam factum. Undè multis calumniis impetitus Hieronymus, necessariò apologias scribere coactus est, in quibus sæpè testatus est se nihil in 70 versionem molitum esse, sed ex Hebræo fonte in Latinum transtulisse, ut eorum desiderio satisfaceret, qui avebant scire quomodò in Hebræis codicibus legeretur. Judæi quidem versionem ejus approbârunt, ut conformem textui Hebræo, undè ipsum vocat R. Azarias l. 3. meor enajim *interpretem Christianorum* κατ' ἐξοχὴν. Sic Kimchi ad Psal. 110, vocat *interpretem* absolutè, Ab. Esra, ad Psal. 3, *interpretem præputiatorum;* R. Jos. Alb. lib. Fundamentorum, vocat *sapientem translatorem;* Elias Levita, *doctum Hieronymum.* Græci verò in sermonem Græcum verterunt, teste ipso Hieronymo lib. 2 contrà Ruffinum, ubì contrà calumniatores sic scribit : « Undè « me putabam de Latinis meis benè mereri « et nostrorum ad discendum animos conci- « tare, quòd etiam Græci versum de Latino « post tantos interpretes non fastidiunt, indè « in culpam vocor. » Genebrardus l. 2 chronol. dicit à Sophronio versam fuisse; à quocumque verò conversa sit, certè hodiè periit ista versio, nec publicè recepta fuit apud Græcos, licèt in privatorum manibus esset; nam nulla ejus vestigia ullibi jam apparent. Ruffinus verò acriter Hieronymum increpavit : « Quis, « inquit ille, lib. 2 Invect., ex tot et tantis « prudentibus et sanctis viris, qui antè te « fuerunt, ad istud opus ausus est manum « mittere? An ut divinarum Scripturarum « libros, quos ad plenissimum fidei instrumen- « tum Ecclesiis Christi Apostoli tradiderunt, « novâ nunc et à Judæis mutuatâ interpre- « tatione, mutares? » Hæc et multa alia objiciebant ejus æmuli, maximè verò urgebant quòd 70 interpretationem, quæ in magnâ apud omnes veneratione erat, hâc novâ versione conatus sit de solio dejicere, ad quod sæpiùs

respondet, profitendo se ne tantillùm auctoritati 70 derogare velle, quorum versionem divinam et in S. Spiritu factam agnoscit. Sic Præfat. in Jobum : « Cogor persingulos Scriptu- « ræ divinæ libros adversariorum respondere « maledictis, qui interpretationem meam re- « prehensionem 70 criminantur. » Quibus subdit : « Audiant canes mei idcircò me in hoc « volumine laborâsse, non ut interpretationem « antiquam reprehenderem, sed, etc. » Sic in prol. Galeato : « Periculosum opus certè « et obtrectatorum meorum latratibus patens, « qui me asserunt in 70 interpretum suggilla- « tionem nova pro veteribus cudere, etc. Quid « igitur? Damnamus veteres? Minimè, sed « post priorum studia quod possumus in domo « Domini laboramus. » Undè contrà Ruffinum qui hoc ipsi objecerat sic scribit : « Egone « contrà 70 interpretes aliquid sum locutus, « quos antè annos plurimos diligentissimè « emendatos meæ linguæ studiosis dedi, quos « continuè in conventu fratrum edissero, « quorum Psalmos jugi meditatione decanto, « stultus eram, ut quod in pueritiâ didici, « senex oblivisci vellem, etc. » S. verò Augustinus, Hieronymi familiaris, opus hoc ità improbavit, ut non permiserit novam hanc versionem per ejus diœcesin legi, et, antequàm perfecta fuerat, Hieronymum hortabatur, ut ab incœpto desisteret, et in aliis operam poneret; sic enim scribit ad Hieronymum Epist. 19 : « Propterea à se nolle ejus interpreta- « tionem in Ecclesiis legi, ne contrà 70 auc- « toritatem tanquàm novum aliquod proferentes « magno scandalo perturbemus plebem Chris- « ti, quarum mens et corda illam interpre- « tationem audire consueverunt, quæ etiam « ab Apostolis approbata est. » Idem Epist. 10 ad eumdem Hieronymum : « Ego sanè te « mallem Græcas potiùs Canonicas nobis in- « terpretari Scripturas, quæ 70 interpretum « auctoritate perhibentur. Perdurum erit enim « si tua interpretatio per multas Ecclesias « frequentiùs cœperit lectitari, quòd à Græcis « Ecclesiis Latinæ Ecclesiæ dissonarent, etc. » Dein exemplum profert tumultùs à plebe excitati ex lectione novæ Hieronymi versionis per quemdam episcopum in Ecclesiâ cui præerat, ubi Græci quidam Hieronymi versionem apud Jonam Prophetam falsi arguebant, ità ut cogeretur episcopus Judæorum testimonium flagitare, etc. Ex his videmus versionem Hieronymi omnibus non placuisse, nec ab omnibus receptam; post ipsius verò obitum, ut observant Serarius et alii, paulatim auctoritatem nacta est, et apud multos recepta, qui ejus sinceritatem et cum Hebræo convenientiam deprehenderunt, ità tamen ut tùm vetus, tùm hæc nova in usu essent usque ad Gregorii Magni tempora. Ipse enim Epist. ad Leandrum ad finem, antè libros Moralium sic scribit : « Novam translationem differo, sed ut « comprobationis causa exigit, nunc novam « nunc veterem per testimonia assumo, ut quia « sedes Apostolica, cui auctore Deo, præsideo, « utrâque utitur, mei quoque labor studii ex « utrâque fulciatur. » Ubi videmus utrumque in usu fuisse, in expositionibus, etc., ità tamen ut nova veterem adhùc non exclusisset. Licèt verò utrâque usus esset Greg., tamen alibi liquet ipsum novam prætulisse; nam l. 20, Moral. cap. 3, dicit quòd nova hæc translatio cuncta veriùs transfudisse perhibetur, et credendum sit quidquid in eâ dicitur.

Posteà per gradus editio hæc prævaluit, tacito potiùs Ecclesiæ Latinæ consensu, quàm ullius Synodi vel Pontificis decreto; nam licèt Hugo de Sancto Victore l. de Script. c. 9, asserat Ecclesiam Latinam hanc solam versionem legendam et in auctoritate habendam constituisse, constitutionem tamen nullam profert, nec à quo vel quandò facta sit indicat. Verum est Anselmum, Bernardum, Rupertum, Haymonem et alios hanc probâsse, et in scriptis generaliter explicâsse, vel potiùs ex novâ et veteri mixtam, ut posthàc explicabimus; non tamen ità prævaluit, ut veterem penitùs extrudere potuerit, sed utraque in usu fuit, donec tandem ex utrisque mixta hæc, quæ nunc Vulgata dicitur, coaluit, quæ nullâ publicâ auctoritate stabilita est, nec in solium authenticè posita antè Decretum Tridentinum, sed tacito consensu cum veteri recepta.

Causas verò, quæ tùm Hyeron. ut conficeret, tùm Lat. moverint ut novam sive ex toto, sive ex parte majori reciperent, varias allegant Salm. Proleg. 3, Bonfrer. Præloq. c. 15, Sect. 3, Sixtus Senensis lib. 8 Biblioth, ad finem, et alii, quorum potiores hæ videntur : Quia, ut olim Orig. Epist. ad Jul. Africanum, necessarium erat habere translationem ex Hebraico factam, quæ cum versione 70 conferri et legi posset, ut contrà Judæos meliùs fidei nostræ dogmata tueremur; nam nisi in textu aliquo conveniremus, nunquàm cum hoste decertare, vel ipsum convincerè possemus. Hæc verò nova versio Hebraico textui verbis magis consonat quàm Græca. Judæi Christianis insultabant dicentes non ità esse in Codice Hebr. ut illi citabant, undè Hier. Præfat. ad Isaiam

dicit, ne Judæi de falsitate Scripturarum Ecclesiis diutiùs insultarent se ex Hebræo vertisse. Dein translatio 70 erat potiùs, saltem in multis, periphrasis et commentarius quàm versio obscura elucidans et explicans, sensum potiùs quàm verba reddens, undè congruum erat aliam ex Hebraico ferè de verbo ad verbum cudi, quò ostenderetur illos nihil Hebr. textui contrarium reddidisse. Prætereà post Christum Prophetiis expletis, ex ipso rerum eventu longè clariùs reddi posse veteres prophetias ad Christum et Nov. Test. spectantes quæ antè impletionem obscuræ erant, et ab interpretibus nonnisi obscurè reddi possent. De hoc Hier. Præfat. in Pentateuch : « Illi qui « antè Christum interpretati sunt, quod nescie- « runt dubiis sententiis protulerunt; nos verò « post possessionem et resurrectionem ejus non « tàm Prophetiam quàm historiam scribimus. » Tandem et hoc adjicit ex Hieron. Præfat. in Esd. Sixtus Senensis lib. citato, ut hoc modo exsultantem Græciam compescerent et eorum fastum supprimerent, qui se Latinis in tantùm præferebant, ut dicerent, nihil divinarum Scripturarum habere Latinos quod non à Græcis mutuò accepissent; ex hâc causâ credibile est Pontifices Romanos hanc versionem promovisse. Ex his quidem causis novam versionem in usu publico recepit Ecclesia Latina, ut ad usum magis aptam. Veterem tamen nunquàm rejecit vel damnavit, vel contrà ejus auctoritatem aliquid decrevit, sed in eodem statu eam esse permisit, quo anteà fuit, licèt ex negligentiâ doctorum, squalida et inculta, et quasi in tenebris sepulta jacuerit, antequàm hujus seculi industria eam in lucem produxit et pristino nitori restituit.

De auctore Vulgatæ Latinæ hodiernæ disceptant Catholici tùm inter se, tùm cum Protestantibus, negantibus horum plerisque, Hieronymi esse; ex illis verò affirmant plerique, quidam negant. Negant esse Hieronymi Pagninus Præf. ad Vet. Test., Driedo lib. 2, cap. 1, Baronius loco citato, Duacenses Theol. Præf. in Vet. Test. Sixtus Senensis lib. 8 ad object. 8, Guil. Budæus Annot. ad Pandectas, p. 163. Quibus etiam Bellar. Azorium, Maldon. adjungunt, qui vel Hieron. esse negant, vel ex Hieron. et veteri Vulgatâ mixtam esse affirmant. Protestantes verò omnes, paucissimis exceptis, Hieronymi non esse contendunt. Serarius, Joh. Mariana et plerique hodiè doctores, quorum aliqui concedunt mixtam esse, in minutis quibusdam, ex majori tamen parte cùm fiat denominatio, Hieronymo adscribendam esse statuunt. Qui ad Hieronymum referunt, ex ejus nomine auctoritatem majorem ei conciliare student, alii ità vitiosam esse dicunt, ut Hieronymo indignam existiment. Ut verò certi aliquid statuere possimus, distinctè agendum est. 1° Certum est Psalmorum librum in Vulgatâ non esse ex Hieronymi versione ex Hebræo, licèt Psalmos ex Hebræo verterit, et inter ejus opera versio illa exstet, sed esse ex antiquâ versione 70, secundùm Luciani Martyris emendationem. Hunc librum recensuit Hieronymus jussu Damasi Pontificis, et Romæ receptus est, ut suprà indicavimus; quia verò Psalmos ex quotidiano usu, et quia in templis quotidiè decantati præ cæteris Scripturæ partibus, etiam vulgus memoriter tenebat, ità ut mutatio sine gravi offensâ populi fieri non posset, ideò Psalmi in Vulgatâ secundùm antiquam editionem retenti. Idem etiam statuendum de plerisque libris, quos Judæi in Canonem non receperunt, quos suprà enumeravimus, et de his nulla est controversia; concedunt enim Bellarm. Bonfrer. et alii. 2° Quod ad reliquos libros attinet, certum est illos majori ex parte Hieronymi versionem spirare : nam si quis contulerit Prophetarum versionem Latinam ex Hebræo, quæ inter ejus opera exstat cum Vulgatâ Latinâ hodiernâ, deprehendet in omnibus ferè ad verbum convenire eum demque auctorem referre; vix enim per integrum aliquod caput unius verbuli differentiam inveniet. Prætereà Vulgatam ex Hebræo factam esse, non ex Græcâ Sept., ipsa ubique clamat; cum Hebræo enim plerumque convenit ipsumque ad verbum magis exprimit quàm textus Græcus. Certum verò est, nullum fuisse, qui post Hieronymum ad nostra tempora, ad Pagninum usquè, Biblia ex Hebræo in Latinum transtulit; pleraque enim, non omnia, ut Bellar. et alii, quæ in antiquâ versione defuerunt, quæque ex Heb. se supplevisse dicit Hieronymus in suâ versione, exprimuntur in Vulgatâ : ut illud Ose. 11, 2 : *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Zach. 12, 10 : *Videbunt in quem crucifixerunt.* Pleraque etiam, non omnia, ut posthàc videbimus, quæ in antiquâ Vulgatâ aliter legebantur ac in Hebræo, observante Hieronymo, eodem modo hodiè leguntur in Vulgatâ ut in Hebræo, et ut legenda censuit Hieronymus, ut Genes. 22, ubi vetus editio ex Græcâ legebat : *Complevit* Deus *die sexto opus suum,* monuit Hieronymus secundùm Hebræos legendum esse *die* 7; et v. 22, pro *extastâ,* vertit Hieronymus *soporem.* Genes. 5, in annis παιδογονίας Patriarcharum, convenit Vulgata cum Hebræo, non cum 70; Genes. 33, 16, pro *hippodromum,* vertit *verno tempore.* Jon.

4, 6, pro *cucurbitam*, vertit *hederam*. At verò in omnibus istis locis, ut aliis multis, Vulgata sequitur lectionem Hieronymi. Videatur Hieronymi Epistola 89 ad Augustinum, quæ est 11 inter Epist. Augustini. Tandem in eâdem Epist. dicit Hieronymus se omnibus ferè libris, quos ex Hebræo traduxit, præfationes præfixisse, quas in omnibus Bibliis Vulgatis singulis libris præfixas videmus; at incredibile est, ut observat Bellar., totum opus periisse, præfationes remansisse. 3° Certum est in omnibus Vulgatam non esse Hieron.; nam præter Psalmos et ea, quæ ex veteri Vulgatâ, vel ex Theodotione addidit, ut in Additionibus ad Etheram et Danielem est videre, etiam in reliquis libris ubique multa occurrunt, quæ Hieron. non esse cuilibet clarum est; nam in multis convenit cum Veteri Vulg. sive 70, ubi versio Sept. ab Heb. differt; sæpè cum Theod. Sym. Aq. sæpissimè etiam aliter habet, quàm Hieronymus in operibus suis vertendum censuit; undè puram Hieron. non esse, sed mixtam facilè est colligere. Hieronymus sæpiùs profitetur, se secundùm Hebraicam veritatem transtulisse, nec versionem 70, ubi ab Hebræo differt, probat, sed ubique datâ occasione ostendit quantùm ab Hebræo discrepat; imò hoc sæpè inculcat, quòd ipsum primùm ad novam versionem impulerit 70 ab Hebræo discrepantia; undè vix credibile est ipsum alicubì spontè ab Hebræo discessisse, et in eumdem lapidem impingere voluisse. Prologo Galeato dicit quòd sibi omninò conscius non sit mutâsse se quippiam de Hebraicâ veritate; imò ad Judæos provocat, annon fideliter ex Hebræo verterit. Præfat. in Esth. et Nehem. ad Domnionem et Rogatianum hæc habet: *Quid interpretem laniant? Interrogent Hebræos, et ipsis auctoribus, translationi meæ vel arrogent vel derogent fidem.* Idem Præfat. in Estherem sic alloquitur Paulam et Eustochium: « Tenentes adhùc Hebraicum librum, per sin- « gula verba novam translationem aspicite, ut « possitis agnoscere me nihil etiam augmen- « tando, addendo, sed fideli testimonio sim- « pliciter, sicut in Hebræo habetur, historiam « Hebraicam Latinæ linguæ tradidisse. » Videmus Hieronymum fidenter suam in vertendo fidelitatem asserere, et quòd Hebræum textum accuratè exprimeret. At 1° sæpè relicto Hebræo, Vulgata sequitur 70, ut plurima loca apertè ostendunt. Gen. 4, 8, verba illa, *egrediamur foràs*, non sunt in Hebræo, habet tamen Vulgata unà cum 70; Gen. 8, 7, in Hebr. est: *Corvus exibat exeundo et redeundo;* at legit Vulgata cum 70: *Egrediebatur et non revertebatur.* Gen. 4, 15: *Propterea quicumque occiderit Caimum;* at Vulgata, cum 70, Sym. et Theodot. legerunt divisim: *Nequaquàm id fiet.* Jos. 21, 37, pro nomine civitatis *Kedemoth* legerunt 70 Γεδσὼμ, quibus consentit Vulgata, quæ habet *Jethsom.* 1 Sam. 10, 19, in Heb. est: *Et dixisti ei:* ubi Sept. et Vulgata legerunt *nequaquàm.* 1; Sam. 9, 24, addit Vulgata ex 70 verba hæc, quæ non sunt in Hebræo: *Stravitque Saul in solario, et dormivit.* Job. 1, 21, desunt in Hebræo hæc, quæ 70 et Vulgata habent: *Sicut Domino placuit, ità factum est.* Thren. 3, ult. in Heb.: *Dabis ipsis obfirmationem cordis, maledictionem tuam eis;* Vulg. et 70 legunt *laborem tuum.* Ose. 10, 14, legerunt: *Jerobaal, à domo ejus qui judicavit Baal.* Ezech. 34, 16: *Robustum et pingue perdam,* Vulgata legit, *custodiam,* ut 70 φυλάξω. Multa talia proferri possunt, ubi relicto Hebraico Vulgata sequitur Septuaginta; infinitum esset alia omnia recensere ubì ab Heb. differt Vulgata, præter codicum varietatem, interpretis errores, et librariorum incuriam. Quædam addam ubì Hieronym. in commentariis et tractatibus, aliter ex Heb. vertit, vel vertendum censet, quàm in Vulgatâ legitur. Gen. 1, 2, legit Vul.: *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* Hier. Quæst. Heb. docet Hebr. vertendum, *incubabat.* Gen. 3, 8, legit Vulg. *ad auram post meridiem,* Hieron. verò vult legendum, *ad vesperam.* Gen. 4, 4, legit Vulgata: *Et respexit Dominus ad Abel, et munera ejus,* etc. Hieron. Theodotionis versionem præfert qui vertit: *Et inflammavit Dominus super Abel, et super sacrificium ejus,* etc., quæ versio significat quomodò Deus testatus est Abelis se sacrificium acceptâsse, scil. ignem cœlitùs mittendo; sic in plurimis aliis locis, affirmant Villalpand. et Pradus in Ezech. centum locis aliter vertisse Hieronymum quàm est in Vulgatâ, in quibus locis Vulgata Hieronymum correxit. Sic Morin. Exercit. 6, c. 12, sect. 7. Id evidenter colligitur ex Sancti Hieronymi commentariis, in quorum variis locis aliter vertit, addit vel subtrahit, quàm anteà in translatione fecisset. Præter hæc etiam quædam Vulgata editio addit, quæ non sunt in Hebræo; quædam transponit aliter ac in Hebræo; quæ omnia ostendunt auctorem non κατὰ πόδα Hebræos codices secutum, cùm tamen Hieronymus profiteatur se ad verbum, quantùm fieri poterat, ex Hebræo transtulisse, vel saltem codices Hebræos Hieronymi tempore multùm ab hodiernis discrepâsse, quod tamen de tàm ingenti discrimine nemo facilè concesserit, post Hieronymi saltem tempora.

Exempla additionum habemus, Eccles. 9, 2, ubi in Hebræo legimus: *Omnibus idem eventus, bono et puro et impuro*, Vulgata legit: *bono et malo, puro et impuro;* Jos. 21, 36, adduntur in Vulgatâ: *In solitudine;* item nomen civitatis *Misor*, quæ non sunt in Hebræo. Omissionis, inter alia Gen. 49, 32, ubi versiculus, qui est in Hebræo, omittitur in Vulgatâ, scil. *possessio agri et speluncæ quæ est in eo, ex filiis Heth.* Ruth. 2, 19, ad finem hæc verba sunt in Hebræo: *Ipse est vindex noster,* quæ in Vulgatâ desunt. Thren. 1, 12, hæc verba: *Annon ad vos*, quæ sunt in Hebræo, in Vulgatâ non habentur. Transpositionis seu methathesis, Ose. 12, 3, 4, in Hebræo sic legimus: *In utero supplantavit fratrem, et in robore suo dominatus est Angelo, et prævaluit.* Vulg. verò ità legit et invertit: *In fortitudine suâ directus est cum Angelo et invaluit ad Angelum, et confortatus est.* Ex his verò aliisque quæ afferri possunt locis, Vulgatam non esse puram Hieronymi versionem, sed ex Hieronymi aliisque, maximè verò ex Vulgatâ veteri mixtam patet, licèt nova editio à plurimis probata fuerit; tàm altas tamen in aliorum animis radices egerat Græcæ 70 auctoritas, ut per novam penitùs aboleri non potuerit, sed utraque tàm publicè in Ecclesiis quàm privatorum doctorum manibus in usu erat, donec tandem, ad conciliandos omnium animos, et ut pax ac unitas servaretur, ex utrisque tertia conflata sit, quæ maximâ quidem ex parte Hieronymum auctorem agnoscit, ne tamen antiqua penitùs sperni videretur, multis locis lectio antiqua retenta: sic enim Fortunatus Fanensis Præfat. de variis translationibus: « Licèt (Vulgata) aliquandiù Hieronymi esse credita fuerit, tamen « ut majoribus nostris, quasi per manum traditum est, partìm ex antiquissimâ et vetustissimâ editione Latinâ, quam Hyeronymus « Communem et Vulgatam, Augustinus Italam, « Gregorius Veterem appellat, retentam esse; « partìm ex Hieronymi versione ex Hebræo « nata est. » Idem sentit Baronius Annal. ad annum 231, sect. 47, ubi ex « duplici editione « magnam animorum contentionem, et metum « schismatis ortum fuisse *dicit*, dùm alii novæ, « alii veteri adhærebant, undè ad offensam et « scandalum præcavendum cùm in divinis laudibus, cæterisque sacris officiis alii aliam legendo, psallendo, concionando, tractando « consectarentur, ne Ecclesia penè divisa « schismate videretur, afflante Numine provisum est, ut ad Ecclesiasticum communem « usum una ex duabus quæ usui omnibus Ecclesiis esset, conflaretur, quæ communis omnibus « et Vulgata diceretur, explosâ Veteris et Novæ « nomenclaturâ. » Bellar. de Verbo Dei, lib. 2, c. 9, ità scribit: « Editio Vulgata, quamvis « maximâ ex parte Hieronymi sit, tamen non « est illa purè quam ipse ex Hebræo convertit, « sed est aliquo modo mixta, additis non paucis ex versione 70 quæ in Heb. non inveniuntur, atque id potissimùm in lib. Regum « et in Proverb. » Idem notant Theologi Duacenses Præfat. in Vet. Test. et quod omni exceptione majus est, idem testatur Præfatio Bibliis vulgatis auctoritate Clementis 8 repurgatis et publicatis præfixa, ubi disertè habentur hæc verba: « Latinam hanc edit. ex Hieronymi translatione vel emendatione susceptam, partìm retentam ex antiquâ versione « Latinâ quam S. Hieronymus Communem et « Vulgatam, S. Augustinus Italam, S. Gregorius Veterem translationem appellat. » Non opus est plura addere, cùm ex dictis satis constet quidnam de Vulgatæ auctore sentiendum sit.

Caput vij.

DE SAMARITANIS ET EORUM PENTATEUCHO, EJUSQUE VERSIONIBUS.

De Scripturâ Sacrâ, ut exstat in tribus linguis præcipuis, quas Christus cruce suâ consecravit, Hebræâ, Græcâ, Latinâ, satis pro instituto diximus. Restat ut de versionibus, quæ antiquitùs in aliis linguis exstabant, quædam addamus, in quibus breviores erimus, cùm in illis prolixiores fortassè quibusdam videamur. Primùm verò sibi locum vindicant Pentateuchus Samaritanus ejusque versiones, cùm Pentateuchi codex idem ferè sit cum Hebræo, characteribus Hebraicis antiquis descriptus, quos Judæi, reduces in Assyriacos, quibus hodiè utuntur, permutârunt, undè non inter versiones, sed inter textûs Hebraici exemplaria vetusta numerari possit. Quædam tamen de Samaritanis, eorumque origine, rebus gestis,

religione, schismate à Judæis facto, capitali Judæorum in eos odio, ejusque causâ, aliisque hujusmodi prælibanda.

Primò ex Scripturâ constat, 3 Reg. 12, et 2 Chron. 10. decem tribus, quæ à Roboamo, Salomonis filio, defecerant, regem sibi elegisse Jeroboamum, qui anteà metu Salomonis in Ægyptum fugerat, cùm Ahijah Propheta prædixerat ipsum super decem tribus regnaturum, 3 Reg. 11. Hic verò ne populus Hierosolymâ ascendendo, ob cultum et sacrificia quotannis secundùm legem peragenda, in Roboami obsequium redirent, duos vitulos aureos unà cum altaribus in Dan et Bethel erexit, ut coràm eis populus sacrificaret; loca etiam excelsa exstruxit, et sacerdotes non ex tribu Levi, sed de vulgi fæce ordinavit, 3 Reg. 12, 28, 29, etc., ut his artibus populum Israeliticum sibi obstrictum teneret. Optimè enim noverat Jeroboam quantam in animis hominum vim religio obtinet, quantùmque in politiâ et civili regimine valeat; undè religionem duxit innovandam, cùm regimen politicum immutaret, ne si antiqua staret religio, novum ejus regnum, quod cum illâ consistere non potuit, statim corrueret. Posteà regum Israelitarum sedes et regni metropolis facta est Samaria, quam rex Omri empto à Schomeron monte Samariæ ædificavit, 3 Reg. 16, 14, et secundùm nomen Schomeron à quo montem emit *Samariam* denominavit. Licèt verò cum schismate verus Dei cultus magnam partem inter decem tribus corruptus sit, ità ut nec debito loco et tempore, nec per sacerdotes legitimos Deus coleretur, non tamen videtur totalem à Deo factam esse defectionem; nam multa millia erant, qui genu Baali non incurvârant, nec legem Mosaicam ità rejectam fuisse, quin ex magnâ parte secundùm eam cultus et regimen adhùc instituta fuerint. Habuerunt ergò decem tribus sacerdotes, sed non omnes è tribu Levi; dixerunt etiam se sacrificare Deo, cùm coràm vitulis sacrificia offerrent, et festa observârunt solemnia, licèt non Hierosolymis secundùm Legem, ut ex 3 Reg. 12, liquet. Misit etiam Deus ad eos Prophetas, nec deerant viri pii, inter quos Obadiah, qui ipsis auscultârunt, nec cultu idololatrico sese contaminârunt, ità ut habuerit Deus populum suum inter idololatras, reliquias quasdam verorum cultorum, quasi triticum inter paleam. Cùmque antè factum schisma Levitæ ex Pentateucho populum per civitates instruerent, necessarium erat ut haberent Legis exemplaria, quæ inter eos dispersa, etiam post defectionem remanserunt, sine quibus sacerdotes ipsos docere non possent. Habuerunt etiam præter loca excelsa Deo Israelis consecrata, templum Baalis idoli, qui prophetas et sacerdotes suos habuit, et cultores ac sectatores plurimos, ut ex historiâ Eliæ patet: ità ut nec Deum secundùm voluntatem ejus colerent, nec ab idolis puri fuerint, sed religionem miserè corrumpentes, mixtum et idololatricum cultum introduxerint, quâ de causâ iram Dei provocârunt, qui ipsos in manus Salmanasaris, regis Assyriæ, tradidit, qui post Samariæ obsidionem triennalem regem Oseam cum populo in Assyriam captivos abduxit, et in eorum sedes colonias introduxit à Babylone et ex Cuthah, Avâ, Hamath et Sepharvaim, quas in civitatibus Samariæ collocavit, prout legimus 1 Reg. 17.

Totum verò populum Israeliticum haud abductum fuisse, sed ex plebe multos relictos, inter quos etiam tribuum distinctio servabatur, suprà, cùm de 70 Interpretibus ex tribu quâlibet electis diximus, tùm ex Scripturis, tùm veterum doctorum testimoniis probavimus. Novi etiam incolæ, qui à civitate primariâ, quam tenuerunt *Samaritani*, et ex loco undè plerique eorum venerunt, id est ex Cutho fluvio *Chutæi* vel *Chuthæi* consimiliter dicti sunt, ut habet Josephus l. 9, cap. 20, cùm deos patrios in terrâ Israelis colerent, et ob idololatriam fœdam à leonibus infestarentur, vel ut Josephus ibid., pestilentiâ exortâ, quod ipsi accidisse putârunt, quia morem colendi deum regionis nesciebant, regem Salmanasarem orant, ut unum ex sacerdotibus captivis sibi mitteret, vel ut refert Joseph aliquot sacerdotes, qui ipsos rationem colendi Deum docerent, quorum votis rex annuens sacerdotem eis misit; quòd verò Epiphanius in Panatio dicit nomen ejus fuisse Ezdram, Ibn. Patricius Lun. in Scripturis non habetur. Judæi etiam cùm in c. Eliezer 38 duos fuisse dicant, R. Dositheum et R. Zachariam, hoc etiam ut Scripturæ contrarium, meritò rejicitur. Sacerdos hic in Bethel habitavit, et ipsos legitima Dei regionis docuit 2 Reg. 17, 28, undè à leonum infestatione liberi. Ex hoc observat vir doctus magnam fuisse discrepantiam inter cultum decem tribuum antè ipsorum captivitatem, et idololatriam novorum incolarum; siquidem ille appellatur mos et ratio Deum colendi, quod de horum cultu non dicitur. Cuthæi enim licèt Deum timuerint, sive coluerint, tamen et diis suis falsis, Succoth benoth, Nergal, Ashima,

Nibhaz, Tartak, Adrammelech, reliquisque idolis suis sacrificârunt, dicto cap. 5, 30, 31, etc. Sic Deum timuerunt et sacerdotes sibi fecerunt ex fæce plebis, qui pro ipsis sacrificia obtulerunt in locis excelsis, ut ibidem legimus. Sacerdotem verò hunc ex lege Mosis cultum præscriptum ipsos docuisse, codicemque Legis iisdem litteris exaratum, quibus tùm decem tribus antè eorum captivitatem, tùm tribus Juda usi fuerint, secum attulisse neminem ambigere video. Imò vir doctus affirmare non dubitat ne latum unguem à Mosis αὐτογράφῳ recessisse, D. Hotting. Exerc. Samar. sect 10. Ipsique Samaritani cùm posteà se Esdræ et sociis ad templi ædificationem adjungere vellent, affirmârunt se *quærere Deum illorum, cui sacrificârant à diebus Esarhaddon, regis Assyriæ, qui ipsos isthùc transtulit,* Esd. 2, 2. Cùmque multi veterum incolarum adhùc cum Cuthæis mixti viverent, probabile est ipsos vel saltem ipsorum aliquos legis Mosaicæ codicem, quo anteà utebantur, vel ejus exemplaria quædam retinuisse, vel ex sacerdotibus tribus Judæ compârasse; ità ut tùm codicem legis Mosaicæ, tùm sacerdotes, altaria et loca excelsa habuerint, et sacrificia obtulerint Deo vero, idolis tamen pro more gentium, ut anteà solebant, cultum præstiterint. Hanc veram esse Samaritanorum, sive Cuthæorum originem ex historiâ Sacrâ liquidò constat. Ipsi etiam teste Josepho l. 9, c. ult., et l. 12, cap. 7, cùm res Judæorum florerent, se ejusdem cum ipsis prosapiæ fuisse, et ex eâdem stirpe natos jactare solebant, Judæis verò afflictis cognationem cum ipsis rejecerunt; Sidonios enim se esse affirmârunt, et nullam cum Judæis habere cognationem, cùm Antiocho grassante Judæi omnia mala perpessi sint; sic enim scribit Josephus, lib. 12, cap. 7: « Samaritæ videntes in tali calamitate constitutos Judæos, non ampliùs profitebantur se « cognatos eorum, neque Garizitanum templum esse Dei maximi, nihil absonum eorum « facientes à suo ingenio, de quo antè diximus, « sed dicentes se Medorum et Persarum colonos, ut reverà sunt; miserunt legationem ad « Antiochum cum epistolâ: Regi Antiocho, « Deo illustri, suggestio Sidoniorum in Sicimis « habitantium, etc. Rogant ut templum, quod « hactenùs nullius dei titulum habuit posthàc « vocetur Jovis Græcanici, etc., et ut Judæorum crimine ne involvantur, etc. » Quorum votis rex annuit. At Cuthæos aliundè quàm ab Assyriis genus suum deducere posse, tùm S. Scriptura, tàm omnia veterum monumenta apertè negant. Posteriores Samaritani hist. de decem tribuum deportatione ignari, cùm solum Pentateuchum reciperent, si nunquàm sedes mutâsse somniârunt, sed, ut ex Chron. Samarit. constat, crediderunt se esse possessores montis benedicti, quem Garizim esse volunt, et sibi à Josuâ, cùm terram partiretur, in hæreditatem assignatum, nec aliundè quàm ex Ægypto cum Mose migrâsse, ut observat Jos. Scaliger. l. 7 de Emend. Temp. in notis ad annum Samaraticum: *Reges veteres Samariæ, et defectionem decem tribuum nefando quidem acceperunt.* Testatur etiam R. Benjamin in Itinerario, Cuthæos quos invenit in Sichem inter montes Ephraim, « se ex tribu Ephraim oriundos profiteri, et sacerdotes habere ex Aaronis prosapiâ, quos Aaronæos appellant, quia « cum aliis, qui non sunt ex genere sacerdotali matrimonium non contrahunt. » Patricides etiam, patriarcha Alexandrinus in Chronol. scribit ipsos suum præsidem, quem *Rus* vel *Rebis* sive *Cephat* appellant, habere ex filiis Aaronis. Quòd ad sacerdotes attinet, probabile est ab Esdræ temporibus ex sacerdotibus quosdam qui uxores alienigenas duxerant, quas repudiare noluerunt, Manassi, qui novum templum in monte Garizim, instar Hierosolymitani exstruxerat, sese adjunxisse, et sacerdotum officium apud Samaritanos obiisse. Probabile etiam est reliquias quasdam ex tribu Ephraim post captivitatem relictas, adhùc remansisse, sed non à reliquis distinctas, verùm cum Cuthæis commixtas, undè loci illius incolæ se ex tribu Ephraim, quæ sedes suas ibì antiquitùs habuit, ortos fuisse jactare poterant. Legimus enim in Evang. Joan. 4, verba mulieris Samaritæ: *Numquid tu major es patre nostro Jacob?*

Vixerunt autem Samaritani sub regibus Assyriæ, Judæis non infesti, at in religione ἀμφίβολοι, donec Esdras et Nehemias populusque Judaicus solutâ captivitate reduces ex Cyri, qui imperium Orientis ab Assyriis ad Persas transtulit, et posteà ex Darii decreto templum et urbem cum muris ædificare, et regimen tàm politicum quàm ecclesiasticum instaurare cœperint, Samaritanis, qui Judæis operam suam in templi ædificatione obtulerant, asserentes se eumdem Deum cum ipsis quærere, rejectis, qui repulsam indignè ferentes incœptis Judæorum restiterunt, ædificationem pro virili remorantes per multos annos; calumniis suis quas Persarum regi suggerebant, tandem effecerunt ut Judæi ab incœpto desistere cogerentur, Esdr. cap. 4, Joseph. Antiq. l. 11, cap. 4 et 11. Sic enim Jos. l. 11, cap. 4;

« Samaritæ Judæos accusârunt quòd urbem « muniant templumque arci quàm fano simi- « lius exstruant, asserentes hoc non esse in rem « regis. Undè gens infensa et invida multis « molestiis eos afficiebat, freti opibus et affec- « tantes cognati Persarum videri, quòd essent « indè oriundi; nam quæ jussi erant ex tribu- « tis in sacrificia conferre gravabantur, etc. « Et quâcumque in re vel per se, vel per « alios poterant, nostram gentem lædere nul- « lam occasionem prætermittebant. » Hinc odium internecinum inter ipsos exarsit, quod, utrâque gente dispersâ licèt et dissipatâ, nondùm exstinctum. Nam in Pitke avoth, sive *capita Patrum,* cap. 38, legimus, si modo fides R. Eleazaro habenda sit, « venisse Samarita- « rum 180,000 viros contrà Esdram et Nehe- « miam, ut impedirent eos ædificando, undè « excommunicationem solemnem contrà ipsos « Esdras, Zorobabel et Josua, etc., fulminâ- « runt, id est, convocârunt totum cœtum in « templum Dei, et venire fecerunt trecentos « Sacerdotes, trecentos pueros qui habuerunt « trecentas buccinas, et trecentos libros Legis « in manu eorum qui clangebant; Levitæ verò « canebant et psallabant, et Cuthæos anathe- « matizabant et schammatizabant et excommu- « nicabant, » omnibus scilicet fulminibus et speciebus excommunicationis, « per secretum « nominis *Tetragrammati*, et per scripturam « quæ scripta fuit in tabulis, et per anathe- « ma domûs judicii superioris, et per anathema « judicii inferioris, ne quis Israelita comede- « ret panem Cuthæi in æternum ; undè dixe- « rint : Quisquis comederet carnem Cuthæi « erit sicut comedens carnem porci. Et, ne « quisquam Cuthæum faceret proselytum : « Nec sit Cuthæis pars in resurrectione mor- « tuorum, sicut dictum est : non nobis et vo- « bis ædificatio domûs Dei, neque in hoc se- « culo, neque in futuro, nec eis sit pars et « hæreditas in Jerusalem. » Hoc anathema Judæis, qui in Babyloniâ remanserunt, missum est, qui non solùm illud approbârunt, sed et novo superaddito auctum et confirmatum remiserunt. Vide Drusium l. 3, de tribus Sect. Jud. c. 11, ex Tanchumâ. De hoc Judæorum odio in Samaritas legimus in Evangelio Joan. c. 4, mulierem Samaritanam Christo aquam ab illâ petenti ità respondisse : *Quomodò tu, qui Judæus es, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Syracides verò, qui non multò post Esdræ tempora vixit, cap. 50, 27, 28, ait, *duas esse gentes quas odit anima ejus ; tertiam autem non esse gentem quam oderit : qui sedent in monte Seir, et Philisthiim, et stultus populus qui habitat in Sicimis.* Odium verò ἄσπονδον eò usque inferbuit, ut de Judæis scribat Maimonides in Jad. part. 1, Tract. de Tephill. sect. 1, num. 11 : *Quidquid necessarium est ab ipsis fieri nomine suo, si faciat Cuthæus, profanum est.* Undè nec Legem, nec Tephillim in Pergamenis à Cuthæis factis, utpotè profanis, describere liceat. Inimicitiæ verò istæ ad ἀκμήν pervenêre, cùm templum monte Garisim erexissent Samaritani, Hierosolymitani æmulum, cujus occasionem præbuit Manasses, Jaddi Pontificis summi frater, qui ductâ Sanballetis filiâ, quem Darius Samariæ præfecerat, ipsam repudiare noluit, cùm omnes alienas uxores Judæi dimittere ab Esdrâ et Nehemiâ coacti essent. Undè Manasses sacerdotio exutus et ab altari repulsus, ad socerum Sanballetem confugit, et permissu primò Darii, posteà Alexandri Magni, templum in monte Garisim exstruxit, ubi sacerdotis summi officio fungebatur, et sacrificia obtulit. Hùc etiam confluxerunt multi Judæorum, tùm procerum, tùm plebis, qui, cùm uxores nollent repudiare, nec reformationi se subjicere, Manassi se adjunxerunt, et in Samariam se receperunt, ubi majori cum licentiâ vivere permissum fuit. Hinc Josephus, lib. 11, c. ult. ait : Templum in Garisim monte situm, post Alexandri mortem, mansit incolume, et si quis Hierosolymitanus aut illiciti cibi sumpti, aut violati Sabbati, aut similis criminis reus ageretur, ad Sicimas confugiebat, calumniam se passum dictitans.

Post Alexandri Magni mortem, Ptolemæus Lagus, qui partem Alexandrini imperii, Ægyptum scil. occupavit, devictâ Judæâ et Samariâ, magnum Judæorum et Samaritarum numerum in Ægyptum captivos abduxit, et in Ægypto sedes figere jussit, de quibus Jos. l. 12, c. 1; quos multi spontè sequebantur, partìm ubertate terræ allecti, partìm Ptolemæi liberalitate ; continuæ verò inter Samaritanos et Judæos Alexandrinos agitabantur rixæ et contentiones, ut ibidem testatur Josephus, utrisque pro templo suo certantibus, dùm hi victimas ad Hierosolymas solùm mittendas contendebant, illi ad templum Garizitanum, eòque audaciæ devenerunt Samaritani, ut etiam coram rege Ptolemæo Philometore et amicis ejus contrà Judæos pro templo suo contrà Hierosolymitanum decertare ausi sint, idque pœnâ capitis constitutâ si causâ caderent, prout disputationem illam describit Jo-

sephus lib. 13, c. 6, ubi victi, qui pro Samaritanis decertabant, jussu regis morte mulctati sunt. Dein Joan. Hyrcanus, Simeonis filius, pontifex Judæorum, Judæis libertatem recuperantibus et excusso Græcorum jugo, Samariam post obsidionem unius anni cepit, et templum Garizitanum cum urbe diruit, et solo æquavit, postquàm steterat templum annis ducentis, ut est apud Josephum lib. 13, c. 17. Cùm enim sub exterorum jugo non erant Samaritani, Judæis serviebant, nunquàm sui juris erant quod legimus. Judæorum verò hoc in Samaritanos imperium non diù duravit, utrisque paulò post sub regum Syriæ primò, deindè Romanorum potestate redactis. Regnante verò in Judæâ Herode, cujus imperio Augustus etiam Samariam addidit, Samariam de novo et in eâ templum magnis sumptibus rex ædificavit. Post Herodis mortem iterùm Romanis servierunt, à Judæorum jugo posthàc liberi. In templum verò quod Herodes exstruxerat sacra celebrare induci non poterant, etiam vivente Herode, sed more patrio sub altare, quod in monte Garizim construxerant sacrificia obtulerunt, ut Joan. 4, ex verbis mulieris samaritanæ constat, Christum alloquentis : *Patres nostri in hoc monte,* inquit, *adoraverunt, et vos dicitis quòd Hierosolymis est locus ubi adorare oportet,* quem morem etiam hodiè continuari scribit Joan. Morinus in Pent. Samar. Exercit. 1, cap. 2, sect. 11, qui cum Scaligero tradit ex relatione eorum, qui ibi peregrinati sunt pontificem Samaritanum Sichemis ad montem Garizim adhùc sedere, Samaritanis reliquis imperare, et festa solemnia singulis annis litteris circularibus definire. Eorum computum Paschalem publicavit Scaliger. Itaque qui ipsorum periodum et computum scire desiderat legat eumdem De emend. Temp. lib. 2, p. 114, 115, qui etiam c. 7, notis ad annum Samariticum ipsorum computum litteris tàm Samaritanis quàm Hebraicis descriptum subjicit. Etsi verò Romanis servierunt et gens esset despicatissima, quod enim de Judæis olim Tacitus dixerat, cùm imperium esset apud Orientem, *vilissimam fuisse partem servientium,* verissimum fuit de Samaritanis; subindè tamen contrà Romanos rebellârunt, prout legimus in Chron. Alexandrino, de Justusâ quodam Samaritano sub Zenone imperatore, qui, regis titulo assumpto, capitali supplicio affectus est. Idemque alii fecerunt sub Justiniano, à cujus ducibus fugati sunt et multi interempti; ex reliquis plurimi se Christianos simulabant, ut pœnas debitas evaderent. Leges etiam severas contrà eos sanxerunt imperatores, ne scilicet militiæ, honorum, vel potestatis judiciariæ capaces essent, nec liberos, qui Christo nomina dederunt exhæredarent, prout ex Novell. Theod. et Valent. tit. 3, de Judæis et Samaritanis liquet. Hinc sub imperatoribus ità fracti et dissipati sunt, ut paucæ ipsorum reliquiæ hodiè supersint. Benjamin in Itinerario, annos ferè antè quingentos scripto, affirmat se invenisse Samaritanos in Damasco 400, Ascalone 300, Cæsareæ Palestinæ 200, Sichemis pauciores, non ultrà centum. Hodiè pauciores sunt, prout refert doctissimus Morinus, se accipisse à Petro à Valle, qui loca illa ubi habitant illorum reliquiæ peragratus est. Et vicatim et oppidatim in Samariæ regione habitant; præcipuæ urbes Flavia Cæsarea et Flavia Neapolis, quæ olim Sichem, Scal. Emend., l. 7, notis ad annum Samarit. *Synagogas habent Sichemis, Hierosolymis, Gazæ, Cayri et Damasci, ubi plures quàm alibi reperiuntur. Colonias enim ex Samariâ in Ægyptum traduxit Ptolemæus, quarum reliquiæ hodiè Cayri, ubi et Synagogas habent,* Scal. de Emend. l. 7. Paucæ verò familiæ alibi degunt, ità ut tàm gens quàm ipsorum religio penè exstincta esse videatur. Meminit quidem geographus Nubiensis insulæ cujusdam clim. 2, part. 5, quæ *Samari* dicitur, ubi habitat populus quidam Judaicus, *Samaritani* dicti, quod indè liquet, quia cùm quisquam eis in occursum venerit, clamant : *Ne me tangas,* etc., quà superstitionem fastuosam in hodiernis Samaritis inveniri affirmant, qui ipsorum regiones peragrârunt. Observat etiam Morinus Exercit. 1, cap. 4, sect. 5, ex libro Cozri aliisque Judæorum, scriptis regem quemdam, Cozar nomine, qui in regione Togarma ad fluvium Ebal regnavit quæ, ut ex Benjaminis, Itinerario colligitur, Circassis erat finitima, circà annum Christi 740, proselytum factum esse. Cozræos verò istos fuisse Samaritanos, qui religionem Judaicam amplexi sunt. Nulla verò hodiè exstat memoria eorum, quod legimus, vel in insulâ aliquâ, vel ad Ebal fluvium. Et hæc de Samaritarum gente ab historicis tradita.

Quod ad religionem spectat, certum est Judaicam esse, cùm Pentateuchum recipiant, licèt in multis à Judæis discrepent. *In monte Garizim constitutæ sedes et sacrarium religionis habent,* Scal. Et licèt antequàm Manasses ad Sanballatum ob nuptias illicitas confugerat, et ipsorum pontifex factus esset, idolorum cultum cum verâ unius Dei religione misce-

rent, templo tamen Garizitano constructo, et ad Manassen multis Judæorum confugientibus, puriorem Dei cultum relicto idolorum cultu apud eos viguisse, quod auctoritate Sanballati fretus Manasses effecerat, omnes affirmant. *Hodiè ità ab idololatriâ abhorrent, ut ipsis Judæis superiores videantur,* Scal. Emend., l. 7, p. 617. R. Benjamin in Itinerario quod Hebraicè et Latinè edidit Constantinus L'Empereur, p. 38, 39, etc., sic eos describit : « In valle « jacet inter montem Garizim et montem « Ebal Neapolis, olim dicta Sichem, ubi cen- « tum circiter Chuthæi, legis tantùm Mosaicæ « observatores, quos Samaritanos appellant. « Hi sacerdotes habent ex Aaronis in pace « quiescentis prosapiâ, eosque Aaronæos ap- « pellant, qui cum illis matrimonio non jun- « guntur, sed inter se, qui ex sacerdotali sunt « genere, nec cum illis confundantur. Sunt « tamen legis illorum sacerdotes, parantque « victimas ac offerunt holocausta in illorum « congregatione, idque in monte Garizim, « quemadmodùm in Lege scriptum est, Deut. « 11, 29 : Edes benedictionem hanc in monte « Garizimorum, ideòque hanc esse domum « Sanctuarii affirmant. Offerunt autem holo- « causta cùm Paschate, tùm aliis festis in al- « tari, quod in monte Garizim ex illis stru- « ctum fuit lapidibus, quos Israelitæ Jordanem « transgressi erexerant. Ex Ephraimi tribu se « oriundos profitentur, et in diœcesi suâ ha- « bent sepulcrum Josephi justi, filii Jacobi « patris nostri, qui in pace quiescit secundùm « illud Jos. 24, 32 : Ossa Josephi quæ depor- « taverunt filii Israelis ex Ægypto sepelierunt « Sichemi. Sollicitè sibi cavent à mortuorum, « ossium occisorum et sepulcrorum contami- « natione. Vestes quibus vestiuntur quotidiè « cùm ad synagogam suam se conferunt de- « ponunt, et corporibus aquâ ablutis alias « quotidiano ritu induunt. » Hactenùs Benjamin, qui licèt quædam falsa cum reliquis Judæis de Samaritanis fingit, vix de tribus litteris, quas non agnoscunt; de quo aliisque mendaciis à Judæis confictis statim dicemus : quoad cæremonias tamen et religionem eorum à vero non multùm aberrat, cùm in his consentiant alii Benjamino multò fide digniores auctores. Josephus enim, l. 9, c. ult., scribit : « Postquàm Legem et Dei colendi rationem ab « iis (sacerdotibus à Ptolemæo missis), edocti, « diligenter eum cœperunt colere, moxque ces- « savit pestilentia ; permanentque nunc quo- « que in eâ religione, Cuthæi vocati Hebræis, « Græcis verò Samaritæ. » Epiphanius verò Hæres. 9, dicit illos, « acceptâ Lege, hoc « unum studuisse ut, idolorum repudiatâ « superstitione, summum Deum agnoscerent. » Etiam inter Rabbinos doctiores hoc de illis affirmant; Maimonides in Berachoth, c. 8, sect. 8, scribit « quòd Deum quidem timue- « runt, sed idole sua simul coluerint; verùm « tractu temporis didicerunt Legem, et eam « acceperunt secundùm sensum litteralem « suum; præcepta autem, quæ apprehende- « runt, accuratissimè observabant, corque « suum valdè iis apponebant. » Sic Obad. de Bartenora, eodem tract., cap. 7, sect. 1 : « Observabant Legem scriptam, et omne præ- « ceptum quod tenuerunt, id longè diligen- « tiùs et accuratiùs observabant quàm ipsi « Israelitæ. » Hæc Rabbini de illis affirmant. Addunt verò : « Postquàm sapientes in eos « inquisiverunt, invenisse quòd columbæ spe- « ciem adorârunt, undè pro idololatris ha- « biti. » Josephus, l. 12, c. 1, scribit, *ipsos instituta patria pertinaciter retinere.* Et Epiphanius, l. 1, De Hæres. dicit : « Omnia « habent, quæ Judæorum, nisi abominari « Gentes, nec attingere aliquos, et præter- « quàm quòd negant resurrectionem mortuo- « rum, et adversantur aliis Prophetis præter « Mosem. » Posteà sectas quatuor inter eos describit; Gortheni qui aliis temporibus festivitates agunt quàm Sæbuæi; Sæbuæos qui ob eamdem causam à Gorthenis dissentiunt; Esseni qui neutri adversantur, sed cum omnibus festa indifferenter celebrant; Dositheanos, qui in iisdem gentibus velut Samaritæ vitam degunt, utuntur etiam libris Mosis, amplius autem quàm alii servant abstinentiam ab animatis, et frequenter in jejuniis vivunt; quidam ipsorum etiam virginitatem servant, alii continenter agunt, creduntque mortuorum resurrectionem, quod alienum est à Samaritis. Ægyptii Samaritæ à Ptolemæo Lago traducti à Synagogâ et Synedrio Garizim typum anni quem sequi debebant accipiunt, qualem anno Christi 1589, Cayro ad se in Galliam missum fuisse scribit Scaliger, qui incipit : *In nomine Jah;* ipsum verò typum ibidem subjicit. Hic etiam Epiphanius, licèt vir doctrinæ multiplicis, à Judæis tamen deceptus, quædam ipsis adscribit, quorum rei non erant, id est quòd resurrectionem negarent. Inter sectas etiam eorum, cùm Essenos numerat, Josepho contradicit, qui Essenos facit tertiam Judæorum sectam, non secùs ac Pharisæos et Saducæos. Sectas istas longè antehàc evanuisse constat, cùm nullæ illarum reliquiæ hodiè invenian-

tur; quasdam tamen antiquas fuisse patet, cùm Dosithei, Dositheanorum principis, meminerit Tertullianus De præscriptione, et ipsum Apostolorum temporibus fuisse scribit Origenes in Matth. 27. Judaicam religionem amplexi sunt, in multis tamen ab eis discrepabant. 1° Montem Garizim dicebant esse locum sanctum, ubì Deus colendus est, non Hierosolymæ. 2° Pentateuchum solùm recipiebant, reliquis libris sacris rejectis. 3° Traditiones omnes, quas Sacro textui æquiparant Judæi, rejiciebant, soli litteræ adhærentes. De primo negari non potest ipsorum codices, de loco publici cultûs, Deut. 37, 4, corruptos esse, cùm non tantùm Judæorum Pentateuchus, sed omnes libri historici et prophetici ubique templum Hierosolymitanum locum à Deo electum esse affirment. Traditiones etiam, quas verbo scripto æquant Judæi, cum Saducæis rejiciunt, quæ, licèt ad traditionem in monte Sinai per legem oralem à Judæis referantur, tamen post schisma Samaritanum introductæ sunt pleræque à Pharisæis traditionum magistris, quorum ortum statuunt docti circà tempora Machabæorum fuisse, et nisi à R. Jehud. in Mischnam (quæ Talmudis textus), scripto consignatæ fuissent, inter tot Judæorum exilia et dispersiones, tàm Judæis ignotæ essent quàm Samaritanis.

Alia verò quæ ipsis affingunt Judæi meræ calumniæ sunt, id est, 1° Ipsos coluisse imaginem columbæ in memoriam Semiramidis. 2° Resurrectionem negâsse. 3° Tres litteras alphabeti non agnovisse. 4° Verba Genesis 1, 1, *In principio creavit Deus*, ipsos legisse : *In principio creavit Asima*. Hæc enim omnia totidem Judæorum commenta esse nullo negotio ostenditur. 1° Quòd resurrectionem negârunt non solùm Judæi, sed etiam scriptores quidam christiani illis attribuunt. S. Gregorius l. 1 Moral. in Job, c. 15, Samaritanos camelis assimilat, *qui grave onus in dorso mentis tolerant, quia in omni quod faciunt sine spe æternitatis elaborant*, fidem quippè resurrectionis nesciunt. Idem scribit Epiphanius de omnibus eorum sectis, Dosithei exceptâ, qui se pro Messiâ venditabat, ut ex Orig. l. 2 contrà Celsum constat. Saducæi quidem cùm primùm orti sunt, Samaritanis mixti in eorum templo sacrificârunt, et cum ipsis traditiones rejecerunt, undè et illa quæ sectæ alterutri propria erant utrisque communia credebantur. Samaritanos verò resurrectionem exspectâsse, vel indè liquet quòd Messiam exspectabant. *Cùm veniet*, inquit mulier Joan. 4, *annuntiabit vobis omnia*. Et Justinus, qui et ipse patriâ licèt non prosapiâ Samaritanus, Dial. contrà Tryphonem scribit *Judæos Samaritanos nunquàm non Christum præstolantes advenientem et præsentem non recepisse, paucis exceptis*. Nec de ullâ inter Judæos sectâ, exceptis Saducæis, legimus quæ resurrectionem negaret. Affirmat quidem Scaliger ex Chron. Samarit. probari posse eos resurrectionem credidisse, sed verba non citat. Alius verò vir doctus ex verbis Scribæ chronici istius, in quibus à Deo remissionem peccatorum precatur, ipsum resurrectionem et alteram vitam exspectâsse probat, argumento ut mihi videtur infirmo, cùm peccatum remitti posse respectu pœnæ temporalis hujus vitæ certum sit, undè poterat Saducæus petere remissionem peccati, licèt vitam futuram non crederet. 2° Idololatriæ ipsos passìm accusant, et inter Paganos numerant Judæi, ut ex Maimonide et Obad. de Barten. locis citatis constat, qui scribunt ipsos in monte Garizim columbæ imaginem coluisse. Alii, ut in Talm. Massech. Avoda Sara. c. 5, dicunt ipsos adorâsse *Teraphim*, idolum quod suffurata est Rachel à Labane, quodque sub quercu propè Sichemum sepultum erat à Jacobo Gen. 35. Hæ autem meræ calumniæ, cùm Samaritani omnem idololatriam non minùs quàm Judæi abominentur; occasionem autem hujus calumniæ arripuerunt, quòd Assyrii, à quibus orti Cuthæi, in vexillis columbam habuêre. Undè illud Jer. 25 : *Facta est terra in desolationem à facie iræ columbæ*, id est Assyriorum. Refert etiam Diodorus Sicul. l. 3, Semiramidem infantem ab avibus, præcipuè à columbis, enutritam fuisse, undè illa primùm in vexillo columbam posuit, et ab illâ hunc morem habuêre Assyrii. Refert doctissimus Hottingerus Exercit. Mor., sect. 17, ex Chron. Samar. nondùm edito, quòd cùm Alexander mandâsset ut imagines et idola erigerent Samaritani, in monte benedicto convenerunt Deum supplicantes, ut Alexandri decretum irritum faceret, etc. Utque Alexandrum placarent, liberis suis Alexandri nomen imposuerunt. Undè cùm ex Ægypto redux ipsos interrogâsset de statuis, quas erigi jussit, statim filios suos produxerunt, exclamantes : Hæ sunt, ô rex, statuæ vivæ, quæ omnes nomine tuo appellantur. 3° Quod ad litteras tres, quas vult Benjamin Cuthæos ex alphabeto eliminâsse, nil falsiùs dici poterat. Nam ut Scaliger de emend., l. 7, p. 662, his litteris ubique scatent Samaritanorum codices, quod et in Pentateucho jam edito et

ejus MSS. antiquissimis aliisque ipsorum libris liquidò omnibus constat. Schickardus l. de jure Reg. notis ad calcem, hinc argumentum petit, ut ipse putat, validum ad probandum ipsorum litteras non fuisse antè Hebraicas, cùm istis litteris careant. Schickardus certè nunquàm vidit ullos libros Samaritanos, aliter non ità lapsus esset. Nec quicquam valet quod adfert vir doctissimus, licèt habuerint harum litterarum figuram, non tamen veram pronunciationem, quia sanè istæ litteræ apud ipsos variè invicem commutantur; nam hoc argumento probaret pluribus litteris eos caruisse, cùm nil notius sit quàm alias litteras, præsertìm ejusdem organi, sæpè inter se commutari. Tandem quod scribunt de Asima Gen. 1, 1: *In principio creavit Asima,* quod Asima esset idolum Amalecitarum, ut ab. Ezra præf. in Esther, MMS. libri Pentateuchi, etiam antiquissimi, hoc commentum refutant, qui cum Judæis Heb. habent *Elohim* versione Samaritanâ. Et multò speciosiùs, inquit Scaliger, mentiti fuissent si dixissent scriptum esse: *In principio creavit Nergel,* quia Nergel erat unum idolorum Cuthæorum 2 Reg. 17, non autem Asima. Hactenùs de Samaritanorum gente historia: jam ad ipsorum Pentateuchum ejusque versiones veniendum.

De Pentateucho Samaritano dicturis hæc nobis tractanda sunt: 1° Cur solum Pentateuchum recipiant Samaritæ. 2° Undè et ex quibus exemplaribus desumptus sit. 3° An idem sit cum eo quem Hieron. aliique vet. subindè memorant. 4° De ejus auctoritate et usu. 5° De ejus versionibus.

Cur Pentateuchum tantùm recipiant variæ possunt causæ assignari. Primò enim Pentateuchus solus religionis Judaicæ summam complectitur, cujus reliqui libri sunt explicationes. Undè cum illo fœdus Dei cum populo Judaico comprehensum sit, constans mandatis et legibus, per quas tùm sacra tùm civilia apud ipsos administrari debeant, præmiis etiam et pœnis sancitum; hujus solius exemplaria per singulas tribus inter populum dispersa erant, ex quibus Levitæ eos instruerent. Hinc est quod tradunt Judæorum magistri: *Unumquemque teneri legis exemplar vel per se, vel, si scribere nescit, per alium descriptum habere, non item reliquorum librorum.* Undè et peculiarem sanctitatem Pentateucho præ reliquis libris attribuunt. Reliqui enim libri, licèt in templo asservati, undè exemplaria descripta sacerdotum et doctorum manibus terebantur, apud populum tamen in rariori usu erant; nec in unum volumen fortassè redacti antè Esdræ tempora, à quo Canon hodiernus, ut plerique statuunt, constitutus est, et in Legem, Prophetas, et Hagiographa partitus. Prætereà cùm decem tribus primùm à reliquis abscissæ erant, librorum Historicorum vel Hagiographorum multi, Prophetarum vero nullibi exstabant. Cùmque ubique ferè Prophetæ in reges Israelis eorumque populum et in Samaritanos judicia divina prædixerint propter schisma et idololatriam et cultum corruptum, tùm quòd alio loco quem Deus non elegerat sacrificia et sacra celebrârunt, neglecto templo Hierosolymitano, in quo Deus nomen suum posuerat, nemini mirum videbitur, si reliquis sacris libris rejectis solo Pentateucho adhæserint; si enim libros reliquos recepissent, cultum et religionem propriam damnâssent, cùm illi ubique testentur in nullo alio loco quàm Hierosolymis cultum publicum Deo gratum præstari posse. Demùm cùm Esdræ temporibus odia et simultates inter Judæos et Samaritanos exarserint, ità ut illi hos anathemate percusserint, hi verò, multis ex Judæis ad ipsos cum Manasse Pontificis fratre confluentibus, aliud templum in monte Garizim, Hierosolymitani æmulum exstruxerint, quod locum sanctum esse in lege Mosis, quam in hoc manu sacrilegâ corruperunt, constitutum pro cultu publico contenderent, nil mirum si canonem sacrum ab Esdrâ factum rejicerent, et solius Pentacheuchi, quem antiquitùs semper inter se habuerunt, divinam autoritatem agnoverint. Quod verò Hieronymus aliiquè ex veteribus crediderunt etiam, et Saducæos cum Samaritis solam Legem agnovisse, rejectis reliquis Scripturæ libris, manifestè falluntur. In quibusdam eos cum Samaritis sensisse jam ostendimus, sed in hoc in diversum abiisse certum est, cùm Josephus apertè dicat Saducæos *traditiones non scriptas* rejecisse, sed *quæ scripta sunt* amplexos. Prætereà cùm in templo Hierosolymitano sacrificarent, eo ipso testati sunt se locum illum agnovisse secundùm Prophetas et libros Historicos pro sede à Deo electâ in cultum suum publicum. Nec hoc tacuissent Pharisæi, si Prophetas rejecissent, hostes ipsorum capitales, sed populum in eos concitâssent ut lapidibus obruerent, ut dicit J. Scaliger Elench. Trihæres. c. 16, apud quem et Drusium de tribus Sectis l. 3, c. 9, aliosque, plura contrà hanc sententiam adducuntur.

De secundo, Pentatheucum hunc sæpè citant Hieronymus aliique Patres, quorum testimonia jam afferemus, à quorum temporibus

ad seculum nostrum suprà annos mille in tenebris sepultus jacuit. J. Scaliger, qui Chronicon Samaritanum ex Hebræo prisco in linguam Arabicam conversum, sed litteris Samaritanis scriptum nactus erat, Pentateuchum autem numquàm vidit, conquestus est de hominum Christianorum negligentiâ, qui in Palestinâ peregrinantes possent et alia, et Pentateuchum à Samaritanis adipisci, ex cujus cognitione speravit uberrimos fructus in sacram historiam redundaturos, l. 7 Emend. Ad eumdem Waserus Comment. in Mithrid. Gesneri pag. 129, scribit : Si à Samaritanis Pentateuchum extorquere et Sedarim sivè Annales habere possemus, multa, quæ in sacris litteris adhuc obscura, eorum operâ illustrarentur. Joan. Morinus, qui primus nostris temporibus de Pentateucho Samaritano aliquid publicavit, Præf. in editionem 70 Parisiensem 1628, describit MS. librum Pentateuchi in bibliothecâ Oratorianâ Parisiensi, quem ex Oriente attulit Harlæus Sansius ejusdem songregationis presbyter, ex quo quædam ibidem notat quæ difficultates quasdam in textu Hebræo elucidare videntur ; posteà integrum volumen edidit Parisiis anno 1631, ubi de hoc Pentateucho ejusque sinceritate et usu, item de Samaritarum origine, rebus gestis, cum Judæis dissidio, statuque tùm antiquo tùm hodierno, disserit. Multa etiam habet notatu digna in Præf. ad Pentateuchum Samaritanum in Bibliis magnis Parisiensibus, et in opusculis Samaritanis nuper editis, in quibus Grammat. Samarit. cum Lexico, variis lectionibus annotatis in Samar. versionem. Contrà quem calamum strinxit Simeon de Muis, professor Hebr. Parisiensis, J. H. Hottingerus Exerc. Antimorin. Bootius etiam et Taylerus scripto aculeato, cum aliis. Reverendissimus verò noster Jacobus Usserius, archiepiscopus Armachanus, si non primus, certè inter primos erat, qui magnis sumptibus exemplaria Samaritica Pentateuchi in Europam intulit. Hic enim exemplaria varia manuscripta ex Palestinâ comparavit, unà cum Arabicæ versionis magnâ parte, quarum aliqua variis amicis communicavit, nobis etiam quædam, quæ magno nobis usui erant, commodavit. Unum eorum Pantateuchum integrum pulchrè exaratum habet ; aliud in quibusdam lacerum et imperfectum, utraque verò ità accuratè scripta, ut vix per integrum aliquod folium unius litterulæ differentiam observare licuerit; tertium versionem habet Arabicam unà cum textu Samaritano, ipsam quoque accuratè factam ; aliud lithurgiam Samaritanorum ex parte complectitur, aliasque schedas laceras licèt et imperfectas communicavit, quæ magno nobis adjumento erant in adornando Pentateucho nostro, eumque à mendis, quæ in editionem Parisianam irrepserant, repurgando. In exemplaribus verò omnibus Samaritanis nullus est punctorum vocalium usus, nulla enim agnoscunt Samaritani, sed secundùm antiquum morem etiam Hebræis usitatum antè punctorum inventionem, et antequàm inter Judæos et Samaritanos odium capitale eruperat, per litteras tres quæ *matres lectionis* vocantur apud Judæos, quæque etiam antiquitùs pro vocalibus habebantur omnes vocales efferunt : dictiones singulas non spatio tantùm, sed et puncto separant, ut olim tàm Græci quàm Latini ; comma verò, colon, ut et periodum per punctum unum super aliud positum, vel asteriscos distinguunt, puncta verò duo in longum posita orationis continuationem sine morâ indicant post brevem respirationem ; sed notæ istæ ferè sunt pro scribarum arbitrio, non constantes, nec in omnibus codicibus eædem. Sectiones verò distinguunt duobus vel tribus punctis cum lineis aliquandò inter duas sectiones, spatio unius lineæ vacuo relicto. Sæpè etiam ponunt virgulam super litteram, cùm vox ambiguâ vel inusitatâ significatione non accipienda est, aliquandò litteram aliquam abesse demonstrat, quæ adesse debet, vel cum litterâ sequentis dictionis commutandam; Aliquandò verò duplex linea suprà ponitur, quam fatetur Morinus, denotat se non posse conjicere. Observat etiam idem alias notas occurrere, quæ interrogationum, obsecrationis, exclamationis, ironiæ, indignationis, etc., aliorumque affectuum signa habent, quæ tamen nec in diversis codicibus, nec in eodem codice constanter observantur, sed modo hâc vel aliâ figurâ usurpantur, modò in totum omittuntur, adeò ut de iis nulla certa regula tradi possit, ità ut non opus sit plura de iis monere. Singulos etiam libros Pentateuchi in sectiones quasdam valdè inæquales distinguunt, quas *Katsim* vocant, Judaicis Paraschis et Sidris multò breviores : nam in totâ Lege numerant 966, Judæi verò tantùm 53 Paraschas, et Sidras 145. Ad singulorum etiam librorum finem numerum sectionum apponunt, et in Judæorum imitationem etiam singula per totam Legem vocabula numerârunt ; et Levit. 7, post vers. 15, notant *dimidium Legis*, in nostro MS. integro, dimidia pars Legis ; quod de vocabulis intelligendum ; nam in vocibus quas plenè vel defectivè scriptas notant Judæi, non sunt accurati

Samaritani, sicut nec erant Judæi antè Masorethas, punctorum auctores, undè observatur litteras, quæ post punctationem abesse debent plerumquè in codicibus Samaritanis relictas esse, quia scilicet ità scribebant antè punctorum inventionem. Hæc in genere annotâsse sufficit de Pentateuchi textu Samaritano; de versionibus ejus posteà agendum.

Undè autem vel ex quibus codicibus suum exemplar descripserint Samaritani, etsi ex suprà dictis clarum sit ipsos eadem exemplaria cum Judæis ab initio habuisse, eaque antiquis litteris Hebræis descripta, undè Josephus Scaliger, De emendat, temp. l. 6, in notis ad annum Samariticum dicit: *totidem litteris ne unâ quidem minùs aut ampliùs Pentateuchum legere Samaritanos, et tantùm abesse ut aliquod assuerint Pentateucho, ut totidem litteris quot Judæi scriptum habeant;* sed in hoc viro docto ignoscendum, qui hoc ex aliorum relatione scripsit, ipso ibidem fatente se Pentateuchum Samaritanum non vidisse, quem si consuluisset, longè aliter scripisset. Quidam tamen Neoterici, et inter alios vir longè doctiss. quasi existimarent textum Hebræum non posse in debito honore servari, nisi omnia alia exemplaria versionesque antiquas deprimant et pedibus conculcent, statuunt, ex Hebraicâ à Palestinis et Babyloniis, atque Græcâ Hellenistis Judæis receptâ editione, Hebræam novam sive Samaritanam hodiernam conflavisse impostorem quemdam Dositheum, quem suprà ex Epiphanio et Origene docuimus fuisse sectæ Dositheanor. inter Samaritanos caput et principem, qui se Messiam esse sectæ suæ hominibus persuadere laboravit, hunc novis detractionibus, mutationibus et adjectionibus, prout libitum, Pent. contaminâsse. Posteà idem auctor in Dositheum hunc mirè debacchatur, ipsum *nefandum impostorem* et *hominis monstrum* appellans, quasi totum textum Hebr. corrupisset; undè miserè paratragœdiat, et fulgura in pelvi excitat. Hæc verò undè probantur? Origenes l. 1, contrà Celsum scribit quòd *post Jesu tempora Dositheus Samarita suadere Samaritas voluit se esse Christum illum à Mose prænuntiatum, et visus est nonnullos doctrinæ suæ cepisse:* et in Matth. tract. 27: *Sicut manifestat historia lectionum non multi fuerunt homines tempore Apostolorum qui Christos se esse dixerunt, nisi fortè Dositheus Samaritanus, undè et Dositheani dicuntur, et Simon, de quo referunt Actus Apostolorum.* Eulogius etiam Patriarcha, apud Photium in bibliothecâ, Synodum convocavit, exortâ controversiâ inter Samaritanos Alexandrinos de illo loco Deut. 18, 15: *Prophetam tibi suscitabit Dominus Deus tuus ex fratribus tuis sicut me*, quæ verba alii eorum ad Josuam, alii ad Dositheum, sive Dosthen, Simoni Mago æqualem referebant. Eulogius verò de Jesu Christo intelligi definivit. De Dositheo verò hæc habet Photius: *Infinitis diversique generis corruptelis Mosicum Octateucum* (fortassè *Pentateuchum* esse debet) *adulteravit, aliosque libros stultitiæ et portentis plenos divinisque legibus contrarios consarcinavit, suisque asseclis reliquit; resurrectionem quoque negavit*, etc. *Quibus illi fascinati proindè quasi ille non periret, sed alicubi in hâc vitâ degeret, eum suspiciebant, ut in Evang. Joan. 1, tom. 14, habet Origenes.* Verùm quæ hìc objiciuntur Pentateuchi Samaritani exemplaria hodierna non petunt. Dositheum quemdam fuisse, qui se pro Messiâ venditabat, et qui cujusdam sectæ inter Samaritanos dux fuit, quosdam etiam sequaces habuisse non negamus, nec non exemplaria quædam corrupisse et adulterâsse, quæ suis asseclis tradidit. At omnes Samaritanos vel majorem gentis partem ipsum secutos fuisse, et pro Messiâ agnovisse, vel Pentateuchum juxtà ejus exemplaria corrupta depravâsse, nullo teste probatur, imò contrarium liquidò demonstrari potest. Nam ex Photii verbis et Eulogii decreto constat inter Samaritanos Alexandrinos fuisse, qui se Dositheanis opposuerunt, et ad Eulogium appellârunt, nec potuisse illum omnia exemplaria depravare si vellet, cùm in Synagogis Sichemi, Damasci, Carii aliisque locis in publico usu essent exemplaria incorrupta, per quæ reliqua corrigi et emendari possent. Idem enim hìc dici potest quod suprà diximus contrà corruptionem textûs Hebraici à Judæis, vel Græci N. T. per hæreticos non potuisse, si maximè vellent, corruptionem talem inducere, nisi omnes Samaritani in talem corruptelam consensissent. Certè ità obscurus erat Dositheus, et tàm paucos sequaces habuit, ut de eo prorsùs sileat Josephus nec vel unico verbo ejus meminit, quod certè, si apud gentem Samaritanam ità prævaluisset, ut pro Messiâ ab ipsis receptus esset, silentio scriptor diligentissimus, qui eodem tempore vixit, non præteriisset. Dein ex ipsorum exemplarium inspectione clarum est illa à corruptelâ istiusmodi immunia esse; nam si aliqua loca depravâsset, maximè quæ de Messiâ agunt, quæ ut ad seipsum applicare posset, pervertisset; at verò omnia istiusmodi loca in Samaritanis codicibus cum Heb. codicibus conveniunt, ut locus ille de promisso semine, Jacobi vaticinium de Shiloh venturo ex tribu Juda; imò

ipsum locum Deut. 18, 15, de quo controversia orta erat, partes utræque eodem modo citant prout in Hebræis codicibus legimus, et hodiè legunt Samaritani. Apud Photium etiam legimus eodem loco Dositheum in divinos Dei Prophetas maledicum fuisse, potissimùm in Judam unum ex 12 Patriarchis contumeliosum; et quòd Prophetis omnibus explosis exsibilatisque, ipse sibi omnia et vaticania et reliquam divinitatem arrogavit, et resurrectionem negavit. At verò nihil tale in Pentateucho Samaritano legitur, vel in Prophetas maledicentiæ, vel in Judam Patriarcham maximè, de quo omnia eodem modo scripta invenimus, quo in libris Heb. In quibusdam quidem variant codices Samaritani ab Heb. præsertim in loco illo de monte Garizim, qui de industriâ videtur mutatus, ut novo suo templo auctoritatem indè conciliarent: transponunt etiam varia, et multa repetunt, quæ in Hebr. non habentur, ut ex locis ab Hebr. variantibus, quos in ultimum tomum rejecimus, liquet. Quid verò hæc ad Dositheum faciunt planè non video. Illud de *monte benedicto*, ut appellant, longè antè Dosithei tempora erat, cùm primò templum Garizitanum Esdræ temporibus exstructum fuit. Transpositiones verò locorum nihil ad textûs depravationem conferunt, nec ad Dosithei propositum quidquam faciunt, ut nec versuum quorumdam repetitio, qui sæpiùs occurrunt quàm in Heb.; quædam etiam discrepantiæ vel ex codicum varietate, vel scribarum incuriâ et lapsu oriri possunt, prout in aliis libris antiquis; resurrectionem verò Samaritanos generaliter credidisse suprà probavimus, ità ut in codicibus hodiernis ne levissima quidem suspicionis umbra appareat de corruptione per Dositheum factâ, sed omnia potiùs contrarium probant. Si enim ab ipso depravati essent, certè in iis locis, quæ contrà ipsum facerent, hoc tentâsset; nemo enim gratis malus est. Antiqui hæretici, qui loca quædam Novi Testamenti depravare conati sunt, in locis quæ contrà ipsos facerent, vel quæ pro hæresi suâ stabiliendâ facere viderentur, hoc tentârunt, non in locis quæ rem suam non promoverent, et certè de Dositheo idem par est sentiamus. Si verò generalis hæc depravatio codices Samaritanos invasisset, anne de hoc silerent Judæi, capitales ipsorum hostes? nonnè pleno ore hoc ebuccinarent Rabbini, qui de iis tot mendacia gratis confinxerunt, de quibus jam diximus, ut eorum codicibus fidem derogarent? Apud neminem verò ipsorum me legisse memini hæc de corruptis ipsorum codicibus à Dositheo, nec apud antiquos scriptores Ecclesiæ qui Pentateuchum Samaritanum citant, Hieronymum, Cyrillum, Alex. Eusebium Cæsariensem, Procopium Gazæum, Diodorum Tarsensem, quidquam invenimus de corruptione per Dositheum in codicibus, qui eorum temporibus exstabant, introductâ; imò potiùs Hieronymus ex Pentateucho Samaritano colligere non dubitat, Judæos quædam in codicibus suis erasisse, ut in loco celebri Gal. 3, *maledictus omnis*, etc., aliisque, de quibus suprà, clarè constat. Ex hoc itaque Dosithei conatu, si valeret argumentum contrà omnes hodiernos codices Samaritanos, itidem valeret argumentum contrà libros Græcos Nov. Testamenti: eos corrumpere nitebantur hæretici quidam ad hæreses suas stabiliendas; ergò omnes Græci hodierni corrupti sunt, qualis consequentia quàm invalida sit, luscus est qui non videt.

Aliorum sententia est, Pentateuchum Samaritanum descriptum esse ex Judæorum codice post Esdræ tempora, vel certè postquàm codex Hebraicus litteris Assyriis descriptus esset, quod probant ex frequenti commutatione litterarum, quæ figurâ in alphabeto Hebraico valdè similes sunt, undè facilis esset scribæ lapsus, in Samaritano verò multùm discrepant. Hoc argumentum profert Guil. Eyrius, nuper Præbendarius Eliensis, Epist. ad reverendissimum Usserium, et indè probare nititur, hodiernas Judæorum litteras fuisse antè Samaritanas, quia ex codice Hebræo descriptus est codex Samaritanus. Ad hoc verò argumentum responderi potest, Samaritanos codices suos antiquos, quos anteà habuerunt, conferre potuisse cum aliis Assyriaco charactere scriptis, et hinc fortassè in litteris similibus varietatem illam oriri potuisse, vel Manassem aliosque sacerdotes, cùm ad Samaritanos se reciperent, habuisse et secum attulisse codices quosdam ex emendatione Esdræ et Synagogæ magnæ litteris Assyriacis descriptos, secundùm quos Samaritani suos emendare in quibusdam poterant. Discrepantiæ etiam istæ ex aliis causis oriri poterant, ex codicum varietate, et in quibusdam ex soni similitudine. Poterant enim codices antiqui in hisce vocabulis olim discrepare, et cùm Samaritani lectionem unam secuti sint, Esdras et ejus socii alteram elegerunt. Voces enim istæ non tantùm litteris, sed sæpè significatione differunt. Præterea non tantùm litteris figurâ similibus, quæ paucæ, quod et casu fieri posset, sed pluribus differunt, quæ figuram similem non habent. Hoc etiam à veritate alienum esse probant tot transposi-

tiones, versuum repetitiones, aliæque discrepantiæ inter textum Hebraicum et Samaritanum, quæ sole clariùs demonstrant Samaritanos codices ex Hebræis non descriptos fuisse. His itaque non obstantibus, multò probabilior est sententia Samaritanos codices et Hebræos, utcumquè hodiè in aliquibus discrepent, eosdem tamen olim fuisse eodemque charactere scriptos, quem Samaritani adhùc retinent. Nam tempore regum Israelis, decem tribus habuisse Pentateuchum, et sacerdotes, qui ex illo instruebant populum, suprà ostendimus. Postquàm verò abductæ erant decem tribus et Samaritani in eorum sedes introducti, et leones in eos Deus immiserat ob idololatriam, sacerdotem impetrârunt à rege, qui ipsos morem Dei regionis doceret, undè, licèt idola sua adhùc retinuerunt, tamen Deo vero cultum præstabant, quod tantùm apud ipsum prævaluit, ut leones ab ipsis amoveret. Dicunt etiam se Deo sacrificâsse à temporibus Ezarhaddon, qui illos isthùc transtulit, Esdr. 4. At verò sine exemplaribus Legis impossibile erat eos in cultu veri Dei instruere, ità ut dubitari non possit ipsos habuisse Legis exemplaria antè exstructionem templi Garizitani. Exemplaria verò ista alia non fuisse quàm quæ Judæis in usu erant non est quòd quis ambigat. Imò vix probabile est nulla relicta fuisse exemplaria post asportationem decem tribuum inter illos qui in terrâ relicti sunt; nam suprà provabimus totum populum non asportatum fuisse, sed primores cum sacerdotibus, è plebe multis relictis, undè et tribuum distinctio quædam longo post tempore servata fuit, licèt Cuthæis, qui cum ipsis mixti erant, servirent.

Quod verò objicitur ex Hebræis codicibus Palæstinorum et Babyloniorum, et ex Græcâ versione, Dositheum Pentateuchum suum conflâsse, ut gratis dictum et nullâ probatione suffultum, eâdem facilitate rejicitur quâ affirmatur. Dositheum enim auctorem esse codicum hodiernorum, ex dictis merum febricitantis somnium esse unicuique liquet. Quod verò dicunt partìm cum codicibus Palæstinis, partìm Babyloniis, partìm cum Græcis convenire, hoc ejus auctoritati vel antiquitati non derogat, imò multùm pro ipso facit; non enim ex his conflatum et mixtum esse indè probatur, sed longè antè illas Babyloniorum et Occidentalium codicum differentias observatas, et antè versionem Græcam à 70 adornatam, Samaritanum Pentateuchum cum Judæorum codice convenisse et conspirâsse, cùm nondùm variæ istæ lectiones collectæ essent, nec discrepantes illæ lectiones Orientalium et Occidentalium tanti momenti sunt, ut textus indè corruptus dici possit, nec qui cum alterutris conveniunt codices ideò corrupti æstimandi sunt, prout aliàs ostendimus, cùm de istis varietatibus egimus. Quòd verò cum Græcis in quibusdam convenit codex Samaritanus ubì Græca versio ab Hebr. discrepat, hoc potiùs probat Hebraicos codices in minutis quibusdam discrepâsse, et 70 unam lectionem secutos fuisse, Masorethas alteram. Quod insuper dicunt Dositheum pro libitu textui addidisse, detruncâsse et mutâsse, ex ipsorum codicum cum Hebræo collatione refutatur. Nec supponi potest quemquam ità dementem fuisse ut gratis malus esset, vel nullius commodi causâ textum depravaret.

An codices hodierni iidem sint cum illis, qui ab Hieronymo aliisque veterum citantur proximo loco disquirendum, quod nullâ ratione meliùs explicari potest, quàm locorum, qui ab illis citantur, cum codicibus hodiernis collatione: ex his enim codicis hodierni sinceritas demonstratur. Hoc quidem prolixè egit Joan. Morinus Exercit. Pent. Samar. 3, c. 1, 2, 3, ad quem lectorem remittimus, nos pauca seligemus. Quædam à veteribus notantur ubì Samaritanus codex ab Hebræo differt, quædam ubì Samaritanus cum Hebræo consentit; in utrisque idem consensus et dissensus in libris hodiernis conspicitur, ut ex sequentibus constabit. Multi inter veteres Samaritani codicis meminerunt, Eusebius, Cyrillus Alexandrinus, Procopius Gazæus, Diodorus, Hieronymus, Scholiastes Græcus et alii; per annos verò suprà millenos quasi tenebris sepultus jacuit, nullâ ferè ejus mentione apud ullos auctores factâ. Tantâ tamen diligentiâ codices suos conservârunt Samaritani, ut iidem planè hodiè sint quales antehàc annis 1200 vel 1300, Eusebii scilicet et Africani temporibus, ità ut Simeon de Muis, acerrimus licèt hujus Pentateuchi impugnator, dicat in Censurâ suâ, c. 3, quòd testimonia veterum, quæ à Morino afferuntur, probant tale esse hodiè Samaritarum exemplar quale antè mille et ampliùs annos, id quod ultrò illi concedit.

Eusebius Cæsariensis annos à diluvio ad Abrahamum supputat ex Africano secundùm calculum Hebræorum, 70 et Samaritanorum: calculum verò 70 cum Samaritanorum congruere notat, id est, quòd ambo numerant annos 992, cùm in Hebraicis codicibus sint tantùm 292; eumdem verò calculum exhibent co-

dices hodierni Samaritani. Ab exordio mundi etiam notat differentes calculos Hebræorum, 70 et Samaritanorum ad diluvium usquè, ubì Samaritanorum supputatio planè eadem est cum codicibus nostris. Cyrillus Alexandrinus Gen. 4, ut et Hieronymus Quæst. in Gen. testantur hæc verba Cainis ad Abelem : *Transeamus in campum*, quæ in Hebræo non sunt, vacuo spatio in aliquibus codicibus relicto, Masorethis insuper ad marginem notantibus 28 esse istiusmodi loca, quæ in medio versûs desinunt, in codicibus Samaritanis legi; sic etiam sunt in nostris, ut et in 70, Syro, Targ. Hierosol. et in illo Jonathani adscripto; idem Hieron. in Gal. 3, 10, scribit, vocabula *omnis et in omnibus* in Deut. 27, ubì legitur : *Maledictus sit omnis qui non permanserit in omnibus*, etc., Judæos è codicibus suis erasisse, ne sub maledictione esse dicerentur ; ipsum verò Samaritanos consuluisse in quibus verbum illud *in omnibus* reperit, quod et in nostris codicibus hodiè legitur, ut et apud 70, Syrum et S. Paulum qui hæc verba citat. Hoc verò testimonium urget Hieronymus contrà Judæos : *Frustrà*, inquit, *illud tulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere quæ scripta sunt, cùm antiquiores alterius quoque gentis litteræ id positum fuisse testentur;* ubì videmus ipsum Samaritanorum codicem Judæis opponere, ut litteris antiquioribus scriptum, quod frustrà fecisset si nullius auctoritatis codex Samariticus fuisset. Hic verò contrà Hieronymum insurgit vir doctus, affirmans quidquid Hieronymus de litteris et libris Samaritanorum scripsit, vix tamen unquàm codices illorum vidisse liquere, quod probat : 1° Quia Hieronymus in Ezech. 9, scriptum reliquit, *Tau* Samaritanum instar crucis fuisse quod hodiernæ figuræ non congruit. 2° Quia dicit litteras Samaritanas apicibus ab Hebraicis differre, per *apices* sine dubio intelligens puncta vocalia, cùm tamen Samaritani puncta vocalia non habeant. At valdè infirma sunt hæc argumenta et falsissimis nituntur fundamentis : nam suprà probavimus, Proleg. de litteris Hebr. antiquis *Tau* antiquum habuisse crucis figuram, quæ paulatim deflexit in formam hodiernam : nec minùs certum est Hieronymum per *apices* non intellexisse puncta vocalia, de quibus nunquàm somniavit, cùm ejus ætate non exstarent; dicit enim *Daleth* et *Besch* apice tantùm differre, ubi per *apicem* nimis clarum est litterarum ductum et figuram, non puncta vocalia denotari, ut in Proleg. de punctis vocalibus demonstratum est. In Deuteronomio, quod Legis est repetitio, quædam inveniuntur, quæ tamen in libris prioribus, id est, Exod. Levit. et Num. non habentur in codicibus Hebraicis, in Samaritanis tamen haberi notat Procopius Gazæus, quæ etiam in nostris codicibus ità leguntur, ut Deut. 1, 6, ubì monet Procopius verba illa, *Dominus Deus noster locutus est nobis in Horeb, dicens*, etc., in Samariticis libris inveniri, etc. Num. 10, 10. Eadem leguntur in codicibus hodiernis Samaraticis. Similiter monet ejusdem cap. v. 9, adv. 19, verba quæ hìc repetuntur nullibì anteà in Hebræo inveniri, sed in codice Samaritico, id est Exod. 18, 24, ubì etiam in codicibus nostris exstant. Idem ex veteri scholiaste Græco patet, quem in notis ad Romanam et Parisiensem 70 editionem sæpè citârunt tùm Nobilius, tùm qui scholia Græca collegerunt. Græcus enim hic scholiastes, quisquis fuerit, multa profert loca ex codice Samarit. quæ cum libris hodiernis ferè ad amussim congruunt, licèt ab Hebræis discrepent. Exod. 32, 18, scholiates ait Samaritanum codicem legere : *vocem peccatorum audio;* sic verò legunt nostri codices, cùm Hebræus legat : *vocem cantantium*. Num. 32, 33, observat mentionem fieri à Mose dimidiæ tribûs Manasse, cujus anteà non meminerat, at in Samaritico mentionem ejus fieri. Sic etiam in nostris codicibus fit mentio dimidiæ tribûs Manasse, quod etiam loci sensus postulare videtur. Num. cap. 24, 7, notat Diodorus legi in Samaritano *Gog*, ut et nostri libri legunt, cùm tamen Heb. et Vulg. Lat. legunt *Agag*, Theodoretus verò, quæst. 43 in Genes., ex Symmacho legit *Og*, ex quibus videtur lectionem variam fuisse in codicibus Hebraicis. Præter hæc loca, quæ in antiquis codicibus Samariticis aliter legebantur quàm in Heb. quibuscum tamen consentiunt codices hodierni, alia proferuntur loca ubi notârunt veteres consensum codicum Hebraicorum vel Græcorum cum Samaritanis, qui consensus etiam in hodiernis libris Samariticis conspicitur. Loca quædam proferuntur ex scholiaste Græco, quem citant scholia Romana, et ex Nobilii notis. Nos quia brevitati studemus, loca tantùm indicabimus : Exod. 10, 7, cap. 14, 15, 20, cap. 23, 16. Lev. 8, 15, c. 13, 8, c. 25, 5, 25, c. 26, 24, 41, 43. Num. 4, 25, c. 7, 3, c. 18, 7, c. 29, 1, cap. 31, 26. His à Morino notatis alia plura adjici possunt, ut Exod. 8, 21, cap. 16, 31, cap. 26, 5, cap. 28, 4, c. 32, 18, Lev. 13, 51, c. 27, 14, cap. 24, 7, c. 32, 12. In his aliisque apud illum scholiasten locis, quæ lectoris diligentiæ observanda relinquimus, fit mentio codicis Sa-

maritici antiqui, cum quo hodiernus conspirat.

Contrà hunc codicum consensum objiciuntur quædam ex scholiaste illo, quæ aliter ex Samaritico codice translata sunt, quàm hodiè leguntur, ad quæ responderi potest: 1° verbum Samariticum plures significationes habere, maximè cùm punctis semper destituti sint Samaritani codices, ut Exod. 8, 21, ubì interpres Græcus *corvum* reddidit, 70 *cynomiam*, ut et Hieron. ex Heb. *omne genus muscarum*. 2° interpretes Græci et alii interpretes non semper ad verbum vertunt, sed sensum præcipuè respiciunt, undè aliis verbis fortassè idem reddunt, imò sæpè explicationis gratiâ aliquod verbum addunt, ut Genes. 49, 25, transtulit antiquus interpres ex Samaritano: *Et permansit in profundo sagitta eorum*, cùm secundùm hodiernos codices legendum sit: *Et oderunt eum domini sagittarum*, ubì sensum non verba respexit interpres, sensus enim est in utrisque idem. Præterea observare licet scholiastem hunc Græcum sæpiùs cum versione Samaritanâ, quàm cum textu Heb. Samaritano convenire, illamque exprimere; non tamen mendosa est interpretatio, cùm nihil textui contrarium additur, nec quod ad explicationem non confert. 3° Concedi etiam potest ex errore scribarum discrimen aliquandò inter antiquos codices et modernos oriri posse, ità ut quædam esse possent in antiquis codicibus, quæ in neotericis non habentur, et è contrà. Nam si qui codices Hebraicos Veteris et Græcos Novi Testamenti describunt non sunt ἀναμάρτητοι, sed aliquandò cespitare possunt, undè lectionum varietas orta, nemo Samaritanos scribas extrà erroris aleam positos esse affirmabit. Sed contrà sinceritatem horum codicum objici potest dissensus ab Hebraico textu: 1° in eo quòd Deut. 27, 4, pro *monte Ebal* ponunt *montem Garizim*, contrà omnium codicum et interpretum fidem. 2° Multa sunt in Samaritano transposita aliter ac in Heb., non tantùm versus integri, sed magna pars quorumdam capitum, ut ex Deut. 11, 29, 30, et 27, 4, aliisque locis. 3° Multa repetita et bis variis locis posita in textu Samaritico, quæ semel tantùm ac loco unico in Hebræo reperiuntur, quorum multa in collatione nostrà prædictâ lector inveniet. Præter hæc etiam tàm integris dictionibus, quàm litteris multiplex discrimen invenitur inter hæc exemplaria, multis additis, detractis, mutatis, quæque aliquandò sensum mutant, quæ per singula capita notavimus in dictis collationibus.

Ad hæc respondeo: 1° locum illum Deut. 27, 4, mendosum esse in exemplaribus Samaritanis, idque negari non posse, cùm in omnibus codicibus Hebræis, omnibusque versionibus antiquis legatur *Ebal*, non *Garizim*. Hebræorum enim potiorem esse auctoritatem, quibus oracula Dei concredita fuerunt, quique Ecclesia Dei permanserunt, donec propter rejectum Messiam Deus ipsos rejecit, et libellum repudii dedit, Samaritis schismate et cultu corrupto ab Ecclesiâ verâ divulsis, dubitari non potest. Hoc verò à Manasse ipsorum primo pontifice, Sanballati præfecti auctoritate freto, consultò factum esse probabile est, ut indè templi sui auctoritatem adstrueret, et ab unius codicis in hoc novo templo auctoritate in reliquos errorem propagatum fuisse; ipsos verò suspicionem fortassè habuisse erroris in Hebræis codicibus, et pro *Ebal* antiquitùs scriptum fuisse *Garizim*, cùm mons Garizim mons benedictionis à Deo constitutus sit, et ex ipso benedictiones promulgari, ex Ebal verò maledictiones denunciari jusserit, ut ex Deut. cap. 11, v. 29, et cap. 27, v. 12, constat, quòd etiam Josuam cum sacerdotibus et populo iis locis præstitisse disertè legimus Jos. 8, 33, cùm in terram promissam ingressi sunt, Jordane trajecto, undè fortassè inferebant haud probabile esse montem Ebal, ubì maledictiones denunciatæ, Deum elegisse pro loco ubì altare exstrueretur, et sacrificia offerrentur, neglecto monte Garizim, ubì benedictiones promulgatæ sunt. Quidquid verò ostendere poterant, non negandum, quin hic locus corruptus sit in codicibus Samaritanis, ut pro ipsis faceret, nec quemquam novi, qui ab omni errore immunes esse ipsorum libros affirmaverit. 2° Transpositiones quâcumque ex causâ ortæ sunt, sive ex schedarum separatarum erroneâ commissurâ, sive ex scribæ audaciâ. 3° Quod additiones vel repetitiones spectat, quæ in textu Samaritano non in Hebraico exstant, aliquam sanè probabilitatis speciem pro libris suis habent Samaritani; nam cùm in multis locis quædam referuntur in codicibus Hebraicis, quæ alibì priùs scripta esse insinuantur, alibì tamen in exemplaribus Hebraicis non inveniuntur, hinc probabiliter conjicere videntur quædam in codicibus Hebraicis deesse, quæ in suis exstent, ut cùm Deut. 1, 1, repetuntur verba quæ Moses locutus erat cum Israelitis trans Jordanem in deserto, quæ verba quasi repetita subjiciuntur versibus sequentibus, tamen in codicibus Heb. alibì non reperiantur talia verba à Mose prolata, in codicibus verò Samaritanis habentur Num. 10, 10, et Exod.

18, 24. ut suprà ex Procopio Gazæo observavimus; multa enim talia in dictis nostris collationibus observare quilibet potest. Hìc, inquam, cum probabilitate aliquâ dicere possent Samaritæ, codices aliquos variâsse in istis locis. At cùm potior sit Hebræorum codicum auctoritas, ut jam diximus, et ab iis discedere non tutum, nisi manifesta cogat necessitas, potiùs dicendum censeo, descriptores quorumdam codicum Samaritanorum suspicatos esse hæc in Heb. deficere, et suppleri debere, undè loca ista suppleverunt, quod sive antiquorum codicum auctoritate freti, sive ex conjecturâ propriâ fecerint, non facilè est definire; probabile tamen est ex conjecturis suis fecisse, cùm verbatìm sine ullâ vel minimâ discrepantiâ loca, quæ suppleri videntur, cum illis in quibus repetuntur congruant. Cùmque novum templum erexissent, Esdram et Synagogam magnam imitantes, licèt auctoritate legitimâ destituti, ne ipsorum codex Judaico inferior videretur, codices proprios revisos emendâsse, ordinâsse, et ubì deficere visi sunt supplevisse, ut pro authenticis inter suos essent, non sine probabilitate affirmari potest. 4° Quod verò ad alia loca pertinet, pro fato omnium librorum antiquorum, illa ex librariorum incuriâ vel ex codicum varietate fluxisse arbitror; imò in locis plurimis pleonasmi conspiciuntur, verborum initio vel fine, quæ sensum non mutant, in quibus Judæorum codices, postquàm puncta à Masorethis apposita sunt, ab iis discrepant, quod et suprà monuimus. Quod enim de editione Græcâ 70 diximus, idem de exemplari Samaritano optandum, ut doctus aliquis judicio et linguarum cognitione pollens, et partium studio non abreptus, cui otium et ingenium ad rem tantam aggrediendam suppetit, accuratè discrepantias has examinaret, et quænam ex scribarum errore, quænam ex codicum Hebræorum varietate ortæ sint, quænam de industriâ mutationes factæ, distingueret. Certè qui hoc opus perficeret, magnam à gratâ posteritate laudem reportaret.

Ad auctoritatem et usum exemplaris Samaritani devenimus. De autoritate non opus est multa dicere: neminem enim novimus, qui textui Hebraico generaliter præfert. Scripsit quidem Joan. Morinus se facto examine Pentateuchi Samaritani, ipsum purum putum Mosis Pentateuchum esse deprehendisse. Cùm verò ipse se alibi explicet Animad. in censur. exerc. Samar. c. 7, nil aliud voluisse his verbis, quàm exemplar illud non esse spurium vel suppositìtium, nec de ejus auctoritate se aliud dixisse; operam et oleum perdunt, qui magno molimine probare satagunt Samaritanum textum non Hebr. præferendum; hoc enim est cum larvis luctari, vel cum umbrâ propriâ contendere. De hâc quæstione, quæ inter doctos nulla est, nil aliud dicam, quàm populo Judaico oracula divina concredita esse, quorum custodes erant, donec à Deo rejecti et à fœdere exclusi iniqui facti sunt ipsorum possessores, honore illo ab iis ad Ecclesiam translato, cujus fidei salutis monumenta commissa sunt, quam etiam constituit Christus, non Synagogam, *firmamentum et columnam veritatis*. Judæi verò, ut olim eleganter Augustinus, nostri tantùm capsarii sunt, qui libros nostros portant; et licèt corticem Legis habeant, à vero tamen sensu aberrantes non possunt dici veram Scripturam inter se habere, haud aliter quàm hæretici, qui Scripturam glossematis suis corrumpentes et à verâ Ecclesiâ divulsi, non possunt dicere se veram Scripturam possidere. Samaritani tamen ut codicum suorum auctoritatem probent, non solùm contendunt, quod verissimum esse suprà evicimus, Legem primò datam esse scripturâ Samaritiçâ, id est antiquâ Hebræâ, sed etiam se exemplar Legis habere Sichemi servatum, scriptum diebus Phineæ, filii Eleazaris, filii Aaronis, ut de ipsis scribit Alaschkar. resp. cap. 74. Moses enim, ut quidam volunt, præter αὐτόγραφον Legis, quod in Arcæ latere repositum in Sancto sanctorum unà cum Arcâ fœderis servatum erat, etiam duodecim alia exemplaria conscripsit vel conscribi jussit pro 12 tribubus, quorum unum, vel certè exemplar ex illo descriptum, se adhùc habere jactant. Hæc verò si liquidò demonstrare possent, nemo non fatebitur summâ cum reverentiâ eorum exemplaria ab omnibus recipienda. Et certè si tale aliquod exemplar habuissent, ad Judæos convincendos multò antehàc protulissent ad codicum suorum authenticam stabiliendam, nec de hoc siluisset Josephus, cùm disputationem illam describit, quæ coràm Ptolemæo inter illos et Judæos de templi utriusque prærogativâ habita fuit, nec de hoc tacuisset, qui Samaritanorum causam agebat, cùm producto hoc exemplari pro monte Garizim lis statìm finita fuisset, et pro Samaritanis rex pronunciâsset, cùm tamen pro Judæis sententiam tulerit, Samaritanorum patronis ob probationis defectum supplicio affectis. Aliam igitur auctoritatem non concedimus eorum Pentateucho quàm aliis antiquis exemplaribus, quæ injuriâ temporum vel scribarum negligentiâ nævos et maculas quasdam con-

trahere poterant, quæ ex aliorum codicum collatione, maximè Hebraicorum veterumque interpretum, aliisque mediis, de quibus in Proleg. de variantibus lectionibus actum est, corrigi et emendari possunt.

Etsi verò authenticam huic exemplari non attribuamus auctoritatem, non tamen omnem ejus usum negamus, imò multùm utilitatis ad Hebraicum textum illustrandum et verum in locis perplexis et obscuris Scripturæ sensum indagandum conferre statuimus. Primò enim ex hoc vetustissimo exemplari, quod in plerisque cum Hebræo hodierno congruit, confirmantur Hebraici codices, præsertìm cùm per annos bis mille quingentos inter populum, qui cum Judæis nullum habuit nec adhùc habet commercium, sed quibuscum inimicitiæ capitales semper vigebant, servatus sit codex utrisque sacer; excepto enim loco illo cultui sacro destinato, vix in rebus alicujus momenti dissident, sed in omnibus quæ ad fidem et mores spectant, et ad cultum et religionem legesque politicas pertinent, eadem leguntur in utrorumque codicibus; nam ut Christiani ex codicibus Hebraicis Judæos, sic ex codicibus Samariticis Samaritanos Judæi convincere poterant. Lectionem verò codicum Hebræorum à Samaritico confirmari liquet; locus unus et alter instar multorum sit. 1° Gen. 3, 15, Samar. cum Hebræo legit *ipse* non *ipsa* contrà audaciam eorum, qui textum Hebraicum hìc depravatum suspicantur; idem videmus in Gen. 49, 10. 2° Ad loca quædam difficilia, quæque ex solo Hebraico textu vix explicari poterant, enodanda multùm confert. Unum et alterum indicabo. Exod. 12, 40, sic legimus ex codicibus Hebraicis : *Habitatio autem filiorum Israel, quâ habitaverunt in Ægypto, annorum fuit* 430. Hic locus mirè interpretes torsit, cùm certum sit Israelitas in Ægypto non multùm suprà ducentos annos habitâsse. Difficultatem verò omnem tollit Samaritanus, qui ità legit : *Habitatio verò filiorum Israel et patrum eorum, quâ habitaverunt in terrâ Chanaan et in terrâ Ægypti, fuit annorum* 430. Hæc enim supputatio cum historiâ sacrâ optimè convenit, et à 70 confirmatur, et ab utroque Talmude. Hanc verò lectionem etiam cum textu Hebraico quidam conciliare student. Quidquid verò de hoc sit, certum est vel ità Hebraicum textum olìm lectum fuisse, vel ità intelligi debere, cùm aliter exponi non possit sine apertâ historiæ Sacræ depravatione. 3° Ubì ab Hebræo differt Samaritanus, sensum tamen explicat et illustrat, non tantùm repetitionibus, quæ propriis locis juxtà historiæ seriem inseruntur, sed in plurimis aliis, ubì textum Hebraicum aliis verbis exprimit, vel hìc illìc verbum unum aut alterum explicationis gratiâ addit.

Tandem magnum usum habet codex Samariticus ad Judæorum commenta et deliria detegenda, dùm mysteria quærunt ex verbis et litteris quibusdam, cùm ex textu Samaritico istiusmodi nugas in textu non fundari apodicticè ostendi possit, ut Exod. 25, 31 : *Ductile fiet candelabrum,* ad verbum תיעשה notant tùm *Jod* poni post *Tau*, futuri characteristicum, tùm vocem punctari pro tertiâ personâ futuri *Niphal*. Mysterium duplex hìc fingunt Rabbini : primum *Jod* irreptitium, quod numerum denarium denotat, ad significandum inter alia, decem candelabra, quæ à Salomone posteà facienda erant. Secundum, Deum Mosi præcepisse candelabra cum omnibus suis partibus facere ex unâ continuatâ auri massâ sine ullis juncturis, quòd cùm Moses an fieri possit dubitavit, statìm Deus dixit : *Fiet candelabrum*, non *facies*, undè cùm Moses aurum in ignem conjecerat, statìm sine ullo artificis labore, exiit candelabrum formatum sicut Deus mandaverat. Has verò inanes nugas esse ostendit textus Samariticus, qui legit in futuro activo *facies*, et sine *Jod*, quod ex errore scribæ irrepsit.

Et hæc quidem de Pentateucho ipso. Pauca breviter addenda de versionibus ejus et de aliis libris Samariticis, quos videre contigit. Versionem Hebræo-Samaritani textûs triplicem quidam statuunt, id est, Samaritanam, Arabicam et Græcam. De duabus prioribus nullum est dubium; utrumque enim habui, habuit et D. Morinus ad editionem Parisianam concinnandum. De tertiâ verò, quæ hodiè non exstat, dubitatur. Prima versio facta est de textu Hebræo-Samaritano in dialectum Samaritanum, sive in linguam Chaldæo-Samaritanam, quo tempore cum Judæis in religione convenerant Samaritani, ut arbitratur D. Mich. le Jay Præf. ad Biblia sua Parisiana. Hæc verò tùm in Bibliis Parisianis, tùm in Lond. habetur unà cum versione Latinâ, quæ tùm textum, tùm versionem refert, cùm translatio in plerisque textum κατὰ πόδα sequatur. De hâc hæc observanda : 1° de auctore nihil alicubì exstare, nec apud ipsos Samarit., nec apud Jud. vel alios quos licuit videre scriptores, ut nec de tempore quandò facta est. In historiâ enim, ut verè de iis scripsit Scaliger, in rerum omnium vetustate omninò

peregrini sunt, adeò ut ipsorum historia ex ipsis peti non possit, cùm nulla exstet eorum historia vel chronologia, exceptâ illâ nondùm editâ, quæ, ut ex ejus per D. Hottingerum edito specimine patet, erroribus fœdis scatet. Constat verò valdè antiquam esse; eadem enim causa, quæ Judæos impulit ad Targumim sive Paraphrases suas linguâ sibi notâ conficiendas, quia scilicet desierat lingua Hebraica esse ipsis vernacula, etiam Samaritanos sine dubio moverit, ut versionem hanc conficerent, quandò scilicet Hebraica lingua desierat esse ipsis vernacula, ut hoc modo libros sacros linguâ sibi notâ legerent. Hoc verò non multò post templum Garizitanum exstructum fuisse vel hinc patet, quòd Judæi, quorum magna pars Samaritis se adjunxerant, post reditum à Babylone propriæ linguæ tempore captivitatis obliti sunt, ut omnium consensu anteà docuimus, et Chaldaicâ, vel ex Hebraicâ et Chaldaicâ mixtâ usi sunt. Etsi enim ex senioribus multi, sacerdotes verò omnes, adhùc Hebræam callerent, pauci tamen erant respectu plebis, quæ generaliter Chaldaicam tantùm intellexerat; et senibus mortuis reliquus populus, qui Hebraicam ignorabat, solâ Chaldaicâ, sive ex hâc et Hebraicâ mixtâ Syriacâ usi sunt. Cuthæi verò, qui cum Judæis mixti vivebant per Samariæ regionem, colluvies erant variarum gentium, ex Assyriis tamen præcipuè oriunda. Undè et ipsi Chaldaicam vel ob Judæos cum iis mixtos, vel ipsis conterminos mixtam, ex Hebræâ et Chaldæâ itidem usurpabant. Nam cùm Judæis, Tyriis et Syris undiquè quasi cincti essent Samaritani, non potuit non eorum dialectus ex vicinorum linguis multa communia participare. Undè licèt nihil ex historiâ certi statuere possumus, verisimile tamen est multò antè Christi tempora, id est non multùm post Esdram et Nehemiam, versionem hanc conflatam fuisse. 2° De linguâ sive dialecto in quâ conscripta est, Hebraicæ et Chaldaicæ affinis est; pleraque enim vocabula à radicibus Chaldaicis vel Hebræis derivantur, undè Chaldæo-Samaritana à plerisque dicitur. Quædam tamen habet sibi propria et peculiaria, quorum multa collegit Joan. Morinus in Lexico suo Samaritano, quod cum opusculis suis Samaritanis nuper prodiit, multò plura adjecit doctissimus noster D. Edm. Castellus in Annotationibus suis Samariticis. Præter Chaldaica etiam Arabica quædam vocabula occurrunt. In formatione nominum et verborum, modò Hebraicæ, modò Chaldaicæ regulis conformis est. Hoc etiam annotandum, quod alibì notavimus, litteras ejusdem originis sæpiùs in dialecto Samaritanâ, quàm in aliis linguis commutari, ut et alias, quæ vel soni, vel figuræ similitudinem habent, ità ut eadem vox sæpiùs in eâdem periodo variè exprimatur. Alia de hujus linguæ proprietate et genio qui scire desiderat, consulat Annotationes D. Castelli. Hoc etiam meritò miratur D. Morinus, quòd dialectus hæc Samaritica ad Hebraicam propiùs accedat, quàm vel Chaldaica vel Hierosolymitana, tàm in verbis et phrasibus, quàm in constructione, ut ex versione Samaritanâ patet, ubi nominum formationes sunt purè Hebraicæ. Causam undè hæc affinitas orta sit non exprimit; mihi verisimile videtur Judæorum moram longam in captivitate ipsorum linguam magis mutâsse ab Hebraicâ in Chaldaicam, quàm reliquorum, qui abducti non erant. Samaritani enim licèt ex Assyriâ originem traxerint, tamen cùm Judæorum reliquiis mixti essent inter decem tribus, ipsorum idioma in Hebraicum ferè transiit, quòd cùm tantam mutationem passa non sit ac Judæorum ob causam dictam, indè fieri potuit ut Hebrææ propiùs accederet. 3° Versionem hanc Samaritanam, licèt Hebræi textûs vestigia premat, non semper tamen illum exactè exprimere. Affirmat quidem Joan. Morinus ità pressè et κατὰ πόδα textum Hebraicum ubique sequi, et verbum de verbo reddere, ut unam translationem utrique textui sufficere judicaret, quod quidem ut plurimùm verum est, non tamen ubique, cùm in multis locis textum deserat, verbi gratiâ, pro *Deo Elohim* vertit *angelum Domini*, et quod de Deo dicitur Angelis adscribit. Genes. 17, 22, pro, *Ascendit Deus*, vertit, *Ascendit Angelus Domini*. Gen. 2, 28, pro *subjicite eam*, interpres reddit: *habitate per generationem vestram*. Gen. 12, 6, pro *quercu More*, vertit interpres *vallem visionis*. Multa ubique ejusmodi occurrunt. Nec tantùm à textu Hebræo-Samaritano discedit Samaritana versio, sed tùm à textu, tùm à versione sæpè differt versio Latina, sæpè neutrius sensum aptè exprimens, sed potiùs Vulg. Latinam, ut qui versionem Vulgatam cum hâc contulerit planè videre potest.

Secunda versio est Arabica, litteris tamen Samaritanis exarata; quam simul cum textu Hebræo-Samaritano inter alia MSS. exemplaria nobis communicavit rev. Usserius. Multa quidem capita desunt; ex iis tamen, quæ integra habentur, constat versionem hanc accuratam esse, et sæpissimè cum versione Ara-

bicâ Pentateuchi Saadiæ convenire. De tempore verò quandò vel de auctore per quem facta est hæc versio non constat, cùm nihil ex ipsis Samaritanis, ut jam diximus, peti possit. Postquàm Muhammedana superstitio Orientem invaserat, cum quâ etiam lingua Arabica propagata fuit, nata videtur hæc translatio, at quo sæculo definire non possum. Post Saadiæ verò tempora, hoc est post annum Christi 900, confectam esse probabile est, eò quòd multa habet cum illius versione communia. Codex verò noster MS. scriptus erat, ut ex ipso patet, à quodam Ab Helion, id est circà annum Christi 1524. D. Morinus in Præfat. ad Annotationes suas in Translat. Samarit., scribit se codicem hujusmodi habuisse ex dono amplissimi Perescii, quem trilinguem nominat, cò quòd præter Arabicam versionem habuit etiam à lateribus textum Hebræum et Samariticum. Codex etiam hic, ut fatetur, erat lacerus et imperfectus, nostro tamen multò antiquior, ut qui descriptus erat, ut ad finem Exodi et Num. notatur, mense Rabir altero anni Ismaelitici 625, id est antè quadringentos et aliquos annos.

Tertia versio est Græca, secundùm Morinum, Hottingerum et alios, quam quidem vir doctus vult sine dubio factam fuisse tempore Alexandri Magni (1). Fundamentum verò cui innititur (versio enim ipsa hodiè non exstat) est scholiastes Græcus antiquus sæpè citatus apud Nobilium et in scholiis Græcis ad editionem Romanam 70 Interpret., ubi sæpè τὸ Σαμαρειτικὸν citatur, cujus lectiones Græcas adfert ipse scholiastes. Cyrillus etiam Alexandrinus, Hieronymus, aliique veterum ex codice Samaritico, quædam subindè producunt. An verò ex ipso codice Samaritico, vel ex ejus aliquâ translatione, quæ tunc exstabat, testimonia ista proferunt, dubium videtur. Si verò ex versione quàdam Græcâ, ut videtur, citentur, potiùs tamen versionem Samariticam quàm ipsum textum, cùm inter se variant, exprimere observatum est. Loca multa ab ipsis adducta suprà collegimus; si verò talis aliqua exstitisset versio Græca, nequaquàm tamen ad tempora Alexandri pertigisse, sed multò recentiorem esse certò persuasus sum. Nam antè 70 versionem nullam Græcam exstitisse alibi, nî fallor, satis probatum est. Frustrà enim Ptolemæus ejusque hyperaspistes Phalereus de versione Græcâ adeò solliciti fuissent, et tantos sumptus in eam adornandam insumpsissent, si ulla tunc temporis versio Græca exstitisset, præsertim si, quod multi contendunt, solus Pentateuchus à 70 conversus fuerit.

Præter has versiones habemus etiam liturgiam Samaritanorum, characteribus Samariticis descriptam, ex dono dicti Usserii, in quâ precum eorum formulæ et officia divina cum lectionibus Legis describuntur, quam valdè antiquam et propè tempora Esdræ in usu fuisse, vel ex ipsis Judæorum formulis, quas paulò post reditum è Babylone ab Esdrâ et sociis ejus compositas fuisse affirmant uno ore Judæi, quasque in hunc usquè diem usurpant, colligi potest. Videantur Capelli Spicileg. et Seldeni notæ in Eutych.

Historiam vel chronologiam ipsorum nullam vidimus. In bibliothecâ Scaligeranâ, inter alia Orientalium monumenta exstabat chronicon ipsorum magnum, ut vocatur, ex Hebræo prisco in Arabicum conversum, sed charactere Samaritano descriptum, de quo quædam habet Scaliger, lib. de Emend. 7, in notis ad annum Samarit. scilicet *quòd multa habeat cognitu digna, quamvis aliquandò commentis Samaritanis incrustata.* Incipit ab excessu Mosis, desinit in tempore imperatoris *Adriani, undè vocatur* liber Josue, *quia scilicet ab excessu Mosis et ducatu Josuæ incipit.* Hæc quidem Scaliger. Plura legere licet de hoc chron. apud doctissimum Hottingerum in Exercit. Anti-Mor., sect. 49, 50, etc., et in fine, ubi instar speciminis brevem totius hypotyposin edidit, ex quo, si typis tandem mandetur, quid exspectandum sit, conjicere licet. Multa habet Scripturæ consona, multa fingit falsa et fabulosa, id est Josuam templum construxisse in monte Garizim; Eli et Samuelem magos fuisse; captivitatem decem tribuum cum captivitate Judæ pueriliter confundit, cum aliis ejusdem farinæ, quæ in Epitome illâ D. Hottingeri videre licet, cui lectorem remittimus, qui plura desiderat. Hæc de Samaritanis et eorum Codicibus.

(1) Facilè persuasum habeo illam esse versionem Pentateuchi de quâ Aristobulus apud Clement. Strom. liv. 1.

Caput viij.

DE LINGUA CHALDAICA ET TARGUMIM,

SIVE PARAPHRASIBUS IN HAC LINGUA SCRIPTIS.

Paraphrases, quæ Chaldaicè conscriptæ sunt, communiter vocantur Targum, et voce plurali Targumim. Est verò תגרים vox Chaldaica, quæ significat *interpretationem*, *versionem* vel *paraphrasim*, quæ non tàm verbum de verbo, licèt hoc sæpè in Targumim in quibusdam observetur, quàm sensum ex unâ linguâ in aliam transfert. Etsi verò ad omnes translationes hæc vox accommodari possit, undè Tawosi translatio Pentateuchi Persica Targum appelletur, et de versionibus in linguam Græcam et Æthiopicam ab ipsis Judæis idem vocabulum usurpetur, ut apud Eliam et alios est videre, peculiariter tamen usus ipsum appropriavit ad Paraphrases Chaldaicas, quæ apud Judæos in maximo honore sunt, et usu frequentiore, quas etiam ipsis S. Scripturis æquant. De his videndum 1° undè originem habuerint, et quàm antiquæ. 2° Quot hodiè exstent. 3° A quibusnam auctoribus factæ. 4° Cujusnam sint auctoritatis. 5° Quisnam eorum usus, et quæ utilitas ex ipsarum lectione redundabit.

Originem Paraphrasium Chaldaicarum dedit mutatio linguæ Hebrææ, durante 70 annorum captivitate, in Chaldaicam, ubi ex consensu plerorumque doctorum ostendimus Judæos captivos linguæ propriæ oblitos, linguam dominorum quibus serviebant, Chaldaicam, scilicet necessitate coactos didicisse; licèt enim multò longiùs linguam propriam retinuerint in Ægypto immutatam, hoc tamen indè fuit quòd simul in terrâ Geshen convixerunt Israelitæ cum Ægyptiis non mixti, in Babyloniâ verò captivi, variis locis dispersi, dominis multis serviebant, quorum jussa capescere non potuerant, nisi ipsorum linguam callerent; servi enim dominorum linguam necessariò addiscere tenentur. Multi quidem Judæorum reducum, præsertim ætate grandiores, sacerdotes etiam et scribæ Hebræum adhuc tenebant: undè erat quòd Prophetæ posteriores vaticinia sua majorum suorum linguâ scripserint; in usum tamen plebis, cujus ignorantiæ necessariò consulendum erat, ut Scripturas intelligerent dùm in Synagogis et in Templo perlegerentur, introductæ sunt Targumim, sive explicationes linguâ sibi notâ, scilicet Chaldaicâ, sive quæ eadem fuit, Syriacâ. Hoc plerique tàm Judæi quàm Christiani probant ex Neh. 8, 8: *Et legerunt in libro, in lege Dei explanatè, et apposuerunt intellectum, et intellexerunt illam lectionem*: ubi verba priora de lectione textûs Hebræi exponunt, posteriora de Paraphrasi, sivè explicatione Chaldaicâ, factâ per Levitas vel scribas. Hunc locum sic exponunt Talmudici, lib. *De votis*, cap 4: *Legerunt in libro illo, in lege Dei, is fuit textus Hebraicus: explanatè, illud fuit Targum*. Paraphrases verò factæ sunt non tantùm in Legem, quam ab antiquis temporibus singulis sabbatis in Synagogis prælectam fuisse testatur Jacobus Apostolus, Act. 15, sed etiam in Prophetas, quos itidem in Synagogis prælegi solitos fuisse patet, ex eo quòd Christus, Luc. 4, 21, pericopen ex Isaiâ legit et exposuit, et ex Paulo, Act. 13, 17, cujus originem ducunt à temporibus Antiochi Epiphanis, qui cùm prohiberet lectionem Legis, incœptæ sunt lectiones ex Prophetis, sectionibus legis respondentes, quas *Haphtoras* vocârunt, undè hodiè inter Haphtoras legunt Is. cap. 60 et 61, ad 4 et 5, sabbato antè novi anni initium, ut ex catalogo Parascharum et Haphtorarum liquet. Hinc natæ sunt non tantùm Onkelosi in legem, et Jonathanis in Prophetas expositiones, sed et aliorum in reliquos omnes libros Hagiographos, exceptis libris Esdræ et Danielis, qui anteà semi-Chaldaici erant, et Chron., qui anteà in libris Regum explicati sunt, ut observat Schickardus. Fuerunt verò Paraphrases istæ absque punctis primò editæ, idque pro certo affirmat El. Lev. in Præf. Methurg.: *Procul dubio*, inquit, *interpretes scripserunt versiones suas absque punctis, et demonstrant id exemplaria valdè vetusta; longo post tempore demùm punctatæ sunt per manum unius aut alterius anonymi, singulæ pro arbitrio suo*: undè cùm Judæi de pun-

ctatione desperâssent, inter Christianos hoc opus varii aggressi sunt; cùm verò plurima absurda in Targum ex imperfectâ punctatione relicta essent, à Complutensibus quædam reformari cœpta, multa plura in Bibliis Regiis per Ariam Montanum, qui tamen fatetur plurima adhuc relicta esse, omnium novissimè immensis Buxtorfii laboribus, opus punctationis ad umbilicum redactum ferè, omnibus ad analogiam Esdræ et Danielis reductis, ut ex Bibliis ejus liquet; ità tamen ut quædam addendi et in meliùs reformandi aliis ansam non præciderit, teste Lud. de Dieu, in comparat. trium linguarum, in Præfat. Vide Buxt. Gram. Chald. et Syr. De hoc tamen punctationis opere scribit Lud. de Dieu, Præfat. Gram. Orient., eam arbitrariam esse, et vix quidquam certum in eâ esse, sed ab Europæorum arbitrio magis quàm à certâ linguæ oratione petitam: undè certam et unicam punctandi regulam in Chaldaicis à linguâ Syriacâ arcessit.

Certum itaque videtur Paraphrases Chaldaicas publicè prælectas; an verò primis temporibus expositiones illæ factæ fuerint, ex cujusque arbitrio, an ex certâ aliquâ versione prælectæ antè Onkelosi et Jonathanis tempora, in quæstionem vocant nonnulli. Et quidem videtur Levitas et scribas, quibus hoc munus impositum fuit Synagogis operam dare et sabbatinis lectionibus interesse, post contextum Hebræum ab ordinario lectore prælectum, sensum et interpretationem ejus linguâ populo notâ, præsertim Chaldaicâ, secundùm talentum sibi datum, prout sensus in lege exercitatos habuerunt, dedisse; nam Targum ullius scripti antè Onkelosum et Jonathanem, qui circà Christi tempora floruerunt, nulla exstant vestigia in antiquissimis Judæorum monumentis, et verba Maimonidis in Tephil. cap. 12, hoc videntur innuere; dicit enim: *A diebus Esdræ consueverunt habere interpretem, qui populo id interpretaretur, quod lector ex Lege prælegit, ut sensum verborum intelligeret.* Videmus hìc interpretem lectori opponi, quasi ei versum, cùm tamen si certæ alicui versioni adstrictus fuisset à lectore, cùm quod unus ex codice Hebræo, alius ex Chaldaico legeret, undè duo essent lectores, non lector et interpres. Quòd verò Judæi, ut majorem hisce Targumim concilient auctoritatem, alii eorum originem ad Prophetas referunt, à quibus Jonathan et Onkelos doctrinam suam paraphrasticam habuerunt, alii ad Mosen in monte Sinai, qui senioribus et Prophetis tradidit Paraphrases Chaldaicas, ut legitur apud Zacut. fol 53, etc., quas tempore captivitatis desuetas et in oblivionem traditas quasi postliminio in usum revocârunt et restituerunt Jonathan et Onkelos, hoc inter Rabbinicas fabulas meritò referendum: quàm absurdum enim et ridiculum est fingere Mosem Chaldaicam Paraphrasin Judæis dedisse, cùm Chaldaicam linguam non intellexerint Judæi, sed Hebræam haberent vernaculam, postquàm verò Chaldaicæ linguæ assueti fuerant, ejus oblitos fuisse, donec à Jonathane et Onkeloso restituta esset! Non opus est immorari in Talmudicis istis commentis refutandis. Origo itaque Paraphrasium ab Esdræ temporibus, non altiùs, arcessenda est, quo tempore sine præscriptâ formâ explicationes factæ sunt, scriptæ verò non antè Jonathanem Onkelosum, quantùm ex Judæorum monumentis colligi potest.

De auctoribus et numero Targumim, et de iis in specie.

Celebris et antiqua est apud Judæos partitio sacrorum codicum in tres ordines: in Legem sub quâ quinque libri Mosis; Prophetas, tùm priores quos vocant, scilicet Jos. Judic. libros Samuelis et Reg., tùm posteriores, Isai. Jer. Ezech. et 12 minores, quos pro libro unico habent, et Hagiographa, sub quibus libri reliqui undecim, undè exsurgit numerus librorum 24. Alii verò libros 22, secundùm numerum litterarum Hebraicum olìm, numerâsse ex antiquis ipsorum scriptoribus constat, Ruth. scil. adjecto ad librum Judic., et Thren. ad Jerem. Josephus lib. 1 contrà Appionem paulò aliter libros hos distribuit, dùm præter 5 libros Legis, Prophetarum facit ter decem, qui ab exitu Mosis usquè ad Artaxerxem, Persarum regem, qui fuit post Xerxem, res gestas suorum temporum scripserint, inter hos omnes libros historicos complexus; quæ quidem divisio, ut observat Helvicus, magis convenit cum verbis Christi Luc. 24, 44. Reliquos verò 4, quos poeticos vocamus, quique numerum 22 faciunt, dicit hymnos in Deum, et vitæ humanæ præcepta continere, per quos intelligit Psalmos; hæc tamen distributio Josephi antè Hieronymi tempora, apud Judæos mutata est in eam quam recitavimus, ut ex prologo ejus Galeato et Præfat. ad Dan. patet. Quidquid sit de hâc partitione, Paraphrases, sive Targumim, ad triplicem hodiernam distributionem aptantur, dùm aliam Pentateuchi, aliam Prophetarum, aliam Hagiograph. faciunt. Illius in Pentat. sed Onkel. in Prophetas ad Jonath. filium Uzie-

lis, exceptis lib. Esdr. Dan. et Chron. Hagiographorum ad Josephum quemdam cæcum communiter referunt. Præter has, exstant duæ in Pentateuchum, una eidem Jonathani adscripta, altera quæ Hierosolymitana dicitur, sed incerti auctoris; alias etiam fuisse paraphrases præter dictas à quibusdam observatum est, quod tùm ex Hierosolym., quæ duplex fuit, ut posteà videbimus, constat, tùm ex duplici Targum Esther, quorum utrumque hodiè exstat, tùm ex variis locis Scripturæ in quibus duplicis, alicubi ternæ paraphrasis mentio fit, ut Psalm. 77, 11 et 78, 64 et 88, 3 Isa. 40, 25, idque in Job. sæpiùs observatum à doctiss. Helvico, ut Job. 36, 20, 21, 32, 33, et Job 39, 24, 25, 36, 37, ubi aliud et aliud Targum adducitur, ut in Bibliis nostris est videre, undè etiam fuisse Targum Hagiographorum antè Josephum cæcum probat Zacuth. Juchas. fol. 53, et affirmat Elias in Thisbite, cui subscribit Helvicus, diversas à diversis scriptas fuisse paraphrases, ex quibus tantùm eæ quæ suprà recensentur relictæ sunt, cæteris perditis vel posthabitis, quarum fragmenta tantùm habemus, quod etiam indè confirmant, quòd varia citantur à veteribus ex Targum Job., Ruth, Amosi, etc., quæ in hodiernis non habentur; quibus etiam et hoc addere licet, ab ipso Eliâ varia citari ex Targum Hierosolym. quæ in eo quod hodiè exstat, non leguntur, imò ex iisdem capitibus et versibus quæ in nostro Hierosolym. explicantur, quæ tamen ibi non reperiuntur. Exstabat etiam aliud Targum in Prophetas et Hagiographa ab R. Akilas, qui proselytus erat sub Antonino imperatore, tempore R. Eleazaris scriptum, ex quo quædam passim citantur in Bereschit Rabba, ut annotavit Schickardus, cujus paraphrasis injuriâ temporum hodiè nusquàm apparet.

De Onkeloso primò videndum. Hic Pentateuchum Chaldaicè vertit: de auctore autem duplex vertitur quæstio, dùm alii eumdem faciunt cum alio Akilâ, qui, teste Schickardo Bechin., dis. 2, et Helv., c. 2, aliud Targum confecit in Prophetas et Hagiographa, quod, ut diximus, hodiè non exstat; alii eumdem cum Aquilâ, qui primò Christianus, posteà Judæus apostata, vetus Test. in Græcum sermonem *contentiosè* transtulit, ut affirmat Hieronymus, i. e. ut versioni Sept. quòd tunc temporis apud Christianos in magno honore fuit, derogaret, cùm tamen hic ab utrisque diversus esse videatur. Non fuit idem cum Akilâ illo sub Eleazare, licèt uterque proselytus fuerit: nam primò nomina Akilas et Onkelos multùm differunt; deindè variis temporibus vixerunt, Onkelos tempore Hillelis senioris antè Christum annis circà 40, sub Hircano, et coætaneus erat Jonathani, alteri paraphrastæ, teste R. Asar in Meor Enajim c. 45, aliisque Rabbinis ab aliis adductis. Hic verò quem faciunt imperatoris ex sorore nepotem, post excidium urbis vixit, et sub Adriano imperatore. Ille scripsit in Pentateuchum, hic in Hagiographa et Prophetas; Aquilas verò qui versionem græcam confecit, de quo quædam diximus Proleg. de 70 interpretibus, post utrosque vixit: floruit enim circà annum Christi 130, teste Theodoreto et aliis, nec tantùm Legem, vel sola Hagiographa et Prophetas, sed universam veterem scripturam vertit, adeò ut multùm fallantur Bellar. 2 De verbo Dei. c. 3, Serar. Prolegom. de Rabb. et alii, qui Onkelosum cum Aquilâ interprete Græco confundunt, necnon R. David aliique Rabbinorum, qui Akilam eumdem faciunt cum eodem Aquilâ. Huic verò Onkeli Targum meritò primas deferunt Judæi, tùm quòd textum Hebræum ad verbum magis exprimat, ità ut sub iisdem accentibus Hebræorum instar ipsius textûs authentici decantari possit, ut annotat Schickard., exceptis quibusdam verbis per Maccaph. conjunctis à Rabbinis, ut Gen. 1, 2, ut hoc modo accentuum series inviolata servaretur, ubi liberiùs exspatiatnr; tùm quod reliquis facilior et discentibus utilior. De hâc etiam testatur Buxtorf. Præfat. ad Lexic. Chaldaico-Syr. stylum simpliorem esse, et ad Danielis et Esdræ puritatem magis accedentem, maximèque litteralem esse, cùm verbum ferè de verbo reddat. Ob hoc etiam reliquis præfertur, quòd cautus sit in iis locis vertendis, quæ de Deo aliquid ἀνθρωποπαθῶς efferunt, ne imperitis occasio detur aliter de Deo concipere quàm oportet. Undè Eli, Lev. Præf. in Methurg. scribit, quòd *antè inventam artem typographicam, licet reliquorum Targumim unum vel duo in provinciâ exstarent, Onkelosi tamen ubique in usu fuerit; et hoc ideò, quòd nos,* Judæi scilicet, *obligati sumus ut legamus quâvis septimanâ Parascha bis, semel in textu et semel cum Targum.*

Onkeloso proximus est Jonathan Ben Uziel, qui Prophetas priores et posteriores, excepto Daniele, transtulit, de quo non ità litigant auctores ac de Onkeloso. Fuit hic Jonathan discipulus Hillelis, senis illius celeberrimi, qui post reditum è Babylone ætatis anno 40,

erat doctor academiæ Hierosolymitanæ, et iterùm per 40 annos rector collegiorum ejusdem academiæ, si vera sunt quæ de eo narrant Judæi. Jonathanis verò condiscipulum faciunt plerique Simonem Justum, quem Christum infantem ulnis excepisse memorat Evangelista, et Gamalielem, Sancti Pauli præceptorem. Ut verò Onkelum quidam eumdem fecerunt cum Aquilâ, interprete Græco, sic Jonathanem eumdem faciunt alii cum Theodotione illo, qui itidem in Græcum sermonem Scripturam vertit, argumento à nomine ducto, quia scil. utriusque nomen *Dei donum* significat, quod sanè sublestæ fidei est argumentum, cùm eâdem ratione, ut acutè arguit Schickardus, probare possent eumdem esse cum Theodosio imperatore, cujus nomen idem habet significatum. Floruit hic centum annis antè templi secundi vastationem, ut habetur in Talm., Tract. de Sabbato, c. 1. Hujus item collega erat Shammaius sive Shimeon, ut in eodem loco legitur. Shimeon hic primus erat Hillelis filius, Gamaliel Shimeoni filius, Hillelis nepos, Shimeon, secundus Gamalielis filius, abnepos Hillelis, qui in excidio urbis et templi peremptus fuit. Gorionides, lib. 5 Hist. suæ, scribit quòd Herodes honoravit suprà modum Hillelem seniorem, principem Pharisæorum, et Sammaium, discipulum ejus; illi enim primi fuerunt qui suaserunt populo electionem Herodis regis. Fuerunt itaque Onkelos et Jonathan coævi Hillelis senioris et Sammaii, inter quos erat contentio cùm Sammaius Hilleli contradiceret, undè adagium : *Esto humilis ut Hillelis, et non iracundus ut Sammaius.* Putat verò Buxtorf. de Abbrev. p. 58, Shimeonem illum primum qui patri successit, tempore Christi nati adhuc in officio fuisse, licèt dubitet an ille fuerit, qui Christum brachiis amplexus est, eò quòd si ipse in Christum credidisset, etiam Gamalielem, filium ejus in fide Christi instituisset. Fuit verò hic Jonathan inter octoginta Hillelis celeberrimos discipulos primus et doctissimus, sicut infimus erat Rabban Jochanan, Zachæi filius, ut in Talmude legitur in Bavâ Batra f. 134, et in Succa f. 28. Multa fingunt Judæi de hoc paraphraste miraculosa, de quibus infrà. Prophetas priores et posteriores explicâsse testatur Talmud. tract. Megilla, c. 1, ubi legitur, Targum Legis Onkelum proselytum composuisse, Targum Prophetarum Jonathanem, filium Uzielis, quandò commota fuit terra Israelis ad quadraginta milliaria, et tùm egressam fuisse vocem de cœlo, dicentem : *Quis est iste, qui revelavit secreta mea filiis hominum?* Jonathanem verò in pedes exsurgentem respondisse : *Ipsum fuisse qui hoc fecerat, at non honoris proprii studio, vel patrum suorum, sed propter nomen divinum, ne multiplicarentur divisiones in Israel* : undè cùm Targum Hagiographum aggressus fuerat, vocem de cœlo iterùm auditam fuisse : *Sufficit tibi. Quamobrem verò? Quia revelatur in eis finis Messiæ*, scil. in Daniele. Hæc verò ultima verba aliter refert El. Lev. Præfat. dictâ, quòd scilicet venit illi vox de cœlo, dicens : *Annon tibi sufficit mysteria Prophetarum prodiisse, sed etiam arcana Spir. Sancti prostituere velis?* undè destitit à versione Hagiographorum. De hoc verò Jonathanis Targ. scribit Buxtorf. filius Præfat. ad Lex. Chaldaic. et Syr., *quòd in Prophetis prioribus tùm in sermone tùm in re simplex est, in posterioribus, qui paulò obscuriores, paulò liberior sit et allegoriis nimis indulgens. Hoc etiam in ipso laudandum, quòd plurimos locos de Messiâ non ità explicatè scriptos, ipse sensu sanè Christiano de Messiâ exponit.*

Præter Targum in Prophetas, quod omnium consensu Jonathani adscribendum, alia etiam prodierunt Targumim, quæ ipsi adscribuntur: 1° in Legem sive libros Mosis, quod paucis antè hæc tempora innotuit; qui enim ejus meminerunt Rabbini, fatentur se illud non vidisse, et dubii sunt an exstaret. Galatin. de Arcan. lib. 1, cap. 3, affirmat se semel vidisse. Paulus Phagius et Mercerus de hoc altum silent, nisi quòd hic in Gen. 3, 21, ejus meminit, affirmat tamen non exstare; verùm ex P. Burgensi in Lyram additam 4; in Genes. 41, constat ipsi notum fuisse. *Notanda*, inquit, *est hìc glossa seu translatio Chaldaica ipsius Jonathæ, quæ apud Hebræos quasi tantæ auctoritatis est sicut textus, ubi ex eo recitat colloquium inter Cain et Abel, quod idem est ferè quod in Hierosolymitano.* Scripsit verò Burgensis anno 1429, quo anno impressæ fuerant ejus annotationes. Typis verò tandem primò excusum est Judæorum operâ Venetiis; posteà recusum Basileæ, tandem cum Onkelosi Targum et Hierosolymitano per columnas sibi invicem respondentes Hanoviæ in-oct. minuto charactere, et ibid. anno 1591, pulchriore charactere impressum; postremò per Manass. Ben Israel anno 1640, et nunc in Lond. Bibliorum tomo quarto cum Hierosolymitano et Tawosi Persico singulorumque versionibus Latinis quæ anteà, exceptâ Hierosolymitanâ, non exstabant. Jonathanis versionem MS. latinam habui viri quondam claris-

simi Cevallerii, quam mihi communicavit vir doctiss. Mericus Casuabonus Isaaci filius, multis tamen nævis et erroribus scatentem, ità ut necesse esset denuò cum textu Chaldaico secundùm varias ejus editiones conferre, et infinitis locis corrigere et emendare. Hæc verò paraphrasis multùm cum Hierosolymitanâ stylo convenire observatur, imò alicubì eadem ferè verba habet, undè infert Joan. Drusius hoc Targum idem esse cum Hierosolymitano, quod quidem si de fragmentis Hierosolymitanæ, quam nunc habemus, loquantur, à vero alienum esse puto, et ex primis Geneseos verbis confutari posse, cum pro *in principio* legat Hieros. *in sapientiâ*, Jonathan *in principio*. Si verò alia fuerit olim Hierosolymitana præter hanc, prout duplicem fuisse volunt nonnulli, quæ hoc nomine dicta fuerit, ut infrà ostendam, fortassè alteram illam eamdem fuisse cum hâc, quæ Jonathani adscribitur, non negârim. An autem hæc, quæ Jonathanis nomine circumfertur, sit Jonathanis, an recentiorem aliquem habeat auctorem, multùm disceptatur. Jonathani adscribunt Galatinus de Arcanis lib. 1, cap. 3, Postellus, Paulus Phagius, Helvicus cap. 2, Serarius de Rabbin. lib. 1, cap. 16, et alii. Negant Buxtorfius in Abbreviaturis. Drusius de quæsitis per epist. 70, cum aliis in medio relinquit Schickar. Bechin. pag. 31. Buxtorfius falsissimum esse putat Jonathani adscribere; rationes profert tùm ex styli et dictionis differentiâ, quia multò impurior et magis mixtus, tùm ex fabularum frequentiâ, quibus referta est, ut Gen. 1, 16, ubi dicit: *Luminaria duo magna primo æqualia fuisse annis* 21, *posteà lunam diminutam esse;* maximè verò ex cap. 26 Exod. v. 9, ubi meminit *partium Talmudicarum*, quæ ducentis post Christum annis factæ sunt; dicit enim decem aulæa seorsìm facta juxtà sex ordines Mischnajoth sive Talmudicos; nec valet effugium Schickardi, quòd traditiones Mischnicæ sunt Jonathane antiquiores, et ipsi non minùs quàm omnibus Hillelianis discipulis notissimæ, etsi ducentis post Christum annis à R. Jehudâ in schedas collectæ. Hoc, inquam, parùm movet, non enim traditiones Talmudicæ in isto loco referunt; possunt enim harum aliquæ fuisse antè compositam Mischnam vel Talmud, sed mentio fit partium Talmudis, in quas dividitur, quod planè probat post Mischnam scriptam esse hanc paraphrasin. Præterea Num. 24, 19, 24, mentio fit urbis *Constantinopolis*, quæ multò post Jonathanem exstructa est. Idem observat clariss. Bochartus Geograph. sacræ parte 1, l. 3, cap. 5, ex Num. 24, 24, ubi mentio fit Lombardiæ ac Italiæ, ut ex Saadiâ in hoc loco probat. Hinc enim sequitur vel Targum hoc scriptum fuisse postquàm Longobardi in Italiâ rerum potiebantur, id est, post annum Christi 570, aut quædam addidisse Judæos posteriores: quod etiam de Hierosolymitano notat, in quod idem nomen reperitur. Et Deut. 33, fit mentio maris Tiberiadis, quæ urbs ab imperatore Tiberio nomen habuit; vix autem probabile est eo tempore Jonathanem supervixisse, prout suspicatur Helvicus, nec quòd de nominum priorum mutatione in libris suis à Judæis sæpè factâ pro arbitrio, dùm unum pro alio substituunt, idem regerit, multùm valet; nam licèt hoc in privatorum quorumdam codicibus aliquandò fit, ut instantia ejus probat, tamen in omnibus exemplaribus, præsertìm in libris qui in usu publico erant, mutationem vel depravationem talem fieri posse, haud probabile est. Objicit Schick. Bechin. pag. 31, vix probabile esse Jonathanem incepisse à Prophetis, et legem omisisse, librum frequentissimi usûs, præsertìm cùm Onkelos, qui legem transtulit, tempore posterior esset: cui respondeo argumentum retorquendo: si Jonathan legem transtulisset, cur Onkelos statìm ferè idem tentaret et actum ageret? Hoc mihi magis probare videtur Jonathanem legem non transtulisse. Nec multùm urget quòd habet idem in Præf. scil. ex 2 Tim. 3, 8, ubi Apostolus Jannesium et Jambresium memorat Mosi restitisse quod videtur Apostolus hausisse ex Jonathanis Targ. Exod. 7, 1, ubi eadem nomina recitantur, undè infert hoc Targum fuisse antè Apostolos; frustrà verò hoc, nam hoc de Jannesio et Jambresio ex antiquâ traditione habere poterat hujus Targum auctor; aliàs eodem argumento probare quis possit, Talmud antè S. Paulum scriptum esse, quia scil. in ipso fit mentio istorum magorum per eadem nomina. Majoris momenti est quòd multa loca in hoc Targum inveniuntur, quæ contrà Judæos faciunt ad Christianæ religionis illustrationem; sed et hoc in omnibus Targumim est observare, quædam in eis inveniri pro mysteriis religionis Christianæ, ut in illo in Hagiographâ, quod tamen ab omnibus multis post Christum seculis scriptum habetur. In antiquioribus, Onkeli et Jonathanis, plura reperiuntur quàm in posterioribus; in his tamen, licèt multa depravata fuerint, quædam tamen ex antiquorum traditionibus et scriptis, quasi scholarum Propheticarum rudera relicta sunt, quæ in suis paraphrasibus posuerunt, ità dirigente

divinâ providentiâ, ut propriis pennis increduli se configerent. Librum itaque hunc non esse Jonathanis mihi certum est, sed post Mischna saltem, ab aliquo, qui emendicato Jonathanis nomine auctoritatem paraphrasi huic conciliare voluit, compositum fuisse.

Præter has paraphrases in Legem et Protas, adscribitur etiam Jonathani paraphrasis in Hagiographa, quam optat Helvicus à tenebris tandem erutam esse, vel saltem in Psalmos: *Haberemus enim*, inquit, *probul dubio illustrissima testimonia contrà Judæos:* Jacobus enim Christopolitanus episcopus, in Exposit. Psal. 20, narrat de Christi divinitate et de sanctâ Trinitate mysteria ab eo explicata fuisse, ut in Psal. 2, verba illa: *Dixit Dominus ad me: Filius meus es tu, ego hodiè genui te,* etc., ità exponit: *Duo hic Pater et Filius, tres sunt in unâ personâ tertiâ, nimirùm Spiritu sancto, et hi tres unum sunt, una, inquam, substantia, una essentia, et unus Deus. Hæc cùm Jonathan scripserit, vox de cœlo audita est,* inquiens: *Quis est iste, qui audet secreta mea gentibus revelare?* Tùm Jonathan: *Ego,* inquit, *Domine, ob reverentiam et gloriam nominis tui hoc tentare ausus sum:* vide Sixt. Senens. lib. 4, voce *Syria editio.* Hæc verba in Targum Hagiograph. quod hodiè exstat, non habentur, undè constat aliud fuisse quod jam periit. Cocceius in Sanhedr. pag. 326, memorat frequenter citari in Talmude loca quædam ex Targum Rab. Josephi in Prophetas priores et posteriores, quæ eadem habentur in Paraphrasi, quæ Jonathani filio Uzielis adscribitur. Vide D. Hotting. Philol. l. cap. 3, sect, 1; prætereà in Targum in Job, Psalmos, etc., quædam variis locis ex alio Targum recitantur, ut ex locis quibusdam suprà notatis liquet. Et Galatinus l. 3, cap. 28, expressè citat fragmenta quædam versionis Jonathanis in Psal. 72 et 110, et in Cantic. Canticorum. Et aliam fuisse paraphrasin in Hagiographa antè Josephum Cæcum probat Elias in Thisbi rad. כוס, ex vocabulis Chaldaicis per veteres allegatis ex Targum Jobi, Amosi, Ruth, quæ in eo, quod typis impressum est, non leguntur. Præter Jonathanis in prophetas, etiam alias duas Paraphrases in Prophetas numerat Helvicus, quarum neutra hodiè exstat; unam R. Josephi Cæci, quæ in Gemarâ citatur, teste Eliâ Præfat. in Methurg., alteram quam R. Akilæ attribuunt, de quo suprà, quæ teste eodem Eliâ citantur in Beresith Rabbâ, de quibus, cùm nullibi habeantur, non est opus plura dicere.

De Targum Hierosolymitano notandum est illud quod hodiè habemus, haud integrum esse, sed interruptum et mutilum, cùm non continuâ serie, sed hìc illìc versus quidam transferantur imò sæpè in versûs medio deficit, et posteriorem tantùm ejus partem interpretatur, undè conjiciunt multi fragmentum esse paraphraseos integræ, quæ olim exstabat. Hoc verò negat Schick. Bechin. p. 57, quòd eadem sæpè tautologicè repetuntur, quod in unius continui operis fragmentis vix probabile; concludit esse potiùs centonem ex pluribus collectum, quod etiam confirmatur ex eo quòd in multis eadem habeat cum Jonathane, et quòd nulla sit auctoris mentio; undè putat Drusius, ad difficil. loca Num. cap. 25, Hierosolymitanum idem esse cum illo quod Jonathani affingitur, cui Jonathanis nomen, quod apud Judæos est sacrosanctum, præfixerunt ad quæstum faciendum. Hoc etiam textui non ità adstrictum est, ut Onkelosi, sed sæpè discurrit et potiùs commentarius quàm paraphrasis in multis videtur. Historias etiam quasdam sæpè illustrationis gratiâ insertas habet, quæ in Scripturis non habentur, sed probabile est ex antiquis traditionibus haustas, ut Gen. 1, 27, et 3, 9, 15, 18, 22, 24. Hoc verò multùm differre à Babylonico testatur Elias Præfat. in Methurg. quòd pluribus vocabulis barbaris scatet, Persicis, Græcis, Latinis, etc., undè videtur eâdem dialecto scriptum esse, quâ R. Jonathan suum Talmud. Hierosolymitanum exaravit, trecentis post excidium templi et urbis annis, ut D. Buxt. in recens. operis Talmud. Dictum verò est Hierosolymitanum, ut plerique opinantur, vel ab urbe, ex quâ prodiit, vel ex dialecto quâ conscriptum est. Quo tempore verò vel à quo auctore scriptum sit, apud Judæos est omninò incertum; sic enim Elias loco citato: *Hierosolymitanus interpres quisnam fuerit nobis ignotùm est; nam ipse qui vertit Hagiographa, an diversi fuerint homines diversis temporibus.* Conjicit verò paulò antè, vel paulò post Talmud conscriptum fuisse. Serarius in Proleg. ex nomine Hierosolymitani colligit, Onkelosi Targum fuisse Babylonicum, et ab hoc distinctum, ut Talmud Hierosolymitanum à Babylonico; nullibì verò constat Onkelosi vocari Babylonicum, vel Babyloniis Judæis magis in usu fuisse, quàm Hierosolymitanis; nec Hierosolymitanum tàm antiquum fuisse quàm Onkelosi, vel in Synagogis publicè prælectum, quod de Onkelosi plures affirmant. Etsi verò de auctore nihil pro certo affirmatur, conjiciunt tamen plerique circà idem tempus scriptum esse, quo Talmud; dialectum enim eamdem habet, quâ Talmud illud exaravit R. Jochanan, teste Eliâ, ut suprà.

Buxtorf. Præf. in Lex. Chald. Syr. idem judicium facit de illo Jonathanis in Legem, et de Targum Hagiographorum, Megilloth, etc., cujus partem post Talmud factam arbitratur, quod ad minimum 500 post Christum annis consignatum est; Talmudis enim fit mentio Cant. 1, 2, et Thren. 2, 14, undè post Talmud scriptum esse clarum est; etiam dialectus impurior idem arguit ad Syro-Hierosolymitanam accedens.

Contrà, pro antiquitate hujus Targum objici potest, multa in ipso inveniri, quæ in Novo Testamento per Christum et Apostolos iisdem verbis proferuntur, undè inferunt in hoc Targum scripta fuisse, undè hauserunt Christus et Apostoli. Ità quidem Mayerus Phil. sacra lib. 2, cap. 2, pag. 185, 200, etc., quibus idem responderi potest, quod idem respondet ad Targum Jonath. in Pentateuch. de nominibus Jannes. et Jambres. pag. 47, hæc utrosque non aliundè habuisse quàm ex traditione vel vetustis Judæorum scriptis. Loca quæ adfert sunt Luc. 6, 38 : *Eadem quippè mensurâ quâ metimini, metientur alii vobis*, quæ verba habentur in Targum Hierosolymitano Gen. 38. 28 : *Quâ mensurâ homo metitur, eâdem metientur et alii.* Apoc. 20, 6, 14, legitur distinctio mortis in primam et secundam, quam millenarii nostri ad ipsorum phantasmata detorquent; et eadem distinctio invenitur in Targum Hierosolym. Deut. 33, 6 : *Vivat Reuben in hoc seculo, et non moriatur morte secundâ, quâ morientur impii in seculo futuro*, ubi explicatur rectè quid sit mors prima et secunda, Apoc. 1, 4, ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος ex Exod. 3. 14, desumpta est hæc Dei descriptio. Targum Jonath. Deuter. 33, eadem verba Dei filio attribuit. Apoc. 5, 10 : *Fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes*, hæc desumpta sunt ex Targum Hierosolymitano; Exod. 19, 6; phrases illæ ἔργον ἀγαθὸν, καὶ ἔργον καλὸν, in Vet. Test. non habentur; in Novo Tit. 2, 14, et 3, 1 Ephes. 2, 10, Act 9, 36, 1 Tim. 5, 10. Eadem phrasis in Jonath. et Hierosolym. Genes. 4, 8, et cap. 6. Tandem Matth. 6, πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Eadem verba habentur in Targum Hierosolymitano, Deut. 32, 6 : *Amnon ipse Pater vester, qui in cœlis est :* undè concludit Dominum et Apostolos hæc ex Targum deprompsisse, ac in usum suum transtulisse. Sed hæc quidem probant utilitatem hujus Targum ad explicandum loca ista Scripturæ, non verò quòd Dominus et Apostoli ex Targum aliquo ea desumpserint : nam istorum nonnulla in Veteri Testamento exstant, undè tàm Targumistæ quàm Apostoli habere poterant. Quædam erant proverbiales locutiones, quas ex vulgari usu utrique in sua scripta retulêre; quædam, ut ipse alibi, ex traditione vel libris Judæorum potuit habere Hierosolymitanus, ut et Apostoli, ità ut neuter ex altero, sed utrique ex eodem fonte hæc haurire poterant : undè idem pag. 113 : *Dubitare quis possit an auctor istius paraphraseos ex scriptis Evangelicis, an verò Christus et Apostoli ex vulgari loquendi modo ista hauserint, ac suo sermoni inseruerint;* Quòd verò affirmat Helvicus, non alio sermonis genere uti hunc paraphrastem quàm reliqui, Onkelos scil. et Jonathan, hoc est contrà omnium sententiam qui facillimè deprehendunt, ex collatione harum paraphrasium, differentiam inter eas immensam : Onkelosi enim et Jonathanis dictio est multò purior et ad Danielis et Esdræ stylum propiùs accedens, sine tantâ mixturâ vocabulorum barbarorum, Babylonicorum, Græcorum, Latinorum, Persicorum, quæ in Hierosol. conspiciuntur, ut idem Elias, observat, qui etiam in nomine Sepha adnotat in multis locis cum linguâ Romanâ et Italicâ hoc Targum convenire, quæ apertè probant longo post Christum tempore exaratum esse, cùm ex variarum Gentium colluvie, quibus Judæi serviebant, eorumque linguis composita sit hujus Targum dialectus. Adferunt alii et aliud argumentum, quod post vastationem urbis et templi factum sit, quia Lev. 26, 24, fit mentio diræ illius famis in obsidione urbis, cùm matres liberorum suorum carnem comedebant. Etsi verò verissimum sit longè post urbis excidium factum fuisse, hoc tamen argumentum, ut mihi videtur, illud non probat; verba enim sunt : *Rebellârunt illi peccatores, qui occasionem præbuerunt patribus nostris in Hierusalem, ut comederent carnem filiorum suorum et filiarum suarum :* quæ verba intelligi possunt de obsidione Babylonicâ, cùm mulieres infantium tenerorum carnes comedebant, ut conqueritur Jerem. in Thren. 2, 20, et 4, 10; nec necessariò sunt intelligenda de obsidione Romanorum. Multò firmiùs hoc probatur ex Num. 24, 24, ubi verbum Hebræum *Chittim* exponit Hieros. interpres *in Lombardiâ ex urbe magnâ*, scil. Româ, ubi per *Libardia* intelligi Lombardiam suprà ostendimus; Lombardi enim in Italiâ imperabant annis post Christum 580, ut suprà. Hoc itaque omisso, firmissimum mihi videtur illud à stylo ductum, qui in hoc Targum tantùm differt ab illo Onkelosi et Jonathanis, quantùm Thomæ, Scoti, aliorumque scholatiscorum à Ciceronis vel Senecæ, vel Battoli ac Baldi ab Ulpiani. Præter

hoc Targum, de quo hactenùs, aliud fuisse quod etiam Hierosolymitanum dicebatur, colligit Helvicus ex fragmentis in Thosophoth. in Gen. 48, 29, et 38, 25, 26, et 44, 18; Exod. 13, 17, et 14, 21, ut etiam ex quibusdam locis quos allegat Kimchi in Michol. Idem etiam Christ. Gerson in Talm. parte 1, c. 30, eò quòd quædam à veteribus citantur ex Targ. Hierosolymitano, quæ in hoc nostro non occurrunt, quod et ex Eliâ clarum est, qui varia istiusmodi producit. Rem extrà controversiam ponit editio Veneta hujus Targum, anno Judæorum 350, ubi in fine Genesis et Deuteronomii, præter versionem, quæ in nostris exstat, etiam aliud Targum affertur in versus quosdam. Ad Hagiographa etiam videtur Elias hoc Targum extendere in Thisbi nomine *Cepha*, ubi loca quædam profert ex Targum Psalmorum et 5 libellorum, quod ille Hierosolymitanum appellat. Gallib. 11, cap 1, et lib. 3, cap. 28, ait, *Hagiographorum Talmud vocari Hierosolimytanum*, et Jos. Scalig. Epist. 449, *Targum Job, Psalmorum, et Proverbiorum ad Hierosolymitanum refert.* Hoc verò videntur fecisse, quòd eâdem dialecto, impurâ scil. Hierosolymitanâ, conscriptum sit illud in Hagiographa, ut jam videbimus.

Post Pentateuchi et Prophetarum paraphrases, pauca addenda de illâ Hagiographorum, quæ communiter adscribitur R. Jose, sive R. Josepho, quem cæcum sive luscum fuisse tradunt, undè ejus versio ab ipso non scripta, sed orali traditione recitata erat, quam alii litteris consignârunt. Non desunt tamen inter Judæos qui auctorem dubium relinquunt. R. Azar. in Meor enajim, affirmat auctorem ignotum esse. Elias Præfat. in Ham. dubitat an sit Josephus hic, an alius dictus Aquila. De hoc etiam dubitant scriptores Christiani; Helvicus dicit esse Josephi vel Aquilæ; Schickardus Bechin. pag. 37, licèt vulgò ejus esse habeatur, dicit tamen de auctore nondùm certè constare. Sixtus Senensis refert ad annum Christi 400. Buxtorf. Præfat. Lex. Chaldæo-Syr. ait « ex « historiâ Hebr. nil certum haberi, et auctores « varios fuisse ex stylo apparere, qui Onkelo « et Jonath. longè posteriores. Certè Targum « Megilloth sive 5 librorum, post 500 Christi « annum compositum liquidò constat, cùm « Cant. 1, 2, et 2, 19, expressam faciat men- « tionem sex tractatus Mischna et Talmud « cum explicatione, quòd ad minimùm circà « illud tempus consignatum est. Addit verò « linguæ dialectum impuriorem ad Syro- « Hierosolymitanam accedentem novitatis illud « arguere, et ut prolixior esse solet, sic « pluribus allegoriis refertus. In Cant., Eccles. « et Esther maximè vagatur, præsertim in « Esther, cujus alterum Targum (nam duo « exstant in Esther) omnium recentissimum « et fabulis refertum, instar prolixi commen- « tarii esse possit. » Mixtum verò esse hoc Targum Hagiograph. observant omnes ex variis peregrinis vocabulis, Græcis et Latinis cum Syris, undè sæpè aqua hæret Rabbinorum doctissimis circà genuinam vocum quarumdam significationem, qui linguas illas non callent. Duplex etiam fuisse in Hagiographa Targum verisimile est; nam præter hoc quod habemus, aliud fuisse, quod Jonathani adscribunt, quod adhùc lucem non vidit, ex iis quæ suprà ex Eliâ, Zacutho, Galatino, et aliis produximus satis liquet. Præter hæc quæ enumeravimus, exstant etiam in bibliothecâ Cantabrig. inter Erpenii libros, quos Academiæ donavit dux Buckingamius, Biblia Hebraica, cum annotationibus marginalibus, in librum Psalmorum, Job, Proverbiorum partem priorem, 1 Chron., usque ad cap. 22, v, 6, scriptis, ut ad finem notatur, anno Christi 1347; quandò autem primùm confectæ, vel à quo auctore, nondùm mihi constat; et hæc de Targum eorumque auctoribus, quantùm ex historiâ colligi potest, sufficiant. De sinceritate verò Targumim, eadem esse sine ullâ corruptione, nisi quæ ex temporum injuriâ et codicum variâ lectione omnibus libris accedit, vel ex maximâ diligentiâ, penè dixerim superstitione, Judæorum in libris suis sacris inter quos Targumim antiqua referunt conservandis, satis probatur, ad quas causas referendæ discrepantiæ, quæ inter Veneta, Regia, et Basileensia exemplaria conspiciuntur. Unum restat scrupulum de antiquitate Onkeli et Jonathanis, quod eximendum est, scil. quænam sit causa cur apud omnes Ecclesiæ Patres, etiam Origenem, Hieronymum et Epiphanium, qui Hebraicè doctissimi, et Judæorum monumenta optimè nôrant, altum sit de his Chaldaicis paraphrasibus silentium, cùm ex iis, antiquioribus præsertìm, contrà Judæos, quibuscum acriter disputârunt, argumenta valida pro religione Christianâ depromere, et propriis telis ipsos confodere possent, apud quos tamen Targumim nomen non invenitnr. Certè versiones istas antiquissimas fuisse et eorum tempore exstitisse, saltem Onkelosi et Jonathanis, negari non potest, cùm tantus sit in omnibus Judæorum codicibus de iis consensus, nec credibile est, cùm Chaldaica lingua ipsis vernacula et familiaris fuerit, versiones illas Chaldaicas

eos neglexisse, et posteà cùm nec Hebræam, nec Chaldaicam vulgus intellexerit, easdem procurâsse et compilâsse. Multùm miratur ergò Cl. Helvicus, undè erat quòd apud Ecclesiæ proceres nulla de iis mentio ullibì sit; causas verò inter alias has fuisse liquet, quòd inter Judæos et Christianos illorum temporum magnæ simultates ortæ,, Judæis ubiquè in persecutionem Christianorum ethnicos propellentibus donec ex imperatorum ad Christum conversione Christiani superiores evasêre, tantæ tamen animorum acerbitates exarserint, ut Patres Christiani Judæorum libros abominarentur, pauci verò vel Hebræam vel Chaldaicam linguam multùm curârunt, cùm Novum Test. haberent linguâ omnium notissimâ Græcâ conscriptum, et Vetus Testamentum itidem Græcè et Hebraicè multis seculis anteà à 70 conversum, quod ab Apostolis receperant, et magno honore prosequebantur; multi etiam ipsi textui Hebræo, quem in multis à Judæis malitiosè corruptum plerique putârunt, prætulêre; persecutionibus etiam pressi studiis linguarum vacare non poterant, sed quod maximè necessarium erat, unicè sectabantur, ut maximos in pietate progressus facerent, cùmque ut anteà ostendimus habuêre Scripturas in omnium ferè nationum linguas conversas, haud necessarium putârunt circà codices Judaicos operam impendere: toti erant in pietatis praxi promovendâ, et ut mundo quasi mortui, sanctimoniâ et martyrii gloriâ fidem Christi confirmarent et dilatarent, animasque Deo lucrarentur, ad quem finem Græcam, Latinam, aliasque versiones sufficere arbitrabantur. Hebræam verò et Chaldaicam, quæ quasi Judæis propria erant, neglexerunt.

De auctoritate Paraphraseon Chaldaicarum.

Apud Judæos æqualem habent cum textu Hebraico auctoritatem, præcipuè Onkelosi et Jonathanis paraphrases, undè nemo audet iis contradicere : quod indè patet, quòd tradunt Jonathanem suam expositionem accepisse à Prophetis Zach., Aggæo et Malachiâ ; Onkelosum à R. Eliezer et R. Jehosuâ, qui eam à Prophetis habuerunt, Prophetæ verò eamdem à Mose in monte Sinai per traditionem seniorum derivârunt; sic omnia sua, etiam nugas et deliria, ad originem divinam referunt, quò majorem iis venerationem concilient. De hoc ipsorum commento suprà egimus, ubi ejus vanitatem ostendimus. In hunc finem etiam miracula facta fuisse fingunt, dùm scriberentur hæ paraphrases, maximè Jonathanis, quem omnibus præferunt. Scribunt enim quòd inter Hillelis discipulos, 80 digni erant ut super eos Divinitas quiesceret, ut super Mosem, triginta propter quos sol staret immobilis, ut ad imperium Josuæ, et 20 reliqui mediocres; inter omnes verò maximus erat Jonathan: Talmud Bava Batra fol. 134. et in Succaf. 28, Fingunt etiam cùm Targum conscriberet, si vel musca chartæ insideret, igne cœlesti consumptam fuisse, chartâ intactâ. Terram etiam Israelis commotam fuisse cùm scriberet, ad usquè millaria, Tract. Megill. cap. 1, fol. 31, vocem de cœlis auditam, dicentem : *Quis est iste, qui secreta mea revelat filiis hominum?* Tandem et Angelos è cœlo descendisse, ut auscultarent dùm ille Targum conficeret: Succa p. 28. Ex hisce, fabulosis licèt, constat quantùm tribuant Targum Jonathanis, nec multò minùs attribuunt reliquis, ità ut quidquid ex Targum aliquo afferatur contrà Judæos, illud non possint rejicere. At hisce fabulis rejectis, certum est auctoritatem habere humanam tantùm, cùm non ab hominibus Spiritu S. afflatis facta sint, sed studio et mediis ordinariis confecta, quò antiquiora tamen eò majorem habent auctoritatem, quò recentiora minorem, cùm fabulis et nugis Judaicis magis scateant. Si quis verò objiciat Rabbinos aliquandò ab expositione Targumim discedere, et aliter loca quædam exponere, respondendum, ipsos hoc non apertè facere, nec Targum erroris insimulare, sed alias probabiles expositiones adferre, quæ cum Targumicâ stare possunt. Quamnam verò apud Christianos auctoritatem habere debeant, ex ipsorum usu, de quo proximè dicendum, patebit; ex se enim quatenùs à Judæis profecta, parùm apud nos valere debent; ubì tamen cum Scripturâ congruunt, et rectæ rationi non adversantur, licèt à Judæis profecta, recipienda, nec propter scoriam admixtam aurum projiciendum; quidquid enim verum est, à Deo, qui ipsa est veritas, procedit. Non desunt qui omnes Judæorum libros (ut qui jurati Christi hostes), et hos inter reliquos damnant, ut prorsùs inutiles, impios, et inter Christianos non ferendos. At hoc de omnibus rectè non potest affirmari, cùm Jonathan antè Christi adventum scripserit, et fortassè Onkelos, ut ex suprà dictis probabile est : de reliquis verò temerarium judicium ferunt, ut de libris quos fortè nunquàm legerunt, undè hoc observare licet, plerosque qui durè judicant de paraphrasibus, aliisque Judæorum libris, in ipsis planè peregrinos esse; optimè enim scripsit oratorum

princeps: *Felices fore artes si de iis soli artifices judicarent,* optandumque esset ut de nullâ scientiâ scioli quidquam scriberent, sed illi solùm, qui tempus et operam in eâ insumpserunt. Hieronymus, ut de ipso loquitur Munsterus Præfat. Bibl., *vir tantus et per orbem celebris, non dedignatus est rursùm fieri discipulus etiam eorum qui inimici erant crucis Christi, et nominis Christiani.* Non tamen omnia in Targum approbanda, sed triticum à zizaniis, noxium à salutari discernendum, juxtà illud Talmudicum: *Comede dactylum, sed projice corticem foràs.*

Primò itaque textui Hebræo testimonium ferunt, ejusque integritatem confirmant paraphrases, præsertìm antiquiores qui Hebræum κατὰ πόδα sequuntur, ut Onkelosi, et in plerisque Jonathanis; maximè verò cùm etiam alias habeant antiquas versiones, ut Græcam Sept. Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Syriacam, consentientes. Dubitari enim non potest textum Hebræum incorruptum esse, et eumdem olim fuisse qualem jam habemus, cùm antiquissimæ versiones paulò antè vel non multùm post Christi tempora scriptæ eodem modo legerint, prout nunc exstat. Idcircò qui de Judæis clamant, quòd codices sacros depravârunt, hoc argumento convincuntur. Etiam et illi, qui post Christi tempora dicunt Judæos suos codices depravâsse, ex Chaldaicâ paraphrasi, præsertìm Onkelosi, planè refutantur, quæ cum Hebræo textu ubique fere concordat, ut in loco celebri de promisso semine Gen. 3, 15. Sunt qui in quæstionem vocant textum Hebræum quasi aliter olim hæc verba legerunt, scil. *illa,* gen. fœm. Hìc verò pro textu Hebræo hodierno testantur paraphrases Onkeli, Hierosol., et illa Jonathani adscripta, quæ omnes vel legunt gen. masc. cum Heb. ut Onkelos, vel ad *semen* verba referunt, non ad *mulierem.* Psal. 132, v. antepenult., Latina Vulgata legit: *Viduam ejus benedicam;* in textu Hebræo est, *victum ejus benedicam.* Hìc pro Hebræo judicium fert Chald. Paraph., dùm Hebræum vocabulum reddit per *cibum,* cui consentiunt Aquila et Symmachus. Hinc paraphrastem Chaldaicum loco antiquissimi exemplaris Hebraici esse posse, ad veram lectionem in dubiis confirmandam, dicit Lucas Brugensis trac. 1 de Chal. Paraphr. Exemplum profert ex 2 Sam. 7, 23, ubi 70 vertunt σκηνώματα, *tabernacula,* cùm per transpositionem unius litteræ codex Hebræus et Latinus interpres legunt *deos,* quorum lectionem confirmat Chaldaica paraphrasis, licèt 70 in suo codice aliter legerint.

Secundò, in multis locis articulos fidei Christianæ confirmant, et contrà Judæos fortissima argumenta suppeditant, quod ex alio fonte proficisci non potuit, quàm quòd ea scripserant Paraphrastæ, quæ habuerunt ex antiquis traditionum et expositionum reliquiis, quas ex Prophetis hauserunt. *De Verbo Dei* per quem cuncta creata, etc., multa habent, quibus mirificè confirmatur phrasis illa apud Joannem de τῷ λόγῳ et probatur ad Messiam sive filium Dei designandum usurpâsse Evangelistam nomen, quod apud Judæos in familiari usu ab antiquis receptum fuit, licèt omnibus haud ità probè intellectum. *Verbo* attribuitur *creatio,* Hierosol.: *Et creavit verbum Domini hominem,* Gen. 1, 27. In eodem Targum in unico versiculo Gen. 3, 22, *Verbo* attribuitur *creatio, et locutio, et unigenitum esse; et dixit Verbum Adonai* sive *Domini: Ecce Adam, quem creavi, unigenitus est in mundo, sicut ego unigenitus sum in cœlis excelsis.* Deut. 32, 39, Jonathan: *Quandò manifestabitur verbum Domini, ut redimat populum suum?* Gen. 19, 24, sulphuris et ignis mistio in Sodomam et Gomorrham adscribitur *Verbo Domini: Demissa sunt super ipso sulphur et ignis à Verbo Domini de cœlo.* Sic Onkelos: *Et reversum est Verbum Domini.* Ibid. Hierosol. Gen. 5, 24: *Enoch substractus erat per Verbum coràm Domino.* Sic Hierosol. Deut. 18, 19: *Verbum meum vindictam faciet de eo.* Sic Onkelos et Jonathan. Infinita sunt loca, ubi Verbo Dei multa adscribuntur, quasi personæ distinctæ. De Christo sive Messiæ personâ, adventu, officio, multa clara testimonia habentur. Loca illa de Messiâ exponunt, quæ ad Christum pertinent, licèt multùm laborent recentiores Rabbini eàdem perversâ interpretatione detorquere. Vaticinium illud celebre Jacobi, Gen. 49. 10: *Donec veniat Siloh,* reddunt: *Donec veniat Messiah,* Onkel. Jonathan. Hieros. Nullum tamen non movent lapidem perfidi Rabbini, ut hoc non ad Messiam pertinere probent, undè in alios sensus trahunt. Jos. Cæcus clarè veritatem vidit, dùm Psal. 45 in Paraphras. Hagiographorum, de Messiâ totum exponit, quod Rabbini Josepho cæciores de Salomone tantùm intelligi volunt. Psal. 70, ità reddit idem: *Deus sententiam judiciorum tuorum regi Messiæ da, et justitiam tuam filio Davidis regis.* Isa. 7, 14: *Virgo concipiet,* vocem non depravat Jonathan, ut posteriores Rabbini, sed fideliter vertit nomine ad formam Chaldaicam mutato. Isa. 9, 6, vaticinium illud Messiæ applicat Jonathan: *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, vir perma-*

nens in seculum, Messias. Isa. 52, à vers. 13 ad finem cap. 53, idem disertè de Messiâ interpretatur, ut Christianum fuisse antè Christi manifestationem quis diceret : *Ecce prosperabitur servus meus Messias; exaltabitur et augescet,* etc., ubi planè recentiorum Judæorum commenta confutantur, qui hìc fingunt Prophetam de se ipso, vel de populo Judaico loqui. Multa talia proferri possunt, quibus Judæorum ora obturantur, qui loca ista, quæ ipsorum doctoribus de Messiâ explicantur, et nemini nisi Christo Jesu Domino nostro quadrare possunt, in quo impleta sunt, aliter detorquent, contrà celebres ipsorum Targumistas, quorum tamen versiones alias sacræ Scripturæ æquant.

Tertiò, in textibus difficilibus, locis obscuris, et vocabulis inusitatis multùm lucis afferunt, dùm ritus, consuetudines, historias, vocabulorum significationem genuinam sensumque litteralem explicant, quæ ipsis ex majorum traditione accepta meliùs quàm nobis nota erant : undè fatetur Serarius in hoc utiles esse ad Scripturæ interpretationem, quòd ingenii bonitate vel majorum traditione quædam ad rituum, qui nobis ignoti, et in vetere Synagogâ usurpati erant, explicationem adferunt. In vocabulis etiam insuetis multùm faciunt ipsorum interpretationes, qui propiores erant temporibus quandò lingua ipsis fuit vernacula, undè sæpè talia feliciter explicârunt. Job. 33, 25, reddit Chald. Paraph. per *attenuata est,* quod confirmat Vulgat. Lat. ubi redditur, *consumpta est.* Exod. 4, 25 : *Sponsus sanguinum,* exponit clarè Onkelos : *Nisi sanguis circumcisionis hujus* fusus fuisset, *condemnatus* esset sponsus *ad mortem;* sic vocavit ipsum *virum sanguinum,* non quòd sanguinolentus erat, sed quia per sanguinem servatus est. Gen. 30, 14 : *Invenit* in agro *Dudaim;* quid per istud intelligitur multùm disceptant interpretes. Chald. Jonathan et Onkelos reddunt *mandragoras;* hanc verò interpretationem confirmant 70, qui reddunt μῆλα μανδραγορῶν. Gen. 41, 43 : *Clamaverunt antè eum* אברך; multùm sudant interpretes de significatione. Onkelos. Jon. et Hieros. reddunt, *Pater regis,* ab אב *Pater,* et רך, Syriacè *rex,* quam interpretationem confirmant verba Josephi, Gen. 45, 8, Arab. duplex Erp. Pentateuchus et Saadiæ. Ibid. v. 45, *vocavit eum* צפנת תצנה vox Ægyptiaca plurimis videtur ; 70 retinent vocem Ægyptiam. Chald. verò, Jonath. et Onkelos reddunt : *Arcanorum revelatorem,* vel *virum cui arcana revelata sunt :* quæ explicatio plerisque doctoribus hodiè probatur. Vide Mayer Philol. Sacr. Kirch. Prod. etc. p. 125. Boch. parte 1, lib. 2, cap. 15.

Caput IX.

DE LINGUA SYRIACA ET SCRIPTURÆ VERSIONIBUS SYRIACIS.

Syria et Assyria, licèt diversam sortiantur vocis originem, sæpè tamen apud auctores pro unâ eâdemque habentur, easdemque regiones suo ambitu comprehendunt. Syrorum enim nomen quod primùm Phœnicibus à Tyro ipsorum metropoli nomine deducto proprium erat, posteà gentibus circumvicinis factum est commune : Tyrum enim Hebræi *tsor* vel *tsur* appellant, undè *tsurim* vel *tsorim,* qui idem cum Σύροις. Ex *tsorim* autem, annotante Bocharto, præfixo articulo, fit *Hatsorim,* 1 Chron. 22, 4, Nehem. 13, 10, quo nomine sæpiùs Tyrios vel Phœnices designant auctores veteres. Assyrii verò planè diversi ab his : nam ab Assur sunt *Assyrii* trans Euphratem et Tygrin, qui et primò Assures, quorum nomen omnibus sub imperio Assyriorum olìm erat commune, undè apud multos veterum Syrorum et Assyriorum nomina eadem, ut apud Just. lib. 1. Strabonem lib. 2 et 16, et alios quos adfert vir doctissimus. At usus tandem invaluit, ut in Syros et Assyrios imperium divisum esset, Assyriorum nomine iis, qui trans Euphratem erant, appropriato, Syrorum verò reliquis à Phœnice ad Euphratem, undè Hesychius Syriam vocat terram, quæ est à Phœnice Babylonem usquè. Antè divisionem imperii in Assyrios et Syros, ab Aram Semi filio dicti erant Syri Aramæi; sic enim Josephus, et Strabo lib. 16 : *Græci vocabant Syros Aramæos,* Syri etiam se hodiè Aramæos vocant. Hoc etiam nomen apud ipsos desiisse posteà ex hâc causâ quidam conjiciunt,

quòd nomen Aramæi pro gentili idololatrâ usurpatum fuit, ut in Gemarâ Talmud Babylonici de idololatriâ, ubi Samaritanus sive Cuthæus medius ponitur inter Judæum et Aramæum, idololatram gentilem. Sic apud Onkel. Levit. 25, 47, Aramæus ponitur pro idololatrâ, et Nov. Test. Syriaco Gal. 2, 14, et 3, 2, pro *gentili* et *Græco* legimus *Aramæum*. Hoc verò indè erat, quòd primi idololatræ, quorum Scriptura meminit, scil. Cham. Nachor et Laban Jos. 24, 2, Gen. 31, 19, erant patriâ Aramæi.

Quidquid autem sit de regionum nominibus, ubi hæc lingua vigebat, de linguâ ipsâ certum est eam olim variis temporibus varia nomina habuisse : dicta est enim Chaldaica, Babylonica, Aramæa, Syriaca, Assyriaca, imò et Hebræa. Specialiter verò Syriaca hodiè appellatur lingua sivè dialectus illa, in quâ exstant antiquissimæ Veteris et Novi Testamenti versiones apud Christianos Orientales, quæ eò quòd Antiochiæ in usu erat, ubi primum nomen Christianorum, ubi etiam erectus est patriarchatus diù antè concilium Nicænum, per cujus ecclesias in sacris in usu frequentiori erat, dialectus indè Antiochena dicebatur, ut et Comagena, à Comagene, ultimâ Syriæ regione, et Maronitica à Maronitis, qui habitant in pagis montis Libani et in oppidis Syriæ minoribus, qui etiam Sacra sua in hâc linguâ etiamnùm celebrant. Dicuntur autem Maronitæ à Marone, abbate, viro sanctissimo, de quo vide Præfat. ad liturgiam Maronitarum, et Siniotæ Præf. ad Psalterium Syriacum, Breew, c. 25, p. 175, et è contrà Joan. Morin. de Ordinatione apud Maronitas. Pontifici et Ecclesiæ Romanæ reconciliati sunt, Guillelmo Tyro archiepiscopatum administrante anno Christi 1182. Hodiè collegium habent Romæ Maronitarum à Greg. 13 fundatum, quod instar seminarii est, undè sacerdotes et episcopi in patriam mittuntur. Collegium reditibus auxit Sixtus 5. Aderat eorum legatus consilio Lateran. sub Innocentio tertio, ubi fidem Ecclesiæ Romanæ edoctus, ad suos rectit, perstiteruntque in fide immobiles, licèt sub infidelibus degant, quibus tributum solvendo libertatem religionis redimunt. Christiani per Orientem hanc linguam quasi sibi propriam fecerunt, lectiones suas Bibliorum et officia divina sive liturgiam, tùm commentarios sive expositiones Scripturarum in eâdem exprimendo. Chaldaicam sive Aramicam sive Syriacam, eamdem olim fuisse et ab Hebraicâ diversam constat tùm ex illâ nomenclaturâ loci per Labanum Syrum Gen. 31, 47, tùm ex 2 Reg. 18, 26, et Isa. 36, 11, ubi lingua Chaldæorum et Assyriorum vocatur Syriaca, et ab Hebræâ aliam fuisse liquet, cùm populus Judaicus eam non intelligeret; tùm ex Daniel 2, 4, ubi Chaldæi dicuntur regem allocuti *Aramicè*, id est Syriacè, ut plerique reddunt, et pueri Judæorum mandato regis edocti sunt linguam Chaldaicam. An verò eadem fuerit antiqua Syriaca cum eâ, quam hodiè Syriacam vocamus, quamque vocat Georg. Amyra Syriacam reformatam, Prælud. Gram. Syr., controvertitur. Communis est sententia Judæos post captivitatem reduces, linguæ Hebraicæ oblitos, Chaldaicam ex Babylone ubi 70 annos servierant in patriam intulisse, cùmque ex reliquiis linguæ olim vernaculæ Hebræo propiùs accesserit eorum sermo quàm eorum qui puram locuti sint Chaldaicam, indè natam tertiam ex utrisque mixtam, quæ Syriaca specialiter dicta erat. Hoc verò negat G. Amyra prælud. dicto, et affirmat falsissimum esse Syriacam ex Chaldaicâ et Hebraicâ mixtam esse; rationes verò quas adfert aliud nihil probant, quàm Syriacam antiquam scilicet tempore Labanis et Ezechiæ, et antè captivitatem eamdem fuisse cum Chaldaicâ, quod à nemine negatur. Syriacam verò Hierosolymitanam, ut et Antiochenam eamdem cum Chaldaicâ esse quoad essentiam, ut ipse loquitur, et accidentaliter tantùm ab eâ differre, ut in vocum terminationibus et flexione, aliisque minutis negari, non potest. Verissimum itaque est Chaldaicam et Syriacam unam et eamdem esse linguam, et utroque nomine linguam utramque appellatam fuisse longè antè Chaldæorum captivitatem, ideòque Syriacam non ortam esse post ipsorum reditum ex mixturâ Chaldææ et Hebrææ, nec Syriacæ nomen Judæorum linguæ propriam fuisse post reditum, sed Chaldaicæ vel Syriacæ nomen generaliter tàm Babyloniorum quàm Judæorum linguæ adhibitum fuisse. Erat tamen lingua reducum Judæorum, licèt Chaldaica, tamen Hebraicæ similior quàm pura Chaldaica Babylonica, undè et Hebraica in Novo Test. vocatur, etiamsi Chaldaica esset, et posteà vocabulis multis Arabicis, Græcis, Romanis, aliisque exoticis mixta et contaminata. Hinc etiam est, quòd paraphrases linguâ Hierosolymitanâ sive Judaicâ exstantes vocantur Chaldaicæ.

Dialectus tamen Chaldaica, quæ Antiochiæ et partibus vicinis in usu erat, specialiter Syriaca vocata est, undè communiter etiam versiones Scripturæ, quæ apud Christianos Antiochenos habentur, Syriacæ dicuntur. Triplicem enim constituunt Chaldaicæ vel Syriacæ

linguæ Dialectum. 1° Babylonicam omnium purissimam, in quâ edoctus erat Daniel, item Esdras, qui capita quædam in suis libris stylo hoc purissimo exarata reliquerunt. Fundamentum enim, ut loquitur Buxt. ad Gram. Chald. Syriacam, hujus linguæ ponendum in Daniele et Esdrâ : *In his enim purissimus et elegantissimus linguæ nitor, ut tunc in florentissimo Babyloniæ regno excolebatur, vividè perspicitur.* 2° Hierosolymitanam sivè Judaicam, quâ Judæi reduces usi sunt, quæ Hierosolymitana dicta est ab urbe regionis metropoli ; hæc multò purior erat Esdræ temporibus, licèt Hebraicæ attemperata, posteà ex variarum nationum, quibus serviebant Judæi confluxu, magis mixta et corrupta et à purâ Chaldaicâ magis paulatim deflexit. Hæc erat Christi et Apostolorum vernacula. Hujus etiam variæ erant dialecti eodem tempore, et singulis seculis varii puritatis vel impuritatis gradus : nam progressu temporis magis semper inquinata fuit. Dialectus erant variæ ; nam Galilæana ab Hierosolymitanâ discrepabat, undè ex Petri sermone colligebant ipsum esse Galilæum ; magis enim rudis et agrestis erat sermo Galilæus, ut scribit doctiss. Buxtorf., Lex. Chald. Talmud. Rabb. In Hierosolymitanâ etiam varii erant gradus, ut ex Onkelosi et Jonathanis versionibus liquet, quæ multò puriores quàm Hierosolymitana, vel Targum Hagiographorum ; Talmud etiam Babylonicum à Judæis Babylonicis compositum non ità corruptum, ut Hierosolymitanum vel Rabbinorum posteriorum scripta.

Tertiam Antiochenam, Comagenam vel Maroniticam, quam Christiani sibi quasi propriam fecerunt, ut suprà innuimus, quæ licèt Syriacæ nomen specialiter obtinuerit, eadem tamen est lingua cum priori, à quâ dialecto tantùm differt, undè etiam est, quòd Palæstinam et Antiochenam sub unâ eâdemque dialecto complectatur Gregorius Abul Faraius apud D. Pocock. in notis ad Historiam Arabicam pag. 360, etc. : *Distinguitur,* lingua Syriaca, *in tres dialectos, quarum elegantissima est Aramæa, quæ est lingua incolarum Rohæ et Harran et Syriæ exterioris; proxima illi est Palæstina, quæ est ea, quâ utuntur Damasci et montis Libani, et reliquæ Syriæ interioris incolæ ; at omnium impurissima Chaldaica Nabatæa, quæ est dialectus populi montium Assyriæ et pagorum Eraci.* Ubi videmus sub dialecto Palæstinorum, etiam locorum adjacentium, Antiochenam, Damascenam, et Maronitarum in monte Libano comprehensam, quasi unam haberent omnes dialectum, licèt inter illas discrimen aliquod sit. Syriacam itaque specialiter dictam et Chaldaicam unam et eamdem linguam esse satis constat, de quâ cùm multos harum rerum peritissimos producere liceat, unicum tantùm adferam, virum merito suo in linguarum orientalium cognitione celebrem, Lud. de Dieu, cujus verba adscribere placuit Præfat. in comparat. trium linguarum : « Chaldaicam voco quæ in Daniele, « Esdrâ, et Targum Jonathanis, Onkeli et Jose- « phi Cæci continetur. A Syriacâ eam distin- « guo, quia sic ab aliis fieri solet, et non rarò « phrasi et flectione ab eâ differt ; alioqui eam- « dem esse linguam fateor Chaldaicam et Syria- « cam, quomodò et Dan. 2, 4, Chaldæi dicun- « tur regem ארמית, id est, Syriacè allocuti, « nec differat quidquam ab illâ, nisi Judæi, in- « ter quos Daniel et Esdras, in Babyloniam tra- « ducti, de suâ linguâ Chaldaicæ miscuissent. « Indè dialectus linguæ Syriacæ nata est, « quam Chaldaicam dicimus, quia in Chaldæâ « nata, et indè Judæis reducibus in Palæsti- « nam transvecta. Sed et hæc dialectus minùs à « Syriacâ differret, si punctatoribus placuisset. « Posteà addit, quod licèt in Chaldaicis punc- « tandi rationem quæ vulgò usitata est, præser- « tim quæ à doctiss. Buxtorf. patre adhibita « est, sequatur, palàm tamen profitetur vix « quidquam in eâ certum esse, et arbitrarium « esse potiùs, atque ab Europæorum arbitrio « magis, quàm à certâ ratione petitum. »

An verò Christo et Apostolis vernacula fuerit lingua Syriaca à quibusdam quæritur. Widmanstadius, qui primus in Europâ Novum Test. Syriacum edidit, Præfat. dicit : *Hanc linguam Redemptoris nostri ortu, educatione, doctrinâ, miraculis, corporis et sanguinis sui confectione eucharisticâ, ac patris etiam æterni voce bis cœlo ad eum emissâ consecratam, et hâc linguâ scriptam esse antiquam versionem, quam ipse edidit.* Cujus sententiæ plerique suffragantur, Masius, Boderianus, Trostius, Tremelius, Buxtorfius, etc. Non desunt tamen qui contendunt Syriacam versionem non esse in illâ linguâ conscriptam, quæ Domino Salvatori vernacula fuit, vel saltem posterioribus temporibus illam factam fuisse, postquàm mutata esset lingua illa Judæorum quæ Christi tempore erat vernacula : sic Breerwodus de linguis et Religione cap. 10, Barth. Mayerus Philol. sacra lib. 1, cap. 2, et lib. 2, cap. 2. Probat verò ille ex vocibus Syriacis ab Evangelistis retentis, quas notârunt Hieronymus et alii, quæ ab iis, quæ in Test. Syriaco habentur, differunt, vel consonis quibusdam, vel voca-

libus, vel utrisque, ut ex sequentibus liquet, μαμμωνᾶ Marc 7, 24, Syr. *Mamouna*, γαββαθᾶ, Joan. 19, 13, *Gephiptho*. γολγοθᾶ Matth. 27, 23, *Gogaltho*, Ακέλδαμα Act. 1, 19, *Chakaldemo*, Cor. 16, 22, *Moraneto*. Mayerus etiam eodem argumento utitur ex vocibus istis deducto, ut et ex nominibus propriis Ιωσαφὰτ Matth. 1, 8, Ιωσήφ, Ιωσίας, v. 10, Ιωρὰμ v. 8, pro quibus Syrus habet *Jauseph*, *Jusaphat*, *Jusia*, *Juram*; Syri enim vocali *o* carent, et pro eo utuntur *u* vel *au;* Chaldæi verò non aliter ac Hebræi *Joseph* dicunt, et sic in cæteris, ut ex Targumim apparet. Ex quibus infert dialectum illam Comagenam, quæ κατ' ἐξοχὴν Syriaca dicitur tempore Christi non fuisse vernaculam, sed potiùs illam Chaldaicam, quâ Onkelos et Jonathan suas paraphrases exarârunt. Jos. Scaliger, Epist. lib. 4, Epist. 449, de hisce sic scribit: « Lingua Syriaca tàm pro genere usurpatur, quàm pro specie; nam Chaldaica et Syriaca unius Syriacæ linguæ nomine comprehenduntur, ut apud jurisconsultos adoptio comprehendit species, arrogationem et adoptionem, cognatio agnationem et cognationem. Igitur lingua Syriaca non solùm dicitur ea, quâ Syri, sed etiam quâ Chaldæi usi sunt, et in genere Judæis lingua dicitur Aram. Syriasmi multæ fuerunt propagines, sed illa omnium nobilissima Syriaca dialectus, quâ Vet. et Novum Test. conscriptum est, quæ et elegantissima et purissima. Tempore Christi ea in tractibus Antiochiæ, Cœlosyriæ et Mesopotamiæ in usu erat. In Galilæâ alia dialectus, et in aliis partibus aliæ, quæ omnes uno nomine Aram comprehenduntur. Qui Apostolos eâ usos dicunt, falluntur. Apostoli ad Judæos verba cum faciunt judaico Syriasmo, ad alias gentes aliâ dialecto utebantur : nam lingua Christi Galilæa non eadem cum eâ, quâ Maronitarum et Nestorianorum libri hactenùs conscripti sunt. » Certè quo sermone conscriptæ erant paraphrases Onkeli et Jonathanis, idem fuit Judæis vernaculus Christi tempore. Hæ verò stylo Chaldaico-Syro sunt contextæ; ergò hic fuit Judæis vernaculus. Jonathan enim erat Hillelis discipulus, qui floruit tempore Hyrcani et Herodis magni, Onkelos tempore ejusdem Hillelis factus erat proselytus, ut suprà ostendimus. Paulò itaque antè Christi tempora scripserunt hi duo paraphrastæ, eo seculo quo Pharisæorum sectæ principes duo Hillel et Samma floruerunt, qui, ut testatur Hieronymus Epist. 8, *per traditiones suas, et* δευτερώσεις *legis præcepta dissipabant et macu-*

labant. Christum enim constat in cruce verba ex Psal. 22, non ut in Syriacâ Novi Test. versione exstant, nec ut in Hebræo textu, ut Erasmus et Beza existimârunt, nec ut in Jos. Cæci Targ. quod hodiè in Psalmos exstat protulisse, sed sermone Hierosolymitano, qui in vulgari usu fuit. Hic verò non possum non adscribere magni Grotii verba in Matth. 27, 46, et Marc. 15, 34, de verbis hisce Christi, et quâ dialecto dicta erant : *Et hinc,* inquit, *et aliundè colligitur Christum neque veteri usum Hebræorum sermone, neque Syriaco, sed mixtâ dialecto, quæ tùm in Judeâ vigebat. Ea lingua quædam retinebat avitæ pronunciationis ut ἠλὶ, quædam cum Syris habebat communia. Eli à Christo pronunciatum ipse sonus ad Eliam proximè accedens evincit. Quare mihi persuadeo in Syriacâ versione tùm hìc tùm apud Marcum transpositas litteras.* Ex his viri longè doctissimi verbis colligitur Christum non usum esse idiomate Antiocheno, quod strictè Syriacum vocatur, nec Hebræo puro, quod multis anteà seculis vernaculum esse desierat, sed linguâ vulgari, quæ Chaldaica et Hebraica quædam verba mixta habuit, quod et olim sentiebat Epiphanius Hæres. 69, dùm scribit *Christum partìm Hebraicè, partìm Syriacè ista verba protulisse.* Tota autem controversia facilè dirimi potest concedendo dialecto Antiochenâ, quæ Syriacæ nomen κατ' ἐξοχὴν jam obtinuit, et in quâ scripta est versio Syriaca, Christum usum non fuisse, sed Targumicâ, sive Chaldæo-Hierosolymitanâ, quæ tamen cùm eadem esset lingua cum Syriacâ, ut omnes uno ore affirmant, verissimè dici possit Christo linguam Syriacam vernaculam fuisse, eamque sacro ore consecrâsse, cùm tàm Antiochenum, quàm Hierosolymitanum idioma esset Chaldaicum sivè Syriacum, ut qui Atticè vel Ionicè scripserunt dici possint Græcè scripsisse, eò quòd utraque dialectus sit Græca. Plura qui volet legat Geor. Amyræ præludium 3, Grammar. Syr.

Licèt verò ex dictis satis constet linguam Judaicam tempore Christi Syro-Chaldaicam fuisse, et ex Hebræâ et Chaldæâ mixtam, non verò purè Hebraicam, quùm tamen S. Matthæi Evangelium et ad Hebræos Epistolam primò Hebraicè conscripta fuisse testentur veteres, et sæpiùs in Novo Testamento verba quædam occurrant quæ ex Hebraico reddere videntur Evangelistæ, quasi Hebraica fuisset tunc temporis iis vernacula, et Paulus allocutus esse dicitur Judæos seditiosos linguâ Hebraicâ Act. 21, pauca quædam adjicienda sunt. Scribit enim Hieron. Catal. Script. Eccl. *Matthæum*

Evangelium Christi propter eos, qui ex Circumcisione in Christum crediderunt Hebraicis litteris verbisque composuisse, quod in Eusebii Pamphyli Martyris bibliothecâ Cæsariensi erat repositum, et quod ipse à Nazarœis, qui in Berœâ civitate Syriæ coutebantur, describendi facultatem obtinuit. Hoc verò Comment. in Matth. 12 *Nazaræorum* sive *Hebionitarum Evangelium* appellat, et in cap. 6, *Evangelium secundùm Hebræos*. Memorat etiam idem Hieronymus Catal. dicto, *Pantænum philosophum à Demetrio episcopo Alexandrino in Judæam missum reperiisse Evangelium Matthæi Hebraicis litteris scriptum, secundùm quod Bartholomæus Apostolus fidem Christi inter Judæos plantaverat, hoc verò ipsum Alexandriam attulisse.* Idem affirmat Paulum Apostolum Hebræis Hebraicè scripsisse. Origenes verò Judaico sermone Evangelium Matthæi, Nicephorus lib. 4, cap. 7, patrio sermone Pauli epist. ad Hebræos scripta esse affirmant. Augustinus lib. 1 et 2 De consensu Evang. non pro certo affirmat linguâ Hebræâ Matthæum scripsisse, sed ità tantùm perhiberi. In Novo Test. etiam sæpè verba quædam occurrunt, quæ ab Evangelistis *Hebraica* vocantur, ut Joan. 19, 20, titulus cruci à Pilato appositus dicitur scriptus fuisse Ἑβραϊστὶ *Hebraicè*, et Paulus Act. 21, 40, et 22, 2, τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ populum allocutus fuisse dicitur. Joan. 19, 13, legimus Christum adductum esse εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ. Nic. Fullerus etiam Miscel. Sac. l. 3, c. 20, in Nov. Test. linguam Aramæam sive Syram Hebræam dici scribit, licèt de causâ cur ità dicatur, scilicet quia Hebræis vulgaris erat illius usus, sine causâ dubitat. Dicendum itaque cum Widmanstadio haud esse probabile Bartholomæum Judæis Evangelium Hebræum attulisse, quibus nulli usui esse poterat, cùm ex Judæis pauci Hebræum callerent. Ad Indos verò Syriacam linguam ex Mesopotamiâ et vicinis regionibus promanâsse magis credibile est, cùm apud Christianorum reliquias, qui in iis locis ultimo seculo reperti etiam Syriacam linguam cum religione Christianâ servatam esse perhibent. Probabile itaque est Pantænum Syriacum Evangelium ex his oris, non propriè Hebraicum retulisse. Hieronymus verò de hoc dubius erat, et fortassè Nazaræorum Evangelium, quod Hebraicis litteris et linguâ exaratum fuit, nactus, credit aliud præter hoc non exstitisse. Hieronymum etiam linguam Syriacam ignorâsse, cùm Catalogum scripserat, hinc probat Widmanstadius loco dicto, quòd Jacobum Nisibenæ Persarum urbis episcopum, scriptorem Syrum, in linguam Græcam nondùm conversum, et idcircò ipsi ignotum, in Catalago suo prætermisit; nec Ephraimi et Archelai, Bardesanisque opera Syriaca legere potuit, antequàm Græcè verterentur. Cùm itaque linguæ istius notitiam nullam vel saltem parvam haberet, facilè adduci potuit ut Nazaræorum Evangelium ipsius Matthæi esse existimaret. Hoc verò Widmanstadii responsum non probatur : licèt enim Hieronymus Syriacam linguam ignoraret, Hebraicam tamen callebat; non potuit itaque pro Hebraico habere quod tale non erat. Addit verò Grotius in Matth. cap. 17, Hieronymum dubitâsse an illud Matthæi Hebræum esset illud ipsum, quo suo tempore utebantur Nazaræi, quodque tùm in Bibliothecâ Cæsariensi, tùm Berœæ, tùm alibi suâ ætate exstitisse memorat. Alibì etiam contrà Pelagium affirmat scriptum fuisse Chaldæo et Syro sermone, sed Hebraicis litteris, id est, idiomate Hierosolymitano, linguâ ejus temporis. Per linguam Hebraicam itaque intelligit Hieronymus idioma Hierosolymitanum. Hoc verò Nazaræorum Berœæ habitantium vetus Evangelium, quod à se consultum translatumque in linguas alias narrat Hieronymus, omninò arbitratur Grotius ex ipso Matthæi codice fluxisse, de quo plura paulò infrà. Per sermonem itaque Hebraicum in Nov. Testam. clarum est Syriacum, sive Chaldæo-Hierosolymitanum intelligendum esse. Vide plura apud Widmanstadium, Præfat. in Novo Testamento, D. Grotium locis citatis, Mayer. Philol. Sacr. lib. 2, cap. 3.

De charactere verò, qui hodiè vocatur Syriacus, cur utantur Syri Maronitæ, diverso à Chaldæo illo Hierosolymitano, cùm linguam utrique communem habeant, quæritur. Scaliger in annum Euseb. 1617. Digress. de litteris, dicit Chaldæos suas litteras à Phœniciis adumbrâsse; per Chaldaicas verò litteras, ut ibi se explicat, intelligit eas, quibus hodiè Ecclesia Antiochena utitur, item Christiani Nestoriani et Maronitæ, qui, quemadmodùm Græci et Latini, litteras habent duplices, majusculas, quas *capitales* vocant, et minusculas, quas *practicas* aut *cursivas* dicimus, quæ ad celeritatem scribendi excogitatæ sunt. Scribit etiam quòd capitales majusculæ Chaldaicæ ità expressæ sint ex Phœnicibus, ut negari non possit eas ex illis fluxisse, ut nostræ minusculæ à majusculis veteribus Romanis-Addit verò Arabes et Judæos suas hodiernas ex Chaldaicis depravâsse, quòd Chaldaicæ mediæ sint inter Phœnicias vel Judaicas et Arabicas. Hæc Scaliger. Per Phœnicias intelligit Samaritanas,

quæ antiquæ Heb. erant antè Esdram apud Judæos usurpatæ. Et quidem majores Syriacas hodiernas, quas *estrangelas* vocant Amyra et alii, quibus in librorum titulis et inscriptionibus utuntur Syri, ut in libris ipsorum impressis et MSS. videre licet, facilè à Phœnicibus vel Samaritanis deduci posse sine magnâ mutatione non negarem; faciliùs tamen multò ab Heb. hodiernis sive Chald. deducuntur, cum quibus majorem similitudinem habere videntur, quàm cum Samaritanis, ità ut ab his potiùs quàm illis deductas fuisse judicem, cum magnâ tamen in aliquibus variatione. Minusculas verò quibus communiter in libris impressis et MSS. utuntur, quasque cernere licet in Bibliis Londin., à majoribus illis derivatas esse manifestum est, ut cuique eas inter se conferenti liquidò constare potest. Cur tamen Antiocheni hanc formam à Chaldaicâ et Judaicâ variantem introduxerint, causam hanc reddidit Fabric. Boderianus, Præf. ad Lexic. Syriacum, ut scilicet Antiocheni Christiani Evangelium, quo ipsi utebantur ab illo Nazaræorum et Ebionitarum, de quo jam diximus, quodque litteris Heb. sive Chald. exaratum erat, distinguerent, nihilque se commune cum istis hæreticis habere testarentur; quæ quidem sententia probabilis est, cùm ex simili causâ ostendimus Esdram post reditum è Babylone, dùm sacra volumina recenseret, characteres mutâsse (antiquo Hebraico, quo utebantur Samaritani seu Cuthæi ipsis relicto) in Chaldaicum sive Assyriacum, cui in Babyloniâ assueti erant, ne quid scilicet cum Cuthæis, quos inter Gentiles numerabant Judæi, commune haberent.

Quod ad utilitatem hujus linguæ spectat, præter ea, quæ de Chaldaicâ Proleg. proximè præcedenti diximus, hæc de Syriacâ Antiochenâ addere licet, quòd in eâ exstat vetustissima translatio Vet. Test. ex Heb. et Nov. Test. ex Græco, quæ omnes post Christum factas antiquitate superat. In hâc linguâ celebrantur sacra per maximam Orientis partem, multaque veterum in Scripturas commentaria aliaque monumenta scripta sunt, de quibus breviter. Habemus Syriacè vetustissimam translationem tàm Veteris quàm Novi Test.; ut enim Judæi habent suas Chaldaicas paraphrases Vet. Test., sic Christianis non deest sua Chaldaica versio tàm Veteris quàm Novi, de quâ videndum: 1° quandò edita fuerit. 2° Quandò facta. 3° Quotuplex sit. 4° Quis ejus usus. 1° Primus qui Novum Test. Syriacis typis edidit erat Joan. Abbertus Widmanstadius IC. et provinciæ Austriæ orient. cancellarius, auspiciis Ferdinandi imperatoris, Viennæ, anno 1555, vir linguarum orientalium peritus. Cùm enim quidam Moses Meridinæus ex Mesopotamiâ sacerdos ab Ignatio patriarchâ Jacobitarum Antiocheno tùm ob alias causas, tùm ut Nov. Test. cujus exemplar MS. secum attulit arte typographicâ (cujus usu in Oriente destituuntur) multiplicatum in usum Ecclesiarum suarum, quæ librorum inopiâ laborabant, reportaret, et frustrà Venetis ac Roma laborâsset, neminemque, qui opus hoc arduum et difficile aggredi vellet, invenisset, tandem ad Widmanstadium profectus est, qui jussu imperatoris Ferdinandi illud typis nitidissimis imprimi curavit; primus certè liber, qui excusus characteribus Syriacis in Europâ lucem viderit, cujus ad duo vetustissima exemplaria collati et impressi numerum magnum ad patriarcham Antiochenum christiani regiique muneris loco mitti curavit Ferdinandus imperator religiosus. Quamprimùm verò in lucem prodiit, summo doctorum applausu tanquàm χειμήλιον divinum et magnus Orientis thesaurus approbatus, variis formis, variisque locis, et à variis latinitate donatus, ut per Immanuelem Tremellium, Fabricium Boderianum, Trostium, characteribus Syriacis et Hebraicis cum punctis et sine punctis sæpè cusus et recusus est. Post Novum Testamentum Psalmos etiam edidit sine punctis Erpenius, cum punctis Gab. Sionita, ejusdem versionis, quæ in Bibliis Paris. exhibetur, id est, antiquæ sive simplicis, in cujus editione habuimus præter impressum Psalmorum Parisiense exemplar, aliud MS. Usserii, duo quoque Pocockiana, unum Jacobitarum, alterum Nestorianorum, quæ cum priori conveniunt. 2° Cum Novo Testamento habuerunt etiam Syri et Vetus Syriacè versum ejusdem cum Novo antiquitatis, quod licèt in privatorum quorumdam bibliothecis Europæis exstaret MS., typis tamen primùm edidit Michael le Jay in splendido suo opere Heptaglotto Parisiensi, usus præcipuè in hâc re operâ clarissimi viri Gabrielis Sionitæ Maronitæ S. T. D., qui primus illud punctavit, et Latinam ejusdem interpretationem adjunxit; anteà enim MSS. omnia punctis vocalibus vel prorsùs destituta erant, vel si in unâ dictione punctum aliquod vocale notatum esset, in aliâ erat omissum, prout in exemplaribus MSS. hodiè videmus; una etiam ejusdem dictionis syllaba aliquandò notata, alia nuda erat, ità ut à lectore ex usu vel analogiâ grammaticâ, quæ deerant, essent supplenda. Sciendum enim se-

cundùm Sionitam et alios apud Syros antiquitùs omnium figuras vocalium invicem supplevisse, vel, ut Arabes antiqui, ad tollendum ambiguitatem unicum punctum illos usurpâsse, quod suprà litteram *a*, *o* et *u* breve, infrà *e*, sub *Jud*, *i* longum, sub *Tau u* longum denotavit. Recentiores duabus utuntur vocalium figuris, unâ semipunctorum, alterâ notarum Græcis vocalibus, è quibus desumptæ sunt, similium. Semipuncta eumdem situm perpetuò servant, aliæ notæ ad libitum incertâ sede vagantur. Quòd etiam antiquitùs Syri puncta vocalia ignorarabant patet ex Eliâ in Mas. Hammas. Præfat., qui scribit, quòd cùm Romæ esset, «*ecce tres viri ex regno presbyt. Johannis* (intelligit regem Abyss. qui vulgò, licèt erroneè presbyt. Joannes vocatur), quos Papa Leo X ac« cersiverat, qui cognitionem habuerunt « scripturæ ac linguæ Chaldæorum; lingua « enim eorum vulgaris erat lingua Arabica. « lingua autem propria, in quâ transcripti « sunt ipsorum libri, in quâ etiam habent « totum Evangelium Christianorum, erat Chal« daica, quam etiam vocant Aramæam, Baby« lonicam, Assyriacam, Chaldaicam, Syriacam, « Targumicam. Papa eos advocaverat, ut ex « eorum libris codicem Evangelii, latinâ lin« guâ conscriptum, castigaret. Eo tempore vidi « Psalterium in manibus eorum Syriacè « scriptum et Syriacè explicatum, i. e. scri« ptum litteris Syriacis, quarum pronunciatio « et forma valdè erat affinis linguæ Hebrææ; « cùmque viderem quòd legerint sine punctis, « interrogavi eos, dicens: Anne habetis puncta « aliqua, signa vel indicia, quæ sunt vobis « loco vocalium? Respondebant se non ha« bere; quia autem, inquiebant, exercitati « sumus indè à pueritiâ nostrâ hâc linguâ, « idcircò eam absque punctis legere novi« mus. » Hæc verò editio Gab. Sionitæ licèt meritò ab omnibus suscipienda sit (præclaram enim utilissimamque operam virum magnum navâsse omnibus tàm linguarum quàm Scripturæ studiosis, malevolus et maximè ingratus esset, qui non agnoceret, imò immortales ipsi gratias ab omnibus deberi concedimus), negari tamen non potest multos et graves defectus ac nævos in editione istâ occurrere, tàm ex MSS. librorum quibus usus est Sionita, lacunis, quas aliquandò ex proprio ingenio, non ex codice MS. supplevit, et aliquandò ut invenit reliquit, quàm ex operarum erratis quæ nimis frequenter occurrunt, tùm ex versione latinâ quæ cum Syrâ ubique non exactè quadrat. Quæ omnia in editione Londin. supplere conati sumus, non ex propriis conjecturis, sed secundùm exemplaria MSS. quorum quædam antiquissima, reliqua ex authenticis apud Syros codicibus descripta sunt; undè non tantùm infinita vocabula, quæ vel deficiebant supplevimus, vel quæ depravata erant restituimus, sed et in plurimis locis integros versiculos et capita inseruimus, imò quosdam libros addidimus, qui in Parisiens. non exstabant, quique antehàc in lucem non prodierant cum Latinis suis interpretationibus, id est, librum Esther, totum librum Judith, lib. Tobiæ, Jeremiæ Epistolam, Baruch, historiam Susannæ, alteram Belis et Draconis, Canticum trium puerorum, cum Machabæorum 2 et 3, quæ in nostris lector inveniet. Etsi verò omnium versionum ad textum Hebraicum hæc Syriaca propiùs accedat, in quibusdam tamen hic illìc observant quidam cum C. Hottingero codicem Hebraicum istius interpretis à nostro discrepare, aliquandò cum 70, aliquoties cum Samaritano convenire, undè Bootius nec ex Syro ubique lectiones varias vult colligi, ut suprà notavimus. Vide Genes. cap. 3, vers. 10, et c. 4, v, 18, et c. 10, v. 7, 10, et c. 11, v. 10, et c. 14, v. 5, et c. 25, 1, 13, 14, 15, et c. 29, v. 32, et c. 30, v. 14, 36, et c. 31, v. 53, et c. 36, 4, v. 24, et c. 38, v. 1, et cap. 41, v. 54, et c. 42, v. 15, et c. 47. v. 7, et c. 50, v. 10, 16. Exod. cap. 15, vers. 22, et c. 25, v. 33. Levit. cap. 1, vers. 46. Num. cap. 1, vers. 10, 14, et c. 2, v. 14, 20, et c. 3, v. 4, et c. 6, v. 25, et c. 7, vers. 15, 42, 59, et c. 10, v. 33, et c. 21, v. 11, 15. Vide apud D. Hotting. plura ibid. de concordiâ Syricum Græc. Chald. Vulg. Lat. Samarit. in Analectis de Heptaplis Parisiens.

Præter hanc versionem Syriacam, quam *simplicem* et *antiquam* appellant Maronitæ, quâ solâ in officiis Divinis publicè utuntur, teste Gregor. Syro in lib. MS. Syriaco, ubi scholia habet in totum V. Test., aliam etiam habent recentiorem ex Græco expressam tàm Veteris quàm Novi Test., de quâ Andreas Masius Præfat. ad Josuam, et Arias Montanus admonitione ad lectorem antè versionem Syriacam Novi Test. Scribit quidem Masius se habuisse varios libros Syriacos Veteris Testamenti, id est, Josuæ, Regum, Chron. Esdr. Esth. Jud. Tobiæ, et Deuteronomii, qui suprà 1000 abhinc annos conscripti sunt Alexandriæ, sed ex Græcâ versione 70, id est, ex Origenis Hexaplis emendatis et ab Eusebio collocatis in bibliothecâ Cæsariensi, in quibus diligentiâ incredibili omnes asteriscos, obelos, etc., in-

sertos reperit, ut cùm de 70 sinceritate suprà egimus, latiùs explicavimus. Arias Montanus, qui antiquam editionem nunquàm vidit, scribit de Vet. Test. libris Syriacis non adeò laborandum, eò quòd ex iis fragmentis quæ sibi videre contigit, illam sacrorum librorum partem non ex Hebraicâ et primævâ linguâ, sed ex Græcâ ab Origene permixtâ versione ad Syros esse translatam cognoverit. Quibus verbis duplicem errorem erravit vir aliàs doctissimus, tùm quòd non aliam habuisse Syros versionem scribat, quàm quæ ex Græco facta est, tùm quòd, ut magis deprimeret hanc versionem, dicat factam esse ex Græcâ ab Origene permixtâ versione, quorum neutrum verum esse satis probatum est; nam versionem habent ex Hebræo antiquissimam, et illa quam posteà hauserunt ex Græco non erat ex mixtâ aliquâ editione, sed ex eâ quam in Origenis Hexaplis puram esse et genuinam omnes veteres, imò ipse Hieronymus, uno ore affirmârunt, ut latiùs alibì probatum, de versione Græcâ 70. Duplicis hujus versionis etiam meminit Gregorius ille Abul. Farajius à D. Pocockio citatus in dictâ historiâ Arab. p. 184, cujus verba ità Latinè reddit, scilicet: « Versio « 70 illa est quam sequuntur apud nos « docti, et Græcorum manibus teritur, alia« rumque apud Christianos sectarum, exce« ptis Syriis et præcipuè Orientalibus; siqui« dem exemplar ipsorum, quod simplex « appellatur, quia qui illud elaborârunt, de « ornatu verborum solliciti non fuerunt, con« venit cum exemplari Judæorum; at Syri « occidentales duas habent versiones, simpli« cem illam ,quæ è linguâ Hebraicâ in Syria« cam translata est post adventum Domini « Christi, tempore Addæi Apostoli, vel, juxtà « alios, antè eum, tempore Salomonis, filii Da« vid, et Hirami; et alteram figuratam juxtà 70. « seniorum interpretationem è linguâ Græcâ « in Syriacam traductam longo post Salvato« ris Incarnationem intervallo. » Nov. Testamentum etiam habere Syros editionis recentioris constat tùm ex Epistolis Judæ, 2 Petri, 2 et 3 Joannis, quas ex bibliothecâ Bodletanâ edidit D. Pocockius, tùm ex Apocalypsi, quam ex bibliothecâ Scaligeranâ deprompsit Lud. de Dieu, tùm ex exemplari altero Syriaco MS. Evangeliorum apud eumdem D. Pocockium nondùm edito, de quo in Præfat. ad editionem suam Epist. Syr. De quibus Epistolis à se editis hæc habemus ex præfatione: « A quo aut » quandò in linguam Syriacam translatæ sunt » hæ Epistolæ suprà vires meas disquisitio « est; unum tantùm monere licet, Dionysium « quemdam (ità se vocat), qui commentariis « Syriacis has unà cum cæteris canonicis et » Actis Apostolorum et Apocalypsi illustravit, « in Præfat. ad 2 Petri monere, etc., Episto« lam secundam Petri non fuisse versam in « linguam Syram cum libris qui diebus anti« quis redditi sunt, ideòque non inveniri nisi « in translatione Thomæ episcopi, qui cogno« minatus est Heracleensis, secundùm nomen « Heracleæ civitatis suæ. Quis fuerat Thomas « iste, vel qualis ejus versio compertum non « habeo. Hoc scio, verba quæ è textu eorum « qui commmentantur more adducit certò ar« guere eam ab hâc nostrâ stylo multò dis« crepâsse. »

De Apocalypsi Syriacâ à Lud. de Dieu editâ hæc inter alia apud illum legimus in Præfat.: « Conscriptus est (codex quem secutus est) « manu eleganti et verè Syriacâ, sed ab hoc « charactere satis discrepanti: Maronitarum « manus esse videtur, quâ in scribendis Epi« stolis utuntur, ubi celeriores, magis com« pactas et sæpè implexas sibi invicem litteras « adhibent. Vocales additas non invenimus « nisi paucis in locis ubi expressas reperies. « Versuum distinctiones propriè habet nullas, « ut nec capitum, nisi quæ à lectore quodam « nescio quo, nostris numeris adscripta sunt. « Sententiarum tamen distinctiones habet va« rias, quarum quædam longiores, aliæ bre« viores periodos discernere videntur, quas « nos non gravatè emisimus, etc. Esse hanc « Syriacam à Græcâ translationem nullus du« bito, et cuivis phrasin conferenti id facilè « liquebit. Scriptoris verò nomen in calce libri « reperimus, ubi se Casparum nuncupat, tem« pus verò scriptionis subticet. Mirum sanè « cùm Nov. Testamentum ab Ignatio Patriar« châ Antiocheno per Mosen Meridinæum è « Mesopotamiâ sacerdotem in Occidentem « mitteretur, in Syriam reportandum, imò « in gratiam Syriacarum Ecclesiarum, Viennæ, « anno 1555, imprimeretur, Apocalypsin unà « cum 2 Epistolâ Petri, secundâ ac tertiâ « Joannis, necnon Epistolâ Judæ defuisse, « exstitisse tamen certum est: sic enim Wid« manstadius in editione Viennensi in Præf. « ad Epistolas Canonicas, quas ab ipso vulga« tas habemus: Reliquæ, inquit, S. S. S. Pe« tri, Joannis et Judæ Epistolæ unà cum « Apocalypsi etsi exstent apud Syros, tamen in « exemplaribus, quæ secuti sumus, defue« runt. Posteà adjicit: Mosen illum Meridi« næum, qui in Mesopotamiam abierat re-

« versurum, et reliquas illas epistolas cum « Apocalypsi allaturum, et allatas fuisse, « licèt hactenùs non editas. » Possevinus in Apparatu dicit, epistolas illas cum Apocalypsi à Maronitâ acceptas per Balthasarem Etzelium Jesuitam Latinas factas esse, quas, exceptâ Apocal. se vidisse L. de Dieu affirmat.

Ex dictis liquet præter veterem et antiquam editionem Vet. et Nov. Testamenti alias dari, unam ex Græcâ Veteris, plures Novi. Restat ut quædam dicamus de Evangelio Hebraico secundùm Matthæum, quod Syriacum fuisse, linguâ Judæorum vernaculâ scriptum, licèt charactere Hebræo, suprà innuimus. De hoc inter alios Chamier., tom. 1, p. 421; Mercerus in Notis ad Pagnini Thesaur., radice Ajin, et Præf. in versionem suam; Gomar. in Dissert. de hoc Evangelio, pag. 157; Hotting. Thes. Philol. lib. 2, sect. 5, p. 518; Lud. de Dieu in Matth. 1, 1, et 15, 17; Maldonatus in Matthæum; præcipuè H. Grotius in Matth. 1, ex quo quædam suprà habuimus, quibus hæc hoc loco ex eodem subjicimus. « Evangelium suum « S. Matthæum Hebraicè, id est Syriacè scripsisse « ità constanter apud veteres, quibus de hâc « re veritas meliùs quàm nobis innotescere po- « terat, traditum est, ut nullus planè sit dubi- « tandi locus; non enim audiendi sunt, qui « spurium esse volunt, et Patres à Papiâ de- « ceptos fuisse, nec minùs certum est, illud « quod à Munstero primùm, et à Mercero « posteà editum est non esse Matthæi, sed à « recentioribus quibusdam Judæis in Hebrai- « cum sermonem conversum, quod adeò cla- « rum est, ut nullis indigeat argumentis. » Concludit vir doctus Hebraicum illud Nazaræorum Evangelium, quod sæpè laudat Hieronymus, esse idem ac Ebionis, sed, ut rectè judicavit Gelasius, ab Ebione maculatum.

Ut verò de tempore et auctoribus, quandò vel à quibus factæ fuerunt versiones illæ dicamus, veterem sive simplicem Vet. Test. contendunt Syri factam ex parte, tempore Salomonis in gratiam Hirami, regis Tyri, id est Pent. Jos. Jud. Ruth. Sam. Par. Prov. Cant. canticorum et Job.; reliquos libros tàm Veteris quàm Novi conversos tempore Abgari, regis Syriæ, curâ et sollicitudine Thaddæi aliorumque Apostolorum. Sic Sionita Præf. in Psalm. Syr. ex Soadedo quodam, episcopo Hadethiensi, antiquo apud Syros scriptore. Fatetur tamen ibidem Sionita quorumdam Syrorum sententiam esse totam Vet. et Nov. Test. versionem factam fuisse tempore S. Thaddæi, quem Addæum vocant, et regis Abgari; priorem verò sententiam probabiliorem judicat, quæ mihi multò improbabilior videtur. Nam primò Tyri et Phœnices incolæ communem habebant cum Judæis linguam, Hebræam scilicet, ut suprà ostendimus. Quorsùm itaque versionem desideraret Hiramus librorum in linguam sibi vernaculam, cùm in eâdem exstarent? Si enim aliqua esset differentia inter Tyriorum linguam et Judæorum, dialecto tantùm discrepabant. Deindè nulla exstabat versio librorum Vet. Testamenti antè natum Christum, præter Græcam 70, ut satis, ni fallor, suo loco planum fecimus, præter illas Jonathanis et Onkeli in Judæorum gratiam factas; nec aliarum ulla exstat apud Judæos memoria. Si hæc Tyriorum exstitisset, non esset tàm altum de eâ silentium apud antiquiores Judæorum scriptores, quos latere non potuit; imò quantùm de hâc per Salomonem factâ versione gloriarentur Judæi, qui quâlibet captâ occasione nihil non fingunt, quod ad gentis suæ gloriam faciat. Prætereâ apud quosnam servata fuit hæc antiqua Salomonis versio? Non apud Judæos, qui eam non agnoscunt; nec apud Christianos quorum nomen multis post seculis inauditum. An verò Tyriorum tanta esset cura de libris sacris Judæorum servandis? Tandem dialectus, quâ exstant Biblia Syriaca, apertè clamat multis seculis post Salomonis tempora hanc versionem ortam esse, imò post Christi tempora. Lingua enim Judæorum, ut et Syrorum vicinorum, erat pura Hebraica antè captivitatem Babylonicam; at hæc versio scripta est linguâ ex Chaldæâ et Hebræâ mixtâ, quæ et Syriaca communiter dicta est, et Judæis circà Christi tempora vernacula fuit; imò unâ câdemque dialecto omnes libri in hâc versione Vet. et Novi Test. scripti sunt, non quidem alii linguâ Tyriorum, sed omnes Syriacâ, quæ eadem est cum illâ Judæorum. Vanissimum itaque est commentum de antiquitate tantâ hujus versionis, nec quidquam valet probatio quam affert ex Ephes. 4, ubi Paulus verba hæc citat ex Psalm. 68: *Dona dedit hominibus*, non secundùm Hebræum, Græcum vel Latinum, sed secundùm Syriacum exemplar: *Et dedisti dona hominibus*, undè infert procul dubio Apostolum usum fuisse Syriacâ versione, quæ Apostolis antiquior erat. Sed procul dubio probabilius est ex Apostolo hæc verba ità transtulisse Syrum interpretem, non ex Syro Apostolum; verùm hic Apostolum ut sæpiùs sensum non verba Hebraica vel Græca attendisse, et ut ad mysticum sensum de Christo verba traheret verbum נתן in dandi sensu sumpsit, quod non mirum, cùm

quæ dare volumus, accipimus ut demus, ut est videre Exod. 25, 2, et 1 Reg, 17, 10, quare et per ἐκβάλλειν vertitur Job. 22, 22, Jer. 23, 30, et sic sumpto verbo, ב valebit *propter*. Optimè autem Christo locus hic convenit, qui à Patre dona accepit, quæ hominibus dispertiretur. Haud itaque tantæ antiquitatis est hæc versio, nec ausim dicere à Marco factam, cùm multæ Nov. Test. partes post ipsius mortem Scriptæ sint; obiit enim, teste Hieronymo de script. Eccles. et aliis, anno 8 Neronis, Apostolorum verò tempore, vel per quosdam ipsorum discipulos, vel à viris Apostolicis factam esse præter Maronitas et Syros, apud quos constans et non interrupta viget hæc traditio, testantur etiam viri docti, Widmanstadius, Tremellius, Trostius in Præfationibus, Gesnerus in Mithrid. p. 131. Ab Apostolicis verò viris factam concedo, quòd præter traditionem generalem Ecclesiarum orientalium, cui multùm in hoc tribuendum, cùm nulla ratio clara in contrarium affertur, etiam ex insitis argumentis probatur in ipsâ versione, quæ magnam ejus antiquitatem testantur. In antiquâ enim editione non exstant Epistolæ 2 Petri, 2 et 3 Joannis, Judæ, Apocalypsis, ut ex exemplari (illud ex Eutychianis codic. depromptum fuit) primò à Widmanstadio edito constat, et ex scriptoribus Syris, qui testantur has partes in antiquâ editione non versas fuisse, ut ex verbis Thomæ Heracleensis, quæ à D. Pocockio citata jam adduximus, liquet, dùm de 2ª Petri dicit, non versam fuisse in linguam Syriacam cum libris qui diebus antiquis redditi sunt, undè colligi videtur factam esse antequàm Canon librorum Nov. Test. communi Ecclesiarum consensu confirmatus esset, cùm de his Epistolis et Apocalypsi certum sit apud antiquos dubitatum esse. Gregorius affirmat interpretes, qui missi erant ab Adi Apostolo et Abgaro, rege Aurhi, ad Palæstinam, traduxisse Scripturam ab Hebraicâ in Syriacam. Verba ejus subjiciam: « Græcè Διάψαλμα in exemplari « manuscripto portio est Psalmi noni; Jacobus « de Aurhi sic dicit: Interpretes illi qui missi « erant ab Adi Apostolo et Abgaro, rege Au- « rhi, ad Palæstinam, traduxerunt Scripturam « ab Hebraicâ ad Syriacam; cùm post hanc « sententiam (ut sciant Gentes se homines « esse) Διάψαλμα invenissent, Psalmum deci- « mum ab illo loco incœpisse existimârunt, et in « quibusdam exemplaribus Hebraicis semper « pro Διάψαλμα lineamentum ducitur. » In quantâ verò existimatione erat hæc versio ostendit idem scholiastes Syrus Psal. 15, quòd licèt Armeni è Græco transtulerint, cum Syriaco tamen posteà contulerunt exemplar eorum, et illud singulis in locis cum Syriaco concordare fecerunt. Verba ejus sunt: *Res nota est, quòd etiamsi è Græco transtulerunt Armeni, tamen cum Syriaco posteà contulerunt exemplar eorum, et illud singulis in locis concordare fecerunt.*

Versionem verò alteram, quæ ex Græco Vet. Test. expressa est, suprà millenos annos factam esse suprà ex Masio ostendimus, undè priorem illam longè antiquiorem fuisse credendum est. Imò quædam adhuc exstant exemplaria Syriaca Novi Test. suprà millenos abhinc annos conscripta, quod nuper ex litteris viri doctissimi Florentiæ commorantis accepi, qui in bibliothecâ Ducis Florentiæ affirmat se vidisse plures libros Syriacos Novi Test. MSS., quorum quidam illam ætatem superant, et doctiss. Langium Danum, cùm nuper catalogum librorum MSS. orientalium hujus bibliothecæ conficeret, hæc inter alia annotâsse et scripta reliquisse: « Scamno 1 cod., numero 40, Evangelia 4 « Syriacè sine punctis vocalibus antè annos « 925 scripta, nempè anno Alexandri 1038, « i.e. juxtà epocham vulgarem Syrorum et « Orientalium, ad nostrum computum deduc- « tam anno Christi 727. Initio habetur Har- « monia Evangelica Eusebii Pamphili: liber « est in-folio pergamenus. Eodem Scamno « cod., num. 56, Evangelia 4, Syriacè litteris « capitalibus et sine punctis vocalibus scripta « antè annos 1066, anno nempè Alexandri « 807, hoc est anno Christi 586. Habetur et « in hoc codice Harmonia Evangelica Eusebii « et Ammonii cùm miniaturis, quæ etiam in « codice superiore sunt, picturisque historia- « rum Vet. et Nov. Test. Hic codex verè inæs- « timabilis est, scriptus nitidissimè et optimè « conservatus: unum tantùm in principio « folium deest. Eodem Scamno cod., num. « 38, Evangelia 4, Syriacè maximæ antiqui- « tatis, quippè iisdem litteris, quibus prima « scripta, sed quia in fine desunt quædam de « ætate MS., nihil certò affirmare possum. » Hactenùs Langius. Præterea ex lectionibus variis Keri et Ketib à Masorethis annotatis planè constat antè illorum tempora confectam esse Veteris Test. versionem, cùm illas planè negligat hic Syrus interpres, et aliquandò Keri, aliquandò Ketib sequatur, prout in codice suo legerat, cùm Judæi semper Keri legendum volunt. Contrà hæc objiciunt quidam 1° verba Syriaca, quæ in Novo Test. Græco exprimit Evangelista à Syriacis

hujus versionis differre, ut in μαμμωνᾶ et γολγωθὰ, etc., videmus. Undè asserunt scriptam esse hanc versionem longiore post Apostolos intervallo, quò mutatio tanta linguæ Syriacæ fieri posset. Ad hoc suprà responsum dedimus, id est versionem hanc non scriptam fuisse dialecto Hierosolymitanâ, sed Antiochenâ, undè hæc diversitas oriri potuit. 2° Objiciunt Bellarmin,, De verbo Dei, et alii nullam fieri hujus versionis mentionem apud antiquos Patres et scriptores ecclesiasticos, qui in regionibus orientalibus vixerunt, et scripta varia reliquerunt, et qui omnes Scripturæ versiones et editiones diligenter conquisiverunt. Ad hoc verò respondeo : eodem argumento probarent Targumim Chaldaica non circà Christi tempora exstitisse, quia eorum nullus veterum meminit, nec Origenes, nec ipse Hieronymus ; ad quod argumentum suprà respondimus; addo etiam veteres Scriptores Græcos et Latinos, quorum monumenta ad nos venerunt, Syriacam linguam ignorâsse, nec multùm necessariam duxisse linguarum orientalium cognitionem. Hieronymum linguæ Syriacæ ignarum fuisse ex Gennadio refert Widmanstadius, quòd in catalogo scriptorum ecclesiasticorum Jacobum, Nisibenæ civitatis episcopum, scriptorem Syrum egregium, prætermiserit, quia scilicet in linguam Græcam nondùm erat conversus, ut jam diximus. Observat tamen G. Amyra, Præludio 4, ex Hieronymi catalogo obscuram fieri mentionem versionis Syriacæ in eodem catalogo, cùm de Ephremo Edessenæ diacono dicit, quòd *ad tantam venit claritudinem ut post lectionem Scripturarum,* id est linguâ Syriacâ editarum, *publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta,* ut nunc etiam, maximè apud Maronitas in officiis divinis, *recitentur.* Quidquid verò sit de hoc Hieronymi testimonio, certum est Syriacæ versionis apud multos veterum Græcorum et Latinorum fieri mentionem. Basilius magnus Hom. 1, in Hexam. ad Gen. 1, 2, ex Syro interprete vim vocis מרחפת exponit; quem locum suprà adduximus. Ambros. Hexam. l. 1, c. 8, in eumdem locum citat Syrum his verbis: *Denique Syrus, qui vicinus Hebræo est, et sermone consonat et in plerisque congruit, sic habet: ET SPIRITUS DEI FOVEBAT AQUAS.* Procopius, in Ex. 22, memorat Syrum vertisse *excutite, vacuifacite,* συσκευάσατε. Theodoretus in cap. 3 Jonæ, Syros codices citat, ut et in Psal. 104, 113, 116, Chrysostomus in Psal. 94, et Heb. 11. Syri codicis etiam meminit S. Augustinus de Civitate Dei l. 15, c. 13, ubi scribit, errorem de annis Mathusalem non omnes codices invasisse, sed quòd in tribus Græcis, uno Syro, et uno Latino ipse rectè descriptos invenisset. Ad hæc sæpissime τοῦ Σύρου mentionem habemus in antiquissimis scholiis Græcis quæ ad editionem Romanam ut et nostram 70 Interpret. annotantur, ubi legi possunt, ut Gen. 4, 11, et 11, 3, Exod. 1. 13. Sæpè etiam in iisdem scholiis ex antiquis scriptoribus citatur Syrus interpres, ex Diodoro, Gen. 27, 29, et 32, 2, Eusebio, Gen. 31, 7, Melitone, Gen. 22, 13, aliisque, quorum loca plura collegit vir doctissimus D. Hottingerus Analect. 2, p. 106, etc. In antiquissimo codice MS. card. Barberini Prophetarum minorum, ad cujus marginem annotantur ex ipsis Hexaplis Origenis, omnibusque versionibus Græcis 70 Aquilæ, Symm., Theodot., etc., variæ lectiones, invenio mentionem τοῦ Σύρου in Ose. 11, 4. His etiam adjungere licet antiquos scriptores Syros nec doctrinâ nec sanctitate Græcis inferiores, ut Jacobum Syrum, qui concilio Nicæno interfuit, qui in textum Syrum varia edidit commentaria, et alterum illum, ut Greg. Nyssen., in vitâ ejus, magnum Ephremum, qui universam S. Scripturam Syriacè illustravit, et versionis simplicis ex Hebræo meminit, quorum monumenta apud Syros exstare et notissima esse affirmat Amyra Prælud. ult., cùm apud occidentalem Eccles. nihil ferè eorum habeatur. Tandem Theodoretus lib. 5, De curand. Græc. affect., dicit suo seculo sacros codices in omnes linguas traductos fuisse, quarum plures ibidem numerat. Omitto quæ anteà adducta sunt, de duplice editione Syrâ ex Græc. Arab. scriptore et ex Soadedo, episc. Hadethensi, etc. Ex his plenè, ni fallor, constat, quantùm à vero aberrant, qui asserere audent apud nullos scriptores veteres versionis Syriacæ mentionem ullam fieri.

De versione Syriacâ testatur Sionita, quòd ut semper in summâ veneratione et auctoritate habita erat apud omnes populos qui Chaldaicâ sive Syriacâ utuntur linguâ, sic publicè in omnibus eorum Ecclesiis antiquissimis, constitutis in Syriâ, Mesopotamiâ, Chaldæâ, Ægypto, et deniquè in universis Orientis partibus dispersis ac disseminatis accepta et lecta fuit. Nec tantùm in hâc linguâ Scripturas legunt, sed et Liturgias et Officia celebrant, etiam iis in locis ubi lingua Syriaca hodiè non est vernacula. Qui verò hâc linguâ sacra sua celebrant, sunt 1° Maronitæ in monte Libano, à Marone, viro sancto, ità dicti, prout ex Præfatione ritualis libri Maronitarum liquet,

qui monasterio amplissimo in monte Libano præpositus erat, non ab hæretico Marone, prout affirmat Morinus, libro de Ordinationibus, Præfat. ad Ordinationes Maronitarum, et alibi. Habent isti Maronitæ patriarcham, qui sedem patriarchalem plerumque habet in monte Libano, aliquandò in Tripoli; Scripturas verò et cultum publicum linguâ Syriacâ sive Maroniticâ celebrant, etiam postquàm Pontifici Romano reconciliati sunt, et obedientiam ei præstiterunt. Liturgias etiam habent Petri, Jacobi et Xysti, teste Possevino Appar. Sacr., verbo Maronit. 2° Nestoriani à Nestorio heresiarchâ olim dicti, cujus tamen hæreses hodiè ejurâsse videntur, qui magnam partem Orientis, licèt cum Muhamedanis et paganis mixti, hodiè occupant; nam præter regiones Babyloniæ, Assyriæ, Mesopotamiæ, Parthiæ et Mediæ, in quibus frequentes degunt, etiam longè latèque ex parte septentrionali ad Cathaiam, et ex australi Indos versùs propagantur. Patriarcham habent in urbe Muzal ad ripas Tigridis in Mesopotamiâ. 3° Jacobitæ, dicti à Jacobo Syro, qui magnus erat Eutychianorum hæresis propugnator circà annum Christi 530, cujus sectatores multi hodiè conspiciuntur in Syriam, Cyprum, Mesopotamiam, Babyloniam, Palæstinam dispersi. Patriarcham habent, postquàm ab Antiochenâ jurisdictione se subduxerunt, cujus sedes est in urbe Caramit, antiquâ Mesopotamiæ metropoli, qui se patriarcham Antiochenum vocat. Antiquam verò Eutychis hæresin de unâ in Christo naturâ abjecerunt, ut de iis testatur Vitriacus Hist. Orient. cap. 76, et ex confessionibus ipsorum, et in bibliothecâ Patrum liquet. Ab his missus erat Moses ille Meridinæus, qui Syriacum Testamentum, typis impressum Viennæ, secum reportavit; ipsorumque Liturgiam habemus ex Syriacâ in Latinam conversam operâ And. Masii, quæ in bibliothecâ Patrum sub nomine Anaphoræ Basilii habetur. 4° Copti vel Coptitæ (qui in religione Jacobitæ) per Ægyptum in sacris linguam Syriacam usurpant, teste Botero et aliis. Post lectum verò Evangelium linguâ Syriacâ, legunt idem Arabicâ, quæ hodiè ipsis facta est vernacula. Liturgiam verò habent Severi, patriarchæ Alexandrini, quæ ex Syriacâ versa est per Fabricium Boderianum. Patriarcham Alexandrinum agnoscunt, cujus sedes est Cayri. 5° Indi sive S. Thomæ Christiani, cujus prædicatione ad fidem dicuntur conversi; qui olim patriarchæ Mozal in ecclesiasticis subditi erant, posteà suasu Portugallensium Pontifici Romano se subjecerunt, quem hodiè agnoscunt, retentis antiquis ritibus et dogmatibus, posteà verò etiam Romanos ritus ità amplexi sunt, ut Liturgiam à Nestorianismo repurgatam adhuc in linguâ Syriacâ retineant, ut testantur Possevinus, Osorius, etc., et ex ipsâ Liturgiâ liquet, quæ in bibliothecâ Patrum habetur, quæ ex linguâ Syriacâ in Latinam versa esse ibidem affirmatur. 6° Hisce tandem addendi Christiani, qui insulam Zocotoram extrà sinum Arabicum inhabitant: utrum Jacobitæ sint an Nestoriani variant auctores; hoc tamen certum est, ipsos obedientiam deferre patriarchæ Mozal et cultum publicum habere linguâ Chaldaicâ vel Syriacâ. Ex hoc calculo liquet præcipuas per totum Orientem Christianorum Ecclesias, longè latèque propagatas, Scripturas et officia sacra linguâ Syriacâ legere et celebrare, undè magna utilitas linguæ hujus emergit, cùm tot tantæque Ecclesiæ olim florentes, hodiè verò sub Muhamedanorum tyrannide gementes, per totum Orientem hanc linguam in sacris retineant. Etsi verò olim in hæreses miserè prolapsi, se à reliquis Ecclesiæ Catholicæ membris separârunt, undè justo Dei judicio sub Infidelium jugo oppressi serviunt, qui ipsis dominantur, ex continuis tamen calamitatibus edocti et sapientiores redditi (est enim schola crucis schola lucis), tandem eorum misertus Deus, misericordiarum pater, eos ad rectam fidem sanamque mentem, rejectis antiquis erroribus, reduxit. Idem etiam ex Confessionibus Coptitarum, Indorum, reliquorumque Orientalium, Abyssinorum, Armenorum, quæ apud Baronium, Damianum à Goes, Possevinum et alios exstant, omnibus est videre.

Tandem ad usum linguæ Syriacæ deventum est ejusque utilitatem, quæ sanè magna est, cùm in hâc antiquissimæ Bibliorum versiones exstent, et tot Ecclesiarum orientalium, quæ Europæas numero æquant, si non superant, sacra celebrentur, ipsorumque scripta et commentaria in hâc linguâ exarata sint.

Quod suprà de Judæorum Paraphrasibus Chaldaicis diximus, multò magis de Chaldaicâ sive Syriacâ Christianorum versione dicendum, maximè de antiquâ sive simplice; ut in speculo faciem nativam textuum originalium sine fuco ostendit, sic eorumdem integritatem testimonio suo confirmat: Hebræum enim et Græcum κατὰ πόδα plerumque sequitur, quos magis exactè refert, quàm ulla ex vetustis translationibus; ex hâc enim versione nullo negotio vanitas sententiæ eorum luce clariùs ostenditur, qui textus originales corruptos esse

clamitant. Consulantur loca in quibus Hebræum Veteris ut Græcum Novi Testamenti corruptos esse scribunt, et clare apparebit ex hâc versione ità lectum esse in Hebræis et Græcis codicibus Apostolorum temporibus, vel cùm facta sit hæc versio, prout nos hodiè legimus. Frustrà D. Morinus probare nititur post Christi et Apostolorum tempora antè et Hieronymum Hebraicos codices corruptos fuisse, cùm contrarium ex hâc versione liquidò constet. Generaliter enim cum Heb. convenit, etiam ubi Vulg. Lat. vel aliæ versiones ab Heb. discrepant, ut Genes. 3, 15, et 11, 12. Deuteron., 23, 17, 18, et 32, 42, aliisque locis pluribus. Quod planè ostendit Hebraicos codices ità olim habuisse cùm facta erat hæc versio, etsi fortassè cùm factæ erant versiones 70, vel Targumica, quidam codices, quos secuti sunt istarum versionum auctores, aliter in istis locis legerunt. Imò ubi Judæi, cùm textus ob ambiguitatem variè legi posset, eam secuti sunt lectionem, quæ Christianis minùs favebat, ostendi potest ex hâc versione olim Hebraicos codices sensu planè Christiano omnes legisse, ut in celebri illo loco, de quo sæpiùs diximus, Psal. 22, 17, ubi contendunt Judæi legendum esse כארי, lectum fuisse olim כארו constat ex Syro, qui vertit *foderunt*. Cùm verò ab Hebræo differt Syrus, cum aliis antiquis versionibus convenit, ut Gen. 4, 8, convenit Syriaca cum Samaritanâ, Græc. et Vulg. Lat. Exod. 12, 40, cum Græcâ, Samar. et Arab. Deut. 27, ult. cùm Samar. Gen. 6, 3 et 8, 7, cum Vulg. Lat., etc. Hæc verò, ut suprà diximus, cum aliis versionibus harmonia non arguit Hebraici textûs depravationem vel corruptionem, prout arguunt Epicurei et athei, sed variantem tantùm codicum antiquorum lectionem, id est, interpretes illos aliter legisse in codicibus quos secuti sunt, idque in rebus levioribus, quàm legunt codices Hebræi hodierni, de quo suprà plenè disseruimus, varias verò codicum lectiones tàm Hebraicis quàm Græcis voluminibus nemo est qui hodiè negat, licèt de numero variarum lectionum præsertim in Hebræo aliqua sit controversia; ut ex iis quæ superiùs à nobis dicta sunt, planè apparet.

Ut textuum originalium vestigiis pressiùs insisiit Syrus interpres quàm versiones aliæ, sic ob linguæ affinitatem Hebræam magis emphaticè et propriè exprimit. Habet enim Hebraica lingua præ aliis idiotismos, proprietates et emphases suas, quas vix ulla alia plenè exprimere et assequi potest; Syriaca verò vel Chaldaica præ aliis propiùs ad Hebræam accedit, ità ut à quibusdam tantùm dialecto differre dicantur. Hoc agnovit Basilius Hexam. in verba Gen. 1, 2: *Spiritus Dei ferebatur super aquas,* ubi Syrus ut Hebr. vocem מרחפת exprimeret, eamdem vocem formâ Syriacâ retinuit, id est, *incubabat* sive *fovebat*, ut avis suprà pullos. Gen. 2, 7, Hebræum יצר *plasmavit*, id est, ut figulus lutum fingit, exprimit per verbum ejusdem significationis. Levit. 19, 26, Hebraic. לא תנחשו *ne auguremini*, Syrus emphaticè exprimit, cùm vertit, *ne auguremini per avem alatum* sive *aves*, quia per aves divinare est augurii species. Num. 5, 18, Hebr. *aquæ maledicentes*, Syrus usum istarum aquarum explicat dùm vertit *aquæ scrutatrices*, etc. Non negandum tamen aliquandò in versione Syriacâ verba quædam deficere, ut Levit. 11, 10, Num. 9, 6, aliquandò redundare, ut Gen. 34, 15, Exod. 9, 28, Levit. 10, 1; illud fit ex librarii plerumque errore, hoc explanationis gratiâ paraphrasticè.

N. Testamentum, quod Græco idiomate scriptum à viris quibus Syriacum erat vernaculum, Syriasmum passim sapit. Undè et Ludov. de Dieu præf. in Harm. trium linguarum affirmat phrasium, quæ passim in Novo Testamento occurrunt, verum sensum vix aliundè quàm ex Syriaco petendum esse. Phrasin enim Evangelistarum et Apostolorum Græcam esse nemo dixerit : et facilius foret Europæis Platonis et Aristotelis elegantiam imitari, quàm Platoni et Aristoteli Novum Testamentum nobis interpretâri; quia scilicet sancti viri Syriacè conceperunt quæ Græcè scripserunt, et linguæ vernaculæ emphasin peregrinis verbis indiderunt. Undè illud Georg. Amyræ ex Widmanstadio, Palæstinum illud dicendi genus in sacris libris quâcumque linguâ promulgatis implicatum insidet, ut Marcus Evangelista non magis Latinè, vel Joannes et Lucas Græcè scripsisse, quàm vel P. Terentius Adfer comœdias ad Punicæ, vel Judæus Philo scripta sua ad Hebraicæ dictionis normam direxisse videantur. Prætereà multa sunt verba purè Syriaca in Novo Testamento Græc. et Lat. relicta, quæ sine Syriacæ cognitione explicari non possunt, ut Matth. 5, *raka*, de cujus significatione laborant interpretes linguæ Syriacæ ignari, cùm apud Syros *raka*, idem sit quod *homo vilis, contemptus, abjectus;* Matt. 6, *mammona* divitiæ, c. 16, 17, *ben inna*, filius columbæ. Marc. 7, 11, *deseruisti me*. Plura talia occurrunt Act. 5, 1, et 9, 36, Joan. 1, 47, 1 Cor. 16, 22, et alibi. Imò nomen Dom. nostri Ἰησοῦς, Syriacum est σωτὴρ, et nomen

Messias quod Græci et Latini retinent est Syriacum *unctus*. Maximam itaque utilitatem hujus linguæ ex antiquissimis hisce versionibus colligimus, quia cùm ipsi Novi Fœderis scriptores hâc linguâ sibi vernaculâ primùm Judæis et aliis circumvicinis populis cœlestia oracula promulgârint, et posteà Græco idiomate conscripserint, Syriasmi tamen gustum ubique retinent. Imò ipsi Domino et Salvatori vernacula erat, quam unà cum lacte materno suxit, in quâ voluntatem Dei et expressa vitæ æternæ promissa unigenitus Dei Filius orbi revelavit. Hanc sacro ore consecravit; in hâc doctrinam Evangelicam tradidit; in hâc preces ad Patrem obtulit, mysteria mundo abscondita aperuit; Patris de cœlo vocem audivit, ità ut dicere possimus :

Lingua hominum est linguâ nobilitata Dei.

Et ut quidam cecinit de Syro lexicographo :

Nos docet hic unus Numinis ore loqui.

His accedit quòd doctorum lingua inter Christianos per totum ferè Orientem sit, ut ex Liturgiis et Officiis divinis constat, quæ, ut diximus, in hâc linguâ ubique ferè peraguntur. Etsi verò hodiè paucis circà montem Libanum oppidis vernacula sit, olim tamen antequàm Muhamedana impietas Orientem invaserat, locis plurimis in usu populari fuit. Post Muhamedem quidem lingua Arabica, in quâ superstitionem suam exaravit, per ejus propagationem et Muhamedanorum victorias in locum Syriacæ aliarumque linguarum vernacularum introducta est, ut jam dicemus, ità tamen ut Syriacam prorsùs eradicare non potuerit, sed sacra adhuc in hâc celebrentur. Præter hæc multa veterum scripta in Scripturam commentaria in hâc linguâ exstant, ut magni Ephremi, Jacobi Syri aliorumque, quæ partìm edita sunt, partìm in bibliothecis delitescunt, teste Possevino in Appar. Ceorg. Amyra, Widmanstadio et aliis; nec tantùm ad Theologiam, sed ad philosophiam, mathematicam, historiam omniumque artium et scientiarum libros evolvendos plurimùm conferre hujus linguæ scientiam apud ejus peritos ità liquidò constat, ut non necessarium sit de eâ plura adjicere.

Caput x.

DE LINGUA ARABICA ET SCRIPTURÆ VERSIONIBUS ARABICIS.

Inter Judæos transtulit totum vetus Testamentum in Arabicum idioma R. Saadias, quem Gaon per excellentiam appellant. Gaones, id est *excellentes*, dicti erant scholarum Babyloniæ rectores, duravitque hæc dignitas Rabbinica quamdiù durârunt scholæ Babylonicæ, quibus deletis circà annum Christi 1040, evanuit hæc dignitas, et posteri simpliciter Rabbini dicti sunt. Hic itaque Saadias, Gaonum unus apud suos celeberrimus circà annum Christi 900 Vetus Testamentum ex Hebræo in Arabicum, litteris verò Hebraicis, transtulit, in usum Judæorum, qui longè latèque per imperia Saracenorum, qui per arma victricia religionem et linguam Arabicam ubique tunc temporis propagârant, dispersi vixerant. Hujus versionis pars tantùm, scil. Pentateuchus, hactenùs lucem vidit, quem typis ediderunt Judæi Constantinopoli, centum abhinc annis in-folio, unà cum textu Hebræo, Targum Onkelosi Chaldaico, et Jacobi Tusensis (Tawosi vulgò) Persico, litteris tamen Hebraicis excuso. Hujus meminit Aben Ezra variis locis, Gen. 2, Exod. 12, etc.; legem dicit ipsum explicâsse linguâ Arabicâ et charactere Arabico; de cæteris Scripturæ libris, an eos transtulerit, silet, ut et Gedalias, qui etiam legis tantùm meminit. Erpenius Præfat. suâ ad Arabicum Pentateuchum, Fabric. Boderianus Præfat. in Nov. Test. Syr. et D. Pocockius Spec. Arab. p. 365, affirmant ipsum totum Vetus Testamentum in sermonem transfudisse Arabicum, promisitque Erpenius se totam editurum, quod antehàc præstitisset, si Deo visum fuisset vitam ejus prolongare; at morte erepto immaturâ, hactenùs caremus illâ versione, excepto solo Pentateucho. Habet etiam D. Pocockius alios quosdam Vet. Test. libros præter Pentateuchum versionis Saadianæ. De hâc versione notatur Saadiam sæpè paraphrastem potiùs

quàm interpretem nudum agere, et à verbis et phrasibus Hebræis interdùm longiùs recedere, et in Pentateucho modò Onkelosum, modò 70 secutum, modò ingenium suum, Judaicum scil., undè et ab Aben Ezrâ reprehenditur, Gen. 2, in translatione urbium, bestiarum, volatilium, lapidum, etc., in quibus reddendis, cùm ipsis non sit vernacula lingua Hebr., doctioribus Rabbinis aquam hærere constat. De hâc versione, præsertim Pentateuchi, qui plura volet, legat luculentam D. Pocockii præfationem variis ejusdem lectionibus præfixam.

Præter versionem Saadiæ, habent etiam Judæi versionem Pentateuchi charactere Hebræo, in Mauritaniâ olim editam, quam ex Bibliothecâ Jos. Scaligeri characteribus Arabicis typis edidit Lugd. Batav. 1622, Erpenius. Scaliger in Testamento librum optimæ vocat notæ, et Saadiæ præfert., Erp., loco citato, quòd pressiùs verbis Hebraicis insistit, et totidem ferè Arabicis exprimit, locis quibusdam exceptis obscurioribus, in quibus à verbis nonnihil recedit, sed ità ut ad sensum magis inclinet eumque clariùs exprimat. Hanc verò edidit Erpenius sine Latinâ interpretatione, cujus rationem reddit, quòd cùm ad verbum ferè Hebræum exprimat, B. Ariæ Montani versio interlinearis vice translationis esse possit, quæ si alicubi ab eâ discrepat, quod in locis quibusdam ambiguis et difficilioribus contingit, illic se lector modicè Arabismi peritus expediet, maximè adhibito Lex. Arab. quod, si ipse Deus vitam concesserat editurus erat Erpenius, ipso verò defuncto, Lexicon Arabicum omnium absolutissimum edidit eruditionis hæres Golius, qui ipsi in munere successit, inter primarios hujus linguæ professores meritò numerandus.

De hâc versione observatur auctorem exemplari Hebræo à nostris codicibus alicubi diverso usum fuisse, quod ex quibusdam locis, Gen. 50, 19, Exod. 12, 8, et 23, 27, liquet, tùm nimis rigidè in Hebræis vocibus interdùm exprimendis inhærere, ut Exod. 29, 13, Gen. 46, 30, et 49, 11; singularis tamen industriæ et judicii, et divinæ majestatis reverentiæ specimina sæpè exhibere, cùm quæ Deo ἀνθρωποπαθῶς attribuuntur verbis commodissimis exprimat, ut cùm ex Exodo 29, 45, 46, verba, *Habitavi in medio filiorum Israel*, ita reddit: *Habitare faciam splendorem meum in medio filiorum Israel.* Emphasim etiam verborum eleganter exprimit, ut cùm nomen Dei, Exod. 3, 3: *Ero, qui ero* interpretetur: *Æternus nunquàm transibit*, vel *mutabitur;* et quod nomen אלהים cùm pro *idolo* sumitur, semper per pluralem fœmininam exprimat, ut Exod. 12, 12, de quibus aliisque vide D. Hotting. Thesaur. Philolog. lib. 1, cap. 3, sect. 2.

Inter versiones etiam Judæorum refert D. Pocock. libros Regum, quos habet ipse Arabicè MSS. auctor Judæus aliquis anonymus, Saadiam non esse stylus indicat, Spec. Arab. 34, et 36; interpres optimus, cujus versionem Saadiæ præfert.

A Christianis verò versiones variæ Arabicæ factæ, aliæ totius Scripturæ, aliæ quorumdam librorum Scripturæ, scil. Psalmorum, Prophetarum, Evangeliorum, Epistolarum et Apocalypsis. 1° Totius Scripturæ (exceptis quibusdam Veteris Testamenti, id est, libro Esther, Judith, Tobiæ, Mac. 2 et 3) versio Arabica habetur in Bibliis Parisianis D. de Jay, in quâ Vet. Test. partìm ex Hebræo, partìm ex Syrâ versione, partìm ex 70 Græcâ traducta. De hâc versione ità scripsit Erpenius, antequàm edita fuerat, Præf. ad Pent. suum Arabicum: « Alia reperitur eorumdem librorum « translatio Arabica, elegans quidem et anti- « qua apud Arabes Christianos nata, quam « omninò operæ pretium esset typis quoque « excudi. Hujus exemplar exstat in instructis- « simâ libris orientalibus bibliothecâ viri no- « bilissimi D. Franc. Savari de Breves, regis « Christianissimi apud Turcarum imperatorem « legati, inque eâ vertendâ in Latinum ser- « monem occupari nunc intelligo viros claris- « simos et Arabismi promotores non minùs « vigilantes, quàm doctos DD. Gabrielem Sio- « nitam, et Joannem Hesronitam linguæ Ara- « bicæ in Academiâ Parisiensi professores e « interpretes regios, qui utinàm eam quoque « nobis dent Arabicè: sic enim habere posse- « mus quatuor elegantes et utiles Veteris Test. « versiones orientales, Chaldaicas, inquam, « duas, Judaicam unam, alteram Christianam, « et totidem ac similes Arabicas. » Si hùc usque vixisset Erpenius, voti sui compos fuisset: vidisset enim Arabicam hanc versionem Parisiis impressam et Londini recusam adjectis variis, quæ in editione Parisiensi desiderantur. Dolendum verò est, quòd de versionis hujus auctore ac tempore, à quo e quandò facta fuerit, nec de ejus utilitate ac usu, vel de ejus collatione cum aliis codicibus quidquam dixerint, qui editioni Parisiensi præfuerunt, quod ex ipsorum dissidio ortum arbitror, undè abortum quemdam passum est opus nobilissimum, multis desideratis, quæ ad complementum ejus pertinebant: nam ex Epist. Valeriani de Flavi-

gni Hebrææ linguæ profess. regii Lutetiæ, quas contrà editionem Jayanam edidit, constat inter alia luculentum tractatum de Arabicæ litteris, punctis, versionibus, etc., à Gabriele Sionitâ paratum fuisse pro illâ editione, quæ cum aliis istiusmodi Prolegomenis, etc., nusquàm apparent. Hoc tantùm nobis reliquit Sionita de hâc versione Præfat. in Psalterium suum Syriacum, quod editum erat Parisiis anno 1625: « Se adjecisse ad calcem istius operis Syriaci Psalmorum titulos Arabicos decerptos ex nobilissimo totius Vet. Testamenti exemplari in Ægypto exarato ab annis ampliùs 300, quo quidem unà cum versione Latinâ frueretur modò Christiana resp. liberalitate illustrissimorum Ecclesiæ Gallicanæ præsulum, nisi pecunias ab iis in comitiis Blesensibus anno 1619, huic operi moliendo attributas, quidam avertissent, inque alios et forsitàn proprios usus conjecissent. » Ex quibus constat exemplar suum Arabicum, cujus editionem tunc in animo habuit, quodque posteà edidit impensis D. de Jay scriptum fuisse in Ægypto, 300 abhinc annis; quandò verò vel à quo adornata fuit illa versio altum silet. In Præf. verò editionis Parisiensis dicit Præfationis auctor: « Hinc maximam mutuari commendationem versionem illam Arabicam, quòd S. Hieronymi seculo quidam è sacris libris hâc linguâ scripti reperirentur, quorum auxilio librum Job in 700 fermè aut 800 versibus, ut ex præfixâ libro Hieronymi Præfatione manifestum est, restituit »: quibus verbis lectori insinuare velle videtur, eamdem esse hanc versionem cum eâ, quæ Hieronymi ætate exstabat. At primò non loquitur Hieronymus illo loco de versione aliquâ Arabicâ, licèt ejus verba primo aspectu tale quid innuere videntur, undè et me olim ità ea accepisse fateor; loquitur enim, ut verba ejus penitiùs intuenti liquet, de translatione suâ Latinâ, quam ex Hebræo traduxerat, et hoc tantùm innuit, in libro Job Hebraico vocabula multa Arabica occurrere, et hunc librum præ aliis Vet. Testamenti Arabismum sapere; quod verissimum est: multa enim verba observârunt docti in hoc libro, quæ aliàs in Vet. Testamento nunquàm occurrunt, quæ ad Arabicam originem omnes referunt; nec ex hâc Arabicâ versione versus vel στίχους potiùs 700 vel 800 restituit Hieronymus, licèt exemplar aliquod mancum vel imperfectum nactus sit, cujus versiculos vel potiùs στίχους ex aliis codicibus vel versionibus supplevit vel perfecit; certum enim est exemplaria Græca versionis 70, de quibus loquitur Hieronymus, integram tùm exstitisse, ut ex Patrum et scriptorum veterum citationibus et commentariis, tùm ex MSS. vetustissimis Græcis, Vaticano et nostro Alex. in quibus hic liber integer habetur, quorum utrumque Hieronymi ætatem attigit, manifestum est. Nec si Hieronymum de versione Arabicâ loqui concederemus, quæ ipsius ævo exstitit (haud enim negamus, imò suprà probavimus, Scripturas hisce temporibus in Arabicam et alias omnes linguas celebriores conversas fuisse), haud tamen quam exhibent Biblia Parisiensia, tantæ antiquitatis fuisse sequeretur, quam seculi multò posterioris esse facillimè deprehenditur, idque tùm ex vocibus Arabicis quæ in Alcorano solo et ab Alcoranistis usurpantur, quæ in hâc versione occurrunt, tùm ex versione Pentateuchi Saadiæ, factâ, ut dixi, circà annum Christi 900, quam versionem vel eamdem esse cum hâc Parisiensi, ut existimat D. Pocockius, vel ad eam proximè accedere, eamque in locis difficilibus exprimere, ut sentit D. Hottingerus, manifestò liquet. Fatendum enim est Parisiensem cùm Saadiâ ità convenire, ut quidquid difficile et obscurum sit in Pentateucho, uterque interpres iisdem verbis reddat; quæ à Saadiâ in Rabbinorum sensum torquentur, in Parisiensi ità se habent; uterque eodem modo propria nomina refert; quæ ab Aben Ezrâ in Saadiâ reprehenduntur, ità in Parisiensi inveniuntur; textus difficiles iisdem verbis ambo explicant, imò loca in quibus exemplaria Heb. ab hodierno codice variâsse videntur, ambo eodem modo legerint; quæ omnia variis exemplis illustrat D. Hotting. Analect. Dissert. 2. Ex quibus omnibus luce clariùs constat vel unam et eamdem esse utriusque versionem vel alterum alterius vitulo arâsse. Cùm verò de hoc dissentire video viros Arabicè peritissimos, non est meum sententiam ferre, sed unicuique judicium esto liberum. Hisce addere licet librum Job ex Syriaco in hâc versione traductum esse, ut in fine expressis verbis invenimus, et librum Josuæ ex Hebræo, reliquos, præter Pentateuchum, ex Græcâ 70: cùmque versiones Arabicas apud multas Ecclesias Orientis in usu esse certum sit, ità ut post lectam Scripturam ex Syriacâ recitetur etiam in Arabicâ, ut suprà ex Scaligero diximus, hìc planè constat versionem Arab. apud eas factam esse, postquàm lingua Arabica per victorias et religionem Muhamedanam per Orientem propagata fuerat et in multis locis facta esset vernacula, undè necessarium erat Scripturas in hanc linguam, ut sibi notam,

versas comparare. Tempus verò cùm primùm facta fuerit, vel quibus auctoribus, exactè definire haud facilè est, cùm qui eam primò ediderunt, nihil de his prodiderint, nec ex Orientalium monumentis de hâc vix aliquid certi habeamus. Probabile est vel circà Saadiæ tempora, vel non multò anteà confectam fuisse, cùm scil. lingua Arabica in Orientem penetravit, et linguas vernaculas in multis locis absorpserat : undè antiquitas ejus non spernenda adstruitur. De usu verò magno, in locis difficilibus explicandis, in vocabulorum apud Hebræos dubiorum et rarò occurrentium ex Arabismo significationem veram eruendo, textûs Hebræi sensum genuinum ex collatione illustrando, aliisque ejusmodi jam diximus, cùm de utilitate hujus linguæ egimus, ut plura addere necessarium non sit.

Duplicem verò esse versionem Arabicam Veteris Test. apud. Christianos Orientales in usu, constat ex August. Justin. episc. Nebiensi in Psalm. 14 et 84, qui utrâque usus est, et unam vocat Syriacam, alteram Ægyptiacam, à regionibus ubi in usu erant; ipse verò in editione suâ Psalmorum Syriacam illam secutus est, ut ex ipsius verbis locis citatis est videre. Utriusque versionis exemplar in bibliothecâ Vaticanâ et Medicæâ exstare testatur Cornelius à Lapide Comment. in Prophet. minores in arg. p. 5, quarum unam appellat Antiochenam, Alexandrinam alteram, à patriarcharum sedibus, qui Ecclesiis Syriæ et Ægypti præfuerunt: « utrasque vetustas esse et tùm in majoribus, « tùm in minoribus Prophetis se citâsse : eas- « demque etiam à Sergio Risio Meronitâ, ar- « chiepisco. Damasceno, cui Arabica lingua « materna erat, in Latinum idioma conversas « esse, qui versiones suas sibi communicavit « edendas, rogatu quorumdam concionato- « rum, undè et ipse in commentariis suis « quædam ex iis habet ut concionatorum com- « modo inserviret; faciunt enim antiquæ is- « tæ versiones ad Scripturæ claritatem et co- « piam, quam ambiunt concionatores. » Risii versiones istæ nondùm quod sciam editæ sunt. Utriusque hujus versionis et Risii interpretationis meminit etiam Joan. Tirinus in Indice auctorum ad finem Bibliorum suorum, et nævos suos habere judicat. Utramque hanc versionem ex Græcâ 70 traductam esse non dubitat Nebiensis, et tùm ex ejus editione Arabicâ Psalmorum, quæ Antiochena sive Syriaca, tùm ex alterâ Alexandrinâ, quæ in Parisiensibus et nostris Bibliis exhibetur, planè apparet : non possum enim assentiri viro docto, qui affirmat utramque versionem esse ἀνέκδοτον. Nebiensis enim disertè affirmat suam Psalmorum esse illam Syriacam Psal. 14 et 84, nostram verò esse Ægyptiacam sive Alexandrinam constat ex ejusdem notis Psal. 84, 1, ubi discrepantiam utriusque ostendens, verba quædam ex Ægyptiacâ profert, quæ planè eadem sunt cum nostrâ et Parisiensi. Affirmat etiam Sionita Præf. in Psalt. Syr. exemplar suum Arabicum, quod posteà in Heptaplis Parisiensibus excudit, se habuisse ex Ægypto, ubi annis abhinc 500 descriptum erat. Inscriptiones etiam Psalmorum Arabicæ, quas subjunxit Sionita ad finem Psalterii sui Syriaci ex MS. Arab. Alexandrino, eædem planè sunt, quæ in Bibliis Parisiensibus. Est itaque Arabica nostra eadem cum Alexandrinâ sive Ægyptiacâ; an verò altera illa Antiochena eadem sit cum illâ de quâ Georgius Itiner. p. 178, qui scribit, quòd per totam Syriam et circà Hierosolynam Græci non utantur Græcâ linguâ, sed transtulerunt totam Scripturam in Arabisum idioma, aliis judicandum relinquo. De nævis quos in utrâque esse vult Tyrinus, non multùm laborandum est, cùm nec aliquam versionem unquàm exstitisse, quæ nævos suos non habuerit, probari potest. Præter has aliam etiam versionem Scripturæ Arabicam memorant, à Joanne, episc. Seviliensi in Hispaniâ, factam anno Christi 719, de quâ Vascus in Chron. Hispan. et Joan. Mariana de rebus Hisp. l. 7, c. 5. Hâc usum fuisse Patricidem in Historiâ suâ Ecclesiasticâ conjicit Joan. Seldenus Comm. in Eutych. Orig. pag. 163.

2° Præter has totius Veteris Testamenti versiones, variæ etiam librorum quorumdam exstant tàm MSS. quàm impressæ apud Christianos. 1° Versio Pentateuchi Arabica per Haritem Ibn Sinam ex Syriacâ, juxtà 70 Interpretes. Memoratur etiam in catalogo librorum bibliothecæ Laurentianæ, translatio Pentateuchi Arabica per Haritem Ibn Sinam ex linguâ Chaidaicâ, hoc est Syriacâ, versionis non primæ vel simplicis, sed alterius recentioris, de quâ suprà in Proleg. Syr., traducta juxtà 70 Interpretes, facta anno à fugâ Muhamedis 891, hoc est, anno Christi 1513. Hujus etiam exemplar habuit Cornelius Haga, ordinum Belgiæ apud Turcarum imperatorem legatus ordinarius, ut refert D. Horting. Præfat. in exercit. Anti-morin. de Pentateucho Samaritano. Addit maximâ ex parte ex Græcâ versione expressam esse, ubi verò à Græcâ recedit, videri sequi paraphrasin ipsam Aramæam, Chaldaicam vel Syriacam Christianorum, vel translationem

aliquam Græcam ex Bibliis Syriacis expressam. Facta est hæc versio ab aliquo Christiano, ut videtur, quia in Exodum scribit ex quorumdam interpretum sententiâ, Arcæ longitud. et latudinem fuisse 5 cubitorum, ut indicaret annos 5500 antè adventum Messiæ. Hunc verò computum annorum à mundo condito ad Christum sequuntur Christiani orientales secundùm 70. 2° Versio Arabica duplex Pentateuchi MSS. secundùm 70, in bibliothecâ Oxoniensi, in quibus de obelis, asteriscis etc., ab Origene usurpatis disseritur. An hæc exemplaria eamdem habeant versionem, et an hæc eadem sit cum eâ, quæ in bibliothecâ Laurentianâ, quamque descripsit Hottingerus, nondùm mihi liquet.

Psalmorum versiones Arabicæ plures, quarum duas impressas habemus, unam in-4°, Romæ 1619, operâ Gabrielis Sionitæ et Victorii Scialac Accurensis Maronitarum, quæ plerumque cum Græcâ 70 convenit et eadem planè est cum editione Antiochenâ sive versione Syriacarum Ecclesiarum. Alteram in Bibliis Parisiensibus, ut et in nostris, quæ à priori discrepat, est enim Alexandrina sive Ægyptiaca. Priorem edidit August. Justinianus, episcopus Nebiensis, vir pro temporum ratione linguarum orientalium peritissimus; quæ cum textu Hebræo, versionibus Chaldæâ, Græcâ, Arabicâ, et versionibus Latinis per columnas dispositis et annotationibus prodiit Genuæ 1516. De hoc ità Sixtus Senensis lib. 4: « Augustinus, « Nebiensis episcopus, patriâ Genuensis, ex « illustri Justinianorum familiâ, Prædicatorii « ordinis professor observantissimus, theolo- « gus summè doctus, et linguarum omnium, « quæ toto terrarum orbe dispersæ sunt, peri- « tissimus, novo et ingenti ausu primus om- « nium utrisque sacræ legis instrumentum 5 « præcipuis linguis, Hebræâ, Chaldæâ, Græcâ, « Latinâ et Arabicâ in unum corpus, *Octapla* « inscriptum, redegit, et in singulis paginis « octo columnas disposuit, in quibus omnes « prædictæ linguæ propriis characteribus ex- « pressæ, totidem lineis totidemque verbis « sibi correspondentes, uno eodemque aspectu « cernuntur, hoc ordine. 1° Hebræam posuit « editionem. 2° Latinam Hebræo respon- « dentem de verbo ad verbum. 3° Latinam « Vulgatam. 4° Græcam. 5° Arabicam. 6° Chal- « daicam. 7° Latinam Chaldæo respondentem. « 8° Scholia. Hujus tàm præclari operis ipse « scribit se duo tantùm volumina videre meri- « tum esse, id est, ex Veteri Testamento ad « Leonem X, Pontificem Maximum, in totum « Psalterium Octaplum typis excusum, cujus « initium est: *Scio, Pater benignissime*, etc., « et ex Nov. Test. in universa 4 Evangelia « Octaplum ipsâ auctoris manu, atramento mi- « nioque descriptum, cujus initium est: *Fruc- « tum salutiferum, magnumque utilitatis incre- « mentum*, etc. » Hactenùs Sixtus Senensis. Versio autem hæc Arabica non est ex Hebræo, sed ex Græcâ 70 translatione, ut ex locis variis constat, ubi Hebraicam deserit et 70 sequitur; videantur Psal. 48, 13, et 68, 13. Tertiâ nondùm excusâ, cujus varia vidi exemplaria, unum in collegio Sionensi Londini, duo alia MSS. ipse habeo ejusdem versionis, quorum unum omnium, quos unquàm vidi librorum MSS. pulcherrimè descriptum est, sæpè etiam quibusdam litteris aureis exaratum unà cum versione Latinâ interlineari etiam nitidè descriptà. Hoc exemplar, quod olim erat Petri Du Vall, linguæ Arabicæ professoris Parisiensis, cum multis aliis post ejus obitum venumdatis ad manus meas pervenit. Alterum verò habeo etiam codicem vetustissimum, qui cum priore planè consentit in omnibus: quandò verò vel à quo scriptus sit in exemplari non exprimitur, ex Græcâ tamen 70 factam esse hanc versionem constat, quam ubique ferè exprimit, nisi quòd tres illos versiculos in Psal. 14, qui in Heb. Chald. et Syro non habentur, licèt in Græco et Vulgatâ Lat. exstent, non habeant MSS. exemplaria nostra; post quosdam etiam Psal. habet Doxas et Cathasmata, quorum viginti in toto Psalmorum libro minio signantur. Hoc verò indicat ex Græco traductam esse hanc versionem, in cujus exemplaribus quibusdam eadem reperiuntur.

Prophetarum omnium liber MS. vetustissimus, quem Academiæ Oxoniensi inter alios libros orientales legavit Joan. Seldenus: versio præstantissima plerumque sequitur textum Hebræum illumque exprimit, aliquandò cum Versione 70 concordat. Codex hic magno nobis usui erat, cùm Prophetas excudimus in nostris Bibliis, conferendo cum Parisiensi, quod mancum et valdè lacunosum: cùm enim non tantùm versus quamplurimi deessent variis locis in exemplari Parisiensi, sed et interdùm integra capita, quidquid deerat ex hoc exemplari supplevimus et uncis inclusimus cum his litteris *MS. Oxon.*

Novi Testamenti varias habemus editiones Arabicas. Evangeliorum tres habemus versiones, quarum 1 Romæ excusa sine punctis typis Medicæis in-fol. cum versione Latinâ interlineari, posteà Romæ recusa sine versione Lati-

nâ. De auctore autem hujus versionis Arabicæ, vel cujus sit antiquitatis nil certum et exploratum habemus, nec quidquam dicunt qui eam ediderunt. Doctum tamen fuisse hunc Arabem interpretem, quisquis fuerit, fatetur D. Bochart. Geogr. sacrâ, parte 2, lib. 1, cap. 1, pag. 565, ex Marc. 7, 26, ubi verba Græca ἦν δὲ ἡ γυνὴ Ἑλληνὶς Συροφοίνισσα τῷ γένει, ità reddit Arabs: *Et erat Græca Syra, et genus ei ex Algaur*, id est, ex Cœle-Syriâ.

Evangelia cum reliquis libris Novi Test. Arabicè edidit Thom. Erpenius Leidæ, ann. 1616, in-quarto, quæ editio licèt cum Romanâ plerumque conveniat, ità ut unam eamdemque esse versionem quidam arbitrentur, in multis tamen discrepant, ut conferenti patet, et ex utriusque collatione collectis varietatibus liquet, quæ omnes cùm ex scribæ lapsu oriri non possint, planè aliam indicant versionem: auctores tamen, quicumque fuerint, unum alterius vitulo arâsse, quod anteà de Pentateucho Saadiæ diximus, hìc etiam videtur. De antiquitate verò harum versionum non certò constat; antiquissimas tamen fuisse patet, tùm ex librorum ordine, cùm Epistolis Acta Apostolorum postposita sint in codice MSS. Erpeniano, quem ordinem ut in aliis antiquissimis Græcis exemplaribus, sic in nostro vetustissimo MSS. Alex. observavi, tùm ex clausulâ quam scribit Erpenius in suo codice repertam esse, id est: *Absoluta est hujus libri descriptio die 16 mensis Banna, anno 988 Martyrii justorum* (anno Christi 1174); descriptus autem est ex emendatissimo exemplari, cujus descriptor ait se id descripsisse ex alio exemplari emendato, exarato manu Joannis, episcopi Coptitæ; qui Joannes dicit se suum descripsisse ex exemplari emendatissimo, quod ediderat D. Nesiulaman. F. Azalkefati. Ex hâc inscriptione patet Nesiulaman fuisse auctorem hujus versionis; quandò autem Nesiulaman iste vixerit nondùm liquet: antiquissimam verò esse versionem colligere ex eo est, quòd Matth. 6, 13, deest Doxologia in Orat. Dominicâ, ut in Vulg. Lat. et in omnibus antiquis Græcis MSS. ut in collationibus nostris codicum Græc. Nov. Test. apparet; nam orationem illam desiisse istis verbis: *Libera nos à malo*, statuunt viri longè doctissimi. Doxologia verò ista erat chori vel populi responsum, postquàm in Liturgiâ recitata erat Oratio Dominica, undè in margine primò posita, posteà in textum irrepsit. Vide Grotium in locum. Tertiam habeo in codice MS., quæ à prioribus magis discrepat, quàm ipse à se invicem; fortassè tamen eadem cum illis est versio, ab aliquo hìc illìc immutata. Codex videtur esse vetustissimus tùm ex chartâ, tùm ex formâ scripturæ.

Reliquorum verò librorum Novi Testamenti duas tantùm versiones, easque impressas, Erpenianam scil. quam unà cum Evangeliis ipse publicavit, et Gab. Sionitæ in Bibliis Parisiensibus, quas planè diversas esse translationes clarum est. Hanc verò Alexandrinam sive Ægyptiacam esse constat ex Sionitæ verbis, quæ suprà adduxi, Præfat. in Psal. Syriacos, ubi totam Scripturam se habuisse dicit Vers. Arab. ex antiquo codice in Ægypto descripto trecentis abhìnc annis; hanc itaque esse eamdem Ægyptiacam cum illâ Veteris Testamenti patet, quæ scil. per Ægyptum reliquasque Ecclesias Alexandrino patriarchæ subditas in usu erat: fortassè altera est Syriaca sive Antiochena in usu infrà patriarchatum Antiochenum, quod magis probabile est, quia non immediatè ex Græco, sed ex Syro traducta esse videtur; nam Syriaco textui in locis plerisque quàm Græco vicinior esse deprehenditur. Habeo etiam Epistolas S. Joannis Arabicè, quas cum Latinâ interpretatione Bedwellus edidit Raphelengii ex officinâ Plantinianâ, anno 1612, et Epistolam ad Titum etiam Arabico-Latinam, quam edidit Joan. Antonides, iisdem typis et eodem anno. Omnes verò cum Erpenii editione conveniunt, undè secundùm versionem Antiochenam descriptæ sunt, quod et Bedwellus innuit cùm scribat, non Græcum sed Syriacum Testamentum Arabem hunc transtulisse, ut ex multis locis conferenti apparebit; undè quæ optimè à Syro redduntur, ea ab Arabe quoque ad verbum reddita sunt; ubi hallucinatus est Syrus, ibi et Arabs à scopo aberravit longiùs. Ad Galatas Epistolam Arab. et Lat. edidit Rutgherus Speyrobopurdianus Heydelb 1583. Convenit prorsùs cum Erpenianâ.

Inter Arabica MSS. bibliothecæ Laurentianæ in catalogo mentio fit 4 Evangeliorum, quæ ex Chaldæo in Arabicam translata sunt per Pharaonem Hebræum. Per Chaldæum intelligit Syriacum, ex quo, ut superiùs dixi, traducta est versio Arabica, quam Antiochenam et Syram vocant, quæ nondùm lucem vidit. In bibliothecâ etiam Leydensi exstant 4 Evangelia Arabicè, quæ asserit D. Hottingerus ab Erpeniano differre; fortè eadem sunt cum Ægyptiaco, quæ in Parisiensi et in Londinensi imprimuntur.

Caput xj..

DE LINGUA ÆTHIOPICA ET SCRIPTURÆ VERSIONE ÆTHIOPICA.

Æthiopiam in Scripturis non designari per *terram Chus*, contrà communem opinionem probatur ex Prophetæ verbis, Hab. 3, 7, terram Madian, quæ sine dubio sita erat in Arabiâ propè Rubrum mare, cum Chusam confundentis, et ex 2 Reg. 19, 9, ubi legimus quòd Senacheribum obsidentem Libnam subitò Tirhaca rex Chus adortus sit, et ex 2 Chron. 14, 9, ubi legimus Zerah alium regem Chus contrà Asam regem Judæ decies centena millia militum duxisse, quod fieri non poterat nisi Æthiopes Ægyptum interjacentem priùs debellâssent et subjugâssent. In eodem etiàm capite legimus Asam Regem hâc invasione irritatum, civitates Zerah evertisse usque ad Gerah, quæ in Arabiâ Petræâ sita est ex parte australi Judææ, uti agnoscunt omnes. Alia etiam sunt Scripturæ loca (in quibus fit mentio Chus) quæ de Æthiopiâ intelligi non possunt, Job. 28, 19, Ezech, 29, 10, etc., et sententiam illam licèt magnâ auctoritate suffultam stare non posse planè demonstrant : maximè verò Zeph. 3, 10, et Is. 18, 1, ubi Ægyptus describitur esse trans flumina Chus, quod de Æthiopiâ dici non potest, quæ potiùs respectu Judææ, ubi Propheta scripsit, esse trans Ægyptum, ità ut necessariò Chus sit terra aliqua inter Judæam et Ægyptum intermedia, quæ alia non est quàm Arabiæ pars quæ Chusæa dicitur, et sita erat in Arabiâ Petræâ et Felice, et Chusan dicta fuit veteribus; Plin. lib. 8, c. 11, Eratostheni apud Strabonem, et aliis, cujus incolæ primò Scenitæ à tentoriis, in quibus degebant, et posteà Saraceni à latrociniis, ut quidam, vel potiùs à situ Orientem versùs dicebantur. Fluvius item Gihon, unus eorum, qui ex Paradiso exivit, dicitur circumivisse terram Chus, quod de Æthiopiâ dici non potest. Æthiopiam verò iisdem sacris scriptoribus per *Lud* et Æthiopes per *Ludim* vel *Ludæos* significari probatur tùm ex moribus Ludæorum, ut quòd arcu potentes describuntur, Is. 66, 19, Jer. 46, 9, etc., et quòd anthropophagi erant, teste Baal Aruc, quæ Æthiopibus non conveniunt; tùm ex situ, cùm Phut et Lud. Isai. 66, 19, describantur ut loca vicina, Phut verò est nomen urbis et insulæ in Nilo inter Ægyptios et Æthiopes, undè infertur per Lud Æthiopiam à Prophetâ intelligi : videatur D. Bochart. Geogr. sacrâ, part. 1, lib. 4, c. 2, 3, et 26. Arabes eos vocant *chabatti* vel Habassi, undè demptâ aspiratione, Abasseni vel Abassini; tamen origine Ægyptiacâ Abyssinos dictos tradunt nonnulli à domibus, quas *Abases* Ægyptii appellant, vel quòd gentes dispersas significat, alii à fluvio magno Abaso dicto; ipsi se vocant Chaldæos (Waserus in notis ad Gesn. Mithrid. ad cap. 2, pag. 89, et 92). Homeritas verò ex Arabiâ per fretum angustissimum in Æthiopiam trajecisse testantur veteres, et Auxuma possedisse, undè Plin. lib. 9, cap. 29, et lib. 3, c. 9, Nili accolas à Sienâ non Æthiopum populos sed Arabum esse dicit, et Æthiopes dictos Homeritas scribit Theophanes apud Photium, undè apud Stephanum Omeritæ gens Æthiopum, eosdem Omeritas dici Abasenos vel Abyssenos, ab Uranio apud Stephanum scriptore vetere constat, quos in Arabiâ Felici ponunt juxtà Sabæos, adeò ut Abyssinorum nomen sit Arabicum : vide Bochart. libr 2, cap. 23. Scalig. de emend. lib. 7, notis in Comput. Æthiop. Arabicè dicit *Elhabusei* scribi. Auxumitæ itaque vel Homeritæ non sunt inter veteres Æthiopiæ incolas, sed ex Arabiâ coloniæ, nec totam Æthiopiam vel maximam ejus partem subegerunt, sed regionem quæ propè fretum illud maris Rubri vel Arabici sita est. Hinc non mirandum, si qui apud Plinium et Ptolomæum vocantur Homeritæ in Arabiâ Felici, Procopio dicuntur Auxumitæ ab Auxumis in Æthiopiâ, à regiâ, nomine Ἄξουμα.

Ut ad ea, quæ institutum nostrum propiùs attingunt, accedam, quæstionem movet Jos. Scal. de tempore quo primum fidem Christianam acceperunt Abyssini, et statuit non antè Justiniani imperatoris tempora fidem Christi in Æthiopiâ receptam; sic enim scribit de emendat. Temp. l. 7, in notis ad comp. Æthiopicum : « Jactant vetustatem Christianismi à « Candace reginâ et Philippo Apostolo, sed

« id manifestò falsum convincit Ecclesias-
« tica historia; anno enim 25 Justiniani im-
« peratoris Adad, rex Auxumitarum vovit,
« si vinceret Omeritarum vicinorum regem,
« se Christianum factum iri, victo rege Ome-
« ritarum, missis ad Justinianum legatis, impe-
« travit ab eo episcopos, qui primi omnium
« Christianismum in Æthiopiâ publicârunt.
« Adad igitur, Auxumitarum rex, primus in
« Æthiopiâ Christianismum prædicari cu-
« ravit. » Hactenùs Scaliger : undè infert ipsorum versionem Bibliorum recentem esse. In hoc verò vir doctus multùm à vero aberrare videtur; licèt enim concedamus Auxumitas tempore Justiniani ad fidem conversos, quid hoc ad universos Æthiopias, quorum pars minima Auxumitæ, qui cùm non multò anteà ex Arabiâ trajecissent, ubi idololatræ erant (nam Procopii Gazæi tempore nondùm trajecisse ipse Scaliger ibidem observat ex Procop. in 1 Regum), quid mirum eos non anteà fidem recepisse, cùm idololatras multos fuisse inter Æthiopes, imò et adhuc esse in vastissimo illo regno, quod 70 regna continet, extrà controversiam sit, nec omnes populos, qui isto regi subjiciuntur simul ad Christianismum conversos esse quisquam affirmaverit? Ex Actis Apostolorum cap. 18, vers. 27, constat eunuchum Candaces, reginæ Æthiopiæ, per S. Philippum ad fidem conversum primum in Æthiopiâ fidem Christi plantâsse, prout omnes historiæ testantur, nec à fide ipsos defecisse ex ullo probato historico ostendi potest, sed in hunc usque diem in eâdem perseverare. Per Æthiopiam hic intelligit Grotius Meroen, quæ Æthiopiæ accensetur; affirmatque, quòd nomen Candaces ab Augusti ævo ad Vespasianum ad Meroes regiones transiit, ut discimus ex Strabone 17, Plinio 6, 29. Idem scribit quòd probabile sit eunuchum locum legisse in sermone Hebræo quem facilè addiscere potuit à multis Judæis, qui in Æthiopiâ erant, à quibus et religionem acceperat, Grotius Act. 8, 32. Posteà testantur historiæ Ecclesiasticæ S. Thomam Evangelium inter Indos et Æthiopes prædicâsse, cujus vestigia invenerunt Portugalli, cùm in istas oras primùm appulerunt. De eunucho veterum testimonia frequenter occurrunt. Irenæus cap. 12, dicit eum missum esse in regiones Æthiopiæ prædicaturum illis quæ ipse credidit, etc. : *Deum unum per Prophetas prædicatum*, etc. ; *hujus filium mundum fecisse*, etc. *Item in ejus personâ impletum esse quod olim cecinerat David* : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, Psal. 67. Euseb, lib. 2, cap. 1, ad finem imprimis id testatur, et Cyrillus Hieros. Catech. 17. Hieron in Isai 53, scribit eunuchum, ab Apostolo genti Æthiopum missum, etc., undè Epist. 10 : *Ex discipulo fit magister*. Idem scribit Niceph, Hist. l. 2, c. 6, 7. Doroth. in Synop. dicit ipsum per Arabiam Felicem, in insulâ Taprobanâ et in universâ Erythrâ Evangelium prædicâsse : ferunt et martyrium gloriosè tulisse, et ibi sepultum esse. Isai 66, 19, vaticinatur Propheta de conversione Gentium, et inter reliquas Æthiopum, quòd scil. qui evasuri essent cladem, quam Genti Judæorum interminatus est Deus, id est, Apostoli earumque discipuli in Tarshish, Put et Lud qui arcum trahunt, gloriam ipsius inter gentes prædicarent. Hoc verò impletum erat cùm eunuchus reginæ Candaces à Philippo baptizatus inter Æthiopes tanto successu Evangelium prædicavit, ut hodiè post tot secula fides Christi apud eos permanserit. Sic hanc prophetiam explicat Bochartus. His verò temporibus Candaces nomen fuisse reginæ Æthiopum commune, ut Pharaonis regibus Ægyptiis, Ptolemæi iisdem, post Alexandrum Magnum ex Plinio l. 6, c. 29, Strabone l. 17, Dione in Augusto et aliis satis liquet. Ipsorum historiæ, quibus in rebus propriis fides habenda est, cùm non adsunt rationes validæ in contrarium, hoc de ipsorum conversione constanter tradunt; videantur D'Alvares, Damianus à Goes, etc. Cùmque patriarchæ Antiocheno, ubi primus sedit patriarcha S. Marcus, subditi sint, quem in ritibus et religione plerumque sequuntur, eumque agnoscunt (Abunam enim, suum patriarcham, licèt eligant è monachis Abyssinis, qui Hierosolymis degunt, ex ordine S. Antonii, confirmationem tamen petunt à patriarchâ Alexandrino, qui ipsum ad Abyssinos mittit, et regimen animarum eidem mandat); hinc constare potest antè Auxumitarum conversionem inter Æthiopes fidem Christianam viguisse : si enim episcopos misit Justinianus imperator à Constantinopoli, cur jurisdictionem Constantinopolitani vel Antiocheni Patriarchæ non agnoscerent Æthiopes, nisi quòd antè hæc tempora Alexandrino subjiciebantur? Idem ex antiquis ritibus inter Æthiopes, quos ipse Scaliger loco citato adducit, probari potest, ut qui in usu erant diù antè Justinianum, et ipsius tempore exoleverant, qualis fuit Sabbati observatio unà cum die Dominico, cessando ab operibus, quod non Judaismi, sed veteris Christianismi argumentum esse ipse ibidèm fatetur; nam antiquissimi Canones vetant Sabbato opus facere. Idem

observare licet dùm panem vino tinctum in S. Eucharistiâ porrigunt, quod posteriores Canones prohibuêre. Hæc et alia antè Justiniani tempora exoleta fuerunt, licèt propè Apostolorum temporibus et sequentibus seculis ob certas causas in usu erant. Deindè nec sanguinem nec morticinum, etc., comedunt, secundùm Apostolorum Canonem, qui in Actis habetur, qui inter Canones Apostolorum relatus est, Can. 55. Certè hic ritus ab ipsis Apostolorum temporibus fluxit, à quibus vel ab eorum discipulis illum hauserunt, nec poterant ab episcopis inter eos missis seculo Justiniani illum habuisse, cùm diù anteà in Ecclesiis Asiæ et Occidentis mos iste evanuerat; denique ex Constantii epistolâ ad Clerum Alexandrinum contrà Athanasium, quæ exstat in Athan. Apologiâ, constat Athanasium ordinâsse Frumentium, episcopum Auxumitarum, quod clarè probat multò antè Justiniani tempora fidem Christi apud Æthiopes viguisse.

Post eorum conversionem pauca de iis legimus in historiis, cùm loca Æthiopiæ interiora paucissimi Europæorum penetrârint, donec superiori seculo per Portugallensium navigationes detecti 1484, qui in religione Christianos deprehenderunt, et cum Ecclesiâ Alexandrinâ et Ægyptiacâ, quibus contermini sunt, in plerisque communionem fovere, exceptis quibusdam antiquis ritibus et consuetudinibus, quæ ab ipsis Ecclesiæ suæ primordiis constantes retinuêre. Anno 1177, narrat Rogerius in Annalibus Alexandrum Papam 3 litteras scripsisse ad Æthiopum regem precibus Philippi, pontificis Medici, qui in illis partibus peregrinatus esset, et retulisset principem fide Christianum, in aliquibus tamen à Romanis Ecclesiis dissidentem, avidè desiderâsse in omnibus erudiri, et cum Ecclesiâ Romanâ consentire, et Ecclesiam Romæ habere pro suæ gentis hominibus, ubi instrui possent in omnibus quæ posteà in patriâ docerent: constat posteà Ecclesiam Abyssinis datum S. Stephani, quam in hanc diem possident. Portugallensium etiam operâ Pontifici Romano se submiserunt, à quo patriarcham receperunt; nuper tamen ferunt imperatorem cum toto regno à Pontifice defecisse, ejusque jugo excusso in pristinum statum revertisse. Narrat Victorius Reutinus de Regibus Æthiopiæ, anno 1267, Icum Nuambech, de familiâ David, Æthiopicum regnum majoribus suis ereptum, ope optimatum, qui res Sabæ provinciæ procurârunt, recepisse, et ex Auxumâ provinciâ in Sabam transtulisse. Anno 1417, cùm Joan. imperator Græcus et Eugenius Papa de unione consilia inierunt in concilio Ferrariensi, Zarah Jacob, Abyssinorum imperatori ab Eugenio invitatus, legatos ad idem concilium misit. Anno 1515, legatum cum muneribus mittit David, Abyssinorum rex, ad Leonem Pontificem. Anno 1624, à Davide rege et ejus Aviâ ad Clem. Pontificem legati mittuntur, obedientiam promittentes, et benedictionem obsecrantes, Jov. Genebrard., Dam. à Goes.

Æthiopes verò ut Alexandrinum patriarcham agnoscunt, sic ab Ægyptiis in ritibus sacris parùm differre ipsorum Ritualia et Liturgiæ palàm testantur, undè Nicephorus, Zonaras, Chron. Alexandrinum, etc., eamdem faciunt Ecclesiam Ægyptiacam et Æthiopicam. In Liturgiâ enim suâ orant Æthiopes non tantùm pro felici statu Ecclesiæ suæ, regis, principum ac judicum, sed etiam speciatim pro Alexandrino antistite, ut ex verbis Liturgiæ ad finem Novi Test. impressæ, et in bibliothecâ Patrum Lat. patet, pro principe suo, archiepiscoporum suorum principe, et episcoporum magnæ provinciæ Alexandrinæ capite, etc.; posteà subdunt: Pro patriæ nostræ capite venerando archiepiscopo nostro N N. et omnibus episcop s, sacerdotibus et diaconis rectæ fidei. Unà cum Ægyptiis etiam æram martyrum, à Diocletiano in dirâ illâ persecutione occisorum, anno Christi 383, quam vocant *æram gratiæ*, sequuntur, quam linguâ patriâ appellant, nec alio computo utuntur; undè, notante Kirchero, cùm epactas aliosque cyclos investigant, annum gratiæ pro radice computi accipiunt. Nomen illud Scal. dicit se non intelligere lib. 5, de emend., et lib. 7, in notis dictis scribit: *Æthiopes æram Diocletiani quà utuntur appellare annum Gratiæ, se causam appellationis ignorare.* Et in fine fatetur, *se æstuâsse antequàm annos Gratiæ intelligeret*, quæ ejus verba cum aliis, quæ eodem loco ipse scripsit, nescio quo pacto conciliari possunt. Narrat Genebr. anno 1555, Petrum quemdam Æthiopem familiarem fuisse Marcello Papæ, à quo Marianus Victorius, episcopus Reatnus, linguam Æthiopicam didicit anno 1552, institutionibus de eâ editis, nunquàm anteà à Latinis visis.

De linguâ Æthiopum notandum, quod in tàm vasto regno aliter fieri non potest, ipsos varias habere dialectos: lingua verò ipsorum à multis Chaldæa dicitur, ut apud auctorem Chron. Alexandr. Baronium anno 1260, et ann. 134. Scaliger etiam tetsatur *quòd se ap-*

pellant Chaldæos, idque non sine causâ, quia lingua elegantissima et vetustissima, quâ libros sacros et profanos conscriptos habent, proximè abest à Chaldæâ vel Assyriacâ. In alphabeto cum Novo Test. impresso, ut et in Psalterio Æthiopico, se Chaldæos vocant. Waserus in notis ad Gesn. Mithridat. ad cap. 2, scribit linguam eorum proximè abesse à *Chaldæâ* et *Assyriâ* itemque *Hebraicâ*, quam in Æthiopiam intulerunt Christianorum reliquiæ. Affinitatem verò hanc facilè perspiciet, qui versum unum vel alterum Æthiop. Psalmorum vel Nov. Testament. in Bibliis Londin. perlegerit. Multas enim colonias ex Assyriâ in Æthiopiam olim transmigrâsse, quæ et linguam Chaldaicam secum introduxerint, refert Niceph. l. 9, c. 18, ex antiquâ historiâ Ecclesiasticâ, et tempore Justiniani Chaldaicam linguam ipsis in usu fuisse. Denique Marianus Victorius, episc. Reatinus, qui primus Æthiopicam linguam in regulas grammaticæ redegit, quam edidit Romæ, circà annum 1550, quamque posteà recusam ann. 1630, Romæ edidit Achilles Venetius, nomine congregationis *de Propagandâ fide*, in Proœm. dicit, *Æthiopes linguam suam vocare Chaldæam, ut quæ à Chaldæâ Babylonicâ exoriatur, et Hebraicæ quàm similis est, à quâ non secùs quàm Syriaca, Arabica, ac etiam Babylonica, quam etiam Assyriacam appellant, originem ducit*, undè concludit, *facillimè hanc linguam perdisci posse ab eo qui Hebraicam callet.*

Testatur quidem Herodotus, lib. 2, Ammonios, qui Ægyptiorum et Æthiopum erant coloni, linguam inter utrosque mediam usurpâsse. Diod. Sicul., lib. 4, de fabulosis antiquorum gestis, affirmat Æthiopes primùm easdem litteras habuisse cum Ægyptiis, quas sacras et hieroglyphicas vocârunt, quæ variis animantibus, extremitatibusque hominum atque instrumentorum præcipuè artificum persimiles. Hæc verò multis abhinc seculis evanuerunt. Gesn. in Mithrid. p. 62, scribit linguam Indicam, id est, Æthiopicam, Hebraicæ, Chaldaicæ et Arabicæ affinem esse, ut rarò admodùm sit in hâc aliqua dictio, quæ non in illarum aliquâ reperiatur: et hæc sola Orientalium, quæ ex Hebræo originem ducit, legitur nostro modo à sinistrâ ad dexteram. Refert Mariana Victorius tria apud ipsos esse linguarum genera, vel potiùs dialectos, vernaculam, Babylonicam, et sanctam sive liberam, quarum exemplum dat in hoc verbo, Panis, quem linguâ maternâ vocant: Babylonica; sanctâ verò ac liberâ, Babylonicam illam explicat hram. p. 43, esse floridum et ornatum dicendi genus quod omnes modos et omnia tempora habet, et in quâ multa elegantissima, ut dicunt, tùm nomina tùm verba reperiuntur, et p. 43, dicit phrasin esse nitidam ac politam, non secùs ac apud nos Ciceronianam, quòdque ea non plebs ac vulgus, sed elegantiores utantur, tùm ad solutam orationem, tùm ad carminum compositionem, vocantque à tabernaculis, ut aiunt, Babylonicum hoc idioma, differtque ab eo, quo omnes utuntur, et ab eo etiam, quo sacræ litteræ descriptæ sunt, et p. 8, refert characteres alios ipsos habere pro hâc linguâ, nobis hodiè incognitos, utpotè qui nullam de eo in S. litteris mentionem habemus.

Præter hanc alias duas linguas vel potiùs dialectos habent, quarum characteres diversi, de quibus Kirkerus, ex sacerdotum Abyssinorum, qui Romæ sunt, relatione et alii: unam vocant sanctam, Surianam et antiquam, quia volumina sacra olim conscripta sunt charactere Suriano vel Sancto, sacerdotibus solis et doctioribus noto, undè et inter ipsos pro linguâ doctâ habetur, et vocârunt sanctam, quia Christo erat vernacula. Hic verò character idem est cum eo, quem vocamus *estrangelum*, quo Syri hodiè utuntur in librorum inscriptionibus, qui respondet litteris nostris capitalibus, à quibus deducti reliqui Syrorum characteres ordinarii. Hic verò character ipsis hodiè in usu non est. E Syriâ in Ægyptum et Æthiopiam, utpotè confines regiones traductas esse colonias, et linguæ Syræ et characterum fuisse traditrices affirmat Kirker. Prodr. Copt. c. 3, p. 46. Altera est vulgaris et communis, quâ in hunc diem Abyssini omnes utuntur, quâ etiam impressa habemus Psalterium Æthiopicum, Cant. et Nov. Testamentum, hanc verò vocant *gheez*, id est, *liberam*, quòd à nullâ aliâ linguâ originem duxerit, et huic linguæ propiùs est hic character, qui hodiè vulgaris est, et qui in Alphabetis ubique conspicitur. Priorem verò vocant Chaldæam et Assyriam. Tabulam confecit Postellus vocum, quæ eædem sunt Hebraicè et Æthiopicè, eisdem litteris et eâdem significatione, quarum multæ in Lexico Wemmer exstant, licèt et multa sint vocabula Æthiopica ab ipso omissa, ut à viris doctis observandum est. Hæc quidem obscurè admodùm et perplexè scripta invenimus ab iis, qui linguæ hujus peritiam profitentur, linguam enim sanctam et Surianam modò à vernaculâ, quam ghees sive *liberam* vocant, ut diversam videntur distinguere, mo-

dò cum eâdem confundunt, modò Scripturam in illâ Surianâ et sanctâ, modò in vernaculâ sivè liberâ scriptam volunt. Hoc verò ex libris Æthiopicis impressis constat, Novum Testamentum, Psalmos etc., scripta esse linguâ illâ, quam ghees sive liberam vocant; sic enim disertè affirmatur in Titulo Nov. Test. Romæ à Petro Æthiope edito.

Ex ipsâ versione constat, multa vocabula Novi Testamenti, quod scriptum esse dicitur linguâ ghees sive *liberâ*, esse Hebraica, multa Chaldaica, Arabica quædam, plurima tamen alterius planè linguæ quæ ad Heb. Chald. vel Arabicam referri non possunt, quamque vernaculam esse existimamus. Lingua ergò illa non est ità dicta, quasi à nullâ aliâ originem duxerit, saltem quoad integram ejus naturam, cùm multa sint vocabula, quæ ad origines Hebraicas, Chaldaicas et Arabicas referuntur; nec versio Æthiopica quam habemus facta est in purè vernaculâ sive ghees, nisi dicamus vernaculam mixtam esse cum Heb. Chald. et Arabicâ.

Linguam illam, quâ in sacris utuntur, elegantissimam esse affirmat Scaliger, quod quidem verum esse facilè deprehenditur, et in multis etiam adventitiam esse, et à nativâ Æthiopum linguam differre. Quod verò Æthiopes aliquandò etiam Indos, et eorum lingua Indam vocari legimus, hoc indè fit, quòd olim Æthiopia sub Indiæ nomine à veteribus scriptoribus comprehensa sit, undè apud poetam Nilus ab Indis fluere dicitur, ut et apud Procopium lib. 6. Sic Ælian. lib. 17, Æthiopes vocat Indos. Marcellinus Gomes, Indict. 4, Coss. Paulo solo, dicit Anastasio principi elephantem, etc., ex Indiâ missum, i. e. ex Æthiopiâ. Panegyristes etiam hæc habet : *Dent veniam trophæa Niliaca, sub quibus Æthiops et Indus intremuit.* Vide Scal. Inda itaque non dicitur, quasi hæc cum Indorum propriè dictorum linguâ eadem sit, sed ob causam jam dictam. Sebast. Munsterus in Gram. Chald. notat « duplicem esse Indiam, unam « Orientalem, quæ scilicet in Asiâ extremum « occupat locum, cujus linguam et litteras omninò ignoramus; alia est meridionalis, in « Africâ scilicet sita, quæ ad orientem habet « mare Rubrum, Arabiæ Felici contermina, « nisi quòd Arabicus sinus interfluit; porrò « ad septentrionem jungitur Ægypto, et ad « occidentem Æthiopiæ. — Hodiè Abasini et « Indi Indiani appellantur, etc. Ad hos itaque « homines dictam spectare linguam non modò « testatur, quem de Hierosolymis hic Romæ « homines Indos convenisse et alphabet « eorum libris descripsisse fatentur. » Posteà apponit ex hâc linguâ et Chaldaicâ vocabula quædam cum interpretatione Latinâ, ut harum linguarum affinitas et diversitas clarissimè pateat.

Indica.	Chaldæa.	Latina.
Loboi,	*Lebbi.*	*Cor meum.*
Zadok.	*Zaddika.*	*Justus.*
Anta.	*Ante.*	*In.*
Modorna.	*Aromana.*	*Terra nostra.*
Basam.	*Betscham.*	*Pinge.*
Boosi.	*Gabra.*	*Vir.*
Amolacha.	*Elaha.*	*Deus.*
Dubra.	*Thura.*	*Mons.*
Saboo.	*Enochi.*	*Homo.*
Obolo.	*Lachme.*	*Panis.*
Jon.	*Chamra.*	*Vinum.*
Beta.	*Beta.*	*Domus.*
Gaburcha.	*Thadra.*	*Fecisti.*
Saburca.	*Tebarta.*	*Fregisti.*

Tunc hæc subdit : « Hinc facilè est judicare « linguam, quam Indianam vocant, non esse « Chaldaicam, nisi contrà claram Scripturam « sentire velis Danielem, Jonathan, Onkelosum et reliquos interpretes non Chaldaicè « sed fortè Calicuticè scripsisse. Est igitur lingua propria et suæ genti peculiaris, nunc « quidem cum Chaldaismo, nunc cum Hebraismo nonnihil habens affinitatis, sed plus « cum utrâque diversitatis; proindè mihi videtur, si in sensu meo abundare permittar, « eam Æthiopum esse linguam, sicut et Abyssini ipsi non admodùm ab Æthiopibus differre dicuntur; quanquàm non nesciam ipsos « Judæos in suo Haruch eam vocare linguam « Ismaeliticam. »

De versione Scripturæ Æthiopicæ pauca dicam, cùm totam non habeamus, et pauci sint, qui de hâc versione vel linguæ ejus utilitate aliquid scriptum reliquerunt.

Constat apud Æthiopes totam Scripturam linguâ ipsorum, quam Chaldæam et ghees sive liberam vocant esse descriptam; licèt enim tantùm Psalmorum liber et Novum Testamentum typis apud nos edantur, cum Cantico canticorum et canticis sacris quibusdam aliis, tamen totam eos habere Scripturam, tàm Veteris quàm Novi Testamenti satis exploratum et certum est, totamque sperabam me in hisce Bibliis in lucem editurum, si promissis stetissent qui exemplaria perfecta Æthiopic

mihi promiserant. Habuit doctissimus Gaulminus in Galliâ universum Vetus Testamentum Æthiopicum, quod de ope D. Bigo, viri undequâque doctissimi, consecutus essem, nisi quòd exemplar ipsum serenissimæ reginæ Suecorum commodatum et in ipsius bibliothecâ repositum, fortuitò an fraude alicujus nescio amissum, haberi non poterat.

Habemus Psalmorum librum cum Cantico canticorum aliisque sacris canticis characteribus Æthiopicis editum primò Romæ anno 1513, posteà Coloniæ anno 1518, per Potkenium præpositum Ecclesiæ S. Georgii apud Colon., qui etiam ad finem alphabetum Æthiopicum cum paucis lectionem et pronunciationem spectantibus adjecit. Exemplar etiam MS. Psalmorum Æthiopicum habui à D. Pocockio accuratè scriptum, ex quo errata, quæ in codicibus Romæ et Coloniæ impressis quàm plurima occurrunt, correcta et emendata. Novum verò Testamentum edidit frater Petrus Æthiops, Pontifici Leoni X, ut dixi carus, auxilio, ut ipse loquitur, piorum Romæ, anno 1548, Paulo tertio Pontifice et Claudio Abyssinorum imperatore. Primò verò Evangelia 4 excuderunt cum Eusebii Canonibus concordantiarum et Epistolis Sancti Pauli, Epist. ad Hebræos, Apocalypsi et, quæ ultimo loco ponuntur, Actis Apostolorum. Ad finem etiam Missale Æthiopicum sivè Liturgiam adjunxerunt, cujus in bibliothecâ Patrum habemus Latinam versionem; post triennium etiam Epistolas reliquas idem edidit: undè est quòd in plerisque codicibus desunt Epistolæ catholicæ. In exemplaribus quibus usus sum desiderabantur, et postquàm illas diù frustrà quæsieram, tandem à doctissimo D. Hardie, Parisiis, perfectum exemplar nactus sum. Cùm verò nihil unquàm in hoc genere typis anteà evulgatum esset, non mirandum est nævos multos et errata plurima occurrere, quæ in editione Londinensi, ni fallor, emendata sunt.

Ex iis, quæ edita habemus, liquet Vetus Testamentum apud eos ex Græcâ 72 interpretum versione traductum esse, quam, ut ab Apostolis traditam, in summo honore Ecclesiæ temporibus fuisse nemo est qui ignorat, undè est, quòd Psalterii in Bibliis nostris versionem Latinam aliam non dedimus præter illam quæ Græcæ respondet; ubi tamen à Græcâ discrepat Æthiopica, discrepantiam Latinè exprimi curavimus. Quod ad Nov. Test. attinet, mihi videtur ex Græco codice expressum esse, non ex Syro, quod autumant quidam : nam qui Syrum cum Æthiopico conferet, planè percipiet magnum ubique inter eos discrimen, et sæpissimè à Syro Æthiopicum recedere tùm verbis, tùm sensu : hoc tamen notandum, in multis cum Syro convenire, ut in Doxologiâ ad finem Orat. Dom. Matth. 6, quæ in Syro et Æthiopico habetur, at in Vulgatâ Latinâ, Arab. ut et in omnibus ferè Græcis codicibus antiquioribus deest. Matth. 22, 27, hæc verba : *et in omni virtute tuâ*, adduntur à Syro et Æthiop. Cap. 23, 8, non legunt ὁ Χριστός Æthiopicus cum Syro et Vulgat. Matt. 22, 23, verba reddit planè ut Syrus. Sic Act. 5, 37, versiculus integer ut in Syro, sic in Æthiopico deest, et 1 Joan. 5, 7, versus ille, quem in plurimis codicibus Græcis antiquis non exstitisse notatum est apud veteres, nec in Syro, nec in Æthiopico exemplari apparet. Quod mihi probabile reddit, non unum ex altero expressum, sed utrumque ex antiquo aliquo codice, qui in hisce ab aliis diversus erat, factum fuisse, quod utriusque antiquitatem probat. Matth. 27, 49, addit Æthiop. ex Joanne : *Et alius rursùs accepit lanceam, et confodit eâ latus ejus, et effluxit sanguis et aqua*, quæ non in Syr. Arab. vel Vulgatâ Latinâ leguntur. Beza tamen in duobus vetustis cod. Græcis ità legi notat. V. 56, addit: *Et Maria quæ Jacobi, et mater Joseph*, quæ solùm in Evangelio Hebr. habentur. V. 53, cum Arabe consentit addendo : *postquàm resurrexissent*, etc., et hoc observandum versionem hanc textum satis fideliter plerumque reddere, verumque ejus sensum exprimere, obscura quoque loca illustrare, ità ut ex hujus cum antiquis collatione multùm lucis textui oriri possit, undè temeraria et injusta videtur Jos. Scaligeri de hâc versione, quam vix satis intellexit, censura, cùm scribit, pessimâ fide eorum libros traductos esse, et malam fidem in Epistol. Pauli reperiri, in quibus vix tria commata continua reperies, in quibus aut verba aut sensus Apostoli reddita sint, quod qui Epistolas diligenter contulerit cum versione nostrâ Latinâ, aliter se habere deprehendet.

De Actis Apostolorum, innuere videtur, qui ea edidit, se secundùm Vulgatam Latinam transtulisse, quod Scaliger affirmat etiam vel puero ex innumeris locis colligere haud difficile fore, cùm tamen hunc librum conferenti apertè constet Vulgatam non exprimere magis quàm Syriacam, vel aliam versionem, imò in quibusdam à Vulgatâ planè variare, verba addendo vel omittendo et aliquandò sensum planè alium reddendo. Verba etiam quæ ad finem Actuum Apostolorum in edit. Æthiop.

adduntur malâ fide recitat Scaliger, quæ verbatim reddita ità sonant : « Hic absoluta sunt « Acta Apostolorum, quorum preces et bene- « dictiones sint cum scriptore Tispha Zion et « cum plurimis illorum interpretibus, cum « S. Joanne præfecto (vel dictatore), et cum « omnibus nostris baptismi filiis in secula se- « culorum, Amen. Iste Actus Apostolorum, « cujus Romæ multæ sunt translationes, La- « tinæ Græcæque conformem fecimus (vel « contulimus) exemplari Æthiopico, Patris « causâ : si qua omisimus addidimusve, con- « donate nobis et vosmet corrigite, quippe « hæc non confecimus ob gloriationem aut « quæstum, sed propter Deum, cujus causam « habent : sumus enim omnes filii Abunæ « Tecla Haimanoth.» Ex quibus verbis clarè constat Æthiopes istos exemplar Æthiopicum secutos esse in editione suâ, non verò Vulgatam Latinam, licèt Latinam cum Græcâ aliasque versiones contulerint. Prætereà in Actis, ut in reliquo Testamento, lectiones Scripturæ notantur pro diebus festis secundùm usum Ecclesiarum Æthiopicarum non Latinarum, ut Act. 2, 22, lectio in lampadibus Paschatis et in cruce, Act. 3, 12, lectio in lampadibus Paschatis, Act. 4, 1, in die festo Paschatis lectio, etc., quæ indicare videntur eos exemplare Æthiopicum secutos fuisse tàm in Actis quàm in libris reliquis. Quid itaque dicendum de ipsius interpretis aut editoris verbis, quæ adfert Lud. De Dieu in Appendice ad Evang. Matth., ubi adducit verba auctorum (ut ipse existimat) translationis hujus Æthiopicæ ad finem Evangelii S. Matth.« Propter Patrem et « Filium et Spirit. Sanct. et propter electos, et « indutos cruce, lectores hujus libri, memores « estote nostrî in precibus vestris sanctis, fra- « trum vestrorum exspectantium spem resur- « rectionis filii, et ternarii, Petri, Pauli et « Bernardini (nam omnes nos filii Abuna su- « mus, planta fidei montis Libanon). Labora- « vimus in hoc libro afflictione magnâ; » undè notat L. De Dieu « Abyssinos sive Æthiopes pa- « triarcham suum non alio nomine quàm » Abuna, i. e. *Pater noster,* nuncupare; quòd au- « tem se dicant plantam fidei montis Libanon, « significat derivatam ad ipsos fidem à Syris « Christianis, qui montem Libanon incolunt. « Suspicatur etiam cautionis gratiâ id expres- « sum, ut constet ex illorum numero eos esse, « qui Maronitas montis Libani secuti Pontifici « Romano se subjecerunt, quod à Maronitis « istius montis 1182 factum ex Setho Calvi- « sio didicimus, atque indè de antiquitate et « auctoritate hujus translationis non obscu- « rum judicium fieri potest.» Hactenùs L. De Dieu. At primò fallitur vir doctus dùm auctores translationis facit eos, qui ipsam Romæ ediderunt, et typis excudi curârunt; in editione enim tantùm, non in versione laborârunt Petrus Æthiops cum sociis Paulo et Bernardino : quod et ex lectionibus diebus festis observatis, et ubique notatis in hâc versione, constat; hoc enim planè ostendit ipsos versionem apud Ecclesias suas usurpatam edidisse, non novam condidisse, quæ sanè nulli usui inserviisset. Quod verò dicunt se Æthiopes esse et *filios Abuna et plantam de monte Libanon*, multùm errat vir doctus in verborum translatione, cùm alium planè sensum habeant, nec per *plantam fidei ex monte Libanon* reddi possunt, sed proprium nomen Abuna exprimunt, et ità reddi debent : *Sumus enim nos omnes filii Abuna Tecla Haimanoth montis Libani*, quæ eadem verba ad finem S. Matthæi, et ad finem Actuum habentur, undè omnia, quæ ex his verbis deducit De Dieu, sublato hoc fundamento currunt.

De antiquitate hujus versionis non possum Scaligero subscribere, qui vult recentem esse, et antè Justiniani tempora fidem Æthiopibus non prædicatam fuisse magnâ fiduciâ affirmat; cùm verò hoc manifestè falsum esse, et omnibus antiquis scriptoribus contraire suprà ostendimus, etiam et hoc de ipsâ translatione à vero alienum esse statuimus : si enim fides Christiana ab ipsis Apostolorum temporibus ab ipsis recepta fuit, quod suprà evicimus, cùmque primis illis temporibus omnes ferè nationes Scripturam in linguam suam conversam habuerint, hinc sanè probabile videtur à primis nascentis Ecclesiæ Æthiopum incunabulis versionis hujus originem accersendam esse. Ideò ab exemplaribus Græcis antiquis, à proximis Apostolorum temporibus translationem hanc derivatam esse probabiliter colligitur. Hoc enim manifestum est magnæ antiquitatis argumentum quod cum antiquis Græcis exemplaribus in multis locis concordat, ubi aliter hodiè legunt codices Græci, ut ex variis nostris lectionibus Græcis liquet. Festa autem quorum ex Scripturâ lectiones annotantur, non in omnibus ejusdem cum textu antiquitatis sunt, cùm illorum multa temporibus posterioribus inserta sint, ut in Syriaco textu videmus, qui tamen fatentibus plerisque non multùm post Apostolorum tempora conscriptus est. Consuetudinem tamen hanc dierum festorum in genere antiquissimam esse, et catholicâ tradi-

tione niti, hinc contrà Novatores nostros sectarios planè constat, cùm in omnibus per Asiam Orientis Ecclesiis, ut ex versione Syriacâ et Arabicâ perspicimus, etiam in Æthiopicis per Africam, ut et Latinis per Europam, hanc consuetudinem obtinuisse clarum sit: qui quidem consensus orbis Christiani necessariò probat hoc ex aliquâ auctoritate, quæ totam Ecclesiam obligare posset, ortum fuisse; cùmque in conciliis generalibus hoc non primò constitutum, sed semper supponi videamus, nec in Scripturis expressè mandatum, non ex alio fonte, quàm ex Apostolicâ traditione profluxisse manifestum est, ut longè antehàc S. Augustinus de talibus ritibus pronunciavit.

Ut verò iis, quæ à Lud. De Dieu et à Scaligero dicuntur de hâc versione (quasi, scil. à Petro ejusque sòciis primò confecta fuerit, qui eam Romæ ediderunt, et quod recens sit) fides à credulis non adhibeatur, placuit verba quæ ad finem Evangeliorum adjiciuntur ex Æthiopico exemplari Latinè reddita hìc adscribere: verba enim quæ ad finem Actuum habentur suprà retulimus.

Ad finem Matthæi: « Propter Patrem et Filium et Spiritum sanctum, propter electos « et indutos cruce, lectores hujus libri, memores estote nostrî in precibus vestris sanctis, fratrum vestrorum Tispha Zion Melzazo, « Tansa Wald et ternarii, Petri, Pauli, et « Bernardini; sumus enim nos omnes filii « Abuna Tecla Haimanoth montis Libani: « elaboravimus hunc librum afflictione magnâ. »

Ad finem Marci: « Memores estote Petri et « Pauli, qui nobis propter Deum opitulati sunt, « et nostrî memores estote in precibus vestris, « laborum scil. nostrorum ob hunc librum. « In multâ afflictione elaboravimus 500 novos « libros juxtà beneplacitum Dei: Ei et Trinitati ejus convenit laus. Amen. »

Ad finem Lucæ: « Benedictus sit Dominus « qui ad gratiam recordari vos fecit, ut agnoscatis gratiam Domini nostri Jesus Christi; « pauper ego et despectus juxtà ritus Patrum « meorum, peregrinus Jerusalem etiam adivi « civitatem Romæ, atque mecum frater meus « Tansa Wald, eò quòd non attenderemus « verba eorum atque mores. Et Romanenses « admodùm benigni sunt, ut et Pontifex eorum Maximus, et omnium Christianorum « antistites, qui recti sunt fide, cujus nomen « est Paulus tertius Farnesius. Finita sunt « verba Evangelii, et beneplacitum Dei habent, « qui in præceptis atque ritibus ejus ambulant. Diligant, miscreanturque nostrî omnes boni, quorum ope confecimus hanc impressionem, et 500 libros consignavimus. « Memores estote nostrî, vos omnes Ecclesiæ « Christianæ Æthiopicæ, eorumque etiam memores qui in sorore sunt rectæ fidei. Sumus « cum Romanensibus nos viri Æthiopiæ, teste « Spiritu Sancto. »

Ad finem Joan.: « Benedictus sit Deus, « qui auxiliatus est nobis in Evangeliorum impressione absolvendâ: eum denuò obtestamur, ut reliquos etiam libros nobis manifestet, cui laus. Amen. Agite nunc, defleamus « apud Creatorem atque Dominum nostrum « cum Jeremiâ Lamentationum peritissimo, « tempore calamitatis filiorum Israel per manus Nabuchodonosor; adeò ut obliti sint festorum atque rituum suorum, diripiente illo « domum Dei ipsorum, atque libros eorum, « utpotè inutiles, comburente: par est, ut « nos etiam lugeremus miserandam captivitatem hominum nostrorum et mulierum. » Quæ de afflictione magnâ et persecutione habentur, intelligenda sunt de invasione Æthiopum per Arabes Muhamedanos tunc temporis factâ, qui omnia vastârunt, Ecclesias, urbes, et pagos ubique combusserunt, et Æthiopes plurimos captivos abduxerunt. Ex his verò clariùs constat, Petrum et ejus socios, non fuisse auctores versionis Æthiopicæ, sed eam typis primùm edidisse, ipsamque versionem multò antiquiorem esse.

Caput xij.

DE LINGUA PERSICA ET SCRITURÆ VERSIONIBUS PERSICIS.

Apud sacros scriptores, qui antè Cyri tempora scripserunt, nulla est Persarum mentio; at in libris Danielis, Ezech. Esdræ, Nehem. Estheris et Chronic., quorum scriptores Cyru

coævi erant, vel post ipsum vixerunt, frequenter Persarum nomen occurrit.

De linguâ Persarum legimus Act. 2, inter alias nationes quæ Hierosolymis confluxerant festo Pentecostes, fuisse et Persas, qui Apostolos (dono linguarum cœlitùs collato) audierunt suâ linguâ τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ loquentes. Cùm verò varias subierit mutationes hæc regio, dùm sub imperio Græcorum, Romanorum, Sarracenorum, Turcarum, etc., fuerit, dubitatio oritur de linguâ Persicâ, an post tot mutationes adhuc superstes sit, an verò perierit prorsùs. Undè fit, quòd tot vocabula Persica sint, quæ prorsùs Germanica et Anglica sunt eâdem significatione. De primâ sciendum est, in Persicâ hodiernâ magnam esse mixturam vocabulorum, ex gentium varietate, quæ in Persiam variis temporibus irruperunt, Græcorum, Romanorum, Arabum, Turcarum, Tartarorum sub Temberlane, etc. Maxima tamen pars est Arabicorum et Turcicorum : quasdam tamen esse reliquias veteris sermonis Persici inter veteres auctores, quæ adhuc inter Persas servantur, quorum quædam collegit Gesnerus in Mithridate, plura Waserus in notis suis ad Mithridatem pag. 127. Multa interpretatur Andreas Bellavicensis in Glossis Avicennæ, omnia ferè Guil. Burtonus in Vet. linguæ Persicæ Δειψάνοις, quæ apud priscos auctores reperiuntur. Ex quibus constat veterem Persarum linguam non prorsùs exstinctam esse, licèt alienarum vocum colluvie ferè sepulta sit. Arabes verò ut religionem, sic characteres Persis dedêre, victorum more, unà cum linguâ suâ propagatos : undè, quisnam fuerit antiquus character, ignoratur.

De secundâ observârunt plures, voces quàm plurimas Persicas cum Germanicis et Anglicis prorsùs eodem sensu, et litterarum ferè numero occurrere. Multas collegit Lipsius Epistolarum Cent. 3, ad Belg., Epist. 44, ut et doctiss. noster Joan. Gravius ad finem Grammat. suæ Persicæ.

Versiones Scripturæ, vel quarumdam ejus partium, quæ in persicâ linguâ exstant, nemo negabit maximè utiles esse. Olim habuisse Persas totam Scripturam in linguam suam versam, ex veterum scriptis abundè liquet : quod ex Theodoreto et aliis suprà ostendimus. Licèt enim de generali totius gentis conversione nihil legimus (nullum enim regum Persarum Christianum fuisse ex historiis constat, fidem tamen Christianam multùm propagatam et publicè toleratam ibi fuisse, multasque Ecclesias ibi fundatas, episcoposque plurimos martyrio celebres fuisse, ex historiâ Ecclesiasticâ certum est. Inter alios, episcopum quemdam Persam concilio Nicæno interfuisse, constat ex Eusebio in vitâ Constantini, 3, 7. Ecclesiæ etiam Antiochenæ Persia subdita erat. De persecutione Saporis, regis Persarum, Magorum incitatione, qui gentis idololatriam propugnare studebant contrà Christianos, latè scribunt Sozom. lib. 2, c. 8, et seq. Hieron. in Chron. Theod. lib. 1, c. 24. Cedren. in Compend. anno 21 Constantini, scil. quòd Ecclesiis dirutis, Simeon, Seleuciæ et Ctesiphonis primariæ civitatis archiepiscopus, Ustuzan, eunuchorum princeps, et præter eos centum episcopi, cum multis sacerdotibus et diversorum ordinum clericis, martyrio coronati fuerint anno Christi 343. Posteà verò Ecclesia sub Isdegerdi sive Vararim propâgata fuit anno Christi 420, cùm Theodosius junior pro ejus defensione bellum contrà Persarum regem suscepit. Chosroes etiam anno 622, ut Heraclio imperatori rem molestam faceret, Christianorum Ecclesias omnes per suum regnum donis et donariis spoliavit, omnesque Christianos vi et minis ad Nestorianorum errores amplectendos coegit; ut vindictam non tantùm in eorum corpora, sed etiam animas exerceret : donec tandem Deus vindex, Persarum peccatis ad summum perductis, imperio eorum terminum imposuerit, regno Arabibus delato, qui novâ superstitione Muhamedis invecta, in corpora et animas Persarum tyrannidem exercebant. Cùm verò tot inter Persas essent Ecclesiarum principes, tantusque Christianorum numerus, quis credet ipsos Scripturas in propriâ linguâ non habuisse? præsertìm cùm in omnibus ferè gentibus hisce temporibus hoc in usu fuerit; et de Persiâ nominatìm idem testantur Theodoretus, Hieronymus, et alii quos suprà adduximus. An verò reliquiæ aliquæ antiquæ versionis Persicæ adhuc exstent, multùm dubitatur. Versiones enim, quas jam habemus, Peutateuchi scil., Psalmorum et Evangeliorum, de quibus jam dicendum, recentiores esse non diffitemur.

Pentateuchum Persicè transtulit Jacobus Tawosus, vel, ut alii, Tavusius aut Tusius Judæus, ab urbe Tus, academiâ celebri, denominatus, ex textu Hebræo, in usum Judæorum in Persiâ degentium, quem typis ediderunt Judæi, sed charactere Hebræo, Constantinopoli centum abhìnc annis, scil. anno Christi 1551, unà cum textu Hebræo et Onkelosi et Saadiæ versionibus, singulis in eâdem paginâ, ut sibi invicem respondeant, ordine dispositis.

Hanc, cùm Pentateuchus ille Constantinopolitanus rarus sit, in Appendice nostrâ ad tomum quartum exhibemus characteribus Persicis cum versione Latinâ, quæ antehàc non exstabat. Ex hujus verò paraphrasis cum aliis versionibus collatione, multùm utilitatis exsurgere facilè perspicet lector Christianus, cùm textum Hebræum plerumque feliciter exprimat, veramque lectionem locique sensum consensu suo corroborat. Vaticinium Jacob de venturo Christo, cùm sceptrum de Judâ auferretur, de Messiâ planè explicat; non, ad morem Rabbinorum quorumdam, in alienos sensus detorquet : undè insolubile argumentum contrà Judæos, ad probandum Messiam jam venisse, depromitur : loca tamen quædam obscura et difficilia non vertit, sed verbis Hebraicis exprimit, ut videre licet Levit 8, 8, ubi retinet voces Hebræas *Urim et Thummim;* de quarum sensu multa disputant interpretes. Avium et bestiarum, quæ nobis ignota sunt, nomina planè omittit, quæ in nostrâ tamen Editione exprimuntur.

Psalmorum exemplaria MSS. Persica habui : unum doctissimi viri, et linguarum orientalium callentissimi, D. Thomæ Gravii, quod ex Oriente attulit frater ejus ejusdem generis litteraturâ clarus, Joannes Gravius ὁ μακαρίτης; alterum ex bibliothecâ celeberrimâ Oxoniensi, quod inter innumeros alios libros orientales eidem dedit reverend. Guil. Laud, nuper archiepisc. Cantuariensis, totius Angl. primus, qui hoc unicè in votis habuit, ut Ecclesiæ et reipub. litterariæ bonum promoveret. Horum verò neutrum in hâc editione exhibetur; quod licèt diversæ planè sint versiones, utraque tamen valdè recens. Una studio Lusitani cujusdam fratris Carmelitæ in civitate Sphahanensi elaborata est, ut ex initio libri liquet; et in calce libri additur annus, quo absoluta erat hæc versio, scil. Hegiræ 1028, i. e. æræ Christianæ 1618. Alteram à Jesuitis quibusdam factam, ut libri titulus indicat, deprehendimus. Plurimis erroribus et solœcismis utraque scatet : nec ex Hebræo fonte traductæ, sed ex Vulgatâ Latinâ, cujus vestigia exactè premunt. Inter multos errores unum hunc nominare sufficiat, qui nullo modo excusari potest, sed insignem inscitiam, vel oscitantiam, vel audaciam interpretis prodit. Psal. 139, juxtà Hebr. 15, verba Hebr. עצמי ממך לא נכחד, quæ reddit Vulgata ut et 70 : *Non est occultatum os meum à te*, Persici isti interpretes utrique solam Vulgatam consulentes, illud *os* non pro *osse*, sed pro *ore* accipientes, ità Persice reddiderunt, ut lectori risum moveant, cùm tamen Augustinus multis antehàc seculis, lib. 3 de doctrinâ Christianâ, c. 31, ipsos ut errorem hunc fugerent monuerit, ubi de his verbis agens, docet, « in Latinâ « illud *os* ambiguum esse, sed ex Græco am- « biguitatem tolli, ubi legitur non στόμα sed « ὀστέον. Undè, tùm eo loco, tùm alibi, l. 3, c. « 11, linguarum scientiam necessariam esse « ad Scripturæ cognitionem, et contrà errores « magnum remedium esse affirmat. »

Evangeliorum versiones duas habuimus : prioris exemplaria duo; unum academiæ Cantabrigiensis, alterum Oxoniensis; secundæ unicum, clarissimi D. Pocockii. Harum primam, exemplaribus inter se collatis, et quibusdam indè notatis, imprimere cœperat D. Abrahamus Whelocus, in Acad. Cantab. nuper Arabicæ linguæ professor, cum Latinâ versione : quæ post ipsius obitum integra prodiit sumptibus viri optimi, et de litteris orientalibus benè meriti, D. Adams, civis Londinensis. Secundam, quam omnium antiquissimam et optimam judicavimus, inter reliquas versiones tomo quinto hujus operis inseruimus, unà cum versione Latinâ, viri doctissimi D. Sam. clerici. De quâ hæc pauca annotare licet : 1° Descriptam fuisse trecentis abhinc annis, ut ex verbis quibusdam ad finem libri colligitur. Verba ex Persico translata ità se habent : « Absoluta sunt « quatuor Evangelia gloriosa Matthæi, Marci, « Lucæ, Joannis, in urbe Christianis habi- « tatâ Caffa, die tertio septimanæ, precibus « secundis peractis, nono mensis Tamuzi, qui « Latinè dicitur Julius, anno 1341 Christi « Messiæ, per manum imbecillimi populi Dei. « Simon Ibn Joseph, Ibn Abraham Altabrizi « Deus timentium (suî, id est Christianorum) « misericordiâ et providentiâ suâ misereatur : « ut cùm hoc Evangelium legerint vel audie- « rint, *Pater noster* et *Ave Maria* pro scri- « ptore paupere legant, ut ipsi etiam per mise- « ricordiam divinam condenetur. Amen. Et « scriptum fuit per mandatum et consilium « domini et regis sui (qui gloria magnatum « et mercatorum, decus populi Christi), amici « et fratris Ecclesiæ puræ, domini et princi- « pis Ibn Sahm Addaula Ibn Scirana, cogno- « minati Teflizi. Propitius sit ei Deus et pa- « rentibus ejus. Amen. » 2° Quòd ex textu Syriaco, non verò immediatè ex Græco, traducta sit : undè plurimæ voces Syriacæ occurrunt, quarum interpretationem subjungit interpres Persicus : quod sane magnam Syriacæ versionis auctoritatem indicat, cùm ut suprà de

versione Armenâ ex Gregorio Syro notavimus, hanc quasi normam et regulam aliarum versionum æstimârunt Orientales omnes. 3° Aliquandò seipsum interpretari interpretem Persicum, cùm non tantùm peregrina, sed etiam verba Persica per alia etiam Persica, sed notiora et magis usitata, explicat. 4° Arabicas etiam voces, quæ apud Persas familiares, retinere, et interdùm interpretari, interdùm non, ut satis apud Persas notas. 5° Sæpè etiam quædam explicationis gratiâ addere, et paraphrasten potiùs quam interpretem agere, ità ut in aliquibus vice commentarii hæc versio esse possit. Hinc sæpè verba ἰσοδύναμα conjungit, quorum unum tantùm exemplaria Græca et Syr. habent, ut Matth. cap. 6, 13, *Serva et libera*, c. 6, 11, 13, *Dæmonia ejicite et fugate*, c. 10, 14, *Pacem et tranquillitatem*, et v. 21, *mentem puram* et *Spiritum Sanctum* conjungit; et Marc. 1, 10, *Spiritus Sanctus*, 1, *mens pura*. Hæc et alia ejusmodi lectori occurrunt, de quibus hic breviter monere sufficit.

MONITUM.

Renaldoti Dissertationes quas hic typis cudendas curamus in Bibliothecâ Regiâ Parisiorum usque ad hanc diem latuerunt manuscriptæ. Occasionem alacres arripuimus eas è tenebris educendi ut latè et palàm honore merito fruantur, præsertìm cùm Valtoni non modò sint complementum, sed et in quibusdam emendatio. Nulli sanè magis competebat eruditissima *Polyglottorum Londinensium Prolegomena* judicare, in iis præcipuè quæ ad versiones orientales spectant. Renaldoti igitur dissertationes, notarum quas hic illic Valtono potuissemus subjicere vices cò aptiùs usurpabunt, quòd scientia hodierna vix ad hoc altitudinis pervenerit, quò eam in auctoris nostri manuscriptis evectam miramur.

RENALDOTI VITA.

Renaldotus, gallicè Renaudot (Eusebius) natus est Parisiis anno Domini 1646. In Jesuitarum collegio primis imbutus est scientiarum rudimentis, humanioribusque litteris indulsit, professore P. Darot, quocum posteà tantâ devinctus est familiaritate, ut hebdomariè ad minimum sese mutuò inviserent. Etsi non in animo Renaldoti unquàm fuerit sacris adscribi ordinibus, attamen ecclesiasticam vestem induit, quò separatior viveret à tumultu mundano, atque ideò totus seriis studiis quæ sitiebat pleniùs incumberet. Mira enim à juvenilibus annis corripuit eum scientiæ aviditas et præsertim linguas orientales ediscendi desiderium, non tantùm eas aliarum matrices quæ, scriptorum sacrorum coævæ, Bibliis intelligendis adeò inserviunt, sed eas etiam recentiores et veterum quasi surculos, quæ veritatibus primævis utile traditionis præsidium conferunt

Cùm magna agitaretur Arnaldum inter et Protestantes de Eucharistiâ in Oriente controversia, cùmque isti semetipsos orientalis scientiæ custodes unicos et propè sequestros inexpugnabiles portenderent, Renaldotus, quinque et viginti duntaxat natus annos, varia Ecclesiarum orientalium testimonia ex linguâ græcâ vulgari, ex arabicâ, copticâ, syriacâ, æthiopicâ in latinam convertit : quæ versio tractatui de *fidei Perpetuitate* quocum recusa est robur conciliavit non mediocre. Talia fuêre Renaldoti præludia in celebri hocce duello quod ipse solus mox continuaturus erat. Junioris athletæ inexspectatos assultus necquicquam Protestantes refringere tentaverunt, collectis undiquè viatorum infidorum documentis; nequicquam manuscriptum pro Catholicis fortissimè militans è Regiâ Bibliothecâ furatus est apostata Aymon : Renaldotus vanum eruditionis simulacrum profligavit et mendacia subvertit funditùs in opere cui titulus : *Defensio tractatûs de Perpetuitate fidei*, Parisiis, 1708, in-8°. Anno sequente doctissimum opus edidit : *Gennadii, patriarchæ constantinopolitani, Homiliæ de Eucharistiâ; Meletii alexandrini, Nectarii hierosolymitani, Meletii Syrigi et aliorum de eodem argumento Opuscula, græco-latinè,* Parisiis, in-4°. In quo, commentarii, notarum ac dissertationum ope, Græcorum doctrinam de Eucharistiâ stabilit. Quatuor abhinc annis tractatum de *Perpetuitate fidei* confirmavit novo opere cui titulus : *Perpetuitas fidei Ecclesiæ in sacramentis et in aliis quæ primi novatores afferunt in schismatum excusationem, Ecclesiarum orientalium consensu probata;* Parisiis, 1713, 2 vol. in-4°. Hanc seriem operum de sacris rebus Orientis concludit *Collectio liturgiarum olim in Oriente consecratarum,* Parisiis 1716, 2 vol. in-4°, cum dissertationibus eruditissimis.

Præter hæc opera et quædam alia, Renaldotus plurimis religionem donavit manuscriptis quæ Benedictino conventui *Sancti-Germani-à-Pratis* hæreditate primùm obtigêre, at nunc in Bibliothecâ Regiâ Lutetiæ conservantur. In quibus omnibus eadem reperitur rerum sacrarum intima cognitio quâ cætera ejus scripta præcellent.

Pauca nunc liceat de privatâ Renaldoti vitâ delibare. Cùm pater in aulâ medici munus adimpleret, ferè aulicos ipse habitus à teneris consuetos præ se ferebat; nulla verò aulicorum morum labes animam attigerat. Erat utpotè pius in scriptis, magis pius in agendi ratione. Pietas scientiaque in eo vultum induebant ridentem, quo gratior omnibus fiebat ideòque ab ipsis principibus sedulò requirebatur ejus consortium. Non semel Ludovicus Magnus doctissimas Renaldoti dissertationes in ministrorum suorum conciliis legi jussit, clarissimo privilegio quod nulli hactenus fuerat concessum. Cum cardinali Noailio, qui eum sibi comitem adjunxerat, adfuit in conclavi à quo electus est Clemens XI, atque ità sibi conciliavit novi pontificis benevolentiam ut ipsi, citrà consuetudinem, regia pontificalis usquè pateret. Reversuro in patriam Toscanus Dux legationem misit honorariam quæ eum summâ cum reverentiâ exciperet. Deniquè, ut optimè intelligatur quantì apud omnes fieret Renaldoti indoles privata, audiamus unum è Societate ergà quam non semper æquus fuit de eo loquentem : « *Erat,* inquit Feller, *ingenio sagax, judicio rectus, memoriâ mirus; severus decori mundani cultor, in amicitiâ generosè constans, pauperibus facilis, nulli inserviens voluptati, nisi doctorum virorum colloquio; viris probis simul et christianis sit exemplar.* »

DE SCRIPTURÆ VERSIONIBUS

QUÆ

APUD ORIENTALES

IN USU SUNT

Dissertatio.

Etsi de argumento jam multa dicta sint, adeò ut exhaustum fermè à doctissimis viris qui antè paucos annos scripserunt argumentum hoc esse videatur, sunt tamen tàm multa de orientalibus Scripturæ sacræ versionibus, quæ et illorum diligentiam fugerunt, et non nesciri christianæ reipublicæ interest, ut novam de illis dissertationem instituere necesse visum fuerit, quæ, ut existimamus, et quæ ab illis dicta sunt illustrabit penitùs, et multa hùc usque non satis explicata complectetur. Duo etiam potissimùm capita exponere aggrediemur, versionum illarum historiam, tùm disciplinam ecclesiarum in Scripturis ex loco superiori inter officia legendis, eorumque familiari lectione populis commendanda. Qui de illis versionibus scripserunt hactenùs, aut primi editores fuerunt, velut Augustinus Justinianus Nebiensis episcopus, qui Psalterii versionem arabicam publicavit ineunte superiori seculo; Potkenius qui æthiopicum, in Psalt. hebr. chald. arab. græco, Genuæ 1504, f°; Coloniæ 1503, 4°; Romæ 15... f°; Gabriel Sionita qui syriacum, Widmanstadius qui novum Testamentum eâdem linguâ, et alii, de quibus suo loco dicetur; aut posteriores præsertìm Angli Bibliorum Polyglottorum editores. Primi nimii in laudandis quas publicabant versionibus, alios in errorem induxerunt, præsertìm cùm eo seculo scriberent in quo magna erat rerum orientalium ignorantia, atque adeò nihil fermè certi ex eorum commentariis haberi potest. Qui Bibliorum Heptaglottorum Parisiacæ editioni dederunt operam, Sergius Risius, metropolita Damascenus, Gabriel Sionita et Abraham Echellensis, cùm essent doctissimi, nec vulgarem haberent librorum orientalium notitiam, præstare multa poterant ad communem Ecclesiæ utilitatem, si opus illud magnificum necessario apparatu instructum prodiisset. Anglicanæ editionis præcipuus arbiter, Brianus Valtonus, id in suâ præstitit, sed ità tamen ut multa desint, quod opinor hâc dissertatione palàm fiet. Cùm enim ille scribebat, levis adhuc in Europâ erat rerum orientalium quæ ad litteras sacras pertinerent notitia; nec ullus eorum quos exscripsit auctor Protestantium, vel Catholicorum, quidquam accuratè hoc in genere scripserat, cùm pauci orientalium litterarum eam facultatem haberent, quæ sufficeret ad versiones expendendas, et plerisque libri deessent, quorum oportet permultos tractaverit qui de versionibus judicat; tandem quia, ut in ejusmodi operibus sæpè accidit, de bonitate, antiquitate et sinceritate illarum solebant viri docti ex præconceptis opinionibus, quas in suâ quisque sectâ hauserat, potiùs quàm ex illarum naturâ et merito ferre sententiam. Ità, cùm Catholicis præsertìm qui superiori seculo florebant altè infixa esset in animo veneratio quam jure habemus Vulgatæ versionis, ejusque præ cæteris existimatio et auctoritas valeret longè plurimi; si quæ offerretur ipsis versio quæ vel ad fontes hebræos accederet propiùs, vel ad septuaginta Interpretum versionem, aut tandem qui diversas aliquas paulò majoris momenti lectiones contineret, quæ cum Vulgatâ pugnare viderentur, suspicabantur statim corruptam esse versionem ab hæreticis aut schismaticis, statimque si aderat aliquis Missionarius, eam aut emendari aut supprimi jubebat. Quæ quidem præ-

postera hominum non satis peritorum judicia eò usque valuerunt, ut inter articulos hæreticos, qui dogmata perversa contineant, manifestamque ad ea confirmanda sacræ Scripturæ corruptelam, recenseat quædam famosus ille Thomas Biasencis, quæ inter varias lectiones, aut innoxias interpretationum diversitates referri manifestò oporteat. Hinc factum ut inter tot eximias et vetustas Scripturæ versiones arabicas, quæ exstant in MSS. codicibus, et passìm leguntur in publico ecclesiarum orientalium ministerio, cùm nullam probarent Missionarii, easque omnes tolli ex Christianorum manibus oportere persuasissent congregationi *de Propagandâ fide*, effecerunt tandem ut nova ad Vulgatam latinam versio componeretur, inconcinna prorsùs et absurda. Ea cùm aliqua ejus pars latinè et arabicè edita fuisset, et ad Orientales christianos delata, qui à communione Romanæ Ecclesiæ alieni non erant, magnas turbas excitavit, cùm plebs christiana novum, ut sibi videbatur, Evangelium insinuari indignè ferret novam scripturam, adeò veterum suorum librorum sententiam in barbarâ illâ versione non agnoscebant; quâ etiam occasione concordia quarumdam ecclesiarum ferè dissiluit, cùm sacerdotes schismatici romanos Missionarios, tanquàm verbi Dei corruptores, publicè accusâssent, et apud plebem calumnia illa fidem invenisset non mediocrem. Itaque hæc versio per annos plus quàm triginta suppressa est, et antè annos circiter decem iterùm in vulgus emissa; at quomodò in Oriente recepta sit, hùc usque non didicimus. In reliquis aliquarum Scripturæ partium editionibus, quæ à Catholicis procuratæ sunt, nemo fermè ad illarum criticen adjecit animum, aut satis accuratè perquisivit quæ esset illarum antiquitas, quæ auctoritas, et quis usus esset in ecclesiis, atque adeò pars illa mansit intacta quodam modo, nec unquàm di igenter explicata est.

Protestantes, cùm magnâ orientalis doctrinæ laude se jactarent, cœperunt hujus seculi initio tentare quædam hoc in genere; sed in contrariam nec sanè æquiorem sententiam abrepti sunt. Cùm enim nihil magis satagerent quàm ut vetus latina versio eriperetur ex hominum manibus, nihilque frequentiùs in ore haberent quàm veritatem hebraicam, fontes, non cœnosos rivulos quærendos, eas versiones orientales quæ judaico codici simillimæ viderentur extuleruut mirum in modum. Ità, in Pentateucho explicando cùm occurreret statim arabica illa interpretatio quæ Rabbi Saadiæ Gaoni tribui solet, edita anno 1550, Constantinopoli, cum aliis, nempè chaldaicâ et persicâ, optimam illam judicaverunt; atque idem judicium fuit de alterâ quam Erpenius edidit, factâ quoque à Judæis, nisi eadem est, multis locis interpolatâ. Verùm etsi tales versiones haberent aliquam apud Judæos auctoritatem, quam tamen non habent, factæ sunt enim privato consilio, non publico synagogarum in quibus legi non solent; at si quis eas christianis Orientalibus proposuisset, tanquàm legitimas Scripturæ interpretationes, habitus esset tanquàm semi-judæus et hæreticus. Nam illi, syris exceptis, qui antiquissimam habent ex codice hebræo versionem, Scripturas non legerunt nisi secundùm Septuaginta interpretes, ut inferiùs explicabitur. Igitur in editionibus Polyglottis magnoperè erratum est, dùm magna versionum orientalium pars judaicas potiùs quàm christianas continet: quod peccatum cumulavit Protestantium abnormis censura, dùm multas quasi contemptissimas exploserunt, quia ex græcis vel ex syris codicibus erant expressæ, cùm tamen illæ christianis authenticæ forent, qui traditionem secuti magnam græci codicis venerationem semper habuerunt; à judaicâ verò critice, quæ versionis Saadianæ et aliorum regula est, alienissimi fuerunt. Id sanè moneri lectores oportebat ab editoribus, nisi in recensendis et ad examen revocandis versionibus prorsùs occupati fuissent opinione illâ parùm commodâ quam habent Protestantes omnes de versionibus, ità ut eas optimas judicent quæ judaico exemplari accuratissimè respondeant, alias fermè contemnant. Quod quidem judicium, etsi planè verum est, ubi de critice sacri codicis agitur, at quandò de ecclesiarum traditione quæstio est, fallit procul dubio. Usus enim quem singulæ versiones in ecclesiis habent earum dignitatem magis commendat quàm exactior illa cùm hebræo conformitas. Ità apud nos nemo, ubi de fidei controversiis agitur, italæ veteris fragmenta, aut integram si haberetur, etsi multis nævis deformatæ et ad græcos non hebræos codices factæ, non præferret tot novis Protestantium quæ istos tàm operosè videntur exprimere. Pari ratione etiam nostra Vulgata majorem apud multos extrà Ecclesiam viros doctos fidem nanciscitur quàm recentiores fermè omnes. Idem igitur ergà orientales versiones statuendum erat, ut ea cæteris preferretur quam Christiani usu quotidiano commendarent, quæ ipsis authentica videretur, non quæ hebræis codicibus responderet, contrà quam tamen regulam certissimam

peccavêre omnes Polyglottorum Bibliorum editores. Nam in Pentateucho arabico dederunt versiones quas Judæi soli fermè legant, Christiani in suis Ecclesiis non recipiant; in aliis sacræ Scripturæ partibus, modò factas ex hebræo, modò ex græco codice interpretationes dederunt, adeò ut post duas illas celeberrimas editiones, Parisinam Jayi et Londinensem Valtoni, integra Biblia syriacè aut arabicè Christiani europæi non habeant qualia exstant in Orientalium codicibus. Ità cùm ediderunt persicam Evangeliorum versionem Abrahamus Wheclocus et Brianus Valtonus, eam contemnendam existimaverunt, quia ex syriaco exemplari facta agnoscebatur; quùm tamen, ut suo loco dicetur, nota hæc esset certissima. Idem igitur præstitêre ac si quis aliud Polyglottorum Bibliorum syntagma designans animo, loco Vulgatæ latinæ versionis Tremellianam aut aliam quamvis substitueret. Docet ille quidem latinam interpretationem, sed quam latina Ecclesia non agnosceret, atque ideò usûs ad legendos ejus libros tàm sacramentales quàm theologicos planè nullius. Nec enim collectiones illæ operosæ tot exemplarium eò spectare debent solùmmodò ut ad codicem hebraicum faciliùs intelligendum paratiores simus; nam sæpè sunt ad id præstandum satis inutiles. Sed si quod operæ pretium erat, illud sanè ut haberentur codices Ecclesiarum toto orbe diffusarum, eorum lectione et sacramentorum celebratione consecrati, quod ut fieret editores parùm curâsse, ac vix intellexisse quanta indè utilitas redundaret, judicandi sunt.

Quod igitur ab aliis intactum fuit, id nos Dei auxilio præstare aggrediemur; atque hæc tota nostra *Dissertatio* in eo potissimùm versabitur, ut, quantùm ex manuscriptis codicibus scire potuimus, non illis solùm qui sacros libros continent, sed lectionariis sacramentalibus et theologicis ostendatur quæ versiones majorem auctoritatem habeant, quæ leviorem, quæ planè nullam, ut ità intelligatur ex quibus libris et secundùm quas interpretationes, Christiani toto Oriente dispersi, Scripturas legant, neque tamen abstinere omninò possumus à criticâ præcipuarum versionum recentiorum, quia in eâ potissimùm doctrinæ ecclesiasticæ parte exercuerunt se auctores omnes qui antè nos scripserunt, tùm Angli, tùm qui apud nos multa in hoc genere meliora et reconditiora scripsit Richardus Simon, vir doctrinâ conspicuus. Ità tamen conabimur criticam illam exercere, ut non ad minutias textuumque molestas comparationes veniamus; id effici paucis non posset, singularemque operam desiderat, quæ ad institutum nostrum nihil attinet. Verùm paucissimis verbis exponemus quæ apud alios auctores exstant de illisdem versionibus, et eâ occasione quæ ad sacri codicis et ejus versionum historiam et traditionem spectant, conferre in hanc *Dissertationem* satagemus.

Ut verò ad ipsam rem explicandam veniamus, orientalibus linguis factæ versiones sacræ Scripturæ, duplici potissimùm ratione considerari possunt : nempè aut secundùm linguarum in quibus exstant diversitatem, aut secundùm auctores qui eas ediderunt, aut illis utuntur; atque illud discrimen in ipsâ sectarum diversitate situm est: eâ ratione versiones illæ quarum notitiam habemus, Æthiopicæ, Armenicæ, Persicæ; nam Gothicæ, Sclavonicæ Dalmaticæ, et aliæ, licèt veteres, ad orientalem Ecclesiam non pertinent. In secundâ classe collocantur Chaldaicæ antiquæ à Judæis factæ, Targumim vulgò dictæ; tùm Arabicæ plures prætereà R. Saadiæ, et Erpeniana ex Hebræo codice. Per eosdem Judæos aliæ etiam Pentateuchi ex codice Samaritano. Persicæ, non solùm ea quæ Jacobo Tusensi tribuitur, nec ultrà Pentateuchum procedit, sed altera non deterior; tùm variæ de quibus dicetur, reliquorum totius veteris Testamenti versiones quæ exstant in codicibus manuscriptis. His adjungere licet græco-barbaram et hispanicam versiones quæ prædictas Saadiæ et Tusensis vulgò comitantur, in editione Constantinopolitanâ duplici.

Verùm alia quoque versionum divisio institui potest, nempè secundùm textus quos interpretes secuti sunt. Ità syriaca vulgaris ad hebræum exemplar facta est. Aliâ utuntur quoque Syri quæ 70 interpretes sequitur. Ad eorum codicem factæ sunt arabicæ christianorum versiones fermè omnes, et ægyptiacæ veteris. Ad syriacum persica versio Evangeliorum quam habemus triplicem; et quantùm judicare possumus armenica, et quæ videtur olim exstitisse inter Indos malabarica ; ad ægyptiacum æthiopica. Est quoque aliqua ex ipsis sectis diversitas. Nam arabica quâ Melchitæ utuntur differt non mediocriter ab eâ Jacobitarum, et eâ quæ inter Nestorianos usurpatur, et quasdam eorum versiones factas ex syriacis codicibus dubitare non possumus. Verùm quia communis fermè omnium qui hoc argumentum explicaverunt methodus fuit, ut de versionibus ageretur secundùm linguarum differentiam, ab illo qui omnibus familiaris est ordine non

recedemus, atquè ità primùm agemus de syriacis, tùm de arabicis, de persicis, de æthiopicis et ægyptiacis et armenicis; nam præter istas aliæ vix exstant, quarum ad nos memoria pervenerit.

Ut igitur à syriacis ducatur initium, ea sanè quam hâc linguâ habemus utriusque Testamenti interpretatio, omnes alias, quantùm conjicere licet, antiquitate superat. Lingua syriaca, qualis exstat istis in versionibus, an ea ipsa sit quâ Salvator Christus Dominus, dùm in terris conversatus est, uteretur, affirmaverunt Georgius Amira, maronita doctissimus, Guido Fabricius Boderianus, et antè illum Joannes Albertus Widmanstadius, uterque in præfationibus ad novum Testamentum eâdem linguâ editum, primò Vindebonæ, tùm Anteverpiæ in magno opere Bibliorum, Philippi II, Hispaniæ regis, munificentiâ editorum, quos secuti sunt alii magno numero. Hæc porrò quæstio, etsi ad linguæ syriacæ commendationem videatur pertinere, otiosa tamen meritò censeri debet, cùm attentiùs et, ut ità dicam, ambitiosiùs pertractatur, ut à Syris caritate in patriam, à primis editoribus librorum syriacorum, ex eâdem fermè ratione factum est. Quid enim tandem certius quàm locutum esse Christum eâ linguâ quæ suâ ætate vulgaris in Judæâ foret, nempè chaldaicâ quam hierosolymitanam vocant, in quâ exstant paraphrases illæ notissimæ, et cujus non obscura supersunt in novo Testamento vestigia. Erat autem illa, ut omnes sciunt, syriacæ propriè dictæ valdè similis, adeò ut germanæ chaldaicæ utraque dialectus censeri meritò debeat; attamen linguam eamdem fuisse, quod doctis viris et quidem multis placuit, dici non potest. Sanè hierosolymitanam linguam à Syris genuinis intellectam vulgò non fuisse certissimum est; neque syriacâ linguâ locutum esse Christum Dominum, aut ejusdem temporis Judæos extrà controversiam esse debet. Etsi enim utraque lingua chaldaicæ similis, et ejus quodam modo dialectus censenda sit, erat tamen tanta inter utramque diversitas, ut neque Hierosolymitanus syrum, neque syrus hierosolymitanum sermonem intelligeret, quod multis probari posset, si hoc ageremus. Neque si est inter linguas duas similitudo aliqua aut originis, aut idiomatis, eadem idcircò censeri debet, aut à diversis populis qui alterutrâ utuntur, utraque intelligi. Ità videmus Italos et Hispanos, etsi linguæ propriæ parem habeant originem, latinam scilicet, ut nostra quoque gallica, tamen interprete opus habere; imò inter Italos ipsos dialecti quædam sunt ut Veneta, Genuensis, et aliæ quas Romanus aut Tuscus non intelligat. Hispanus in Castellanâ aulâ educatus omnisque politioris litteraturæ suæ vernaculæ facultate pollens, Lusitanum, Gallæcum, Valentinum, Asturem non intelliget. Quod igitur exemplis omnium quæ supersunt linguarum accidisse videmus, ut cùm ex eodem fonte fluxerint, novas tamen et aliis ignotas dialectos produxerint, id plerique critici studiorum orientalium in chaldaicâ accidisse non satis observâverunt, et dùm in ejus assignandâ origine aberraverunt, multa quoque absurda invexerunt quæ paucis explicare necesse est. Nam hebraicam quidem linguam omnium fermè orientalium matricem esse ut certissimum fatemur, ità quoque arabicam, æthiopicam et quasdam alias ab eâ fluxisse manifestum est. At cùm Jacobi patriarchæ tempore videamus aliter Hebræos locutos fuisse, Syros aliter, jam magnam mutationem inductam fuisse in syram ab hebræâ deductam æquè certum est. Diversitas autem illa non tàm in nominum verborumque inflexione quæ ferè eadem est, quàm in vocibus ipsis consistebat, quod inter illas linguas etiamnùm observatur. Hebraicæ, quæ per transmigrationem babylonicam omninò corrupta est, successit ut vulgò critici asserunt chaldaica, quam multiplicem statuunt, purissimam quæ in libro Danielis Estheræque superest; tùm alteras ut ea quâ Targumin seu Paraphrases scriptæ sunt, eæque diversæ : inter quas hierosolymitana præcipuum locum habet, non quòd elegantior, nam eam magis barbaram cæteris existimant, sed quòd in Urbe Sanctâ vigeret inter Judæos; samaritanam quoque agnoscunt tanquàm chaldaicæ istius primævæ linguæ dialectum. Itaque cùm certam habere credant originem ipsosque tenere fontes primævæ illius linguæ chaldaicæ in Daniele, Estherâ et Esdrâ, non modò dialectos omnes chaldaisantes ab illâ formâ deducunt, sed syriacam etiam linguam, quæ inter Syros propriè dictos vulgaris foret. Attamen nihil minùs certum quàm id quod certissimum credunt, chaldaicæ linguæ puræ specimina in Daniele, Estherâ et Esdrâ contineri : quod ostendendum est.

Esse in paucis illis scripturæ sacræ partibus, quæ chaldaicè scriptæ sunt, voces hebraicas multas quæ alibi in libris chaldaicis non reperiantur, res explorata est : analogiam grammaticam esse nullam conquestus est Judæus in hâc litteraturâ exercitatissimus, Elias Levita, et statim agnoscere quisque po-

test. Nam cùm ea certiùs omninò determinari possit et debeat ex ipsis litteris, quàm ex apicibus qui vocales constituunt, ea analogia, si syriacæ linguæ regulis comparetur, imperfectissima est (1), redundans in multis, præsertim ubi puncta illa vocalia litteris adjuncta sunt, quod quidem serò à Masoretis præstitum, doctissimi jam critici indubitanter tenent, præterquàm in helveticis academiis, ubi puncta illa vocalia tanquàm divinitùs tradita ex Buxtorfiorum revelatione defendi solent. Itaque dùm Buxtorfius pater existimavit regulas chaldaicæ linguæ certas haberi ex paucis libris Biblicis posse, vehementer sua illum fefellit opinio. Neque enim quò magis accedit oratio chaldaicæ ad hebraicam, eò purior censenda est; imò credendum potiùs Judæos qui suis nominibus scribebant ad hebraismum potiùs quàm ad chaldaismum respexisse, modò ab illis intelligerentur, non magnoperè curantes quid de stylo suo Chaldæi judicarent. Ità videmus Judæos qui arabicè scribebant antè annos octingentos, plura admiscuisse hebraica vocabula quæ linguæ arabicæ incognita forent, sed suis erant familiarissima. Nec id solùm in vocibus accidit, sed multò magis in orthographiâ, quæ si arabica oratio litteris hebraicis scribatur, esse nulla potest; punctatio ut vocant adhuc magis inconcinna. Talis est ea quam exhibet editio Constantinopolitana Pentateuchi, quadrilinguis, sed charactere hebraico; miratur grammaticorum omnium critice quâ ratione fieri potuerit, ut tantùm abeat punctatio arabicæ illius Saadianæ versionis, à vulgaribus præceptionibus Arabum grammaticorum. Nec defuêre qui eam immutatam vellent. Multò major est in persicâ ejusdem editionis versione inter veram orthographiam et judaicam differentia; nec enim scriptura sed pronunciatio exprimitur; quam ut assequantur, Judæi non verentur integras litteras adjicere quas Persæ non habent, aut pro genuinis alias ejusdem potestatis substituere. Cujus generis exempla tot fermè sunt quot versionis illius et aliarum quas manuscriptas habemus lineæ. Eadem igitur Buxtorfii præpostera diligentia fuit, dùm in editione Bibliorum basileensi, totam punctationis chaldaicæ in paraphrasibus rationem immutare aggressus est, ut eam ad Danielis, Esdræ et Estheræ formam restitueret reclamantibus codicibus omnibus, tàm manuscriptis quàm qui à Judæis editi sunt, et ipsâ analogiâ, cum ea punctorum vocalium forma, quæ in istis libris occurrit, litteris ipsis convenire vix queat. Itaque certius omninò aut saltem verisimilius existimamus ità constituendum apud nos esse nullam exstare antiqui genuinique chaldaici sermonis Scripturam ità certam ut ex eâ linguæ illius analogia constare queat, adeò ut si quæ supersint ejus vestigia, exstant illa potiùs in Syriacis libris quàm in alterius linguæ, chaldaicis nempè qui Scripturæ canone continentur. Nam eos hebraicam potiùs sed corruptam ex Babylonicâ servitute orationem repræsentare verisimile est, quàm purum chaldaicum. Neque ea quoque exstare videtur in Targamin seu chaldaicis paraphrasibus, sed ad dialectum hyerosolymitanam aut babylonicam fortassis scriptæ sunt, ità tamen ut multas voces hebraicas contineant quæ à verâ chaldaicâ sunt alienissimæ. Id autem eò faciliùs accidisse antiquitùs videtur, quòd idem ergà Judæos omnes, toto terrarum orbe dispersos, observari potest : nam qui arabicè scribunt tot hebraicas voces admiscent, ut ab Arabibus vix intelligantur; ità qui persicè; imò et vulgares officiorum libri quos ediderunt Judæi ab annis centum et ampliùs, lusitanicâ, hispanicâ et germanicâ linguâ, tot hebraicas voces habent ut à nemine qui hebraicè nesciat possint intelligi. Quæ cùm ità sint, et ea sit chaldaicæ linguæ commixtio cùm hebraicâ illius scilicet quæ paraphrasibus seu Targumin continetur, ut à Syriacâ puritate absit longissimè; frustrà sudant eruditi ut istam Jesu Christo Domino vernaculam fuisse probent. Quis enim dubitat ipsum linguâ quæ vulgaris erat, cùm inter homines versaretur, usum fuisse; at ea ipsa erat quæ aut targumica aut hierosolymitana appellatur, nempè chaldaica, analogiam si grammaticam spectemus, sed quæ plus haberet hebraicarum originum quàm pura chaldaica aut syriaca. Ea sanè communis doctorum virorum sententia est, atque inter eos Josephi Scaligeri et Hugonis Grotii quorum testimonia referre supersedemus, quæ inveniet lector, ut etiam aliorum qui de hâc quæstione scripserunt recentiùs auctorum loca indicata in Prolegomenis Briani Valtoni; quippè hæc omnia accuratè ab ipso collecta et designata sunt.

Cùm igitur chaldaicam, qualis in paraphrasibus judaicis exstat aut quibusdam puris aut proximæ vetustatis Judæorum voluminibus, etsi magnam habere certum sit cum syriacâ affinitatem, alia tamen omninò est; nec versiones illæ quæ Judæorum gratiâ factæ sunt videntur

(1) Exemplar præbet dialectus samaritana quæ chaldaicæ pars est.

omninò cum illis quæ deindè à Christianis publicatæ fuerunt commune quidquam habuisse. Itaque de chaldaicis illis quandoquidem ad Christianos nequaquàm pertinent nihil dicemus, et ad syriacas explicandas adjiciemus animum.

Solent philologi qui in criticâ sacrâ occupantur statìm plures distinguere syriacæ linguæ dialectos, secuti auctorem plenum fidei et dignitatis hâc in litteraturâ Gregorium Abulfaragium qui primum à Pocockio citatus est in *Specimine*, ut vocavit, historiæ Arabum, fragmento scilicet ejusdem auctoris historiæ dynastiarum, quod anno 1650 edidit cum eruditissimis commentariis qui tanquàm prima introductio in solidam orientalem doctrinam censeri debent. Totum posteà opus edidit anno 1664. Gregorium illum qui Bar Hebri semper appellatur in codicibus manuscriptis alibi diximus fuisse Abifrianum : hæc est autem dignitas ecclesiastica apud Syros Jacobitas, patriarchali quidem inferior, sed metropoliticâ superior, adeò ut in totam illam Asiæ superioris partem quæ Catholicis Persidis et Armeniæ secundùm græcas notitias suberat, jus haberet. Sedes autem illius Takrit erat, urbs in Mesopotamiæ finibus. Porrò, multa non modò arabicè sed etiam syriacè scripsit Gregorius, atque inter alia grammaticam illius linguæ, quæ exstat in bibliothecâ Colbertinâ. Cum autem in eâ esset peritissimus, magnam auctoritatem habere apud eruditos debet ejus testimonium. Is igitur ait syriacam linguam dividi in tres dialectos quarum elegantissima est Aramæa quæ est lingua incolarum Rohæ, seu Edessæ, Hanan et Syriæ exterioris : proxima est illi Palæstina quâ utuntur Damasci et montis Libani et reliquæ Syriæ interioris incolæ, et omnium impurissima chaldaica Nabutæa quæ est dialectus populi montium Assyriæ et pagorum Traci seu Vræcæ. Hæc porrò dialectorum distinctio non tàm linguæ per se consideratæ convenire censenda est quàm eidem jam corruptæ et interpolatæ qualis erat cùm Abulfaragius scriberet : tunc enim pauci erant qui syriacè loquerentur et illi sanè omnes Christiani; nam arabica lingua nativam fermè funditùs deleverat. Quantùm verò ad libros attinet de quibus agitur, vix ulla inter illas dialectos differentia superest, quia nempè libri nonnisi à viris doctis scribebantur, qui, quocumque in provinciâ forent, stylum ad præstantissimorum auctorum lucubrationes efformabant, neque si quid labis esset in vulgari linguâ, eam in opera sua transfundebant, cùm magna omnibus cura esset ut purè scriberent, quò quidem in genere diversâ, pro temporum varietate, methodo processum est. Veteres enim, ut S. Ephrem, syriacæ omnis elegantiæ magister, Jacobus Syrus et pauci alii quorum ad nos scripta pervenerunt, puriorem omninò stylum habent, quia multis carent vocibus peregrinis, græcis præsertìm, quas posterior ætas invexit. Qui verò aliquot seculis eos secuti sunt, tùm maximè placuisse sibi videntur, quandò græcas voces multas orationi suæ admiscerent; atque id potissimùm observare licet in recentioribus quibusdam liturgiis syriacis quarum idcircò sæpè obscuritas major omninò quàm antiquorum est. Id observatur in illis quæ Ignatii patriarchæ et aliorum nomine exstant in codicibus manuscriptis. Itaque alia omninò à Gregorianâ divisio syriacæ linguæ nobis videtur facienda; in puram, qualis antiqua est, et minùs puram, sicut librorum qui cum minori diligentiâ scripti sunt, aut peregrinis vocabulis quasi emblematibus variegati : secundùm eam divisionem, Syriacas sacræ Scripturæ versiones collocari debere inter libros optimæ notæ, si linguæ vetustatem spectemus, manifestum est. Nam pauca admodùm scripta exstant apud Syros quæ ad illarum versionum ætatem accedere, vel longo intervallo, possit judicari. At quod notandum est, ne quid, ex Abulfaragii mox laudato testimonio, suspicionis oriatur, in antiquis quas habemus versionibus differentiæ ex dialectis vestigium nullum occurrit, quia nempè à doctissimis hominibus elaboratæ sunt qui puriori scriberent.

Veteris quidem Testamenti versio syriaca quæ communi omnium Ecclesiarum usu consecrata est, codicem hebræum sequitur, quod quidem, præterquàm apud Syros, in nullâ Christianorum orientalium societate observatur. Id notavit Abulfaragius, cujus verba, ut à Pocockio relata sunt in eo quod mox citavimus specimine historiæ Arabum, talia sunt. Versio 70 interpretum, illa est quam sequuntur apud nos docti et quæ Græcorum manibus teritur, aliarumque apud Christianos sectarum, exceptis Syris ac præcipuè Orientalibus : siquidem exemplar earum quod simplex appellatur, quia qui illud elaboraverunt de ornatu verborum solliciti non fuerunt, convenit cum exemplari Judæorum. At Syri occidentaliores duas habent versiones : simplicem illam quæ linguâ Hebraicâ in Syriacam translata est, post adventum Domini Christi, tempore Adæi Apostoli, vel juxtà alios, antè eum, tempore Salomonis, filii David, et Hirami; et alteram figuratam juxtà 70 seniorum interpretationem,

è linguâ græcâ in syriacam traductam, longo post Salvatoris incarnationem intervallo; exstat illa sententia in historiâ Abulfaragii, undè antequàm eam edidisset, translata erat à Pocockio in *Specimen* suum, ex quo critici omnes, quorum feracissima ætas nostra fuit, eam descripserunt. Verùm quia ex unâ litterulâ quæ librarii peccato inserta fuit, sensus efficitur planè absurdus, locum integrum transtulimus, ne lectoribus fraudi posthàc foret.

Nempè id unum designat auctor ut duas exstare apud Syros suos versiones Syriacas doceat, simplicem quam vocant, quia scilicet ad verbum fermè ex codice hebræo expressa est. Eâ uti dicit Syros præcipuè orientales; quâ voce non tàm illi qui magis ad orientem constituti sunt videntur intelligendi, etsi id suadere videatur oppositio Occidentalium de quibus mox sermo est, quàm Nestoriani. Diximus alibi orientalium Christianorum nomine eos potissimùm designari qui Catholico, ut vocant, Orientis supremo sectæ Nestorianæ antistiti subjiciuntur, nec facilè Orientales Syros appellari alios quàm hujus sectæ quisquam reperiet, præsertim apud auctores qui circà Abulfaragii tempora scripserunt. Atque id sanè de illis rarissimum est; neque enim utuntur vulgò aliâ interpretatione quàm illâ ex Hebraicis codicibus, aut alterius mentionem facere solent; Syrorum verò magis occidentalium nomine Jacobitas et Melchitas intelligit qui aliorum comparatione, erant in orientali Syriâ paucissimi. At quod simplici versioni figuratæ opponi videtur, adeò ut statim quisque paraphrasin potiùs ex græco exemplari factam quàm versionem animo designet, id nunquàm cogitavit Abulfaragius; neque enim illæ sanè pluribus schematibus florent quàm omnes reliquæ, sed totum id natum ex interpositâ litterulâ quæ est omninò nihili. Illud occurrit in nomine Hiram principis syri; quod cùm non animadvertisset vir doctissimus hanc nobis figuratam versionem, quæ nulla unquàm fuit, produxit; et sanè quod paucis observatum est, Abulfaragii testimonium rectè interpretatum produxit in notis ad Hebed Jesu Abraham Echellensis ex quo criticorum grex proficere debuerat, ne, Pocockio duce, inanem de duplici illâ versione divisionem sequerentur, quem errorem effugit auctor *Critices* Testamenti veteris, dùm ea verba ex Abrahamo, non ex Pocockio transcripsit.

Ea porrò versio syra quæ ex hebræo facta codice præcipuam apud Syriacas Ecclesias habet auctoritatem; ex doctorum omnium sententiâ ea ipsa est quam Biblia Polyglotta repræsentant. Veteris quidem Testamenti nihil, præter *Psalmos* et fortassè pauca quædam alia fragmenta, editum fuerat antè celebrem illam Parisiensium *Heptaplorum* editionem quæ à Michaele Le Jay procurata est. Eam descripserat manu suâ ex antiquis codicibus Gabriel Sionita maronita, vir doctissimus, tùm ut esset scriptura ad operarum usus facilior quàm si ex ipsis manuscriptis expressa fuisset, tùm ut apparatus ille grammaticus vocalium qui passim negligitur in codicibus manuscriptis adjiceretur; nam Sionita his in studiis erat exercitatissimus. Ipsum exemplum ad quod editio expressa est fuerat, eâ perfectâ, depositum in *Bibliothecâ cardinalis Mazarini*, ex quâ, cum omnibus aliis codicibus manuscriptis in *Regium* translatum; adhuc in eâ servârunt codices ipsos undè suum descripserat Sionita, et alios ex quibus libros aliquot suppleverat Abrahamus Echellensis qui in partem laboris vocatus est, non indicaverunt, quia magno tàm eximii operis detrimento, præfationes et notæ quæ in apparatum conferri debebant, lucem nunquàm aspexerunt. Eos tamen et antiquos et optimos fuisse certum facit consensus multorum aliorum codicum qui posteà ex Oriente delati sunt. Scimus tamen Hottingerum et quosdam similis ingenii Protestantes multis accusâsse editionem et editores, quasi mutâssent aut interpolâssent syriacam interpretationem diversis in locis: nempè quia occurrerunt lectiones aliquot discrepantes in anglicanis aut aliis codicibus, quasi non esset ea librorum omnium manu exaratorum conditio, ut occurrat semper leve aliquod, inter ea etiam quæ emendatissima judicantur, discrimen invectum à scriptorum negligentiâ vel ignorantiâ. Pentateuchus et reliqui fermè omnes veteris Testamenti libri qui eâ primùm linguâ typis Parisinis editi sunt, secundâ editione prodierunt in Polyglottis Londinensibus, charactere quidem valdè inconcinno, cùm Parisinus tantæ et tàm exactæ elegantiæ foret, ut manuscriptis melioris notæ esset quàm simillimus. Non diffitendum est tamen multa Anglorum curâ emendata fuisse, adjectasque notas et observationes non pœnitendas, quæ nihilominùs majorem operam desiderent, cùm omnia fermè desumpta sint ex recentiorum maximè Protestantium commentariis, qui sæpè, ex christianarum rerum orientalium ignorantiâ, graviter hallucinati fuisse nec uno loco deprehenduntur.

Psalterium ediderat jam anno 1625 Lutetiæ Gabriel Sionita cum apicibus omnique grammatico ornatu, adjunctâ latinâ interpretatione. Idem edidit Erpenius : alia quoque et rarissima præ cæteris editio facta est columnis duabus syriacè et arabicè Psalterii; utraque tamen versio descripta est litteris syriacis, ut Christianis orientalibus consuetudo est, in monte Libano, per ipsos Maronitas cujus unicum hùc usquè exemplar vidimus in *Bibliothecâ Colbertinâ*. Præter istas veteris Testamenti partes, nihil quod sciamus editum est. Novum Testamentum primus edidit, Viennæ in Austriâ, anno 1554, Joannes Albertus Widmanstadius, typis elegantissimis. Deerant tamen *Epistolæ canonicæ, Apocalypsis*, historia mulieris adulteræ et pauca alia. Ex eâ editione factæ sunt omnes aliæ quæ in Europâ prodierunt, tùm litteris syriacis, ut ea Martini Irostii, et recentior hamburgensis, characteribus omnes fœdissimis, et qui à καλλιγραφία syrâ absunt quàm longissimè. Hebraicis verò characteribus edidit Emmanuel Tremellius, Joannes Fabricius Bodevianus et multi alii, quos indices bibliothecariorum repræsentant. Jam ad ea quæ utriusque Instrumenti versiones spectant convertenda oratio est. Verùm priùs observare non inutile est, in repræsentandâ versione quæ sanè omnium apud orientales Christianos antiquissima est, atque adeò majori in pretio haberi debet, ità versatos esse editores omnes, ut, sive id per eorum negligentiam commissum fuerit, sive potiùs quòd codicibus MSS. caruerint, nihil aliud fermè curaverint quàm ut principem editionem repræsentarent. Nam Sionita, qui Psalterium edidit, quod Orientalibus solemne est, ne monuit quidem quis aut qualis esset codex quem sequebatur. Parisienses multò minùs : nam is qui impensas editionis faciebat, vir optimus et ultrà conditionem suam generosus, apicem nullum his in litteris noverat. Maronitæ tres, quos ad syriacæ et arabicæ versionum curam adhibuerat, Sionita, Sergius Ritius, archiepiscopus Damascenus, et Abraham Echellensis, dùm mutuis inter se odiis concertant, et cunctando rem facere suam satagunt, Mecœnatem suum tandem promissis notis et prolegomenis frustrati sunt, quæ etiam vires eorum superabant. Oportebat enim subjectiores in sacrâ criticâ viros huic operi manum admovisse, quam artem, sive sacras, sive profanas litteras spectes, orientales constantissimè aspernantur, ut sexcenties monuimus. Angli quidem majorem omninò curam adhibuerunt, et erant in eorum numero quos operi admoverat Brianus Valtonus, Cicestrensis episcopus, qui editionem procuravit, viri non indocti. Ipse mediocriter omninò in orientalibus litteris versatus, curarum partem maximam in alios refundebat, quorum multi, ut Castellus, lexicis laboriosè contexendis idonei, nullum solidioris doctrinæ gustum habebant : si quibus ea laus meritò tribuenda erat, ut inter alios Edwardo Pocockio, illi Christianorum libros planè neglexerant, adeò ut in istâ parte infantissimi aliquandò reperirentur. Sed quod longè majoris momenti est, ad ornandam emendandamque editionem suam, paucis omninò nec bonis codicibus usi sunt, adeò ut post ingentes ingratissimosque conferendi, varietatesque lectionum colligendi labores, quos sextum magni illius operis volumen repræsentat, nihil fermè egisse existimandi sint. Cùm enim varias lectiones Hebraici codicis dederint, quis dubitet illos debuisse aut tædium illud prorsùs abjicere, aut si illud, bono publico consulentes, devorare non pœniteret, dare operam ut insignium aliquot exemplarium qui totâ Europâ exstant, varietates colligendas procurarent? Sunt enim in duabus bibliothecis, Regiâ et Oratorianâ Parisiensi, codices Hebraici tantæ antiquitatis, ut pares ullibi non reperiantur, de quibus moniti per amicos erant, quos insuper habuerunt, contenti editiones venetas et constantinopolitanam, basileensemque interpolatam à Buxtorfio, atque adeò nullius auctoritatis, inter se conferre. Cùm tamen essent etiam antiquiores et meliores, ut rarissima Ulissipone facta Pentateuchi hebraici et Chaldaici an. 1494, antequàm Rabbi Jacob Ben Hajim, qui typographiæ bombergianæ præfuit, eam editionem recensuisset ad recentiorum Masoretharum placita, quam posteà Judæi omnes amplexi sunt; ità quoque in chaldaicis paraphrasibus conferendis ne ullum quidem codicem MS. Angli adhibuerunt, cùm tamen exstent tàm multi non è regione eamdem Hebraico textui compositam repræsentantes, sed singulis versibus hebraicis chaldaicam eorum versionem subjicientes. Ab illis quippè codicibus varietates insignes, et ad sacri codicis intelligentiam non inutiles, colligi poterant, sed venetas et alias editiones cum illâ basileensi comparare, operâ fuerit abuti suâ.

Is porrò defectus multò major adhuc in syriacæ versionis editione deprehenditur. Neque enim codices ullos consuluerunt, præter paucissimos, et qui non magnâ antiqui-

tate commendarentur, cùm, si illi Londini et in totâ Angliâ deerant, occurrerent Romæ Lutetiæque, undè peti non magno negotio variantes lectiones poterant. Imò, in Evangelio edendo, cùm haberent commentarios Dionysii Barsalibi, ut ex Epistolis Usserianis, et aliquot annotationibus in sexto Polyglottorum volumine manifestum est, poterant indè multa colligere quæ ad illius versionis illustrationem opportuna fuissent. Attamen nôrunt eruditi esse in bibliothecis multos et quidem antiquitate conspicuos versionis syriacæ codices. Exstant plures in eâ Regis Christianissimi præsertim Evangeliorum, et quidem optimæ notæ; tùm in aliis etiam bibliothecis: et nos talem Evangeliorum codicem in membranâ scriptum habemus, qui omnes anglicanos vetustate bonitateque superet. Nihil mirum igitur si tàm pauca de illis versionibus doctissimi viri scripserint; quæ tamen, cùm plura et meliora non reperiantur, transcripta centies à ministerii sacri candidatis aut ab illis qui magnâ inter Protestantes, licet falsâ eruditionis laude commendantur, Holtingero, Ludovico de Dieu et aliis, libros omnes implent, adeò ut qui ea describat, ut in Prolegomenis suis Valtonus fecit, omnem illius doctrinæ facultatem exhausisse judicetur.

Quod igitur primo loco circà eam versionem observandum est, illius usum et celebritatem spectat. Omnes scilicet Ecclesiæ in quibus syriaca lingua in divinâ Psalmodiâ sacramentisque celebrandis consecrata est, ut latina apud nos, in eâdem utriusque Testamenti interpretatione acquiescunt. Illæ porrò diversas fermè omnes sectas comprehendunt; nam Melchitæ, seu orthodoxi ritûs, in toto patriarchatu antiocheno, quantùm latè patebat, eâ semper usi sunt, et ex illis qui cum Ecclesiâ catholicâ communicant, Maronitæ. Par est ratio Jacobitarum, qui aliam non habent quàm Orthodoxi: nam utrique Ephremum, quasi linguæ non minùs quàm doctrinæ magistrum, nec solutâ modò, sed strictâ etiam oratione celebrem æqualiter venerantur, in cujus operibus citata illa sæpè occurrit, simplex scilicet, quæ ex hebræo codice facta est. Hujus testimonium antiquissimum servavit Basilius, dùm, etsi auctore non appellato, Ephremi sententiam cum laude approbat, circà significationem vocis quâ *spiritum ferri super aquas* et hebræi et syri codices ità exprimunt, ut eas fovisse quasi incubando, vitalemque et genitalem calorem inspirando intelligatur. Aliam non habent versionem Nestoriani, etiam cùm toto Oriente dispersi, Ecclesias in remotissimis provinciis fundàssent; undè et illa in Ecclesiis malabaricis apud Indos reperta est superiori seculo, ab europæis hominibus, et exemplar unum, quo usus fuit Lud. de Dieu ad Apocalypseos editionem, ab antiquario quodam ex Indorum regione scriptum erat, ut ipse testatur; etsi dubitandus hæsit eâ in voce, nesciens fortassis quàm magnos nestoriana ecclesia in remotissimas usque regiones illas progressus fecisset. Pari ratione, Transoxiani et Persæ Christiani, etsi versione persicâ utantur, quia syram ab multis seculis etiam sacerdotes vix intelligunt, tamen sacras lectiones ex eodem codice perficiunt. Omnes igitur Ecclesiæ, cùm in eâ versione consentiant, certissimum istud præ cæteris, antiquitatis illius argumentum est. Neque enim facile fuisset ut, factâ semel per hæreses ecclesiarum nunquàm satis deplorandâ scissione, et animis per mutua odia exacerbatis, alteri ab alteris Scripturam acciperent; sed eam omnes quasi ex communi traditionis thesauro depromptam apud se servaverunt.

Eâ ratione satis intelligitur difficile omninò esse ut sciatur quis auctor antiquæ versionis illius fuerit, cùm procul dubio factam antè Ephremi tempora fuisse, tot in ejus operimus citata testimonia quæ cum hodiernis testimoniis consentiunt, satis ostendant, ut etiam multa in liturgicis libris, quorum antiquitas hæresis nestorianæ et jacobiticæ memoriam superat. Si quasdam vulgares apud Syros traditiones sequimur, jam nos docuit Abulfaragius hanc multorum opinionem fuisse, quòd veteris Testamenti versio facta fuerit, nempè Pentateuchi et aliorum qui tunc exstabant librorum, jam à Salomonis tempore, in gratiam Hirami, regis Tyri. Eadem traditio confirmatur altero testimonio Choadedi, episcopi Haditensis, laudati à Gabriele Sionitâ, Præfatione in suam syriaci Psalterii editionem. « Sacrorum, inquit, voluminum « translatio hunc ordinem adepta est: Pen- « tateuchus, Josue, Judices, Ruth et Sa- « muel, David, Proverbia, Ecclesiastes, Can- « tica canticorum et Job, translati fuerunt « tempore Salomonis, orante exoranteque Hi- « ram, rege Tyri, ejus amico. Reliqui verò li- « bri, Vet. pariter ac Novi Testamenti, tempore « Abagari, regis Syriæ, curâ et sollicitudine « Thaddæi aliorumque Apostolorum. » Ità vertit Sionita, qui tamen malè Abagarum vocat

Syriæ regem, cùm in codice syro, Edessæ rex fuisse dicatur. Quis sit iste Choadedus, vel potiùs Jechuadad, in obscuro reliquit Sionita: nos auctorem non adeò antiquum, eumque Nestorianum fuisse judicamus, ex nomine eâ in sectâ familiarissimo, et analogiæ prorsùs persicæ, et ejus nisi fallimur, mentio fit in historiâ Catholicorum Bagdadensium. Verùm, quidquid de eo auctore statuatur, cùm recentissimus sit, levis admodùm est, vel nulla potiùs illius in ejusmodi rebus auctoritas.

Hebed Jesu, metropolita Sobæ, ità syriacè vocant Nisibin, qui indicem librorum syriacorum dedit non prorsùs contemnendum, quamvis paucos admodùm contineat, nec aliorum fermè quàm Nestorianorum meminerit, initio operis sui numerat omnes veteris et novi Testamenti libros qui eâdem linguâ exstarent; at quis versionis auctor fuerit videtur ignorâsse. Abraham Echellensis, qui opus illud syriacè et latinè Romæ edidit, notas adjecit, in quibus locum à Sionitâ productum Choadedi nomine Jesudado attribuit, errore fortassis librarii, qui Jechuadad, ut diximus, scribere debuit. Verùm Abraham sententiam illam de interpretatione antiquorum librorum factâ Salomonis tempore, quasi certam amplectitur; imò Salomonem auctorem syriacarum litterarum fuisse multorum Syrorum testimonio constare scribit. Mox citat ea verba quæ superiùs ex Abulfaragio retulimus ex Specimine historiæ Arabum Pocockii, eaque ità legit et interpretatur ut nos superiùs intelligenda diximus; tandemque assertionem illam suam de primâ syriacarum litterarum per Salomonem institutione ex eodem Jesudado confirmare aggreditur. Alios porrò qui fidem aliquam mereantur auctores non nominat; et si qui fortassis erunt, non majorem dignitatem quàm duo illi habere possunt, præsertìm cùm aliter scriptum reperiatur ab uno è præcipuis Nestorianorum scriptoribus. Is est Salomonis filius, Maris, et qui eum integrum transcripsit, Amron, Matthæi filius, initio historiæ Catholicorum, seu patriarcharum Bagdadensium; nam in aliâ opinione omninò sunt. Asserunt enim vulgò existimatum fuisse Ahi, quem Adæi et Maris socium in Evangelio prædicando ad Mesopotamenos esse credunt, scripsisse manu propriâ ibros veteris Testamenti, qui olim Edessæ, ubi diem suum obiit, linguâ hebraicâ legebantur. Verùm, cùm episcopis quibusdam id molestum foret, transtulerunt eos in syriacam. Novum Testamentum ex græcâ linguâ transtulit in syriacam Ammonius, vel secundùm alios, Tatianus, qui composuit Evangelium *Diatestaron* appellatum; et legebantur Scripturæ utrâque linguâ syriacâ et græcâ. At Hebed Jesu Tatianum cum Ammonio confundit his verbis: « Exstat autem Evan-« gelium quod compilavit vir quidam alexan-« drinus, Ammonius, qui est Tatianus, quod « vocavit *Diatestaron.* » Ex relatis porrò verbis ex historiâ Maris, filii Salomonis, intelligimus ecclesiæ Nestorianæ, quæ apud Syras antiquissima est, traditionem eò spectare ut ab Apostolis et eorum discipulis facta credatur translatio librorum veterum prima in linguam popularem, quod argumentum est vetustatem illius versionis superare omnem hominum memoriam, quæ idcircò ad vicina apostolicis tempora referenda sit. Ea nempè consuetudo omnium orientalium Christianorum est, ut quarum rerum initia certis temporibus allegare non possunt, ea ad Apostolos aut eorum proximos successores referant, ut fecerunt de omnibus antiquis liturgiis, quia proprium, ut ità dicamus, auctorem nullum habebant. Cùm igitur Ahi, vel Thaddæus, aut alii qui fidem Edessenis et aliis Syris in Mesopotamiâ annuntiaverunt, dicuntur Scripturas hebraicè apud eos legisse, argumentum fortassis non contemnendum esse queat, quòd ex Judæorum vicinitate et linguæ chaldaicæ cum syriacâ affinitate, apud Syros, quibus græca lingua ignota foret, Scripturas ex hebræo codice, vel ex chaldaicis versionibus legerint, ex quibus posteà syriacæ versiones factæ sint. Id enim contigisse aliquandò certissimum videtur, quamvis tempus assignari non possit. Nam ubicumque Christus annuntiatus est, ibi statim lectio Scripturarum instituta est. At eas græcè lectas apud eos qui hanc linguam non intelligerent, alienum planè ab illorum temporum moribus. Etsi porrò Judæi, qui tunc per totam Syriam et vicinas provincias dispersi erant magno numero, hebraicæ purioris non magis periti forent quàm Palæstini et Hierosolymitani, quibus incognita erat, nisi si qui eam studio comparâssent, nemo tamen dubitare potest quin auxilio patriæ linguæ, quæ chaldaicæ erat multùm similis, ad sacrum codicem intelligendum paratiores Syri quàm Græci essent. Ab iis igitur qui ex circumcisione primi Christo crediderunt, lectum fuisse vetus Testamentum judicare non inaniter possumus, eâ fermè ratione secundùm quam in Synagogis per omne sabbatum antè christiana tempora legebatur.

Judæi scilicet, ob summam sacri codicis reverentiam, legebant quidem sectiones secundùm ordinem hebraicè, sed ità ut post singulos versus explicatio sequeretur ex Paraphrasi chaldaicâ, quam legebat ex inferiori loco minister quidam secundi ordinis, de quâ disciplinâ Judæi multa præscribunt in tractatu Sopherim et aliis tractatibus Pandectarum Talmudicarnm, ex quibus quæ necessaria sunt collegit vir istis in litteris exercitatissimus, Joannes Light Footus et alii non pauci. Erat igitur, secundùm istam disciplinam, familiarissima Judæis in Syriâ constitutis explicatio sacrorum codicum per chaldaicas Paraphrases; atque ità non modò facile, sed propè necessarium erat, ut statìm atque illi fidem christianam amplectebantur, et ab Apostolis, qui et ipsi Judæi erant, ad scrutandas Scripturas et ad agnoscenda atque interpretanda quæ de Christo erant, excitabantur, iis libris uterentur quos habebant præ manibus, hebraicis scilicet, sed quos non novi chaldaicarum versionum beneficio intelligebant. Atque si conjecturæ non planè inani venia tribuitur, in hunc modum mihi accipienda videtur traditio illa non omninò contemnenda Nestorianorum de servato antiquitùs codice sacræ Scripturæ hebræo in Ecclesiâ Edessenâ, quem Ahis, Thomæ discipulus, descripserat. Ut enim eam non admittimus integram, et, si quid fabellarum habere videtur, libenter abjicimus, hìnc tamen certa traditio colligitur conservati in Ecclesiâ Edessenâ exemplaris antiquissimi, quod ab Apostolorum discipulo aut scriptum, aut delatum esset, atque illam esse primævam originem legendi Scripturas secundùm hebræos codices, factæque statìm versionis ad eorum formam, quæ consuetudo extrà Syriam et Palæstinam nascentis Ecclesiæ tempore, nunquàm deprehenditur; et illa quoque conjecturam nostram magnoperè confirmat. Idonea quippè ratio excogitari non potest, cur Christiani, qui statìm secundo seculo Judæos in infidelitate persistentes accusaverunt corruptorum librorum Testamenti veteris, ut prophetias de Christo eluderent, aut silentio obruerent, qui sæpè magnam piis et doctis hominibus molestiam creaverunt ob Judaicorum codicum defensam auctoritatem, ut inter alios Origeni, quam suo etiam seculo non mediocrem expertus est Hieronymus, in Syriâ tamen et Palæstinâ eosdem libros secundùm hebraica exemplaria in linguam patriam translatos Ecclesiis commendaverint. Neque enim ullum habuerunt qui, Hieronymi exemplo, Scripturæ tantùm elucidandæ causâ, laborem hunc susceperit; et ignotum usque hùc auctoris à quo versio illa confecta est nomen, simulque summæ ejus antiquitatis certa argumenta, quæ ex Basilii, Eusebii Cæsariensis et aliorum testimonio ducuntur, abundè confirmant eam, ut sacramentales libros et alios qui maximam in Ecclesiis publicamque auctoritatem habuerunt, nullum, propriè loquendo, auctorem agnoscere, nisi Ecclesias, à quarum antistitibus et doctoribus procurata et approbata fuerit. Quanti verò momenti sit ratio, quam modò tetigimus, de antiquissimo usu versionis ad codices hebræos factæ, qui solummodò apud Syros ab initio rerum christianarum viguit, paucis est explicandum.

Certum quippè est alibi quâcumque patuit Evangelii prædicatio, cùm Judæi Scripturas legerent ex græcâ versione 70 Interpretum, eamdem gentilibus ad fidem conversis statìm commendatam, eorumque studio, precibus officiisque sacris consecratam, quod facilè fieri poterat, cùm nemo fermè politioris ingenii græcarum litterarum expers foret, atque ab imperio Macedonum, totum græca lingua Orientem pervasisset. Vigebat præsertìm usus versionis illius Alexandriæ et in toto Ægypto, ubi ingens erat Judæorum numerus, ut ex multis Josephi testimoniis, etiam ex opere Philonis de Legatione, satis manifestum est, imò ubique gentium; nec enim ulla erat regio in quâ Judæi non essent. Illos omnes Hellenistas vocabant Palæstini, ut ex multis testimoniis magistrorum constat, quia græcâ linguâ utebantur, et quia græcè Scripturas legebant, undè exstant traditiones variæ codice thalmudico de Benedictionibus, quibus eas linguâ græcâ facere, magistris ità jubentibus, licitum esse statuitur. Cùm igitur toto passìm orbe, præterquàm in Judæâ et Syriâ, Scripturæ non aliter quàm græcè legerentur, Christiani, qui eamdem versionem à Græcis acceperant, ubi necesse fuit illas in sermonem magis vulgarem transferri, ex eâdem novas fecerunt, neglecto prorsùs hebraico codice, cujus etiam Judæi aut levem aut nullam cognitionem habebant, præsertìm in Ægypto et Asiâ. Testis vel unus Philò, inter suos doctissimus, quem viri litteratissimi jamdudùm judicaverunt hebraici sermonis prorsùs ignarum fuisse, adeò abhorrent à vero omnes ejus etymologiæ, imò et illum in traditionibus quæ Hierosolymis docebantur, et in quibus tota doctrina sapientium consistebat, planè versatum non fuisse, certissimis ipse indiciis demonstrat, ut vel uno

illo locò circà Paschatis celebrationem quo victimas asserit à singulis patribusfamilias, qui in magnâ illâ solemnitate sacerdotii participes quodam modo forent, immolatas extrà templum fuisse, quod falsissimum est, quidquid auctores nuperi, qui de Paschate scripserunt, ad ejus vindicandam auctoritatem comminisci conati fuerint. Ubi igitur Christianorum aucta majorem in modum multitudo fecit ut in vulgares linguas transferri sacras Scripturas necesse foret, quod quandò singulis in regionibus factum sit sciri non potest, Ecclesiarum antistites eum codicem in interpretando exprimi voluerunt, qui esset notissimus et omnium manibus teneretur. Ità ut ab Ægypto incipiamus : antiquissima versio coptica sive ægyptiaca ex græcâ 70 facta est; neque enim aliam vel ipsi Judæi Ægyptii noverant, multò minùs Christiani, qui ex gentibus ad fidem accesserant. Et ab illis primis seculis hùc usque eadem versio secundùm græcum exemplar conservata est, nec aliam Ecclesia coptica unquàm admisit : adeò ut arabicæ, quæ post aliquot sécula ex copticis exemplaribus factæ sunt in eorum gratiam qui neque copticè neque græcè scirent, ad eamdem formam expressæ sint, ut fusiùs explicabimus. Ità, cùm non solùm in Asiâ, sed in toto fermè orbe romano græcæ linguæ usus esset, ubi latinâ versione opus fuit, ea quoque ad græcum exemplar facta est, nec una, sed multæ, adeò ut latinos interpretes numerari non posse Augustinus (lib. 2 de Doctr. Christ. cap. 11) testatus fuerit. « Etenim cuique, inquit, pri« mis fidei temporibus in manus venit codex « græcus, et aliquantulùm facultatis utriusque « linguæ habere videbatur, ausus est interpre« tari. » Hinc discrimen tantum inter Scripturæ versionem quæ adhibetur à Tertulliano, à Cypriano, ab ipso Augustino, ut Luciferum Calavitanum et alios prætereamus, qui aliam omninò usurpant, sive tunc exstaret aliqua, sive Scripturam ex græco libro ex tempore interpretarentur. A latinis antiquis versionibus, an aliæ in linguas vulgares factæ sint primis Ecclesiæ seculis, hoc est usque ad sextum et septimum, res obscurissima est; nam quod de versione dalmaticâ, Hieronymo auctore, à nonnullis scribitur, valdè dubium est. Punicam Augustini tempore versionem sacræ Scripturæ exstitisse existimavit Samuel Bochartus ex quodam loco commentarii in Ps. 118, sed qui nihil minùs significat, ut facilè probaretur si hæc quæstio esset hujus loci. Ex græcâ quoque 70 versione facta est antiquissima Getarum sive Gothorum linguâ ; quâ habemus Evangelia quatuor, edita ex verdensi codice vetustissimo, moscoviticam et alias; sed cujus vetustatis illæ sint sciri vix potest.

Atque ità omnes antè Hieronymi ex hebræo codice interpretationem, quam Ecclesia romana accepit, et omissâ veteri italâ in Ecclesiis legendam tradidit, omnes, inquam, antiqui Testamenti versiones erant secundùm codices 70 Interpretum : reliquæ post Hexapla Origenis commentariorum ad Scripturæ faciliorem intelligentiam locum habebant, auctoritatem, tanquàm approbatæ publico Ecclesiarum usu, nullam obtinuerant. Soli Syri sequentes hebræum codicem, novam patriâ versionem linguâ habuerunt : nempè quia magna cùm in Palæstinâ et vicinis regionibus esset Judæorum multitudo, quibus ex usu quotidiano erat lectio Scripturarum, vel in ipso primario codice, si litterati essent, vel in chaldaicis versionibus quæ antè Christum aut circà ejus tempora factæ fuerunt ab Onkeloso et Jonathane, proclive erat, ex amore linguæ nativæ suæ, ut statìm secundùm codices, quos habebant in manibus, novam sibi versionem procurarent, cùm chaldaica lingua, Hierosolymis et in Palestinâ vigens, esset adeò vicina syriacæ, ut pro eâdem habeatur multis in locis apud Talmudicos. Multò magis id fieri debebat ab illis doctis qui inter Scribas et Pharisæos, cum Gamaliele, Nicodemo et aliis jurisperitis, Synagogæ magnæ luminibus, quorum adhuc in libris Judæorum memoria servatur, cùm legi honorem deferrent ut apud populares suos legeretur eâ linguâ quam antè Christum habebant in usu sacrarum lectionum quotidiano, et quâ ipse Christus in Synagogâ eam legisset, præsertìm cùm, ut omnes sciunt, per annos multos in cathedrâ hierosolymitanâ non alii antistites quàm ex Judæis constituerentur. Cùm igitur omnes illi aut hebraicam linguam, saltem quantùm necesse erat ad Scripturarum lectionem intelligerent, omnibus quoque ex plebe notæ essent versiones chaldaicæ, dubitare vix possumus quin ea causa fuerit cur syriacæ antiquiores ad judaicos codices factæ fuerint, quia plerique Palæstini secundùm eas Scripturam sacram legere solerent, et officia publicarum precum persolvere. Græcam verò 70 Interpretum usurpabant Hellenistæ qui Hierosolymis synagogas habebant, ut illæ Alexandrinorum et Libertinorum in Actis Apostolorum memoratæ; at in publico templi ministerio usus illius omninò nullus erat. In Syriâ, Mesopotamiâ et vicinis regionibus, cùm vulgaris esset chaldæa

lingua, græca verò in urbibus præcipuè vigeret, vix erat ex Judæis ullus cui non familiares essent non minùs quàm Hierosolymitanis versiones chaldaicæ. Sive autem illæ, quales nunc apud nos exstant scriptæ essent, sive, ut probabile est, à Judæis qui in infidelitate permanserunt interpolatæ, Christiani illis uti vix poterant; undè proclive fuit ut novas sibi, sed ad cognitum et usu quotidiano frequentatum exemplar, conscriberent. Atque ea, nisi vehementer fallimur, origo est syriacarum versionum Testamenti veteris, quæ in toto patriarchatu antiocheno ad hæc usque tempora conservantur. Antiquitatem porrò illarum, præter ea quæ dicta sunt, magnoperè confirmant vetustissimorum auctorum testimonia; ut Eusebii, præter Basilium, Hom. 2 in Hexalmeron, Ambrosium, lib. 5, Augustinum, de Civit. Dei, lib. 15, c. 13, et alios. Ex his efficitur, ut ex scholiastis græcis, qui sæpè syram versionem citant, eam antiquitùs conversam fuisse in græcum sermonem, nam plerique legere illam syriacè non poterant: quod fortassè factum in Hellenistarum gratiam, qui cùm græcâ linguâ uterentur, volebant idem in suis codicibus legere, quæ in Ecclesiis syriacis audiebant. His adjungi potest alia et quidem certissima auctoritas non modò ex Ephremo, qui linguæ græcæ ignarus, Scripturam tamen commentariis multis illustravit, haud dubiè eam le ens in syriacis codicibus, sed etiam ex aliis Syrorum operibus, quæ ab Hieronymo recensentur, ut sunt Archelai, episcopi Mesopotamiæ, et Bardesanis Syri, qui suâ linguâ scripserunt. Neque enim dubitandum quin in libris ubi de religione agebatur, Scripturæ persæpè adlegatæ fuerint, atque adeò ex codice syriaco, quem eâ ratione exstitisse necesse est, antequàm illi scriberent. Neque aliter lectas Scripturas à syris monachis, nisi linguâ patriâ, argumentum est id quod habet Hieronymus in epitaphio Paulæ, inter psallentium ad piæ illius matronæ funus ordines, Psalmos syro quoque sermone personâsse. Atque hæc, quantùm existimare possumus, argumenta sufficiunt ad probandam antiquitatem syriacæ ex hebræo codice versionis, et ejus originem, quæ simplicissima est, ut nempè à primis ex Judaismo Christianis ad earum morem facta sit, quas diversæ Ecclesiæ fecerunt secundùm exemplaria quæ habebant in manibus; at nullæ magis hebraicis et chaldaicis codicibus utebantur, quàm quæ aut in urbe sanctâ, aut in vicinis regionibus primùm institutæ fuerunt. Eam autem esse quæ etiam nunc apud Syros conservatur, videtur omninò certum. Illi enim notæ omnes conveniunt quæ veterem ab Ephremo, Eusebio, Basilio, Augustino, scholiastis græcis laudatam designant: hebræam litteram sequitur, quod inter omnes alias antè Hieronymum versiones ei singulare fuit; dicitur ab Apostolorum discipulis facta, quod maximæ vetustatis indicium est, et in Edessenâ Ecclesiâ olim legi solitam ad exemplar primævum hebraicum dùm testatur ex Nestorianorum traditione Maris, Salomonis filius, ejus quoque antiquitatem confirmat. Nam ut alibi, ubi de scholiis Syrorum antiquis ageretur, dictum est uberiùs, florebant in eâ urbe sacrarum litterarum studia sub magistris doctissimis. Illius Edessenæ scholæ meminerunt Theodorus Lector, vitâ Luciani martyris, apud Metaphrasten; et in vitâ Alexandri, Acæmetorum fundatoris, scribitur erectas fuisse in eâ urbe linguæ syriacæ scholas in vicinarum civitatum commodum. Nec minor dignitas scholæ Nisibensis, cujus meminerunt Junilius episcopus, præfatione in librum de partibus divinæ legis, et Cassiodorus, in præfatione Institutionum, ubi de Scripturâ loquens: « nunc, ait, in Nisibi civitate Syro- « rum Hebræis fertur exponi »; qui locus, ut videtur, mendo non vacat: nec enim schola Nisibensis aut Edessena Hebræis instruendis designata erat; sed etsi locum absque codicibus MSS. emendare non audemus, ità non frustrà planè conjectari licet verba Cassiodori ità accipienda ut de explicatione Scripturarum secundùm Hebræos codices intelligenda sint. Ea enim præcipua cura erat scholarum Edessæ et Nisibi, ut præter ipsam versionem, quam satis quisque agnoscit ex hebræo factam, vetus Nestorianorum traditio, et consensus Ecclesiarum syrarum omnium, in illâ acceptandâ absque sectarum præjudicio, id satis efficiunt. His rationibus, quæ firmissimæ sunt, adjungi aliæ complures possunt, quæ pariter probant, à Judæis primùm ordinata apud Syros esse omnia quæ ad ecclesiasticam disciplinam pertinerent, atque ità proclive fuisse ut qui ab Ecclesiâ hierosolymitanâ missi ad novas illas in Syriâ instituendas fuerant, mores quos illic didicerant ad eas deferrent. Observat enim patriarchalis Nestorianorum historia, post Marin, quem Thomæ et Adæi sive Thadæi discipulum et coapostolum quodam modo fuisse censent, successores in cathedrâ Modaïnensi habuisse, Abris, ex familiâ Josephi, sponsi Mariæ, tùm Jacobum et Abrahamum, qui priùs successit, omnes ex eâdem familiâ Hebræos, quorum ultimus fuit Ohad Aboüie Jacobi, ut volunt,

filius; ità quoque omnes ex Circumcisione electi sunt; atque eadem disciplina permansit de legendis secundùm hebraicum codicem Scripturis. Illi etiam honoris tituli Rabben, qui antiquis illis scholarum syrarum rectoribus tribuuntur in historiâ nestorianâ, originis sunt hebraicæ, atque adeò iidem qui magistris apud Judæos tribuebantur Christi tempore; undè Gamaliel, Pauli præceptor, Rabben Gamaliel à Talmudicis appellatur, ut et plerique insigniores legisperiti, de quibus videndi auctores præcipui in Pierk Aboth, Maimonides, tùm alii qui eos collegerunt, Buxtorfius, Light Footus, et tàm multi alii, ut etiam historici Juchatin, Schalchelet Hackabala, Tzemach David. At in historiâ nestorianâ celebres multi, etiam post Constantinum, eo titulo qui scilicet à Judæis primùm translatus, apud Syros, ob magisterii dignitatem conservatus fuerat. Tandem, etsi codicem hebræum exprimit syriaca illa versio de quâ disputamus, is est in multis diversus ab eo Masoretharum, quem solum plerique Protestantes authenticum agnoscunt, ut scilicet eâ ratione longiùs ab Ecclesiâ Catholicâ, quæ græcam 70 veterem italam et Hieronymi versiones lectione mysteriisque suis consecravit, recederent. Syri veteres usi sunt melioribus codicibus, neque habent illa vitia quæ Judæorum posteriorum obscura diligentia in sacros libros invexit. Ità, ut unum aut alterum duntaxat exemplum in medium proferamus, non est in versione Syrâ, ut in hebræis codicibus, hiulca oratio in verbis Caini fratrem adloquentis, et nihil dicentis, sed ea verba: *Eamus in campum*, quæ græca 70, Samaritanorum codex et Vulgata repræsentant, ipsa pariter exhibet. Tresdecim alios versus ex solâ Genesi collegit vir doctissimus, Joannes Morinus quem consulere quisque poterit (Exercit. 4 in Pent. Samarit. c. 3), ut alios quoque multos ex codicum inter se comparatione colligere. Atque vel eâ solâ ratione constat versionis syræ antiquitatem esse maximam, dignitatemque præcipuam, cùm paraphrases omnes quæ à Judæis factæ fuerunt, et ex quibus versiones aliæ prodierunt, easdem sinceritatis vetustissimæ notas non habeant.

Verùm quantacumque esse judicetur vetustas illa syriacæ translationis, nihil omninò apud cordatos homines valere potest inanis illa, quam ex Jechuadado Hadithensi et Abulfaragio retulimus, opinio, quasi illa Salomonis tempora attingat, aut in Hirami, regis Tyri, gratiam facta fuerit. Somnia hæc sunt otiosorum hominum, ignota, ut videtur, melioribus scriptoribus; neque enim illius meminit Maris, Salomonis filius, etsi sæpè, ut Orientalium consuetudo fert, à fabulis non abhorreat. Nempè, dùm suarum Ecclesiarum origines extollere satagunt, hæc commenta illis opportuna existimantur, neque ulla fermè ecclesia est, quæ similia non legat in antiquis suis historicis. Nam Coptitæ, quia fidem à D. Marco acceperunt, non modò Evangelium ab eo linguâ ægyptiacâ scriptum esse volunt, sed factam etiam totius sacri Codicis ab eo versionem. Ità Æthiopes, quia reginam Saba, quæ ad Salomonem profecta est, æthiopissam exstimant, habere quoque sacras litteras credunt jam ab ipso Salomonis tempore, ut et fidem didicisse ab eunucho quem Philippus baptizaverat. Ea quoque nec melior ratio est famæ illius quam versioni suæ conciliare ex falsâ antiquitatis ambitione Syri recentiores conati sunt, quæ et prorsùs contemnenda est et refelli opus non habet.

Contrà hanc nostram de illius versionis origine sententiam pauca objici posse video, quæ tamen perstringere operæ pretium erit. Statìm objicietur fieri vix posse ut ea tàm antiqua sit et eam ignorârit Hieronymus, vir apprimè diligens, qui omnia fermè legerat, quique dùm tot et tantos labores in explicandâ sacrâ Scripturâ consumpserat, debebat quodam modo istam non ignorâsse, præsertìm qui in Palæstinâ viveret. Diximus eum in Epithaphio Paulæ uno verbo significâsse quòd suo tempore Psalmi syriacè canerentur à Syris. Cur eam versionem in testimonium aliquandò non adhibuerit, causæ divinari multæ possunt, assignari certa nulla potest; sed cur anxiè investigetur, ratio omninò nulla est. Neque enim dubitare nos sinunt Basilii, Ambrosii, Augustini testimonia, exstitisse syriacam versionem, quam nulli eorum syriacè legere poterant, sed tantùm per interpretes consulere. Undè ex silentio Hieronymi nihil certi adversùs ejus auctoritatem et antiquitatem colligi potest, præsertìm cùm ea Græcis fuerit notissima, eamque Eusebius et scholiastæ citent: nam de Theodoreto dicere nihil attinet, quia Syrus erat. Occurrunt in Actis conciliorum, episcoporum aliquot nomina, qui, cùm græcæ linguæ expertes forent, syriacè subscribebant. An eos existimabimus non legisse sacram Scripturam, an, sicut idiotæ jam apud nos faciunt, legisse, sed non intellexisse? Alii erant illorum seculorum mores: legebant scilicet, et exponebant syriacè Syris sacras litteras, ut Ephrem, Jacobus Nisibenus, et tàm multi alii. Quòd si non adducebatur ab

Hieronymo ejus auctoritas, causa erat quia hebræum ipsum codicem, ad quem expressa erat, exponens, et commentariis illustrans, et ab ipsis Judæis edoctus, tali subsidio facilè carere poterat, cùm præsertìm Latinis scriberet, apud quos sufficiebat et hebraicæ et græcæ Scripturæ comparatio et explicatio.

Antequàm porrò huic dissertationi nostræ de versione syrâ secundùm hebraicos codices finis imponatur, operæ pretium erit quædam ex recentioribus criticis judicia colligere, quibus antiquitatem ejus et auctoritatem labefactare quidam conati sunt. Hærent enim facilè in hominum animis qui nullâ sacrarum litterarum, præsertìm peregrinâ linguâ scriptarum, facultate prædìti, legunt vernaculos de sacrâ criticâ commentarios quibus judicare omninò nequeunt, et quorum doctrinâ malè intellectâ abutuntur mirum in modum ad enervandam sacrorum librorum auctoritatem. Auctor igitur criticæ sacræ veteris Testamenti, cujus magna apud plerosque existimatio est, cùm de aliis versionibus egisset, de syriacâ pariter docere nos voluit quæ foret ejus sententia. Retulit quidem compendio Abulfaragii testimonium, quod superiùs relatum est, ità tamen ut cùm ex eo dixit esse duplicem translationem apud Syros, unam secundùm Hebræos, alteram secundùm Græcos codices, utramque in usu esse apud Syros occidentales asserat, quod, nisi explicetur, molestum esse ignaris lectoribus potest, eosque inducere in errorem gravissimum. Nam aliud omninò est habere Syros duplicem translationem, aliud uti eos translatione illâ duplici. Usus enim, de quo quæritur, non is est tantummodò quem habent libri apud doctos in bibliothecis conservati, undè promantur ad testimonium, quandò, vel explicandæ Scripturæ sunt, vel hæretici revincendi. Verùm usus propriè dictus versionis authenticæ alicujus, in eo consistit, ut legatur illa ex pulpitis apud christianam plebem, et inter liturgiarum solemnia lectiones sacræ ex eâ fiant. Isto modo latina Ecclesia utitur Hieronymi versione, ex hebræo factâ, in omnibus veteris Testamenti libris, præterquàm in Psalmis, quos ex antiquâ consuetudine canere solet, secundùm septuaginta Interpretes, quorum versionem tamen non ità contemnit, ut locum in exponendis Scripturis controversiisque fidei elucidandis non habeat. Attamen eadem latina Ecclesia, in sacris suis officiis, per multa secula neutram adhibuit; nam in lectionariis Hieronymo recentioribus, quorum exemplaria multa servantur adhuc in bibliothecis, latinæ versionis fragmenta sunt ex italâ veteri: quæ vetus disciplina, etsi passìm abrogata est, circà lectiones, ex quo missales libri et breviaria novam, secundùm editionem Bibliorum Clementinam, reformationem sustinuerunt, attamen in gradualibus mansit hùc usque vetus lectio et in Psalmis, quorum initia ad initium Missæ recitantur, ut ex officio dominicæ Palmarum totiusque Majoris Hebdomadæ facilè agnosci potest. Eum in modum triplici versione utitur romana Ecclesia, Hieronymi, quam ex hebræo fecit; et Septuaginta, quos ex ejusdem interpretatione adhibet ad quotidianam psalmodiam; italâ tandem vetustissimâ in missalibus. Eo exemplo, si quis existimabit syras occidentales Ecclesias promiscuum usum habere duplicis versionis, is falletur magnoperè. Neque enim aliam veteris Testamenti usurpant, tùm in lectionibus, tùm ad sacramenta, quàm simplicem ex hebræo; alteram commentarii cujusdam loco adhibent, quod, satis non animadversum à viro doctissimo, explicari necesse fuit.

Citat quoque Hebed Jesu testimonium de Mar-Aba: sed quia nondùm sciri potuerat quandò ille vixisset, illam Syrorum traditionem non videtur auctor magnificare; imò inclinare videtur ad eorum opinionem, qui versionem secundum septuaginta Interpretes majorem habere antiquitatem existimant, præsertìm eo argumento, quod, cùm diù antè Mar-Aba Syrorum Ecclesia exstiterit, dubitari, inquit, non potest, quin libros sacros suâ linguâ legerit, sive ex hebræo interpretatos, seu ex septuaginta Interpretibus, quod verisimile magis videtur. Nata enim Ecclesia est cum illâ versione græcâ; tùm illud certum Tyros linguâ suâ expressisse Septuaginta senum editionem, secundùm exemplaria, quæ ex Origenis Hexaplis Eusebius transtulerat. Dubium sanè esse hoc in genere nullum potest, quin diù antè Mar-Aba fuerint Syri Christiani, à quibus Scripturæ suâ linguâ legerentur, ut semper tulit Ecclesiæ consuetudo, atque id præsertìm certum, quandò, ex Nestorianorum traditione, constat vixisse illum circà concilii Constantinopolitani secundi tempora. At cur in incerto relinquatur quâ ex linguâ eas interpretatas Syri legerint, an ex primævâ hebræâ, an ex græcâ, causa nulla est, cùm ipsi libri per se loquantur, antiquissimosque omnes constet hebraicum repræsentâsse codicem, non græcum Septuaginta. Ea quoque communis Syrorum traditio est, ut ex Mari Salomonis filio et aliis retulimus, quæ sanè satis agnosci

etiam inter fabulas potest. Quod enim aiunt veteris Testamenti partem maximam, sub Hiramo rege translatam fuisse, nihil aliud significat, quàm summam ejusdem versionis antiquitatem, adeò ut fortè antè Christum facta fuerit. Ut enim id factum esse probari idoneis argumentis non potest, ità impossibile factu fuisse multò minùs probari poterit, cùm Judæos qui in Syriâ græcè nesciebant, ut erant sanè permulti, constet Scripturas legisse chaldaicâ linguâ, cùm minùs adhùc hebræam nôssent : atque ità nihil proclivius fuisse, quàm ut propriam sibi ex vulgatis versionem facerent.

Quod verisimilius existimat fuisse vir doctus, ut ex græcâ interpretarentur, duobus rationibus probat : quarum neutra satis virium habet. Nam etsi nata sit Ecclesia quodammodo cum Septuaginta virorum interpretatione, certissimum tamen est, jam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, Syros qui, ut magis vicini, primi Christo nomen dederunt, legisse Scripturas secundùm hebræum codicem ; atque id majori observatione dignum est, quòd alibi nihil simile observatum fuerit, sed omnes ecclesiæ græcâm versionem aut legerint, aut vernaculâ interpretatione expresserint. Ità prima ista ratio nihili est, cùm solùm Ephrem, testis locupletissimus, satis ostendat usos esse Syros eâdem versione, quæ ad nos usque pervenit. Atque illa tanta habita est apud auctores Scripturarum doctrinâ commendatissimos, ut in eorum gratiam, qui syriacè nescirent, eam græcè antè concilii Nicæni tempora interpretati sint. Neque magis valet viri doctissimi altera ratio, quòd certum sit Syros suâ linguâ expressisse Septuaginta senum editionem, secundùm exemplaria quæ ex Origenis Hexaplis Eusebius transtulerat. Nam si auctorum testimoniis aliquid tribuendum est, Maris, filius Salomonis, Abulfaragius, Hebed Jesu et alii nullius ejusmodi translationis meminerunt, nisi ejus quæ antè sextum circiter seculum facta fuerit, scilicet auctore Mar-Aba, vel quocumque alio. Quòd porrò non inanis adeò hæc conjectura sit superiùs satis demonstratum est, ex communi diversarum omnis generis versionum epochâ. Sed præ aliis rationibus adversùs viri clarissimi hypothesin pugnat Syrorum omnium cujuscumque sectæ constans hùc usque disciplina, secundùm quam Scripturæ non leguntur ex illâ versione, quam Ecclesia primordiis coævam existimat, sed ex alterâ hebræis codicibus conformi, ut suprà dictum est. Nihil igitur omninò movere nos hâc in disputatione debet, ut posteriorem illam secundùm 70 Syrorum versionem, alterâ vetustiorem esse existimemus, cùm seculis aliquot recentior sit.

Pergit auctor et, criticen suam exercens, versionem syriacam, quæ in Polyglottis Parisinis et Anglicanis habetur, agnoscit ex hebræo exemplari factam : etsi, inquit, multis in locis ad græcam Septuaginta versionem reformata fuerit, seu potiùs ad syriacas et arabicas, quæ ex illâ factæ sunt, accommodata. Istius porrò censuræ suæ rationem aliquam ab eo lector exspectabat, quam tamen suppressit; etsi, ut verum fateamur, ne verisimilis quidem ulla suppetat. Si enim multis in locis differt ab hodiernâ lectione hebraicâ, ut sanè differt, nota hæc non interpolationis est, sed summæ antiquitatis, quam codex Samaritanorum hebraicus, et versio samaritica, ex eodem facta, perspicuè confirmant. Quis enim non existimet potiùs in psalmo 21 legisse : *foderunt manus meas*, etc., cum Hieronymo et 70 interpretibus, quàm reformâsse lectionem Masoretharum ridiculam et abnormem? Neque enim quisquam erit, opinor, in tantâ sacrarum litterarum luce satis indoctus, nisi sit ex Tiberiade illâ basiliensi, qui hebræum codicem, ut cum nunc habemus, omni vitio carere existimet. Ità quoque aliis in locis, quæ alii antè nos collegerunt, ubi est aliqua discrepantia inter hebraicam et syriacam lectionem, non temerè sed summâ cum ratione judicamus, Syros interpretes melioribus usos esse codicibus, quàm erant illi, quos schola Masorethica ad recensendum suum adhibuit. Quod porrò conjectatur auctor de illius versionis emendatione ad arabicas vel syriacas Septuaginta versiones, probari ne minimâ quidem auctoritate potest : nam, ut jam observatum est, Syri posterioris ex græco exemplari versionis antiquitatem sexto seculo superiorem non statuunt : utriusque codicis differentiam agnoscunt; cùmque illos inter se comparant, notæ inscribuntur ad marginem, atque etiam codices ejusmodi non admodùm antiqui sunt, ipsaque syriaca secundùm græcam versionis exemplarium raritas satis ostendit, non eam esse auctoritatis tantæ, ut ex eâ emendari vetus editio potuisse existimetur. Neque ullum talis emendationis indicium repræsentant codices satis antiqui, ut Colbertinus optimus, qui magnam veteris Testamenti partem continet, Psalmorum librum integrum ex versione secundùm 70 Interpretes. Ad eum verò psalmi locum, qui de Christo perspicuè testa-

tur, etsi marginem scholia impleant, multa est observatio diversæ inter syram veterem et novam lectionis. Nemo tamen in orientalibus Judæorum versionibus versatus, qui manuscriptos eorum codices tractaverit, ignorat eos in pertinaci lectionis Masoretharum imitatione consentire, ut chaldaicæ et persicæ, quarum una, quæ penès me est, collata cum duobus aliis exemplaribus, eam lectionem sequitur. Quid quòd Gregorius Abulfaragius et antiquiores Dionysius Barsalibi et Moses Barcepha in commentariis suis citant satis frequenter versionem secundùm septuaginta Interpretes, tanquàm à suâ magnoperè diversam, adeò ut ejus sensum alteri aliquandò præferre non dubitent, ubi de prophetiarum sensu agitur, aut de conciliandis novi Testamenti locis, qui ex Septuaginta scripti sunt, cum vulgari suâ syrâ lectione? Ità Dionysius commentario in Matthæum ad hæc verba : *Ecce virgo concipiet*, præferendos ait septuaginta Interpretes, quod argumento est scivisse eum discrimen lectionis exemplarium utriusque editionis, quæ quidem, si reformatæ forent, sanè illis potissimùm in locis, ubi maxima prophetia continetur, quæ christianæ fidei fundamentum est. Attamen illi potissimùm loci erant ubi reformari ad septuaginta Interpretum lectionem codices syros ex hebræo versos oportebat, cùm ad christianam religionem magnoperè pertinerent, non verò in genealogiis, in annorum supputationibus, et aliis ejusmodi capitibus, quæ tractari à doctis solent, at ad plebem christianam nullatenùs pertinent. Ut autem nemo samaritanam versionem, aut ipsum hebræum codicem samaritanis litteris descriptum, reformata potiùs suspicabitur fuisse ad græca exemplaria, quia cum illis consentiunt, quàm facta ad meliores codices quàm qui nunc sint in Judæorum manibus, ità quoque de syriacâ versione judicabunt quicumque eam cum aliquâ attentione legerint, maximè cùm à multis seculis nemo inter Syros fuerit qui in hâc codicum emendatione utilem operam aliquam præstare posset, amissâ, non modò inter Christianos, sed inter Judæos ipsos, hebraicæ linguæ cognitione, græcâ quoque paucis cognità, ut multa historiarum exempla palàm faciunt. Quidquid tandem de conjecturâ illâ statuendum sit, non aliter nisi ut id quod divinando dicitur accipienda est, donec aliquæ reformationis illius probationes afferantur : neque enim ulla vel levissima hùc usque nobis occurrit. Imò pugnat adversùs eam communis Jacobitarum et Nestorianorum traditio, qui primam antiquissimam ab aliâ distinguunt tanquàm seculis quinque, ut minimùm, posteriorem : nullamve ullius recensionis ad græca exemplaria mentionem faciunt præterquàm in novo Testamento, quod ex illis versum fuit, ut notant, circà editionem Philoxeni et Thomæ heracleensis.

Ad Arabicas porrò versiones factam fuisse syrarum emendationem nemo suspicabitur, qui meminerit exstare vix ullam eâ linguâ, quæ ad græcum ipsum exemplar facta fuerit, plerasque verò si non omnes, ex syriacis, copticisque profluxisse. Exstat quidem in variis bibliothecis arabica versio secundùm septuaginta Interpretes, auctore quodam Harethâ, filio Sinani, de quâ inferiùs dicendum erit. Verùm ex ipso codice græco fuisse expressam est quod magnoperè dubitemus : cùm qui syriacam sequeretur ex eodem græco factam interpretationem, titulum hunc apponere potuerit, ut facilè multis argumentis confirmari potest. Ut enim qui latinè scribens testimonium affert ex versione Septuaginta, et latinam tamen vocem adscribit, ità Syri et Arabes, cùm diversas ejusmodi lectiones citant, utuntur syriacis vocibus ex syriacâ secundùm eosdem interpretes translatione conversis, et tamen eos laudare se testantur ; eâdem prorsùs ratione septuaginta Interpretes appellantur apud Orientales, non modò græcus eorum codex authenticus, sed versio ex eodem expressa, quam secutos esse auctores versionis illius arabicæ, multa suadent. Reliquæ fermè omnes expressæ sunt vel ex syriacis, ut quæ apud Nestorianos in usu est, aliæ quoque apud Jacobitas et Melchitas, de quibus dicetur suo loco; vel ex copticis, ut quæ in tractatu alexandrino totoque patriarchatu legi ab annis mille solent. Ad eas porrò reformatam esse editionem syriacam principem, quæ originalis cujusdam dignitatem habet, non est verisimile. Occurrunt sanè codices arabici complures qui cum syriacis comparati ex illis emendantur, ut inter alios vetus et optimæ notæ in Bibliothecâ Regiâ; neque id solùm observatur ergà sacros libros ex græcis conversos, sed ergà omnes fermè veteres cujuscumque generis, qui ex eâdem linguâ in arabicam translati fuerant. Nam plerique primùm ex syriacâ versione translati sunt, quales omnes fermè qui sub Almamone facti sunt, cùm jam pauci græcæ linguæ illam facultatem haberent ut idonei similium librorum interpretes esse possent. Eâ ratione ad syras versiones arabicas expresserunt suas. Eas cùm viri diligentes et studiosi recenserent, cum Syriacis codicibus

sæpè comparaverunt tanquàm antiquioribus, et quorum foret auctoritas potior. Ità in Dioscoridis versione arabicâ, quæ exstat apud Ebenbeitarem, De medicamentis simplicibus, observavimus in antiquo codice bibliothecæ collegii Societatis Jesu Parisini, ut libros theologicos prætereamus, qui pares sæpè comparationes habent. At è contrario syros ex arabicis restitutos libros qui viderit hùc usque audivimus aut legimus fuisse neminem. Quod igitur vir doctiss. vult emendatam Syram versionem ex arab., non modò incertum, sed falsissimum esse putamus, nisi argumenta conjecturæ suppeditentur, quæ opinamur esse nulla.

Quæ prætereà refert de versionis illius defectibus, quorum aliquot exempla producit, ea sunt ejusmodi, ut eorum qui editioni præfuerunt indiligentiam, librariorumve culpam, non ipsius syriaci codicis significent. Nam, ut pauca quædam attingamus, dubitare vix licet vocem Geloïe corruptam esse loco Goïe, cùm tanta sit litterarum similitudo, major ut esse nulla possit; et operosa illa, quam Angli tantoperè venditant, variarum lectionum collectio, nihil aut parùm juvare nos queat. Facta enim est ex codicibus geminis, Pocokiano, qui ut ex diversis illis lectionibus intelligitur, non admodùm antiquus aut bonæ notæ fuit, Usseriano, qui erat planè nihili; exstat enim jam in bibliothecâ Colbertinâ, neque aliud est quàm apographum ex altero codice, factum ab imperito aliquo litterarum syriacarum, qui idcircò litteris hebraicis usus est. Tales autem homines hallucinatos fuisse sæpissimè facilè quisque judicabit, cùm quotidiè doctissimos quosque in errore manifesto deprehendamus, ut, exempli causâ, Edmundum illum Castellum, laboriosum Lexici Polyglotti contextorem: qui in persicis et arabicis silvam ingentem vocum quasi persicarum refert quæ nusquàm fuerunt, nisi in ejus cerebro, dùm similes litteras inter se confundit; negamus igitur ex similibus erratis, quæ tamen in syriacâ versione satis rara sunt, et quæ ad librarios, et si lubet, interpretes referenda sunt, statui quidquam adversùs ejus antiquitatem posse, aut probari indè interpolatam eam fuisse, quod tamen auctor quasi à se demonstratum adhibet multis in locis. Idem omninò statuendum de paucis aliis observationibus, quas eodem in genere collegit auctor critices, quæque omnes ex vitiosâ puncti unius appositione, aut duobus vel tribus in locis ex aliquâ litterulâ malè formatâ natæ, interpretibus fraudem fecerunt, versioni præjudicium facere nullum queunt. Reliqua quisque vel mediocriter doctus satis per se intelliget: caveant porrò qui hæc orientalia studia vix à limine salutaverunt, ne doctorum hominum, sed sæpè aliud agentium, aut alios duntaxat exscribentium auctoritate abrepti, temerè de illarum versionum auctoritate et sinceritate pronuntient, quasi semper eas interpolatas esse credendum sit, quæ cum hodierno Judæorum codice non consentiunt: imò id argumentum, quod ad interpolationis probationem trahere conantur, magnum prorsùs, ad probandam illarum vetustatem, pondus habet. Magnam pariter auctoritatem habere debet ad vindicandas antiquas hebræi codicis lectiones, quas editio Græca 70, Patrum antiquorum testimonia, Vulgata nostra, codex samaritanus tuentur contrà Masorethas, ut præclarè docuit vir in eâ litteraturâ præcipuus, Joannes Morinus, fusèque demonstravit in commentario exquisito exercitationum in Pentateuchum samaritanum. Illum, cùm criticis hujus ætatis omnibus fermè præiverit, neque vel ullus cum eo comparandus occurrat, adeò ut etiam cùm paululùm aberrat à vero, plura nos doceat quàm omnes alii, illum, inquam, sequi potiùs, quàm recentiorum præpostera judicia, eliget quicumque his studiis seriò adjecerit animum. At ille de syrâ istâ versione aliter omninò statuit, eamque vetustissimam, et à quâ elucidari multis in locis textus Hebraicus posset, judicavit, tantùm abfuit ut laciniosam ex hebræo-chaldaico, arabico codicibus farraginem esse censeret. Multò minùs simile quidquam in mentem veniet, quibus perspecta erit arabicæ, præsertim Pentateuchi, versionis apud Christianos orientales vilitas, ejus scilicet quæ hebræo codici respondet, Judæosque auctores habet. Eam enim omninò aspernantur, ut dicemus inferiùs, tanquàm ab hostibus fidei factam, neque utuntur illâ, sive quæ Saadiam Gheonem, sive quæ Judæos alios auctores agnoscit. Hebraicam lectionem cognoscunt ex veteri versione syrâ, græcam ex recentiore: atque adeò judaicas illas barbaras et inconcinnas valere jubent. Itaque adhibitas illas fuisse ad Syræ emendationem, non modò contrà omnem illarum ecclesiarum memoriam, sed contrà illarum mores et religionem cùm sit, rejiciendum omninò est.

Si quid tamen in hâc, quam impugnamus, conjecturâ confirmandâ alicujus momenti argumentum proferri potest, illud ex Psalmorum titulis immutatis ducitur: atque eâ ratione usus est auctor critices, ad sententiam suam confirmandam. Nempè cùm versio syriaca se-

quatur hebraicam lectionem in Psalmorum libro, sicut in aliis, loco titulorum quos hebræus codex repræsentat, imò et illorum qui ad eos propiùs accedunt græcorum secundùm septuaginta Interpretes, alios habet qui planè non alium quàm allegoricum, propheticum, christianumque sensum continent, ut quivis ex illorum lectione potest agnoscere. Neque hâc in parte ulla à nobis observata est codicum manuscriptorum ab impressis discrepantia, quæ quidem ratio immutationem illam antiquissimam esse confirmat. In eo quem citavimus Colbertino codice qui Psalmorum librum continet secundùm Septuaginta, tituli omninò diversi sunt, ii scilicet quos editio græca Vulgataque latina nostra repræsentant. Codices qui hebraicorum titulorum versionem repræsentarent nullos hùc usque vidimus, neque tales exstare credendum est. Hujus diversitatis rationem idoneam reddere non facile est, nisi quòd fortassis primi interpretes tùm difficultate vocum, quarum vim Hebræi ipsi ignorant, deterriti, tùm credentes illos â Judæis additos, optimum factu existimaverunt, ut, eorum loco alios formarent, qui ad Christum Ecclesiamque, potiùs quàm ad Davidem, Synagogamque pertinerent. Et sanè imitati sunt quodam modo Synagogam posteriorem, quæ in paraphrasibus Chaldaicis suis, liberiorem multò interpretandi modum circà illos titulos, quàm circà alias Scripturæ partes secuta est, ut multa exempla palàm faciunt. Accessit, ut videtur, difficultas non mediocris in illorum titulorum interpretatione, quæ, quanta sit ostendunt tàm diversæ illorum versiones, quas persica quam habemus repræsentat, adeò ut codices multùm inter se illis in locis discrepent. Nec tamen idcircò vituperatione quàdam Syri carent, qui veteres illos titulos ità moverunt, ut in nullis jam codicibus reperiantur; quâ occasione carpuntur ab auctore critices, quasi hæc interpolatio privatis viris nullatenùs licuerit. Verùm syram versionem privato consilio fuisse susceptam, et contrà illorum traditionem est et nullam verisimilitudinem habet. Ortam esse interpolationem ex summariis, ut vocant, quæ initio cujuscumque libri præmitterentur, ingeniosa magis, quàm solida conjectura est. Neque enim ejusmodi capitula occurrunt in codicibus nisi recentissimi sint, etiam apud Latinos; Græcis incognita sunt, et omnibus ecclesiis orientalibus : tandemque tituli Psalmorum cùm brevibus illis capitulis commune nihil quidquam habent. Multò minùs dici potest, Judæos cùm titulis quos Psalmis apposuerunt sensum litteralem strictiùs persequerentur, Syros eo exemplo adductos interpretationis suæ spiritualis summam præposuisse. Sunt equidem tituli aliquot historici, sed nemo ignorat plures omninò eos esse qui ad modulationem tantùm spectent, aut nomen vel auctoris, vel musici nudum præferant; et, ut jam diximus, tantùm abest, ut Hebræi ad Psalmorum intelligentiam juventur ex illis titulis, ut potiùs ignorare se illorum sententiam et peritissimi quique inter eos magistri non diffiteantur, et diversitas interpretationum id satis demonstret. Si conjecturæ tamen locus sit, aliam omninò existimamus causam fuisse titulorum per interpretes Syros commutationis. Facta illa interpretatio est, ut diximus, in eorum præcipuè gratiam qui ex Circumcisione crediderant, quique græcam linguam ignorabant, ut Palæstini et Mesopotameni plerique; sed cùm chaldaica, quâ paraphrases exstant, esset ipsis vernacula, illis utebantur,

Cùm autem inter præcipua credendi in Christum argumenta non postrema essent petita ex prophetiis, quæ Psal. libro continerentur, easque Judæi aut corrumperent, aut falsis expositionibus passim labefactarent, immutati quoque multis in locis tituli forent, secundùm paraphrasim chaldaicam, primi illi Christiani optimum factu existimaverunt, ut, novo apposito lemmate, statim fideles intelligerent quâ ratione psalmus secundùm spiritualem sensum foret intelligendus. Videndus inter alios titulus psalmi 56, quem chaldæus interpretatur de Synagogâ judaicâ exulante et reducendâ; quo loco Vulgata nostra secundùm Septuaginta habet pro populo qui à sanctis longè factus est. Item psalmi 68 vel 69 titulus: *in finem pro iis qui commutabuntur;* ubi hebræus codex vocem habet quæ non facilè intelligitur; Chaldæus ea verba trahit ad Synedrii exilium; Psalmi 71 vel 70 : *Deus judicium tuum,* etc., titulus est simpliciter : *Salomoni,* vel, si lubet, *Salomonis.* Chaldæus ità interpretatur, quasi propheticè de Salomone dictum; quod etsi primo sensu verum est, ulteriorem tamen, et præstantiorem habet, ad Christum relatus; atque ità Syri rectè: *Davidis, cùm Salomonem regem constituisset;* et : *prophetia de adventu Christi et vocatione gentium.* Plura referre necesse non est. Nam plures ejusmodi titulorum paraphrasticas expositiones exstitisse multa suadent; et hæc ratio sufficiebat, ut syri interpretes eorum sensum ad prophetias determinarent. Neque id fecit privatorum aliquot hominum auctoritas, sed publica syriacæ ecclesiæ totius, quæ titulos illos

christianos non solùm probavit, sed in arabicam quoque interpretationem transfudit. Verumtamen, ne quid deesset ad communem fidelium institutionem, titulos ipsos ad verbum ex græco Septuaginta senum codice interpretatos, subministrat editio altera, quæ ad eumdem facta est, etsi nullius quod hùc usque sciri potuerit, usum in ecclesiis habeant. Titulos illos repræsentat liber quem jam laudavimus ex bibliothecâ Colbertinâ.

Pergit auctor, censuramque severissimè exercens, tandem ex illis quæ præmiserat concludendum existimat vitiosissimam esse syriacæ versionis utramque editionem, tàm parisinam, quàm londinensem. Quod judicium fortassis posteriori sententiâ mitigari posse credet facilè quicumque ad eum ex utroque exemplari conferendum adjiciet animum, qui labor criticorum proprius in variarum lectionum ejusque generis lucubrationum serie optimè collocaretur, in hâc notitiâ dissertatione esset alienò planè loco. Esse typographicos errores aliquot in parisiensi editione non diffitemur, sed tot, quot Angli sustulisse gloriantur, negamus omninò, cùm plerique grammaticas punctationis regulas spectent, quas sanè Gabriele Sionitâ et Abrahamo Echellensi meliùs scivisse Batavos et Anglos, qui ex eorum laboribus profecerunt, nemo prudens opinabitur. Sunt quoque sua peccata, nec minùs gravia in Londinensi editione, et si quid in versione peccatum est, intactum Angli præterierunt, de nugalibus grammaticis vix tantùm solliciti. Attamen nemo syriacas litteras novit, qui non characterum parisiensium nitorem et elegantiam magnoperè miretur; cùm anglici adeò crassi, rudes, ità manuscriptorum formâ alieni sunt, ut doctissimum quemque ad eos legendos repuerascere oporteat. Verùm illi editores varias ex diversis exemplaribus lectiones cum observationibus ediderunt, quod parisini non præstiterunt, quodque dolendum est magnoperè. Quis enim dubitat viros doctissimos, Joannem Morinum, Simeonem Muisium, et tàm multos alios qui, licet nihil fermè scripserint, doctrinâ tamen pares paucos habebant, superiorem ex Protestantibus neminem, quis, inquam, dubitat illos, si criticis notis adjecissent animum, plura et meliora præstituros fuisse, quàm quæ leguntur in sexto anglicanorum Bibliorum volumine circà syriacas interpretationes? Nam codices duos vel tres adhibuerunt, si tamen eo numero censendus est Usserianus apographus. Pocokianus, quantùm ex illorum descriptionibus et notis intelligere possumus, exigui admodùm pretii fuit; neque comparandus cum vaticanis aut aliis quos habemus codicibus, præsertìm in Psalmis et Evangeliis. Imò ignoraverunt editionem in monte Libano rarissimam : collectanea ex Gregorio, ut vocant, syro, quem auctorem supposititium esse credimus, nihili sunt. Tandem, post longa fastidia, nihil nos docent, ut vel ex hâc nostrâ dissertatione licet intelligere. Etsi igitur suâ laude non careant, tamen et veritati et patriæ caritati testimonium istud debemus, quod nunc temporis eò lubentiùs ferri à nobis licet, quò major est apud nostros litteratores peregrinæ eruditionis admiratio, quæ tamen nusquàm minor fuit. Modò enim qui apud exteros aliquam doctrinæ laudem obtinent, commentarios ingentes quotidiè excudunt, in quibus novi nihil, sed perpetua rerum centies dictarum reciprocatio : modò typographorum damno, lectorumque incommodo lineas aliquot characteribus peregrinis, barbaram orationem suam conturbent, *sidera vertice ferire* se inaniter existimant. Neque mirari quisquam in sacrâ criticâ versatus potest Protestantes omnes circà versionum syriacarum et aliarum orientalium auctoritatem et vetustatem in tàm multis prolegomenis, dissertationibusque suis parùm adeò profecisse, ut illis perlectis eruditus lector in quo consistat invenire vix queat. Tùm enim ipsi judicant esse alicujus pretii versionem aliquam, si ad hodiernum hebraicum exemplar accedat quàm maximè, à septuaginta Interpretibus remotissima sit; quæ notæ, si syriacam excipimus, reliquas modò non commendant apud Christianos, sed suspectissimas et contemptissimas faciunt. Ex tàm falsâ opinione quâ sectæ suæ dogmata facilè conciliant nata est existimatio illa maxima versionum arabicarum, Judæis auctoribus, quæ nulla est apud orientales ecclesias; magna etiam syriacæ quia hebraicos codices sequitur; sed quia alios quàm Masoretharum, statìm corruptam eam esse clamitant. Verùm auctoritatem et dignitatem nanciscuntur vulgares sacræ Scripturæ versiones, non ex majori vel minori conformitate cum hebraicis exemplaribus, sed ex Ecclesiarum, quæ primam illam et vetustiorem legunt, et privatìm et ad altaria antè omnem hominum memoriam; ità tamen ut et sua illi constet auctoritas et Septuaginta interpretibus sua quoque conservetur, non ut ex utrâque interpolatâ nova unquàm conflata fuerit, aut vetus interpolata, quod tàm confidenter pronuntiatum à viro docto, indocti facilè tanquàm rem judicatam accipient et in eâ sententiâ conquiescent.

Ità facilè trahentur in reliquas censuræ partes, quâ scilicet statuitur, magnam esse perturbationem exemplarium versionis syriacæ, quæ minùs omninò emendata sunt, quàm Judæorum hæbraicus codex et græcus 70. Optandum fuisset ut Masius quod erat penès se sacrorum librorum syriacè ex græco interpretatorum edidisset, cùm darent secundùm Origenis Hexapla utilissimam futuram versionem illam antiquam Syriacam ad exemplaria græca Septuaginta interpretum restituenda : cùm ea quæ in Polyglottis parisinis et anglicanis edita fuit, ex hebræo expressa exiguam utilitatem habeat, non modò quia est ab antiquariis interpolata, sed etiam quia ad Septuaginta senum versionem, multis in locis reformata est, vel potiùs ad arabicas et syriacas, quæ ex eodem exemplari factæ sunt. Porrò si græca operum sancti Ephremi versio, quam Gerardus Vossius latinam fecit, accurata est, dubitari nequit jam ab eo tempore Syros versione Septuaginta in suam linguam translatâ jam usos fuisse. Hunc in modum critices auctor disputationem suam concludit quæ cùm tota nitatur propositionibus aut falsis aut manifestè dubiis, non majorem fidem habere debet, quàm auctor ipse sibi melioribus argumentis faciet. Non negamus esse vitia in Syriacis codicibus; quis enim codex est qui nulla omninò habere dici possit? Minùs emendatos illos esse non aliundè probat, quàm quia Masorethicis codicibus non exactè respondent; sed cùm iis in locis syriaca lectio Samaritanorum libris consentiat, septuaginta Interpretibus, qualis erat illorum versio in antiquorum Patrum manibus, eam corruptelam, ut critices auctor judicat, certam esse vetustatis et puritatis notam contendit Joannes Morinus cujus sententiæ contradicere difficile est; eam rationibus certis evertere planè videtur impossibile.

De Mari diximus non videri tantam illius codicis sui vetustatem, quàm ipse existimavit; sed eâ tamen concessâ superesse ut isthæc versio secundùm septuaginta Interpretes seculo demùm sexto facta sit, quæ minor omninò antiquitas est, quàm ut indè ea versio alteri, quæ antè quadringentos aut quingentos annos facta erat, præponeretur. Quod ad restitutionem exemplarium Græcorum attinet, res alia est, et cura planè diversa, ad quam haberi posse præsidium insigne aliquot ex codicibus syris, illi fortassè credent qui nullos viderunt; si qui operam in illis studiis prolixiorem posuerunt, erunt in contrariâ prorsùs sententiâ, facilèque existimabunt plura longè ex ingenio quo pollebat, doctrinâque non vulgari, tùm ex vaticano aliisque græcis codicibus Masium, quàm ex syro suo protulisse. Optandum sanè ut syriacam editionem dedisset, sed non dedit; quâ igitur ratione, quove tanto acumine ex eâ quæ lucem non vidit versione syrâ reliquas omnes vitiosas esse potest pronunciari? nemo enim noscit. At, inquiet auctor critices, qualis fuerit ex editione græcâ ad eam reformatâ conjicere possumus. Quo et hallucinatus est Masius et notas omninò diversas pro Origenianis accepit. Mirum quippè prorsùs et monstro simile, nullum prætereà commemorari ab orientalibus, aut exstare in occidentalibus bibliothecis codicem, qui similes repræsentet. Etsi autem exstarent, leve omninò præsidium peti ab illis posset ad recensendos græcos codices; neque enim patitur linguarum diversitas, ut ex interpretatione in aliam omninò dissimilem agnoscatur qualiter in alterutrâ legendum sit, ut primitiva lectio habeatur.

Quàm porrò incerta sit vel falsa potiùs auctoris conjectura de emendatione syrorum exemplarium secundùm Hebræos, factâ ad græcos arabicosque codices, jam abundè probavimus ; eam verò quæ ex Ephremi operum græcâ versione ducitur, non veriorem esse certo argumento constat. Nam cùm Græci eam scriberent, nemo nescit eos, ut factum est in plerisque ejusmodi operibus, Scripturas non ex editione syrâ, sed ex græcâ suâ citâsse quæ illis maximè familiaris erat. Quod non solùm ergà illius sancti viri scripta accidit, sed in aliis fermè omnibus ex alienâ linguâ translatis commissum sit, si non per primos, saltem per secundos descriptores. Nam Ephremum non aliâ quàm communi apud Syros, juxtà hebræum volumen usum fuisse, satis constat ex illis, quæ superiùs dicta sunt. Ità quoque Jacobum Syrosque veteres alios fecisse certum est, tùm ex paucis quæ supersunt eorum operibus, tùm ex Catenis arabicis et syriacis in quibus eorum testimonia adducuntur, tùm ex Mosis Barcephæ tractatu de Paradiso, qui extat latinè editus. Ibi enim advocantur aliquandò in testimonium Septuaginta interpretes, post adductas syrorum Patrum sententias, argumento certo, quòd aliam quàm Græcam lectionem sequerentur.

Neque tandem majorem vim habet altera auctoris *Critices* conjectura de græcarum vocum admixtione in Syriacam secundùm Hebræos versionem, quasi indè judicari debeat, reformatos ad exemplaria Græca fuisse Syrorum libros, quæ reformatio tàm ingentem

græcarum vocum silvam in eos induxerit. Fatemur equidem peregrinas omninò illas esse, migrationemque illarum in syrum sermonem probare, quantùm satis sit, id quod docti omnes agnoscunt, nempè præcipuas voces quæ vel ad scientias, vel ad religionem pertinent, à Græcis ad Syros fuisse translatas. Quod verò factum id fuerit occasione comparationis græcorum vel ex græcis conversorum exemplarium, id quidem negârunt confidentissimè. Nemo quippè non reperiet multas quoque in chaldaicis Paraphrasibus græcas voces, quæ tamen paraphrases cum versione græcâ collatæ nusquàm fuerunt. Propria hæc fuit omnium non orientalium modò linguarum, sed latinæ pariter aliarumque ab eâ firmatarum, quales sunt omnes nostræ vernaculæ, ut quandocumque verba ad scientias artesque liberales et ad religionem pertinentia opus esset adhibere, ea omnia peterentur ex græcis fontibus. Cùm verò Syri ab imperii macedonici tempore græcè plerùmque loquerentur et scriberent, majorem omninò quàm alii illius linguæ usum habebant. Ubi porrò illa obrui cœpit per Arabum tyrannidem, versionesque auctorum fermè omnium Græcorum syriacæ prodierunt, remanserunt longè plurimæ voces græcæ originis quas ut ad veterem syrum nullatenùs pertinere libenter agnoscimus, ità ad posteriorem linguam qualis ea in usu erat initio rerum christianarum certissimè existimamus. Nam rem ità se habere non aliundè magis constare quam ex lexicis syriacis potest, gemino præsertìm Bar Haly et Bar Bahlul. In utroque voces multæ græcæ explicantur quæ in syram linguam migraverunt et earum paucissimæ per voces Syras, omnes fermè paraphrasticè explicantur. Hoc autem certum argumentum est caruisse Syros ab initio hujus modi vocibus; quod quidem exemplo ejusdem generis probari potest. Habet coptica seu ægyptiaca lingua græcas voces longè plures quam syra complectatur, ut nemini paulùm in linguis versato obscurum est. At quandò Ægyptii onomastica sua, quæ scalas vocant, contexuêre, monuerunt græcas illas esse voces quæ in alienam migraverint linguam, simulque puras ægyptiacas subtituerunt. Id præsertim observatur in antiquo ejusmodi Glossario Bibliothecæ Regiæ; at verò nihil simile occurrit in syriacis, quia nempè voces ejusdem potestatis Syras reperire non licebat, ut Ægyptiacas licebat. Non alia igitur omninò ratio est cur tot græcæ voces occurrant in syriacâ.

DE VERSIONIBUS ARABICIS SACRÆ SCRIPTURÆ,

Renaldoti Dissertatio.

Inter eas phylologiæ orientalis ecclesiasticæ partes quæ à viris doctis, hoc nostro seculo, illustratæ sunt, vix ulla est de quâ plures exstant commentarii, quàm de arabicis, ut aliis orientalibus sacræ Scripturæ versionibus. Quod tamen de syriacis paulò antè dictum est, id potiori jure dicendum est de arabicis, neminem fermè inter tot criticos et philologos satis scivisse versionum illarum antiquitatem auctoritatemque, adeò ut si unum excipias Edwardum Pocockium, virum doctissimum, reliqui nugas magnas egerunt, solidæque in hoc genere eruditionis aut parùm aut nihil in litteras miserunt. Quasi enim judices sederent, versiones arabicas expendere aggressi sunt, deque earum bonitate ac vitiis disputare, cùm inter illos plerique eas nonnisi per interpretem legerunt; de antiquitate, de exemplarium varietate, et quas illa rationes haberet disputare neglexerunt, quia scilicet, excepto Pocockio qui præstare id posset, idoneus nullus erat. Jacobus Golius enim qui summâ linguarum orientalium peritiâ, eum aut æquabat aut fortassis superabat, nunquàm ad sacra studia quæ ad Arabes pertinerent adjecit animum : etsi, ut ab amicis ejus memoriæ proditum est, daret operam ut sacra Scriptura in turcicum sermonem converteretur, simul cum Belgicâ calvinianâ confessione et catechismo. At inutilem planè futuram illam fuisse docere satis illum poterat eorumdem librorum græca barbara versio Elzeverianis typis edita, quæ ne unum quidem in Oriente proselytum calvinianum fecit. Neque porrò Turcarum in suâ hæresi pertinacia facit, ut qui tot olim sanctos episcopos neglexerunt, tot pios Missionarios quorum

sanctimoniam venerantur, calvinianos prædicatores admittant, quos sciunt tàm ab indigenis Christianis quàm ab antiquis Europæis hæreticos judicari, quosque Orientales tantoperè aversantur, ut pro Christianis vix habeant. Ea porrò criticorum recentiorum regula ad se exercendum in arabicas versiones sacri codicis, præsertìm in veteri Testamento fuit, ut quæ ad exemplar hebraicum accederet, optima, quæ ab eo recederet, teterrima judicaretur. Quàm verò fallax illa regula sit, multis demonstratum est in præcedenti *Dissertatione* et novis aliis argumentis in istâ quam aggredimur facilè, opinor, demonstrabitur. Ex illo tamen præpostero judicio originem habet magna illa existimatio quam dant versioni arabicæ factæ ut vulgò dicitur à Rabbi Saadiâ Gheoni, in popularium suorum gratiam, cùm, præ reliquis, contemnenda videatur. Pari ratione Thomas Erpenius aliam in Mauritaniâ, ut judicabat, factam cùm nactus fuisset, quæ magis adhuc hebraicum codicem exprimere videbatur, eam alteri præferre non dubitavit. Illæ porrò versiones cùm primæ typis vulgatæ fuissent, haberi cœperunt velut formâ et exemplum, undè judicari deberet, quid Arabes interpretando possent, quæve melior et accuratior foret vetus Testamentum interpretandi methodus. Hinc etiam judicatum est versiones quæ duabus illis planè dissimiles reperirentur, nullo in pretio habendas, atque adeò factum est, ut quæ in Christianorum arabicè loquentium manibus exemplaria forent, ea vitiosissima judicarentnr. Quàm inanis, et totius Ecclesiæ traditioni disciplinæque contraria hæc censura sit, satis ostendunt quæ de syriacis versionibus dicta sunt superiùs; cùm omnium ecclesiarum legibus contradici oporteat, priusquàm tali judicio adquiescatur. Nempè Ecclesia toto orbe diffusa eamdem in Oriente et in Occidente circà sacræ Scripturæ versiones sententiam habuit, ut à Judæis ad quos promissio facta fuerat, et quibus tradita erant eloquia Dei, partem maximam librorum suorum acceperit, eorumque codices maximì fecerit, atque ad eorum fidem factas interpretationes multas habuerit. Nec tamen ità hebraico exemplari affixa fuit, præsertìm ei quod nunc est in Judæorum manibus, ut Septuaginta senum versionem, quæ divino nutu facta passìm existimata est, penitùs negligeretur, tantùm abest ut eam quasi errorum plenam Christiani aversarentur, et condemnarent. Verùm ex utrâque linguâ juvari voluit Ecclesia filios suos, adeò ut etiam qui Scripturas secundùm hebraicam lectionem versas haberent in usu quotidiano, ex græcâ versione subsidium caperent in exponendis Scripturis. Qui istam legerent in synaxibus, ad explicanda Scripturæ mysteria hebraicæ lectionis vestigia sequerentur sæpissimè. Id in latinâ ecclesiâ consuetudinis fuisse testatur usus versionis antiquæ antè Hieronymum, qui ex hebræo factam primus publicavit : et antequàm nova illius ab ecclesiis reciperetur, etiam cùm episcopi alteram in homiliis ad populum exponerent, si quid occurrebat ex hebræâ lectione subsidii, eâ utebantur. Postquàm Hieronymi versio publico ecclesiarum usu consecrata est, non abjecta statìm est vetus alia, quæ in officiorum ecclesiasticorum partibus multis intacta permansit : neque altera secundùm septuaginta Interpretes, quam non modò servavit in toto Psalmorum libro; verùm ex eâ sumpsit libros qui hebraicè non exstarent. Eadem prorsùs Syrorum Christianorum disciplina fuit, etiam antequàm per hæreses famosissimas duas, quæ solæ ex veteribus supersunt, Nestorianam et Jacobiticam, ecclesia scissa in tres partes foret, quod antiquitatis summæ certum indicium est; nam, eversâ fide, disciplina tamen nullum eâ in parte detrimentum accepit. Legunt Syri omnes ab initio Scripturas linguâ suâ conversas ex hebraicis exemplaribus; habent tamen, Latinorum exemplo, Sapientiam et Ecclesiasticum, Judith, Machabæos et alias quasdam Scripturæ partes quæ in Hebræorum libris non occurrunt. Prætereà versionem secundùm septuaginta Interpretes factam habent, et quamvis illa publicè legi non soleat, servat tamen suam apud eos auctoritatem, ut commentarii doctorum syrorum palàm faciunt. Longè igitur absunt omnes ab illâ communi Protestantium sententiâ, quæ omnem quodam modo dignitatem orientalium versionum constituit, in similitudine majori vel minori cum exemplaribus hebraicis, sed sicut Scripturarum codices, etsi ad eam transierint per manus Judæorum, qui capsarii, ut Augustinus ait, nostri sunt, ab Ecclesiâ tamen acceperunt, ità ab eâ pariter versiones ejusdem codicis ab eâdem matre Orientales accipiunt. Eâ demùm ratione illæ potissimùm versiones ab eâ commendantur, quarum usus communis est, quas longa consuetudo et lectio quotidiana in ipsis sacrorum solemnibus consecrant, non quas interpretum diligentia sola potest commendare.

Ut igitur quæ hùc usque dicta sunt, et quæ non modò ad syras, sed ad omnes alias versiones orientales attinent, ad arabicas, de quibus jam tractatum est, conferamus, longiùs

protulerunt suas critici de illis conjecturas, quia nonnisi in recentiorum numero haberi posse videbantur, omnesque vel non editæ fuerunt, vel in bibliothecis delitescunt. Inter eas etiam alteras nempè à Judæis aut ad judaicum exemplar factas prætulerunt. Quorum cùm antiquissima judicetur illa R. Saadiæ, qui obiit secundùm auctorem Tzemach David, anno 4702 judaico, J. C. 942, christianas multò vetustiores esse certum est. Nam Eutychius Alexandrinus, Severus, Ashmounin et tàm multi alii qui antè hæc ipsa tempora vixerunt, cùm frequentibus utantur Scripturarum testimoniis arabicè expressis, habebant procul dubio præ oculis arabicam versionem quæ dudùm erat in Christianorum manibus, neque posteriorem illam ab Judæis elaboratam, nec aliis quàm ejusdem religionis hominibus utilem, erat cur exspectarent. Frustrà igitur omninò fuerunt qui ex tali tàmque inconcinno specimine de versionibus sacræ Scripturæ arabicis judicium fecerunt, cùm quales essent in Christianorum orientalium Ecclesiis receptæ, ex ipsorum libris, non verò ex Judaicis esset statuendum.

Aliâ igitur omninò ratione, nisi vehementer fallimur, ad istas origines perspiciendas erat progrediendum, quàm ex paucis admodùm libris quorum nec antiquitas satis constabat, nec auctoritas qualis foret prorsùs intelligebatur. Cùm enim, ut sæpè, monuimus, arabicarum litterarum studia serò admodùm apud nos florere cœperint, neque antè ultimum ferè seculum seriò fuerint pertractata, omnes fermè docti in rebus sacris et ecclesiasticis adeò negligenter versati sunt, ut illa pars quæ apud cordatos homines potior omninò quàm reliquæ omnes censeri debet, quasi nihil hùc usque actum fuisset, intacta existimanda sit. Nicolaus Clenardus, qui primus fermè Christianorum ad hæc studia adjecit animum, eo potissimùm consilio laborem ingratissimum devorare molestissimamque perigrinationem non sine vitæ periculo aggressus est, ut sacras Scripturas posset arabicè interpretari, ratus scilicet incognitas illas prorsùs esse Mahumedanis, non minùs quàm Alcoranum nobis, et reliqua nefariæ illorum legis litteraria monumenta (vid. Epis. Clenard.). In eàdem sententiâ alii fuerunt; qui verò inter eruditissimos etiam agnoscere posset quæ versiones Christianis essent propriæ, quæ singulis illorum sectis singulariter usurpatæ, quæ Judæis, quæ Samaritanis, erat superiori seculo atque etiam isto fermè nemo. Ex paucis enim qui studiorum arabicorum laude florebant, plerique in Alcorano philologisque Mahumedanis operam ponebant; vix ut etiam in litteraturâ profanâ ea seligerent undè publica utilitas redundare posset, historiam scilicet aut geographiam, multò minùs sacras litteras.

At qui in illâ vel leviter profecisset, quique historiam Mahumedanorum à limine salutavisset, ignorare non poterat esse in toto Oriente Christianos, quibus consuetudo esset eadem quæ antiquis omnibus Ecclesiis fuit, officia quotidiana hymnorum, laudum et Psalmodiæ Deo persolvendi, festos dies agere et liturgias celebrare, quarum in libris antiquissimis forma servabatur, et quòd præcipuam in ejusmodi sacris officiis partem Scripturarum lectio contineret ignorari non poterat. Ex primis illis indiciis major ad ulteriorem cognitionem lux affulsisset, statìmque doctus quisque intellexisset Christianos, qui arabicè loquerentur et scriberent, habere sacras Scripturas linguâ patriâ, eosque qui labore tanto Aristotelem, Hippocratem, Galenum, Dioscoridem, Euclidem, Appollonium, Archimedem et tàm multos alios, philosophos, medicos et mathematicos arabicè interpretati forent, sacræ Scripturæ versionem neglecturos non fuisse, ut eam sanè non omiserunt. Ducere viros doctos in eam conjecturam debebat vel sola nomenclatura diversorum codicum orientalium qui noti illis esse poterant vel ex solo Catalogo Scaligeri, vel Golii, vel aliorum, cùm ex illis constet exstare SS. Patrum scripta longè plurima arabicè interpretata, quorum multi homilias eorumdem in sacram Scripturam complectuntur, atque ità diù exstare antè oportuisse tales versiones, quàm Saadiana aut alia quævis prodiret, intelligi debebat. Verùm si incognita doctis plerisque fuit sacrorum codicum in arabicam linguam conversorum historia, multò magis ea quæ illarum historiarum aperit origines: undè mirum non erit si ex eâ lucem accipere aut nullam aut exiguam sanè potuerunt. Qui igitur eas origines Ecclesiarum perspectas habuerit, is, quamvis non omnia quæ ad arabicarum versionum historiam pertinent scire statìm possit, securè tamen et legitimas à suppositis, et publicas à privatis distinguet; tandem multas hallucinationes posteriorum criticorum effugiet, quæ totam illam historiæ ecclesiasticæ partem mirum in modum conturbant.

Ut igitur rem ipsam aggrediamur, cùm in syriacarum versionum origine persequendâ statim habeamus ubi sedem figere liceat, qui in ipsis christianarum rerum primordiis fidem

in Syriâ et Palæstinâ, undè salus humano generi parata est, annuntiatam et propagatam sciamus, ibique Ecclesias constitutas, ubi Scripturæ populari linguâ legerentur; at circà Arabum vocationem ad Christum magna obscuritas, et certi fermè nihil agnoscimus. Nam illud omninò exploratum est ex omnibus gentium quæ scriptas memorias habeant monumentis, Arabes, cùm Mahumed, fatale illud monstrum, natus est, fuisse in plures sectas divisos. Erant quippè inter tot diversas tribus quædam christianæ; aliæ Judæorum sectam profitebantur, potentissimæ et aliis infestæ; multæ tandem aut superstitionem magicam Zoroastream, à vicinis Persis acceptam, sequebantur, aut nihilò deteriorem astrorum cultum, qui singulis illis tribubus erat quodam modo proprius. Ità, præter christianas tribus, reliquæ nullam Evangelii prædicationem acceperant; neque enim aut Judaismus, aut magica superstitio recenter apud eos inoleverat, nec Christianismum aboleverant, sed in acceptâ à majoribus institutione quisque permanserat. Et quandò ad Arabes, qui antè Mahumedem Christiani erant, Evangelium pervenerit, quæstio ardua imprimis et obscura est.

Ad eam illustrandam tàm pauca occurrunt in Arabum historiâ, ut ex eâ non modò certum quidquam, sed neque verisimile haberi queat: neque enim ultrà Mahumedem assurgunt eorum libri; nomina dynastiarum familiarumque in præcipuis tribubus potentiorum philologi potiùs quàm historici repræsentant. Earum successionem, et quæcumque meliora ex illis auctoribus haberi queant, accuratè collegit in Specimine Arabum Edwardus Pocockius, cujus labori nihil nisi inutile adjici posset. Ex fragmentis autem illis id tantummodò intelligitur fuisse inter Arabes qui christianam fidem profiterentur, præsertìm Hirenses, neque tamen sciri quandò illi fidem acceperint. Abadios vocatos fuisse Christianos Hirenses veteres; præsertìm tribuum Bahra, Taglab et Zenouch, testantur auctores multi, qui citantur à Pocockio; at quænam illa antiquitas, si cum Christianorum initiis comparetur? Nempè sufficiebat ut Islamismum præcederet; nec alius sensus verborum auctoris vitæ poetarum in Abulolâ, Ebn Chalicam et aliorum (vid. Poc. p. 72); nam lexicographi Firuzabadius et Gienharius, quos secutus est, recentissimi sunt. Quòd si principes illos, quorum in græcâ historiâ mentio est, Alamundarum, Naamanum, ejus filium, qui primus Arabum philarchus Christo nomen dedit, eos esse judicamus à quibus fides inter eam gentem propagata est, satis intelligimus quàm recens fuerit in Arabiâ Evangelii propagatio. Sed nec antè Marciam, Saracenorum reginam, in historiâ ecclesiasticâ cum honore commemoratam, quæ Valente imperium administrante floruit, ullus fuisse legitur inter Saracenos episcopus; quod certum argumentum est, nondùm in Arabiâ constitutas fuisse Ecclesias. Neque enim ferebat antiqua apostolica disciplina, ut ubi Christiani essent, episcopus non esset. Ordinari illa petiit in gentis suæ episcopum, Mosen quemdam, eximiæ sanctitatis monachum, qui cùm à Lucio, alexandrinæ sedis invasore, ordinationem accipere noluisset, ne manus ipsi ab Ariano, sanctorum quos miris modis vexaverat sanguine pollutæ imponerentur, ab exulibus orthodoxis episcopis legitimè ordinatus est. Ità rem narrat Socrates, et ex eo Sozomenus, qui multa adjunxit ex quibus non obscurè cognoscitur jam floruisse inter Arabes christianam fidem antequàm Moses episcopatum gentis illius suscepisset. Nam cùm in vicinis desertis, tàm Ægypto quàm Syriæ conterminis, magnus esset sanctorum anachoretarum numerus, miracula ab illis edita, vitæque sanctimonia Saracenos multos ad fidem adduxerunt. Hilarion, teste Hieronymo, cùm à dæmone arreptitios aliquot ex eâ gente liberâsset, quæ Veneris cultui addicta erat, sacerdotem quoque illorum Christo initiavit, imò Ecclesiæ ædificandæ formam ad eos misit. Superfuisse indè ad Muhamedanorum usque tempora anachoretas præter Mosis illius historiam multa suadent. Nec enim aliundè memoria eorum in Alcorani inficetissimâ farragine, qualis illius qui regis filium ad solitariam vitam adduxit, et ab illo du Nowas dicto pro Christi nomine occisus est (vid. Ebn Wachez in Paraphrasi Persicâ), ut narrant interpretes. Hinc historia monachi ad Islamismum provecti ab Hali, Muhamedis genero, quam refert Emir Condus, celebris historicus. Ab illis ergò monachis, quos certum est ad Muhamedanorum regnum usque, illis in desertis perseverâsse, didicerunt Arabes aliqui christianam religionem. Eâ occasione Marcia primum regina Mosem episcopum designari obtinuit; atque adeò jam Valentis imperatoris tempore, hoc est, ab anno J. C. 364 usque ad annum 378, illa propagata fuerat apud Arabes. At quales aut ex quâ tribu forent qui Christiani facti sunt, erui nullâ ratione potest ex illorum monumentis, adeò ut quæ fuerit aut cujus regina illa celeberrima Marcia ex illorum catalogis constitui

nequeat; nam eos turbatissimos esse necesse est, siquidem illa est Ausi filia, cognomine Mulsema, seu, ut Pocockius, p. 69 et 84, Maossamai, hoc est aqua cœlestis, à quâ posteri ejus cognominati sunt. Nam, ut rectè observavit Pocockius, in regum certè Hirensium serie fœmina percelebris hoc nomine occurrit, Amrilkaisi regis 14 mi conjux, Almondari 15 mi mater. At ut eam esse cujus meminerunt historici credamus, non fert annorum ratio, cùm eam sub Valentiniano collocent, hæc autem ad Justiniani tempora propiùs accedat, ut probatur verbis sequentibus. Quod Theophilum Indum ad Sabæos seu Homeritas missum Constantini Magni tempore scribit Philostorgius, lib. 3, potest quoque ad Arabes, de quibus nunc agimus pertinere; sed quidquid sit, sive Religionis veræ notitia ad paucas tantùm tribus pervenerit, sive ex Christianis multi, Persarum regum metu et persecutione eam negaverint, aut in aliâ quæ à Judæis illic regnantibus gravissima excitata est; sive quocumque tandem modo vel oppressa, vel oblivioni tradita, non altas radices egisse videtur, cùm post annos multos, nempè circà ann. Christi 420, secundùm Baronii calculos, in eàdem Arabes fidei ignorantiâ versarentur, nec episcopos haberent. Eo enim anno ordinatus est Petrus Saracenorum episcopus, ut scribit in Euthymii vitâ Cyrillus, quam Baronius apud Metaphrasten legerat; edidit ex codicibus MSS. Joannes Baptista Cotelerius. In eâ scribitur quòd cùm usque adeò multiplicarentur filii Agar, et ad veram traducerentur nobilitatem, inque diversa excrescerent castra, misit divinus Euthymius ad Juvenalem, Hierosolymorum patriarcham, postulans ut eis ordinaretur episcopus. Ille verò ad eum misit Petrum, patrem Terebonis, utpotè idoneum qui præesset animabus, easque deduceret ad salutem. Sic itaque Petrus episcopus castrorum in Palæstinâ primus ordinatur. In græco exemplari, ἐπισκοπος των παρεμβολων quâ voce interpretatio usurpata à Bar. cardinali doctissimo episcopum copiarum exprimit. In Ephesino concilio, ut adnotat Cotelerius, occurrit Petrus episcopus minimus civitatis Pruseos; in Hierosolymitano, an. 536, alius Petrus ἐπίσκοπος τῶν παρεμβολῶν. Non itaque, ut Baronio intellectum videtur, Petrus fuit episcopus Saracenorum primus, sed primus qui inter eos ordinatus fuit episcopus παρεμβολων. Nam Moses, qui petenti Mabiæ (1) fuerat concessus, Saracenorum quoque episcopus fuit Petro multis annis antiquior; primus Petrus cum singulari hoc titulo: Ἐπισκοπος των παρεμβολων. Hæc vox significat secundum Suidam, tentorium, castrum, exercitus; apud magnum Antonium nomen hoc usurpatur. Quid ergò? Nempè non castrum aut castra intelligere debemus, sed tentoria, seu potiùs tentoriorum multorum castrametationem, qualis erat Scenitarum Arabum; tales enim propriè Saraceni erant, et dùm eam vocem usurpari Suidas ait apud magnum Antonium, vel intelligendæ sunt ejus epistolæ quæ græcè exstabant, ut testatur Hieronymus, vel ejus vita, simileve quidpiam aliud; nempè quia ex Arabiâ Ægypto vicinâ notus istius vocis usus. Cùm igitur Petrum factum videmus fuisse episcopum Παρεμβολων, nihil propiùs occurrit quàm ut existimemus datum fuisse Scenitis illis qui sub pellibus vitam agerent, quique essent semper in tentoriis, proprium episcopum, ut Gothis, Scythis et aliis populis aliquandò dati sunt episcopi qui propriam sedem non haberent, sed gentem cui præerant habebant pro diœcesi. At quantùm ad fixos episcopatus attinet, revocare in dubium vix licet Philostorgii narrationem, lib. 3, de Theophilo Indo qui Constantini tempore obses ex insulâ Dibon, quæ est Taprobana, ad Romanos missus fuerat, et à Constantino ad Sabæos seu Homeritas missus, Ecclesias ædificavit duosque erexit episcopatus, unum in metropoli totius gentis, quam, inquit auctor, Tafaron vocant, alium ubi romanum erat emporium, qui locus vocatur Adane. Tafaron est Dofar, cujus urbis archiepiscopus fuit Gregentius, ut habet titulus Disputationis ejus cum Herbano Judæo; Adane est Aden, urbs notissima. Gregentii tanquàm unius ex primis qui in Arabiam Felicem, Evangelii prædicandi causâ, profecti sunt, quique suscepto Tafarensi episcopatu, Judæos multos ad fidem converterat, meminerunt Menæa; narrant illum venisse ad Abraamium, regem Homeritarum. Abraamii regis mentio apud Metaphrasten in vitâ S. Aretæ martyris sub Dunaan Judæo, Homeritarum rege, scilicet philarcho aliquarum tribuum, quæ Judaismum profitebantur, circà annum 522; de quo etiam Surius tom. 5, p. 934; in civitate Najeran multos fuisse Christianos eadem vita nos docet, imò et Cedrenus, tom. 1, p. 364, ubi malè Νεγρα; nam Najeran urbs notissima in Yemen, seu Arabiâ Felice; ibi communem fuisse Christianorum Ecclesiam et episcoporum refert ex Safieddino Pocockius. Nonnobus, cujus legationis ad Homeritas excerpta servavit Photius, cod. 3,

(1) Nunc *Marcia*, nunc *Mavia*, nunc *Maria* legitur in MS. bibl. regiæ; sed legendum esse *Mabiâ* ex plurimorum auctorum collatione liquet.

Christianorum quoque meminit, qui essent magno numero illis in provinciis. Alamundari, Saracenorum regis seu philarchi baptisati ab orthodoxis, et ad quem Severus duos episcopos sectæ suæ sub Anastasio imperatore misit, qui tamen recepti fuerunt, Cedrenus meminit et alii auctores. Eos autem qui in Alamundari, si idem est, ditione erant, posteà ad Severianam unius naturæ hæresin defecisse auctores Arabes significant, dùm scribunt Justiniano bellum ab illo philarcho illatum eo quòd Monophysitas Justinianus persequeretur. Ità Abulfaragius et alii. Atque ex iis omnibus quæ hùc usque retulimus illud solùm videtur constare, quod nemo negat, fuisse antè Muhamedem multos in Arabiâ Christianos, et fortassis ab initio Evangelicæ prædicationis, cùm Apostolum Paulum eò profectum esse constet ex Epistolâ ad Gal. c. 1, v. 17, et primam illam sementem spinis Judaismi, Manichæismi, Paganismi superstitionisque magicæ suffocatam esse verisimile est. Nam Theophilus Indus et alii qui ad Arabes prædicaverunt, eosdem in tenebris ignorantiæ jacentes repererunt. Et posteà Mosis episcopi, tùm Petri et aliorum missio ad eos fuit qui Christum prorsùs ignorarent, ut Mabia, et is de quo scribit quasi eodem tempore ad fidem converso Sozomemus, quem Zocomum vocat. Adde aliam Naamanis scenitæ apud Evagrium lib. 6, c. 21, et si quæ sunt aliæ, nihil indè certi habemus nisi quòd Arabum gens numerosissima, quæ antè Muhamedem in varia regna philarchiasque divisa erat, nunquàm Christi fidem ità accepisse videtur, ut in totâ illâ regione floreret, aut Christiani non aliquâ persecutione turbarentur. Nam qui Persidi vicini erant, ut Hirenses, apud quos erant tribus antiquissimæ omnium qui Christianam fidem sequuntur, à Persarum regibus multa perpessi sunt; à Judæis alii; à Mazdaco Manichæo reliqui; quin et ab ignotis Arabum principibus qui obiter memorantur in Alcorano Pandectisque Muhamedanorum, Christianos exercitos variis suppliciis fuisse, docent nos Arabum historici. Neque ulla magis firma hujus nostræ conjecturæ ratio proferri potest quàm nullius præterquàm recentiori tempore episcopi ad illas gentes regendas ordinatio, cathedræque episcopalis nullius erectio; neque enim occurrit ulla in actis ecclesiasticis aut in notitiis, antè Mosis et Petri Saracenorum episcopi tempora, 5° nempè et 6° seculo.

Quæ cùm ità sint, neque aliundè nobis constet fuisse in Arabiâ ut in aliis regionibus constitutam ecclesiam quæ episcoporum successionem haberet, sed primam fidei christianæ professionem illis intermortuam planè agnoscamus, adeò ut quarto, quinto et sexto seculo, iterùm illis annuntiandum Evangelium fuerit dandique episcopi, non temerè affirmare possumus arabicam illam ecclesiam neque integram hierarchiæ, ut in aliis provinciis, formam accepisse, neque magnos progressus fecisse. Quod ad primam conjecturæ partem attinet, videtur illa esse certissima : nam episcoporum præter illos quorum meminimus nulla apud auctores græcos, latinos aut arabes memoria superest. Nam Petræ deserti à Latinis, dùm rerum in Palæstinâ potirentur, institutusest, ut et Bostræ metropolis, de quibus consulatur notitia quæ Willelmi Tyrii solet libris adjungi. Basorensis et quidam alii in Arabiâ propriè dictâ, quorum mentio in Nestorianorum libris exstat et vix alibi, ab ipsis Nestorianis serò admodùm, sub Muhamedanorum imperio constituti sunt. Hæc à nobis fusiùs exposita sunt, non modò quia vulgò ignorantur à viris doctis, verùm etiam maximè quia ad institutas de versionibus Arabicis disquisitiones pertinent, ut mox ostendetur.

Etenim si, ut in aliis provinciis, ità in Arabiâ Ecclesiæ constitutæ fuissent satis magno numero, ut et episcopos, et totam ecclesiasticæ disciplinæ formam reliquarum exemplo servâssent, dubitari nullatenùs posset quin, ut ubique factum fuerat, pro indigenis sacræ Scripturæ in communem linguam transferrentur. Ubicumque scilicet Christus annuntiatus fuerat, fideles ejus sacramento initiati, scrutari Scripturas illiusque lectionis pabulo confirmari incipiebant. Prætereà solebant legi in synaxibus religiosis, neque aut officia laudum quotidianarum, aut sacrificia Eucharistica, aut sacramenta celebrari mos erat absque Scripturarum lectione. Eà ratione factum est ut ab ipsis Ecclesiæ incunabulis versæ illæ fuerint, à Syris in suam linguam, à Latinis in latinam, ab Ægyptiis quoque in ægyptiacam. Consuetudinem porrò quæ toti, quâcumque patebat, Ecclesiæ communis fuit, ergà Arabes aliquam exceptionem habuisse, ne venire quidem in mentem potest. Neque enim Christiani quodam modo habiti fuissent, qui Scripturas non legissent. Superest igitur ut eas habuerint, sed aliâ linguâ, quod æquè absurdum, imò prorsùs impossibile judicandum est. Namque legere eas potuerunt vel hebraicè, vel græcè, vel vernaculè : hebraicè, Judæorum exemplo, etsi chaldaicas Paraphrases adhiberent, quod tamen ab aliis quàm à Judæis

non videtur potuisse fieri; græcè, ut Asiatici omnes et quicumque erant sub syro Macedonum imperio, in quo græca lingua, præsertìm in urbibus celebrioribus vulgaris erat. Verùm ne leve quidem vestigium occurrit propagatæ linguæ apud Arabes, maximè Scenitas illos barbaros, qui propriè Saraceni appellantur, adeò ut qui ex reliquarum gentium exemplo probari communem linguæ græcæ usum existimet apud Arabes, nonnisi conjectando id efficere queat; sed probationes undecumquè deficiunt. Imò Arabes, quantùm ex omnibus eorum antiquissimis monumentis colligi potest, ità erant linguæ suæ studiosi ut cæteras aspernarentur; vix ulla, nisi mercaturarum causâ, commercia inter eos et Græcos erant. Apud Syros et alias gentes, quâcumque Græcorum fama pervenit, supererant multa doctrinæ illorum vestigia; ne ullum quidem exstat apud Arabes genuinos : adeò ut poemata illa, quæ apud eos vetustissima censentur, et suprà quorum ætatem nihil habent, camelos, tentoria pastoritia, cædes, prædas, nugas tandem meras complectantur; et, si quid fabularum de græcis regibus admixtum habent eorum libri, serò tandem illæ et longè post natum pseudoprophetam ad eos pervenerunt. Cùm tamen, ut ex omnibus illorum memoriis apparet, linguæ suæ studiosissimi fuerint, dubitari nullâ ratione potest quin reliquorum omnium exemplo, sacras litteras interpretaturi fuissent ex alterutrâ linguâ, si plenam rerum christianarum notitiam habuissent, aut continuatam, ut alibi, episcoporum seriem.

At, si quid certum in re litterariâ orientali est, illud sanè quòd versionis librorum veteris aut novi Testamenti Arabicæ, antè Mahumedanorum tempora factæ, nulla memoria est. Posset auctoritas adduci hoc in genere maxima Ismaelis Abulfedæ, celebris historici et geographi, qui, cùm, post annum 1304, scriberet, negabat exstare adhuc suo tempore talem ex hebræo versionem. Sed verba ejus referentur infrà, quia eum manifestò hallucinatum esse probabimus, et, qui ejus testimoniis nimiùm tribuit, doctissimum Pocockium. Nam diù anteà versiones exstabant ejusmodi; sed ad Abulfedæ manus non pervenerunt. Illud modò exploratum et quasi demonstratum haberi existimamus, antè Mahumedem nullam fuisse. Constat id non modò omnium auctorum silentio, sed ex Alcorani ipsius inficetiis. Neque enim existimandum est Mahumedem impostorem, vel potiùs, cùm esset illiteratus, eos qui farraginem illam ineptam collegerunt, si præ manibus habuissent libros Testamenti veteris, tàm immania contrà historiam peccata admissuros fuisse, cùm narrationes omnes ridiculæ de Adamo, de Abrahamo, Josepho, Mose, Israelitis, et si quæ sunt aliæ, nullatenùs ad religionem pertineant, sed simpliciter, ut à primis scriptoribus creditæ fuerant, referebantur. Serò tandem postquàm à Judæis et à Christianis exprobrata impostori fuit inscitia summa sua, ea in religionem versa est, ut, contrà omnium historiarum fidem, Arabi fabulatori sua staret auctoritas, dùm libris qui erant in Christianorum Judæorumque manibus decederet, quia eos corrupisse dicebantur; et argumentis talibus ea calumnia probabatur, quæ, nisi sanguine scripta forent, ne camelariis quidem fraudem facere potuissent. Accedit huic conjecturæ ex Alcorani ineptiis petitæ alia non minoris ponderis, quæ ex historicorum Mahumedanorum perplexitate ducitur, quandò veterum regum indices et Patriarcharum successionem designare conantur, ut fecerunt auctores apud eos celeberrimi. Etsi enim Alcorano nihil non tribuunt, quem divinitùs traditum credunt, sentiunt tamen sæpenumerò non frustrà statim reclamâsse Judæos et Christianos, cùm absurdissimæ illæ historiæ ederentur, prophetam esse non posse qui in narrationibus notissimis, quales erant Biblicæ, tàm turpiter hallucinaretur. Ità, licèt Judæos et Christianos eas corrupisse dicant, quia ità in Alcorano scribitur, tamen eas non negligunt docti inter eos quicumque alicujus litteraturæ gustum habent, gnari ex illis solis historiam veram haberi posse : undè et eas laudant historici complures, doletque Abulfeda quòd illæ, ut falsò existimabat, non essent arabicè conversæ. Verùm posteriores auctores eas in Judæorum Samaritanorumve, tandem in Christianorum versionibus legerunt. At nullam similem Mahumedani rerum suarum initio videntur habuisse, cùm ipsi meliores et cordatiores historici, quorum potior cura fuit ut fabulas quas alii magno studio prosequuntur effugerent, in easdem sæpè recidant, cùm præter pauca illa quæ Alcorano continentur, nihil nisi apocryphorum librorum excerpta legisse videantur. Iis fictis narrationibus non abstinuit Emir Condus, et alii præstantiores in scribendâ historiâ, non magis felices in exscribendo fuerunt, cùm Christiani Judæique, etiamsi multas quoque portentosas narrationes suis historiis inseruerint, tamen et rationem temporum servent accuratiùs, et in eo saltem veraces sint, quòd Scripturam ducem se-

quantur : Mahumedani, neque nomina ipsa, neque temporum ordinem tenentes, omnia conturbent. Nam, ut id obiter moneamus, fuit à primis Ecclesiæ seculis promptuarium quoddam fabularum omnis generis quibus veteris Testamenti historia contaminata est, et ex quo non modò Judæi, sed Christiani quoque ac Mahumedani ea omnia fermè acceperunt quæ apud historicos non omninò contemnendos leguntur. Hujus generis maxima pars occurrit in capitulis R. Eliezer, in Bereschit Rabba et aliis antiquis Judæorum libris, quæ recentiores nullo delectu in suos transtulerunt, et ex Gorionide aliisque auxerunt majorem in modum. Paria omninò commenta repræsentant Græci in suis historiis generalibus; nam multa hujus generis apud Cedrenum, Zonaram aliosque reperias, ut ignobiliores prætereamus, qualis ineptus ille Joannes Malela, quem diù à nostris hominibus contemptum, Angli tàm magno hiatu promissum, publicis tandem sibilis capessierunt. Addo si lubet alios recentiores, qui tales sæpè, ut fert occasio, narrationes suis operibus interserunt. Ità quoque Eutychius Alexandrinus, Gregorius Abulfaragius, et alii qui scripserunt arabicè, ad eumdem lapidem offenderunt; sed de his alibi. Tandem ad Arabicarum versionum examen veniendum est : etsi porrò in illis quæ hùc usque præcesserunt prolixiores fortassè fuerimus quàm ferebat instituti nostri ratio, speramus tamen haud inutilia illa fore, cùm ea ad ipsarum versionum origines ità pertineant, ut nisi priùs rei summa constituatur, nihil aliud supersit quàm conjecturæ variæ et admodùm incertæ, ultrà quas viri doctissimi nondùm progressi sunt, aut codicum MSS. comparationes, quæ in antiquitate annorum mille et ampliùs exiguum præsidium conferre possunt. Si qui, ut sanè multi, ulteriùs delati, securè de versionum vetustate et dignitate pronuntiaverunt, eorum temeritas et inscitia manifestò demonstrabitur.

Ut autem commodiori et ad aliorum qui antè nos scripserunt morem proximiori methodo de versionibus sacræ Scripturæ dicamus quæ exstant arabicâ linguâ, de illis agetur, non tàm secundùm illarum antiquitatem, quæ sanè definiri vix potest, quàm secundùm singulas religiones apud quas natæ illæ et usurpatæ sunt. Etsi verò nullâ idoneâ ratione probari possit judaicas antiquissimas esse, quia tamen notissima præ omnibus primaque typis edita, ea quæ Rabbi Saadiæ Gheoni tribuitur, ab eâ initium ducemus. Quod autem dicimus non esse ullam certitudinem de summâ antiquitate versionum judaicarum præ illis quas Christiani elaboraverunt, videtur esse extrà controversiam. Neque enim Judæi antiquiorem ullam apud suos exstitisse sciunt aut majores eorum litteris prodiderunt, atque ità decimo tantùm seculo factam eam oportuit. Anteà verò et aliquot quidem seculis vetustiores habemus auctores christianos qui arabicè scripserunt, multosque SS. Patrum libros transtulerunt in eam linguam quæ à Mahumedanis per totam Asiam, Africam et in magnâ Europæ parte diffusa alias fermè omnes ità delevit, ut tandem vernacula in multis provinciis foret, ubi olim barbara prorsùs et ignota fuerat. At illi Scripturarum testimonia ubique referunt, quod frequentiùs adhuc in tractatibus polemicis, quorum multi antequàm vivus Saadias foret scripti sunt. Undè dubitare non licet quin antè illa tempora exstaret apud Arabes christianos, aut eos quibus sub Muhamedanorum jugo arabica lingua vernacula erat, translatio in eamdem linguam quæ passìm ab ipsis lecta publicam auctoritatem haberet. Sed de Saadiâ dicendum. Auctor existimatur esse versionis arabicæ quam Judæi, sed Pentateuchi solius, Constantinopoli ediderunt ann. salutis 1551, typis hebraicis, simul cum hebræo textu, paraphrasi chaldaicâ et interpretatione persicâ Jacobi Tusensis, commentariisque Rabbi Salomonis Iarchi. Laudant Saadiam ex suâ versione R. Abraham Aben Ezra et alii Judæi, qui quoniam alias non noverant, facilè adducti sunt ut crederent primam illam fuisse et quidem antiquissimam. Cùm autem Saadias aliquandiù dignitatem Gheonis habuerit (ità vocabant scholæ seu synagogæ Soranæ rectores, quæ babylonicarum præcipua erat, adjunctumque simul habebat principatum illum imaginarium quos Hebræi Rasche Galouth appellabant); ità versionem hanc institutam esse in gratiam et usum Judæorum orientalium constat certissimè. At multis seculis anteà florebant in Hispaniâ et in vicinâ Africâ quæ eosdem Mahumedanos dominos habebat sacrarum litterarum studia, non modò ad eas commentariis explicandas, quod vivâ voce fecerunt insignes magistri, quorum memoria exstat in Schalschelet Halkabala, Inchasin, postremoque tandem historico Judæorum opere Tzemach David. Tales quoque commentarii in litteras missi arabicè scripti erant ut ille R. Tanchum, quem sæpè laudat Edwardus Pocockius, et ex cujus testimoniis intelligitur doctrinam auctoris non

vulgatam fuisse. In Talmudicâ doctrinâ notum est quàm multi arabicè quoque scripserunt, atque inter eos præcipuus R. Moses Maimonides, qui More Nebochim eâdem linguâ composuit; ut alii opera diversa tàm theologica quàm philosophica. His adjungendi grammaticorum facilè principes R. Juda Hing, R. Jona et alii, quorum scripta interciderunt, aut in bibliothecis delitescunt. Difficile autem omninò videtur ut in libris qui Scripturarum verbis pleni sunt, quique vernaculè scripti sunt legendis, necessaria non esset eorumdem versio vernacula, sine quâ à Judæis multis intelligi vix potuissent. Ea conjectura si vera est, exstitisse debuit longè antè Saadiam Gheonem arabica Judæorum versio, præsertìm cùm Mauri et Hispani, licèt fortassis jurisprudentiâ inferiores, aliis doctrinis Orientales longè post se relinquerent. Sed ut verum fateamur, conjectando tantùm id affirmari potest, non certis aliquibus rationibus comprobari. Nam quamvis plerique Judæi hebraicæ linguæ non admodùm periti forent, adeò ut arabicè docendi de fide, moribus institutisque religionis suæ essent, quæ causa fuit tot librorum arabicè scriptorum, attamen ex usu quotidiano, explicationeque sacrarum Scripturarum per magistros factâ, eam doctrinæ sacri textûs facultatem videntur tunc habuisse, ut earum sententias, quæ in libris arabicè scriptis passim occurrunt, absque interprete intelligerent. Suadet id constans Judæorum illorum omnium eâ linguâ scribentium consuetudo, ut sacræ Scripturæ verba hebraicè semper referant; quod in suo More Nebochim observat Maimonides, ut iis præfationibus quas edidit Pocockius, quos alii quoque sequuntur. Ità quid in quæstione satis obscurâ statuendum sit, divinare non facile est. Nam qui de hâc Saadiæ translatione accuratè apud Judæos scripserit, vix ullus reperitur. In communi igitur eorum opinione adquiescendum videtur, ut eam esse judicemus quæ Constantinopoli edita est, solius Pentateuchi. Eum tamen totum vetus Testamentum interpretatum esse vulgò creditur, atque editurum integram illam versionem pollicitus fuerat Thomas Erpenius, quamvis nunquàm eam habuerit, speraret solummodò eam apud Judæos nacturum. Idem est Pocockii judicium, notis ad Specimen historiæ Arabum, Valtoni, et uno verbo omnium qui de eâ versione locuti sunt. Nemo tamen, quantùm ex virorum doctissimorum commentariis, aut etiam ex indicibus bibliothecarum intelligi potest, exemplar ejusdem integrum, imò aliquod solius Pentateuchi vidit, quod R. Saadiæ nomen præferret. Quocircà standum in hoc argumento: est Judæorum sententia qui eam omnibus aliis prætulerunt, adeò ut reliquos aboleverit. De eâ porrò sequi debemus judicium Edwardi Pocockii, qui Præfatione ad varias lectiones editionis arabicæ londinensis, quæ exstant tomo 6 ejusdem operis, eam meritò præfert qualis à Saadiâ profecta est, aliis quæ ex eâ, ut vulgò creditur, deductæ et interpolatæ sunt. Habebat autem Pocockius illius versionis exemplar MS. litteris hebraicis; nam omnia fermè quæ à Judæis scribuntur arabicè non alio charactere exarari solent. Non tamen diffitetur esse multos locos in quibus paraphrasten potiùs quàm interpretem agit Saadias, si tamen ejus versio à librariiis interpolata non est: sciunt enim quibus familiares sunt orientales litteræ nihil æquè rarum esse quàm codices ità similes ut sibi accuratè respondeant.

Communissima autem omnium nostræ ætatis criticorum sententia est, versionem quæ in Polyglottis parisiensibus primùm, deindè in londinensibus edita est, non aliam esse quàm illam Saadianam, sed aliquibus in locis interpolatam, cujus opinionis primus auctor fuit Joan. Morinus, qui in exercitationibus biblicis, exercit. 14, cap. 1, inter alia opera R. Saadiæ, quæ, inquit, habemus permulta, esse Pentateuchi translationem arabicam, quæ Parisiis nuper excusa est in præclarâ illâ Bibliorum editione, et nuperrimè Londini. Idem censet Edwardus Pocockius. Horum, inquit ille, librorum versionem arabicam, quæ hìc edita est, celebri Judæorum magistro R. Saadiæ Gheoni originem suam debere autumamus, licèt ab alio quopiam subindè interpolatam. Neque enim operâ alius cujuspiam privatâ ex fonte hebraico primitùs deductam facilè suadet ea quæ est inter hanc et illam, quæ R. Saadiæ esse ab omnibus pro concesso habetur, in iis passìm locis quæ paraphrastico more interpretandi licentiam sumpsit, convenientia. Ut autem ipse fusiùs docet verbis sequentibus, tanta multis locis vocum similitudo, ut sine quodam miraculo ea obvenisse inter diversos scriptores duos intelligi non possit; tanta deindè discrepantia, ut non aliundè profecta existimanda sit, quàm ex certo consilio ejus qui Saadiæ opus interpolandum suscepit, illudque præ oculis habuerit. Docet deindè Pocockius videri hanc editionem à Judæo factam, etiamsi sæpè pro nomine Dei *Tetragrammato*, Angelum substituat, forsan à Samaritano. Cui,

inquit, interim sectæ ipsum adjudicemus nondùm in comperto est. Nam ut à Judæo prodire potuisse hæc non temerè negaverim, cùm ab Aben Ezra discamus esse inter eos qui Abrahamo non tres Angelos, sed tres Prophetas apparuisse statuant; ità quoque nec eorum quempiam in ipso versionis quam suis gratam esse cuperet textu, vel pro Tetragrammato toties Angelum, vel eo quem indicavimus loco Prophetam, more aliis insolito atque inaudito substituere voluisse haud facilè crediderim. Samaritanorum forsan genium magis hæc spirant; quorum hanc notat hæresin Morinus ad Gen. 5, et Aben Ezra ad Gen. 1, à quâ nec immunes videntur Judæorum aliqui, quòd hominem ad Angelorum similitudinem creatum asserant, quibusque ferè solemne esse, ut nomen Angeli *Tetragrammato* vel substituant, vel addant, tùm ex ejusdem doctissimi viri annotationibus ipsâque paraphrasi inspectâ, tùm ex iis quæ ex versione arabico-samaritanâ adducit Hottingerus, percipere est. Sunt et quæ suadeant eum à quo navata est hæc opera, si non Muhamedanorum partibus addictiorem fuisse, studium tamen adhibuisse ut ipsis non ingrata esset. Dictiones nempè et loquendi formulæ apud ipsos præcipuæ in usu, atque inprimis nomina quædam propria, aliis minimè usitata. Quis enim alius Jethronem Chohaïbum appellaret? Ut taceam solemnem istam ex Alcorano formulam : *In nomine Dei Miseratoris Misericordis*, libri fronti præfixam, quam non temerè adhibent, vel Christiani, vel Judæi, nisi iis in libris quos eo nomine pseudoprophetæ illius asseclis commendatiores esse volunt. Ac certè versionem istam, prout characteribus arabicis, eâque quam videmus formâ expressa est, à quocumque tandem præstitum fuerit, in Muhamedanorum præcipuè gratiam adornatam fuisse si quis asseruerit, ne non repugnantem habebit. Hanc porrò conjecturam suam auctor argumento confirmat, quod ex Ismaelis Abulfedæ testimonio petitum est. Illud verò, quoniam ad institutum nostrum maximè pertinet, operæ pretium erit ut integrum referatur. Locuturus igitur de judicibus et regibus Israeliticis hæc præfatur: « Hâc in parte necesse est ut multa recurrant « errata, cùm ob magnam temporis incerti- « tudinem, tùm quòd hebraicè scripta sint quæ « de illis memoriæ prodita sunt, cujus linguæ « verba debito modo proferre admodùm diffi- « cile est. Neque in exemplaribus historiarum « his de rebus conscriptarum quæ inspicere « contigit, inveni de cujus veritate certò « mihi constaret : unumquodque enim alteri « contrarium reperi, vel in nominibus judi- « cum, vel in eorum numero, vel temporis « quo præfuerunt spatio notandis. At Judæis « libri sunt viginti quatuor antiquitùs apud « ipsos per manus accepti, qui nondùm ara- « bici facti sunt, verùm linguâ hebraicâ exa- « rati. Comparatis ergò mihi ex ipsis Judicum « israeliticorum et Regum libris, accersivi vi- « rum hebraicè et arabicè doctum, cui eos « prælegendos tradidi ; tribusque adhibitis « exemplaribus, ex ipsis transcripsi quod mihi « verissimum visum est, nominaque litteris et « vocalibus suis quàm fideliter potui, notavi. » Ex illis Abulfedæ verbis constare Pocockius existimavit nullam tunc temporis fuisse textûs hebraici versionem litteris hebraicis exaratam; neque enim aliter intelligi posse quæ scribit, cùm certum sit antè aliquot secula exstitisse versionem Saadiæ, sed quæ, ut Judæis mos est, hebraicis, non arabicis litteris descripta foret, atque adeò Arabibus esset planè impervia. Ità tandem conjectatur ab aliquo in Muhamedanorum gratiam Saadianæ versionis exemplum, tranfusum fuisse in arabicos characteres, adjunctisque discrepantibus ex codice secundùm 70, et forsan ex Samaritanorum arabico lectionibus factam fuisse illam editionem quæ nostro seculo edita est.

Verba viri in istis litteris præstantissimi fusiùs describenda esse, operæ pretium existimavimus, quia qui de eâ versione accuratiùs scripserit, occurrit inter eruditos fermè nemo. Res autem ità per se obscura est, ut quamvis huic illius sententiæ non planè adquiescendum censeamus, eam tamen rejicere temerarium videatur, donec meliora nobis occurrant. Hæc sunt igitur quæ nobis difficultatem pariant, et quæ non inaniter observari posse judicamus.

Ac statim quidem de antiquitate et auctoritate versionis Saadiæ quæ est apud Judæos maxima post Aben Ezram et alios magni nominis Judæos, dubitare nemini licet. Nam præter illa testimonia quæ sanè omni exceptione majora sunt, occurrunt in variis bibliothecis codices MSS. ejusdem interpretationis, qui Saadiæ nomen præferunt ; et præter eum quem habuit Pocockius, cujusque varias lectiones cum editionibus Parisinâ et Constantinopolitanâ magno labore comparavit, accepimus à viro clarissimo Rogerio Huntingdonio qui antè annos duodecim post orientalem peregrinationem in Angliam reversus est, et quem hâc in urbe vidimus, quòd inter libros MSS. quàm plurimos, quos in Oriente conqui-

siverat, exstaret duplex ejusdem versionis exemplum. Sanè in bibliothecis nostris, etsi in omnium librorum orientalium genere ditissimis, Regiâ, Seguierianâ, Colbertinâ et aliis minùs notis, nullum tale exemplar nacti sumus. Undè judicio virorum doctissimorum stare securi possumus, tùm etiam editioni Constantinopolitanæ, quæ licèt typis inelegantibus, magnâ tamen diligentiâ à Judæis facta est. Nam quod vulgò ex Erpenio et Pocockio aliisque didicerunt infimorum subselliorum critici, eam esse indiligenter admodùm editam, atque ex vitioso exemplari, non alio sensu accipiendum sciunt arabicè periti, nisi quòd grammaticum illum apparatum, qui infinitis notis et interpunctionibus constat, quas in Alcorano movere religio est, in poetis et aliis politioris litteraturæ auctoribus, accuratè sequi necessitas cogit, cùm, inquam, apparatum omnem negligunt Judæi, cùm arabica litteris hebraicis exprimunt, nec si vellent, possent. Ità Christiani syri facere solent, cùm eamdem linguam describunt characteribus suis, quam scribendi rationem *Karchuni* vocant. Imò par est ipsorum Arabum negligentia in plerisque libris, qui præter *puncta-diacritica*, quæ ad litterarum ipsarum distinctionem spectant, alia, vocalia scilicet, vix adhibent. Quòd si aliqua major occurrit in ejusmodi codicibus exarandis et in Constantinopolitanâ editione negligentia, causa hæc est quòd non tàm orthographiam quæ in hoc scribendi genere servari vix potest, quàm pronuntiationem spectant, in quâ tricæ illæ grammaticales locum non habent. Multò major adhuc licentia est Judæorum, persica hebraicis litteris scribentium, ut non solùm editio constantinopolitana Paraphrasis Jacobi Tusensis demonstrat, sed etiam codices MSS. Colbertini alterius versionis pentateuchi et aliorum veteris Testamenti librorum, quorum etiam aliquos habemus charactere hebraico antiquissimos, nempè Proverbia, Ecclesiasten, Estherem, præter alios, qui curâ Jacobi Vecchieti florentini ex similibus codicibus in Persiâ elegantissimè et accuratissimè descripti sunt.

Quod porrò tàm Pocockius quàm Morinus et alii plerique dicunt versionem quæ in Polyglottis parisinis et londinensibus edita fuit, eamdem esse cum Saadianâ, quæ tamen à primis editoribus interpolata fuerit, dubium omninò incertumque existimandum est. Nam Gabrielem Sionitam, qui editioni parisinæ præfuit, non eam habuisse hebraicæ doctrinæ facultatem ut Saadiæ versionem Judæorum exemplo reliquis præferret, accepimus à viris doctis qui eum familiarissimè noverant. Et ipsa constantinopolitana editio rarissima est, ut omnes sciunt, vixque unum aut alterum ejus exemplar Lutetiæ reperiebatur, cùm illa facta est; et quæ exstabant, scimus non fuisse in Gabrielis manibus. Itaque temerè omninò statuitur à quibusdam, eum Saadianam tantùm interpolâsse arabicèque descripsise, tùm punctis grammaticis dixtinxisse. Nihil simile ex exemplari hebraicè scripto præstare ille poterat, neque fraudem ullam adornavit : quo enim bono? Verùm, ut nondùm erant eò explicata quæ ad sacrorum librorum criticen pertinebant, et qui in eo genere lucem Maronitæ in illis studiis parùm exercitato præferre poterant, quorum erat præcipuus Joannes Morinus, hi arabicam linguam nesciebant, neque ità ab illis necessarium in opere tàm difficili subsidium paratum erat. Ità maximè verisimile est Gabrielem Sionitam eum codicem quem fortassis unum penès se habebat, teterrimum omnium eorum qui ad tale opus adhiberi unquàm possent, adhibuisse, eum manu suâ descriptum adornatumque vocalibus præbuisse typothetis, nemine eorum agnoscente. Nam vir clarissimus, et pii generosique animi laude nunquàm satis celebrandus, Guido Michael Le Jay, qui in eâ editione procurandâ patrimonium exhausit, erat orientalis omnis litteraturæ expers. Tanta autem fuit eorum quos operi adhibuit multis nummis conductorum socordia et negligentia, ut cùm exstarent bibliothecis codices MSS. antiqui, et meliores omninò quàm qui typis expressi sunt, eos nunquàm consuluerint. Erant quippè in bibliothecâ Regiâ aliqui, plures in Seguierianâ; facultas erat habendi alios ex Angliâ, Hollandiâ et Italiâ, undè samaritanos suos Morinus habuerat, quos cum insigni illo hebræo-samaritano compararet; patebat per cardinalem Barberinum, fautorem maximum litterarum, bibliotheca Vaticana; Peireskius omnem obtulerat operam ut codices MSS. ex Oriente conquireret : et tamen, quod satis mirari nemo potest, hæc omnia subsidia omissa sunt, ut immenso sumptu ederetur versio quæ nec Judæis, nec Christianis conveniret, qualis illa est. An verò interpolata sit à Judæo aliquo aut Mahumedano sciri non potest, ob summam quæ inter codices MSS. orientales obtinet diversitatem. Sanè ingeniosæ sunt Pocockii conjecturæ, nec rationibus destituuntur; velle tamen ut firmissimarum probationum loco recipiantur, nemo, opinor, poterit. Nam quod ait ex in-

scriptione ipsâ libri : *In nomine Dei Miseratoris Misericordis,* quæ muhamedanæ sectæ vulgatissima formula est, conjici posse eam à Mahumedano translatam in litteras arabicas, leve omninò argumentum est. Quippè multos vidimus codices christianos qui de rebus religionis agunt eâ formulâ prænotatos; imò exstat in bibliothecâ Regiâ versio alterius generis arabica ex hebræo facta quæ cum in fronte præferat talem sententiam, alio tamen loco alteram habet planè christianam. In aliis libris id frequentiùs, ut ex Elmacini historiâ constat, quæ versatur, edita typis Batavis, omnium manibus. Neque enim eam modò formulam habet, sed laudes perpetuas ergà Muhamedem impostorem ejusque sectatores, licèt scripta sit ab homine christiano Jacobitâ. Major auctoritas ex nominibus propriis quæ aliis quàm Mahumedanis ignota sunt. Sed quis præstet ea ab auctore profecta, non ab aliquo hujus sectæ qui librum transcripserit? Curiosos ejusmodi librorum Muhamedanos fuisse vel solum Abulfedæ testimonium à Pocockio relatum probare sufficienter potest, et multis aliis argumentis confirmatur. Nam codices multos non hujus modò translationis, sed alterius secundùm 70 factæ, ex variis notis eorum ad quos pertinuerunt manuscriptis, apparent lectos ab ejus sectæ hominibus fuisse; nec id revocare in dubium sinit testimonium viri hâc ætate inter Turcas eruditissimi Hadgi Calfa. Is enim in bibliothecâ suâ orientali, cujus exstant codices unus in Regiâ, alter in Colbertinâ, unum quoque habemus, recenset arabicas legis Mosaïcæ versiones plures, secundùm hebræum exemplar, et secundùm 70, ut sibi tractatas.

At quod spectat ad deductam ex Abulfedâ argumentationem, ea, ut liberè dicamus, non omninò probat id quod vir clarissimus existimavit. Loquitur enim Abulfeda non de lege, sed de libris Judicum et Regum Israelis, qui ad manus ejus non pervenerant. Erat quippè magna, ut est etiamnùm, inter exemplaria secundùm Hebræos et secundùm Græcos diversitas, quæ cùm ipsos Christianos, qui divinam scripturarum auctoritatem tàm in hebræis quàm in græcis voluminibus agnoscunt, exerceant tantoperè, multò magis hominem qui ex falsâ suâ ergà pseudoprophetam suum fide, credit Alcoranum verissimam historiam continere, Christianorum et Judæorum codices corruptos affirmat. Ità quippè intelligendum quod ipse mox subjungit elegisse se, comparatione inter codices factâ, quæ ipsi magis vera viderentur, quo in judicio quàm sæpè hallucinatus sit non ignorant qui ejus et aliorum omnium Muhamedanorum historias legerunt; neque enim vera dicere ullo pacto queunt, quin prophetam suum falsum agnoscant, quod nemo illorum facit. Quid enim tandem judicarent de illius hominis inspiratione divinâque et propheticâ auctoritate in rebus obscurissimis, quæ tamen ad salutem pertineant, quem in narratione simplici rerum antiquitùs gestarum, quarum apud gentes omnes exstat memoria, eaque antiquissimis consignata monumentis, errâsse turpissimè non modò tanquàm idiotam et illitteratum, ut impostor ipse sæpè se vocat, sed tanquàm nebulonem impudentissimum qui Angelo interprete divinitùs accepisse glorietur ea quæ ex solâ historiâ mendacii et falsitatis notas habent certissimas? Non mirum itaque est deceptum esse Abulfedam, neque mirum magis si Judæorum libros ignoraverit, quasi non forent tunc temporis arabicè conversi. Nec enim ignorant quicumque versati sunt in Muhamedanorum libris quanta et quàm gravis ex inani illâ corruptelæ sacrorum codicum per Judæos et Christianos factæ opinione inscitia nata fuerit. Quòd si solos eos consuluisset codices qui erant in Syrorum potestate, apud quos principatum obtinebat Abulfeda, qui vel ex syriaco vel ex græco arabici facti erant, habuisset sanè præsidii satis ad enucleandam judicum et regum historiam. Sed has versiones æquè ac alias à Judæis factas videtur ignorâsse; atque ità testimonium ejus in re à suis studiis planè alienâ nullius omninò auctoritatis existimanda est. Nihil igitur omninò ex iis quæ Pocockius, et ex eo alii de versione arabicâ quæ in Galliâ et in Angliâ edita est commentati sunt, certi colligere quisquam potest, præter id quod omnes docti agnoscunt, nempè primos editores, vel unum potiùs Gabrielem Sionitam eo primùm exemplari quod ipsi in manus venerat absque delectu usos fuisse, atque ex eodem, cùm vitiosissimum foret, dedisse versionem nullius, neque apud Judæos, neque apud Christianos auctoritatis, quæ meliori ab eruditis illis Anglis commutata fuisse debuisset, non recusa tàm operosè et cum multis codicibus comparata, quorum vix ullus est qui eam longo intervallo non superet.

Verùm antequàm dicatur de aliis versionibus, expendenda est ea quam Thomas Erpenius edidit, ex alio codice MS., litteris quoque hebraicis exarato. Opus illa, ut videtur, est Judæi in sacrâ Scripturâ satis exercitati, quique, ut moris fuit, in eâ sectâ ex quo grammaticam didicerunt, habueruntque libros ad Masore-

tharum recensionem emendatos, multò accuratiùs Saadiâ Pentateuchum arabicè interpretandum suscepit. Edita est Lugduni Batavorum, an. 1622, et de eâ Erpenius ità præfatur: « Cùm in manus meas venisset exemplar Pentateuchi arabici MS. charactere hebræo, in « Mauritaniâ jam olim à Judæis editi, bibliothecæ nostræ legatum ab incomparabili viro, « Josepho Scaligero, egoque id paulò diligentiùs cum textu hebræo et translatione arabicâ « Saadiæ contulissem, comperi certè eam versionem accuratissimam esse, et palmam etiam « eripere Saadianæ, ut ut celebri. Neque temerè « doctissimum Scaligerum in testamento suo et « alibi, optimæ notæ, licèt lacerum, codicem « illum vocavisse. Cùm enim Saadias longiùs « plerumque à verbis et phrasibus hebraicis « recedat, et paraphrasten potiùs quàm interpretem agat, hic auctor verbis hebraicis sæpiùs insistit, et totidem ferè arabicis ea exprimit, locis quibusdam obscurioribus exceptis, in quibus à verbis nonnihil recedit, « sed ut sententiæ sit propior, eamque clariùs « exprimat. » Nihil hoc judicio verius, quod collatio diversorum locorum, quæ ab omnibus institui facilè potest, omninò confirmat. Ità tamen laus illa summæ præ Saadiâ, et si qui fuerunt alii interpretes, diligentiæ, intelligenda est ut ad eam codicis hebraici formam referatur quam habet à Masorethis et quam Judæi sequuntur in suis versionibus et commentariis. Nam cùm Saadias primus sit vel inter primos saltem qui studiis grammaticis incubuerunt, Arabum exemplo et eâdem fermè methodo, atque eum secuti R. Juda Hing Fessanus, R. Jonas et reliqui innumeri, certissimum est multa aliter à Saadiâ quàm ab aliis lecta; ut aliundè certissimè constat antiquos paraphrastes chaldæos et syros, multa legisse eodem modo quo 70 interpretes. De eâdem quoque versione observavit Brianus Valtonus in Prolegomenis id quod asserimus, auctorem exemplari hebræo à nostris codicibus alicubi diverso usum fuisse, quod ex quibusdam locis Gen. 50, 19, Exod. 12, 8, et 23, 27, liquet: tùm minùs rigidè in hebræis vocibus interdùm exprimendis inhærere, ut Exod. 29, 13, Gen. 46, 30, et 49, 11, singularis tamen industriæ et judicii, et divinæ majestatis reverentiæ specimina sæpè exhibere, cùm quæ Deo Scripturâ attribuuntur verbis commodissimis exprimat, ut cùm ex Exodo 29, 45, 46, verba: *Habitavit in medio filiorum Israel*, ità reddat: *Habitare faciam splendorem meum in medio filiorum Israel*. Emphasin etiam verborum eleganter exprimit, ut cùm nomen Dei, Exod. 33, *Ero qui ero*, interpretatur: *Æternus nunquàm transibit, vel mutabitur;* et quòd nomen *Elohim*, cùm pro idolo sumitur, semper per pluralem fœmininam exprimat, ut Exodi 42, 12. Hæc Valtonus. Et plura, sed non meliora Hottingerus in thesauro suo philologico quæ, etsi maximam in partem rectè observata sunt, non tamen aliud significant quàm eo tempore factam versionem, cùm Judæi nondùm eâ tenerentur superstitione quæ ab aliquot seculis, apud eos maxima est circà codicis sui Masorethici auctoritatem et sensus quarumdam vocum grammaticis regulis determinatum quas antiquitùs ut plurimùm ignorabant. Nondùm enim rigidam illam vertendi rationem sequebantur qualis apparet in illâ hispanicâ versione ferrariensi quam nisi hebraicè peritus intelligere nemo possit; verùm aliud olim erat interpretari, aliud verbum verbo reddere; quam tamen solam interpretandi rationem optimam Judæi recentiores secuti. Protestantes eorumque magistrum Emmanuelem Tremellium, virum nullius eruditionis, imitatores habuerunt. Ità, licet absit longè ab illorum versionibus hæc judaica de quâ diximus Pentateuchi et aliæ ejus generis quas Pocockius, Huntingdonius, et alii ex Oriente, aut ex Mauritaniâ conquisiverunt, à Judæis antè annos trecentos aut quadragentos factæ, sunt tamen minùs nitidæ, quia pressiùs verbis hebraicis insistunt quàm erant aut Saadiana aut aliæ veteres quarum inter Judæorum manus paucæ admodùm videntur superesse. Ex quo enim Saadianam versionem typis ediderunt, præcipuam apud eos auctoritatem obtinuit, quamvis usus illius passim obsolevisse videatur; nunquàm posteà illam recuderunt; quod quidem si Constantinopoli, et in imperii turcici reliquis urbibus non licebat, at nulla impedimenta erant apud Batavos ubi Judæorum res jam ab annis multis florentissimæ sunt. Hujus verò neglectûs causa satis verisimilis ea est quòd cùm synagogæ omnes asiaticæ et in Europâ turcicâ ritum sequuntur hispanicum, ex quo infinita eorum Judæorum multitudo qui ex Hispaniâ pulsi fuerant illùc sedes suas transtulerunt, omnes hispanicam linguam et præcipuè lusitanicam familiarem habent atque ideò malunt, ubi opus est, versionem ferrariensem et alias similes hispanicas legere quàm arabicas, cùm ea lingua apud Turcas non vulgaris sit nisi ad preces et religionis officia, ab aliis disci debeat eodem studio quo apud nos in scholis latina discitur. Undè ab annis multis vix occurrit aliquod opus à Judæis arabicè compositum,

non modò ad sacrarum Scripturarum expositionem, sed neque de illorum ritibus aut legibus, cùm olim tàm multi eâ linguâ scriberent. Verùm aut hebraicè scribunt et commentantur tàm de Scripturâ quàm de jure suo, aut vernaculè, quâ ratione permultos tractatus habemus hispanicè germanicèque exaratos, arabicè jam nullos.

Præter versionem Pentateuchi duplicem illam de quâ hùc usque dictum est, constans, ut observavimus, doctorum opinio est Saadiam integrum vetus Testamentum convertisse; quæ tamen versio à nemine visa est; nam cujusdam interpretationis *Regum* quam habuit Pocockius, auctorem alium esse judicavit ex styli diversitate. Cùm verò si quæ earum versionum fragmenta supersunt, in bibliothecis delitescant, eaque sint rarissima, nam à Judæis passìm negliguntur, neque de illarum dignitate aut antiquitate quidquam certum affirmari queat, plura dicere, quod non nisi conjectando fieri potest, supersedebimus. Porrò versiones illæ omnes, tàm Pentateuchi, quàm aliorum veteris Testamenti librorum ejusmodi sunt ut à Christianis, ne ex titulo quidem, cognitæ fuisse videantur. Nec enim fert consuetudo Ecclesiarum orientalium ut Christiani judaicis libris utantur; nec ullum in hoc genere exemplum occurrit, tantum erat adversùs illam gentem odium auctum suspicione vehementi quòd sacros libros corrupisset; quæ opinio apud eos invaluerat qui eos secundùm græcam editionem legere soliti erant. Illæ igitur versiones ad solos Judæos pertinebant, neque unius erant generis : nam, ut auctores antiquiores aliqui et inter recentissimos vir infinitæ lectionis Hadgi-Calfa observavit, habebant diversæ Judæorum sectæ diversas quoque versiones. Ità enim ille, litterâ T in *Tourat*, quæ vox legem Mosis significat, ex hebraicâ linguâ in arabicam migratione factâ. *Tourat*, inquit, unus est ex libris divinis, à Deo Mosi beatæ memoriæ cœlitùs demissis, linguâ hebraicâ Judæis propriâ, qui tamen eam immutaverunt et alteraverunt præsertim circà prophetias de Paracleto seu consolatore factas. Illius autem sunt versiones verbis diversæ, sed in sensu, paucis exceptis, convenientes. Prima dicitur lex Septuaginta : ea nempè quæ communi consensu facta est à 70 viris inter eos doctissimis. Occasio illius fuit quòd quidam Græcorum rex, regem Judæorum quempiam rogavit ut ad se mitteret numerum aliquem virorum qui *Legem* perfectè scirent. Misit ille septuaginta duos viros doctos quos alter binos in quâdam domo collocavit, datisque libris jussit ut eorum interpretationi incumberent. Illi *Legem*, græcâ linguâ, cùm interpretati fuissent, ille comparatis inter se exemplaribus triginta sex, verba quidem diversa, sed eamdem sententiam reperit, atque ità intellexit eos fideliter et veraciter in interpretando esse versatos. Hæc porrò versio deindè in syriacum sermonem translata est, tandemque in arabicum. Secunda translatio est Judæorum quorum alii Karaitæ, alii Rabbanitæ. Tertia Samaritanorum. Earum sectarum meminit quoque Takieddin Makrizius, in *historiâ* suâ *Ægyptiacâ*, et alii auctores. Sed quandò de illius sectis non est agendi locus, paucaque admodùm haberi circà illos ab Arabibus possint, illud tantùm ad nostrum institutum pertinet ut observemus plerasque versiones arabicas et persicas de quibus alibi dicetur ab Karaitis factas, potiùs quàm à Rabbanitis fuisse. Viget enim adhuc illa secta passìm inter Judæos orientales, et, quod à viris doctis olim accepimus, soli fermè Karaitæ qui traditiones et auctoritatem magistrorum planè contemnunt, ejusmodi versionibus multùm tribuunt. De Samaritanorum versione dicetur inferiùs. Quod superest, habent versiones omnes Judaicæ quasi colorem proprium, rigidam illam et horridulam verba verbis reddendi methodum quæ maximam obscuritatem parit, adeò ut ab optimo genere interpretandi absint quàm longissimè, multò magis sanè quàm Saadias et veteres alii, si Aquilam contentiosum et morosum interpretem excipimus, cujus hæc quoque ars fuit ut non modò verba sed origines etiam verborum transferre conaretur. Atque hæc, de versionibus ex hebræo per Judæos factis quæ ad nos pervenerunt, dicta sufficiant.

Aliæ sanè fuerunt quæ à Christianis ex eodem exemplari factæ sunt : quamvis possint illæ quæ hebræum codicem sequuntur factæ esse ad veterem translationem syriacam, ad idem exemplar institutam, ut rectè conjecit vir clarissimus Pocockius. Exstant enim ejusmodi versiones in anglicanis bibliothecis, ut etiam in nostris. Sed, cùm unicum tantùm vel alterum ejus quam habuit Pocockius versiculum speciminis gratiâ dederit, agnoscere non possumus an ea ipsa sit quam legimus in codice regio satis antiquo; habet enim, quantùm ex paucis indiciis colligere licet, quædam non absimilia. Versio illa ad hebræum codicem facta est atque à Christianis : de quâ pauca dicemus quàm brevissimè; nec enim

instituti operis ratio patitur ut eam criticorum more fusiùs expendamus, varias lectiones et cætera ejus modi simul conferamus; nam hæc opera admodùm prolixa foret, nec hujus loci.

Eam igitur primò constituimus factam esse ex hæbreo codice; quod statim eam comparanti cum aliis manifestum est. Cùm hebræum codicem dicimus, eum intelligimus quo vetus interpres syrus et antiqui alii, non quo posteriores Judæi usi sunt, ex quo à Masorethis reformatus est, eum ad modum quem jam habet tàm in editis quàm in plerisque MSS. codicibus, cùm nulli reperiantur qui summam antiquitatem habeant. Quia verò dupliciter fieri versio ex hebraico codice potest, nempè vel ex ipso archetypo, ut secundùm simplicem sensum accipi debet, nempè quâ ratione Hieronymus suam fecit, et posteriores interpretes suas; vel ex aliâ versione quæ primum illud exemplar expresserit, idcircò quæritur quænam origo illius arabicæ censenda sit, quod sanè nobis incompertum est. Syriacam in versionem se exercuisse illius auctorem mavult Pocockius; quæ opinio his præcipuè rationibus stabiliri potest, quòd hodierno codici hebræo minùs quàm syriaco respondeat; quòd non potuerit, nisi post Muhamedanorum tempora, hæc interpretatio prodire; atque certum est eam jam fuisse linguæ hebraicæ non solùm apud Christianos ignorantiam, sed inter Judæos ipsos, ut non nisi à doctis et qui ejus aliquam facultatem magno studio compârassent, posset intelligi; quòd non alio fine facta sit, quàm ut Christianis, quibus vernacula erat lingua arabica, esset ad manum: quâ ratione vix fieri poterat ut ex ipso hebræo fonte deduceretur; atque illa sanè maximi ponderis argumenta sunt quæ paucis explicare necesse est.

Prima ratio, etsi inter Protestantes qui veritatem hebraicam, ut vulgò dicitur, non aliam agnoscunt quàm Masoretharum codicem, omnium punctorum apparatu circumvestitum plurimùm valere queat, apud eos tamen qui Hieronymi, post 70 interpretes, auctoritatem magni faciendam meritò existimant, non est omninò certa. Si enim eam sequamur, neque Hieronymum, neque græcos aliosque interpretes Chaldæos aut syros aut samaritanos codicem authenticum hebræum vidisse censendum erit, cùm tàm multis in locis abeant à communi Masoretharum lectione, et in aliam sæpè conspirent. At temporis, religionis, linguarumque diversitas non patitur ut certo consilio immutatus ab interpretibus fuerit sensus sacri codicis, atque adeò illum alium multis in locis fuisse quàm est in Judæorum manibus, dubitari vix potest. Neque tamen idcircò in eorum sententiâ adquiescendum omninò videtur qui codices judaicos corruptelæ damnant, omnemve divinæ Scripturæ auctoritatem in græcos interpretes aut latinæ Vulgatæ auctores transferri volunt, ut nuper vir quidam eruditus qui Spiritûs sancti lumen in sacris litteris nisi per Vulgatam versionem agnosci vetat. Judæos à corruptione codicum de quibus postulati olim fuerunt ab antiquis plerisque scriptoribus, vindicare multis in locis difficile est, ut præsertim in loco illo *Psalmi* 21, qui de *Passione* Christi totus est, et in quibusdam aliis. Crimen verò illud dicendo extendere ad omnes Scripturæ partes, præsertim ad chronologiæ sacræ integram versionem, quod post Julianum Toletanum et recentiores quosdam alios Isaacus Vossius magno conatu suscepit, nimium quiddam est; quibusque hæc opinio placuit, ut à nonnullis viris doctis antè paucos annos acriter propugnata est, in magnas illi se inextricabilesque difficultates conjecerunt. At non minùs orientales ecclesiæ quàm occidentales, hebraicæ scripturæ græcæque versionis auctoritatem ità acceptaverunt ut neutram excluderent, atque ità ubi legebantur *Scripturæ* secundùm hebræum codicem, ut apud Syros, erat quoque versio secundùm 70 interpretes in pretio et dignitate. Itaque prima ratio ex discrimine inter receptam in hodiernis codicibus hebraicis lectionem, et eam quam interpres arabs de quo agimus, syrus aliique secuti sunt, non certum jam nec probabile argumentum est quòd illa versio non ex ipso archetypo expressa sit.

Secunda verò ratio plus habet firmitatis et verisimilis omninò est; quod paucis explicandum. Nam ex illis quæ de Arabum serâ ad christianam fidem conversione, eâque nec integrâ nec multùm diffusâ, adeò ut illa totam gentem pervaderet, superiùs dicta sunt, tùm ex variis indiciis constare suprà ostensum est, nullius antè exortum Muhamedem versionis Scripturarum in arabicam linguam exstare vestigium, aut in ecclesiasticis Orientalium aut in Arabum philologorum monumentis. Aliæ quæ post imperium Arabum factæ sunt, et quidem plures, pertinuerunt ad diversas ecclesias, et pro sectarum tamen diversitate diversæ non fuerunt, sed ex solo exemplarium ex quibus institutæ fuerunt, discrimine. Nam Syri quidem, non solùm Melchitæ seu orthodoxi, sed Nestoriani, Jacobitæ et Maronitæ qui singularem tunc ecclesiam

monotheliticæ hæreseos habebant, utebantur syrâ versione secundùm hebræos codices, de quâ dictum est superiori dissertatione. Erat quoque in eorum manibus altera versio secundùm græcam 70, sed quæ versabatur à doctis, ut ex eâ commodiùs Scripturas explicarent, non verò in ecclesiasticis officiis usurpabatur. Certum porrò est Syros, antè Arabum incursus, arabicæ versionis necessitatem nullam cùm haberent, ad eam demùm adjecisse animum, cùm syra lingua obsolescere apud plebem cœpit. Tunc igitur factæ sunt versiones arabicæ, una quæ syriacam exprimeret ex hebræo conversam, altera quæ secundam ex græco codice. Tùm verò, nempè seculo octavo, jam erant admodùm pauci qui syriacæ linguæ talem facultatem haberent, ut libros intelligerent; qui hebræam, fermè nulli, etiam inter Judæos. Ità verisimilius omninò est factam esse versionem arabicam quæ hebræo codici respondet, ex illâ primâ interpretatione syriacâ quæ aliquot seculis antecedit muhamedanum imperium, quàm ex hebræo ipso codice quem pauci admodùm Christiani intelligebant. Nullius sanè inter Syros aut alios Christianos orientales, qui illis temporibus vixerunt, memoria est qui hebraicam linguam calluisse videatur, aut qui saltem pauca ejusdem vocabula ità sciverit ut ad explicandas sacras litteras fructum aliquem studii sui in publicam utilitatem conferre potuerit. Imò nec illa saltem præsidia habebant quæ nec Græcis nec Latinis, etiam in summâ bonarum litterarum ignorantiâ nusquàm defuerunt, ut saltem glossaria quædam brevissima quæ ad nominum locorumque intelligentiam sufficerent, apud eos reperirentur. Nihil igitur omninò suadet fieri potuisse ut tunc ex ipso hebraico codice arabica interpretatio elaboraretur. Atque ità accedimus non inviti ad eorum conjecturam qui eam potiùs ex syriaco exemplari deducendam existimant.

Tertia quoque ratio eamdem imò et majorem aliquatenùs videtur auctoritatem habere; ea paulò accuratiùs explicata talis est: versio sacrorum librorum arabica in eum finem facta est ut Christianis orientalibus esset ad manum vernacula eorum interpretatio, possentque et domi et seorsim in Ecclesiis legere eas Scripturæ partes quæ in officiis publicis recitabantur ex ambone et altari, nempè tàm in precibus quàm in sacramentis celebrandis. Namque etsi vulgares linguæ esse desiissent, non idcircò sacra officia statim mutabantur, sed antiquâ consuetudine servatâ, fidelibus illitteratis subsidium ex vulgari interpretatione parabatur. Ità non tàm ad sacræ Scripturæ sensum elucidandum, quâ ratione in commentariis fieri solet, instituta primùm est à Christianis jam arabicè loquentibus arabica versio, sed ab episcopis et sacerdotibus sedulis procurata, ut haberent plebeii undè ea quæ audiebant in ecclesiis interpretari possent. Eâ ratione satis intelligitur versionem ejusmodi non tàm ad primævum exemplar hebræum quàm ad illud quod quotidianâ lectione frequentabatur fieri debuisse. Fatemur igitur illis potissimùm rationibus suaderi posse versiones arabicas quæ hebræo codici respondent expressas esse ad versionem syriacam illam veterem quæ reliquas omnes, non modò antiquitate, sed bonitate superat, quæque ut anteà probatum est, aut majori, aut æquali saltem, cum codice Judæorum hodierno comparata, auctoritate commendatur. Verùm, ut ingenuè fatendum est, hæc omnia non nisi ex conjecturâ dicuntur; neque enim quidquam occurrit in Christianorum orientalium monumentis, undè certi quidquam ad origines illius versionis illustrandas afferri possit. Jam ad illam de quâ agitur revertendum est.

Ea procul dubio facta est ad Christianorum usum, etsi codex manuscriptus regius in quo illam reperimus, non incipiat à formulâ Christianis familiari, sed ab eâ quâ Judæi sæpiùs utuntur: *In nomine Dei clementis, misericordis*, quæ diversa est à vulgari Muhamedanorum. Verùm hanc rationem quæ non omninò certa est evertit inscriptio altera in eodem codice, præmissa *indici* librorum *Scripturæ sacræ*. Nam mentio Trinitatis fit in illâ inscriptione, adeò ut dubitari nequeat quin illa eadem versio ad Christianorum usum facta fuerit. Illud verò etiam demonstratur ex plurimis ad marginem scholiis quæ diversas interpretationes continent eorum locorum qui ad Christum referuntur, quique, ut nemo nescit, ità explicari nisi à Christianis non possunt. Accedit altera ratio ex variis quæ ad marginem scriptæ sunt annotationibus. Nam omnes fermè desumptæ sunt ex syriacâ versione quæ ad alios quàm Christianos non pertinet; etiam multa quæ arabico sermone annotantur scripta sunt charactere syriaco, eâ scilicet scribendi methodo quam Karchuni vocant et quæ Christianis propria est. Versio ipsa melior procul dubio et doctior quàm judaicæ aut ad earum formam interpolatæ, adeò ut non tàm verba et origines earum quàm sensum exprimat, ut comparatione aliarum factâ, manifestum erit. Sed

quia collatio ejusmodi singularem operam desiderat, nec sine tædio eorum qui arabicè nesciunt institui potest, atque illis supervacanea planè censenda est, in eâ non immorabimur; ipsum codicem qui in publico est indicâsse satis videtur.

Illud præcipuè ad hujus versionis commendationem observandum videtur quòd in illis locis ubi diversitas est inter codicem hebræum masorethicum et antiquos interpretes qui in hebraicâ linguâ suas interpretationes fecerunt, secutus sit auctor vetustam lectionem; ità, in capite 3 Geneseos : *dixit Cain ad fratrem suum*, ubi hiatus est in hodiernis Judæorum libris; in hâc versione sicut in Vulgatâ Hieronymi, græcâ, syrâ, samaritanâ et aliis, adjecta leguntur : *Egrediamur foràs*. Ejusdem libri cap. 2, v. 24, differentia est inter hebræum codicem et antiquos interpretes, cùm in illo legatur : *Erunt duo in carne unâ*, vel *in carnem unam;* Septuaginta, Hieronymus, syrus, samaritanus legant : *Erunt duo in carnem unam.* Eamdem omninò lectionem secutus est auctor versionis arabicæ : *Et erunt ambo corpus unum.* Atque ità confirmat eamdem lectionem quæ Evangelistarum, Matth. 19, 5, Marc. 10, 8, Paul. Ephes. 4, 31. 1 Cor. 6, 16, auctoritate comprobatur. Cap. 7, v. 2, aliam differentiam critici observant inter hebraicam lectionem et 70, quos eo loco syrus et samaritanus sequuntur, nempè : *bina et bina, scilicet animantia immunda, masculum et fœminam.* Par quoque est in eo loco arabica interpretatio. In eodem lib. cap. 21, v. 33, notant in Septuaginta, samaritano et syro haberi : *Et plantavit Abraham nemus in Bersabee* : quo loco nomen proprium deest in codice Hebraico. Occurrunt autem in arabe nostro imò ipsa vox quæ respondet hebrææ, pro quâ legit syrus Bir-Seba quæ in nostro codice subscripta lineæ reperitur. Atque hoc exemplo et aliis non paucis quæ colligere facile foret, possumus ostendere versionem illam arabicam non ex alio secundario fonte derivatam, sed factam ad antiqua exemplaria, aut cum illis comparatam fuisse à viris doctissimis. Nam, cap. 22 sequenti, cùm in hebræo sit : *terram Moria*, quem locum Vulgata reddit : *terram visionis*, Septuaginta reddiderunt : *terram sublimem;* Syrus antiquus vocem ipsam servavit, ex quâ editores tàm parisini quàm londinenses malè punctatâ formaverunt vocem *mihi, terram* scilicet *Amorrhæorum*, quem errorem tollere facile erat, nec interpretando confirmari debebat. Samaritanus interpres, ut Vulgata, vertit *visionis*. Noster Arabs, 70 secutus, ut versio Harethi, filii Sinani, vertit *terram excelsam*, ut habet, licèt diversâ voce sed ejusdem significationis, alia quæ occurrit in Homiliario satis antiquo. Ineptiùs, libri cap. 41, quo evecti ad supremam à Pharaone dignitatem Josephi historia continetur, etsi error in codice nostro occurrit circà voces Isofnat Phaneah, nam secunda defit, apparet tamen ex primâ, vocem, qualis in primævo codice legebatur, interpretem habuisse præ oculis : nam arabica Saadiæ seu interpolata, quam repræsentant parisina et londinensis editiones, solam nominis interpolationem referunt, quam iisdem verbis interpres quoque noster adscribit, quasi scripturæ hebrææ viciniorem; nam aliam habet Harethus qui Septuaginta exprimendos suscepit; aliter quoque verba illa quæ ægyptia esse vix dubitandum exscribit. In Jacobi quoque prophetiâ quæ ità scripta est ut ex eâ magis quàm ex multis aliis Scripturæ locis agnosci possit undè sumpta translatio est, occurrunt quoque permulta quæ manifestis indiciis ostendunt interpretem fontes ipsos per se consuluisse. Ità quippè vertit quæ ad Judam pertinent : *Non recedet* seu *auferetur sceptrum regni de Judâ, neque legislator de sub imperio ejus, usquè dùm veniat is cujus est, et ad eum congregabuntur populi.* Hæc versio ità prudenter instituta est, ut satis appareat fuisse accuratè primarii exemplaris verba, adeò ut aliis arabicis nullis commodiùs explicari possent; si quidem complectuntur simul et lectionem Hebraici codicis, ubi vox *Sciloh*, quæ vulgò Messiam significare dicitur; atque ità docent paraphrases chaldaicæ; servatur autem illa vox quamvis explicata, dùm eodem sensu redditur quem secuti sunt 70 interpretes; sequitur quoque syrum qui ab illis non multùm recedit, atque ità sensum habet eximium qui non minùs ipsi litteræ hebraicæ quàm christianæ de promisso per hanc prophetiam Messiâ, à Judæis etiamnùm ex ejusdem vaticinii fide expectato, accuratè convenit.

Possunt qui huic nostro labori aliquandò fortassis succedent, vel qui ad meliores orientalium versionum editiones procurandas aliquandò adjicient animum, similes multas ex istius versionis aliarumque comparatione observationes colligere, non inutiles futuras, tùm ad Orientalium religionem cognoscendam in Scripturis convertendis, tùm etiam ad sacri codicis illustrationem. Siquidem ex antiquis illis more et religione majorum factis, non privato spiritu, secundùm traditionem sanctorum Patrum, non secundùm inanes plerùmque et fallacissimas Judæo-

rum recentiorum tricas grammaticales, multa agnoscuntur quæ sacræ Scripturæ lucem afferant; cùm aliæ quales judaicæ omnes fermè sunt sordidorum potiùs glossematum quàm legitimæ versionis nomen mereantur, adeò ut tales interpretes alium interpretem desiderent. Verùm quia non criticen illarum versionum, sed brevem delineationem scribimus, præter ea quæ jam à nobis designata sunt, quædam aliâ observabimus quæ illius versionis meritum commendare præcipuè videntur.

Nam inter alia argumenta quibus effici posse existimamus eam non ità ex aliis consutam et interpolatam ut aliæ vulgò sunt, exemplum esto ex Exodi 12, 40 : *Habitatio autem filiorum Israel quâ manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Eo loco addunt Septuaginta interpretes : *Et in terrâ Chanaan.* Imò exemplar alexandrinum et quædam alia : *ipsi et patres eorum* ; quam lectionem repræsentat codex samaritanus ; at in hâc nostrâ eadem quæ in hebræo codice latinâque Vulgatâ lectio exprimitur. Genesis 5, ubi refertur genealogia Patriarcharum de quorum annis tàm antiqua et tàm intricata controversia est, syra versio ex quâ plerasque orientalium Christianorum arabicas profluxisse vulgò existimant, sequitur Hebræorum codices atque ità in singulis numerus annorum centenario minor est quàm apud Septuaginta. Samaritanus codex, licèt non planè græco respondeat, ut ab aliis annotatum est, majorem hebræis, minorem græcis codicibus summam exhibet. Arabica versio græcos sequitur. Quia porrò chronologis non inutile erit scire quâ ratione genealogiæ Patriarcharum anni describantur ab hoc interprete, locum ipsum transferemus : « Vixit « autem Adam ducentis triginta annis et genuit « filium ad similitudinem suam et vocavit « nomen ejus Seth ; et vixit Adam postquàm « natus est ei Seth, septingentis annis, et « genuit filios et filias : et factum est omne « spatium vitæ Adami 930 anni, et mortuus « est. Vixit autem Seth 205 annis et genuit « Enos : et vixit Seth postquàm natus est ei « Enos, 707 annis, genuitque filios et filias ; « et factum est omne spatium vitæ Seth 912 « anni, et mortuus est. Vixit autem Enos « 290 annis, et genuit Cainan; vixit Enos, post- « quàm natus est ei Cainan, 615 annis, et genuit « filios et filias; factumque est omne spatium « vitæ Enos 905 anni, et mortuus est. Vixit « autem Cainan 170 annis et genuit Malaleel ; « et vixit Cainan, postquàm natus est ei « Malaleel, 740 annis, genuitque filios et filias ; « factumque est tempus omne vitæ Cainan 910 « anni, et mortuus est. Vixit autem Malaleel « 165 annis et genuit Jared, et vixit Malaleel, « postquàm genuit Jared, 730 annis, genuit- « que filios et filias; factumque est tempus « omne vitæ Malaleel 895 anni, et mortuus « est. Vixit autem Jared 162 annis et genuit « Enoch ; et vixit Jared, postquam genuit « Enoch 800 annis, genuitque filios et filias, « factumque est omne tempus vitæ Jared 962 « anni, et mortuus est. Vixit autem Enoch « 165 annis et genuit Mathusalem. Enochii « autem opera Deo grata fuerunt, et vixit, « postquàm natus est ei Mathusalem, 200 annis, « genuitque filios et filias. Enoch autem vitam « suam placitam coràm Deo instituit, sustulit- « que eum in cœlum viventem in corpore. « Vixit autem Mathusalem 187 annis, et genuit « Lamech; vixit autem Mathusalem postquàm « ei natus est Lamech, 782 annis, genuitque « filios et filias, tempusque omne quo vixit « Mathusalem, 969 anni, et mortuus est. »

Atque hæc ex eo loco desumpta sufficiunt ut ostendatur non ex vulgari syriacâ versione, neque ex eâ quæ ex græcis in arabicum translata est, sed ex utrisque et ex ipso hebræo factam esse arabicam interpretationem de quâ nobis institutus sermo est, neque ex samaritanâ reformatam, ut quibus venire in mentem posset. Hæc autem omnia, quandoquidem diversi omninò generis notas exhibent, atque in judicium satis anceps de eâdem versione ferendum lectores trahant, quid de eâ sentiendum videatur eorum subjiciendâ censuræ paucis subjiciemus.

Constare quidem ex observationibus superiùs allatis certum est, eam interpretationem arabicam non esse ex illarum genere quas Judæorum obscura diligentia produxit factas ad hodiernam judaici exemplaris lectionem, quam nemo in sacris litteris exercitatus præstare poterit eamdem esse quæ olim fuit, cùm et diversas lectiones ipse ille codex patiatur, neque verisimile sit interpretes aut ignorâsse aut dissimulâsse quæ judæi grammatici post annos mille sciverunt, et quæ cum antiquioribus, ut erant 70 Interpretes et Hieronymus, conciliari non possunt. Habet igitur hæc versio illud præ cæteris commendandum quòd ex vetustioribus libris facta fuerit, quùm sint illi quos Hebræi circumferunt et quos Saadias, alterque judæus interpres Pentateuchi, secuti fuerunt. Multas quoque nec contemnendas lectionum varietates subministrat quæ nec in arabicis aliis, nec in syriacis aut samariticis versionibus reperiuntur. Quòd si quis illas

tanquàm nævos et peccata interpretum considerandas existimat, is omnium ejus generis versionum utilitatem tollet, quæ talis est ut sæpè, iis ipsis in locis quæ manifestum errorem continent, veræ et antiquæ lectionis certa vestigia designent. Id, opinor, facilè demonstrabitur in versionibus novi Testamenti persicis quæ tanto contemptu à criticis anglis vexatæ sunt, quia non ex græco exemplari erant expressæ, sed ex syriaco, cùm tamen aliquandò melior omninò sit ad Ecclesiarum usum fidemque perspiciendum hallucinatio veteris istius et ignari, ut existimant, interpretis, quàm illorum inanes de eo textu restituendo conjecturæ.

Quod porrò diximus circà Edwardi Pocockii judicium, quasi ex syriaco potiùs quàm ex hebræo codice facta sit versio illa, aut si quæ sunt paris generis, etsi, ut superiùs dictum est, magnam verisimilitudinem præ se ferat, tamen certum non esse demonstratur, tùm ex summâ illâ differentiâ quæ multis locis occurrit, præsertìm in genealogiarum recensione, tùm ex alio argumento. Nam in fine cujusque libri, ex quinque qui Pentateuchum constituunt, adnotatur versuum numerus quos voce græcâ à Syris et Melchitis arabicè loquentibus usurpatâ *Estichon* appellant; continet, secundùm codicem regium, Genesis quatuor mille quinquaginta versus; codex syriacus verò quater mille quingentos et novem. At numerus ille, neque cum aliis versionibus ex alio fonte deductis, neque cum eâ ipsâ quâ Nestoriani utuntur, conciliari potest. Nam isti, ut ex Amro, Matthæi filio, discimus, in Pentateucho integro versus numerant 6295. Singularis ergò illa divisio singularem quoque eam fuisse editionem significat, diversamque ab omnibus quæ hùc usque à doctis aut visæ aut designatæ sunt. Nam quod observari maximè oportet, non aliâ arabicâ uti solent Nestoriani et omnes fermè Syri, dùm scribunt arabicè, quia scilicet ad syram veterem accedit quàm maximè, quæ secundùm hebræos codices facta est.

Ut verò nos Latini græcaque Ecclesia ità ex Judæorum libris nostros translatos servamus; ut etiam si quidam libri hebraicè scripti non reperiantur, sunt tamen in canone Scripturarum quem, initio codicis quo versio arabica continetur, indicem reperimus, cum hoc loco subjiciendum operæ pretium existimavimus. Nam ex illo indice manifestum erit arabem interpretem qui pari ratione totum vetus Testamentum converterat, eam quæ inter hebraicos et græcos codices observatur scivisse differentiam. Ità porrò index ille describitur : Lex quinque libris comprehensa, 1° Liber *creationis*. 2° *Exodi*. 3° *Levitarum*. 4° *Numerorum*. 5° *Deuteronomii*, sive Legis repetitæ. Sequuntur Prophetæ majores et minores, *Ezechiel*, *Isaias*, *Jeremias*, *Daniel*, *Oseas*, *Joel*, *Amos*, *Michæas*, *Abdias*, *Jonas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*; Liber *Josue filii* Nun, *Judices*. Sequuntur libri *Regum* duo, quorum primus est liber *Samuel* prophetæ: secundus *Regum* propriè dictus, liber *Ruth* Moabitidis, liber *Esther* Israelitidis, in compendium redactus, Judith Israelitidis, *Bariamin* seu *Paralipomenon* libri duo, liber *Job* justi, *Proverbia* Salomonis, *Canticum canticorum* ejusdem, liber Jesu, filii Sirach, qui *Ecclesiasticus*, liber *Esther* perfectus, nempè supplementa ad Esther ex Theodotione et aliis græcis, liber *Tobiæ*, *Esdræ* primus et secundus, liber *Josephi*, filii Gorion sive tres libri *Machabæorum*. Tùm extrà ordinem, quâ ratione nescimus, numerant librum *Psalmorum* Davidis qui cum aliis efficit numerum quadraginta quinque librorum veteris Testamenti; atque talis indiculus eos libros complectitur quos arabes Christiani, etiam illis in versionibus quas ex hebræo factas habent tanquàm partes Canonis sacrarum Scripturarum agnoscunt.

Eò quoque pertinet alter index quem nobis subministrat Amrus, Matthæi filius, Nestorianus, qui tamen ex antiquarii negligentiâ mutilus est mediâ ferè suî parte: *Legis libri*, quinque capita, 126 versus, sive verba 6926; *Josue*, cap. 18, vers. 2760; *Judices* Chofti, nempè hebræa vox decurtata, cap. 16, vers. 2760; *Samuelis* prophetæ liber cap. 37, vers. 5236. Tùm sequitur hiatus in codice Colbertino. *Sapientia Salomonis*, prima, cap. 13, vers. 1762. *Sapientia* posterior, quæ propriè appellatur *Chirasirim*, sive *Canticum Canticorum*, cap. 2, vers. 240. *Sapientia* tertia, quæ *Cohelet* dicitur, cap. 6, vers. 606. *Sapientia Barsira*, cap. 20, vers. 2500. *Historia Ruth* Mohabitidis, cap. 2, vers. 240. *Regum* liber, cap. 164, vers. 22, 800. *Prophetarum* liber, cap. 131, vers. 24, 562. *Psalmi Davidis*, cap. 48, alius auctor indicis suprà descripti 44, vers. 5288 Is porrò indiculus ut et superior ostendunt eos etiam qui hebræum codicem, vel ex ipso fonte vel ex syriacâ versione antiquâ transtulerunt arabicè, non ità secutos esse hodiernorum judaicorum librorum fidem, ut ad Scripturam non pertinere censerent libros qui hebraicè

non exstarent, sed idem fecisse, ac romanam latinasque omnes alexandrinas, syrasque Ecclesias, ut scilicet eosdem libros, qui græcè tantùm exstabant, pro legitimis, divinisque agnoscerent, tantùm abest, ut inter apocrypha rejicerent, quod contrà exemplum legesque Ecclesiæ veteris Protestantes fecerunt. Atque constans illa est omnium orientalium Ecclesiarum traditio; iique libri omnes, tàm qui in Canone Judæorum, quàm qui in Ecclesiæ catholicæ Canone recensentur, citantur ab illorum theologis arabicè conversi. Nempè ea certa regula est, quam auctor interpretationis istius arabicæ, aliarumque antiquarum syriacæ, copticæque secuti sunt, ut cum vel hebræum, vel syriacum codicem exprimendum suscepissent, ex aliis quoque mutuarentur aliquandò, quæ ad majorem, ut ipsi existimabant, sacræ Scripturæ intelligentiam conferre videbantur. Atque adeò, si quandò hebræa exprimerent, si aliter invenirent in græcis exemplaribus, cedebant, ut, Augustinus ait, divinæ dispensationi quæ per 70 Interpretes facta est, ut libri quos gens judæa cæteris populis, vel religione, vel invidiâ, prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus, ministrâ regis Ptolemæi potestate, tantò antè proderentur. Ità factum arbitramur, ut multis locis ad 70 se transferant, cùm in aliis judaicum codicem sequantur, ut Gen. cap. 10, auctoritate græci et evangelistæ ducti, quamvis syrus interpres Cainanem secundum non agnoscat, qui in hebræo non est, hæc tamen arabica versio eum recenset. Si quis ex tàm insigni diversitate probare posse existimat versiones mixtìm quodam modo ex utroque codice factas, prodiisse ex illâ editione quæ asteriscis obelicisque utramque hebraicam et græcam lectionem repræsentaret, obviam sanè nec improbabilem lectoribus suis conjecturam amplectetur, eò magis quòd exstare aiunt in aliquot bibliothecis nonnullas editiones arabicas cum Origenianis notis. Nam de syriacis communis opinio est exstare integra ejusmodi exemplaria, quorum uno usus est Andræas Masius, ad libri Josue recensionem; de quibus, ut dictum est eo loco, dubitare, postpositâ viri tanti auctoritate, non possumus, etsi multa nos moveant ne credamus integram ejusmodi codicum exstitisse versionem, quæ in peregrinam linguam cum tot criticis notis transfundi vix potest. Neque enim genius orientalium linguarum sinit ut quod latinâ oratione, barbarâ quidem et inconcinnâ, præstitum est ab antiquis non paucis, ab omnibus ferè neotericis interpretibus magno studio susceptum ut verbum verbo redderetur, idem syriacè aut arabicè præstari queat, ut linguarum illarum periti sciunt. Erit igitur in auctorum, ut inter alios Pocockii, doctissimorumque in Angliâ virorum fide, id quod ab illis memoriæ proditum est de versione mixtâ ex hebræo et græco codicibus, cum asteriscis, notisque aliis Origenianis; nam de illis vehementer dubitamus, quam conjecturam nostram aliquot rationibus confirmabimus, cùm de arabicis secundum 70 versionibus dicetur. Talem porrò esse eam quam modò designavimus, et de quâ hùc usque dictum est, nemo est qui existimet. Nam etsi multa habeat, quæ ex græcis codicibus videntur expressa, licèt ipsa secundùm Hebraicum facta sit, nullos tamen asteriscos habet, nullam utriusque textûs commixtionem; nam, ut in syriacis et arabicis variis quæ in manus nostras pervenerunt, exemplaribus, observatur, notæ quæ adscribuntur ad marginem, non tàm criticen spectant, quàm Scripturæ sensum, præsertìm eum qui Christianis proprius est, dùm finem legis Christum, et figuras veteris Testamenti, ad ejus mysteria relatas et interpretatas, etiam in illis libris gnoscunt qui litterali sensu aliter explicari possunt, nudam litteram Judæis relinquendo; vix enim ullæ aliæ in codicibus nostris observationes occurrunt.

Pari modo translata est ab arabibus Christianis tota veteris novique Testamenti Scriptura, de quâ interpretatione similia ac de Pentateuchi, de quâ mox dictum est, observare possumus: quamvis enim hebræum codicem sequatur, multis tamen in locis abit longiusculè ab eo quem nunc Judæi solum authenticum agnoscunt. Nempè imitati sunt interpretes arabes Syrorum qui primi in eâ versione laboraverunt religionem, ne prophetias de Christo multas, quales exempli causâ Ps. 21, continentur, evacuarent, nisi, quod quidam existimant, versiones illæ ex libris syriacis non ex hebraicis factæ sunt. Hanc verò conjecturam verisimilitudine non carere dictum est à nobis superiùs, cùm de Pentateucho ageretur, quæ major etiam videtur in reliquis sacris voluminibus, ut qui varias lectiones et alias ejus generis appendices, tàm in londinensium Polyglottorum apparatu quàm alibi ediderunt, satis demonstrant.

Quicumque porrò libri hebraicè non ampliùs reperiuntur, eos omnes, ut ex relato supe-

riùs indiculo constat, agnoscunt et legunt in Ecclesiis orientales Christiani, translatos scilicet ex aliis græcis interpretibus, cùm apud septuaginta quædam eorum partes non legerentur, quæ quidem observatio communis est ergà versiones omnes orientales cujuscumque linguæ.

Eà porrò versione, quæ est secundùm hebraicum exemplar facta, utuntur Syri omnes, præcipuè Nestoriani, apud quos minùs obnoxia mutationi disciplina semper fuit, adeò ut vetustiora plura, quàm alibi, monumenta ejusdem in eorum officiis ecclesiasticis conserventur. Sed tamen rarissimum est ut etiam diversæ sectæ theologi aliâ arabicâ versione utantur in citandis sacræ Scripturæ testimoniis. Quia scilicet Syri Melchitæ, seu Orthodoxi, Maronitæ, Jacobitæ ut etiam Nestoriani, omnes tandem qui syriacè sacra faciunt, cùm syram versionem veterem agnoscant ut authenticam, ex aliâ non solent arabicam Scripturæ testimoniorum interpretationem proferre. Aliter Melchitæ, qui græcè sacra faciunt; quemadmodùm Alexandrini orthodoxi, qualis erat Eutychius, eorum patriarcha; aliter quoque Jacobitæ, ejusdem patriarchatûs, qui suam ex ægyptiacâ versione arabicam fecerunt. De utrâque suo loco dicetur.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ VERSIONIBUS ARABICIS

SECUNDUM GRÆCAM SEPTUAGINTA INTERPRETUM,

Renaldoti Dissertatio.

Exstare apud Christianos orientales versionem sacræ Scripturæ ex græco septuaginta Interpretum codice factam, dubitari non potest, cùm ejusdem exstent in bibliothecis exemplaria multa antiquissima, et ratio communis disciplinæ illarum Ecclesiarum firmissimè demonstret causas easdem quæ syras primùm versiones produxerunt, tàm ex hebræo quàm ex græco exemplari factas, effecisse pariter, ut arabicæ illæque duplicis generis versiones instituerentur, ad Christianorum quibus arabica lingua vernacula esse cœperat communem utilitatem. Ut igitur inter Syros qui primitùs Scripturas legebant ex suâ versione quæ erat secundùm hebræos, primùm locum habuit arabica quæ illorum exemplaribus responderet, et de quâ modò dictum à nobis est, nempè quia ad illas gentes prædicatio primùm facta erat ex scripturis quas habebant in manibus; ità quoque illis in provinciis ubi græca septuaginta Interpretum versio publicè legebatur, necesse erat ut ex eodem exemplari vernacula interpretatio fieret, nec fidelibus turbatio quædam incommoda accideret, si aliud audirent in Ecclesiis ex ambone et altari, aliud in privatis suis orationibus piisque meditationibus legerent. Ità factum est, ut apud Syros illarum provinciarum et urbium præcipuarum, in quibus sermo græcus potissimùm vigebat, versio ex græco exemplari facta fuerit, cùm cœpit in desuetudinem græca lingua abire in Syriâ: quod non nisi quinto aut sexto seculo factum esse ostensum est. Quandò autem Persarum aliorumque barbarorum incursionibus, maxima non reipublicæ solùm, sed fidei et doctrinæ vastitas inducta est, adeò ut pauci jam Syri græcam linguam conservâssent ut sanctorum Patrum scripta syriacè versa commodè legi et sine offendiculo possent, facta fuit altera syra recentior ex codice græco, quia scilicet aliter intelligi vix potuissent in sanctorum commentariis tot scripturæ testimonia relata secundùm Græcorum lectionem, quæ ab hebraicâ cum in multis differat, ab syrâ quoque veteri, esse diversissima videbatur. Eodem igitur modo, cùm syriaca lingua vulgaris esse desiit, coacti sunt episcopi eam versionem omnibus Ecclesiis usurpatam arabicè interpretari: atque eadem publicæ utilitatis ratio fecit, ut post arabicas, vel ex hebraico, vel ex græco exemplari versiones, nova accederet ex græco, sive ex syro, quod posteriores interpretes exprimendum susceperant.

Verùm non eâdem omninò ratione factæ sunt interpretationes illæ ex græcâ 70. Aliæ enim immediatè ex ipso fonte prodierunt, aliæ ex syriacâ, aliæ ex copticâ versionibus, de quibus omnibus seorsìm dicendum erit. De primâ tantùm hìc loquimur: qualis omninò ea videtur esse quæ exstat in omnibus fermè bibliothecis, Hareti filii Sinani auctoris nomen præferens. Ut autem, sicut in aliarum linguarum interpretationibus factum est, dicatur etiam de illius aut arabicarum aliarum quæ ex eodem exemplari prodierunt origine, revocanda sunt in memoriam ea quæ superiùs observata sunt, circà

primam ex Hebræo factam et omnes reliquas.

Ea scilicet certissima temporis nota originis versionum existimari debet, quæ ex Evangelii prædicatione petitur : ità ut ubi græcæ linguæ usus non esset, vel talis ut plebs eam non facilè intelligeret, dederint statim operam primi fidei prædicatores, ut sacræ Scripturæ secundùm quas Christus annuntiabatur, in popularem sermonem converterentur. Eo modo factum vidimus ut in Occidente statim exstaret latina versio antiquissima secundùm septuaginta Interpretes, quâ usque ad Hieronymum usa Ecclesia est, quia græca lingua, quâ Judæi extrà Palæstinam et Syriam Scripturas legebant, notissima ubique erat. In Syriâ cùm Judæi chaldaicè Scripturas legerent, quæ versio hebræo codici propiùs respondebat, primis Christianis data est versio, quæ eumdem exprimeret; primis etiam seculis ægyptiacas versiones factas fuisse, vel unius Antonii exemplo demonstratur, qui ex auditâ lectione Evangelii, quasi ad se solum dicta essent illa verba, *vade, vende omnia quæ habes,* consilium arripuit renuntiandi omnibus. At sanctissimum illum virum græcè nescivisse, et epistolas suas patriâ linguâ scripsisse satis notum est. Nempè legi publicè privatimque Scripturas à fidelibus præcipuum erat christianæ pietatis officium tot exemplis confirmatum, tàm frequentibus cohortationibus commendatum. Secundùm eam regulam quæ certissima est, habebimus versionum sacræ Scripturæ arabicarum epocham, si aliquam stabilitæ in Arabiâ Ecclesiæ constituere possumus, quod quàm difficile sit demonstrant ea quæ superiori Dissertatione dicta sunt. Neque enim verisimile est primis Ecclesiæ seculis fuisse in vastis illis Arabum provinciis receptam ubique christianam fidem, cùm nullas episcopales cathedras institutas esse ex historiæ ecclesiasticæ certis monumentis discere possimus. Attamen quasdam tribus numerosissimas christianas fuisse, cùm certissimum sit (nam ità testantur auctores non christiani tantùm, sed muhamedani, imò et Alcoranus ipse qui cùm multa nugacissima de Christianis narret, profectò de Arabibus non de aliis intelligi debet), nova indè dubitatio nascitur, an illos existimandum sit caruisse sacris litteris. Carebant autem illis si eas hebraicè tantùm, aut græcè habebant ad usum Ecclesiarum, quarum nulla unquàm, nisi vehementer fallimur, ità instituta est ut statim ignotâ linguâ officia et sacramenta celebrarentur, aut Scripturæ publicè legerentur.

Fieri sanè potuit ut ad publicam tribuum illarum christianarum utilitatem edita fuerit arabica Scripturarum versio ; sed cùm neque antè quartum aut quintum seculum videantur Arabes fidem christianam accepisse, aut episcopos habuisse antè Mosen, illum sanctissimum anachoretam, quem Mabia Saracenorum regina ordinari sibi postulavit, seriùs id factum fuisse censendum est, præsertim cùm post annos multos adhuc Saraceni in idololatriâ aut superstitione patriâ suâ persisterent, quandò Petrus illis episcopus ordinatus est, ut ex vitâ Euthymii superiùs ostendimus. Quòd si versio aliqua Scripturarum vernacula inter Arabes, eo tempore quod ab initio Ecclesiæ usque ad Muhamedem fluxit, aliquandò facta est, quæ quidem conjectura nullo argumento nititur, eam sanè versionem imperfectissimam fuisse oportuit eâ ratione quam superiori Dissertatione tetigimus, nempè quòd omnia quæ ex Scripturis in Alcorano referuntur, tàm fatua, tàm insulsa, tàm contrà historiæ fidem esse deprehenduntur, ut qui eas inficetias litteris mandaverit, eum ne legisse quidem illas constet manifestissimè. Non enim quæ referuntur in Alcorani Pandectis, narrantur aliter quàm secundùm Scripturæ veritatem gesta sunt, ut sacris libris auctoritas detrahatur, sed pleraque illa quæ historica sunt, tanquàm certa et in confesso tàm inter Judæos quàm inter Christianos, vulgò describuntur. Cùm verò de corruptis sacris libris accusantur utrique, sub nomine illo generali *Ahalketab*, sive populi qui librum seu Scripturam sacram veneratur, non de historiæ veritate immutatâ postulantur, sed de Prophetiarum, quæ ad Muhamedem spectare videbantur, sinistrâ interpretatione aut suppressione. Ità enim varias sententias Alcorani explicant præstantiores interpretes, ut illa, quæ tàm sæpè Judæis et Christianis exprobratur ab impostore, sacrorum librorum immutatio, non codicem ipsum respiciat quasi ab illis corruptus fuerit, sed sensum, quia nempè nihil minùs quàm Muhamedem in Scripturis designari existimabant.

Atque ea sanè non minima ratio videtur esse, cur existimemus, aut nullam, aut raram sanè fuisse sacrorum librorum versionem in Arabum linguam antè muhamedena tempora. Si enim viguisset apud omnes tribus christiana Religio, patuissent procul dubio omnibus fermè illi libri, et qui Alcoranum collegerunt (neque enim facta illa collectio ab agyrtâ illiterato, sed ab ejus successoribus) tot immania errata vitare potuissent, quæ contrà historiæ fidem, temporum rationem, Scripturæ

veritatem, innumera commiserunt. Attamen ex aliâ, quam ordo disciplinæ ecclesiasticæ constanter ubique observatus subministrat, ratione, cùm antè Muhamedem aliquæ Saracenorum tribus, præsertim Homeritæ, seu Hamiaritæ, fidem christianam acceperint, dubitare vix possumus, quin earum causâ Scriptura sacra in arabicam linguam versa fuerit, et tamen exiguam fermè aut nullam Meccenses, Medinenses, et aliæ familiæ idolorum et siderum superstitioso cultui addictæ, illius versionis notitiam habuerint. Quis enim aliquam sacræ Scripturæ veterisve historiæ peritiam exspectâsset à barbaris latronibus qui, modò de camelis, de lacte, caseo, sagittis, arcu, venatione aut amasiis suis fastidiosa carmina effunderent, omnem scientiam exhausisse stultissimè existimabant? Cùm igitur Mabia, Saracenorum regina, Alamundarus, et pauci quidam alii christianam fidem acceperunt, tunc omninò videntur initium habuisse Scripturæ versiones arabicæ, secundùm septuaginta Interpretes, sive illa quæ adhuc superest, sive antiquior quæ injuriâ temporum interciderit. Ut ità statuamus rationes non contemnendæ efficiunt, quas paucis explicabimus.

Cùm sanè summa veterum historiarum quæ ad origines ecclesiasticas spectant est apud Arabes obscuritas, adeò ut etiam in illis quæ fusè à græcis et latinis auctoribus explicatæ sunt, nihil fermè sciant, nihil ab illis vel leviter tractatum sit quin fabulis suis inquinaverint, ità quoque longè maxima illorum ignorantia est, ipsis etiam in rebus quæ ad suam gentem pertinent, si imperio Muhamedanorum fuerint antiquiores. Habent regum diversorum longam seriem, sed ità confusam et impeditam, ut vix ex eâ genealogiæ certæ constare possint, multò minùs temporum ratio, quæ in illorum libris ità perturbata est, ut sæpè quo seculo quisque illorum philarchorum vixerit, ignoretur. Etsi ergò obscurissima quoque sit in græcis et latinis scriptoribus Arabum, originumque illius gentis historia, longè tamen certiora sunt pauca quædam fragmenta apud Sozomenum, Evagrium, Photium et alios, quàm omnes arabicæ aut persicæ farragines, ex quibus doctissimi viri ne verisimilem quidem philarchiarum seriem agnoscere queunt. Satis id manifestum est legentibus Specimen historiæ Arabum Edwardi Pocockii qui præ cæteris egregiam hâc in parte reipublicæ litterariæ navavit operam, ex quo tamen Specimine, præter nomina et futiles quasdam narratiunculas, vix quidquam colligi potest ad illustrationem historiæ Arabum aut civilis aut ecclesiasticæ. Igitur græcos auctores secuti, Photium, Acta græca apud Metaphrastem, Gregentii, archiepiscopi Tafaron, seu Dofar, et quædam alia non dubiæ auctoritatis monumenta, eâ saltem ætate, sub Justino scilicet aut Justiniano, Gregentium existimamus et fidem apud Homeritas Arabes prædicâsse, et ecclesiasticæ disciplinæ formam constituisse, cujus exemplum exstat in codice bibliothecæ viennensis, quem laudat et describit Petrus Lambecius, quidem nomocanon titulos viginti tres complectitur. Habemus quoque Gregentii ejusdem disputationem cum Herbano Judæo editam, ex codice quem Constantinopoli advexit Ægidius Noallius, abbas Insulæ, repertum cùm legatione ad Sultanum fungeretur difficillimis Francici regni temporibus. In iis omnibus, præsertim in disputatione cum Judæo de cujus auctoritate dubitare non licet, testimonia Scripturarum proferuntur ex græcâ versione; neque enim aliam noverat episcopus ex Græciâ profectus. Moses quoque, Saracenorum episcopus, de quo anteà dictum est, cùm ab Arianis ordinari noluisset, ab episcopis exulibus orthodoxis ordinationem suscepit, græcis quoque. Ità et Petrus, *Parembolôn* episcopus, de quo Cyrillus in Euthymii vitâ. Cùm ergò omnes illi, quorum ut antiquissima, ità certissima memoria est, ordinati fuerint à græcis episcopis, et ex Ecclesiæ græcæ sinu prodierint, dubitari vix potest quin libros quoque sacros qui apud eam in usu erant ad novum suum gregem transtulerint. Nisi enim ità factum fuisset, frivola est et nihil ad propositum plerisque in locis pertinet Gregentii disputatio, quam tamen nemo suppositionis aut interpolationis suspicari, nisi per imperitiam pertinacissimam, potest. Habet enim omnem, quæcumque ad fidem faciendam desiderari poterat, ex codicibus MSS. pluribus, auctorum testimoniis historiâque autoritatem. Græcè disputâsse cùm Judæo arabe Gregentium videtur difficile: nec enim vulgaris erat ea lingua apud Arabes, ad quos Græci vix nisi per mercimonia pervenerunt, quæ ad politiores litteras communicandas minimùm semper valuerunt. Tùm etiamsi Rabbanum illum, seu Herbanum græcè scisse concedamus, ut fieri sanè potuit, quid illis Judæis et Christianis fiet, quos magno numero interfuisse docent nos illius Acta? Redacta est igitur in litteras, vel ab ipso Gregentio, vel ab aliquo ex ejus discipulis, sed Scripturæ testimonia cùm ex græcis codicibus prolata fuerint, argumentum certissimum est, non ex aliis fuisse disputatum, idque ex Herbani verbis colligitur;

Perperàm, inquit, *patres nostri sacros Israelis populi libros ultrò et spontè in linguam græcam converterunt, ut his vos studiosè et obnixè insistentes nobis omnibus os obstrueretis.* Ità concedendum est lectam priùs publicèque usurpatam fuisse inter christianos Arabes sacræ Scripturæ editionem secundùm 70 Interpretes, quàm omnes alias, nisi quis totam Gregentii, Abraamiique regis historiam fabulæ loco haberi velit, quod non nisi temerè et imperitè fieri potest. Par est ratio missionis alterius cùm Petrus ordinatus est Saracenis episcopus à Juvenalio, hierosolymitano patriarchâ; nam etsi erat usus syriacæ linguæ in Palæstinâ, erat etiam ibi græca lingua quodam modo vernacula. Quòd si primam apud Arabes Evangelii prædicationem referamus ad Theophilum Indum, cujus meminit Philostorgius, etsi illum ad insulanos potiùs Taprobanenses profectum existimare debeamus, erit tamen eadem disciplinæ ratio: nam is quoque à græcâ Ecclesiâ prodierat, ut Gregentius qui ordinatus fuerat à patriarchâ alexandrino; Alexandrini autem legebant Scripturas secundùm septuaginta Interpretes, nec ipsi Judæi in Ægypto, aliam earum editionem noverant. Testatur quoque Cosmas monachus in Indopleusse, cujus operis fragmentum editum est inter itineraria varia, habuisse Taprobanenses integram liturgiam: nempè eâ voce græcus Græcis scribens, totam ad Ecclesiæ græcæ exemplum sacri officii formam significat, in quâ Scripturarum lectio primum locum obtinebat. Nec alia, ut videtur, origo est vulgatissimæ apud geographos arabes et persas fabulæ, de translatâ ab Alexandro Magno in Socotram insulam Græcorum coloniâ, qui linguâ moribusque patriis ad Christi usque tempora conservatis, fidem christianam amplexi fuerint, nisi quòd primis Ecclesiæ seculis cum fide simul lingua græca eam in insulam introducta est.

Atqui ex argumentis quæ hùc usque designata sunt satis videtur constare ab eo primùm tempore quo Arabes ad christianam fidem vocati sunt, fieri potuisse, debuisseque quodam modo, ut Scripturas reliquarum gentium exemplo conversas acciperent in linguam patriam suam, à primis Evangelii prædicatoribus, qui cùm usque ad pestem illam humani generis, Muhamedem, omnes à græcâ Ecclesiâ prodierint, eas quoque transtulerint ex ipso codice qui perpetuo illius usu erat consecratus.

Atque hanc esse primam illius quam habemus versionis arabicæ occasionem, ut maximè verisimile est, ità certis rationibus, in tantâ historiæ ecclesiasticæ orientalis obscuritate, probare non possumus. Si tamen, ut in ejusmodi quæstionibus intricatissimis licet, conjiciendo et obscuras Arabum traditiones sequendo, lucis aliquid afferre possumus, ea quæ hanc nostram sententiam confirmant rationum momenta, non minimùm illustrat communis Muhamedanorum opinio de annis qui à diluvii universalis tempore ad posteriores epochas numerantur. Eâ enim occasione observant discrimen illud non modicum quod occurrit inter hebræos et græcos sacræ Scripturæ codices, sed ità tamen ut diverso planè modo quàm Christiani faciunt de eo loquantur. Asserunt enim perspicuè Judæos annorum numerum decurtâsse, ne Christi adventus in millenarium sextum incideret, atque ità Messiam illum agnoscere cogerentur. Itaque calculum secundùm hebræos codices, Judæis proprium faciunt, quem Christiani non recipiant; alterum secundum 70 Interpretes amplectantur. Ità Fakieddinus, vulgò Makrisius, auctor inter Muhamedanos doctissimus, in primâ parte magni operis, quo res ægyptiacas illustrare aggressus est. Nempè ità apud se statuit, eò quòd Christianos ægyptios in eâ sententiâ animadverteret, cùm nulli sive Melchitæ sive Jacobitæ aliam versionem quàm secundùm septuaginta Interpretes sequerentur. Neque illi auctori soli hæc in mentem venerunt, imò placuerunt omnibus fermè Muhamedanis, qui epocharum diversarum rationes exponere aggressi sunt. Eâ scilicet causâ in talem sententiam concesserunt, quia hæc à Christianis didicerant, apud quos magna erat septuaginta Interpretum dignitas et auctoritas, præsertìm apud eos qui ex illâ versione primas suas vernaculas acceperant. Hæc igitur suadere possunt antiquiorem esse fortassis quàm vulgò existimetur eam quæ Haretho, Sinani filio, tribui solet; nam quis aut cujas fuerit, aut quandò vixerit nusquàm à nobis repertum est. Nomen ipsum merè arabicum ut et patris à quo cognomen habuit, adeò ut inter Arabes natum auctorem indè quisque conjicere non temerè queat. Neque enim ex illorum numero est quæ vulgariùs usurpantur à Christianis, præsertìm ex quo Muhamedani alia pleraque arabica occupaverunt, quæ idcircò Christiani usurpant rariùs; sed notissimum et maximè frequentatum antiquitùs fuisse vel ex græcis ipsis discitur quibus Aretæ nomen, quod inter alios ethnarcas habuit is de quo Paulus apostolus loquitur, usurpatum est. Illius sanè versionis meminit præfatio Cod. Colbertini qui veteris Testamenti versionem

arabicam continet tanquàm primi et præcipui interpretis, quem citat in notis ad Saadiæ versionem quæ in eo codice descripta est. Meminit quoque alterius antiquioris quam exstare ait, sed absque interpretum nomine; ut etiam tertiæ: quæ factæ omnes fuerint secundùm græcam 70, præter eas quæ occurrunt in Commentariis Basilii et Chrysostomi arabicè conversis. Si quis tamen ostendat non ab initio statim Arabes illam ex græcis libris versionem habuisse, sed seriùs, poterit argumenta quædam reperire quibus significetur quodam modo eos ex syriacâ versione fecisse suam.

Præcipua sunt quædam relata in Abulfaragii historiâ dynastiarum ubi de Muhamede verba facit. Duo profert ex Scripturis testimonia, quæ Arabes muhamedani ad impostorem suum referrent: unum ex Habacuc c. 3: *Deus ab austro veniet et sanctus de monte Pharan.* In hebræo legitur ex *Theman*, quam vocem Syri retinuerunt, ut patet non modò ex libris editis, sed ex MSS., ut inter alios nostro optimæ notæ Colbertino et aliis. Videntur tamen quædam exemplaria habuisse vocem *Seïr:* nam ità locum adducit Abulfaragius, qui adjungit alterum ex Psalmis: *manifestabit Deus ex Sion coronam gloriosam*, ubi allusio frigidissima est *ad Muhamedis nomen*, quam tamen accipere Arabes potuerunt ex versione syriacâ, in quâ ea verba, *ex Sion species decoris ejus*, ità vertuntur: *de Sion corona gloriosa*, atque ità legitur in codicibus MSS.; hæc suadere, inquam, possunt Arabes versionem habuisse ex syriacâ factam; et sanè tales fuisse multas non est dubitandum: præsertìm cùm in præfatione superiùs citatâ inter alios interpretes recenseatur Abulfaragius Ebn el Taïb, qui Scripturam ex syriaco arabicè convertit. Sed quod omnes ex eâ traductas videri asserit Pocockius, temerè fortassis et inconsultò dictum est. Porrò quàm nulla sit ejus generis allegationum quæ in Muhamedanorum libris exstant auctoritas, satis quisque intelligit. Primus quippè locus quem Deuteron. 33, Pocockius assignat, lacinia est, ex loco Habacuc quem designavimus, quæ quidem, ut affertur, vix legitur in ullis versionibus: testimonium ex Psalmo 50 inane prorsùs; atque id serò nimis à doctoribus illius sectæ animadversum; nec enim laudat ullos veteres Pocockius his in studiis exercitatissimus, qui eadem attulerit in prophetiæ Muhamedis subsidium. Tandem non nisi post multa secula, auctores quidam inter eos testimoniis talibus usi sunt, quia scilicet ex multis versionibus aut glossematibus interlinearibus nonnullæ ejusmodi observatiunculæ decerpi potuerunt, ex quo novæ ex syriacâ veteri, tàm secundum hebræos quam secundum græcos codices, interpretationes prodierunt. Verùm istud nihil attinet ad veterem illam secundùm 70, de quâ loquimur, quam præ cæteris antiquissimam esse non dubitamus.

Argumentum sanè quod ex primâ Evangelii prædicatione ducitur, adeò ut Scripturas legisse et interpretatas habuisse Arabes censendi sint, secundum eorum usum et disciplinam qui apud eos primi fidem annuntiaverunt, si aliarum Ecclesiarum mores expendimus, videtur propè certum. Nam Syri, quia primùm à profectis ex Judæâ instituti in christianâ fide fuerunt, soli inter omnes hebræum codicem in vernaculâ suâ translatione secuti sunt. Alexandrini et tota Ægyptus, quia secundum 70 Scripturas legebant, eam versionem retinuerunt, et Melchitæ adhuc retinent, aut in iis locis ubi vulgò ignota erat illam Copticè transtulerunt; et ex eâdem arabicas deindè suas fecerunt. Orientales Syri, præsertìm Nestorii sequaces, quia ex scholis Nisibensi, Edessenâ et aliis syriacis doctores acceperunt, qui syriacè sacras litteras legebant et interpretabantur, ex syriacâ linguâ arabicas versiones quæ in orientalibus, hoc est nestorianis ecclesiis usurpatæ sunt, transtulisse reperiuntur ut inter alios Ebn el Taïb nestorianus. Persæ, vel ut accuratiùs loquamur, omnes illi qui olim imperio Persarum subjecti, ab iisdem Syris pendebant, et syriacè sacra faciebant, ut etiamnùm faciunt; ex syriacâ versione persicas fecerunt, ut Indi Malabares, qui eosdem magistros agnoscunt, malabaricas; Armeni ex Syris antiochenis, armenicas, atque, ut etiam extrà Orientem exempla demus, Saxones veteres Angli, Olfridus, Willeramus et alii Teutones, germanicas, Franci gallicas ex latinâ, Gothi ex græcâ; ut etiam Slavi, Russi, Mosci vernaculas suas transtulerunt. Porrò cùm, ut suprà ostensum est, à Græcis primùm antistitibus prima fidei annunciatio ad Arabes facta fuerit, dubitari vix potest quin propria illorum versio ex eodem fonte prodierit: nempè græco codice quem Moses, Petrus, Gregentius episcopi ex Ecclesiâ suâ delatum, apud neophitos suos exponebant.

Verùm, quandò non fuit Evangelii inter Arabes propagatio tanta, ut gens numerosissima reliquarum exemplo christianam ubiquè fidem amplecteretur, sed tantùm tribus quædam id facerent, reliquis in errore ignorantiâque gravissimâ pertinacissimè manentibus,

donec omnes fermè Muhamedi crediderunt, idcircò nulla proprié loquendo arabicæ Ecclesiæ forma ut reliquarum designari potest, neque dubitandum quin pauci illi Christiani variis deindè hæresibus infecti fuerint, quæ mutationem quoque disciplinæ introduxerunt.

Nam Nestoriani, cùm antè muhamedana tempora minimùm possent, eo imperio stabilito, magnam apud Califas auctoritatem consecuti, Ecclesias quas anteà non habebant in Arabiâ constituerunt. Indè ortum habuit nova metropolis, Basorensis, et multæ aliæ quæ priùs orthodoxos Christianos habebant aut nullos: etsi propriè Bostra, quam Basoram multi esse volunt, ad Arabes Saracenos de quibus loquimur non pertineret. Erat enim romana colonia, usumque græcæ et latinæ linguæ illic vulgarem fuisse, numismata demonstrant. Hiræ quidem fuisse catholicos episcopos aut saltem christianos multa probant. Nam inter eos qui primi inter Arabes fidem amplexi sunt, testibus ipsis muhamedanis auctoribus, Hirenses fuerunt, et in eâ urbe amplissimas Ecclesias structas ab Alamundaro fuisse testatur Abulfeda. Abadii, teste Firuzabadio auctore, sive Oceani, linguâ arabicâ, vocabantur Christiani veteres ex tribubus Bahra, Temech et Tagleb, aliisque diversis quæ Hiram incolebant. Alamumdarum ab episcopo ipsius urbis Chebariechua, episcopo Achoum et Jechuazaca monacho, miraculo servatum fuisse, scribunt Nestoriani Maris, filius Salomonis, et Amrus, Matthæi filius, quos falsò, ut conjicere par est, suæ sectæ hominibus accensent. Quippè Alamundarum ab orthodoxis ad fidem vocatum et baptisatum testatur Theodorus Lector, dùm eum Christianum appellat: nam qui à Nestorianis baptismum accepisset, is vix Christianus existimatus fuisset à scriptore orthodoxo. Attamen paulò post, nempè Justiniano imperante, docet Abulfagarius Alamundarum, prioris ut videtur filium, Græcis bellum intulisse eò quòd Justinianus persequeretur eos qui unam in Christo naturam assererent, cùm, inquit, eo tempore qui inter Arabes erant Christiani, Jacobitarum confessionem amplecterentur. Sub Anastasio rejectos episcopos duos Jacobitas ab Alamundaro, quos ad eum Severus miserat ut eum in suam hæresin pertraheret testatur tamen Theodorus. Ab eo igitur tempore per sacerdotes et episcopos qui à Severo ordinati fuerant longè plurimi, et in omnes Orientales provincias dimissi, Arabes plerique Jacobitarum hæresin acceperant. Nam ut vera scripsisse credatur Abulfaragius, saltem ex parte facit quod Socotrinos aliosque insulanos Arabibus vicinos Lusitani, cum in Indiam delati sunt, in Jacobitarum hæresi Christianismum profitentes repererunt: cùm Malabares, et reliqui in continente Nestoriani essent. Neque mirum si in tàm continuâ bellorum calamitate, tùm persicâ quæ durissima fuit persecutione, intestinâ etiam quam Arabes christiani à Judæis in quasdam provincias regnum obtinentibus, vexatione, episcoporum auxilio destitutæ, variis hæresibus patuerunt disjectæ per Arabiam Ecclesiæ. Nec enim, ut alio loco dictum est, ullam antè Muhamedem hierarchiæ formam ergà illas constitutam vidimus; sed episcopi quorum nomina vix alicubi occurrunt erant sub auctoritate antiocheni patriarchæ; posteà ob Severianorum schismata jus in eos aliquandò sibi attribuerunt hierosolymitani patriarchæ; tùm Nestoriani Basoram et alias metropoles instituerunt, quæ similem dignitatem vix habuerant in græcâ Ecclesiâ: Basorensis et Petræ archiepiscopatus sub latinis patriarchis post multos annos instituti sunt, primus saltem restitutus.

Ex hùc usque dictis manifestum est Arabes christianos tot persecutionibus obnoxios, tot vexatos hæresibus, facilè potuisse non solùm ab antiquâ fide, sed à disciplinâ etiam quam à græcis episcopis acceperant deflectere, neque mirum esse, si nulla certa apud eos traditio reperiatur de primâ sacrorum librorum versione; aut si ab aliis, sive Jacobitis sive Nestorianis qui in eas regiones se insinuaverunt, libros eosdem ex aliâ versione quæ syriacis codicibus responderet susceperunt, cùm, ut patet ex superioribus, ipsi primitùs à græcis pastoribus instituti græcarum quoque Scripturarum lectione statìm imbuti fuisse videantur.

Quòd si plures quispiam à nobis de tàm obscurâ versionum illarum origine probationes exquirat, eas sanè proferre non possumus; at quòd illæ desint, causas assignare et quidem satis idoneas licet, quæ facilè refelli vix possunt. Prima quidem auctoritas quæri posset ex antiquis codicibus; sed qui illis pertractandis assuevêre, sat sciunt quàm rari sint qui mille annorum ætatem attingant aut superent. Vidimus sanè antiquos, et eorum nullus hanc versionem continet qui non eam Haretho, Sinani filio, attribuat factamque ex Interpretibus 70 non significet. Quòd Harethi genus ætasque ignorentur, non temerè conjectando dicemus esse fortassis maximam antiquitatis notam. Vix enim ullus est inter Christianos qui aliquâ doctrinæ vel sanctitatis opinione

floruerunt post Muhamedem exortum, cujus non aliqua memoria apud posteriores scriptores exstet: præsertim si vel in jacobitâ vel in nestorianâ ecclesiâ vixerit; nam multa præ cæteris Jacobitæ scripserunt; et multorum nomina librosque refert Gregorius Abulfaragius, vir in eâ sectâ doctrinæ dignitatisque præcipuæ. Aliorum vel libri exstant vel testimonia ab aliis adducta scriptoribus; at cùm hùc usque nemo occurrat inter Jacobitas qui Harethi meminerit, illum in eâ hæresi non fuisse divinare possumus. Multò minùs causæ videntur esse cur Nestorianis adjungatur : hæc enim conjectura satis refellitur vel eo argumento, quòd Nestorianorum versio arabica codicem hebræum, saltem syram editionem quæ ex illo expressa est, magis sequatur, ista græcæ adhæreat. Eâ ratione judicamus in nullâ extrà Ecclesiam sectâ fuisse Harethum, sive, ut Græci nomen id efferunt, Aretam, græci codicis interpretem, atque adeò facile esse ut antiquior schismatibus et hæresi quæ post Alamundarum seniorem Jacobitas infecisse dicitur, fuerit, fortèque Græcus seu orthodoxus, sed suis tantùm notus, ità ut de illo vix quisquam verba fecerit.

Secunda probationum ratio peti posset ex liturgiis publicarumque precum officiis : nam ad probandum antiquitatem usumque perpetuum versionis syriacæ ex hebræo, utimur hoc argumento, quòd ea versio usurpetur in officiorum ecclesiaticorum libris, illudque sanè certum est. De eo verò usu versionis quam describimus nihil simile asserere possumus : neque enim exstant Arabum veterum liturgiæ ullæ singulares, adeò ut arabica nulla unquàm visa fuerit, etsi à multis viris doctissimis, qui orientalem disciplinam leviter admodùm attigerant, id memoriæ proditum sit. Nam quòd Synaxaria, Horologia et quosdam libros alios ecclesiasticos Græcorum in arabicam linguam transferri vetus est consuetudo, et multi similes libri tùm in bibliothecis, tùm in Ecclesiis hodiernis reperiuntur, causa fuit ignorantia apud plebem Græcæ linguæ; cui, ut subveniretur, paratum fuit tale ex Arabicis versionibus præsidium, scilicet ad precum quotidianarum officia persolvenda et quasdam psalmodiæ partes ; nunquàm verò ad liturgiam propriè dictam, alius fuit arabicæ linguæ usus, quàm ut post recitatatas lectiones ex Evangelio et Epistolis, ea quæ linguis vulgò ignotis lecta fuerant, vernaculè legerentur.

Erant etiam quædam orationes arabicè à populo dicendæ, ut sunt etiamnùm dici solitæ in orientalibus Ecclesiis; sed paucæ admodùm, cùm ipsa sacræ actionis series linguâ veteri etsi non ampliùs intellectâ peragi soleat. Talis omninò usus est versionum arabicarum, quas syriaci, maximè verò coptici liturgiarum codices adjunctas habent. Liturgiæ verò, quæ arabicâ solâ linguâ conscripta aut celebrata fuerit, nulla vestigia supersunt. Nam cùm in ipso Arabiæ continenti propriè dicto, christiana fides non admodùm firmas radices egisset, adeò ut multi ex Christianorum antiquorum, aut sub Mose, Petro, Gregentio aliisque factorum numero, à Nestorianis aut Jacobitis ad suas partes tracti fuissent, facile fuit ut quorum hæresin acceperant, eorum disciplinam sequerentur, atque ità syriacos ritus, quales plerumque vigebant in antiocheno patriarchatu suorum loco susciperent. Qui græcam Ecclesiam à græcis illis episcopis edocti primitùs didicerant, ut illi omnes de quorum conversione sub Mabiâ Alamundaroque diximus, illi non alios quàm græcos ritus habuerunt procul dubio, ut ea quæ hùc usque dicta sunt satis demonstrant. Fieri potuit, et quantùm ex comparatione disciplinæ omnium Ecclesiarum conjectari possumus, factum est, ut iis in locis ubi nullus erat græcæ linguæ usus arabicè liturgia celebraretur; at, ut diximus, nihil illius superest, nisi fortè versio secundùm Septuaginta, quæ ad ejusdem officii ecclesiastici præcipuam partem attinebat.

Tertia quoque classis argumentorum quæ ex scriptis theologorum peti solet, hâc in materiâ prorsùs deficit. Ut enim certò sciamus quæ in singulis sectis versiones sacræ Scripturæ publicam auctoritatem habeant, nihil magis certum quàm si theologorum scripta consulantur, in quibus cùm occurrant multa ex sacris litteris testimonia quam illi versionem sequuntur præsertim in suis commentariis, vel homiliis ecclesiasticis ; ea sanè talem in Ecclesiis, ad quas illi auctores pertinebant, habebat auctoritatem. Eâ ratione efficitur syram à Jacobitis, Nestorianis, Maronitis, et orthodoxis syriacè sacra facientibus, æqualiter esse susceptam, quia non alia usurpatur ab illarum Ecclesiarum theologis, quamvis in diversâ communione constitutis. Contrà scimus alios, ut Coptitas et Melchitas, græci ritûs, cùm suas ex septuaginta Interpretibus versiones habeant, nullas nisi quæ sint illi editioni similes admittere, aut in testimonium adducere. Verùm caremus omninò scriptoribus arabicis, qui in ipsâ arabicâ scripserint suâ linguâ, et quòd maximam conjecturis nostris verisimilitudi-

nem conciliat, circà exiguum aut nullum Christianismi profectum in barbaris illis regionibus, illud est, quòd inter tàm multa Arabum collectanea, in quibus reperiuntur veterum auctorum ecclesiasticorum tractatus arabicè conversi, vix occurrit quidquam, quod ad genuinos Arabes christianos referri possit. Nec enim tales censendi sunt Syri, Ægyptii, aut aliarum gentium qui invectam à victore populo arabicam linguam cum jugo durissimæ servitutis acceperunt. Itaque nihil quod genuinos illos antè Muhamedem christianos Arabes spectet occurrit litterarum monumentis consignatum, præter pauca illa Gregentii, quorum etiam pars inedita est, nempè ea ipsa cujus ex codice cæsareo Lambecius meminit. Tùm etiam illa maximè ratio omnibus illis objectionibus obviàm ire debet, quòd Ecclesiarum episcopalium quæ aliquandiù floruerint nulla certa memoria est. Nam episcopatus tres instituti secundùm Philostorgii testimonium, Tafaron, seu ad urbem Dofar, ut vocat historia Gregentii, Adane et in alio loco non nominato, illi, inquam, tres episcopatus perierant circà Muhamedanorum tempora; aut si non periissent, superfuissentque in Arabiâ Christiani, vix necesse erat ut aliundè quàm ex ipsâ Arabiâ Mabia, Alamundarus, et philarchi alii, episcopos à græcâ Ecclesiâ peterent, aut novos instituerent, quorum tamen omnium, si Bostram excipimus, ne tituli quidem supererant. Bostra autem ea urbs videtur esse, quæ Basora apud Arabes appellatur, in quâ deindè metropolitanam sedem Nestoriani erexerunt. Antiquior illa sedes omninò fuit, quàm tres illæ institutæ, secundùm Philostorgium, à Theophilo Indo. Hujus enim urbis episcopus fuit Beryllus, auctor perversi cujusdam erroris cujus Eusebius meminit, quique in eâdem cathedrâ successores habuit usque ad Muhamedanorum fermè tempora. Nam multi occurrunt in historiâ ecclesiasticâ nominati usque ad S. Euthymii ætatem Bostrenses episcopi, atque inter alios Antipater, qui multa scripsit, citaturque ab Andreâ cæsariensi, Joanne damasceno et aliis, ut videre licet in notis Cotelerii ad *Monum. Ecclesiæ græcæ*, tom. 2, p. 656 et 657. Fuerunt alii antiquiores, quorum unus interfuit concilio Calchedonensi. Omnes autem illi græcè loquebantur : nam Bostra, colonia à Trajano deducta, cujus in nummis mentio : Col. F. Bostra Alexand; nempè quia nova deducta est eamdem in urbem, ab Alexandro Severo, cujus ut et Trajani exstant nummi tàm græci quàm latini. De illis Tristanus, Holstenius, notis ad Stephanum, Harduinus et alii antiquarii. At quamvis urbs illa foret Arabiæ metropolis, de quâ etiam Isidorus in vitâ Damasii apud Photium, Ammianus et multi alii, nihil istud ad Saracenos pertinet qui Nomades ut plurimùm suis legibus vivebant, neque ex coloniarum commercio, aut morum civiliter instituendorum disciplinam aut christianam fidem didicisse videntur. Neque hæresis illa arabica quàm ad refellendam habitum est concilium cui Origenes interfuit, aliud significat, quam quòd in iis paucis urbibus quæ legibus romanis parebant fuisset primitùs introducta christiana Religio; at apud Arabes propriè dictos Scenitas, Saracenosque, ut vulgò ab antiquis auctoribus appellantur, haud aliter pervenisse quàm quâ ratione diximus, videtur maximè probabile. Cùm igitur Bostræ lingua græca simulque latina florerent, ut quæ supersunt numismata palàm faciunt, Arabes qui in eâ urbe vivebant græcos quoque ritus secutos esse, græcis libris usos esse non minùs certum est, frustràque in illorum monumentis quæreretur vestigium antiquitatis alicujus ad Arabes Scenitas, aut alios arabicè locutos pertinentis.

Jam ad ipsius quam illustrandam suscepimus versionis examen veniendum est; non illud quidem secundùm criticæ accuratioris regulas, neque enim id patitur operis instituti ratio; sed brevem ejus descriptionem dedisse contenti, quod superest illis relinquemus, qui fortassè aliquandò animum adjicient ad hujus versionis editionem procurandam. Esset quippè illa majoris utilitatis quàm altera illa Lutetiæ et Londini tàm operosè edita : quæ cùm à plerisque unica existimetur esse apud orientales Christianos, cui non minùs tribuant quàm nos Vulgatæ solemus tribuere, aut Græci suæ, nascitur indè magna perturbatio in eorum animis qui librorum auxilio destituti, si quandò occurrit opusculum alicujus theologi orientalis, hærere coguntur, quia Scripturæ testimonia ex dissimili omninò versione in eo deprehendunt. Ejus versionis exemplar et quidem nostro perfectius ob adjunctam præfationem quæ in Regio desideratur habuerunt Angli, et de eâ ità scribit Edwardus Pocockius, cujus verba apponere operæ pretium erit. De aliâ versione locutus fuerat quæ in Bibliis Polyglottis edita est, et ex suo judicio statuerat eam ex Judæorum à quibus composita fuerat versione in litteras Arabum translatam, quod, ut superiori Dissertatione dictum est, maximè dubium videtur. Tùm ità prosequitur : « Quandò primùm

litteris Arabicis descripta ad Christianorum manus pervenerit versio ista, non est quod statuamus aliter quàm ex conjecturâ post Abulfedæ demùm tempora factum, ob eas quas innuimus rationes : nec quam apud ipsos auctoritatem consecuta sit, cùm in eas propensiores videantur quæ 72 sequantur, quòd antiquitùs ea ipsis nescio quam ob rationem insedisse videatur opinio, à Judæis odio Christianorum corruptos esse libros sacros. Ipsi interìm complures, sive à græco sive syriaco derivatas habent. Tres mihi videre contigit arabicè scriptas quarum primæ bina possidet academia Oxoniensis exemplaria, munificentiâ magni litterarum orientalium ut et cæterarum quondam patroni Gulielmi Laud, archiepiscopi cantuariensis, lemniscis, obelis, cæterisque ab Origene excogitatis notis, et variantibus subindè è Cod. Judæorum et Samaritanorum lectionibus ornata. Interpretatio ista ab Al Haretho, Sinani filio (exemplarium alterum Al Harbo legit), concinnata, præfatione luculentâ conspicua est; in quâ non sui tantùm operis, sed et multorum, quæ ad græcos et è græco syros codices spectant, rationem reddit; tùm ad Octaplum scilicet Origenis, in quo arcis suis distinctìm locabantur textus hebraicus, tàm suis quàm græcis depictus characteribus, et sex quæ tunc temporis exstiterunt versiones græcanicæ ; tùm ad opus è sex illis inter se collatis conflatum, necnon ad notas istas, asteriscos scilicet, obelos, lemniscos, hypolemniscos etc., quos eo fine adhibuit, ut versionum tàm inter se quàm cum textu hebraico convenientia vel discrepantia uno intuitu proponeretur. Originem etiam ostendit hallucinationis istius, quâ factum est ut in multis codicibus græcis πιπι syris verò PHIPHI ad marginem adscriptum reperiatur, videlicet librariorum quorumdam inscitiâ, qui nomen יהוה litteris hebræis, non, ut docti quidam, samariticis quæ figurâ admodùm dissimiles ab Origene appositum ubi ab interpretibus Legitur Adonai, vice nominis Tetragrammati à Judæis inter legendum proferri solitum redderetur, more non quo decuit Hebræorum, à dextrâ sinistrorsùm, sed Græcorum, à sinistrâ dextrorsùm legendo, et pro ipsorum litteris quas proximè referre videbantur, habentes πιπι scripserunt, quod et Syri suis exprimere conati, in PHIPHI corruperunt. Operæ demùm à Lucio, id est Luciano in textu conferendo positæ meminit. Secundæ pariter exemplar perquàm eleganter et splendidè scriptum, eidem bibliothecæ donavit Gulielmus Corderoy, mercator londinensis, cui et sua est præfatio, sed minoris momenti, utpotè quæ legibus, quas scriptam et ore traditam vocant, confusis, prophetarum et sacerdotum apud Judæos, quibus per manus traditam vult illam à Mose usque ad Annam et Caipham pontifices summos, catalogum pertexit. Codex ille versionem à priori diversam exhibet, exaratus anno æræ Martyrum 1064, à Thomâ quodam monacho, nullâ quam viderim, transferentis factâ mentione. Tertia privati adhuc juris ab utrâque in diversum quoad verba abit. Hoc omnes commune habent, quòd à 72 interpretum versione fluxisse videantur : quod et de binis adhuc aliis statuendum, quas exhibent duo commentariorum in Pentateuchum volumina, litteris syriacis, dialecto arabicâ, quem scribendi morem *Kurchani* vulgò appellant, in eâdem celeberrimâ bibliothecâ Oxoniensi. Textum utrumque ab altero diversum, sed qui 72 interpretationem fontem habeat, præfert, uti ea loca, in quibus ipsa ab hebraico longiùs recedit, videre est. Atque hæc de iis etiam quas oculis usurpare licuit Christianorum versionibus è græcâ (mediante forsan syriacâ quæ figurata audit) derivatis. » Hæc ipsis viri doctissimi verbis referenda judicavimus quia pleraque complexus est, quæ de versionibus ex græco derivatis, apud alios auctores reperiuntur, quorum nemo peritior arabicæ litteraturæ fuit. Imò, quùm non pares illis, qui ab eo laudantur, libros habuerimus, multa nos docet, etsi quædam occurrant in quibus ab eo dissentire cogimur. Totam igitur illius Dissertationem paucis illustrare conabimur.

Statim verò lectores monitos esse oportet, et in memoriam ea revocare, quæ in præcedenti capite observata sunt contrà illius conjecturam circà codices arabicæ secundùm hebræos versionis, quasi illi demùm, circà Abulfedæ tempora, propriis illius linguæ litteris descripti fuerint, et Ecclesiis Orientalibus communicati. Nihil enim falsiùs, cùm occurrant passìm in bibliothecis codices MSS., qui ejus ætatem longè superent; mortuus enim est anno Hegiræ 746, J. C. 1345 : illi antè quingentos et sexcentos annos exarati fuerant; sed nec à Judæis, christiani nominis hostibus, acceptam fuisse versionem Scripturarum verisimile omninò est; id enim flagitiosi sacrilegii colorem habuisset : tandem summa inter judaicas et christianas translationes dissimilitudo hanc conjecturam evertit. Nec etiam animadvertit vir doctissimus eam dissimilitudinem ab hebraicis hodiernis codicibus, quam veluti

interpretationis indicium haberi vult, summæ antiquitatis notam esse; ut sanè est in versione syriacâ, quam præ cæteris vetustam esse nemo diffitetur.

Quam auctoritatem hæc arabica versio de quâ superiùs locutus est, inter Christianos orientales nacta sit, sciri non potest ex codicibus MSS., aut aliis scriptis Arabum, sed ex certo argumento traditionis Ecclesiarum. Ea autem docet versionem arabicam secundùm hebræos, etsi apud omnes recipiatur, diversos tamen, pro Ecclesiarum differentiâ, obtinere gradus dignitatis et auctoritatis. Nam apud Syros et quicumque veteri syriacâ versione utuntur, quales sunt Nestoriani, Jacobitæ et Maronitæ, tùm Melchitarum ea pars, qui syriacè tantùm sacra faciunt, majorem omninò auctoritatem habet, et, ut uno verbo notissimo rem explicemus, sola est authentica; apud Melchitas græcæ linguæ et disciplinæ, Ægyptiosque qui sequuntur Interpretes septuaginta, minorem. Illi enim cùm alteri primas tribuant, quia ab initio lecta est in eorum Ecclesiis, ex hebræo factam non recipiunt nisi secundo in loco, vel potiùs commentarii cujusdam vice habent, magnæ sæpè ad Scripturam exponendam utilitatis, sed auctoritatis in Ecclesiâ minimæ. Nempè ut ea existimatio, quam utraque versio habet inter Christianos orientales, rectè definiatur, res propemodùm ità se habet ac nunc aut olim in romanâ et græcâ Ecclesiis, quæ in rituum innoxiâ differentiâ unitatem fidei colebant. Latini nempè hebraicos libros sequebantur, quandò Hieronymi translationem amplexi sunt; Græci 70 Interpretum editionem; nec tamen discrimen illud discordiæ ullius causa erat. Verùm Latini sæpissimè etiam post susceptam Hieronymi versionem ex græcâ proficiebant; Græci, ut ex multis SS. PP. locis liquet, ad hebraica exemplaria recurrebant in quibusdam difficultatibus explicandis. Pari omninò ratione Syri suam antiquam versionem arabicè versam venerantur, et authenticam existimant : et tamen Septuaginta editionem, quam et syrâ et arabicâ linguis habent, non modò non aspernantur, sed illi tanquàm divino consilio factæ et inspiratæ multùm deferunt. Ut enim toto hujus dissertationis decursu observatum est, longè aliter Orientales de Scripturæ sacræ hebraico exemplari sentiunt; aliter Protestantes, adeò ut caveant magnoperè ab illis libris rejiciendis, quos Judæi non admittant, eâ solâ ratione, quòd hebraicè non exstent. Eos enim acceperunt ab Ecclesiâ, non à Judæis, quos testes quidem et capsarios, ut Augustini verbo utamur, Ecclesiæ agnoscunt; judices verò veritatis et arbitros sacrorum librorum esse non patiuntur. Atque ea sanè ratio est, quam nescire se Pocockius fatetur, nempè quia homini extrà Ecclesiam nato, et in hæresi enutrito venire in mentem vix poterat, cur orientales Christiani in eas versiones propensiores videantur, quæ 70 sequuntur. Et alia sanè, quam affert, quòd hæc animis eorum opinio insederit, à Judæis odio Christianorum corruptos esse libros sacros, fixa est apud eos et inconcussa. Ità enim scriptum reperimus in appendice quâdam ad cod. MS. bibliothecæ Regiæ, quo versio arabica ex hebræo facta continebatur : scilicet illud notant præcipuè, quòd annos genealogiæ Patriarcharum decurtaverint, ne nativitas Christi incideret in ea tempora, quibus secundùm prophetica oracula nasci eum oportebat, atque ità eum Messiam antiquis promissum cum aliquo colore negare possent; neque soli Christiani illud crimen Judæis objecerunt, nam idem refert etsi à fide alienus Fakieddin Makrisi, auctor celeberrimus, qui idcircò 70 interpretes Scripturam Christianorum vocat, hebraicos verò codices, Scripturam Judæorum. Ità etiam Elmacinus in primâ historiæ suæ parte ineditâ refert in vitâ Constantini. Syriaca nihilominùs versio codicibus illis cùm respondeat, Judæos ab illo crimine videtur absolvere. Verùm quæ versiones ex hebræo factæ sunt, plerùmque hoc in loco græcam sequuntur, hebræâ lectione postpositâ : quippè communis ea est omnium fermè orientalium Christianorum de Judæorum flagitio in corrumpendis Scripturis sententia; etiamsi codices quibus primi Syri interpretes usi sunt, non eas differentias agnoscant, quas exhibent Masorethicis reformati libri. Exemplum illustre occurrit in Ps. 21 : *Foderunt manus meas*, etc.; ità enim legerunt cum Hieronymo, qui pariter ex hebræo vertebat, neque tamen monent deserendam eo loco esse judaicam lectionem aut interpretationem, quod aliis in locis faciunt, ut alibi monuimus de Dionysio Barsalibi, cùm ea verba, *Ecce Virgo concipiet*, intelligenda esse monet juxtà interpretes 70, non juxtà Hebræos. Ne verò in opinione vulgatissimâ apud Christianos orientales, testimonia, quæ passim obvia sunt, longiùs arcessantur, sufficit unicum proferre, ex auctore qui est in omnium manibus. Is est Gregorius Abulfaragius, qui Historiæ suæ P. 114, de arabicâ 72 latinâ ità loquitur : « Ab « initio mundi usque ad Messiam, secundum

« computum legis quæ in manibus Judæorum « est, anni sunt ferè quater mille ducenti « vigenti; at secundum computum legis ex « versione Septuaginta, quæ est in manibus « Græcorum, et aliquarum Christianarum « sectarum, exceptis syris, anni ferè quin- « quies mille quingenti octoginta sex, defi- « ciente computo priori à secundo annis mille « trecentis septuaginta quinque : qui defectus « adscribitur doctoribus Judæorum. Nam « quùm pronuntiatum esset in lege et Pro- « phetis de Messiâ, missum iri ipsum ultimis « temporibus, nec aliud esset Rabbinis anti- « quioribus commentum, quo Christum reji- « cerent, quàm si hominum ætates, quibus « dignosceretur mundi epoche, mutarent, « subtraxerunt de vitâ Adami, donec nasce- « retur Seth, centum annos, eosque reliquæ « ipsius vitæ addiderunt : idemque fecerunt in « viis reliquorum Adami filiorum, usque ad « Abrahamum. Atque ità factum est, ut « indicet ipsorum computus, manifestatum « esse Christum, millenario quinto propè acce- « dente, ad medium annorum mundi, qui « omnes secundùm ipsos futuri sunt septies « mille, dixeruntque : Nos adhuc in medio « temporis sumus, et nondùm adest tempus « adventui Messiæ designatum. At computus « 70 Seniorum indicat manifestatum esse « Christum millenario sexto, atque adfuisse « tempus ipsius. Ità omnes fermè reliqui : « atque eâ ratione non modò Eutychius, qui « græcæ alexandrinæ Ecclesiæ præsul, « græcos libros sequebatur, et Elmacinus, « qui copticos ex græcis desumptos, sed alii « fermè omnes auctores etiam syri, quibus sua « versio ex hebræo facta, numerum diversum « annorum exhibet, in Patriarcharum genealo- « giâ eam deserunt ut 70 sequantur. »

Versiones deindè quæ tractatæ à se fuerint auctor enumerat, atque inter eas primam Al Harethi, filii Sinani. Al enim, ut omnes sciunt, articulus tantummodò est; Aretas, Græcis notum nomen, idem est quod Hareth; frustrà notatur esse in altero exemplari, Harbo : quæ enim illa obscura diligentia est recensere librariorum in appingendis punctis peccata? Sanè plura exemplaria vidimus quæ Harethi nomen exhibent, vulgatissimum, ut diximus, apud Arabes. In Regio codice deest illa præfatio cujus meminit Pocockius : nec minùs desunt notæ omnes illæ Origenianæ, quæ Oxoniensem exornant. Optandum foret ut specimina aliquot exstarent istarum notarum, quarum cùm in ipsis græcis quæ supersunt sacræ Scripturæ paucissimis exemplaribus, tanta sit obscuritas, et incertitudo, ubi tamen voces ipsæ græcæ servantur, quàm ista comparatio notarum cum arabicâ versione sit difficilis, ne dicam impossibilis, omnes, opinor, intelligent. Varias lectiones ex hebraicis et samariticis exemplaribus, vel potiùs versionibus ab eâ factis, adnotare facilius est. Talesque sæpè occurrunt in MSS. codicibus. At ex præfatione saltem intelligi potest, auctorem interpretationis et optimos codices adhibuisse, et critices fuisse peritum, qui de rebus adeò obstrusis et vulgò apud Arabes ignoratis, non indiligenter scripserit : de quibus fortè erit alibi dicendi locus. Quod de voce πιπι, de quâ jam Hieronymus monuerat, et quæ eo modo scripta observatur apud Procopium Gazæum, in Scholiis græcis, Catenis et alibi, illud solùm monebimus, non adeò invaluisse errorem illum ex hebraicæ scripturæ imperitiâ natum apud Syros omnes, ut nomen illud eo modo exprimerent, quo in præfatione scribitur; exstat quippè ruditer, licet et inconcinnè, characteribus suis repræsentatum in codice syriaco Colbertino, ubi monetur, *nomen illud esse quatuor litterarum maximæque sanctitatis.* Eam porrò quam describit Pocockius versionem velut eo codice comprehensam, cùm ab auctore ipso, quem codex Regius nominat facta dicatur, primusque versus Geneseos, quem speciminis causâ transcripsit, totidem verbis utrinque expressus sit, eamdem esse non dubitamus.

De secundâ aliter sentiendum videtur. Præfatio cujus summa capita Pocockius tetigit, ea ipsa est quæ præmittitur Regio codici, in quo Pentateuchus arabicè continetur, ex versione secundùm hebraicum exemplar, vel syriacam saltem editionem ex eo deductam. Omnia enim paria de successione pontificum, nec tamen ad 70 editionem facta videtur omninò, nisi quòd, ut suprà observatum est, cùm de eâ diceretur, abit multis locis ab hodierno Judæorum codice, et græco similior est; quod quandoquidem accidit syro interpreti, qui tamen ex hebræo vertit, idem de hoc arabe interprete statuendum existimamus, atque Pocockio fraudi fuisse tales discrepantias non dubitamus.

De tertiâ judicare nullâ ratione possumus, cùm, ut alibi dictum est, plures exstent versiones arabicæ ad græcorum exemplarium fidem factæ, sed ità ut ex aliis interpretationibus, non ex ipsis archetypis expressæ sint; neque omnes ex syriacâ vetere aut secundâ factæ sunt, ut Pocockius videtur

existimâsse, sed non paucæ ex copticâ, quæ græcam quoque editionem repræsentat. Caveat autem lector, ne viro doctissimo, in voce omnibus obviâ cespitanti nimiùm credat, dùm rursùs, ut in Specimine historiæ Arabum, et posteà in versione Abulfaragii, suam nobis figuratam versionem excogitat, cùm, ut dudùm eadem verba ab Echellensi producta palàm faciunt, ne quidem illius sententiæ vestigium exstet in arabico exemplari.

Inutile tamen prorsùs omninò fuisset magni viri ex uno aut altero, quod viderat, exemplari, judicium de versione quæ secundùm Interpretes 70 olìm arabicè facta est, cùm tanta sit exemplarium, etiam eorum quæ optima videntur, diversitas, ut quæ sit antiquior aut melior, ne quidem per conjecturam statui aut divinari posse videatur. Ut id constet apud omnes, exemplum ex codicibus qui à nobis visi sunt afferemus. Duos præ cæteris habuimus, unum ex bibliothecâ Regiâ eleganter et accuratè scriptum antè annos fermè 300 : alterum ex Colbertinâ, qui in eam ex Thuanæâ pervenit, antiquiorem seculis, ut conjectari licet, ad minimùm duobus, manu potiùs doctâ quàm eleganti, cujusmodi codices sæpè nitidiùs scriptis accuratiores sunt. Uterque codex versionem factam esse testatur secundùm græcam 70 Interpretum, ab Haretho, filio Sinani, additurque in Colbertino, filii Sanbath : attamen utraque versio ità diversa est, ut non solâ scripturæ varietate, aut librariorum solitis erratis, sed ex totâ orationis serie deprehendatur, duas omninò esse versiones. Codex Regius magis ad græcum exemplar accedit quàm Colbertinus, qui ab eo prorsùs dissentit in multis, adeò ut, cùm eò usque interpolari non potuerit ista versio ab illis qui codicem descripserunt, adeò multa mutata sunt, alia omissa non temerè, sed certo, ut videtur, consilio, facilè credamus falsam esse in codice Colbertino subscriptionem, quamvis non uno loco reperiatur. Nam Harethum ex græco suam interpretationem fecisse certissimum est : ità enim testantur codices anglicani, quos appellat Pocockius : *et duo nostri* : In eorum antiquiori Colbertino, antè Deutoronomium titulus hic legitur : Liber quintus Legis qui ultimus est, et ipse est Deuteronomium, juxtà quòd eum transtulerunt Sapientes 72 ex hebræo iu græcum ; interpretatus est verò linguâ arabicâ Hareth, filius Sinani, filii Sanbath ; antè librum Numerorum, vocantur Septuaginta duo Sapientes ex Tiberiade. In Regio, uno tantùm loco, nempè post finem Genesis, mentio fit interpretis, his verbis : *Explicit liber primus legis, secundùm translationem* 70 *Senum, et eum interpretatus est linguâ arabicâ Hareth, filius Sinani.*

In eodem codice Regio, qui meliùs videtur referre translationem secundùm 70, sunt tamen quædam non modò aliena ab eâdem, sed ab omnibus codicibus, quæ ferri non possunt. Talis est illa ridicula commentatio ad cap. 4 Geneseos, inter vers. 8 et 9 : Cainum vidisse aves inter se pugnantes, quarum una alteram occidit, quo spectaculo ad cædem fratris excitatus est. Ea non erat in Colbertino, sed in altero codice de quo dictum est anteà, quo alia versio continetur ad hebræum magis exemplar accedens, licèt ex græcis vel syriacis variè interpolata. Præter hos codices exstant alii passìm in bibliothecis, qui nomen quoque Harethi præferant, nempè unus in Seguierianâ : alterum quoque habuisse ex Oriente didicimus ex ipsius catalogo, virum doctissimum, Rogerum Huntingdonium. Verùm ne dubitemus post tot testimonia Harethum illum, quicumque fuerit, sacras litteras ex græcâ versione transtulisse, facit præfatio auctoris anonymi, sed doctissimi, in codicem arabicum elegantissimè scriptum anno Heg. 993, hoc est J. C. 1585, quo totum vetus Testamentum continetur, etiam illi libri quibus Hebræi carent. In eâ scilicet præfatione mentio fit Harethi, fiii Sinani, quasi antiquioris ex græco interpretis, præter quàm alios fuisse dicit quorum exstet versio : unus Abdalla, filii Elfadel; altera antiquior, à diversis facta, sed ignotis auctoribus. Ex nomine illo Abdalla, quod rarum apud Arabes antè Muhamedismum, existimari non immeritò potest, atque id suadere videtur præfatio quam laudavimus, Haretum vetustiorem omnibus fuisse, et quantùm judicare licet celebrem præ cæteris interpretem. At quandoquidem in tantâ versionum diversitate summaque librariorum licentiâ difficile admodùm erat, accuratè describi codices, in arabicis idem contigisse videtur, quod in latinis olìm factum testatur Augustinus, ut quicumque aliquam facultatem interpretandi habere se judicaret, emendandam susciperet versionem Harethi, quam inter tot errata tàm ex librariorum manu, quàm ex præposterâ sciolorum diligentiâ, si quid tamen judicio nostro tribuendum est, omnium longè optimam fuisse credimus, et reliquis, si quandò co-

dex accuratè scriptus inveniri posset, absque dubio præferendam. Verùm fieri non poterat in tantâ Ecclesiarum orientalium, præsertìm quæ in Arabiâ Muhamedanis statìm servire coactæ fuerunt, calamitate, ut libri sacri non statìm corrumperentur per aliorum ignorantiam, aliorumque per obscuram diligentiam. Quippè qui historiam versionum quæ linguis orientalibus factæ sunt, ex græcis auctoribus tùm sacris, tùm profanis, in mente habuerit, simulque agnoscet octavo seculo vix ullum fuisse in vastis illis orientalibus provinciis qui græcè sciret, non mirabitur versionem, quæ, ut existimare possumus, antè calamitosa illa tempora facta cùm esset, accurata esse debebat, multoties deindè descriptam, sciolorum corruptam esse manibus, ità ut agnosci jam planè non possit. Undè qui codices MSS. habebunt in quibus nomen Harethi, filii Sinani, interpretis reperietur, cavere eos oportet ne falso illo titulo decepti eam ipsi versionem attribuant quæ à græcis codicibus est diversissima : nam duplicem illam quam duo codices, Regius et Colbertinus exhibent, ab eo esse profectam impossibile est.

De duabus aliis quarum meminit præfatio alterius Colbertini exemplaris quo integri Testamenti veteris arabica versio continetur, nihil hùc usque ex aliis auctoribus scire potuimus. Unam ait auctorem habere Abdallam, filium Elfadel, ignotum omninò, cùm illius nemo meminerit. Etsi porrò nomen istud magis muhamedano quam christiano homini conveniat, tamen ab alio quàm à christiano opus istud susceptum fuisse non est verisimile; præsertìm cùm non privati sed publici quodam modo consilii semper fuerit Scripturarum interpretatio. Et sanè ea fortassis quæ nullo auctoris nomine præsignata legitur in variis codicibus, aut illa quæ in Colbertino Haretho tribuitur, ab illo Abdallâ aut quodam alio auctore facta est.

Nam eadem præfatio quæ in summâ obscuritate igniculum quemdam præfert, docet nos aliam fuisse à duabus istis, quæ antiquitate commendaretur et diversos auctores haberet, simulque ex græco exemplari translata foret. Ea est fortè aliqua earum quæ reperiuntur et in nostris et in anglicanis cod. MSS.; omnes enim inquinatissimæ sunt, non modò quia multa habent assumenta ex aliis editionibus, sed etiam quia vix ulla est, quæ insignes, et quas conciliare impossibile est, differentias non habeat in singulis codicibus, ut comparatio Regii et Colbertini paucis verbis designata palàm facit. Cùm verò auctores orientales de illis versionibus nos monent, quasi diversitatem noverint earum quæ secundùm Hebræos, Samaritanos, imò et Karaitas factæ sunt; tùm earum quæ juxtà septuaginta Interpretes, nemo in animum inducat dictum id esse quasi studium aliqui critici posuerint in illis versionibus recensendis aut ad antiqua exemplaria comparandis. Rarissima hæc apud eos cura est, sed sufficit ut aliquod prætulerit nomen Harethi, filii Sinani et 70 Interpretum : non majorem curam impendere solent quàm describendi quidquid inveniunt. Itaque, licèt celebris omninò ea versio sit cæterasque dignitate et bonitate superet, nullas tamen hùc usque apud eorum theologos et philologos ecclesiasticos notas deprehendere potuimus, quibus vera editio à corruptis et interpolatis dignosceretur. Imò et nomen auctoris videtur apud plerosque intercidisse, cùm Hadgi Calfa illud ignoraverit, alioqui, ut videtur, non prætermissurus, cùm eam versionem inter alias numeret quæ 70 dicitur. Illius præter laudatam à nobis præfationem et codices versionis quæ illi tribuitur, nullus occurrit nobis qui meminerit, multò minùs aliorum qui simili operi studium adhibuerunt. Si quid igitur divinando assequi possumus, etiam illa codicum varietas, et discrimen ingens inter optimos et antiquos, quales illi quibus usi sumus, non levem designant antiquitatem, quia nempè dùm suum quisque librum emendare conatur, vitiosissimum fecit. Neque enim ex quo Arabes Orientem armis obtinuerunt suamque linguam intulerunt, occasio fermè ulla fuit emendandi versionem illam quæ videtur antè Muhamedem facta, atque eam conferendi cum græcis ipsis exemplaribus. Græca enim lingua diù Antiochiæ et in magnis urbibus conservata est, atque Christianis illorum locorum consuetudo cùm esset græcè sacra celebrandi, et Scripturas legendi, eam diutissimè servaverunt, adeò ut etiam post annos ampliùs mille Antiochiæ græcus patriarcha græcos ritus retineat leganturque Scripturæ græcâ linguâ, ex loco superiori, in sacris officiis. In aliis provinciis syriacæ versiones passìm erant in omnium manibus, atque adeò statìm atque arabica lingua passìm recepta est, factæ sunt ex syriacâ versiones arabicæ, sed quæ non ex Septuaginta expressæ forent, et de quibus pauca mox dicentur. Ægyptii alexandrini quidem libros

græcos diutiùs retinuerunt, et cùm dudùm antè muhamedanam servitutem eos in patrium sermonem conversos legerent, ex illis aliæ fluxerunt versiones arabicæ, quæ tamen eò quòd et à judaicis, samaraticisque, et à syriacis distarent quàm plurimùm, græcis similiores forent, ideò ad easdem institutæ fuisse judicatæ sunt, cùm non ex originali, sed ex secundariâ translatione desumptæ forent.

Præter eas igitur arabicas secundùm Septuaginta versionem sacræ Scripturæ editiones tres quas recensuimus, Harethi, Abdallæ, et antiquam anonymorum auctorum, fuerunt aliæ, et quidem plurimæ, quæ tamen in eamdem classem referuntur; et cùm omnes viderentur ex græcis fontibus derivatæ, magna indè in codices perturbatio invecta est, dùm eos emendare quisque satagit, quasi diversitas à librariorum manibus, non ab ipsâ originalis exemplaris varietate petenda esset. Omnes sanè quæ apud Syros exstant arabicæ versiones, tales esse meritò judicantur. Idque duplici ratione. Nam ut superiùs ostensum est, ex Abulfaragio et aliis auctoribus, habebant veteris Testamenti versionem ex septuaginta Interpretibus syram, licèt seriùs factam, minorisque apud eos auctoritatis, receptam nihilominùs: quam quidem eos arabicè transtulisse certissimum est ex variis fragmentis testimoniisque quorum pleni sunt libri theologici. Et fortassè quædam illarum quæ passim occurrunt in bibliothecis ejusmodi fuit. Similem ex syriacâ versionem arabicam Colbertinum manuscriptum continet. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

(*Tres quatuorve lineæ hic per puncta indicatæ in manuscripto Renaldoti deletæ sunt.*)

.....Verùm, etsi integra non exstet illa versio, reperiuntur tamen ejus particulæ insignes in variis commentariis sanctorum Patrum græcorum qui syriacè primùm, mox arabicè translati sunt. Cùm enim non aliam quam græcam editionem exponerent, intelligi non potuissent illorum commentarii absque ejusdem editionis versione; atque ea fuit epocha quam ex multis indiciis non contemnendis statuimus versionum syrarum ex græcâ factarum, secunda verò epocha fuit Ecclesiarum perturbatio, per hæreses Severi Jacobique et aliorum Monophysitarum qui primorum Patrum scripta multa in vulgarem sermonem transtulerunt, quia Nestoriani idem fecerant de scriptis Theodori, Diodori et Nestorii, ut ex Liberato observatum est alibi: eo in loco fortè non inaniter quisquam notabit meminisse Liberatum, communis Persarum, Syrorum Armeniorumque sermonis, cum arabici mentionem nullam fecerit. Hinc enim adjuvatur conjectura nostra de intermortuo apud Arabes Saracenos Christianismo, quam argumentis variis probavimus. Eo igitur tempore quo Severus antiochenam cathedram invasit, multa SS. Patrum quæ tùm ad Nestorianos refellendos, tùm ad Catholicos oppugnandos conferre videbantur opera, in syriacam linguam transtulerunt Jacobitæ, ut priùs Nestoriani fecerant, quod de Mar-Abâ ab his vocato Magno, Thomâ Edesseno et aliis, narrant Maris, Salomonis filius, Hebed Jesu et alii. Occasione istarum translationum quæ ex græcâ linguâ in syriacam factæ sunt, deindè ex syriacâ in arabicam, translatio syra veteris Testamenti ex septuaginta Interpretibus facta est; et cùm eadem Patrum opera in arabicum sermonem transferri cœpêre, quod non nisi sub imperio muhamedano contigit, indè quoque originem habuerunt translationes Scripturarum ex syriaco, sed secundùm Græcos variæ; illarum autem fragmenta supersunt in variis Basilii, Chrysostomi aliorumque in Scripturam commentariis, quas auctor citatæ superiùs præfationis consuluisse testatur, non minùs quàm diversas alias versiones. Equidem quantùm ex aliis quàm multis ejus generis commentariorum MSS. exemplaribus adipisci potuimus, quæ in talibus collectionibus occurrit versio magis integra est, et ad interpretum græcorum sententiam propiùs accedit, quàm omnes aliæ. Ratio est quia non toties descripti sunt ejusmodi commentarii, neque idcircò tot mutationibus erant obnoxii, quàm vulgati sacrorum librorum codices, in quibus ex versionum varietate magna quoque diversarum lectionum seges occurrebat, quam ut tollerent studiosi sacrarum litterarum, difficile admodùm videbatur, imò prorsùs impossibile. Neque enim una erat forma interpretationis authenticæ in quâ omnes adquiescerent, ut in syriacâ et in copticâ, quæ inter Syros et Ægyptios originalis cujusdam secundarii dignitatem habebant. Verùm cùm occurrerent tàm multæ versiones, aliæ factæ olim ex græco exemplari, aliæ ex syriacis, aliæ ex copticis, tandem multæ à judæis aut samaritanis factæ,

quæ incautos Christianos decipiebant, quò quisque doctior sibi videbatur, eò magis audaces ad emendanda ut existimabat exemplaria manus injiciebat. Hanc porrò confusionem et temerariam versionum diversissimarum commistionem nihil magis demonstrat quàm summa illa et nullâ ratione concilianda codicum diversitas, etiam eorum qui nomen ejusdem interpretis præferunt; tùm etiam labor immensus quem auctor anonymus, sed sanè doctissimus, susceperat, emendando versionem eam quæ in parisinis Bibliis edita est, quem, magnitudine ut verisimile est operis deterritus, ultrà prima Geneseos capita non produxit. Undè satis mirari non possumus fuisse qui suâ versione arabicâ Origenianam editionem cum obelis et asteriscis expresserint, quod Pocockio teste superiùs observavimus. Attamen cùm virum doctissimum tàm pauca dixisse, tàm graviter aberrâsse in judicio ferendo de illis quæ ad manus ejus pervenerant, certissimum sit, manebimus in suspicione vehementi, quam anteà non dissimulavimus, notas omnes illas quas testatus est adjunctas habuisse codicem Oxoniensem, quidvis potius fuisse quàm Origenianas, quas in linguâ tàm molestâ, circà punctationem præsertìm nominum propriorum, tàm alienâ à græcis elementis servare, et arabicis transmittere, impossibile prorsùs videtur. Potuit sanè præfationis auctor de Origenis labore ad Scripturas recensendas ex antiquis commentariis disserere, quamvis de ejus laudibus plerumquè sileant Orientales, qui eum tanquàm hæreticum perpetuò insectantur; at notas illas intricatissimas, quarum ne unum quidem apud Græcos exemplar integrum reperitur, transfudisse Arabes in suam linguam, eique versioni accommodâsse, quæ illas pati non posset, incredibile prorsùs est, imò et perabsurdum; quippè, ipso Pocockio teste, adjunctæ erant versioni secundùm 70 Interpretes ei simili, quam reperimus in nostris codicibus MSS. Ea verò cùm etiam, ut eadem ab ipsoque eodem interprete Haratho, filio Sinani, elucubrata, tantas tàmque immanes discrepantias habeat, non modò in vocibus, sed etiam in rebus, dùm voces et versiculi exstant in uno codice, quæ in alio desiderentur, quâ tandem ratione fieri possit ut asterisci, obelisci, lemnisci, et apparatus omnis ille criticus, qui extrà ipsam originalem scripturam nullus est, in linguam toto cœlo diversam transferatur.

Omninò igitur statuendum videtur, notas omnes, quæ occurrunt ad margines versionum arabicarum, non ad veram sacri textûs criticam Origenianam pertinere, sed ad levem et perfunctoriam locorum aliquot cum aliis versionibus comparationem, quod nos in multis codicibus syris et arabicis deprehendimus; præcipuè in Colbertino recentiori, qui versionem totius Testamenti veteris arabicam complectitur. In eo enim, saltem quantùm ad prima capita Geneseos, reperitur collatio multarum aliarum versionum arabicarum, quas cum illâ ex hebræo comparat, quam nos Saadiæ vocamus, illius Phiumensis, ut eum semper Arabes vocant, à patriâ Phium, urbe Ægypti inferioris, quæ quidem, si Benjamino Tudelensi credimus, est antiqua Phitoum, veterum Israelitarum manibus ædificata. Verùm in magnâ notarum criticarum segete, nulla occurrit, quæ ultrà recentiorum interpretum ætatem assurgat. Comparatur scilicet Saadias cum aliis judaicis interpretibus, et cum samaritanis: cum Haretho, per cujus versionem tantùm 70 Græcos noverunt Arabes, et quod magis mirum, in paucis admodùm observationibus, quæ ex eo depromptæ sunt, adducuntur verba quædam frustrà à nobis quæsita in duobus manuscriptis codicibus, Colbertino et Regio, imò et in commentario Pentateuchi qui versionem secundùm 70 continet. Nempè jam antè aliquot secula (nam Colbertinus codex trecentos ad minimùm annos superat), tanta jam erat perturbatio exemplarium editionis secundùm 70, quæ Harethi nomen præferebat, ut inter se plurimùm discreparent, atque adeò vir in Scripturis exercitatissimus, qualis erat, procul dubio, ille à quo editio Saadiæ recognita est eum in modum quo legitur in codice Colbertino, ignoravit illam scriptionis immensam diversitatem, cùm variantes quasdam lectiones dedit, quæ alibi non reperiantur. Id etiam maximè mirum videtur, et ad confirmandam superiorem conjecturam nostram efficacissimum, quòd in præfatione doctissimâ eidem operi præmissâ, cùm de variis sacræ Scripturæ versionibus loquatur, præsertìm græcâ 70 Interpretum, diversasque illius arabicas editiones tres recenseat, non meminerit illius, quæ fuit in Pocockii manibus, et quæ adjunctas haberet notas illas celebres Origenianas; quæ tamen ad ejus institutum conferre plus quàm reliquæ omnes poterat, scilicet, ut existimamus, quia nulla similis apud Orientales exstabat.

De aliis, quas numerat, editionibus ex eodem codice antiquitùs factis, quod dicamus nihil prorsùs occurrit. Quamvis enim exstent fortassis, agnoscere eas nullo certo indicio

licet; cùm, ut ex comparatione exemplarium, quæ nobis ad manum fuerunt, manifestum est, facile fuerit librarios nomen celebris interpretis, qualis procul dubio erat Hareth, filius Sinani, adjunxisse versioni quæ ab alio auctore facta foret. Multò minùs designare licet aliam veterem ab auctoribus anonymis ex eodem græco codice, nisi fortè illa sit, quam commentarii arabici varii in Scripturam exhibent, præsertim qui ex antiquis Patribus excerpti sunt. Purior illa sanè reliquis omnibus videtur, et in promptu causa est, quùm tales libri non tàm frequenter descripti, minùs audaciæ librariorum patuerint quàm vulgares alii quibus solus Scripturæ textus contineretur. Undè non immeritò præfationis auctor eas editiones commendat quæ in similibus commentariis reperiuntur, et eas se non frustrà consuluisse testatur. Verùm cùm, ut alibi dicetur, laborem conferendæ versionis Saadianæ non ultrà aliquot Geneseos capita produxerit, aut, quod verisimilius est, qui Colbertinum codicem descripsit, non totam collationem, sed ejusdem specimen illud brevissimum contineat, in quo ne ullus quidem locus occurrit ubi illi commentarii laudentur aut ex illis testimonia proferantur, secundùm eos qui à nobis tractati sunt judicium ferre cogimur. Illud autem liquidò affirmare possumus, versionem quæ in ejusmodi libris legitur aliis esse et meliorem et ad septuaginta Interpretes verè factam, cum aliæ editiones tot assumenta habeant, tot aliena non modò à græco sed ab hebræo etiam codice, ut emendari nullâ librorum collatione possint. Undè si aliquandò edi iterùm Biblia Polyglotta contingeret, optandum foret ut Saadianæ illius versionis loco quæ sola edita est, substitueretur ea versio quam meliores libri repræsentant et quâ Christiani utuntur, non alia quæ ipsis Judæis adeò usquequaquè non placuit, ut in eâ conquiescendum arbitrarentur.

Versiones porrò aliorum veteris Testamenti librorum quæ aliquibus libris adjunctæ sunt in Polyglottis, quarum aliquæ factæ sunt ex græcis exemplaribus, an Harethum auctorem habeant sciri non potest.

DE SCRIPTURÆ SACRÆ LIBRIS ET VARIIS EORUM VERSIONIBUS ORIENTALIBUS,

Renaldoti Dissertatio.

Ecclesiæ omnes, quotquot in Oriente Christi nomen venerantur, Melchitarum, Jacobitarum et Nestorianorum, in sacræ Scripturæ libris numerandis, eamdem pariter cum romanâ et græcâ Ecclesiâ rationem instituunt, Canonemque, ut vocamus, habent planè eumdem. Etenim, quæcumque ab hodiernis eorum patriarchis scripta ad nos pervenerunt, disertè testantur eos omnes, quos nuperi hæretici apocryphos libros vocaverunt, quòd in Hebræorum canone non reperirentur, non minùs quàm alios, de quorum auctoritate constat apud omnes, ab Orientalibus divinarum litterarum partes existimari. Nec aliter de iis censuêre veteres ipsorum theologi, è quorum sententiis collectionem suam canonum contexuit Ebnassalus, qui ejusdem operis capite secundo hunc catalogum inseruit : « Libri, « inquit, quos in Ecclesiâ fideles amplectuntur « isti sunt : Veteris Testamenti, quinque libri « Legis; Josue, filii Nun, liber unus; Judicum « liber unus; Liber Ruth; Liber Judith; quatuor Libri Regum; Liber Dibre Haiamim, « seu Paralipomenon Libri duo; Libri duo « Ezræ scribæ; Liber Esther; Liber Tobiæ; « historia trium puerorum; Liber Job; Liber « Psalmorum Davidis; Libri Sapientiæ Salomonis, quinque Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia; Prophetarum « Libri sexdecim : quatuor Magnorum; Esaiæ, « Jeremiæ, Ezechielis et Danielis; Minorum « duodecim : Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, « Haggæus, Zacharias, Malachias; extrà illos « verò libros, Sapientia Jesu, filii Sirach, ad « puerorum institutionem, et Liber Josephi, « filii Gerion, qui est Liber Machabæorum. « Libri Novi Testamenti sunt : Quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis; « Liber Actorum, Liber Catholici, hoc est « Epistolarum Catholicarum, septem Epistolas continens, Petri duas, Joannis Evangelistæ tres, Jacobi unam, Judæ unam; « Liber Epistolarum Pauli quatuordecim

« Liber Apocalypsis Joannis Evangelistæ. »

Hoc in catalogo videtur extrà ordinem constituere Sapientiam Jesu, filii Sirach, quam etiam omittit Severus, episcopus Ashmonin, in vitâ Demetrii patriarchæ; tamen ab aliis auctoribus numeratur, præsertim verò Abulfaragio, antiquo auctore, qui catalogum librorum arabicorum, qui antè annos octingentos exstabant, conscripsit luculentissimum; et è contra neque Judith, nec Tobiam, nec Machabæos recenset; sed in variis canonum collectionibus exstant librorum sacrorum catalogi, ubique verò omnes quos Latini agnoscimus, recensentur, tanquàm divinâ auctoritate conscripti : ità etiam nestorianus auctor Hebed Jesu in catalogo chaldaico Romæ edito eos recenset omnes, et non unum videmus commentarium in Sapientiam Salomonis et Ecclesiasticum Siracidæ, quorum aliqua exstant in bibliothecâ Regiâ, arabicè et syriacè conscripta, sæpè etiam in scriptis theologorum orientalium laudati reperiuntur.

Cur verò de illis libris non unâ ratione scribant Orientales, ea potissimùm ratio est, quòd, ut apud Græcos summa est exemplarium diversitas, in iis qui græcè conscripti sunt, ità etiam apud Syros et Arabes multò maxima, adeò ut securè de iis quas habent interpretationibus non ità facilè possint pronunciare. Hæc autem una omnium Orientalium conditio est; neque enim unquàm inter ullas è tribus illis sectis circà divinorum codicum numerum et auctoritatem disputatio intercessit.

Sed quia versionum ratione summa apud omnes Ecclesias diversitas reperitur, in legendis Scripturæ libris, quædam hic necessariò sunt annotanda, quæ nos, quantùm è variis libris colligere potuimus, eò proferemus libentiùs quòd viri eruditissimi qui in edendis Bibliis Polyglottis operam nusquàm satis laudatam posuerunt, pauca admodùm de iis versionibus quarum in Oriente usus est scripserint. Accepi, nec sine dolore, virum orientalium rerum peritissimum, Gabrielem Sionitam, cùm heptaglottorum Bibliorum editionem parisiensem ad finem perduxisset, luculentam operis præfationem conscripsisse, quâ, ut erat longè doctissimus, ea omnia complectebatur, quæ ad illarum cognitionem sunt necessaria, à quibus scilicet, et quo tempore maxima illorum pars erat instituta, quæ omnia ex Orientalium monumentis eduxerat; verùm opus illud eximium, ut qui vidêre apud auctorem mihi testati sunt, ratione planè indignissimâ periit; Gabriele enim vitâ functo, distractâque ejus supellectile, præfatio illa, cui supremam manum imposuerat, malo fato chartarum forensium aliquot sacculis adjuncta, cum iisdem à candelarum quodam artifice aliquot assibus empta est, nec usquàm licèt à viro doctissimo diù pretio quæsità potuit recuperari : à tanto viro majora erant et luculentiora, quàm à nobis expectanda, qui ea, quæ à nobis, observata sunt, ità substituemus, ut χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι ἐννεάβοιων. Præter hebræam græcamque linguam, quâ vetus, novumque Testamentum primò conscripta sunt, hæ plerùmque in Orientalium bibliothecis versiones reperiuntur: Samaritana antiqua Pentateuchi, chaldaicæ, seu Targumin, à Judæis conscriptæ, arabicæ, syriacæ, copticæ, persicæ, æthiopicæ et armenicæ.

Quæ à Samaritanis Judæisve conditæ sunt, quamvis minùs ad nostrum institutum pertinent, pauca tamen de iis dicenda sunt. Duplicis verò sunt generis: nam aliæ quidem linguâ Judæis aut Samaritanis solis propriâ sunt exaratæ, quales sunt targumicæ et samariticæ ex codice hebræo-samaritano factæ, eoque idiomate, quod ex chaldæo et hebræo mixtum, vulgò samaritanum dicitur, de quibus multi multa scripserunt; aliæ arabicâ vel aliâ quâvis linguâ, quæ multis est familiaris, de quibus pauca omninò, eaque valdè incerta, apud linguarum peritos cognoscuntur.

De versionibus judaicis.

Arabicæ exstant versiones Pentateuchi geminæ à Judæis factæ : prima et præcipua Rabbi Saadiæ Gheonis, quæ primò Constantinopoli edita cum aliis versionibus, et commentariis Rabbi Salomonis Iarchi, charactere hebraico, deinceps Parisiis in Bibliis Heptaglottis aliquantùm interpolata, charactere arabico, demùm in Polyglotta translata est, nullâ suî parte mutatâ, eademque versio latina quæ Parisiis olim procurata est, fuit adjuncta; altera est quam Lugduni Batavorum anno 1622 edidit vir eximius litterarumque arabicarum in Europâ parens, Thomas Erpenius, è codice Mosaico, quem Josephus Scaliger bibliothecæ lugdunensi legaverat; hanc Saadianâ meliorem multis locis indicavit vir peritissimus, cùm Saadias sæpiùs paraphrastem agat, quàm interpretem; hujus verò versionis auctor, verbis hebraicis pressiùs insistens, ab iis, nisi ubi sententiæ ratio postulat, nullo modo discedit. Quamvis autem certissimum sit Saadiam totum vetus Testamentum arabicè interpretatum fuisse, solius tamen Pentateuchi versionem

habemus; cæterùm, omni dubio procul, aliæ fuerant multæ à Judæis factæ, cùm à multis seculis in Mauritaniâ et Ægypto, atque adeò toto Oriente dispersi, magnâ linguæ hebraicæ imperitiâ laborarent. Arabicam summoperè coluerunt, ut ejus beneficio aliam addiscerent, cujus regulæ grammaticæ et lexica arabicè erant à Rabbinis conscripta, multi etiam in sacros libros commentarii et insignes aliquot tractatus conditi.

Iidem Judæi versiones aliquot edidêre persicâ linguâ, qualis est Pentateuchi à Jacobo Tusensi facta quem Tawosum, Tawazum et aliis modis vocant, cùm Tusi dictus sit ab urbe Tus, in Chorasanâ celebri. Ea cùm Constantinopoli primùm esset edita, sed typis hebraicis, charactere persico in Polyglottis excusa fuit. Exstant ejusdem auctoris interpretationes Prophetarum et totius veteris Testamenti, quas hebraico charactere satis antiquo descriptas, videre licet in illustrissimi Colberti bibliothecâ, ex dono viri doctissimi B. Herbelotii, qui eas nuper ex Italiâ detulit. Vidi etiam Psalmorum translationem persicam ad hebræum exemplar ità accuratè factam, ut verbum verbo reddiderit fidissimus interpres; erat autem cum aliis duobus exemplaribus collata, ità ut intrà lineas, diversæ non tàm lectiones, quàm interpretationes essent minio adjectæ, quibus non obscurè constat alias veteris Instrumenti hâc linguâ translationes fuisse factas, de quibus hùc usque in Europâ nihil auditu acceptum est. Legi etiam Parabolas, Ecclesiasten, et Canticum Salomonis, nec non librum Esther, ab iisdem, quantùm conjicere queo, interpretibus conversos, qui omnes libri cum aliis exemplaribus collati fuêre à Persis Judæis, præsertìm verò Karaitis, quibus licet quâcumque linguâ lectionibus è veteri Testamento sumptis defungi, et eorum maximus in Perside, Armeniâ et Indiâ numerus est, præter quotidianos mercaturæ gratiâ concursus. Undè iidem ediderunt Constantinopoli Pentateuchum hebraicum et chaldaicum, cui adjunxerunt, prædictarum lectionum gratiâ, versionem græco-barbaram et castellanicam, utramque charactere hebraico, seorsim verò librum Job ediderunt hebraicè et græco-barbarè; hujus Pentateuchi bina Parisiis exstant exemplaria, alterum in bibliothecâ Regiâ, aliud apud doctissimum Claudium Hardy. Nec plura de Judaicis translationibus, quæ omnes adeò rigidæ sunt, adeò plerumquè obscuræ, ut non modo aliâ versione, sed commentario etiam indigeant.

De versionibus samariticis.

Samaritani, præter eam, quam samaritano sermone habent ex codice suo hebræo conversam legem, duas etiam habent arabicas legis interpretationes, antiquam, quæ in codice Periescii hebræo et samaritano textibus adjuncta, tritaplorum formam exhibet, cujus tùm Parisiis, tùm in Angliâ conservantur exemplaria; altera recentior est, et à quodam Abulbircat lucubrata, qui eam ad exemplar hebraicum accuratè conscripsit, verùm quale Samaritani conservant, ab hebræo judaico multis locis diversum. Adhibuit etiam syriacam, hoc est samariticam interpretationem, ut ex ejus verbis, quæ mox adducemus, fiet manifestum; ità verò conscripta est, ut singulis sedaris, seu minoribus sectionibus, quales in Pentateuchis hebraicis reperiuntur, particulas textûs hebraici, sed litteris samaritanis præmiserit, quas sequitur arabica ejus ad verbum interpretatio. Eam verò se ait elaborâsse, quâ versionem Judæi cujusdam, Phiumensis, quæ manibus suorum tenebatur, cùm minùs recta esset, conaretur oblitterare; ità enim præfatur in opus suum : « Ità ait servus pauper « et misericordiæ Dei egenus *Abulbircat Ben-* « *Said Basorensis,* syrianus (in alio exemplari « vocatur Abusaid, filii Abulhacen, filius Abu- « laid) : cùm vidi interpretationem libri ex- « cellentis (ità Samaritani vocant Pentateu- « chum) quæ manibus versabatur sociorum « nostrorum, quos Deus multiplicet et pros- « perè agere jubeat, et formâ et sensu corru- « ptam ob imperitiam quam habent linguæ « hebraicæ, cùmque aliqui existimarent eam « esse interpretationem præstantis domini « Abulhacen Sourensis (Tyrii), cujus Deus « misereatur, neque tamen ejus esset, cùm « animo concipi nequeat ut illam conscripse- « rit, maximè ad illud : *ubi profectus fueris ad re-* « *deundum in Ægyptum,* cùm impietas manifesta « reperiatur et alia quædam, quæ illis sunt « similia; sed è contrà hæc interpretatio est « Phiumensis, Judæorum Dei hostium magi- « stri (additur in alio exemplari), qui multa in « interpretatione suâ peccavit, voces in mar- « gine appositas usurpando; operæ pretium exi- « stimavi, si interpretationem hujus libri ag- « grederer, è linguâ hebraicâ et syriacâ (hoc « est procul dubio, versione samaritanâ, quæ « stylo ferè syriaco conscripta est), veramque « et perspicuam efficerem, ut ità ea quæ à « Phiumensi composita est, oblitteraretur, et « prorsùs relinqueretur. »

Quis fuerit ille Phiumensis Judæus planè ignoramus; id unum ex citatis verbis constat, quòd versionem Pentateuchi fecerit, de quâ nihil accepimus, ut neque de Abulhacen et ejus versione. Quæ verò Abulbircat, quem diximus, habet auctorem, exactè consentit cum codicibus samariticis; nam Geneseos capite 4, ubi in hebræo-judaico ità legitur : *Dixitque Caïn ad Abel, fratrem suum*, nihil subjicitur; at in codicibus samariticis, quos secuti sunt septuaginta Interpretes et latina Vulgata additur : *Egrediamur in agrum*, quæ verba leguntur in hâc arabicâ versione. In Exodi capite 12: *Habitatio filiorum Israel in Ægypto, 430 annorum*, codices samaritici legunt: *in Ægypto et in terrâ Chanaan, ipsi et patres eorum*, et ità græci codices, quos citat Eusebius in Chronico; quâ lectione solvitur ingens difficultas viâ quâdam simplicissimâ; ità pariter legitur in versione Abulbircat : quâ ratione certissimum est eam è codicibus samariticis factam, neque à Christiano profectam, aut alterius sectæ. Ut etiam alii loci, qui à codicibus hebraicis discrepant, pari prorsùs ratione sese habent, velut illud : *Maledictus qui non permanserit in omnibus præceptis*, ubi Judaici codices non agnoscunt vocem *omnibus*, contrà samaritani, græci, latini et interpretatio Abulbircat, quæ ità cum antiquis etiam codicibus consentit, quos testatur Hieronymus in commentario ad Galatas c. 4, ità habuisse suo tempore. Pari modo Deuteronomii 17, à versu 9 ad 19, et eodem capite, versu 4, ejusdem versionis cum codice samaratico consensus demonstratur.

Quamvis autem vocetur ille Abulbircat Syrianus, non tamen idem est cum alio ejusdem nominis, qui eruditum in quinque legis libros edidit commentarium, siquidem ille christianus est, is verò, ut diximus, samaritanus religione; cujus generis multi Damasci etiamnùm commorantur, cùm ibi synagogam habeant, post Neopolitanam, seu Sichemensem, præcipuam, et jam suo tempore, quadringentos Samaritanos Damasci vixisse observat Rabbi Benjamin in Itinerario. Quòd autem Septuaginta virûm interpretatio cum samaritano codice consentiat, ab Eusebio et scholiaste græco dudùm notatum est, et ab ipsis Samaritanis, qui in Chronico suo MS. aiunt è Samaritis missos illos fuisse, et ad codicem samaritanum, hoc est scriptum litteris Mosaicis, *non verò scripturâ Ezræ maledictâ in æternum* (ità vocant Samaritani Sichemitæ, Ep. ad Josephum Scaligerum MS.), ab iis versionem factam fuisse.

De christianis versionibus.

Nunc ad versiones Scripturæ sacræ, quas Christiani lucubrârunt, stylum convertamus : Eæ verò sunt plurimæ, nempè syriacæ, copticæ, arabicæ, æthiopicæ, persicæ et aliæ, linguis ab usu et cognitione nostrâ remotioribus.

De syriacis.

Syriacæ quidem interpretationes veteris Testamenti sunt antiquissimæ, si syris auctoribus credimus; etenim vetus Testamentum, tempore Hiramî, regis Tyri, translatum fuisse asserunt, reliquos novi Testamentî libros, hortatu Abgari, Edesseni toparchæ, Thadæi et aliorum curâ, syriacè fuisse redditos. Exstat eâ de re testimonium Soadedi, episcopi Hadetensis, citatum à Gabriele Sionitâ, in suâ ad Psalterium syriacè editum Præfatione, ad hæc verba : *Sacrorum voluminum translatio hanc ordinem est adepta : Pentateuchon, Josue, Judices, Ruth et Samuel, David, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica canticorum et Job, translati fuerunt tempore Salomonis, orante exoranteque Hiram, rege Tyri, ejus amico. Reliqui verò libri veteris pariter ac novi Testamentî, tempore Abgarî, regis Syriæ, curâ et sollicitudine Thadæi aliorumque Apostolorum.* Idem testimonium producit Abraham Echellensis, sed episcopum illum vocat Jesudad. Gregorius Abulfaragius, in historiâ Dynastiarum, duplicem ait apud Syros exstare Scripturæ translationem, aliam simplicem, ex hebræo accuratè factam, aliam juxtà septuaginta Interpretes figuratam. *Atque ea est,* inquit, *versio Septuaginta, quam amplectuntur doctores nostri, estque eadem quæ in manibus Romanorum est, cæterarumque christianarum sectarum, exceptis syris ac præsertim orientalibus, siquidem eorum exemplar, quod simplex vocant, quòd in ejus versione elegantiæ ratio habita non sit, consentit cum exemplari Judæorum; Occidentales autem duas habent versiones, simplicem, quæ ex hebraico in syriacum translata est, post adventum Domini Christi, tempore Thadæi apostoli, vel ut alii dicunt, tempore Salomonis, filii Davidis, et Hirami, et figuratam secundùm Septuaginta è græco in syriacam traductam, longo post Incarnationem Salvatoris intervallo.* Perantiqua sanè est ea versio syriaca, quæ in Bibliis parisiensibus primùm, deinceps verò in Polyglottis londinensibus excusa est, nec dubito veterem illam esse, simplicem ab Abulfaragio appellatam, cùm sit ab hebræo fonte, non verò ad Septuaginta viralem interpretationem instituta; quod præcipuè in Pentateucho, sed multò maximè in

Psalterio animadvertes Parisiis et in monte Libano olim typis excuso.

An verò fuerit tempore Salomonis, aut Abgari facta, ut asserere, cùm id absque probatione fiat, temeritatis, ità etiam pertinaciùs refellere, pervicaciæ cujusdam est; nam, procul dubio, cum chaldaica dialectus, quæ Christi tempore vulgaris fuit, quâque vernaculâ videtur esse usus, potiùs quàm syriacâ purâ, ut voluit Widmanstadius, præfatione ad Testamentum syriacum, proximè ad syriacam accedat, videtur Abgari tempore syriaca versio nullo negotio scribi potuisse; et ex hebræo fonte chaldaico-babylonicæ linguæ, quæ tunc obtinebat, beneficio facilè deduci.

Sed quæcumque tandem sententia statuatur, certum est syriacam interpretationem esse vetustissimam, siquidem Ephrem, edessenæ Ecclesiæ diaconus, qui quarto seculo vivebat, vetus et novum Testamentum commentariis illustravit, multa etiam opera edidit sermone syriaco, ut testantur Hieronymus, Sozomenus, Photius, et alii longè plurimi. Græcam verò linguam penitùs ignorabat; nam quidquid de linguæ græcæ cognitione divinitùs ipsi collatâ legitur, fide indignum est; necesse ergò fuit, ut vulgata tunc temporis esset syriaca veteris et novi Testamenti interpretatio.

Ea verò quam Abulfaragius figuratam vocat, et quæ ad 70 Interpretum codices procurata est, exstat in variis codicibus, non tamen integra, nam rarissimi codices inveniuntur, qui totum vetus et novum Testamentum simul exhibeant. Verùm in commentariis aliisque Syrorum operibus multa reperiuntur hujus interpretationis. Hebed Jesu in catalogo librorum chaldaicorum ait: *Mar Abam Magnum interpretatum esse totum Vetus Testamentum, ex idiomate græco in syriacum.* Habuit etiam Masius codicem antiquissimum è septuaginta Interpretibus factum cum notis Origenianis, ex quo commentarium illum eximium in Josuam composuit, et non rarò in scriptis theologorum orientalium laudatur syriaca interpretatio, tanquàm summa tùm vetustate, tùm dignitate.

De copticis.

Post syriacas, eas interpretationes antiquissimas esse judico, quæ cùm christiani imperatores Ægyptum obtinerent, eorum Christianorum gratiâ factæ sunt, qui in Thebaide, atque adeò totâ superiori Ægypto degebant, ubi tunc ingens monachorum erat numerus, et eâ linguâ, quam à copticis, copticam vocamus, fuerunt exaratæ. Cùm enim in ditione alexandrinâ græca lingua, ut in toto Orientis imperio, passim usurparetur, qui Thebaidem incolebant, plerùmque rudes omninò græcæ orationis, nativo illo sermone utebantur, licèt, alterius commercio, ab incorruptâ veteris linguæ integritate multùm degeneri. Undè illis necesse fuit versionem Scripturæ copticam procurare, cùm in eâ legendâ omnem operam monachi impenderent, præter eam, quæ ad victum labore manuum comparandum erat necessaria.

Ea quandò, aut quibus auspiciis facta sit, planè cum ignarissimis scio; constat sanè, ob eam, quam attulimus rationem, vetustissimam esse, cùm ex variis historiæ monasticæ locis certum sit illam linguam fuisse ipsis vernaculam, atque idcircò eâ solâ vetus et novum Testamentum lectitâsse.

Quòd verò è græco facta sit, non minùs certum est quàm quòd à Græcis quidquid habent disciplinæ ecclesiasticæ acceperint, et solus, ut existimo, Ebnassalus, ut Coptitis gratularetur, asseruit *Marcum Evangelium suum copticè scripsisse:* id ex adjunctâ versione arabicâ certissimum est, quæ ubique Septuaginta virorum translationem exprimit, nec ulla, quòd ex aliâ linguâ facta sit, præbet indicia. Quòd si quis Athanasium Kircherum secutus, majorem ipsi, quàm volumus auctoritatem vindicare cupiat, non video quâ ratione id possit fieri, nisi eâ, quâ copticam linguam puram putam esse Pharaonicam probare aggressus est: ex Genæseos cap. 42, ubi Pharao dicitur vocâsse Josephum Psontonfanech, quam vocem puram ægyptiacam esse contendit, quæ significet, *vatem seu divinatorem futurorum;* sanè in Nomenclatore copto-arabico, quem in suæ sententiæ testimonium adducit, nihil tale reperitur, ut alibi diximus, ubi de linguâ copticâ. Ut verò hanc vocem puram esse copticam asserat, lectori suadet ut adeat 70 Interpretum translationem, quam ità sanè congruam cum copticâ reperiet, ut in nullo ab eâ differre videatur: *Et vocavit nomen Joseph Psontonfanech* ψοντομφανηχ. Verè omninò à Kirchero summa dicitur esse hoc loco codicis græci cum coptico concordia, quanta scilicet esse potest archetypi cum interpretatione; sed quis, amabo, probabit, à copticis interpretibus è codice græco hanc vocem non esse depromptam, cùm iidem omninò sint utriusque linguæ characteres, et, ut diximus, isthæc coptica versio græcam omninò referat; et nemo diffiteri possit Septuaginta virùm versionem omnibus copticis esse longè vetustio-

rem? In eâ verò sum sententiâ, *Psontonfanech* meras esse voces hebraicè scriptas *Saphnat Phaneach*, ut alibi probatur, quæ in versione copticâ habentur non aliâ planè ratione, quàm in versione arabicâ Harethi, filii Sinani, syriacâ et aliis.

In codicibus manuscriptis versionum copticarum solet ut plurimùm ad oram contextûs coptici adjungi arabica ejusdem ad verbum interpretatio, quod non in biblicis modò libris, sed aliis plerùmque fieri solet, cùm ab annis plusquàm octingentis, summâ Coptitæ patrii sermonis imperitiâ teneantur; id duplici potissimùm causâ solet fieri, prima, ut indè habeant sacerdotes et reliqui facilem ad copticum textum quasi manuductionem; altera, ut ejus interpretationis beneficio, possint lectiones è Scripturâ petitæ, populo linguâ vernaculâ explicari : ut enim ad Missam Basilii diximus, in omnibus officiis primò copticè, tùm arabicè lectiones recitantur. Eam interpretationem arabicam, aliquot locis, qui cum græco virûm septuaginta composuerit, manifestò ex eo factam deprehendet, ut fecimus; quia verò apud interpretes illos major erat, procul dubio, quàm apud nuperos philologos hujus linguæ cognitio, ità securiùs existimo ex illorum, quàm ex horum sententiâ, de eâ pronuntiari.

Coptica versio videtur antiquissima, hoc est, primis Ecclesiæ temporibus facta; arabica verò circà octavum et nonum seculum quo veteris linguæ peritia prorsùs apud plebem intercidit.

Edidit Kircherus in Prodromo coptico catalogum librorum qui copticè exstant in bibliothecâ Pontificiâ, inter quos Pentateuchum, Psalmos et novum Testamentum recenset; hi verò sunt, quos vidimus, in bibliothecâ Regis Christianissimi.

Pentateuchus in amplissimo folio manu elegantissimâ descriptus ex antiquis codicibus, quem ait in fine scriptor cum iisdem comparâsse et contulisse, scriptus est anno Martyrum 1076 annis circiter quadraginta antè illum quem ait Kircherus exstare in Vaticanâ bibliothecâ; tantus verò est characteris nitor, tanta antiquarii cura, ut major esse non possit. Addita est versio arabica Psalmorum libri; multa exstant exemplaria, inter quæ unum est antiquissimum, eleganter omninò scriptum in chartâ vitulinâ amplissimâ, litteris uncialibus, quales in titulis librorum occurrunt : nullam habet versionem arabicam. Cætera exemplaria eam solent exhibere cum Doxis, seu *Gloria Patri*, καθίσματα, et nonnunquàm orationibus ad B. Virginem.

Quatuor Evangelia in amplissimâ chartâ, sed vitulinâ, cum variis figuris et imaginibus initio capitum, litteris majusculis initio capitum auro formatis, commatum et distinctionum loco aureis flosculis, divisa; carent etiam arabicâ versione : scriptus est liber, antè annos sexcentos à quodam episcopo Damietensi. Adjuncti sunt numeri, et characteres concordiæ evangelicæ ad canones Ammonianos accommodati. Exstant etiam duo alia antiqua Evangeliorum exemplaria cum arabicâ versione. Liber Actuum eximiè scriptus copticè et arabicè; Epistolæ Pauli quatuordecim uno volumine, et alio Catholicæ; quæ omnia exstant in bibliothecâ Regis Christianissimi, ut alia ejus generis in ditissimâ Petri Seguieri, quondàm cancellarii, et aliis privatis.

Libri, tàm historici, quàm prophetici, non ità obvii sunt; exstant tamen apud Coptitas utrâque linguâ, cùm ex ipsis statis temporibus lectiones in Ecclesiâ fieri solitæ desumantur.

De arabicis.

Arabicæ versiones longè plurimæ apud Orientales reperiuntur; nam præter judaicas et samariticas, de quibus suprà diximus, et eas, quæ à Coptitis factæ sunt, adjectæque suis copticis, suas habent Melchitæ, suas Nestoriani et Jacobitæ, quarum nonnullæ è syriaco, aliæ è græco textu videndur esse factæ. E syriaco quidem apud Syros, tàm Jacobitas, quàm Nestorianos et Maronitas prodierunt aliquæ eâ occasione, quæ, ut ex copticis aliquæ fierent, causam præbuit, nempè ob imperitiam linguæ syriacæ. Hæc cùm, vulgò penitùs ignota, à sacerdotibus ut plurimùm mediocriter intelligatur, necesse fuit, ut ubi sacra syriacè fiebant, ibi linguâ vulgari, nempè arabicâ, conscriberentur quæcumque ex ambone populo erant è Scripturis prælegenda. Ità factum, ut libri lectionum et Evangeliorum instituti sint, ubi syriacis arabicâ è regione respondebant; qui à multis seculis conservati ad nos usque pervenerunt, nec aliter à Melchitis illis factum est, qui græcè sacra faciunt, arabicè verò loquuntur, quibus versiones arabicæ, vel græco-barbaræ sunt destinatæ.

Sed, præter illas versiones, non est dubitandum, quin integræ totius veteris et novi Testamenti, à multis seculis fuerint elaboratæ, ex quo Muhamedanis rerum potitis, Ægyptii, Syri et Oriens universus victoris linguam addiscere coactus est. Primas existimamus fuisse, quæ à Coptitis factæ sunt;

priùs enim patriæ ipsorum litteræ obsoleverunt, quàm syriacæ et græcæ. Tùm ubi magnam partem Orientis Muhamedani armis subegerunt, hoc est, post annum 730, tunc videntur, præcipuè Christianorum causâ, novæ è græcis codicibus Scripturarum canonum et operum ecclesiasticorum versiones lucubratæ.

Edwardus Pocockius, arabicæ linguæ in Oxoniensi academiâ professor eximius, in eruditissimâ ad notas in Pentateuchum arabicum præfatione, scribit existimare se nullam Scripturæ versionem arabicam exstitisse antè annum quo scribebat Ismael Abubfeda, princeps Hamæ. Ait enim ille in recensendis nominibus judicum et principum hebræorum, vereri se ne minùs accuratè ea repræsentet, quòd tunc temporis nulla Scripturæ esset arabica interpretatio; curavisse igitur, ut ea sibi à viro hebraicè docto describerentur, quò hunc defectum suppleret. Sed, procul dubio, res non ità se habet; verùm eâ ratione mentem Abulfedæ existimo interpretandam, ut questus fuerit princeps eruditissimus, non habuisse tunc temporis versionem accuratè ad hebræum exemplar factam, ubi nomina ad amussim cum archetypo convenirent, non verò ut in versionibus quæ suo tempore terebantur, à Græcis, Syris aut etiam ipsis Hebræis, essent corrupta et interpolata. Exempli gratiâ, Abrahami nomen à Syris mutatum, qui dicunt Abrohom, ab Arabibus, qui scribunt Ibrahim. Ità Johanan, quæ vox significat Joannem, Græci interpolârunt, Arabes prorsùs immutârunt; scribunt enim et efferunt *Jahia*. Certum est Abulfedam, ut eruditione præcipuâ commendandum, ità maximè eâ curâ laudandum esse, quam adhibuit eximiam, in nominibus propriis, non hominum modò, in libris suis historicis, sed urbium etiam et locorum in opere geographico, ad rectam pronuntiationem revocandis. In tabulis enim laterculum rectæ nominum prolationi singulariter destinavit. Cùm ergò pari in scribendis Annalibus fide versaretur, maximam molestiam expertus in nominibus recensendis, tùm ob mutationem, quæ ipsis ab unâ linguâ in aliam traductis, occurrit, tùm ob vocalium absentiam, quæ nusquam iis vocibus affiguntur, questus est non exstitisse versionem ex primario fonte, undè certa nominum ratio constaret, non verò negavit ullam arabicè suo tempore exstitisse.

Si alia fuisset nobilissimi scriptoris sententia, multis modis refelleretur. Scribebat ille circà annum Hegiræ 721, Christi 1321, mortuusque est anno Hegiræ 746, Christi 1345, ut constat ex libro Alsakerdan, seu historiâ virorum illustrium. At antè annos quadringentos et ampliùs Abulferagius bibliothecam condidit librorum arabicè exstantium, tribus tomis constantem; in primo recenset libros sacræ Scripturæ, quorum indicem edit quâ ratione vocantur à Judæis, et nomina librorum hebraica apponit characteribus hebraicis; tùm sequenti sectione eorum exhibet catalogum qui arabicè apud Christianos conservantur, iis nominibus quæ vulgò in versionibus arabicis solent usurpari: indè certissimum est, jam ab illo tempore, hoc est, longè antè Abulfedam, Scripturæ libros arabicè fuisse conversos.

Nec etiam incognita esse potuit Abulfedæ R. Saadiæ Gheonis arabica interpretatio, facta antè annum 942, quo vulgò fertur diem obiisse Saadias, annis 400 antè denatum Abulfedam; sed nec erat ipsius proposito accommodata, ob nominum, ut diximus, deflexionem, vel etiam, ob vocalium absentiam, quas, ut patet ex geographico opere, summo studio investigabat, cùm absque illis in peregrinâ præsertim nomenclaturâ summa sit et ineluctabilis errandi necessitas. Diù etiam antè Abulfedam vixêre Severus, episcopus Ashmonin, Isa fil. Zaraæ, et alii quàm plurimi qui sacram Scripturam continuò laudant, et versione arabicâ utuntur, quam idcircò necesse fuit tunc temporis arabicè exstitisse. Christianis orientalibus incognitæ prorsùs eæ sunt interpretationes arabicæ, quas viri doctissimi, tùm Parisiis, tùm Londini ediderunt, si aliquas Prophetarum, et Psalmorum è veteri Testamento, novumque integrum excipias. Etenim Pentateuchi versione utuntur è græcis codicibus penè ad verbum factâ; aliâ, quæ ad judaicum exemplar facta est, carent omninò: multi exstant in Pentateuchum commentarii arabici, è Patribus, tùm græcis, tùm syris concinnati, qui omnes eam, quæ è græco facta est, versionem repræsentant, ut etiam vetustissimum lectionarium Jacobitarum, arabicè scriptum, in quo Genesis et Exodi maxima pars continetur. Versionis illius, è græco institutæ, quæ manibus Orientalium teritur, auctor est Hareth, fil. Sinani, filii Sanbath, ut in codicibus MSS. appellatur, quos tres numero et ætate diversos tractavimus. Eam indicavit clar. Pocockius valdè recentem, quæque annos centum circiter et 50 antiquitate non superet, esse etiam ex syriaco factam. Sed inter illos codices unum habemus, qui trecentorum an-

norum antiquitatem videtur excedere, in quo titulus Deuteronomii ità se habet: *Quintus liber è Lege, quo absolvitur liber, quique est liber Deuteronomii ex eo quòd transtulerunt Sapientes septuaginta duo ex hebræâ in græcam linguam, et illum interpretatus est linguâ arabicâ Hareth, fil. Sinani, filii Sanbath.* Libri lectio et cum græco codice collatio facta titulum confirmant; quòd si ait auctor in præfatione codicis Pocockiani, syriacâ se versione usum esse, non negamus eum securè potuisse illam in subsidium adhibere, sed quòd eam secutus exprimendam susceperit, auctoritate codicis antiquissimi ducti, non existimamus. Nec ea sola videtur exstitisse Pentateuchi à Christianis procurata interpretatio; nam multæ ut et cæterorum librorum variis temporibus exstiterunt, cùm ex theologorum orientalium scriptis deprehendatur, illos semper eâdem quam habemus veteris et novi Testamenti editione non uti; sed de iis, qui versiones sive è græco, sive è syriaco exemplari scripserunt, nihil eximiâ certitudine proditum nobis dicendum occurrit. De æthiopicis dicamus.

De æthiopicis.

Æthiopica Ecclesia duplicis temporis ratione spectatur: prima quidem, ex quo fides Christi suscepta est, sive à Matthæo apostolo, vel Philippo, vel Bartholomæo, ut ipsi volunt, seu fuerit à Frumentio, quem ipsi Fremonatos vocant, illic propagata; altera est, cùm ægyptiacæ exemplo, à quâ semper religionis formam accepit, Dioscori et Jacobitarum sententiam secuta est. Non dubitamus ab antiquis temporibus quæ schisma Dioscorianum antecesserunt, eos Scripturas habuisse suâ sibi linguâ expressas, sed quales fuerint versiones et à quibus procuratæ, ab hominum, non nostratium modò, sed indigenarum etiam memoriis est remotissimum, neque ullâ circà eas conjecturâ rem obscurissimam possumus assequi.

Deinceps verò, cùm, ut alibi diximus, patriarchæ alexandrino moris fuerit, ut metropolitam Æthiopiæ ex Ægypto monachis mitteret, non dubitamus quin deinceps Scripturas ab Alexandrinis acceperint. In martyrologio æthiopio: scribitur *Anba Salamam papam* (hoc est metropolitam) *Æthiopiæ, Scripturam esse interpretatum, ex arabicâ linguâ, in æthiopicam.* Malè omninò quidam Salamam cum Frumentio confundunt, cùm Frumentii tempore nulla Arabismi essent in Ægypto vestigia. Sed quis ille fuerit, aut quandò vixerit, nobis compertum non est. Quod si hujus martyrologii auctoritatem sequamur, necesse est ut Salamæ interpretatio è codicibus arabicis facta sit, quibus alexandrina Ecclesia utebatur, nempè è copticâ versione factis, et ità non esse magni momenti, minùs exactam et summâ negligentiâ factam; solet enim infeliciter agi cum interpretibus, qui non primævum exemplar, sed versiones, præsertìm ex aliis versionibus factas, exponendas suscipiunt.

Integrum Bibliorum exemplar æthiopicum habuit doctissimus Gaulminus, rarissimum sanè librum, cui similem hùc usque exstare ullibi non accepimus. Manuscriptos omnes in Sueciam miserat, reginæ librorum omnis generis amicissimæ acceptissimos, nisi tunc temporis purpuram deposuisset; jussit illa omnes ad Gaulminum summâ curâ remitti, quod factum fuisset, nisi in iis recensendis virum adhibuissent in re litterariâ non semel furti convictum, cujus nomini, quoniam adhuc vivit, parcimus. Ille præstantiores aliquot codices surripiens, alios non ullius pretii substituit, et ità reddita est Gaulmino libraria supellex; codex æthiopicus integerrimus et antiquissimus desideratus est, quo furto tantoporè affectus est Gaulminus, ut deinceps negaverit se usquàm codicem illum habuisse. Exstant in bibliothecâ Regis Christianissimi Pentateuchus, libri Regum, Josue et Judicum, æthiopicè Romæ descripti è codicibus æthiopicis bibliothecæ Vaticanæ; versio verò multis locis mutila et inepta eo tantùm nomine commendatur quòd præter illam alia nulla sit.

Psalterium æthiopicè editum est Romæ, anno 1513, cum Cantico canticorum et aliis canticis è veteri Testamento desumptis, operâ Jacobi Potkenii, præpositi coloniensis, qui paulò post illud idem græc , hebraicè et latinè edidit *in-folio.* Novum Testamentum, anno 1548 ibidem, impensis Petri Comos, æthiopicè editum est, characteribus elegantissimis, cum Liturgiâ et Benedictionibus. Quidam immeritò existimaverunt hanc versionem ab Æthiopibus Romæ è codice latino factam, eò quòd circà editionem Actuum exemplari destituti, testentur se latinam et græcam editiones in consilium adhibuisse: suadet enim hujus operis constitutio versionem illam antiquam esse ad exemplaria arabica factam, ut verisimile est, quæ concordiæ evangelicæ canones Eusebianos, ut solent Coptitarum codices, haberet adjunctos. Nihil prætereà æthiopicæ versionis exstare comperimus.

De persicis.

Persica Pentateuchi versio, ut suprà dictum

est, Judæum habet auctorem, ut aliæ librorum aliquot veteris Testamenti, neque ulla quod sciam, exstat à Christianis facta, cujus defectûs ratio est quòd Persæ christiani plerùmque arabicè sciunt et legunt vetus Testamentùm, tùm quòd nullibi sacra fiunt persicâ, sed armenicâ linguâ, quam omnes intelligunt, cùm Jaffæ, Haleppi et aliis locis pueri ferè bilingues aut trilingues evadant, adeò ut arabicè, persicè et armenicè noverint.

Exstant Evangelia quatuor, ex duplici versione, quarum unam Whelocus edidit, alteram Valtonus in Bibliis Polyglottis; tertiam hic habemus MS. elegantissimam; quæ omnes è syriacâ versione videntur profluxisse, ut utriusque linguæ peritus ex unius aut alterius pagellæ comparatione statim intelliget. Armenica versio veteris et novi Testamenti nuperab eruditissimo et piissimo archiepiscopo, Uscamo in Batavià edita est, in quâ, præter summum typorum nitorem, hujus linguæ prorsùs rudi mihi nihil licuit animadvertere.

DE LIBRORUM SACRORUM ANTIQUITATE ET AUTHENTIA,

Renaldoti Dissertatio.

Cuncta sanè mysteria religionis quæ, divo Augustino auctore, veri Dei verus est cultus, fundamenta sacros habent veteris novique Testamenti libros, qui quidem comprehendunt conditi historiam mundi, populi mysterioso omninò cultu Deo addicti electionem, prophetias, miracula, et, quæ omnem valdè superant antiquitatem, traditiones. Hinc veteres sapientiam philosophi usurpaverunt; hinc suas legislatores inclytissimi deprompserunt leges; hinc suas clarissimi historici magnificaverunt narrationes; hinc emanat illa eloquentiæ majestas, quâ sese divinum prodit eloquium, et cui subest humanum ingenium, quemadmodùm viri antiquitatis eloquentissimi confessi sunt. Quorum semper fuit sacrorum librorum maxima auctoritas, non solùm apud Judæos atque Christianos, verùm etiam ipsos inter ethnicos; et si eam labefactare inter populos, post prædicatum Evangelium, conati sunt Porphyrus, Celsus perpaucique alii philosophi, tantùm abest ut per secula anteacta res ità se haberet. Nihil mirandum tamen si homines, imbuti vanâ profanarum rerum scientiâ, vitamque degentes apud nationes quibus idololatria fabulosique errores pastum et facilem doctrinam commodaverant, istos oppugnaverint libros, qui vetera commenta evertebant, qui illorum tenebras illustrabant, atque quodam modo vim rationi faciebant, ut christianam ab apostolis annunciatam religionem amplecteretur. Quàm magis id stupendum quòd, jam fide tot miraculis comprobatâ, tot martyrum sanguine confirmatâ, totumque latè orbem tenente, quidam fuerint libidinosi, qui, quanquàm probatione omnique disciplinâ nudi, fidei nostræ fundamenta diruere tentaverint, dùm sacrorum librorum auctoritatem in dubium vocant, ac imbecilles animos irretiunt, deridicula connectendo argumenta, quæ, in his rebus, factorum demonstrationi succumbunt.

Habitâ præsertìm ejusmodi licentiæ, hâc nostrâ ætate tàm infaustè vulgaris, occasione, operæ pretium erit illam materiam dilucidare, atque inconcussis argumentis auctoritatem sacræ Scripturæ confirmare, expendendo simul critices sacræ præcipuas difficultates, quantùm exigit institutio hominum quibus his peculiaribus studiis incumbere non est concessum.

Prior quidem sacrorum librorum auctoritatis ratio ex illorum antiquitate mihi videtur elicienda. Certum est summoperè, vel ipsâ detractorum confessione, hactenùs nullum exstitisse librum, quem non multis seculis libri prægrediantur Mosaici. Antiquissima rerum græcarum monumenta, si ætatem Cadmi, qui in ultimis Josue annis fuit, attingant, frustrà altiùs volueris inquirere. Quæ tamen cæremoniæ potiùs sunt reputandæ ut promiscuæ confusisque fabulis conflatæ traditiones, quàm ut vera connexaque historia, judaicarum instar narrationum.

Quam ipsi etiam Græci ignorantiam confitebantur, et valdè sinceram rei fecit rationem Plato, cùm narrat Soloni ægyptium sacerdotem dixisse, pueritiam agere Græcos, qui antiquitatis nullam haberent notitiam. Peritissi-

mi itaque historici, talem ut supplerent defectum, Tyrorum, Phœnicum Ægyptiorumque ab historiis facta petierunt; et hàc sanè Græcorum ignorantiâ, Sanchoniatonis, Philonis Biblici, Berosii et quorumdam aliorum fama usque eò aucta est. Attamen si istos auctores, quantùm licet ex fragmentis quæ supersunt operum, conferre voluerimus cum Mosis, Judicum Regumque libris, facili manifestum fiet studio illos quàm recentissimos præ sacris historicis esse; illos quoque divinas litteras imperfectè transcribentes deprehendemus, et si quid laude dignum ipsi chartis commiserint, illud semper ex fonte sacro haustum quasi denuntiatur. Mendacium autem et impostura, quidquid huic divino archetypo non consentit.

Citatis horum auctorum locis, Porphyrus olim tentavit majorem, quàm præ se ferunt scriptores sacri, auctoritatem illis vindicare; at cùm exemplar mancum à perfecto autographo dignoscere sit facile, ejus opus argumento est adversùs istud quod proposuerat, quia, cui innotescit quod servavit in suis libris Eusebius Cæsariensis, haud arduum erit animadvertere omnes à Bibliis extractas fuisse illas antiquitates, veluti, in libris adversùs Apion, Josephus jam demonstraverat. Sic ergò magnoperè constat recentissimam esse græcam antiquitatem, ac multis seculis sacræ Scripturæ cedere. Idem dicendum de veteribus poetis, Orpheo, Homero et Hesiode, quos gentilitatis theologos jure nominavero. Sive enim versus, quos vulgò nomine illustrat, primus horum composuerit, sive Mediæ Ætatis auctores falso titulo scripserint, tàm manifestis argumentis ex Scripturâ sacrâ depromptos sese ostendunt, ut ne minimo quidem locus sit dubio. Homeri poemata ultrà tempora Salomonis, cujus coævus vulgò princeps poetarum habetur, non proferuntur. Eàdem propemodùm ætate exstitit Hesiodes, cujus doctrina divinas litteras tot in rebus usurpavit, ut illi hunc fontem notum fuisse negare impossibile sit. Sed hoc in hisce rebus maximè animadvertendum, omnes scilicet inter gentiles doctos confiteri nihil in historiâ græcâ certum antè Olympiadum æva, hoc est antè conditam Romam, antecedentiaque simul tempora fuisse quoddam tenebrarum ac ignorantiæ chaos. Namque omissâ Varronis, Plutarchi et aliorum quorumdam scriptorum auctoritate, satis est, ut hoc demonstretur propositum, si evidenter indicetur veteres, de epochis anterioribus, veluti de Trojanâ urbe captâ, de Homeri ætate, de principum Græciæ urbium fundatione, nunquàm consensisse. Accedit etiam quòd patriarchæ ætate superant Paganorum numina, et quòd quæcumque de iis in poetis leguntur meræ sunt permistiones promiscuè confusis commentis conflatæ, quæ ne ipsi quidem istorum cultores vera crediderunt.

Altiùs tamen descendere certum est chaldaicas et assyrias antiquitates, sicuti etiam ægyptiacas, quibus adjungantur necesse est sinensia et indica monumenta, quæ Græci planè ignoravêre. Pro comperto habere est Assyriorum imperium cætera de quibus historia mentionem attulit antiquitate vincere; at Belus, quem primum Babyloniâ regnavisse memorant omnes græci latinique scriptores, cùm sit aut ipse Nembrod, aut saltem unus ex ipsius posteris, hæc reipsà antiquitas diluviana tempora non antecedit, et sacræ idcircò historiæ monumentis recentior est ad minimum 1650 annis. Cùm autem constat hujus ineuntis imperii nullam ferè notitiam ad auctores profanos pervenisse, nullo testimonium perhibente libro, quod isti memorant quis cum Mosaicis libris comparare auderet? Berosius, Abydenas, Sanchoniatonus cæterique, quorum de illo imperio scripta viguerunt, Græci, ex sacris litteris documenta desumpserant, fragmentaque operum servata haud dubio illam confirmant argumento. Quod verò isti memorant circà harum regionum aut Ægypti veteres principatus, vel inter fabulas rejiciendum est, vel evidentissimè eminet diluvianâ ætate posterius. Ità porrò est de eâ regum serie, quam *Prisdadianorum* vocant Persæ, primo inter illos apposito Adamo, cui nomen Cayumarath attribuunt. Emirus Condius, qui inter eos princeps historicorum habetur, hunc primum regem ipse palàm declarat primum generis humani parentem. Sinensibus verò, ut affirmant sagacissimi qui de illorum rebus scripserunt auctores, non sunt alicujus auctoritatis monumenta majori ætate, quàm Jobi historia, quæ quidem ipsa post diluvium venit. Antiquæ Babyloniorum Observationes, quas venditabant quasi plurimis annorum millibus senescentes, vix æræ Nabonassaris sunt congenitæ, id est circiter anno 747 antè Christum natum. Hos annorum numeros si conferri placeat cum divinæ Scripturæ historiâ, hæc perfacilè cuivis multò antiquissima apparebit, simulque habebitur fons undè manant cunctæ sinceræ temporum anteactorum cognitiones.

His ità confirmatis, expendendum an ad nos pervenerint hi libri, quorum procul dubio auctor Moses exstitit, nisi testimonia repudien-

tur omnium veterum, qui illum legislatorem Judæorum, auctoremque legum quas ii observabant, haud semel commemoraverunt. Nemo sanus in dubium vertit an vir quidam nomine Mosis exstiterit, quemadmodùm procul dubio exstitit vir quidam nomine Romulus. Res explorata est pariter hunc virum cuidam populo leges constituisse, cùm tribus abhinc millibus annis et ultrà populus ille existat, cùm diù legum illarum cultor vixerit, cùm adhuc nostro ævo observet illas, cùmque hujus legislatoris memoria, sine ullâ traditionis intermissione, à majoribus pervenerit ad nepotes. Cujus legis veritatem nemo unquàm vocavit in controversiam; illam populus iste nunc etiam reveretur, atque unà cum Christianis consentit eamdem esse quæ majoribus tradita fuit. Altiori antiquitate nullus toto in orbe liber exstat. Hinc igitur necessariò concludendum ipsum esse eumdem, et idcircò illius auctorem Mosem fuisse, cùm ipsa lex, quam populo suo Moses constituit, planè eadem sit quam præ se ferunt Judæi.

Haud minori argumentorum auctoritate demonstraretur à nullo quovis alio, quàm à Mose hanc legem constitui potuisse. Duæ etenim in hisce sacris libris sunt partes: Judæi scilicet populi historia et leges. Commentitia non potest dici historia, nisi proferatur quævis alia aut antiquior aut certior, quæ nostræ mendacii notam inferat, quod, ut superiùs dictum, est impossibile. Integra quoque legibus certitudo inest, neque illas licet reputare veluti fictos ingenii ludos. Ut enim facilè cuique compertum est nihil aliud quàm meram theoriticem fuisse semper leges Platonis, cùm nullum civitatis illas leges observantis reperiatur monumentum, sic haud difficiliùs certâ ratione judaicæ leges probabuntur, cùm ex communi rerum documento constet Judæos, ex captivitatis temporibus, consentaneam cum legibus Mosaicis vitam egisse, et ipsâ nostrâ ætate in illis observandis perstitisse. Has inter leges quædam inclarescunt præcepta, quæ nobis viam faciunt ad illustria facta, quemadmodùm Paschæ præcepta, ad servandam mirandi ex Ægypto exitûs memoriam. Quæ quidem lex, sublatâ hujus historiæ sinceritate, vana foret cæremonia facilèque multis cum aliis sacrificiis commiscenda.

Illud igitur confiteri necesse est, Israelitas scilicet servitute ægyptiacâ exemptos fuisse, quod ipsi profani confirmant scriptores, discesumque non modò certum esse, verùm etiam nclytum miraculo, cùm populus dies festos ad miraculi memoriam revocantes ageret, per quos prætereà, ex legis mandato, omnis fermè sermo erat de prodigiis quæ ad finiendam servitutem patraverat Deus. Sic primùm huic miraculo tot fuêre testes, quot primam Pascham celebraverunt Israelitæ, hoc est sexcentos hominum millia, feminis puerisque non numeratis. Rei ad monumentum, composuit Moses canticum, quod filiorum memoriæ ab Israelitis traditum voluit. Cæremonia servatur, canticum tribus abhinc millibus annorum cantatur, nec in tantâ multitudine quisquam adversùs Mosem audet insurgere. Constat ideò esse certissimum miraculum, veracissimum Mosis testimonium, quia miraculi memoria, canticum, festivitatisque præceptum in ipso leguntur libro, qui ad nos pervenit per nepotes illorum qui testes illarum rerum oculati fuerant, quique domesticâ traditione quæcumque in hoc continentur libro veracissima tenebant. Cæterùm ne in controversiam quidem unquàm venit illa veritas, nedùm labefactata ab istâ Israelitarum ingenti turbâ, quæ tàm sæpè contrà Mosem rebellavit.

Par argumentum desumere licet à circumcisione, quæ nondùm conditâ lege initium habuerat. Velut Judæi, circumcidebantur, Hesiode auctore, Arabes aliique quidam populi; ægyptios apud sacerdotes mos et idem vigebat. Cujus consuetudinis originem nullus inter profanos historicos uno vel verbo declarat; illorum cæterùm rejiciendum esset testimonium, cùm, ut est superiùs dictum, nullus exstet majori quàm Moses antiquitate. Quævis circumcisa gens originem ducit ab Abrahamo, qui talem eas docuit morem; at dùm religione populum Dei non contingerent, inter illas periit traditio, et solummodò superfuit in sacris litteris, quæ nos hujus cæremoniæ originem docent. In hoc fides hærere non potest quòd quidam nomine Abrahamus exstiterit, namque ipsi Pagani auctores illum, quâdam tamen notitiæ obscuritate, cognoverunt. Cujus posteri indicantur exteriori notâ circumcisionis quæ cur exstiterit, profanâ obmutescente historiâ, rationem assignat sacra Historia. Constitutâ facti veritate, nullo modo in dubium potest venire mysterium, cùm perpetuâ hic sacer ritus observatione ab illius Patriarchæ progenie accuratè retentus est, cum fœdere simul ipso, quod hæc circumcisio indicabat, simulque cum veri Dei cultu, ab omni prorsùs alieno idololatriâ: non sic porrò apud cæteros, qui, signo servato, ipsum fœdus, dùm ad falsa numina confugerent, abjecerant miserè. Idem ingenti cum numero populus, dùm ex Ægypto recedit, in eodem fœdere, in cultu veri Dei quem ado-

raverat Abrahamus, semper stat. Ille igitur populus patrem habuit Abrahamum, et quia uni peculiariter Deo Abrahami servit, quia tùm à cæteris gentibus discernitur circumcisione, tùm à filiis, qui fœdus dimiserant, Dei cultu; cùm hæc omnia antè Mosem fuerint, hæc finxisse necesse est careat ille suspicione, et hæc quæcumque sint certam sinceritatis notam præ se ferant. Quod igitur Moses scripsit de Dei cum Abrahamo fœdere, circumcisionis notâ insuper confirmato, indubitanter erat traditio penès sexcenta millia hominum vulgaris, Mosis ætate longè antiquior, quæque, cùm in republicâ solâ cultui veri numinis addictâ vigeret, quasi quâdam inconcussâ argumentatione certitudinem conciliat illius fœderis oricujus quidem fœderis ratio nulla, nisi quam sacræ indicant litteræ.

Itaque, cùm historica sanctorum librorum traditio majori quàm auctor ipse antiquitate potiatur, eùmque plurimis recentior seculis sit profana quævis historia, id superest ut attendamus quibus firmior adhibenda fides, vel Mosi, qui facta universo populo notâ refert, qui eadem, cum his omnibus veritatis adjunctis quæ requirit historia, ubique recitat, vel istis Græcis tot seculis posterioribus, qui ne ea quidem ausi sunt infirmare, satis habentes fabulis puerilibusque nugis depravare. Quis fidem potiùs habeat ethnicorum mythologiæ, quàm illius veteris, qui tot et tantis argumentis dicta confirmat, auctoritati credat? Jovisne adulteria, deorum certamina, et quæcumque sint metamorphoseon ineptiæ, magis digna fide quàm divinæ Scripturæ miracula? an mundi conditio, prout narrat Moses, magis à ratione abhorret, quàm veterum philosophorum opiniones? His aut illi tamen credamus necesse est. Haud me fugit aliquot esse depravatos qui novas afferant, quas ignoravit antiquitas, hypotheses; illis autem qui saltem Deum existere credunt, non persuadebunt homines per sex annorum millia planè erravisse, illamque, ex quâ nostra æterna felicitas vel infelicitas pendet, rerum notitiam contineri in hisce duobus vel tribus cerebris, quæ in istis constituendis principiis nunquàm consentient. Verùm autem, si vel unum miraculum manifestâ ratione probabitur, cùm dextera Dei non riguerit, cùmque ejus potentiæ non sit finis, illud in rem veniet, quòd tot edere miracula potuerit, quot divinæ prudentiæ libuerit.

Argumentando jam demonstravimus tàm firmis stabilitum fuisse prodigiosum ex Ægypto discessum, ut nullo modo concuti queat, eò quòd in hoc uno fundamento positam atque existentem duobus abhinc millibus annorum religionem videamus, quæ purissimâ excellit doctrinâ, quâ unâ universam paganorum sapientiam frangere possis. Magis porrò stupendum miraculum dixeris, si consideraveris in minimo terræ angulo tàm sanctas constitutas fuisse leges, ut illis nihil, nisi maris Rubri transitum, potuerit addere humana sapientia. Providentiæ procul dubio injuriam ille infert qui cuidam impostori transfugorumque exercitui illud attribuit, quod nunquàm sagacissima Græciæ ingenia assecuti sunt, quod constituere nunquàm potuerunt respublicæ præstantissimæ, quodque opus omninò divinum palàm manifestum denuntiat.

Ut verò cumulatè librorum sacrorum auctoritas confirmetur, abundabit evidentia, si quis attendat ex illo divino fonte defluere quidquid apud veteres maximè mysteriis mistum fuit, et gentilitias etiam fabulas divinæ Scripturæ plurimo esse argumento. Nemo nescit quantùm à Pythagoricis septenario numero mysterium fuerit attributum; at quantâcumque curâ profanæ antiquitati studueris, non alia reperienda tibi erit hujus mysterii ratio, quàm attributa septimo diei benedictio, undè ab universis celebratur gentibus, propriamque dignitatem et quasi quamdam sanctimoniam obtinuit, Hesiode auctore. Promethei historia incondita est fabula, à narratione sacrâ de mundi conditione, parùm dextrè deducta. Qui in malum induxit Evam serpens, memoriter apparet in Eleusianis mysteriis atque in bacchanalibus, solaque conclamatio *Evoe* vel *evan* evidenter id declarat. Homines quondàm plurima secula attigisse vivendo omnes græci historici narrant, quod profectò ab Hebræis relatum tenebant, nullum enim ex propriâ suâ desumptum historiâ exemplum producunt, utpotè recentiori quàm fuisset vitæ hominum diminutio. Quid aliud dices de hâc gigantum fabulâ, qui cœlum oppugnare tentârunt, quàm si Babelis turris historiam à gentilibus corruptam credas? Haud secùs ac Moses, Berosius apud Josephum diluvianam historiam retulit. Ex eodem Mose quidquid Græci de Ducalioncâ eluvione narrant commentitium. Neque solùm apud Græcos Latinosque hujus universi orbis nostri inundationis memoria fuit servata; in hisce etiam ultimis temporibus apud Americæ populos quàm maximè barbaros deprehensa est validissimè consecrata. Apud multos reperire est auctores tùm arcam, tùm columbam, tùm denique omnia Noemi historiæ

adjuncta. Inter Noemi filios partitio universi orbis cum antiquissimis consentit originibus populorum, quorum prætereà sacri libri adeò apertè nomina declarant, ut, si græcè terminales syllabas sustulerimus, ad idem propèsonabunt. Abrahami historiam, ut patet ex Berosii, Abydeni et aliquot aliorum fragmentis, Pagani cognovêre. Cujus autem rei confirmandæ veritati plurimùm valet Damasceni auctoritas Nicolai, qui refert Abrahamum, cùm regnavisset primò Damascæ, in Judæam cum exercitu transivisse. Sodomæ eversio, cœlestibus flammis immissis, ut antiqua vulgarisque traditio à Strabone, Diodore Siculo, Plinio, Solino, Tacito aliisque permultis citatur. Quod de Niobe fertur fabula est ex historiâ Lothi uxoris miserè detorta. Iste ægyptius Serapis modio instructus, illam quam patriarcha Josephus depulit famem, confusâ traditione revocat ad memoriam. Sed ne diutiùs nos detineat hæc disceptatio, de quâ jam plurimi tractavêre; satis erit affirmare ex Mosaicis libris et fabulas, et theologiam, et ipsam veterum philosophiam, derivatas omninò fuisse. Sic porrò omnes gentilitiæ antiquitates his firmissimis nos juvant argumentis ut, præ cæteris prophanis, excellentissimas extollamus divinas litteras.

Qui veteris Testamenti libri linguâ conscripti sunt hebraicâ, longè omnium linguarum antiquissimâ, et quæ plurimis antè Christum seculis desierat esse vernacula. A providentiâ divinâ salus huic infideli genti, apud quam olim numen oracula deposuit, propter illud tantùm servata videtur, ut testis atque lapis quasi tabellarius sit illorum librorum, qui duobus abhinc millibus annorum suppositi fuisse extrà dubium versantur, cùm illa rara societas, quam ista gens cum populis junxit, et illa religiosa reverentia, quam adhibet in hisce servandis Bibliis, hæc ipsa Biblia ab omni depravationis suspicione defendant. Itaque si rem à captivitatis fine repetiverimus, constabit illos, quales nunc habemus libros, jam tùm in manibus esse Judæorum, nec quemquam fuisse sive inter eos, sive inter gentiles, qui hæc Biblia suppositionis arguerit. Quin imò, in hoc omnes semper consenserunt, illa esse antiquissimi et ab omni alienigeno consortio abhorrentis populi tabellaria atque historiam certissimam. Eosdem quos tot abhinc annis Judæi servant, nos et possidemus libros, et exceptis, quæ inter archetypa et versiones antiquas, differentiis iidem sunt prorsùs et absolutè, et illis qui, ex hâc disputatione occasione captâ, Ecclesiæ traditionem diruêre tentant, incumbit opus, ut judaicam traditionem evertant, cui ipsi pepercêre Pagani, quamvis fabulosis erroribus contradiceret, et cunctis invisa valdè foret populis hebræa gens. Quandocumquè tamen huic traditioni contradixerint, Mosem legislatorem illius auctorem nunquàm denegârunt. Ipsâ negatione, si volueris, suppositâ, quî numerosi, latèque per universum orbem dispersi testimonium revincere potuissent populi, qui ab omni antiquitate observabat hoc libro fundatam religionem, quam prætereà monumentis magis antiquis labefactare nequibant, cùm præ illâ recentissima foret græca historia? namque antè præcipuam antiquissimamque Græcorum epocham, hoc est 28 olympiadem Iphiti, græcæque primam chronologiæ, quia antecedentia tempora à Romanorum doctissimo fabulosa dicuntur, jam tùm hâc linguâ utebatur hebræa gens, his regebatur respublica legibus, et jam, post discessum ex Ægypto, 715 annum agebat, fidem faciente accuratissimâ et adjunctorum veritate certissimâ historiâ quæ fuerit unquàm. Quemadmodùm igitur res ætatum antè Mosem nihil habent dubitationis, sic sequentium seculorum historia nulli dat locum dubio, cùm iidem testes, id est idem populus et deinceps eadem quasi familia, quodam præcipuo et evidenti signo, veri scilicet Dei cultu, ab aliis distinguatur, cùmque penès nos sint iidem libri, quos antè Christum à Mose scriptos Judæi agnoscebant. An verò iidem sint hi libri, qui, ætate regum veterum exemplaria sacra habebantur, omnis tolletur dubii causa, si attenderimus illos antiquiori, quàm omnis gentilitia antiquitas, traditione protegi.

Qui contrà illam rerum veritatem enituntur nobis præcipuè illud objiciunt, quòd usque adeò Esdras divæ Scripturæ libros restituerit, ut illos potiùs composuisse quàm secundùm antiqua exemplaria restauravisse et emendâsse videatur. Cui opinioni nullum prætendunt fulcrum neque sacræ litteræ, neque judaica traditio, quæ Mosem confirmat librorum legis auctorem, aliquot exceptis versibus, quos adjecit Josue in ultimis Deuteronomii mortem ejus memorans. Apud congregatos post reditum è captivitate Israelitas Esdras multos per menses dicitur recitavisse Mosis legem, cujus penè obliti fuerant, et legendo illos ad Dei cultum, prout constitutus fuerat à Mose, revocavisse. Ità, cùm benè de gente suâ meritus fuisset, alter quasi legislator habitus est. Hebraicos quoque characteres ille mutavit, et

in libris sacris litteras substituit assyriacas quæ in usum per captivitatem venerant, undè quâdam verborum amplificatione dixerunt Judæi legem bis fuisse datam, primò à Mose hebraicis litteris, secundò ab Esdrâ assyriacis litteris. Hoc uno inititur fundamento irreligiosorum opinio, cui infirmandæ multa opponerentur argumenta. Illa ut evertatur si satis non est universorum Judæorum testimonium, quid erit si tùm Legis, tùm Regum libri non modò scribendi genere, sed etiam et linguâ, discrepent ab Esdrâ? Supponendum ergò esset aut Esdram solum, aut solos, qui nomine vocantur magnæ Synagogæ, sacros libros effingere, vel etiam corrumpere potuisse; quin etiam, necesse erat omnia, quibus impostura certò enudata fuisset, exemplaria librorum tenuissent. Nùm præterea nemini potestas fuisset aut voluntas fraudem denuntiandi Israelitis?

Manifestè impossibilia hæc omnia veniunt : res est suprà omne studium posita veteris imitatio styli, cùm præsertim lingua desiit esse vernacula, nisi exstent libri quibus ad hoc scribendi genus attingas. Multis patet exemplis plerasque Bibliorum suppositas partes à criticis recognitas fuisse; et si Judæos habuisse libros concedatur, meritò illos fuisse vera exemplaria quisque credet. Nam, si quâ impulsi causâ, Judæi assensu suo novam suppositam legem comprobaverunt, quod animo repugnat ut impossibile, ea causa fuit, ut lex indulgentior effingeretur, simulque abrogarentur quædam præsertim mandata, quibus, ex temporum rerumque circumstantiis, durissimum erat obtemperare. Tale, verbi gratiâ, illud erat, de uxoribus alienigenis dimittendis, quod tamen Esdras summo cum jure exsequendum curavit. Quo pacto Israelitæ sese dedissent in cujusdam arbitratum hominis, qui, ex propriâ libidine, difficillimas proposuit leges, nisi traditionis efficaciâ, ejus legis memoria, servataque sine intermissione Mosis auctoritas interfuisset? Quo quispiam privatus jure à singulis tribubus divulsisset illos, qui cum monumentis domûs originem invocare potuissent, nisi, quæ in Bibliis hisce sacris continebantur, tabellaria certâ auctoritate sancita fuissent? Quomodò, auditâ primùm horum Bibliorum lectione, adeò delictorum illos pœnituisset, adeòque alacriter et perfectè vitam velut in Esdrâ memoratur, reformavissent, nisi, quæ audierant, quamvis impressa confusè, in animo insedissent hujus ingentis populi, ac præsertim eorum qui temporum captivitati præcedentium recordabantur? cur etiam illæ in reædificando templo observatæ mensuræ? cur in vasis sacrisque restituendis ornamentis eadem cura adhibita, nisi certissimum fuisset eadem hæc olim ità prorsùs observata esse, et hæc quæque singulatim, prout latè in sacrâ Scripturâ notantur, divinâ revelatione fuisse indicta? Recens autem auctor quidam, cujus commentarii in sanctam Scripturam suppressi fuerunt, quique tamen apud doctos famam usurpavit, novam, quæ pariter divinorum librorum auctoritatem evertit, hypothesim proposuit. Supponit ille à Mosis temporibus propheticam scholam exstitisse, quæ primò septuaginta senibus constans, accepit deindè qui magno consilio vel Synedrino intererant, adjunctis prophetis virisque inter Israelitas clarissimis. Illi insuper, nostro auctore teste, rerum sacrarum arbitri erant et interpretes; divinos libros curaverant colligendos, authenticos proclamaverant, atque sic apud populum illorum auctoritatem condiderant. Moses, verbi gratiâ, leges instituit, anteacta facta retulit, ætatisque suæ historiam narravit; at fortassè ab his publicis conscripta est quoque scribis, qui, quæ visa sint necessaria, addiderint, ponderatisque rationibus, quas tanti momenti res exigit, Mosis libros vocaverint, quia de Mose præcipuè agitur, Samuelis libros, quia de illius prophetæ historiâ omnis ferè versus refert, et ità de cæteris. Hoc systema, valdè commendabile inter eos qui sacrorum librorum auctoritatem tollere conantur, multis difficultatibus confertur, neque, ut demonstrabitur, in certamine adversùs divinas litteras stare potest. Namque si eâ quam nunc formam præfert, Scriptura sacra constituta fuerit ab istâ hominum congregatione, quæ, ut historiam scriberet omninò divinitùs prodigiosam, ideòque supernaturali indigentem auctoritate, mandatum non habuerat, non illi est major debita fides, quàm cæteris historiis, quàm quantùm scilicet neque aliis historiis neque rationi adversetur. Quâ hypothesi admissâ, nec jam sacer liber est, cui, propriâ depositâ ratione, credendum sit, nec jam magis numinis afflatu editus quàm philosophorum sententiæ, et ea, ut dixit ætatis nostræ auctor, quæ vera et utilia in antiquitate profanâ occurrunt. Constat porrò tali propheticam scholam carere mandato, cùm de re nullus nos certiores Scripturæ sacræ locus facit; et prætereà non sine causâ mihi notandum videtur, hanc scholam non sibi hoc mandatum attribuisse, quod profectò, si commissum fuisset reipsà, manifestè prætendisset, reique aliquod monumentum in illis

apposuisset libris, quos ab illâ compositos novus commentator supponit. Scriptum habent hi libri Deum cum Mose fuisse locutum, et quidem cum illo locutum, non, sicut cum aliis prophetis, somniis, parabolisque ænigmate arduis, sed planè coràm, obversâ fronte, velut amicus cum amico loquitur. Ex hoc ipso libro quem ab istis compositum affirmant, depromptum est tale testimonium. Ibi etiam illæ adversùs Mosem narrantur seditiones, quibus ii, quos collegii prophetici socios meritò credas, interfuerunt. Quas quidem rebelliones maximè stupendis miraculis vir ille sanctus compressit, undè evidenter illius missio innotescit atque intima cum Deo societas manifestatur. Facti memoriam servavit hebræa gens, Mosemque testata est Scriptura sacra à Deo apertè missum, qui, Deo jubente, omnia hæc scripserat. Isti collegii prophetici ergò confessi sunt Deum cum Mose, non verò cum illis locutum fuisse; insuper id est, illos, si ea quæ Mosis ministerio annuntiata fuerant adorare deberent, non idcircò esse interpretes et judices. Id confirmat universus Pentateuchi progressus, et argumentum fidei nunc etiam Judæi retinent, *tantùm omnes suprà prophetas exstitisse Mosem, quantùm suprà cæteros homines prophetarum agmen.* At aliquis fortè nobis aderit, declarando illos veteres Israelitas solummodò stetisse testes, ut propriâ suffragatione hos libros confirmarent authenticos, eoque usos fuisse ministerio, ut non auctoritatem sibi attribuerint, sed affirmationem coràm populo exteriorem darent; argumentum verò iisdem difficultatibus laborat. Namque, si tollatur authenticos edendi libros ista ficta auctoritas, abest simul et auctoritas illos seu adjunctis seu imminutionibus emendandi, undè systema planè corruit, namque supervacanea fuit illa auctoritas apud illos qui rerum in Mosaicis libris scriptarum testes fuerant. Magnifica illa miracula viderant; illorum memoriam in diebus à Mose designatis ad festivitates celebrabant; idem Moses illis legerat legem, aut saltem Deuteronomium, qui quasi compendio facta à discessu ex Ægypto continet, rerumque veritatem acclamaverant ipsi; cœlum terramque adversùs illos Moses testatur; hominum testimonio ideò non indigebat. Defuncto Mose, Josue librum Legis vitæ normam sumit, novaque, suam ut auctoritatem constituat, edit miracula. Quorsumnàm hìc ista prophetica schola ad animum confirmandum populi, quem tot et tanta miracula de Mosis auctoritate certiorem magnoperè fecerant? nonnè injuriosum de illâ dices dubium, si humano testimonio opus fuisset ad rerum confirmationem, quas ipse Deus tàm manifestis atque mirandis argumentis probaverat? Insuper id est quòd fuerit inutile Mosaicos libros à Mose ipso scriptos fuisse, cum auctoritate demonstrare, dùm nemo de re dubitaret.

Nunc necesse est attendat animus, an hos sacros libros edere vel tales declarare illa schola suum esse posteà contenderit. Dubium non est plerosque sacros scriptores inter prophetas fuisse, id est solito atque insolito mandato usos fuisse qui magno aderant Synedrino, aut, aptiori verbo, sacerdotes et levitæ publicas inscribebant historias; cùm autem Scripturarum canones fuêre constituti, illi, ut ex veterum Judæorum testimonio apparet, accuratè cavebant ne novus adderetur liber, neve quævis, vel minima, immutatio fieret. Tam religioso sacros textus quasi cultu prosequuntur, ut illâ, quâ stupet animus, curâ vel minimas litterulas servaverint; atque id usque adeò ut ipsa puncta atque accentus uti Sinai montis traditiones habeant, simulque credant non esse in lege litteram, quæ magnos montes sive magna mysteria non contineat. Quæ in Talmude continentur regulæ de modo et formâ librorum legis scribendorum, propter hoc institutæ, ne deformentur et sacris ritibus inserviat, planè certissimèque dictum à nobis comprobant. Hanc quoque veritatem declarat Masora, quæ universorum Bibliorum annotationes habet, quæque versus, verba litterasque numerat. Nobis in his pariter succurrit et illud unanime de hâc suppositâ Scholæ Propheticæ auctoritate silentium veterum Judæorum. Cùm verò recentium commentatorum conjectatio præcipuam vim desumat ex sacrorum librorum restitutione ab Esdrâ, quem ideò contendunt authentica Biblia quibusdam immiscuisse libris, aliisque propriâ auctoritate auxisse, quamvis mera hæc sint commenta, attamen superiùs dictis adjiciemus, ex Samaritano Pentateucho sumptum insuperabile argumentum.

Apud omnes constat ex decem tribubus in captivitatem traductis reliquos populos (hìc in manuscripto deest linea quæ liquido sensui minimè videtur esse necessaria), postquàm aliquandiù idololatriæ inserviissent, fuisse exagitatos à leonibus, qui inter eos luctuosas ediderunt cædes. Quam pestem illi censuerunt sibi illatam à Deo, qui sic ab illis pœnam spreti cultûs repetebat, atque unum ex captivis sacerdotibus accersiverunt, qui ipsos divinum

cultum secundùm Mosaicam legem edoceret, eos ut idololatras habuêre Judæi nullumque cum eis commercium junxerunt. Hæc contrà gens sese Israelitam prædicabat, et à tribu Josephi se originem ducere dictitabat; sibi propriam constituit religionem, templum in monte Garitzim posuit dictaque fuit Samaritana. Non hic locus recensendi quidquid ad hanc attinet Synagogam à judaicâ societate divulsam; sat erit haud ignorare illam, rejectis cæteris Sacræ Scripturæ libris, Pentateuchum admisisse, et legitimam summorum pontificum successionem à temporibus Samuelis, antequàm Judæorum respublica in monarchiam fuisset conversa, sumpsisse finem. Omninò extremâ invidiâ uterque populus urebatur. Omni occasione datâ, illæ simultates erumpebant; at præsertim viguerunt cùm à captivitate reduces Judæi templum urbemque Hierosolymam cœperunt restaurare. Utrinque de Mosaicâ lege conveniebant, et in iis quæ de religionum aut templorum præstantiâ ortæ sunt disputationes, nullis Samaritani utebantur argumentis, nisi iis quæ à Mosaicis libris expresserant. Maxima hujusmodi controversia habita est, Ptolomæo Philometore regnante, 148 anno antè Christum, cùm Onias in Ægypto templum ad imitationem Hierosolimitani ædificavisset. Judæi suum secundùm legem prædicabant templum; Onias et Samaritani consociati contrà illud contendebant. Ambæ convenerunt partes in id, ut res judice rege ageretur. Andronico Judæorum causam defendendi incubuit onus; Sabbas et Theodosius pro Samaritanis verba fecerunt. Hanc utraque pars acceperat conditionem, illos, qui alias afferrent rationes, quàm quæ ex Mosaicâ lege deprompsissent, capite esse plectendos. Damnati sunt porrò Samaritani. Ex illa historiâ patet utramque confessam esse gentem sè simul Mosis libros habere. Pro implacabili contrà Judæos odio, Samaritani illis valdè profectò horum librorum depravationem crimini vertissent, si paululùm validas habuissent hujus sceleris probationes; atque id tanto faciliùs egissent, quòd tùm ex reditu à captivitate 388 annus esset, quòdque ex quo Babylone reversus fuerat Esdras vix abiret 281 annus, quo quidem tempore isti commentatores, ad planum restitutos libros sacros, aut etiam compositos fuisse affirmant. Veteribus prætereà characteribus, Samaritanis scilicet, eosdem habebant libros, quos sanè non emendaverat schola prophetica; quippè cum eâ illis nullum erat commercium. Aderant itaque certa ut Judæis fraudem exprobrarent documenta, et si nihil fraudis fuerit objectatum, indubitanter nihil erat objectandum. Ad tales infirmandas rationes, id unum nostris adversariis superest ut dicant, codices à Judæis, secundum exemplaria samaritana emendatos fuisse, quod autem nulla probatio, quod nullum indicium confirmat. Samaritanum etenim habemus Peutateuchum, hoc est librorum Mosis textum hebræum sine punctis, atque antiquis scriptum characteribus. Loci supersunt transcripti fragmentorum ex græcis latinisque Patribus, qui hujus exemplaris græcam versionem citant, aut ipsum etiam exemplar, in linguam samaritanam; hujus textûs versio superest, ejusdem et supersunt arabicè versiones, quæ quidem codicis, an sit authenticus, illustrant litem, quibus singulis accuratè expensis, in certitudinem venit hunc codicem antiquitate esse majorem editione Esdræ. Dùm igitur in capitibus dogmaticis consentiunt Pentateuchi tùm judaicus, tùm samaritanus, mutuâ comprobantur ratione, suppositionisque suspicionem effugiunt. Neque tamen eâ sunt ambo codices consensione, ut iis careant dissimilitudinibus, quæ in ejusdem exemplaris codicibus occurrunt; constat enim varias esse computationes, dissimiles magni momenti lectiones, et quædam imò recentibus Samaritanis attributa additamenta, ut scilicet quæ ad montem Garitzim spectant, quæque fidei capita majora habent. Præcipua objecta diluentur in thesis progressu, cùm de re specialiter disseretur. Cùm verò ità absurdum foret, si, ut credunt Judæi, discrepantiæ inter septuaginta versionem et Hebræum textum exstant, corruptiones haberentur, sic à ratione omni abhorreret, si librorum sacrorum authentica auctoritas tolleretur has propter discrepantias, cùm non indè fraus oriatur, sed contrà illud auxilietur argumentum veritati. Hæc etenim dissimilitudo indicat ad nos pervenisse eumdem Pentateuchum, quem cognovêre Eusebius et divus Hieronymus, quem invocaverant antiquiores auctores, quibus facile suppositionis nota innotuisset. Non hic prætereâ agitur quæstio, utra fuerit computatio certior, nec fragmenta in disputationem traducuntur; de toto opere res est et de mysteriorum quæ comprehendit traditione. Conditi mundi historia, Rubri Maris transitus, cæteraque veteris Testamenti præcipua capita, quibus Judæorum religio verique Dei antè messiam cultus innituntur non dissimiliter narrantur seu à Judæis, seu à Samaritanis, seu à quibuslibet existimantibus mosaicos li-

bros possidere. Indè liquet utramque, quamvis invidiâ summâ, convenisse gentem de mosaicæ veritate testificationis, in his servatæ libris, neque in iis exstitisse aliquid criminis, quod Samaritanis objecerint Judæi, vel quod Judæis opposuerint Samaritani, cùm sese invicem de minoris momenti capitibus recriminati sint. Judæi enim Samaritanos arguerunt quòd nomen Asyma, quasi idolum, Ineffabili nomini substituissent, quòd quasdam mysticas litteras sustulissent etc.; Judæos Samaritani, quòd sacros mosis characteres maledictis Esdræ characteribus supplevissent, quòd puncta, vocales, et accentus adjecissent.

Quæ seriò pensata argumenta abundè demonstrant divinæ Scripturæ auctoritatem, neglectâ scholâ propheticâ, cui solummodò Domini legem diu noctuque lectitandi ac meditandi incumbebat munus, sine ullo judicii aut interpretationis ministerio. Solvendæ supersunt, quæ religionis veritati vulgò objiciuntur, quædam difficultates, speciosæ quidem apud imbecilles animos probabilitatis, quia fortassis nimis diligenter docti studuerunt illas ab omni errore eximere. Errorem intelligo scribarum mendas ac mutationes quas humaniter subit scriptum Dei verbum. In Genesi, verbi gratiâ, inscribuntur locorum nomina, qui tantùm post promissam terram ab Israelitis occupatam in usum venerunt. In Deuteronomii ultimis Mosis mors refertur, cùmque sint quædam genealogiæ quæ hujus sancti viri ætatem excedunt, ergò ait quidam nostræ ætatis impius, ipse non hos libros scripsit, sed post ejus mortem conscripti sunt. Ex hoc quidem inferri licet Israelitas, qui ad proprium usum sibi quique legis exemplar scribebant, prima verba interpretationis modo inseruisse, postrema verò in ultimis Deuteronomii, dictante Deo, adjecta fuisse, cui judaica traditio opinioni congruit: si foret necesse, concluderetur has partes per hosce ter mille annos à scribis vitiatas fuisse; quânam verò logicæ regulâ concluderetur suppositum universum librum, quia tres quatuorve periodi à Josue sint adjecta, ac tria quatuorve verba addita in aliis perpaucis locis, Logicâ sic utendo? quivis antiquus auctor ut suppositus rejiceretur, cùm, veluti vir doctus experientiæ gratiâ indicavit, Ciceronis orationes, quas tenemus, à scriptis ab eo in multis differant. Non ideò Ciceronis orationes, quæ veræ comprobantur, styli, materiæ ac historiæ adjunctis, dicentur apocryphæ. Perridiculus evaderet censor qui aliter ageret. De iis logicæ legibus, si profanis nullius momenti auctoribus sint accommodatæ, omnes consentiunt; cur ergò eâdem cum veritate libris sacris non accommodarentur, cùm illorum authenticitati opitulentur argumenta valdè firmiora quàm quæ præ se ferunt notissimi gentilitiæ antiquitatis auctores. Homerus, si fuisset legislator, in Iliadeque quædam constituta fuisset religio, ac in poemate quædam narrata fuissent facta, quæ præcipuo Homerus consilio gessisset, an Iliadis auctor fuerit nulli foret dubitationi locus, nisi in contrariam nos fidem traduceret antiquior auctor. Cùm verò nihil tale evenit, cui dubitare libuerit, suadebunt paucorum veterum testimonia. Moses tria abhinc millia annorum sui libri auctor habitus est, neque res ulli dubia fuit; Judæorum respublica et religio tùm miraculis, tùm Mosis legibus conditæ sunt; si rem in dubium vocare voluerimus, Judæorum testimonio unanimi frangimur, qui tribus abhinc millibus annorum fuêre. Hæc in dubium traducere omninò absurdum foret, quemadmodùm si cui hæc foret dubitatio, an urbs nomine Roma exstiterit, an unquàm Salomonis templum fuerit, an tandem quæ certiora facit unanimis hominum consensus aliquid veritatis habent facta.

Tantùm abest ut impiis concedamus illas, quæ in sacrâ Scripturâ occurrunt difficultates, et perpaucas alias, quæ ad genealogias, historiæ veritatem et quasdam præcipuas computationes attinent, contrà Bibliorum authentiam aliquid imminuere posse; contendimus verò ex illis certissimè demonstrari eorum qui hæc nobis transmiserunt sinceritatem.

Nonnè enim expeditius, cùm de veteri libro fingendo agitur, nihil inserere quod lectorem detineat ac ejus diligentiam stimulet, quàm illum quodam modo ut caveat admonere, interpretatu difficillima scribendo.

Verumtamen, cùm illicitum Judæis videretur uno vel verbo augere aut imminuere sacros libros, ut fuerunt in prioribus codicibus difficultates, sic sunt in nostris. Ità apud Samaritanos actum fuit, et ex illâ religiosâ reverentiâ ortæ sunt difficultates. Procedere possunt vel ex codicum diversitate, si.... (*cætera desiderantur.*)

MARIANÆ VITA.

Mariana (Joannes) Talaveræ in diœcesi Toletanâ natus, anno Domini 1537, in academiâ Complutensi scholare curriculum emensus est. Jesuita factus, 1554, qualis futurus esset vir omnimodis doctrinarum præludiis haud multò post ostendit. Cujus fama nascens publicis theologiæ lectionibus per quatuor annos, Romæ, perque duos annos in Siciliâ increbuit. Lutetiam accersitus, quinque adhuc annos in operoso publicarum lectionum ministerio exegit, immenso adstante auditorum concursu, donec labores tantos impar diutiùs perferendi, in Hispaniam reversus est, atque in Toletanâ Jesu societate seclusus, orditus est hanc seriem operum ex quâ nova famæ incrementa et simul ignoti dolorum fontes defluxêre. Nempè etiamsi vir esset summæ modestiæ, et eximiâ morum simplicitate severus, cùm immoderatos libertatis spiritus ultrò foveret, non debitam majestati regiæ reverentiam usquè præstitit. Itaque ob famosum *De Rege et de Regis institutione* tractatum, primò suorum, et deindè senatûs Parisiensis Sorbonæque sententiâ condemnatus, exercitatissimam senectutem ad octogesimum septimum annum produxit; obiitque piè Toleti, die 17 febr. 1624.

Marianæ plurima nobis opera supersunt : 1° *Historia generalis de Rebus sacris Hispaniæ*, acerrimos criticæ morsus non semel perpessa, sed quæ fermè ab omnibus monumentum sublime habetur, in varias linguas crebrè translata, luxuque splendenti ab editoribus adornata. 2° *Scholia* sive breves in Bibliis notulæ. 3° Septem tractatus separati, inter quos Dissertatio pro *Editione Vulgatâ*, quâ superiùs dicta de variis Bibliorum editionibus optimè concludi videntur.

Liceat nunc quorumdam accire testimonia, ut Marianæ effigiem ex omni parte absolvamus.

Inter Latinos, inquit Corringius, *palmam præripit Joannes Mariana, hispanus, rerum hispanicarum cognitione multi secundus..... Valuit Mariana insigni eloquentiâ, prudentiâ et magnâ libertate dicendi.*

Marianæ gravem, ait alter, *et decoram constructionem, sonantia verba, splendorem narrandique sublimitatem, copiosum ingenium in non impari materiâ quæ ætas non reverebitur?*

Denique, ut infensissimi Protestantis verba usurpemus : *Inter viros suæ ætatis peritissimos*, inquit Baylius, *annumerandus est Mariana : quippè qui theologiâ maximus, egregiè litteratus, penitioribus historiæ tùm sacræ, tùm profanæ initiatus mysteriis, græcam callens linguam et in latinâ consummatus.*

Quod ad scientiam sacram præcipuè attinet, et inprimis ad Dissertationem quam recudimus, vide P. Simonem, cujus omne desiderium in hoc versatur quòd minusculas de libris sacris annotationes reliquerit Mariana, ac F. X. Feller, qui Dissertationem hanc vocat *eruditissimam et eximii plenam judicii.*

JOANNIS MARIANÆ
PRO EDITIONE VULGATA
Dissertatio.

CAPUT PRIMUM.

Disputationis scopus.

Opus molestum suscipimus, multaque difficultate impeditum, periculosam aleam, ac quâ nescio an ulla disputatio his superioribus annis inter theologos, in Hispaniâ præsertìm, majori animorum ardore, et motu agitata sit, odioque partium magis implacabili, usque eò, ut à probris et contumeliis, quibus se mutuò fœdabant, ad tribunalia ventum sit; atque quæ pars sibi magis confidebat, adversarios de Religione postulatos gravissimè exercuit, quasi impios, superbos, arrogantes, qui divinorum librorum auctoritatem, atque ejus interpretationis fidem, quâ Ecclesia utitur passìm, et quæ *vulgata Editio* nuncupatur, audacter elevarent, novis interpretationibus prolatis invectisque contrà divinas leges et humanas, Concilii Tridentini decreta non ità pridem promulgata. Tenuit ea causa multorum animos suspensos expectatione, quem tandem exitum habitura esset, cùm viri eruditionis opinione præstantes, è vinculis cogerentur causam dicere, haud levi salutis existimationisque discrimine: miseranda virtutis conditio, quandò pro laboribus, quos susceperat maximos, compellebatur eorum à quibus defendi par fuisset, odia, accusationes, contumelias tolerare, quo exemplo multorum præclaros impetus retardari, viresque debilitari atque concidere necesse erat. Omninò fregit ea res multorum animos alieno periculo considerantium, quantùm procellæ immineret liberè affirmantibus quæ sentirent. Itaque aut in aliorum castra transibant frequentes, aut tempori cedendum judicabant. Et quid facerent? cùm *frustrà niti neque fatigando* (ut ille ait) *aliud quàm odium quærere, extremæ dementiæ sit.* Plerique inhærentes persuasioni vulgari libenter in opinione perstabant iis placitis faventes in quibus minùs periculi esset haud magna veritatis cura. Quod alios terrere potuisset, me magis ad conandum incitavit. Quid facias? ità est ingenium : in locis salebrosis et asperis juvat stylum versare, periclitari, si quo modo possim pacem inter dissidentes componere, quod fore non desperamus. Hâc quamvis eruditionis ingeniique imbecillitate suscepi opus, fortassè majus quàm quod possit meis viribus sustineri; quod tamen, etsi ego defecero, bonitas causæ supplebit, studiumque revocandæ inter viros doctos concordiæ, eruendâ veritate atque illustrandâ laborare certum est, quoniam partium contentione obscurata potius est, ac densis tenebris impedita : dùm utraque pars vincendi cupiditate opprimendique adversarios longiùs æquo provecti sunt; cùm modestiâ potuissent rectum iter tenere, atque ad ipsum veritatis cubile et fontes pervenire, per devia fatigati sunt exiguo laboris proventu. Quidam enim editionem vulgatam sugillant quasi multis vitiis fœdam, ad fontes identidem provocantes, undè ad nos ii rivi manârunt, ac contendentes, græcorum hebraicorumque codicum collatione castigandam videri, quoties ab illis discrepârit, linguarum peritiâ tumidi, ecclesiasticam simplicitatem ludibrio habentes; quorum profectò audacia ac temeritas pronuntiandi meritò frænanda est. E contrario, alii majori numero adversariorum odio nefas putant vulgatam editionem attrectare, atque in impiorum numero habent, si quis vel levem vocem castigare tentet, si locum aliquem aliter explicare contendat, quàm vulgata interpretatio præ se ferat (quos imitari profectò non debemus) pusillo homines animo, oppleti tenebris, angustèque sentientes de Religionis nostræ majestate, qui dùm opinionum castella pro fidei placitis defendunt, ipsam mihi arcem prodere videntur, fraternam charitatem turpissimè violantes. Ergò extremâ et deviâ vitatâ, quæ in præcipi-

tia desinit, mediam viam tenere constituimus, quâ ferè in omni disputatione vitatis erroribus ad veritatem pervenitur. Utinam tàm læto successu conatus noster procedat, quàm sincero vacuoque affectionibus animo suscipitur, tametsi (quod ingenuè profiteor) majori defendendi quàm accusandi voluntate : cùm humanum sit errare, sordidi autem animi viros doctos insectando videri velle laudem aucupari, atque contrà præceptum Pauli (2 Cor. 16, 14), ad quod non pertingunt quidam *se superextendere* conari. Verùm quoniam disputationis cardo in concilii Tridentini decretis vertitur, quo pacto accipienda sint, priusquàm disputationem ingrediar, ea subjicere visum est, ex sess. 4, his omnibus verbis :

Si quis libros ipsos (nempè canonicos) *integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ Catholicâ legi consueverunt, et in veteri vulgatâ latinâ editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit.*

Sacrosancta Synodus statuit et declarat, ut ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus, pro authenticâ habeatur, et ut nemo eam quovis prætextu rejicere audeat vel præsumat.

CAPUT II.

Plures exstitêre editiones vulgatæ.

Majori in luce tota disputatio versabitur, si ab explicatione nominis procedatur, et an plures exstiterint editiones vulgatæ, fuerit explicatum. Etenim *editio vulgata* eam interpretationem seu versionem divinorum librorum in aliam linguam significat, quâ vulgò Ecclesia utitur, et cùm non una omnibus temporibus interpretatio communi usu recepta sit, plures unà editiones vulgatas aliis atque aliis temporibus exstitisse, neque apud omnes nationes easdem, fateamur necesse est. Multi veteris Testamenti (de novo modò non agitur) variis temporibus exstitêre interpretes; omnes numerare non attinet, neque de linguis modò chaldaicâ et syricâ (1) agimus; sed ex hebraicâ linguâ in quâ ferè ii libri primùm scripti fuêre, in græcam, quæ celeberrima olim fuit, et totum ferè orbem pervasit, primi septuaginta Interpretes jussu Ptolemæi Philadelphi, regis Ægypti, divinos libros græcè interpretati sunt, antè Christi ortum trecentis ampliùs annis, omnes, an partem, nondùm disputamus. Post Christum natum *Aquila* primus Adriani imperio septuaginta Interpretum imitatione, veteres Scripturas græcè reddidit locis non paucis corruptas, nimirùm ad Judaismum, undè discesserat anteà, à religione christianâ deficiens : sic Hieronymus, epist. ad Pammach. Nam Epiphan. græcum natione fuisse apertè ait in lib. de pond. et mensur. Subsecutus est in opere *Theodotio*, patriâ ephesinus, ex Marcionis sectâ ad Judæos et ipse transfuga, Commodo imperatore, salutis anno centesimo nonagesimo. Post hos *Symmachus*, ex samaritâ judæus, Severo imperatore, anno 210, quartam in græcarum numero adornavit, perfecitque editionem. Quinta sub Antonino Caracallâ, anno 215, Hierechunte inventa est. Sexta, Alexandro Severo imperatore, anno 230, Nicopoli; utraque nullo certè auctore. Origenes has sex versiones græcas nactus, ex iis in unum corpus ordine collatis incredibili labore, vasta confecit volumina, *octapla* ex eo dicta, quòd ad sex editiones duas hebraicas adjunxerit, seu potiùs unam bis, charactere nimirùm hebraico semel, græco iterùm, in eorum gratiam qui hebraicas litteras nesciebant; nam *hexapla* dicebantur, cùm ad duas hebraicas quatuor priores græcè interpretationes adjiciebantur, quintâ et sextâ prætermissis, Epiphanius auctor lib. de Pond. et mensur. Ex hoc numero nulla apud Græcos Vulgata seu communis dicta est, tametsi non nemo initio glossæ ordinariæ quintam editionem affirmet, Isidorum secutus, lib. 6 Etymol., cap. 4, Vulgatæ nomen tulisse, falsus procul dubio, cùm septima potiùs ex prioribus conflata et confusa Vulgatæ nomen tulerit. In quâ cum editione Septuaginta verba quædam et sententias inseruêre Hesychius, Lucianus, Origenes, ut cuique commodum fore visum est. Itaque apud omnes nationes non eadem in usu erat : nam Hieronymo teste, præfatione in librum Paralipomenon, Alexandria et Ægyptus Hesychii diligentiam, Constantinopolis Luciani martyris exemplaria sequebantur, quæ propriè editio vulgata seu communis vocabatur. Aliæ provinciæ palæstinos codices legebant ab Origene elaboratos, neque enim tantùm hexapla confecit, sed cum editione Septuaginta Theodotionis versionem miscuit : quâ diligentiâ multæ Ecclesiæ utebantur. Nam quòd vulgata editio ab editione Septuaginta differret, Hieronymus ad Suniam et Fretellam his verbis affirmat : *Sciatis*, inquit, *aliam esse editionem, quam Origenes et Cæsariensis Eusebius, omnesque græci tractatores*,

(1) Confer hùc Valtoni *Proleg.* et Renaldoti *Dissert.*

κοινὴν *id est communem, appellant, atque vulgatam et à plerisque nunc Lucianea dicitur, aliam septuaginta Interpretum, quæ in hexaplis codicibus reperitur, et à nobis in latinum sermonem versa est, et Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis decantatur.* Et præfatione in lib. 16 Commentariorum in Isaiam Prophetam, disputans de octo versiculis, qui desunt hebraicè, Psalm. 13, ait : *Denique omnes græci tractatores hos versiculos veru annotant atque prætereunt, liquidò confitentes in hebraico non haberi, nec esse in septuaginta Interpretibus, sed in editione vulgatâ, quæ græcè dicitur* κοινὴ, *et in toto orbe diversa est.* Sanè post tàm aperta verba Hieronymi, et cùm in epistolâ paulò anteà adductâ sæpè dicat verba non pauca non esse in aliis versionibus, neque in Septuaginta, sed in editione tantùm vulgatâ, ferreus sit, qui apertæ veritati vulgatam græcam differre à versione Septuaginta manus dare recuset, et præstat errorem confiteri, quàm in eo mordicùs perstare. Verùm objicis in eâ epistolâ à Hieronymo additum : Κοινὴ *autem ista, hoc est, communis editio, ipsa est quæ et septuaginta.* Quibus verbis si mens tranquilla fuisset, quæ mox sequuntur adjicere, et cum illis componere debuisses. Ait enim : *Sed hoc interest inter utramque, quod* κοινὴ *pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum veterum corrupta editio est.* Est ergò communis editio ipsa, quæ et Septuaginta, quia ipsi quasi stamini cæteræ editiones intertextæ, consutæque sunt, ità tamen ut ex eâ permixtione diversâ re et nomine editio fuerit conflata, quæ à græcis Vulgatæ nomen tulit. Sic accipi debent Augustini verba, cùm lib. 18 de Civitate Dei, cap. 43, editionem Septuaginta eamdem quâ vulgò Græci utebantur facere, his verbis videtur. *Hanc tamen,* inquit, *quæ Septuaginta est, tanquàm sola esset, sic recepit Ecclesia, eâque utuntur græci populi christiani, quorum plerique utrùm alia sit aliqua ignorant.* Hæ fuerunt olim editiones græcæ. Latinarum numerus iniri non poterat, uti Augustinus ait lib. 2 de Doctrinâ christianâ, cap. 11, his verbis : *Qui Scripturas ex hebræâ linguâ in græcam verterunt linguam, numerari possunt : latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex græcus, et aliquantulùm facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari, quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quàm impedivit.* Et quæ in eam sententiam sequuntur, eò libentiùs à nobis adducta, quòd Augustini modestiam de interpretibus sui temporis, vellem nonnulli nostrâ ætate imitarentur, neque contentionis studio aliena contemnerent, Ecclesiæ pacem turbarent. Sed ex eâ certè interpretationum varietate factum est, ut antiqui Patres non eisdem verbis divinarum Scripturarum locis utantur ; nam fermè quot erant provinciæ, tàm multæ editiones latinæ circumferebantur, ex Septuaginta interpretatione tamen omnes in latinam linguam transfusæ, uti Augustinus affirmat lib. 18 de Civitate Dei, cap. 43. Inter eas autem majori famâ celebris ea erat, quâ romana Ecclesia utebatur, mater et magistra aliarum Ecclesiarum, quæ nonnunquàm Vulgata nominatur à Hieronymo ad Pammachium de optimo genere interpret : *Vulgata quippè editio ità se habet, et dicam ad eos, si bonum est : In oculis vestris afferte mercedem.* Et in Isaiæ cap. 26, illa verba, *sed et spiritu meo in præcordiis meis. Volumus*, inquit, *et hebraicam sequi, et vulgatam editionem non penitùs præterire.* Et in cap. 30, in illa verba, *et non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum*, similia prioribus repetit. Neque moveat quòd eamdem vocat editionem Septuaginta ; nam cùm ex eâ manârit, utroque nomine nuncupatur, uti videmus in commentariis Hieronymi in Prophetas, ubi alter textus latinus, nempè Vulgatæ eo tempore dictæ, Septuaginta nomen habet. Aliquandò eadem editio vetus dicitur comparatione ejus, quam Hieronymus fecit, certè à Gregorio extremis verbis epistolæ ad Leandrum, initio commentariorum in lib. Job. *Novam,* inquit, *translationem dissero, sed ut comprobationis causa exigit, nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo, ut quia sedes apostolica, cui auctore Deo præsideo, utrâque utitur, mei quoque labor studii ex utrâque fulciatur.* Eodem nomine in concilio Toletan. VIII, eadem editio vocatur. Sic vetus editio latina, quæ Vulgata olim dicebatur, usque ad Gregorii tempora conservata est ; ex eo tempore periit, uti multa alia monumenta vetustatis. Incubuit enim cum bellorum procellâ in orbem christianum pudenda barbaries ; periit, inquam, nisi si qua pars ejus in eâ editione latinâ permansit, quâ ad nostram ætatem usa est utiturque Ecclesia romana, quæ procul dubio plurimâ ex parte ex Hieronymi interpretatione est, uti alio loco copiosiùs explicabitur, et quæ solâ nostrâ tempestate inter latinas Vulgatæ nomen retinet, de eâque concilii Tridentini decreta loquuntur, nosque de ejus auctoritate disputare aggressi sumus.

CAPUT III.

Quibus linguis libri sacri sint scripti.

Vetus ferè Testamentum hebraicâ linguâ, novum græcâ scripta sunt, paucis tantummodò libris ex utroque canone, ordineque detractis. Nam in veteri Testamento pars Esdræ et Danielis chaldaicam linguam in ipsâ origine præferunt, multò tamen elegantiorem eâ, quâ chaldaici paraphrastæ utuntur in aliis libris, ad ejus linguæ normam, ad quam cætera dirigantur, et undè ratio chaldaicæ grammaticæ peti debet, alioquì inconstantis, variæ, multiplicis; Tobiam et Judith chaldaico sermone invenisse se scriptos Hieronymus in præfationibus ait, Ecclesiasticum hebraicè exstare suâ ætate. Sapientia, Baruch, duo libri Machabæorum græcè tantùm exstant, nusquàm hebraicè (1); tametsi Eusebius, lib. γ Hist. Eccles. cap. 19, Origenis verbis ait: *Extrà numerum istorum librorum viginti duorum veteris Testamenti sunt libri Machabaici, qui inscribuntur Sarbethe, Sarbanc.* Quod si verum est, licet ex titulo conjicere eos libros etiam hebraicè exstitisse. De auctoritate horum librorum nondùm disputabam, et constat eos libros sex (2), quos postremò numeravimus, ab hebræis non haberi in numero divinorum librorum, recipi tamen ab Ecclesiâ, cujus auctoritas major est, certior fides. In novo Testamento, EvangeliumMatthæi et Epistola ad Hebræos hebraicâ linguâ sunt scripta, uti Eusebius docet, lib. 3 Hist. Eccles., postremo capite, et lib. 5, cap. 11, prætereà lib. 6, cap. 19; tùm Hieronymus idem ubique asserit, ac nominatim de viris illustribus in Matthæo Pauloque. Qui libri à Lucâ evangelistâ, sive à Clemente Romano in linguam græcam mutati fuisse creduntur, haud minori interpretationis auctoritate et fide, quàm ipsorum librorum, si nostrâ ætate exstarent, uti *Evangelium Matthæi* hebraicè in Cæsariensi bibliothecâ suâ ætate exstare Hieronymus ait, eoque passìm Nazaræos uti solitos. Nam quod Evangelium Matthæi hebraicum formis expressum vulgò circumfertur, non ità pridem ab aliquo Judæo ex latino fuit in eam linguam conversum. Neque enim cùm hebraicè dicimus eos duos libros fuisse conscriptos, intelligere debes de Hebraicâ linguâ purâ atque sincerâ, sed potiùs de syriacâ, quâ vulgò Judæi, Christi et Apostolorum ætate, in Palæstinâ utebantur, chaldaicæ ad instar. Cujus rei magna argumenta sunt, et verisimile est Christum et Apostolos cùm hebraicâ linguâ utebantur, non aliâ quàm ejus ætatis fuisse usos. Itaque consideramus voces hebraicas, quæ in novo Testamento leguntur ex syriacâ linguâ fuisse desumptas, non ex hebræâ veteri, ut *Golgotha, hoc est, Calvariæ locus.* Matth. 27: *Boanerges, id est filii tonitrui.* Marc. 3, *Bethesda, Gabbatha,* hoc est, pavimentum lapidibus constratum, quod ab architectis *lorica* vocatur. Prætereà *Thalita cumi, puella, surge. Haceldema, ager sanguinis.* In Actis *Tabitha, quod est interpretatum Dorcas* seu *Dama.* Apud Paulum *Maranatha,* id est, *Dominus venit,* non ex hebraicâ linguâ, sed ex syriacâ desumptum est; ipsa quoque testimonia Scripturæ nonnunquàm eâ linguâ citata legimus, quale illud est: *Heli, Heli lamasabbathani,* ex Psalm. 21, quæ verba nonnulli ex hebraicis psalmis ausi sunt castigare, legentes *lamahasabthani,* quovis ipsi supplicio digni. Quidam etiam ad *sabec* arborem Genes. cap. 22, in septuaginta Interpretibus positam vocem, transtulit commentariis in Isaiam initio cap. 29, et in Apologetico. Sed quid nisi hoc sit mera somnia venditare in re seriâ, cùm Epiphanius hæresi LXIX, affirmet Christum his verbis syriacâ potiùs linguâ fuisse usum, *ut convitium faceret iis, qui hebraicam jactant, aliasque linguas in pretio se habere monstraret, ad quas cœlestis doctrina brevì perventura erat.* Neque existimes, quod nonnulli confirmare contendunt, Evangelium Matthæi, quod nuper syriacè prodiit, esse illud, quod à Matthæo scriptum est, cùm credam potiùs, ac magnis argumentis fixum habeam, novum Testamentum syriacum ex græco fuisse conversum, cum quo magnam affinitatem habet, quo tempore non facilè dixerim; non ità pridem suspicabar, nam qui à Marco evangelistâ contendunt persuadere præfatione ad Testamentum novum syriacum in Bibliis regiis, næ ii multo quamvis labore parùm promovere videntur, cùm non pauci novi Testamenti libri post Marci mortem fuerint conscripti. Neque negabo id Testamentum utile fore, si vitia præsertìm in ejus interpretatione latinâ, quæ incuria fudit, aut humana parùm cavit in-

(1) Exstat hebraicè, ut testatur pater Domenge, inter codices sinensium Judæorum. Consule librum cui titulus: *Lettres édifiantes*, tom. 24. *Mémoires sur les Juifs établis à la Chine,* et confer. annotationem ad *Bonfrerii præloquia.*

(2) Illos tanquàm canonicos recipiunt Judæi sinenses et Josephus, ex quo concludere licet cum *Eichornio* Synagogam veterem illos etiam recepisse.

dustria non pauca castigentur, quæ hoc loco designare non est necesse ad alia festinantibus, et alio loco commodiùs et fusiùs de syriacis codicibus propriè agendum est. Marci Evangelium græcè fuisse scriptum, antiqui ferè Patres affirmârunt. Quidam minuti scriptores atque recentes latinè dixerunt, Joannes Cantacuzenus imperator, Apologiâ 4, Armacanus, lib. 9 de Quæstionibus, Jacobus de Voragine, concione de sancto Marco, quæ sententia à Syris traditur ad calcem ejus Evangelii his verbis : *Explicit Evangelium sancta annuntiatio Marci, quod romanè annuntiavit*, et Adonis Viennensis auctoritate fulciri possit, anno Christi 45, affirmantis Marcum evangelistam Evangelium, quod Romæ scripserat, Petro mittente, primùm Aquileæ prædicâsse, ibique ordinato Hermagorâ, discipulo suo, in Ægyptum contendisse. Neque enim in Italiâ græcâ linguâ Evangelium fuisse annuntiatum ac non potiùs romanâ, quæ illis hominibus erat familiaris, facilè quis credat. Verùm leviora sunt argumenta, minor auctoritas dicentium, quàm ut propterea sit ab antiquiorum placitis et sententiâ recedendum.

CAPUT IV.

De auctoribus sacrorum librorum.

Quibus auctoribus singuli divinarum Scripturarum libri conscripti sint statuere certâ ratione difficile est. Controversa quæstio, et plena dissensionis inter viros doctissimos, sed hoc loco dijudicanda doctiorum opinione designatâ, neque adversariorum rationibus examinatis, ne ultrà modum disputatio crescat, ac ferè D. Isidorum sequemur, lib. 6 Etymologiarum, cap. 2, paucis tantummodò commutatis. Ac primùm quinque libri legis Mosem auctorem habent. Josue librum suum edidit, prætereà, utì Hebræi addunt, octo versus postremos Deuteronomii. Resistunt quidam, negantes à Josue librum ejus scriptum, quòd cap. 10 *Justorum liber* citetur, in quo tamen res gestæ Davidis continebantur lib. 2 Reg., cap. 1 ; adjiciunt cap. 15 ejus libri expugnationem Cariatharbe et Axæ, filiæ, Caleb, historiam contineri, quæ, Josue mortuo, contigerunt. Quid si id negem, post Josue obitum ea certè contigisse, et est turpe theologo id afferre, quod certâ ratione confirmare non possit. Quòd si August. in Glos. ordin. ad illud cap. aliter sensit, ejus opinioni plures nec minori antiquitate, licebit opponere ; nam *liber Justorum*, additione aliquâ factâ, res gestas posteriori tempore continere potuit. Libros Judicum et Ruth scripsit Samuel, prætereà primum librum Regum ad cap. 25 ; reliqua ejus libri et usque ad finem secundi à Davide sunt scripta. Et uterque tamen liber apud Hebræos Samuelis dicitur, quod Saulis et Davidis res gestas describant, quos Samuel reges futuros inunxit (1). Duos postremos Regum libros Jeremias composuit, argumento probabili ex fine horum librorum, qui cum extremâ parte vaticinii ejus prophetæ mirum in modum convenit; collecti autem sunt ex variis libris, qui regum pesteriorum res gestas explicabant. Paralipomenon auctorem Isidorus nullum designavit, fortassis vitiato etymologiarum loco; Hebræi Esdram nominant, indicio haud levi veritatis, cùm finis Paralipomenon idem initium sit Esdræ. Tametsi secundum Esdræ, cujus nomen præfert, Nehemiæ potiùs tribuere quidam malunt. *De libro Job* bifariàm auctores variant. Hebræi Mosem auctorem nominant, quos sequi videtur Origenes initio commentariorum in eum librum; resistit Gregorius, ac ipsum qui pertulit sua certamina, ea existimat litteris commendâsse. Similis controversia de Psalmorum auctoribus est. Multi tùm Hebræi, tùm Orthodoxi, non unum sed plures auctores habuisse putant, nempè quorum nomina in Psalmorum titulis adscribuntur Adæ, Melchisedech, Asaph, filiorum Core, aliorum, quod sequitur Isidorus et Rabbi Isaac Arama, præfatione in Cantica. Diversam opinionem sequuntur alii majori numero et antiquitate. Augustinus varius est, sed lib. 17, de Civit. cap. 14, omnes Psalmos à Davide scriptos existimat, re cum ætate meliùs consideratâ. Nomina autem quæ præferunt in titulis, aut cantorum sunt, aut quorum res gestæ in illis Psalmis narrantur, ut Psalmus 90 Mosis nomen præfert, Salomonis 98. A Salomone tres libri confecti sunt, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum. De Ecclesiastico et Sapientiâ magna quæstio est. Antiqui eos libros Salomonis nomine citant et constat à Salomone tria millia parabolarum fuisse conscripta, disputâsseque de rebus omnibus à cedro Libani usque ad hyssopum. Ergò uterque liber Salomonis est dictus, quandoquidem quæ ab eo sapienter dicta sunt, explicant, quamvis aliorum diligentiâ collecta. Ecclesiasticum collegit Jesu aut sacerdos magnus, de quo in Zachariâ fit mentio, quæ est sententia Isidori, aut potiùs quod Galatinus ait, lib. 1 contrà Judæos ex septuaginta

(1) Consule præfationes particulares.

Interpretibus, unus eo nomine, cùm nepos ejus Jesus, filius Sirach, libri interpres, in Ægypto se eum librum invenisse affirmet, ut initio ejus libri dicitur, tempore Ptolemæi Evergetis, trecentos circiter annos postquàm Judæi redierunt è captivitate, vixitque Jesus sacerdos magnus, et in septuaginta Interpretibus Jesus quidam ab Aristæâ certè numeratur. Sapientiæ liber majori jure Salomoni tribuatur, cùm cap. 10, ipse de se loquatur ac dicat: *Tu me constituisti regem super Israel.* Collector ejus libri Philon autem Judæus, qui post Christum vixit, Caii et Claudii imperio, utì plerique arbitrantur, et in eo numero Abulensis in Matthæum cap. 24, quæst. 59. Neque desunt qui eumdem affirment christiana sacra suscepisse, Galatinus, libro 1 contrà Judæos, cap. 4, conjuncta tamen cum judaicis ritibus, utì erant ejus ætatis mores. Photius in Bibliothecâ, cap. 105: *Fertur,* ait, *christianam religionem quam susceperat, ob iram antiquam abdicâsse.* Haymo, lib. 2, cap. 22, Petro apostolo prædicanti adhæsisse confirmat, religionis communione, an familiaritate tantùm, non explicat, ac credam potiùs *Sapientiam* antiquiori Philoni tribui debere, cùm Eusebius in præparatione, et Theodoretus contrà Græcos, Philonis alterius frequentem mentionem faciant, quem Biblicum nominant, quod liber ejus inter alia sacra Biblia locum habeat; sic ipse interpretabatur; et in recentioris Philonis breviario, si ejus haberi convenit, Philon antiquior nominatur antè Christum 160 annos, æqualis Oniæ, sacerdotis magni. Itaque Hieronymus qui *Sapientiam* Philoni Judæo tribuere videtur in prologis, cùm ejus Philonis, qui post Christum vixit, scripta commemorat libro de viris illustribus, nullam de libro Sapientiæ mentionem facit. Libri Prophetarum ab iis, quorum nomina præferunt, omnes putantur scripti; tamen Isidorus affirmat Ezechielem et Danielem à viris quibusdam sapientibus fuisse conscriptos. Isaac Harama Judæus, præfatione in Cantica, scribit viros Synagogæ magnæ Ezechielem, et Prophetas duodecim, Danielem etiam et Esther scripsisse, quod vellem valido aliquo argumento, aut majori auctoritate fulciret; nam librum Esther Esdræ Isidorus tribuit, cui magis assentiebar. Josephus, lib. 10 Antiq., cap. 6, et Zonaras, Annalium lib. 1, Ezechielem aiunt duos libros scriptos reliquisse de Babylonicâ captivitate. Ex his fortassè ii, quos diximus, crediderunt à sapientibus Synagogæ librum Ezechielis qui exstat, fuisse conflatum. Hieronymus, præfatione in Malachiam, non levi argumento confirmat eum prophetam Esdram fuisse, mutato nomine; id sequitur August. lib. 27 de Civitate Dei, cap. 25, eamque unam exstitisse causam putant, cur inter prophetas postremo loco ponatur. De Baruch magna quæstio est: hebraicè nusquàm exstare Hieronymus auctor est. Origenes ejus vaticinii auctorem Jeremiam ipsum nominare videtur, cùm apud Eusebium græcè lib. 6 Hist., cap. 25, ait: Jeremias cum Lamentationibus et Epistolâ, uno nomine et uno libro, Ἱερεμίας σὺν θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνί ἱρμίᾳ. Epistolæ nomine haud dubium Baruch vaticinium intellige. Atque ea causa exstitit cur à veteribus ferè in catalogo librorum sacrorum de Baruch mentio propriè non fiat, quòd Jeremiæ certè tribuerunt. Reliqui sunt ex veteri Testamento tres modò libri, Judith et Tobias et Machabæorum libri: quibus ii auctoribus conscripti sint, minimè constat, ac verò quibus temporibus vixerint Tobias, Judith atque Esther, magna concertatio est, neque necessarium hoc loco omnia explicare. Quidam Machabæorum libros duos, nam tertius apocryphus est, Josepho Judæo tribuunt, quem Galatinus etiam in Christianorum numero ponit pari cum Philone conditione, duobus Hieronymi testimoniis inducti; alterum de viris illustribus, *conscripsit,* dicentis, *Josephus librum elegantem, in quo Machabæorum sunt digesta martyria*; alterum desumunt ex lib. 2 contrà Pelagianos, ubi Hieronymus ait: *Josephus Machabæorum fertur scriptor historiæ.* Sed exstat separatum Josephi opus de septem Machabæis nuper in lucem græcè latinèque datum, et constat non eumdem utriusque libri Machabæorum auctorem exstitisse, ex mutato ordine historiæ, atque multis rebus repetitis argumento certissimo, et in his libris Jasonis quinque libros summâ esse comprehensos, eorummet testimonio docemur. Hi sunt veteris Testamenti libri. De novo magis expedita disputatio est. De Evangeliis, præsertìm, Actis Apostolorum, tredecimque Pauli Epistolis, ab auctoribus quos præferunt fuisse compositos. Nam quarta decima Epistola, quæ est ad Hebræos, an à Paulò fuerit conscripta, primis temporibus est dubitatum. Ariani constanter negabant, nempè eorum causam in primis jugulantem. Sic scribit Epiphanius, hæresi 69. Verùm antiquissimi Patres eam Epistolam Pauli nomine citârunt, et Clemens Alexandrinus atque Origenes apud Eusebium lib. 6 Hist. Ecclesiast. cap. 11 et 19, eam manifestè Pauli esse affirmant. Græcè à Lucâ redditam Clemens ait, argumento ex styli similitudine cum

Actis Apostolorum ; quò minùs elegantiâ Epistolæ abuti debent adversarii, ut eam Paulo detrahant ; multò minùs, quòd dictiones hebraicas fuerit interpretatus, ut Melchisedech, cùm interpretatur Rex justitiæ, cùm id etiam interpreti tribui consentaneum sit; nam quod nomen suum initio Epistolæ non præposuit, ut invidiam amoveret, quâ apud eam gentem flagrabat, factum, Clemens auctor est. Testimonia veteris Testamenti ex se ptuaginta Iterpretatione citantur, quoniam ea interpretatio, non minùs quàm libri hebraici judæi (1), erat eo tempore familiaris, usque eò, ut in Synagogis eorum publicè legeretur, auctores Tertullian. in Apologetico, cap. 18, Justinus, oratione Parænetica contrà gentes, Justinianus imperator suâ fieri ætate testatur, Novellâ 146, et major Judæorum pars inter gentes ac Græcos dissipata vitam agebat. Quinque Epistolas canonicas, de quibus fuit etiam olim dubitatum, Jacobi Epistolam et Judæ, duas Joannis, Petri alteram iisdem auctoribus fuisse conscriptas veteres, ac recentes conciliorum catalogi divinorum librorum aiunt, concilii Carthaginensis III, Laodiceni, Florentini, Tridentini, Innocentii, Gelasii, Isidori, Augustini, Damasceni. Apocalypsim quidam tribuebant Joanni cuidam seniori ; resistunt majori numero et auctoritate Patres. Origenes loco paulò anteà adducto de Joanne ait : *Scripsit item Apocalypsim, in quâ præcipiebatur illi ut conticesceret, et septem tonitruorum voces minimè omninò scriberet; Epistolam etiam reliquit, eamque perbrevem; verùm esto, quòd secundam quoque et tertiam texuerit,* etc. Mitto alios. Epiphanius, hæresi 76, texens catalogum divinorum librorum, sic ait : *Viginti et septem veteris Testamenti libros, qui viginti duo ab Hebræis numerantur et quatuor Evangelia, et quatuordecim Epistolas sancti Apostoli Pauli, et una cum Actis Apostolorum antehàc et in eisdem temporibus factis, etiam catholicas Epistolas Jacobi et Petri, et Joannis, et Judæ, et Joannis Apocalypsim, et Sapientias Salomonis, inquam, et filii Sirach.* Neque plura de auctoribus divinorum librorum; de auctoritate disputare non attinet auctoribus designatis, disputatio magis impedita est, quàm hoc loco necessaria. Eugenii 3. Toletani catalogum divinarum Scripturarum versibus, ut ejus seculi, comprehensum, ad calcem hujus disputationis adjicere visum est, quoniam vulgò non circumfertur, in studiosi lectoris gratiam.

(1) Hellenistæ illâ utebantur, sed nunquàm hebraisantes.

Regula quos fidei commendat noscere libros,
Hos nostra præsens bibliotheca tenet.
Quinque priora gerit veneranda volumina legis,
Hinc Josue Sophtimque, hinc Ruth Moabitica gesta.
Bis bini regum nectuntur in ordine libri,
Atque his Octoni concurrunt indè prophetæ.
En Job, Psalterium, Salomon, et verba dierum
Esdræ consequitur, Ester, Sapientia Jesu,
Tobia et Judith, concludit Machabæorum :
Hìc Testamenti veteris finisque modusque.
Nunc reserare libet carmine scripta novi.
Quatuor in capita sacrorum dicta librorum
Quos Evangelia rectè dixêre priores,
Hæc conscripsêre clarâ quos nomine produnt
Matthæus, Marcus, Lucas, sanctusque Joannes;
Hìnc Pauli monita doctrinæ flore coruscant,
Qui, bis septeno concludens fine volumen,
Corda pia mulcet, et terret impia corda.
Jacobus hìnc nitido præpollens ore nitescit,
Et Petri gemina resplendet Epistola dictis.
Ac triplex legitur magni doctrina Joannis,
Parvaque sed prudens gestatur pagina Judæ.
Hìnc et Apostolicos percurrens invenit Actus
Quos sanctus merito conscripsit nomine Lucas.
Hos sequitur plena verbis, et plena figuris
Visio Joannis consummans omnia legis.

CAPUT V.

De citationibus Apostolorum et Evangelistarum.

Veteres ac novos scriptores divinorum librorum pari ac consonâ voce fuisse locutos, tantùmque in ratione temporum discrepare præteriti, instantis, futuri, argumento est multa ex veteri Testamento in novo citari testimonia, ut non paucis locis videatur novum ex veteris sententiis et verbis esse compactum. De his citationibus quam rationem Apostoli et Evangelistæ tenuerint disputare convenit, de quibus Hieronymus, prologo in Pentateuchum et de optimo genere interpretandi ad Pammachium, Apostolos sæpè ait veteris Testamenti non pauca ex hebraicis codicibus testimonia citâsse, quæ in versione septuaginta Interpretum non exstabant, quale illud est Matth. cap. 2 : *quandoquidem Nazaræus vocabitur,* atque illud eodem cap., *ex Ægypto vocavi filium meum;* et Joannis 19 : *videbunt in quem transfixerunt;* et primæ ad Cor. 2 : *quod oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Quos locos in hebraicis codicibus legi ait, in Septuaginta versione exstare negat. Rursùs manifestum est, tametsi alicubì Hieronymus reclamet, lib. 2 Apologiæ contrà Rufinum, multa in novo Testamento ex versione septuaginta Interpretum adduci, quæ in hebraicis codicibus haudquaquàm reperiantur. Nàm illud Matth. cap. 24, ex Daniele desumptum : *Cùm*

videritis abominationem desolationis, et illud ad Rom. cap. 10 : *In omnem terram exivit sonus eorum*, ubi Hebræi habent Psalm. 18 : *exivit regula eorum* ; deindè 1 ad Cor. cap. 15, *ubi est mors victoria tua?* et ad Hebr. cap. 10 : *Justus autem meus ex fide vivit*, et cap. 11 ejus epistolæ : *Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus*. Præterea Act. cap. 13 : *videte, contemptores, et admiramini* (1), aliaque innumera ex veteri Testamento adducta testimonia atque in novum transfusa, hæc, inquam, omnia in græcis codicibus modò sunt ; in Hebræorum libris ubi invenias? Nimirùm utrosque codices hebraicos et græcos perpetuò Ecclesiæ esse commendatos voluerunt Apostoli, quorum testimoniis tanquàm divinis ipsos esse usos non poterat ignorari. Deindè divinorum librorum plures esse sensus ac significationes, neque mysticos tantummodò, sed etiam plures aliquandò litterales manifestum est, quod quandoquidem ex Augustini sententiâ S. Thomas confirmat, p. p. Summæ quæst. 1, art. ult., estque receptissimum inter theologos, pluribus confirmare supervacaneum est. Sed neque illud dubium est Apostolos sæpè, aut ex duplici sensu litterali elegisse alterum, aut etiam aliquandò mysticum sensum fuisse secutos, quod cùm multis theologorum testimoniis confirmari possit, exemplis illustrare satis habeo, atque ità ut nemini ampliùs in re apertissimâ dubitandi locus relinquatur. Nos typi significationem hoc loco inter sensus mysticos numeramus. S. Thomam secuti, quod lib. 7, art. 15, in corpore, et ad 1, tametsi quosdam secùs statuere non ignorem, haud magno inter utramque sententiam discrimine, ac satis habeam si concedatur loci unius plures esse sensus litterales. Exempla ponamus. Matth. cap. 2, affert. ex Oseæ cap. 2 : *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Quæ verba Hieronymus, commentariis ad eum locum Oseæ, et S. Thom. in Matthæum, de liberatione judaici populi ex Ægypto intelligunt, atque explicant simpliciter, de Christi autem fugâ τυπικῶς. Neque alii expositores dubitant apertiùs dicere non ἱστορικῶς citari, et intelligit de Christo, sed μυστικῶς, et Gregorius Nyssenus apud Euthymium de ipso quidem Israel dici ait, verùm in multis exemplaribus non haberi, nimirùm fraude Judæorum post promulgatum Evangelium resecatum. Quid verò si ego dicerem de utrisque intelligi juxtà historiam, et utrumque fuisse propositum Prophetæ explicare, tùm populi liberationem ex Ægypto, tùm Christi ex Ægypto regressum ? Nam video etiam Judæorum antiquissimos ea verba de Messiâ accepisse, quasi prædictum esset, fore ut in Ægyptum descenderet, atque indè revocaretur. De quâ re Galatinus disputat, lib. 8 contrà Judæos, cap. 4. Neque ignoro nostrâ ætate quosdam de scripto confirmare totum hunc locum non Judæorum liberationem, sed Christi tantùm regressum significare, quæ sententia vel eo nomine catholicis viris minùs placere debet quòd princeps eam invexerit Osiander. Deindè, D. Petrus, Act. cap. 2, affert ex Psalm. 2 verba illa de Christo : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ?* atque ità acceperunt veteres omnes Patres, sed et antiqui Rabbini, teste Rabbi Selomo, initio explanationis ejus psalmi, his verbis : *Magistri nostri explicârunt de rege Messiâ, Judæi recentiores, et ex nostris nonnulli, explicant de Davide;* nescio autem quid vetet de utroque intelligi secundùm historiam, et hostium utriusque conjurationem iisdem verbis declarari, cùm sit fœcunda Scriptura divina, mirâ sententiarum varietate gravida, et David rex typum expresserit Christi. Sed majori argumento rem universam confirmat locus ex Isai. cap. 42, adductus Matth. cap 12 : *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo benè complacuit animæ meæ*. Quæ verba hebraicè quidem exstant, pro illis tamen græci codices habent : *Jacob puer meus, assumam eum, Israel electus meus, suscepit eum anima mea ;* argumento certissimo quandò utrosque codices recipit Ecclesia tanquàm sacros divinosque de utrisque Christo atque judaico populo locum prophetæ intelligi atque explicari posse, neque quòd Christus aut Apostoli unam significationem amplexi fuerint, repudiari alteram; quia video quemdam virum non indoctum nostræ ætatis magno animo contrà disputantem, tanquàm intactam foveam præteriisse. Tùm illud 1 ad Cor. cap. 10 : *Bibebant autem de spirituali consequente eos petrâ, petra autem erat Christus;* et illud Joan. cap. 3 : *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto;* et illud ad Galat. cap. 4 : *Quoniam Abraham duos filios habuit.* Tum illud : *Os non comminuetis ex eo.* Quis neget aut ad allegoriam omnia pertinere, aut certè non tantùm de his rebus intelligi de quibus Christus et Apostoli ea testimonia explicant? Opponet aliquis ex Orig. lib. 3 contrà Celsum à Judæis accusari quosdam ex suâ gente se ad Christum ob inanes allegorias adjunxisse, Deo vero et antiquis prophetis re-

(1) Consule commentarium ad hæc loca.

lictis, et Tertullianus, de resurrectione carnis cap. 20, juxtà sectionem Pamelii exstitisse ait, qui contenderent omnia prophetas per imagines concionatos, hæreticos certè malèque de divinis Scripturis sentientes. Rectè, neque enim nostra ea sententia est omnia allegoricè accipienda, multa enim historicè, ac ferè quibus adversarios revincimus accipi debere putamus apertè de Christo dicta, ex quibus allegoriis etiam fides conciliatur. Sic Tertullianus, capitibus consequentibus in eo libro, multa allegoricè dicta de Christo producit testimonia; multa Origen. lib. 4 contrà Celsum his verbis : *Quò magis autem appareat meram esse calumniam, quòd Celsus ait, Scripturas nostras non admittere allegoriam, pauca è multis exempli causâ proferam. Apud Paulum, Jesu Apostolum, sic legitur: In lege scriptum est: Non obturabis os bovi trituranti,* et quæ in hanc sententiam sequuntur. Tùm August. contrà Faustum lib. 12, cap. 7 et 8, et 41 et 42, contendit in veteri Testamento multa utroque modo de Christo dicta inveniri juxtà historiam nempè et allegoriam. Opponas secundò, non licere ejusdem loci in novo Testamento adducti à Christo, aut ab Apostolis explicati, alias significationes afferre ex Hieronymo ad cap. 13, Oseæ illa verba : *Ero mors tua, ô mors,* dicente, *quod Paulus de resurrectione interpretatus est Domini, nos aliter accipere nec possumus, nec debemus;* et Amos cap. 9, ad illa verba : *Suscitabo tabernaculum David,* etc., *ubi Apostolorum, ait, præcedit auctoritas, maximè Petri et Jacobi, quos columnas Ecclesiæ, vas electionis vocat, ibi omnis variæ expositionis tollenda suspicio est.* Nos equidem novas expositiones temerè adduci, præsertìm his locis, qui novo Testamento explicati sunt, non probamus, præsertìm si non novæ modò sint, sed adversari etiam receptæ expositioni videantur, ac ne locis quidem omnibus recipimus varias explicationes discrepantesque ab iis, quas Christus et Apostoli ac Dei Ecclesia sunt secuti. In quo nonnullos expositores divinarum Scripturarum nostris et antiquis temporibus peccâsse non negamus. Sed certè verba illa Psalm. 68 : *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui habitet in eâ,* quæ D. Petrus Act. cap. 2 ad Judam proditorem retulit, numero etiam multitudinis in singularem numerum mutato, quid prohibeat cum Hieronymo et Augustino de vastitate Hierosolymæ explicare, cùm ipsa psalmi verba numero multitudinis concepta vel maximè huic explicationi faveant? Hæc autem quæ hactenùs dicta sunt, duas res consequi necesse est. Primùm non ità Ecclesiam alicujus loci unam lectionem probare ut diversam lectionem improbet; neque enim Apostoli, cùm testimonia ex septuaginta Interpretibus afferebant, quæ non ignorabant secùs in hebraicis codicibus exstare, aut è contrario diversam lectionem discrepantem ab eâ quam ipsi usurpabant, continuò condemnârunt. Ne Ecclesia quidem, cùm utrosque codices, ut dictum est, amplectatur, et diversam sæpè lectionem in diversis locis sequi consueverit : verbi gratiâ, illud ex Psalm. 67, citatum à Paulo ad Ephes. cap. 4 : *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus;* Ecclesia in precibus quotidianis legit : *Accepisti dona in hominibus.* Et Psalm. 93 : *Dominus scit cogitationes hominum;* apud Paulum 1 ad Cor. cap. 3, legimus : *Dominus scit cogitationes sapientium,* atque quod ampliùs mirêre, cùm Hieronymus ad Gal. cap. 3, in ea verba : *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis,* multis probet ex Deut. cap. 27, vers. 26, à Paulo desumpta et à Judæis esse vitiata expunctâ dictione *omnibus*, in quâ vis argumenti tota, quo Paulus utebatur, est posita; ità tamen Ecclesia lectionem quam Hieronymus probat amplexa est, ut diversam nunquàm rejecerit, sed retineat in editione vulgatâ Deuteronomii, quâ usa tamdiù est, et quam probavit Ecclesia. Et cùm Justinus contrà Triphonem asserat Judæos ex Psalm. 96, ubi legimus : *Dominus regnavit,* expunxisse vocem quæ sequebatur, *à ligno,* ità Ecclesia in hymno de cruce et quibusdam psalteriis quarumdam Ecclesiarum, certè romano et gothico, Justini lectionem secuta est, ut alteram quam Justinus vitiatam esse arbitratur, non modò in græcis, latinis et hebraicis codicibus, retineat, verùm etiam in breviario romano. Angustè ergò judicat de Ecclesiæ amplitudine et religionis nostræ majestate, quicumque loci alicujus lectionem unam in Ecclesiæ precibus, aut libris ecclesiasticis usurpari considerans, continuò omnes alias fore repudiandas pronuntiat. Deindè illud etiam ex iis quæ dicta sunt colligatur, quòd Apostoli, quòd Ecclesia locum Scripturæ aliquem in aliquo sensu afferant non continuò effici, aut eum sensum historicum esse, aut cæteros omnes fore repudiandos, ac illos præsertìm qui servatâ linguæ proprietate atque lectionis quæ in usu est integritate, ex hebraicis codicibus exprimuntur, neque meritò accusari interpretem hebraicorum græcorumve librorum, si diversum sensum reddat, ac ne si contrarium quidem, ut Gen. cap. 8, vers. 7,

de corvi reditu, et 1 ad Cor. cap. 15, vers. 51; de mortuorum suscitatione fieri necesse est; nam fortassis hebraici græcique codices sunt vitiati, quos ipse non debet immutare, sed fideliter convertere, omninò ab interprete librorum sacrorum exigi debet, ut si hebraica aut græca verba et lectionis integritas patiatur, potiùs faveat ei lectioni, atque eam sententiam exprimat, quam Christus, Apostoli et Ecclesia maximè amplecti videntur atque probare, quâ in re novos quosdam interpretes divinorum librorum in suis versionibus sæpè peccâsse, postmodùm commodiùs fortassis explicabimus.

CAPUT VI.

An aliquid sensu humano sit in sacris litteris positum.

Cùm multa sint de citationibus dicta ac multò plura adjici possent, unam tantùm quæstionem disputare constitui : ea est an in divinis libris credamus contineri aliquid spiritu humano, sensuque dictum, atque adeò errori obnoxium, cui subjecti sumus ac vanitati, nos nostraque, nisi superiori prudentiâ regamur, ductuque. Est quidem nefas de divinorum librorum veritate dubitare, quorum Deus ipse auctor est, ut mortis et interitûs expers, ità ab omni mendacio alienus. Anomæi erant qui, utì Epiphanius refert, cùm divinis Prophetarum et Apostolorum testimoniis premebantur, eos ut homines fuisse locutos excusabant. Paulus autem 2 ad Tim. cap. 3, *Scripturam divinitùs inspiratam* esse ait; Petrus 2, cap. 1, Spiritu sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines affirmat. David aliquandò eloquia domini casta esse ait, aliquandò affirmat Deum fidelem in omnibus verbis suis. Accedunt Patrum testimonia. Origenes, homiliâ 26 in Num., Spiritum sanctum scribit esse eum qui loquitur in Scripturâ. Chrysost. hom. 25 in Gen. negat, quæ in Scripturâ sunt, leviter transigenda, cùm nihil in eâ scriptum sit, quod non multas sensuum habeat divitias; nempè ab Spiritu sancto conscripta ingentem in se continet thesaurum. August. de consensu Evangelistarum lib. 1 et 2. Prætereà copiosiùs, lib. 3, cap. 13, contendit, Spiritum sanctum Evangelistis verba suggessisse, ipsumque adeò narrationis ordinem ; et Epist. 2 et 19, in Scripturis divinis vel levissimum mendacium sine crimine admitti non posse, ac solis divinarum Scripturarum libris eum honorem deferendum, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errâsse firmissimè credamus, quod est à Gratiano inter decreta relatum, dist. cap. 9. Sed quid opus est in re apertâ testibus uti minimè necessariis? Neque dubium est, mendacia non pauca in divinis libris narrari, sed eorum verbis explicata verissimè à quibus dicta sunt, cacodæmonis, stultorum hominum, Judæorum, contrà Christum et Apostolos. De legibus tantùm et citationibus disceptatio est, an humano sensu et auctoritate sint certæ aliquæ in divinis libris positæ, quæ duæ res non magis difficultate suâ quàm varietate loquentium sunt impeditæ. Leges quidem quasdam à Moyse et Apostolis fuisse promulgatas non ex ipso Dei ore, sed pro eâ quam ipsi acceperunt potestate multa persuadent. Jeremias enim cap. 7, vers. 22 : *Non sum*, inquit, *locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die quâ eduxi eos de terrâ Ægypti, de verbo holocautomatum.* Quibus verbis Irenæus utitur lib. 4, cap. 49, ad confirmandum quædam in Scripturâ esse sancita ab hominibus ipsorum auctoritate, et Christus ipse apud Matthæum cap. 19, vers. 7 : *Moses*, inquit, *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Quæ verba explicans Hieronymus commentariis ad eum locum, non Deus, sed Moyses permisit, non est ergò Dei consilium, sed Moysis præceptum. Et Ambrosius lib. 8 in Luc. cap. 16, iisdem verbis productis, ait : *Ostendit hic locus quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, non à Deo esse scripta.* Deindè Paulus 1 Cor. cap. 7, cùm dixisset : *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non recedere*, subjecit : *Nam cæteris ego dico, non Dominus : Si quis frater uxorem habet infidelem*, etc. Quo quid clariùs in hâc parte dici possit non video. Itaque Origen. hom. 17 in Num. quædam affirmat à Prophetis addita de suo, quæ à Deo non acceperant, ut cùm Jonas dixit : *Adhùc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*, cùm Deus tantùm præcepisset ut Ninivitis vaticinarerur. Addit prætereà Mosem in lege quædam propriâ auctoritate sanxisse. Sed præstat quædam Origenis verba ex eo loco producere : « Denique et per « Mosem multa quidem locutus est Deus, ali- « quanta tamen et Moses propriâ auctoritate « mandavit, quod Dominus in Evangeliis evi- « dentissimâ distinctione secernit, cùm dicit, de « repudio mulieris interrogatus : quia ad duri- « tiam cordis vestri scripsit vobis hæc Moyses, « ab initio autem non fuit sic. » Quod sequitur Basilius, lib. 5 contrà Eunomium cap. penult., nosque cum Catharino, disputatione de residentiâ episcoporum, eamdem sententiam amplectabamur, amplectamurque tantorum vi-

rorum inducti auctoritate, quamvis multis oppugnantibus, quorum sententiam confirmare licet his argumentis : quæ Adam de conjunctione viri et feminæ in extasi pronuntiavit, Gen. cap. 2, ea à Deo fuisse dicta, Christus ait, Matth. cap. 19. Quid ergò prohibeat verba Moysis et Pauli, qui divino spiritu agebantur, à Deo fuisse dicta, omnia interpretari. Deindè quia si sensu humano quædam dicta fuisse admittimus, errori ea fuisse obnoxia fateamur necesse erit, ut sunt omnes homines, humanaque omnia fallacia. Nam quæ Hieronymus præfatione in epistolam ad Philemonem et in Mich. cap. 5, ex aliorum sententiâ ponit, scriptores sacros non semper divino spiritu fuisse locutos, sed quædam humanitùs miscuisse, utì est illud : *Penulam quam reliqui Troade, affer. Lucas est mecum solus. Trophimum reliqui infirmum*, ac alia id genus, à sanioribus repudiantur. Et censurâ Parisiensi, titulo 8, damnatur Erasmus, quòd majoris auctoritatis esse affirmârit, quæ à Christo quàm quæ ab Apostolis dicta sunt. Ad hæc, si leges aliquæ essent humanâ potestate promulgatæ in divinis libris eas abrogare, antiquareque nihil vetaret. Postremò Epiphanius, hæresi 33, Ptolemæum quemdam ait affirmâsse legem Mosis trifariàm fuisse divisam, nempè quædam ab ipso Deo fuisse sancita, quædam à Mose, alia à senioribus addita, quâ divisione explicatâ negat Epiphanius legem trifariàm divisam; nam *seniorum traditiones in sacris libris non continentur; quæ verò à Mose, neque ipsa extrà Deum sancita sunt, sed ex Deo per Mosem.* Quæ sunt ipsius Epiphanii verba. Verùm ejus auctoris verbis nos aliorum Patrum opponimus auctoritatem. Quod de Adamo affertur parùm movet; functus est enim in eâ extasi prophetæ officio. Moses et Paulus legislatorum munere fungebantur, condendo nonnullas leges ex auctoritate humanâ, tametsi eam à Deo acceperant, utì nostri pontifices, cùm ecclesiasticas leges promulgant. Credimus autem ipsos, qui leges condiderunt, noluisse eas abrogari, quandò in divinis libris illas immortalitati consecrabant, tametsi non ignoramus bigamos nonnunquàm sacris altaribus fuisse admotos, veniâ pontificum, ac contrà seu præter præceptum Pauli mandantis, utì unius uxoris vir sacris christianis præficiatur. Tùm lex ab Apostolis lata de sanguine et suffocato antè multos annos antiquata est. Errorem iis legibus condendis admittere nefas sit, cùm divino spiritu etiam eâ parte tùm Moses, tùm Apostoli regerentur, quod romanis etiam pontificibus tribui videmus, ut legibus præsertim quæ majoris momenti sunt sanciendis, falli posse non putemus, ac multò minùs scriptores sacri falli poterant cùm in divinos libros eas leges conferebant, non jam ut legislatores, sed ut scriptores sacri, quorum calamus haud dubium à divino Spiritu regitur, ne aberret in minimis, in maximis. Hæc de legibus. De citationibus pauca adjicienda sunt. Sanè non semper Christum et Apostolos verba observâsse, sed sententiam fuisse secutos tantummodò, eorum testimoniorum quæ citabantur, magna argumenta sunt : nam neque ipsa verba Christi Evangelistæ retulerunt eodem prorsùs modo et ordine, utì exempla multa docent. Matthæi certè cap. 5, octo beatitudines numerantur, atque eæ in tertiâ personâ positæ : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* In Lucâ numerantur quatuor, eæque in secundâ personâ conceptæ : *Beati pauperes, quia vestrùm est regnum Dei.* Hieronymus, de optimo genere interpretandi, multa in hanc rem exempla congerit, inter alia Matth. cap. 26 : *percutiam pastorem*, cùm Zach. cap. 13, cujus ea verba sunt, non ex personâ Dei, ut in Evangelistâ, sed Prophetæ Deum rogantis, dicantur in hebræo et græco : *percute pastorem et dispergentur oves.* Idem Hieronymus Isaiæ cap. 7 : « In multis, inquit, testimoniis, quæ Evangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosiùs attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. » Et Euthymius, Matthæi 3 : « Universaliter, inquit, scire oportet, « Evangelistas interdùm quidem integrè dicto- « rum mentionem facere, aliquandò verborum « quidem sensum integrè servare, quasdam « verò dictiones mutare, quandò id in nullo ser- « monem potest corrumpere. » Plura cùm possemus afferre in hanc sententiam, non credimus fore necessarium. Qui contrà disputant contentiosi homines, ne verbum quidem commutari in citationibus suadentes, næ magnis se ambiguitatibus implicant, duplicem lectionem in divinis libris olim fuisse fingentes, nullius auctoritate, nullo argumento. Ex iis alteram exstare in veteri Testamento, in novo citari alteram, quò fit ut cùm plures unâ lectione veræ esse non possint, uno enim modo scriptores sacri non pluribus scripserunt, asserendo ad hunc modum citationum veritatem, fides evertitur veteris Testamenti, hebraicè, græcè et latinè conscripti, quibus locis iis omnibus linguis discrepârit à verbis quæ in novo Testamento citata inveniuntur. Quantò simpliciùs ac faciliùs, si Apostolos non verba

secutos fuisse, sed sententiam fateamur! Nam quod quidam addunt memoriâ lapsos Apostolos unum pro altero aliquandò posuisse, mens refugit cogitare. Quid enim hoc esset, nisi divinis Scripturis contumeliam facere? Tametsi Hieronymum videmus ardore disputandi id affirmâsse aliquandò de optimo genere interpretandi ad Pammachium, Michææ cap. 5, ad illa verba: *Et tu, Betheleem Ephrata,* « sunt, inquit, « qui asserant in omnibus penè testimoniis, « quæ de veteri Testamento sumuntur, istius- « modi esse errorem, ut aut ordo mutetur, « aut verba, et interdùm sensus quoque ipse « diversus sit, vel Apostolis, vel Evangelistis « non ex libro carpentibus testimonia, sed me- « moriâ credentibus, quâ nonnunquàm falli- « tur. » Quod hoc loco alienis verbis posuit, in fine primi libri in epistolam ad Galat. ex suâ sententiâ videtur ponere: « Hoc autem, in- « quiens, in omnibus penè testimoniis quæ de « veteribus libris in novo assumpta sunt Testa- « mento, observare debemus quòd memoriâ « crediderint Evangelistæ vel Apostoli, et tan- « tùm sensu explicato sæpè ordinem commu- « taverint, nonnunqnàm vel detraxerint verba, « vel addiderint. » Pari libertate Euthymius in Matthæi cap. 20, postremis verbis, et Theophilactus prologo in Matth. loquuntur, quos imitari certè non debemus, nec adscribere iis mendacium, quorum mentes divino instinctu et calamus agebantur, tametsi multis argumentis eorum sententia confirmatur, è quibus pauca exempli causâ proferemus. Apud Marcum cap. 2, princeps sacerdotum *Abiathar* vocatur, qui lib. 1 Reg. cap. 21, fuit *Achimelech;* sed respondet Theophilactus ipse, aut Abiathar binomium fuisse, dictumque etiam Achimelech, aut Achimelech sacerdotem fuisse, ut in libris Regum dicitur, *Abiathar pontificem*, utì in Marco ponitur, aut cum Bedâ, lib. 1 in Marcum cap. 20, licebit nodum dissolvere, si quo tempore David panes propositionis sumpsit, dicamus utrumque affuisse, Achimelech patrem et Abiathar filium; alterius mentionem in libris Regum factam, alterius in Marco qui pontificatûs munere, scilicet pro patre vicarius utebatur, et majori famâ celebratur Davidem exilii tempore secutus. Alterum argumentum desumitur ex Actis cap. 7, ubi Josephum dicitur accersisse cognationem suam *in animabus septuaginta quinque*, cùm Gen. cap. 46, et Exod. cap. 1, referantur tantùm *septuaginta.* Verùm Actorum verba, vel ex septuaginta Interpretibus sunt posita, qui 75 animas numerant, comprehenso Joseph et filiis ejus, et fortassis hebraica, utì nonnulli contendunt, eâ parte sunt vitiata, aut certè, quod alii malunt, verba illa non D. Lucæ scriptoris sunt, sed Stephani, qui quamvis divino Spiritu plenus, citandis veteris Testamenti locis labi potuit; martyris enim, non scriptoris catholici munere fungebatur. Ternum argumentum ex Matth. cap. 2 conflatur, ubi testimonium Mich. cap. 5: *Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda,* additâ negatione citatur, *nequaquàm minima es,* quod simplicissimè refellatur, si cum Hieronymo in Michæam consideremus ea verba scribarum fuisse, quorum negligentiam in divinarum Scripturarum lectione Matthæus arguere voluerit. Verùm negare possumus Michææ locum affirmativè legendum, tametsi modò græca et hebraica discrepent. Isidorus certè, lib. 1 contrà Judæos cap. 11, additâ interrogatione, legit: *Et tu, Bethleem Ephrata, numquid parvula es in millibus Juda?* Quæ lectio Gothorum tempore usitata in Hispaniâ fuisse videtur, cùm Biblia gothica, antè sexcentos ampliùs annos conscripta, quæ in Toletano templo servantur, ità legant. Prætereà Julianus, lib. 1 contrà Judæos, nisi quæ genere masculino dixit, *numquid parvulus es?* Alii cum negatione legunt. Hieronymus, in ipsâ versione septuaginta, *nequaquàm minima es* habet. Cyprianus 2 contrà Judæos cap. 11, *non exigua es, ut constituaris in millibus Juda.* Origen., 1 contrà Celsum: *Et tu, Bethleem Ephrata, non es minima, ut sis in millibus Juda?* Ipsemet Isidorus, lib. 2 contrà Judæos, cap. 3, Michææ locum afferens, *non es,* inquit, *minima in millibus Juda;* quæ si vera sunt, fateri oportet hebraicos Micheæ codices esse vitiatos, Septuagintaque olim atque veteres locum eum, ut est in Matthæo legisse, tametsi quidam nostrâ ætate Matthæum cum Michæâ ità conciliant ut dicant hebraica hoc modo interpretanda: *Et tu, Bethleem Ephrata, parùm* (supple: Est tibi) *ut sis in millibus Juda*: nimirùm vocem, Zahir, hebraicam, pro quâ alii parvula, seu parvulus reddiderunt, hi neutro genere sumi malunt, quorum sententiam neque refellere, neque confirmare hoc loco animus erat. Multa prætermittantur necesse est; illud adjiciam tantùm à quibusdam reprehendi, quod Paulus Act. cap. 17, invenisse se affirmavit Athenis aram in quâ scriptum erat: *Ignoto Deo;* contendentes eam aram non ignoto Deo inscriptam, sed potiùs *Diis Asiæ et Europæ et Africæ, Diis ignotis et peregrinis,* utì Hieronymus refert in cap. 1 Epistolæ ad Titum, et Pausanias in Atticis ait: *Ara prætereà et Deorum et Heroum, qui ignoti vocantur.* Itaque Paulum, mutato nu-

mero eam inscriptionem vertisse aiunt ad occasionem divini numinis prædicandi. Nos tamen credimus magis aram ignoto Deo fuisse dicatam; nam Michael Syncellus, in Encomio Dionysii Areopagitæ, visâ, inquit, eclipsi, quæ in morte Christi contigit contrà naturæ ordinem, athenienses verti naturæ vices putantes virtute aliquâ occulti numinis aram *ignoto Deo* excitâsse, eòque Paulum allusisse. Et Lucianus, in dialogo cui nomen est *Philopatris*, jurat per ignotum Deum Athenis, et in eâ urbe invenisse se ait et adorâsse ignotum Deum. Eam aram descriptam elegantissimè quidam putant ab Statio, Thebaidos lib. 12, cùm ait : *Urbe fuit mediâ multi concessa potentum ara Deûm* et quæ sequuntur. Pausanias parùm movet, nam multas aras fuisse ait ignotis Diis sacratas, fortassè cùm singulæ ignoto Deo essent inscriptæ. Hieronymus, quâ solet libertate pronuntiandi, hâc etiam in parte est usus. Tametsi non magnì referre putabamus utrovis modo inscripta fuisse credatur ara illa, et memoriâ lapsos Apostolos benignâ interpretatione emollire, verum est nempè Apostolos ex familiari consuetudine testimonia aliquandò citâsse, quà nonnunquàm aut vitio linguæ aut memoriæ lapsu immutari consueverunt, eatenùs tamen ut cùm ad scribendum accederent, mens eorum et calamus ab Spiritu sancto regeretur, ut verbis quamvis ex communi consuetudine arreptis, sententia integra retineretur nihilominùs; neque puto aliud Hieronymum, ne cæteros quidem Patres in re propositâ cogitâsse. Superest an credere debeamus scriptores sacros non modò falli non potuisse in magnis, in minimis, sed et concedendum sit Spiritu sancto dictante scripsisse omnia. Sunt enim viri docti et catholici, qui utroque modo contigisse confirmant; pleraque inflatu Spiritûs divini excepisse sine ullâ curâ aut labore : quomodò David dixit : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, Psalm. 44. Alia ex memoriâ deprompta scribentis, ex ratione, experimento, aut aliorum ratione, semper tamen spiritûs numine præsenti ne lapsus contingeret. An Spiritûs divini inflatu eguisse Paulum credamus, ut diceret : *Trophimum reliqui infirmum*, et : *Lucas est mecum solus*, et : *Penulam reliqui Troade*. Quid verò cùm auctor secundi libri Mach. Jasonis Cyrenæi compilator initio excusat se opus magni laboris et vigiliarum suscepisse, et in fine petit veniam, si quid minùs aptè dixerit, minùsque historiæ congruum. Quæ omnia in Spiritum divinum non conveniunt, nam Hier. 36 : *Itâ is Propheta dictabat vaticinia, ut ex libro legere videretur*. Nimirùm quæ divinitùs dictantur, ea sine labore contingunt. Quæ sententia nobis quidem probabilis videbatur ab Anomæorum amentiâ procùl, quandò per eum modum ab Scripturâ divinâ omne prorsùs repellitur mendacium, ob præsens numen Spiritûs sancti providentis atque præstantis ne mens sacri scriptoris laberetur.

CAPUT VII.

Hebraicos codices esse vitiatos (1).

Videamus rursùs, priusquàm aggrediamur ad editionis vulgatæ auctoritatem explicandam, de hebraicorum codicum ac græcorum veritate, quid sentiendum sit, quò referenda sunt cætera, et undè dijudicandum est de propositâ initio difficultate. Ac primùm de hebraicis disputandum est, quos in re majoris momenti vitiatos esse non credebam, hoc est, ullum dogma contrarium Ecclesiæ placitis, eorum testimoniis confirmari, alioqui eorum lectione penitùs interdictum esset. An ferret Ecclesia Scripturæ sacræ nomine nobis hæreses propinari? Eo majori periculo, quòd in divini verbi simulatione graviores insidiæ forent. An publicis præmiis et honoribus invitaret ad eorum librorum lectionem, in quibus sciret lethale venenum contineri? Neque enim cùm in concilio Viennensi sancitum est hebraicam linguam publicis scholis doceri, ignorabant patres eam linguam puram putam in sacris tantummodò libris exstare, atque ex illis ut doceretur, quod etiam ubique fit inter Christianos, necesse esse. Nùm viri docti, quorum magnus numerus semper est in Ecclesiâ, in tanto periculo tacuissent, et non potiùs ad codicum Ecclesiæ fidem depravatos adversariorum codices restitui postulâssent? Igitur altum eorum silentium, Ecclesiæ totius consuetudo ac mos argumento sit apud homines modestos et veritatis potiùs quàm contentionum studiosos, hebraicos codices non ità esse vitiatos, ut ex iis periculum immineat, ne simplicibus quidem et incautis. In rebus minutis et levioribus corruptos hebraicos codices esse, an integros, à magnis viris hâc nostrâ ætate disputatur magnâ contentione, neque levibus in utramque partem antiquorum testimoniis, prætereà argumentorum pondere maximo. Quâ in disputatione, ut viâ et ordine procedatur, tempus omne trifariàm distinguendum existimabam, ut quâ occasione, quove

(1) Consule superiùs Bonfrerium, Valtoni Prolegomena et Renaldoti Dissert.

tempore à Judæis hebraici codices fuerint vitiati, apertiùs intelligatur. Primum tempus ad Christi adventum pertinet, quo se hominibus in carne monstravit. Secundum continet intervallum à Christi ortu usquè ad congregationem Tiberiadis, quæ magnâ famâ in eâ gente celebratur, et congregatio magna vulgò nuncupatur; quo tempore habita variant scriptores; quidam Christi annum 150, alii annum 300 designant. Verùm communi sententiâ Hebræi, Elias tertiâ præfatione Massoreth, et Galatinus lib. 1 contrà Judæos, cap. 5, post templi excidium ponunt annum 436, nimirùm à Christo nato anno 512. Quæ sententia haud levi argumento confirmatur prioribus temporibus congregationem illam non fuisse celebratam, cùm constet Hieronymum eâ diligentiâ, eâque cognitione rerum hebraicarum nunquàm vidisse puncta, quæ vocalium loco in eo conventu sacris libris adscripta fuisse minimè dubium est. Ab eâ congregatione ad nostram ætatem tertium tempus pertinet, quo investigare debemus an Judæi sacros libros vitiârint. Ergò à primo tempore inchoantes Judæos malo animo suos libros corrupisse eâ tempestate non arbitror. Origenes argumento inductus apud Hieronymum in illa Isaiæ verba cap. 7: *Et dixit: Vade, et dices populo huic.* Quod nunquàm Dominus et Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis et Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent. Neque Christus, Joannis cap. 3, ad servandas Scripturas provocâsset, si à Judæis fuissent priori tempore depravatæ, ac potiùs monuisset, ut earum lectionem vitarent. Neque Matth. cap. 23, Scribarum et Pharisæorum doctrinam sectandam moneret; ne Paulus quidem, 2 ad Cor. cap. 3, velamen dixisset fuisse positum super cor Judæorum in lectione Mosis, sed potiùs Mosem ab illis fuisse depravatum. Neque temerè malo animo negavi à Judæis primis illis temporibus sacros libros fuisse vitiatos, sed ut indicarem librariorum incuriâ, utì in aliis libris contingit, errores in hebraicos libros incidere potuisse; et constat antè Christi tempora quosdam locos fuisse ab Scribis immutatos, quos Rabbi Salomo Malachiæ cap. 1, quindecim omninò numerat eâ correctione, quam *Tichum Sophrim*, hoc est, correctionem Scribarum vulgò vocant. Ex eo numero est locus Malachiæ cap. 1, vers. 33, ubi nos legimus: *Ecce de labore, et exsufflâstis illud*, olim legebatur, et *afflixistis me:* quod cùm incommodum videretur, neque Deo, qui loquebatur convenire, lectionem immutârunt. Deindè, Gen. cap. 18, vers. 22, illis verbis; *Abraham verò adhùc stabat coràm Domino;* olim legebatur: *Dominus stabat coràm Abraham*, utì Rabbi Moses Hadarsan in eum Genesis locum testatur. Neque antiqua lectio sacramento vacabat, cùm Christus venit homo factus et ad tribunalia ductus est. Deus coràm Abrahæ posteris verè stetisse dici potest. Ad hæc Michææ cap. 1, vers. 10, ubi nos legimus: *In domo pulveris pulvere vos conspergite;* olim legebatur (hithpalasti) *pulvere conspersi me*, quod nonnulli referunt ad Christi incarnationem. Itaque ità in quibusdam codicibus fuisse liber Massoreth argumento est. Omnia referre non licet. Locus tantùm Oseæ cap. 9, vers. 12, adjiciatur: nam ubi nos legimus: *Væ eis, cùm recessero ab eis,* olim legebatur: *Væ eis, caro mea*, vel *incarnatio mea ab eis*, nempè Deo homine facto, Judæi in omnia mala se præcipitârunt, quam lectionem mirabar, in Judæorum Massoreth notatam non esse, cùm ad nostram ætatem in græcis exemplaribus retineatur his verbis: δριότι καὶ οὐαὶ αὐτοῖς ἐστὶν ἡ σάρξ μοῦ ἐξ αὐτῶν. De tempore quo facta ea correctio est, magna quæstio est. Illud constat antè Christum fuisse, quandò Jonathas, qui priori tempore fuit, eam correctionem plerisque locis est secutus, atque eodem argumento confirmari potest antè septuaginta Interpretes fuisse, quandò græci codices (si modò ii ex Septuaginta interpretatione sunt, de quo modò non disputamus) ferè eos locos juxtà eamdem correctionem exprimunt. Convenit inter Hebræos Kimhi, præfatione in Josue, et Eliam 3, præfatione Massoreth, ab Esdrâ in congregatione, quam illi vocant magnam, ubi sacri libri qui perierant sunt restituti, eam correctionem scribarum fuisse factam. Modus autem corrigendi eisdem auctoribus erat: cùm in unam lectionem omnes codices conveniebant, illa relinquebatur, diversâ penitùs rejectâ; cùm autem, qui aderant, opinionibus discrepabant, lectio à pluribus aut doctioribus approbata in contextu ponebatur, alterâ ad marginem adjectâ, quo factum, ut in quibusdam locis ab scribis correctis prioris lectionis nullum vestigium exstet, neque in Massoreth, neque in Bibliorum margine, nempè quoties in unam lectionem omnes conspirârunt, in aliis diversa lectio adscribatur. Hæc de primo tempore dicta sunt. Proximo spatio à Christi ortu usque ad congregationem Tiberiadis, divinas Scripturas à Judæis fuisse vitiatas et quidem aliquandò ex invidiâ, atque odio christiani nominis, iniquo animo, multis testimoniis confirmare possem. Tertullianus, lib. de habitu muliebri, cap. 3;

« Legimus, inquit, omnem scripturam æ lifi-
« cationi habilem divinitùs inspirari à Judæis,
« posteà jam videri propterea rejectam, sicut
« cætera quæ Christum sonant, neque utique
« mirum hoc, si scripturas aliquas non rece-
« perunt de Deo locutas, quem et ipsum
« coràm loquentem non erant recepturi. »
Loquitur quidem Tertullianus eo loco de libro Enoch, sed ejus occasione de aliis etiam scripturis ab Esdrâ post captivitatem babylonicam divinitùs restitutis. Accedat Origenes multis locis, sed primo certè contrà Celsum libro: post Christi adventum affirmat Judæos multas de Christo manifestas prophetias resecuisse ac de medio sustulisse, « ut agnoscas planè illo-
« rum germanos, qui militibus monumenti
« custodibus et resurrectionis consciis suase-
« runt dicere : Discipuli ejus nobis dormienti-
« bus noctu furati sunt eum. » Versat locum Michææ cap. 5 : *et tu, Bethleem, domus Ephrata.* Deindè epistolâ ad Africanum, quæ exstat, meminitque ejus Eusebius lib. 6 Hist. cap. 22, ubi Africano objicienti historiam Susannæ in hebraicis Danielis codicibus non legi, respondet nequaquàm Judæorum commentis et fraudibus auscultandum, sed hoc solum pro vero habendum in Scripturis divinis, quod septuaginta Interpretes transtulissent; nam id esse solum quod auctoritate apostolicâ confirmatum sit. Vides fraude et commento Judæorum divinas litteras depravatas. Neque negabo aliquandò Origenem Judæis hâc in parte favere; apud Hieronymum, in illa Isaiæ verba cap. 7 : *Et dixi : Vade, et dices populo huic* (qui locus paulò antè est à nobis citatus); *sin autem dixerint, ait, post adventum Domini Salvatoris et prædicationem Apostolorum libros hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator et Evangelistæ et Apostoli ità testimonia protulerint, ut Judæi posteà falsaturi erant.* Quæ verba eatenùs vera arbitror, ut non omnibus locis, quæ in novo Testamento citantur, de quibus Origenes hoc loco disputat, depravatos fuisse credere debeamus. Eusebius ipse, lib. 10 Demonstrat. Evang., Demonst. 4, agens de illis verbis apud Matthæum cap. 27 : *Acceperunt triginta argenteos*, ex Jeremiâne, ut eo loco legitur, an ex Zachariâ fuerit producta, ait : *Ubi diligenter considerabis, cùm hæc non habeantur apud Jeremiam prophetam, nùm arbitrari conveniat ea per quamdam malitiam ex illo sublata esse, an verò librarii erratum fuisse qui pro Zachariâ Jeremiam posuit?* Non ergò Eusebius eâ eruditione ac rerum hebraicarum peritiâ tantâ religione putabat ab Hebræis libros sacros asservari, quantam illis nostrâ ætate quidam tribuunt, alioqui viri docti et moderati. Accedit Athanasius, libro adversùs Judæos : « Sed ta-
« men, inquiens, tàm manifestis Scripturis et
« de Christo prophetiis excæcavit Satanas Ju-
« dæorum oculos, et surdas fecit animarum
« aures, ut talia testimonia falsâ scriptione
« vitiarent. » Quod fortassis aliquis ad ineptas Judæorum interpretationes expositionesque dictum traducat. In Chrysostomo certè facere id non poterit, cùm Judæorum fraudes et dolos ubique accuset, homil. 5 in Matth. cap. 1, 2 ad Cor. cap. 2, in illa verba, *quod oculus non vidit*, et 1 ad Cor. cap. 14, ad finem, homiliâ 34, sed præsertìm ad Philipp. cap. 3, homiliâ 11, initio, causam reddens cur apertè Spiritus sanctus non sit semper locutus in veteri Testamento, *ne Judæi*, inquit, *facerent quod in aliis fecerunt, delentes namque litteras inficiati sunt Scripturam, in illam intendere non valentes.* Longum esset omnia hoc loco veterum testimonia congerere ad revincendas Judæorum fraudes. Indicio certè est hebraicos codices incorruptos omni ex parte non esse, cùm Philo, lib. 2 de vitâ Mosis, versionem septuaginta Interpretum, hoc est, græcam, mirum in modum cum hebraicis fontibus convenire affirmet, idque utramque linguam callentibus manifestum esse. Quam concordiam hoc quidem tempore non invenimus. Ergò certè mirabar aliquandò verba illa, *regnavit à ligno Deus*, tàm frequentia esse in precibus ecclesiasticis in oreque omnium, tùm recentium tùm antiquorum. Tertullianus sanè, libro contrà Judæos, illis verbis productis illorum vecordiam ridet : *An speratis*, inquiens, *lignarium aliquem Deum fore aliquandò?* Prætereà à Lactant. lib. 4, cap. 18, considerabam Esdræ verba adduci, nimirùm : *Hoc Pascha Salvator noster et refugium nostrum, cogitate et ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in ligno, et post hæc sperabimus in eum.* Nec invenire tamen poteram in veteri Testamento, ne vestigium quidem utriusque loci. Verùm ex Justini martyris disputatione contrà Tryphonem Judæum deprehendi, quod res erat, utrumque locum à Judæis fuisse sublatum corruptumque, quoniam apertè nostræ causæ favebant, designato etiam Psalm. 95, undè prior locus erat desumptus; illis enim verbis : *Dominus regnavit, decorem indutus est*, olim legebatur : *Dominus regnavit à ligno;* eaque lectio in psalteriis romano et gothico ad nostram ætatem retinetur; exprimitur etiam in hymno de cruce. Nam tertius locus ex Jeremiæ

cap. 11 : *Mittamus lignum in panem ejus*, quem sublatum etiam fuisse à Judæis Justinus ait, in nostris codicibus et hebraicis restitutum videmus, nimirùm cùm Christianorum causæ non tantoperè favere considerârunt. Sed certè à Christi cruce quam eo loco significatam omnes veteres putant, ad veneni significationem transtulêre, acuti scilicet homines et præclari. Hieronymus, etsi hebraicis rebus aliis locis favere videatur plus quàm satis est, commentariis tamen epistolæ ad Galatas, tùm ad illa verba cap. 3 : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, quoniam in cap. 21 Deut. vers. 23, undè Paulus id testimonium adducit, legitur hebraicè : *Maledictus à Deo, qui pendet in ligno*, suspicatur vocem *omnis* deesse et vocem *à Deo* redundare, in codicibus hebraicis vitiosè utrumque. Tùm præsertim eo testimonio : *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*, suspicatur illas duas voces *omnis et omnibus*, quibus Pauli argumentum incumbit ad revincendum Judæos sub maledicto esse, detractas à Judæis fuisse ex Deuteronomii cap. 27, vers. 26, undè ea verba citentur, quoniam in hebraicis codicibus desunt, et in græcis ea et samaritanis exstabant. Plura Patrum testimonia cùm adjicere liceret, libenter prætermittimus, ne ultrà modum crescat disputatio. Illud addimus in conventu Tiberiadis quem habitum diximus anno post eversam Hierosolymam 436, qui annus à Christo nato fuit 512, multa fuisse à Judæorum proceribus actitata. Primùm enim Thalmud babylonicum à Rabbi Asse consarcinatum communi consensu probatum est. Et enim liber Misna ab everso templo, anno 120, fuerat confectum, deindè annum circiter 300 Thalmud hierosolymitanum prodierat, quibus libris leges, traditiones, ritusque Judæorum continentur; ex iis libris Thalmud babylonicum compactum in eo conventu prodiit, quali diligentiâ Gratianus ex prioribus Ivone et Burchardo, Pontificum et conciliorum decreta in unum corpus collata promulgavit. Deindè puncta vocalium loco hebraicis codicibus divinarum Scripturarum sunt adjecta. Aaron Ben Asser et Jacob Ben Nephtali principes auctores, dùm inter se nonnullis locis quomodò legendi essent, dissentiunt, Judæos in duas partes sciderunt, ac ferè Judæi occidentales prioris sententiam secuti sunt, posterioris orientales, præcipuè Babylonii, uti Kimhi ait in Psalmum 60, atque hæc duo in eo conventu facta fuisse hebræi scriptores conveniunt. Prætereà editam Massoreth, quo libro, uti posteà dicemus, variæ lectiones hebraicorum codicum, qui olim exstabant, nunc sunt adnotatæ. Ac persuasum habeo multis conjecturis novam correctionem divinorùm librorum in eo conventu fuisse factam. Collatis enim variis codicibus, alterâ lectione prælatâ diversa penitùs rejiciebatur; sæpè etiam cùm non satis opinionibus convenirent, lectio altera inserebatur textui, diversa ad marginem adjiciebatur. Quo enim aliò tùm punctorum adinventio, tùm Massoreth editio spectabant, quàm ut varietate sublatâ in unam opinionem, atque lectionem, omnes conspirarent. Itaque videmus quasdam Hebræorum correctiones septuaginta Interpretes fuisse secutos, atque editionis nostræ auctorem, nimirùm quia antiquiores erant, in plerisque discrepare, quoniam posteriori tempore sunt factæ. Quis autem dubitet Judæos in eo conventu in odium christianæ religionis, aut corrupisse multa, quod multi hæretici fecerunt, Valentinus, Marcion, Hydroparastæ, uti Theodoretus ait lib. 2 de hæresibus, aut in variâ lectione codicum eam lectionem fuisse probatam, quæ Christianorum causam infirmare maximè videbatur, quod Gen. cap. 49, consideramus illis verbis : *donec veniat, qui mittendus est*, Hebræos substituisse : *donec veniat Siloh*. Sed et Daniel. 9, vaticinium de Christi adventu, et septuaginta hebdomades variâ accentuum distinctione, ad Zorobabel manifestè trahunt. Tùm Jeremiæ 23, ubi nos et septuaginta habemus : *et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster*, hebraici codices habent, longè aliâ sententiâ : *Vocabit eum Dominus justus noster*. Neque mirum videri debet existimare nos, à Judæis hebraicos codices fuisse corruptos, quandò tanto odio flagrabant christiani nominis, ut Justino teste, disputatione cum Tryphone contrà Judæos, post occisum Christum, certos homines miserint qui toto orbe christianam religionem opprimerent, gentesque in christianos homines concitarent, neque sumptui, neque labori parcentes. Et Hieronymus, Isaiæ cap. 21, ad illa verba : *onus Duma*, affirmat à quibusdam Hebræis *Roma* legi propter similitudinem primæ litteræ hebraicæ in utrâque dictione, nimirùm volentes illam prophetiam contrà romanum imperium accipi debere. Tertio temporis intervallo, ex quo congregatio Tiberiade est habita, non arbitror consensu gentis, novam divinorum librorum correctionem, seu potiùs corruptionem fuisse factam. Neque enim ab eo tempore convenerunt ex omnibus locis, ut communi consensu novas fraudes

necterent et libri Massoreth. diligentiâ satis cautum videbatur, ne libri sacri immutari facilè possent. Neque dubium est ab Hebræis codices hebraicos præcipuâ diligentiâ et religione asservari, ne facilè corrumpi possent; in quo illis perindè contigisse videatur, atque in legis observatione. Cùm Deum habebant propitium, magnisque beneficiis afficiebantur, mirabile dictu erat ac miserandum, quàm facilè divinas leges contemnerent, ad deorum templa concurrentes; ubì à Deo deserti sunt, ac in sensum reprobum dati, magnâ religione, quantùm in illis situm est, legem observant, vetitos deorum cultus fugiunt. Ad eumdem modum cùm libros sacros olim tantoperè negligerent, ut fermè de memoriâ elaberentur, nunc cùm minùs opus esset ad eos conservandos, diligentes in primis et superstitiosos esse videmus. Neque verò hâc disputatione est animus linguæ hebraicæ studium debilitare, quam maximè utilem esse non ignoramus; id ago ne, dùm hebraicis libris et rebus favemus, nostræ religioni convitium facere videamur. Ergò communi consensu negamus hebraicos codices fuisse post illam congregationem immutatos. Librariorum incuriâ errores incidisse quis ambigat, cùm omnibus libris et linguis usu eveniat, ut quò sunt antiquiores, sæpiùsque descripti, eò magis sint contaminati, nùm ab hâc communi lege hebraici codices sint exempti? Non arbitror, et poteram nostram opinionem multis exemplis confirmare. Hieronymus Nahum 3, vers. 8, in illa verba: *Numquid melior es ab Amon?* ait: Hebræus qui me in Scripturis erudivit, ità legi posse asseruit: *Numquid melior es quàm No*, (id est Alexandria) *Amon?* Idem Zacharias ultimo vers. 20, ubì nos legimus: *In die illâ erit, quod super frænum equi est sanctum domino*, Hieronymus ait vocem hebraicam *Mesuloth*, à quodam Judæo mutari in vocem *Misiloth*, et utroque tamen loco consideramus non antiquam lectionem, et communem circumferri, sed quam Hieronymus uniuscujuspiam Judæi privatam lectionem fuisse utroque loco affirmavit. Et ex versionibus græcis et latinis satìs constat, hebraicos codices olim fuisse varios, certè discrepâsse ab iis qui modò in usu sunt, cùm parvâ sæpè litterarum aut punctorum mutatione sententia illa reddatur, quam interpretes expresserunt. Loci innumeri sunt: proferantur tamen ex psalmis exempla unum, alterum et tertium. Psalmo 4, ubi nos legimus: *filii hominum, usquequò gravi corde?* hebraica habent: *usquequò gloria mea ad ignominiam*, Item Psalm. 18, ubi legimus: *In omnem terram exivit sonus eorum*, nunc legitur: *regula eorum*, olim procul dubio legebatur, *vox eorum*. Item Psalm. 31, pro illis verbis: *dùm configitur spina*, Hebræi legunt: *in siccitates æstatis*, quæ varietas contigit, quoniam dictionem *Coz*, quam legerint septuaginta Interpretes, Hebræi legunt *Caiz*, unius tantùm, eàque facili permutatione litteræ. Psalm. 67, ubi nos habemus: *rex virtutum dilecti*, Hebræi numero multitudinis: *reges virtutum*: nempè eamdem dictionem *Melech*, numero multitudinis legunt Hebræi adjectâ litterâ *Jod*, quam septuaginta hebraici codices non habebant. Multi ad extremum alii errores poterant in hebraicis codicibus designari, certè lib. 2 Reg., cap. 24, quo loco vers. 13, prophetæ dicitur: *aut septem annis veniet tibi fames in terrâ;* Septuaginta: *tribus annis* habent. Atque eam lectionem esse legitimam, hebraicam vitiosam, argumento est liber primus Paralip. cap. 21, vers. 12, ubi hebraicè, græcè et latinè tribus annis fore famem dicitur, tametsi hunc errorem in recentibus numerare non possumus, quandò eam lectionem in libris Regum hebraici et latini codices sequuntur. Quemadmodùm neque quod Hieronymus affert Michææ cap. 5, ad illa verba: « Et tu, Bethleem Ephrata, Thæco et « Ephrata, hæc est Bethleem, et Phagor, et Atan, « et Culon, et Tami, et Soris, et Caram, et « Gallim, et Bæther, et Manocho, civitates « undecim, et viculi earum; quod in hebrai- « cis Josue codicibus haberi negat, ac in se- « ptuaginta tantùm interpretatione exstare, « sive ab his additum, sive de veteribus libris « erasum malitiâ Judæorum, ne Christus de « tribu Judâ ortus videatur. » Hoc Hieronymus. Jam ex eodem Josue lib. cap. 21, duo vers. 36 et 37 manifestè desunt in hebraicis codicibus, ut res ipsa indicat, docetque Abulensis Numerorum cap. 24, quæst. 3, quo loco multò corruptiores hebraicos codices nostris esse affirmare non dubitat, vir rerum hebraicarum peritiâ satìs instructus, legique solitos in aliis codicibus hebraicis, docet annotatio marginis in Bibliis hebræis magnis, quæ quatuor corporibus distincta circumferuntur, cum Rabbinorum Commentariis ex sententiâ Rabbi Kimhi ad eum locum his verbis: « Sunt libri « correcti, in quibus est, et ex tribu Ruben « Bezer, et cætera, et in omnibus correctis « antiquis codicibus non invenitur. Vide li- « brum Kimhi et etiam Massoreth, videque « numerum quem colligit quadraginta octo, « nisi iis comprehensis integrum non invenies,

« atque hoc est argumentum magnum » : hactenùs adnotatio. Atque ii quidem versus in Bibliis Cardinalis et illorum exemplo et auctoritate in Regiis sunt restituti, nescio tamen an satis commodè, cùm ex 1 Paral. cap. 6, vers. 78, videantur in illum locum traducti, neque nomina urbium satis conveniant cum iis quæ sunt in editione nostrâ vulgatâ, argumento certissimo, quo tempore illa facta est, hebraicos codices integros eâ parte fuisse; neque mirum : cùm librariorum incuriâ libri alii, tùm sacri, tùm prophani, multis maculis sæpè contaminarentur, nùm solos Judæorum libros à communi conditione exemptos fuisse, librariosque eorum nunquàm peccâsse putabimus? Non sanè nisi eorum rebus favere, et iniqui judices in nostrâ causâ videri cupimus. Lucæ 3, Cainan inter filios Arphaxad ponitur; deest in hebraicis codicibus, in græcis exstat Gen. cap. 10, vers. 22. An hoc etiam loco hebraicos codices à vitio vindicabimus, et Evangelistis sinceriores credemus (1)? Julianus lib. 3 contrà Judæos : « Hæc secunda, inquit, « ætas, quam per denas generationes diximus « currere, unam minùs habet secundùm co- « dices hebræos, quæ hic ponitur, id est, « illa quæ dicitur Cainan, quam tamen gene- « rationem et septuaginta Interpretes memo- « rant, et Evangelium secundùm Lucam « confirmat. » Idem paulò antè dixerat hebraicos codices corruptos esse. Unius Augustini auctoritas, sive etiam Hieronymi opponitur, negantium hebraicos codices unquàm à Judæis fuisse vitiatos, quibus ut respondeamus, ac disputatio hæc pleniùs absolvatur, constitui epistolam subjicere, quam superioribus annis de hoc argumento ad Nicolaum Sanderum Anglum domo, virum doctissimum, et de religione christianâ optimè meritum dedi, quem magno litterarum incommodo dolemus defunctum, non multò post in Hiberniâ, dùm in eam insulam veram religionem restituere contendit, neque præ eo studio, labori, aut vitæ periculo parcit, vir immortali laude dignus.

CAPUT VIII.

Marianæ epistola ad Nicolaum Sanderum.

Disputationem tuam pro hebraicorum codicum veritate (2), quam Alvarus Gomesius de litteris, ac de me benè meritus tuis verbis cognoscendam misit, cupidissimè legi, his quamvis jejunii christiani diebus ità ab aliis negotiis districtus, vix ut respirandi spatium esset, præsertim instante Paschate, cùm non privatis studiis vacare licet, sed aliorum commodis servire, susceptæ vitæ rationes compellunt. Verùm iis propemodùm decursis, atque unius et alterius diei cessatione capite recreato, tua iterùm relegere, atque quid de totâ disputatione et singulis ejus partibus sentiam, ingenuo et candido animo aperire statui. Tuo judicio potiùs quid facere et sentire debeas, quàm quid ego judicem, considerabis. Nam neque mihi sumo, ut virum qualis ipse es, susceptis pro religione laboribus, editisque libris in universâ Dei Ecclesiâ celebrem, velim in meam sententiam pertrahere, et fas est tamen incolumi christianâ charitate diversum nonnunquàm judicare, ac ut Pauli verbis utar, *in suo quemque sensu abundare.* Nam etsi quid aliter sapimus, et hoc nobis Deus revelavit, tantùm in eâdem fidei et dilectionis mutuæ regulâ permaneamus. Ac primùm disputationis perspicuitas, modestia atque eruditio multùm mihi probabantur, atque argumenti acumen, quo ex vulgatæ editionis fide, quam adversarii convellendo hebraica stabilire maximè conabantur, hebraicos codices incorruptos esse defendis, cum iis ipsis aut omnibus, aut plerisque, qui vitii accusantur locis, haudquaquàm à latinis hebraica discrepare convincas; neque posse hebraicos codices repudiari incolumi vulgatæ editionis auctoritate. Quo in argumento, quoniam suscepti patrocinii fortissimum præsidium est, amplificando, illustrandoque exemplis, magna pars disputationis consumitur. Tridentini decreti explicatio mirificè mihi placet : ità à Patribus latina probari, ut neque hebraica, neque græca, de quibus mentio non est facta, nec disceptatio ulla erat, eâ lege repudientur. Quòd verò locis, quibus hebraica à latinis discrepant, post multa remedia ad concordiam excogitata doctissimè, atque explicata, ubi nulla via se ostenderit utrosque codices conciliandi, Ecclesiæ sententiam exspectari jubes, quâ pronuntietur utri codices contaminati sint. Id consilium mihi fortassè facilè persuadebis, adversariis autem probare qui possis? Præjudicatum dicent, præsertim cùm vulgatam editionem ità susceptam à Patribus, ità ei contradici vetitum esse, dare videaris, ut omnes ejus dictiones exosculari necesse sit, neque interpretem ullâ in parte lapsum esse fateri liceat

(1) Confer Conciliatorium biblicum auctore Frassen, in secundâ hujus introductionis parte impressum.

(2) Valtonus codicum hebraicorum veritatem probavit. Consule prolegomena.

citrà impietatis crimen, clamabunt enim continuò, vulgatâ editione susceptâ, hebraica penitùs et græca repudiari, ubicumquè omnem concordiæ rationem recusabunt, quod adversariorum causæ fundamentum est præcipuum et maximum. Finge enim omnes latinos codices in eamdem sententiam et verba eadem conspirare, ne librariorum incuriam excusare liceat. Quod autem ipso disputationis initio editionem vulgatam, quam suscepit et probavit Ecclesia, omnem præter psalmos ex Hieronymi interpretatione sumptam esse arbitraris, atque ex eo hebraicos codices ad Hieronymi ætatem incorruptos mansisse confirmas; neque enim ex vitioso fonte rivi poterant sinceri manare, pro certo videris ponere, quod non minùs est ambiguum atque obscurum, quàm de quo instituta est disputatio universa; cùm gravissimi viri nostrâ ætate multis conjecturis et argumento probabili confirmare conati sint nostram editionem diversam ab Hieronymi versione esse. Et Hugo Victorinus, in prænotationibus elucidatoriis cap. 9, affirmat latinam editionem, quâ ejus ætate utebatur Ecclesia, hoc est, nostram ex veteri latinâ et novâ Hieronymi consutam esse. Prætereà annotatio historiæ scholasticæ in Gen. cap. 62, Hieronymi interpretationem puram putam, in duodecim prophetas tantùm habere nos ait. Utraque sanè editio tàm vetus, quàm Hieronymi, Gregorii Magni ætate in usu erat, ut perspicitur ex proæmio ejus in libros Moralium et ex octavo concilio Toletano, in quo juxtà utramque editionem nonnulla à Patribus proferuntur testimonia. Ex iis versionibus credam consequenti tempore quosdam libros ex Hieronymi interpretatione, alios rursùs ex veteri in commune volumen, unumque corpus, aut publicâ Ecclesiæ auctoritate, aut doctorum hominum communi consensu collatos fuisse; atque in iis ipsis libris quosdam locos ex illis, qui rejiciebantur libris, atque interpretatione immutatos fuisse, quod Joanni Driedoni in dogmatibus video placuisse ex parte. Quo autem utrumque tempore, et quâ ratione sit factum, penitùs exploratum non habeo. Luce historiæ destituti in multis hallucinemur necesse est. Justinum martyrem, ais versionem septuaginta Interpretum à Judæis corruptam affirmare. Esto. Sed cùm ii ipsi loci, quos ille vir sanctissimus in septuaginta Seniorum interpretatione vitiatos esse ait, eodem modo in hebraicis codicibus legantur, qui possint Justino certè arbitro ab eâ culpâ liberari non video. Neque arbitror Justinum rerum hebraicarum, ejusque linguæ notitiâ tantoperè destitutum, ut tu in disputatione ponis, ad disputandum cum Judæo accessisse et utriusque lectionis græcæ et hebraicæ aliquotiès, ni fallor, mentionem infert, præsertìm dùm versat locos Gen. cap. 49: *donec veniat qui mittendus est*, atque Isaiæ cap. 7, verba illa: *ecce virgo concipiet*, ubi pro virgine Judæos adolescentulam ponere testatur, fuitque genere Samarita, utì Epiphanius ait hæresi 46, quæ gens hebraicæ linguæ non erat ignara, quippè Judææ finitima. Nam quod addis de Psalmo 95, dictionem *à ligno*, non in hebraicis tantùm codicibus, verùm etiam in græcis et Vulgatâ nostrâ desiderari, quam vitii accusare nefas sit, non multùm movet, cùm græcos Psalmos non ex Septuaginta versione esse, sed ex κοινῆς, non ex hoc Justini loco, sed ex Hieronymi etiam epistolâ ad Sunniam et Fretelam, tùm aliis locis manifestum evadat. Nam quæ ipse ex κοινῆς esse ait, atque à Septuaginta interpretatione discrepare, ea ferè in nostris hodiè græcis codicibus locis omnibus usurpamus, et in psalterio romano, quo olim scilicet in communibus precibus romana Ecclesia utebatur (nunc etiam gallico utitur) atque in hymno de cruce legimus: *regnavit à ligno Deus*, argumento certissimo eam vocem in antiquis libris exstitisse. De Vulgatæ nostræ auctoritate laborare non attinet, quandò illam etiam romana Ecclesia suscepit. Esdræ locum à Judæis corruptum, Justino teste, in veteri procul dubio tàm græcâ, quàm latinâ editione olim exstabat, undè Justinus ipse græcè, Lactantius lib. 4, cap. 18, latinis verbis alieno stylo citârunt, nec dubito à Judæis fuisse falsatum, cùm expressum de Christi morte vaticinium contineat. Verùm cùm in latinis etiam codicibus non exstet, anceps argumentum efficitur pro hebraicorum fide, et contrà eam disputantibus. Nonnullos ex antiquis Patribus ab Hebraicis codicibus stare, defendi fortassè possit, nullum ex eorum numero corruptum fuisse affirmari, utì ipse ait, nemo inducet in animum, qui legat Chrysostomum homiliâ quintâ in Matthæum dicentem, Judæos quidem meritò suspectos haberi: quippe inimicè et subdolè multa corruperint, et datâ prorsùs operâ à prophetis prædicta mysteria celaverint; Septuagintaque, cùm antè adventum Domini fuerint Scripturas interpretati, meritò ab omni suspicione liberos esse. Non celâsse tantùm ait, sed corrupisse etiam, quæ verba nescio, an utì locus alter ex homiliâ trigesimâ tertiâ à te adductus, rectè possint ad pravas explanationes traduci, et de

illis tantùm explicari, quemadmodùm neque quod Origenes in epistolâ ad Africanum apud Eusebium historiæ Ecclesiasticæ lib. 6, cap. 23, de Susannæ historiâ consultus negat, Judæorum fraudibus et commentis auscultandum, atque id solum pro vero accipi debere ait, quod Septuaginta tradiderunt. Vides fraudes et commenta, non cautionem quæ falsi accusari non posset, si bono animo ea historia fuisset occultata, quod ipse existimabas. Sanè cùm eam historiam septuaginta Interpretes posuerunt, et Ecclesia probaverit, apertè convincitur olim in hebraicis codicibus exstitisse. Præsertim si Tridentini decreti verba adjungas, libros sacros cum omnibus suis partibus sanctos haberi, sancientis. Modò enim cùm neque in arcanis libris Judæorum, neque in publicis exstitit, eâ certè in parte codices hebraici à corruptione et vitio vindicari non poterunt. Neque Hieronymi verba ex Commentariis in epistolam ad Galat. cap. 2, satis explicare videris. Cùm enim in illo Deuteronomii loco : *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt*, septuaginta Interpretes dictionem *col* legerint, cùm in Samaritanorum libris extaret, cùm in eâ argumenti, quo utebatur Paulus, vis tota posita esset, non posse Judæos omnia præcepta servare, atque adeò sub maledicto esse, manifestum evadit olim in hebraicis codicibus exstitisse, idque Hieronymum sentire. Nam quòd mutationem, cùm eadem sententia constet et ex propositione indefinitâ universa efficiatur, ejusmodi fuisse negas, propter quam aut vadimonium disserere, aut fuisse hebraicos codices depravatos fateri conveniat non resisto, modò Hieronymi sententiâ exploratum sit, Hebræos in eâ parte, et quidem malo animo suos codices depravâsse. Adjiciam Isidorum in Chronicis initio sextæ ætatis (sive is Lucas Tudensis sit nobilis et antiquus auctor) Judæos affirmantem in odium christianæ religionis, ne contrà eos testimonia proferantur, quædam de prophetarum libris præcidisse, quædam immutâsse. Objicis instructam multorum Patrum aciem pro fide hebraicorum codicum, Hieronymum præsertim atque Augustinum. Is enim locis innumeris veterum librorum fidem de hebraicis voluminibus examinandam, novorum de græcis ait, ridetque Origenis verbis in Isaiæ cap. 6, suspicantis divinos libros fuisse ab Hebræis vitiatos. Augustinus autem lib. 15 de Civitate Dei cap. 13, contendit Judæos ex locis omnibus ad corrumpendas sacras litteras conspirare non potuisse, et lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, capite 14, ad hebraica et græca exemplaria recurrendum arbitratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas. Iis adjicere potuisses Eusebium, qui lib. 8 de Præparatione Evangelicâ cap. 2, Philonis verbis : « Mirabile, nempè ait, « mihi videtur duobus annorum millibus, imò « majori tempore jam ferè transancto, nec « verbum unum in lege illius (nempè Mosis) « fuisse immutatum, sed centies unusquisque « Judæorum morietur, priusquàm legi Mosaicæ « derogabit. » Adde Justinum martyrem in oratione Par æneticâ, qui Dei consilio veteres libros apud Judæos asservari ait, *ne gentes à nobis corruptos existimarent*. Quâ ratione à divo Augustino Judæi capsarii nostri vocantur in Psalm. 40 illa verba : *Benedictus Dominus, Deus Israel;* productis enim verbis ex Genes. vigesimo quinto cap. : *major serviet minori*, modò, inquit, impletum est, modò fratres nobis serviunt Judæi, tanquàm capsarii nostri sunt, studentibus nobis codices portant. Bedaque in Psalm. quinquagesimum sextum initio : « Hoc etiam ad opprobrium pertinet, « ait, nempè Judæorum, quod capsarii, id est, « librarii nostri facti sunt, quia portant nobis « libros suos, sicut solent servi post dominos; « ipsi enim deficiunt portantes, Christiani « proficiunt legentes. » Quod nisi incorrupti servarentur, quid profuit Judæos scriniarios nostros facere? Aut quâ audaciâ veteres libros proferemus, si corruptos esse et depravatos à Judæis confiteamur? Adde eos omnes quicumque adversùs Judæos disputatione susceptâ, hoc eorum peccatum, quòd veteres scripturas vitiâssent, non accusârunt. Verùm huic postremo argumento Justinum opponimus et Origenem contrà Celsum, quoniam iis libris adversùs utramque nationem disputabat, Judæos et Gentes. Aliis Patribus ea cura non fuit, cùm ad nostram religionem confirmandam satis multa testimonia suppeditarent Judæorum libri, in quo divinæ providentiæ lumen elucet; ità enim permisit quosdam locos ab Hebræis corrumpi, ut veræ lectionis vestigia ubiquè manerent, superessentque multa alia de Christo integra testimonia, ac miraculi instar profectò sit in tantâ procacitate ejus gentis, tantâque contradicendi libidine nullum dogma eorum, quibus à nobis dissident, divinis libris inseruisse, ut parùm promovisse suis artibus et fraude videantur. Augustinus in eâ fuit sententiâ, à Judæis divinos libros depravatos non fuisse, cui opponimus tamen multò plures Patres, neque minori auctoritate, neque sapien-

tiæ opinione minori. Origenes et Hieronymus variè sunt locuti, neque quid certi Hieronymum in eâ re habuisse argumento est epistola ad Marcellam, cui initium est : « Ut tàm parvam « epistolam scriberem, jam pridem, inquit, « cum editionibus Hebræorum editionem « Aquilæ confero, ne quid forsitan propter « odium Christi Synagoga mutaverit, et ut « amicæ menti fatear, quæ ad nostram fidem « pertineant roborandam plura reperio. » Nimirùm ætate major Hebræorum fraudes cœperat odorari. Quod verò contendis hebraicos codices corrumpi non potuisse, quòd nunquàm in unum locum sub duce uno convenerint ex toto orbe Judæi, ut eam depravationem communi consilio, quod erat necesse, moliri et perficere possent, argumento Augustini uteris; sed in quo tamen videaris non satis in Hebræorum libris et historiâ versatus. Affirmant enim Judæi, Elias Levites, sect. 2 accentuum, et in 3 præfatione Massoreth, et David Kimhi, præfatione in Josue, primùm quidem ab Esdrâ fuisse doctissimos quosque Judæorum ad generalem gentis conventum celebrandum convocatos, atque, quod nostri divinæ inspirationi, atque numinis inflatui tribuunt, in eo conventu, quem ipsi *congregationem magnam* vocare sunt soliti, memoriæ beneficio, et codicum samaritanorum collatione Scripturas divinas, quæ perierant, fuisse restitutas confirmant, atque nonnullos locos ab antiquâ lectione immutatos quos ex Rabbi Selomo desumptos Petrus Galatinus explicat, lib. 1 contrà Judæos, cap. 5. Postmodùm anno post templi excidium Tito 436, nimirùm salutis anno 512, alteram sub totius gentis ex oriente et occidente sole congregationem fuisse Tiberiade famosissimam, in quâ Thalmud babylonicum editum memorant, divinis libris puncta vocalium loco addita, cujus rei causas hoc loco explicare non attinet. Illud constat in variâ codicum lectione eam fuisse prælatam, quæ omnium aut plurimorum certè calculis probabatur, cùm sententiis discrepabant, lectione alterâ prælatâ, diversa adjiciebatur ad marginem. Vides exstitisse conventum, in quo communi consensu Judæorum proceres potuerunt universos codices depravare. Quod factum esse contendant adversarii magnæ illius sub Esdrâ congregationis exemplo, et ob insitam animis confidentiam, christiani nominis odium non minùs, quàm quò plures hæreticorum sectæ olim, nostrâque ætate victoriæ cupiditate, veritatis odio Scripturas sacras depravârunt. Et est par credere ex pluribus lectionibus eam fuisse prælatam, quamvis minori codicum numero, et argumentis infirmioribus, quæ nostræ religioni minimùm favere, nostrisque libris et causæ convitium facere maximè videbatur. Illud postremò si addidero, finem faciam, locum ex Psalmo 21 : *Foderunt manus meas et pedes meos*, manifestè esse in hebraicis codicibus depravatum, in quibus legitur, *sicut leo manus meas et pedes meos;* nam auctor Massoreth magnæ, in quibusdam correctis libris invenisse se affirmat, in textu quidem : *caru*, id est *foderunt*, in margine autem : *caari*, id est *sicut leo*, et Rabbi Isaac, libello quem contrà Lindanum edidit, quamvis pro hebraicorum codicum veritate disputans, hoc tamen loco veram lectionem essè immutatam apertè confitetur, et erat vera lectio restituta in hebraico codice Bibliorum complutensium optimo consilio, n escioautem cur in Bibliis regiis fuerit mutatum restitutâ communi Hebræorum lectione, sed vitiatâ. Neque satis est aliquâ ratione eas duas lectiones posse conciliari, quod tu acutissimè facis, quò minùs fateri sit necesse, hebraicas voces esse vitiatas. Hæc habui, vir doctissime, quæ de universâ tuâ disputatione monerem, studio tibi obsequendi excitatus, neque tuam aut cujusquam catholici viri sententiam rejiciens prorsùs, quasi religioni contrariam. In quo sum solitus quorumdam theologorum modestiam requirere, accusare imperitiam et temeritatem pronuntiandi. Scio enim de his rebus aliisque id genus incolumi fide, atque integrâ charitate, veritatis indagandæ studio disputari. Neque linguarum utilitatem dignitatemque elevare contendo, undè fructus manat uberrimus, et quibus addiscendis magnam ætatis et studiorum partem consumpsi, eo tamen animo, ut hebraica græcaque commentarii vice essent ad explicandam eam Scripturæ divinæ editionem, quam suscipit et probat Ecclesia. Quâ in re quantùm promoverim, dicere non est necesse; voluptatem certè quantam maximam possum, animo capio, cùm ad cognoscendas divinas litteras ab iis præsidiis instructus me confero. Neque non possum non vehementer eorum studium et diligentiam celebrare, quicumque nostrâ ætate in hoc genere sudârunt, cum latinis græca et hebraica jungentes magno Ecclesiæ commodo et ad majorem multò divinarum Scripturarum lucem comparatum studium, de quorum industriâ et laudibus consequens ætas, ut arbitror, sinceriùs atque incorruptiùs judicabit, imperitorum invidiâ sedatâ, quâ immeritò hoc tempore flagrant. Eorum conatibus, vir doctissime, fave,

nosque ut facis, mutuò ama : dabisque veniam, si quid paulò liberiùs dictum est, aut si quâ in parte hujus disputationis lapsi sumus, atque illud cogita non minori nos Toleti, quàm vos isthic librorum penuriâ laborare, plurimaque in his litteris auctorum testimonia locosque ex nostris schedis esse producta. Vale.

CAPUT IX.

Nemini licere privatâ auctoritate hebraicos divinæ Scripturæ codices castigare.

Hebraicos codices neque incorruptos esse omni ex parte, neque è contrario magno aliquo incommodo, atque in majoris momenti locis depravatos satis, ut arbitror, confirmavimus unâ disputatione in utramque partem extremè peccantium opiniones jugulantes. Sed ex quâ tamen disputatione occasionem aliquis arripiat hebraicos divinæ Scripturæ libros privatâ auctoritate castigandi invertendique litteris, aut punctis commutatis, quæ magna persuasio esset; et nostrâ ætate quidam Commentariis in Isaiam facere ausus est, herculeâ planè audaciâ, exemplo pravo, utì sequentia declarabunt. Tertullianus enim, libro de Præscriptionibus hæreticorum, *Scripturam sacram Ecclesiæ catholicæ possessionem esse propriam*, ait, *in alienam messem immittere falcem ejus adversarios, quoties Scripturas tractant*. Quod dictum tametsi de hæreticis usurpari consuevit et intelligi, debet ad Judæos etiam extendi, qui ex quo Christum repudiârunt, tùm à Dei Ecclesiâ exclusi sunt, tùm etiam divinæ Scripturæ jus penitùs amiserunt, quod Justinus certè addit in oratione Parænetica his verbis : « At si quis eorum, qui te« mere contradicere consueverunt, nobis ob« jiciat, non nostros hos esse, sed Judæorum « libros, eò quòd ad hoc usquè tempus in sy« nagogis eorum asserventur, et per vanitatem « nos jactare religionem ex eis hausisse dicat, « is scire debet ex rebus ipsis, quæ in libros « hosce sunt relatæ, non ad Judæos, verùm « ad nos Christianos doctrinam eorum per« tinere. » Cùm possessionem Ecclesiæ Scripturam esse dico, non de latinis tantùm aut græcis codicibus loquor, sed de omnibus libris sacris, quâcumque linguâ sint scripti initio, sive in aliam conversi publico consensu, et majorum auctoritate suscepti in usu sunt. Neque enim ità Ecclesia ullo tempore latinos codices legit atque probavit, ut græcos aut hebraicos rejecerit. Qui consensus totius Ecclesiæ, omniumque virorum doctorum atque scholarum usus declarat hebraicos et græcos Scripturæ divinæ codices tanquàm divinos libros explicantium. Omninò absurdum videretur divinas Scripturas, hoc est Testamentum quod Deus nuncupavit et in quo Ecclesiam hæredem scripsit, in linguam latinam transfusum modò conservari, amissum aut depravatum esse penitùs et contaminatum in iis linguis, in quibus scriptum primò est, et litterarum monimentis, ut ad posteros transmitteretur commendatum. Annon meritò incuriæ accusaretur Ecclesia, si tantum thesaurum quorumdam hominum perfidiâ de manibus extorqueri sibi atque lacerari passa esset? Annon quis meritò posset existimare Deo Ecclesiam exosam fuisse aliquandò, qui fraude hominum perire neglexisset, quo majus in terris sui amoris pignus sponsæ suæ nullum reliquerat? Angustè ergò de rebus, atque præposterè sentire mihi videntur, quicumque Ecclesiam longo indormiisse tempore, neque in eâ viros doctos fuisse arbitrantur, penès quos divini libri tùm græcè, tùm hebraicè conservati ab omni temporis injuriâ et adversariorum insidiis tuti essent. Sit ergò fixum non minùs ad Ecclesiæ curam hebraicos et græcos codices, quàm latinos pertinere. Undè primùm efficitur, quod non semel superiùs est dictum : neque eos codices potuisse in universum in re majoris momenti corrumpi; continuò enim Ecclesia accurrisset, quæ divino instinctu et inflatu regitur, et viri docti, quorum numerus aliquis semper fuit, periculum indicâssent; neque in re apertâ diutiùs hærere necesse est. Deindè, quod hujus disputationis est, si sacri libri in aliquâ linguâ depravati maximè essent, nullius privatâ industriâ et auctoritate castigari deberent, sed publicâ potiùs Ecclesiæ, in quo quidam hallucinantur contendentes hebraicos codices ex Patrum scriptis, vel ex versionibus græcâ atque latinâ castigari debere, imprudenter sanè et audacter. Quid enim Plinii, Platonis, Aristotelis, non liceat ex conjecturis aut Commentariis Arabum et Græcorum, nisi adsit correctissimorum codicum fides, receptam usu lectionem mutare, et audeat quis Scripturæ sacræ correctionem ad suum arbitrium revocare, atque ejus lectionem absque ullâ codicum meliorum ope ex privatis conjecturis emendare? Quid si secundus et tertius, aliique innumeri prioris exemplo incitati eamdem sibi sumant facultatem et auctoritatem emendandi hebraicos codices; annon brevi futurum est, ut tàm varii codices evadant, quàm sunt varia homi-

num judicia discrepantesque sententiæ? Licet quidem in Commentariis aut separato opere indicare, si quid ab antiquo immutatum deprehendimus, quod Hieronymus multis locis, aliique ejus exemplo cum laude præstiterunt. Cæterùm codices ipsos, litteras aut puncta immutare, quoniam eos uti ab hebræis servantur recepit Ecclesia, vel leviter attrectare nefas sit; nimirùm hebraici codices Scripturæ, quod initio dicebamus, communis Ecclesiæ possessio sunt, neque à quoquam debent sine publicâ auctoritate et consensu castigari. Quocircà immutatio punctorum et accentuum, quæ facta est in veteri Testamento hebraico Bibliis complutensibus, quamvis sententiâ et verborum significatione retentâ passim à viris doctis accusatur, et in Bibliis regiis vetus ratio est restituta.

CAPUT X.

De Massoreth, punctis et hebraicis dictionariis (1).

Sæpè hâc disputatione de libro *Massoreth* ac punctis hebraicis mentio facta est, et quæ fuerit ea excogitandi ratio, ex parte explicatum; nunc paulò plura addenda sunt, ac finis imponendus disputationi de libris hebraicis. In libro quidem Massoreth, quæ vox traditionem significat, variæ lectiones codicum hebraicorum, qui olim exstiterunt, variaque punctorum in eis ratio continetur, quæ ad marginem Bibliorum hebraicorum adjici solent, inventum utile inprimis ac commodum; nam eâ diligentiâ cautum est, ne facilè hebraici codices vitiari possint; quo certè tempore ea ratio fuerit excogitata, non omnibus convenit, quibusdam proximè ad Esdræ tempora ejus originem revocantibus, resistentibus aliis, ac eam diligentiam antè non multos annos factam fuisse putantibus, et est verisimilius, quod superiùs est dictum, Tiberiade cum multis eum librum fuisse consarcinatum, collatis in eum variis lectionibus, quæ in antiquis codicibus eo tempore inventæ sunt. Nam hebraicos codices variâsse olim, tùm is liber argumento est, tùm diversæ ab usitatis orientalium codicum lectiones, quæ separato opere ad calcem hebraicorum Bibliorum adjiciuntur, quæ quatuor tomis distincta nostrâ ætate Venetiis formis expressa prodierunt. Præterea ex Hieronymi scriptis satis constat, hebraicos codices olim non modò vocalibus litteris, in quarum locum puncta successerunt, sed etiam integris vocibus inter se discrepâsse. In illud Isaiæ tertio: *Mulieres dominatæ sunt eis*, Aquilam vertisse *exactores et fœneratores* ait; haud dubium, quoniam ubi alii *nasim*, id est *mulieres*, legerunt, Aquila, *noghesim*, id est *fœneratores* habuit, et cap. quadragesimo septimo initio duplicem lectionem hebraicam fuisse ait, cujus rei multa alia exempla proferri possent, nisi alio properaret oratio, nimirùm eâ diligentiâ satis cautum non esse, ut hebraici codices inter se non discreparent, cùm libri Massoreth exempla non satis inter se conveniant. Pagninus in radice נגש, Isaiæ vigesimo nono, versu decimo tertio, ubi ea dictio legitur cum puncto, *smol*, et tamen in quâdam Massoreth legi ait, cum puncto *jamin*, significatione mutatâ. Præterea Massoreth quæ circumfertur in Bibliis magnis hebraicis differre nonnunquàm consideravi ab eâ Massoreth, quæ in Bibliis regiis nuper est edita. Quomodò ergò is liber potuit sacros libros incorruptos conservare, cujus exemplaria opinionibus atque lectionum varietate non parùm sæpè discrepant? Addo duos versus Josue vigesimo primo, extremo in hebraicis codicibus desiderari, qui in antiquioribus codicibus exstabant, uti superiùs est dictum. Et auctor Massoreth magni, Psalmo vigesimo primo, invenisse se ait in quibusdam correctis codicibus *foderunt*, quidem in textu, in margine autem, *sicut leo*. Vides Hebræorum codices variâsse? Sanè cùm vetustatis injuriâ, et librariorum incuriâ, libri alii sacri et profani multis maculis sæpè contaminentur, nùm solos Judæorum libros à communi conditione exemptos fuisse dicemus? Non arbitror, nisi judaicis rebus nimiùm favere videri velimus. Tametsi non dubitabam post eam diligentiam à Judæis factam multò incorruptiores quàm anteà, hebraicos codices fuisse conservatos. Puncta in Tiberiadis conventu sacris libris fuisse adjecta, superiùs est dictum. Ea adjiciendi duplex causa exstitit, nimirùm quoniam paucæ vocales, quibus Hebræi utebantur, progressu temporis in varios sonos abierant, neque eodem modo locis omnibus sonabant, quod hoc tempore in linguâ præsertim gallicâ contingere consideramus, ut eadem vocalis in variis locis varium etiam sonum habeat. Ea varietas cùm usu et consuetudine potiùs quàm certâ regulâ constaret, seque Judæi in omnes provincias dissipari viderent, punctis quibusdam additis ad sacros codices, quo pacto vocales locis singulis pronuntiandæ essent, prudenti consilio designaverunt. Ea prima excogitandi puncta causa fuit. Altera huic affinis, quoniam voca-

(1) Consule Valtoni Prolegomena.

les litteræ non tantùm variis modis proferebantur, sed etiam expressæ locis omnibus non erant, ac plerisque dictionibus consonantes tantùm litteræ exprimebantur, quæ magna confusio ac perturbatio rerum erat; nam variis vocalibus subintellectis, eædem voces non modò variis modis proferebantur, sed etiam significatione varià, quod Hieronymus docet multis locis præsertim Habacuc. 3, in illud: *antè faciem ejus ibit mors*, et in Isaiæ vigesimi sexti capitis illa verba: *mortui non videbunt*. Non ignoro plerisque persuasum esse nullas in hebraicâ linguâ litteras vocales esse, sed consonantes tantùm, quos opinione falsos esse Hieronymus indicat epistolâ 126, quæ est ad Evagrium: *Vocalibus*, inquiens, *in medio litteris Hebræi perrarò utuntur*. Sanè quatuor litteræ, quæ ab Hebræis vulgò quiescentes vocantur, olim vocalium officium implebant. At inventis punctis in earumque locum subtitutis, hodiè ferè quasi supervacaneæ quiescunt: præter illas Hieronymus ad illa verba Oseæ 2: *Et erit in illâ die, ait Dominus*, litteram ל vocalem esse Phœnicibus et Sidoniis ait, et sonare *e*, et *a*. Quam opinionem nescio, an satis nostræ tempestatis Hebræis probare possit, eam litteram nunquàm inter vocales, ne inter quiescentes quidem numerantibus, nisi quis dicat id Phœnicum linguæ esse proprium, neque convenire in hebraicam. De dictionariis hebraicis pauca sunt adjicienda propter eos, qui incredibili audaciâ pronuntiandi omnes ferè vocum hebraicarum significationes à Judæis mutatas contendunt, vel per inscitiam ejus gentis, aut in odium nostræ, rationemque grammaticæ perturbatam esse, atque ex divi Hieronymi scriptis restituendam videri, quemadmodùm ex eo et septuaginta Interpretum versione vocum hebraicarum, veteres significationes; qui perindè mihi videntur sentire, ac si linguam græcam asseverarent non ex græcis scriptoribus addiscendam, sed ex paucis verbis, quæ in scriptorum latinorum libris græcè inveniuntur sparsa; ac debuit venire in mentem, quod Chrysostomus scriptum reliquit, vocum significationes petendas esse ex libris Judæorum, Scripturæ sensa ex Ecclesiæ thesauro. Neque puto gentem ullam in odium alterius linguæ suæ significationes commutâsse, ne fieri quidem fortassè potest cùm significatio vocum non ex paucorum arbitrio pendeat, sed ad multitudinis consensum revocanda sit; quæ nescio quî possit universa ad fraudem faciendam conspirare. Neque dubium est tamen Judæorum incuriâ magis quàm pravitate multas vocum hebraicarum significationes in dictionariis vulgò deesse, quas Ecclesia secuta est, et quæ possint non ex nostris tantùm, sed ex Hebræorum libris erui atque restitui, in quo christianis interpretibus divinarum Scripturarum sudandum fuisse videtur; Verùm id vitium dictionnariis hebraicis cum græcis atque latinis commune est, quos quotidiè videmus novis vocibus, novisque aliarum vocum significationibus locupletari. De hebraicis unum aut alterum exemplum proferatur. Isaiæ vigesimo secundo cap., ubì nos legimus: *Sicut asportatur gallus gallinaceus*, in hebraico est dictio *Ghebert*, quæ vox *virum* significare solet. Itaque omnes interpretes recentiores, *virum*, in eo loco Isaiæ, non autem *gallum* significari aiunt, præter unum Cardinalis complutense dictionarium, ob Hieronymi auctoritatem, cùm Vulgatæ interpretationem potuissent antiquorum Hebræorum etiam auctoritate tueri, in quo illis laborandum fuit; nam sic Rabbi Selomo, et Rabbi Kimhi; hic nostram interpretationem affirmat in Midrassim, hoc est, hebraicis explanationibus et antiquis sacrorum librorum inveniri, ille eam amplectitur dicens: *transportatione galli, qui transit de loco in locum*. Et Num. 33, ubì hebraicè legitur: *profecti sunt de Asion Gheber*, Targum hierosolymitanum explicat, *profecti sunt ab arce galli*, quod miror nullum ex novis interpretibus considerâsse, usquè eo, ut vir quidam insignis in Hispaniâ, quem nominare non est necesse, commentariis ad eum locum, negaverit vocem illam hebraicam usquàm in galli significatione poni. Deindè, Paulus ad Hebræos 9, dictionem *berith*, in significatione *testamenti* interpretatus est, ex eoque confirmavit mori Christum necesse fore, *ut testamentum quod nuncupaverat, sancitum esset et validum*, quam tamen vocis significationem video ab omnibus dictionariis fuisse prætermissam, etiam à Hieronymo, Jerem. 31, vers. 31, ubì pro voce eâ, *fœdus pactumque*, reddidit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus vestris*. Prætereà Job cap. 19, ubì nos legimus: *reposita est hæc spes mea in sinu meo*, novi interpretes: *defecerunt renes mei in sinu meo*; vocem *Kelioth*, pro quâ noster interpres *spem* posuit in *renum* significatione sumentes, negantesque verbum *Kalach* hebraicum, undè ea vox deducitur in *desiderandi expectandive* significatione poni; cùm ex chaldaicâ linguâ, quæ Hebraicæ affinis est ac fermè eadem,

constet verbum *Kale* in *sperandi sive expectandi* significatione poni, et nomen *Keliot*, *spem*, sive expectationem significare. Mitto alia, quæ mâgno numero afferri possent, neque enim in unum locum congerenda sunt omnia, et disputationi de hebraicis codicibus finis est hìc imponendus, atque ad græcos codices et interpretes transeundum, si priùs de paraphrasi chaldaicâ et versione syriacâ pauca dicta fuerint.

CAPUT XI.

De paraphrasi chaldaicâ, sive Targo (1).

De auctoribus paraphrasis chaldaicæ primùm dicendum est, deindè de utilitate, postremò de vitiis quibus fœdata est. Primus Jonathas divinos Prophetarum libros, atque adeò Josue, Judicum et Regum libros, quos Hebræi inter propheticos libros numerant, chaldaicè reddidit, viginti circiter annos antè Christi adventum. Hujus diligentiam Onkelos imitatus, Hadriani imperio, Moysis quinque libros in chaldaicam linguam vertit. Quem Hebræi ex Titi Augusti sorore natum suadent, nimirùm si vera prædicant, à patre Vespasiano susceptâ ex judæâ aliquâ feminâ, quo tempore res in Palæstinâ gessit bellumque judaicum. Verùm Eliæ Levitæ verba præstabit adscribere hæc confirmantis in præfatione dictionarii chaldaici: *Jonathas è discipulis Hillelis fuit, qui vixit centum circiter annos antè templi excidium. Onchelos autem fuit filius sororis Titi, ejus qui templum evertit.* Subsecutus est longo quamvìs intervallo Joseph Cæcus, aliorum librorum veteris Testamenti, qui Cherubim vocantur, novus ac tertius interpres. Non ignoro quosdam existimare à singulis hisce interpretibus conversos omnes libros sacros, tametsi eorum diligentia magnâ ex parte periit; neque desunt inter hebraicos scriptores qui Jonathæ versionem in legem citent. Verùm hoc tempore ea interpretatio non exstat, quemadmodùm neque duorum aliorum interpretum, nisi in eos libros tantùm quos commemoravimus. Citatur etiam frequenter in eorum libris Aquilæ chaldaica interpretatio, ejus qui inter græcos interpretes numerantur, an alterius, haud facilè dixerim. Nonnulli eumdem *Onchelum* esse credunt, nominis similitudine inducti, conjecturâ haud parùm sæpè fallaci vanâque, atque hactenùs *Targum Babylonicum* dictum, quòd babylonicâ linguâ constet. Exstat enim prætereà tùm in libros Mosis præcipuè, tùm quosdam alios è divinis libris alia interpretatio chaldaica, quam *Targum Hierosolymitanum* nominant, incerto auctore, sed quam Galatinus, libro undecimo contra Judæos, capite primo, convenire vel maximè cum nostrâ editione latinâ vulgatâ testatur. Chaldaicam interpretationem, quæ vulgò circumfertur in libros Job, Psalmos et Proverbia, qui omnes inter *Cherubim* numerantur, ex hierosolymitanâ interpretatione seu Thargum esse, opinio probabilis, quoniam toto genere ab aliorum librorum interpretatione discrepat et multas voces admixtas habet ex linguis græcâ, romanâ et aliis, in quo differt à Thargum babylonico, argumento eam interpretationem fuisse factam quo tempore nationes externæ Judæorum imperium tenuêre, quorum commercio lingua vetus magnoperè est vitiata. De quinque libellorum chaldaicâ paraphrasi, nempè Cantico, Lamentationibus, Ruth, Esther, Ecclesiaste, idem Elias in eâ præfatione negat se nôsse quo auctore sit facta, neque esse tamen hierosolymitanam. Ratio certè interpretandi præsertim in Cantico Salomonis et Lamentationibus toto cœlo discrepans ab aliorum librorum interpretatione. Hæc de auctoribus Thargum dicta sunto. De utilitate pauca adjiciamus. Est enim cognitio ejus linguæ et paraphrasis commoda ad comparandam hebraicæ linguæ cognitionem. Est enim chaldaica lingua veluti dialectus hebraicæ, quippè quæ ex illâ manavit et cum eâ connexa est. Eòque in Clementinâ de magistris in publicis scholis mandatur, *non professores modò linguæ hebraicæ constitui, sed chaldaicæ*. Multæ significationes vocum hebraicarum temporis injuriâ potiùs quàm hominum culpâ exciderunt de memoriâ, ut aliquandò mirum videatur magnoperè ab hebraicis codicibus græcos aut latinos discrepare. Ad eas significationes eruendas sæpè multùm confert cognitio linguæ chaldaicæ. Cujus rei multa exempla proferri possent, et non pauca in hâc disputatione attentus lector per se considerabit. Ad eruendum germanam divinorum librorum sententiam multùm sæpè adjuvat chaldaicæ paraphrasis collatio, tùm ad revincendos Judæos, qui eam, ut divinos libros suscipiunt. Contingit sæpè divinæ Scripturæ locos Judæorum malitiâ à Christo detorqueri aliò. Ratio optima eos redarguendi si ex antiquis Rabbinorum scriptis aut etiam paraphrasi chaldaicâ, quod sæpè contingit, ostendamus in eo haud dubium hallucinari. Verùm cùm is liber à Judæis sit editus et in eorum manibus semper hæserit, multis partibus esse vitiatum docti omnes confitentur,

(1) Vide Valt. Proleg. et Renald. Dissert.

ii etiam qui nimiò plus judaicis rebus afficiuntur, quorum est nostrâ ætate magnus numerus. Atque in Pentateucho nonnulla, leviora tamen, vitia sunt ; in aliis libris majora frequentioraque. Quâ causâ in Bibliis complutensibus ea paraphrasis in Pentateucho est adjecta, in aliis libris prætermissa. Verùm qnoniam in Bibliis hebraicis circumfertur, tùm in Regiis cum interpretatione latinâ, operæ pretium erit ex multis quædam in medium proferre errata, ut lector quantâ cautione opus habeat in ejus libri lectione ex iis quæ subjicientur intelligat. Itaque de futuro Messiæ adventu quem illi quidem venturum expectant, de liberatione ab eâ quâ modò opprimuntur captivitate, de restitutione gentis ex iis locis, in quâ dissipata est, multa totâ eâ paraphrasi sunt inspersa. Quid de bello Gog et Magog dicam famosissimo, quod sub initium regni Messiæ ejusque auspiciis profligandum Judæorum universa natio somniat? De quo in paraphrasi chaldaicâ agi invenias Cant. cap. ult. 4. Tùm plura adjicit Moses ben Maymon, totius Misna cap. ult. his verbis : *Initio dierum Messiæ erit bellum Gog et Magog. Et antè bellum Gog et Magog princeps excitabitur Israeli ad præparandum corda eorum, quoniam dictum est : Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam.* Quàm verò sint ridicula quæ de hujus belli successu disputant Judæi, non est hujus loci commemorare. Sed certè *Gog* et *Magog* romanum imperium intelligunt, et Christianorum, quod malis omnibus pejùs oderunt. Inter alia Judæorum deliria unum est non esse ad vitam in resurrectione revocandos, nisi eos tantùm qui sepulti fuerint in terrâ Israel; reliquos negant ad vitam redituros priùs quàm per occultas cavernas terræ ad eam regionem quasi postliminio redeant; quod illi dictum de animarum transmigratione ex instituto Pythagoricæ interpretantur, eamque revolutionem *ghilghul* vulgò vocant, utì Elias copiosè docet in *Thisbi*. Quo modo unam animam primùm in Adam, deindè in Davide fuisse, postremò in Messiâ fore contendunt. Hanc vanitatem apertè docet chaldæus paraphrastes, Cantic. cap. ultimo vers. 5, his verbis. « Dixit Salomon propheta, quandò reviviscent « mortui, futurum est ut scindatur mons Oli- « varum, et omnes mortui Israel egressuri « sunt ex eo; et etiam justi, qui mortui sunt « in captivitate, venturi sunt per viam spina- « rum sub terrâ et egredientur ex monte Oli- « varum. » Delirium alterum, animas impiorum unà cum corporibus interire : quod apertè docet Rabbi David Kimhi in Psalmi primi ea verba : *Quoniam non resurgent impii in judicio :* negatque in extremâ resurrectione ad vitam suscitandos. Quod iterùm tangit Isaiæ 51, vers. 14. Hanc opinionem æquè stultam atque impiam pluribus locis indicare dissimulanter videtur chaldaica paraphrasis. Ex multis locis quosdam designare mihi suspectos satis habeam : Psam. 61, à vers. 21, et deinceps Isaiæ 42, vers. 11, et cap. 51, vers. 14, ubì ait : *Justi non morientur in corruptionem;* tùm Hieronym. 51, vers. 39 et 57. Illud impium quod Ecclesiastes 9, vers. 2, ait omnia ex fato sive stellis pendere his verbis : *Omnia ex fato sive ex stellâ pendent, atque ex cœlo decretum est quid futurum est omnibus.* Quæ sententia superiori etiam versu posita est. In quo latini interpretis cautio jure laudanda, qui pro *fato providentiam* posuit, atque ex illâ omnia pendere ait. Cùm constet vocem מזלא *fatum fortunamque* significare, in *providentiæ* significatione exstare nunquàm. Jam illud quàm supertitiosum quod ult. Cant. cap. vers 3, cùm chaldaicè, tùm latinè legimus : « Dixit cœtus Israel : Ego electa sum « suprà omnes populos, quia alligo frontalia « manui sinistræ meæ et capiti, chartulaque « infixa est lateri dextro portæ meæ, cujus « tertia pars respicit thalamum, ut non ha- « beant licentiam dæmones ad nocendum « mihi. » Illud paulò inhonestiùs Ecclesiastici 4, vers. 11; quod ubì nos legimus : *Et si dormierint duo, fovebuntur mutuò*, chaldaicè explicatur : *si dormierint duo, vir et uxor ejus, calor erit eis in hyeme, sed unus quomodò calefaciet?* Verùm hæc fortassis minuta judicantur. Quid dicemus cùm præcipua de Christo et mysteriis religionis christianæ aliò sæpè detorta videamus? Cujus rei aliquot exempla subjicimus. Psalmus secundus de Christo totus intelligitur, et citatur ad Hebr. cap. 1, Apoc. cap. 2, et 19, ac præsertìm illis verbis vers. 7 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te,* Christum Deum esse manifestè colligitur. Chaldæus tamen ea penitùs invertit cùm sic explicat : *Dominus dixit mihi : Dilecte, sicut filius est patri, tu mihi purus est.* Quod his verbis divinitatis vestigium? Psalm. 44, titulus, *Canticum amantissimi*, ut vertit Hieronymus, et in Vulgatâ, *Canticum pro dilecto.* Quæ verba sicut et totus Psalmus ad Christum referuntur. Chaldæus sic invertit : *Ad laudem pro assessoribus Sanhedrin ipsius Mosis, quæ dicta est in prophetiâ per filios Chora, intellectus bonus, hymnus et confessio*, ubì nulla de dilecto Christo mentio. Quid Psalmo 68, cujus initium est : *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ*

usquè ad animam meam, qui à Catholicis de Christo intelligitur, et ea sententia citatur, Joan. cap. 2, ad Rom. cap. 15, Matth. 27, et Act. cap. 1. Chaldæus videtur planè ità ad Davidem traducere, ut de Christo vix ac ne vix quidem posset intelligi. Psalm. 90, vers. 7, ubì nos legimus : *Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dextris tuis*, Chaldæus posuit : *Recordaberis nominis sancti, et cadent à latere sinistro tuo mille.* Nempè fabulantur Judæi prolatione nominis Dei, quod ipsi sanctum aut Sem-Hammephoras vocant, olim miracula patrata. Quod falsum est, neque carens superstitionis vitio. Psalm. 109, ubi nos legimus : *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech ;* quod Paulus ad Hebræos cap. 5, vers. 10, citavit, ut probaret aliam sacerdotii fore rationem in novo Testamento diversam à veteri, Chaldæus sic reddidit : *Juravit Dominus in verbo suo, me præfectum iri magnum sacerdotem in mundo futuro, quòd fuerim rex immaculatus.* Atque adeò totum Psalmum è Christo ad Davidem traducit. Psalmi 118, vers. 22, pro illis verbis : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quem locum Matth. cap. 22, vers. 42, Christus de seipso explicat, et inter Hebræos de Messiâ profectò accipit, certè Rabbi Selomo Michææ cap. 5, ad illa verba : *Ex te mihi egredietur dux*, sic enim ait : *Hic est Messias filius David. Sic enim scriptum est : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes,* Chaldæus sic posuit : *Puerum despexerunt ædificatores, qui inter filios Isai meruit constitui rex et dominator,* nempè pro *Eben*, quæ vox *lapidem* significat, legit *Aben*, quod est *filius*, fraude, ut puto, ne locus intelligeretur de Christo. Finis non sit si deliria omnia velimus colligere, et necessariò multa sunt resecanda. Ad Prophetas accedamus. Isai. cap. 9, vers. 1, ubì nos legimus : *terra Zabulon et terra Nephtalim* et quæ sequuntur verba, Matthæi cap. 5, de Evangelii luce explicata, Chaldæus ad captivitatem decem tribuum convertit et liberationem populi ex Ægypto. Verba ejus prætermittimus. Totum cap. 53 de Christi morte intelligitur planè, eâque sententiâ Apostoli pluribus novi Testamenti locis explicaverunt. Chaldæus de laboribus explicat et ærumnis, quas judaicus populus in captivitate est perpessus. In quo video Rabbinos recentiores Selomo et Kimhi vehementer laborâsse, ut totum caput, quo nullum est manifestius de Christo in veteri Testamento, novis expositionibus atque detortis aliò averterent. Quid cap. 61, vers. 1 : *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me ad annuntiandum mansuetis misit me.* Quæ verba Christus de seipso, Lucæ cap. 4, intelligenda docuit, Chaldæus de ipso prophetâ explicat manifestè. Quemadmodùm cap. 64, vers. 3, illa verba : *Oculus non vidit, Deus absque te*, quæ Paulus, 1 ad Cor. cap. 2, vers. 9, de veræ religionis mysteriis intelligit, non minùs turpiter Paraphrastes implicat suâ expositione, ut ne vestigium quidem leve relinquatur veræ sententiæ. Quid de Jeremiâ dicam ? Illis verbis cap. 11, vers. 18 : *Mittamus lignum in panem ejus*, ligni vocem ad veneni significationem traducit, quæ perversio illi cum Pagnino communis est. Cap. 31, vers. 15, illud : *Vox in excelso audita est lamentationis, luctûs et fletûs, Rachel plorantis filios suos,* pari licentiâ chaldæa paraphrasis depravat. Malachiæ cap. 11, vers. 1, illud : *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestrâ; ab ortu enim solis usquè ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Tùm illud Zachariæ cap. 11, vers. 12 : *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Tùm ex eodem prophetâ cap. 13, vers 6 : *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Ità Chaldæus pervertit, nullum ut vestigium exstet ejus sententiæ, quam Evangelistæ et Catholici reddiderunt. Porrò qui hæc et similia innumera aut percurrimus, aut silentio penitùs involvimus, nùm minuta persequemur ut Jonæ 2, vers 5, cùm Jonam in mare *Suph*, id est, *rubrum*, de navi præcipitatum affirmat, cùm Joppe, ubì navem conscendit Jonas, portus sit maris Mediterranei, non Rubri, neque ab uno in alterum sit trajectus. Nam pro affirmatione Chaldæum aliquandò negationem reddere dubium non est. Certè Genes. 4, vers. 23, pro : *occidi virum*, ille habet, *non occidi virum.* Tùm pro singulari numero pluralem, Genes. 22, vers. 18, et 26, vers. 4, et 28, vers. 14 : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Chaldæus, relicto singulari numero, in quo vis mysterii erat, dixit his omnibus locis : *Benedicentur propter filios tuos omnes populi terræ;* cùm Paulus ad Galat. 3, vers. 16, dicat : *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus.* Quæ à me dicta sunt omnia, ut lector intelligat, quantâ cautione is liber legi debeat, quantisque maculis sit multis in locis fœdatus. Neque verum esse, quod quidam vir doctus nostrâ ætate incautè posuit, hos interpretes Spiritu sancto afflatos eas paraphrases confecisse.

CAPUT XII.

De editione syriacâ (1).

Syriaca lingua et ipsa ab hebraicâ manavit, chaldaicæ affinis, charactere tamen discrepans, atque eâ quâ Hierosolymæ et vicinis locis Syriæ Judæi usi sunt ab antiquo et nunc utuntur Christiani, multis libris in eâ scriptis locupletata. Inter quos majori famâ celebrantur, quos Ephrem diaconus magno numero de variis argumentis, Basilii Magni tempore, publicavit in eâ linguâ. Exstant quin etiam divini libri in eam conversi linguam et quidem novi Testamenti libros Albertus Widmanstadius, Ferdinandi imperatoris cancellarius, typis vulgandos primus curavit, deindè Bibliorum regiorum consarcinatores in quinto eorum tomo adjecerunt cum interpretatione latinâ, quam Guido Fabricius, vir doctus et pius, adornavit. Veteris Testamenti duplicem versionem habent, alteram ex hebraico factam, alteram ex græcâ septuaginta Interpretum editione. Auctor Moses Bar-cepha, disputatione de paradiso parte primâ; qui et ipse inter syriacos scriptores numerari debet, vir haud dubium doctus, tùm in divinis, tùm in veterum Patrum græcorum libris diligenter versatus. Itaque ex utrâque versione affert sæpè testimonia. Theodoretus etiam syros codices veteris Testamenti citat, certè Jonæ 3, ad illa verba: *Adhuc tres dies et Ninive subvertetur*. Nec sanè vetus Testamentum syriacum nos vidimus, ac ne typis quidem expressum hactenùs prodiit. De novo Testamento pauca hoc loco dicenda sunt. Quod non negabo commodum fore ad eruendam sententiam plurium locorum, qui in libris et codicibus, tùm latinis, tùm græcis, multâ obscuritate sunt impediti. Ac præsertim ex capitum seu sectionum titulis, quibus de jejuniis mentio fit, de cruce et ejus veneratione, de vigiliis, precibus pro defunctis, satis intelligitur falli sectarios, cùm hos et similes ritus à romanis Pontificibus invectos contendunt. Quæ utilitas haud levis censeri debet. A Marco Evangelistâ quidam putant hanc versionem novi Testamenti factam, præter Matthæi Evanlium et Epistolam ad Hebræos, quæ volunt ab auctoribus prodiisse, quomodò nunc leguntur in syriaco Testamento. Nolim equidem contendere, neque negaverim Christi et Apostolorum tempore linguam hebraicam vitiatam vulgò fuisse, ac in syriacam desiisse, argumento vocum hebraicarum, quæ in novo Testamento conservantur, *Thalitha, Cumi, Golgotha, Gabbatha* et aliarum, quæ, ut superiùs dictum est, non ex hebraicâ linguâ purâ relictæ sunt, sed potiùs ex syriacâ, quâ vulgò Judæi eâ tempestate utebantur. Evangelium Matthæi et Epistolam ad Hebræos probabile est initio non linguâ hebraicâ veteri fuisse scripta, sed syriacâ. Tametsi quis suspicari possit quemadmodùm scriptores sacri, qui græcè scripserunt, non linguâ græcâ usi sunt corruptâ, quâ vulgus Græcorum procul dubio eo tempore sicut et nostro utebatur, sed antiquâ, sic Matthæum et Paulum veteri linguâ hebraicâ iis libris usos esse. Ac credam potiùs omnes novi Testamenti libros ex græcis conversos in linguam syriacam cum quibus ea editio in omnibus consentit; neque à Marco, ut isti putant, sed longo post tempore eam diligentiam fuisse factam. Consentit enim cum græcis exemplaribus locis omnibus, in quibus à nostrâ versione latinâ ii discrepant, etiam in illis quæ corrupta esse vitio temporum aut hominum culpâ vehementer suspicamur. Periculum facito, non aliter statues 1 ad Corinth. 15: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur;* Joan. ultimo: *Sic eum volo manere donec veniam;* Matth. 1, vers. 13: *quia tuum est regnum et potentia et gloria in secula, amen.* Quæ verba non sunt in nostrâ Vulgatâ. Ità, dùm fidem adstruimus syriacis, ne nostram prodamus editionem latinam verendum est. Plura quidem vitia et maculas in editione syriacâ, ejusve interpretatione latinâ consideravi minoris momenti pleraque. Quæ majora sunt, eorum si exempla pauca subjecero, satis habeam. Ac primùm ad Galat. 4, vers. 26, ubi legitur in Vulgatâ: *Sina mons est in Arabiâ, qui conjunctus est Hierusalem,* interpres syriacus dixit: *confinis est autem ipsi Hierusalem.* In quo non satis expressit vim vocis שלמ; nunquàm enim significat *confinem esse*, quod de agris dicitur, sed potiùs *convenire, affinem esse, similem esse;* cum quâ significatione verbum græcum, συστοιχει, mirificè facit, quod de elementis, symbolis eorumque affinitate dicitur, neque ad locorum propinquitatem referri debet, quemadmodùm neque vox *conjuncta* est posita in editione nostrâ vulgatâ, sed ad conditionem, qualitatem et mysterii similitudinem. Alioquì Sina locorum regionibus procul ab Hierosolymâ situs est, quo facilè importunas de loci hujus explicatione quorumdam disputationes evadimus. Ad Hebr. 11, vers. 31, in versione latinâ ejus editionis positum est: *Per fidem Rahab meretrix,* additumque ab interprete,

(1) Vide Valt. Proleg. et Renald. Dissert.

caupona. Nimirùm voluit vocem meretricis non à turpi quæstu deduci, sed ab honesto victûs quærendi genere. Quæ vox Jacobi etiam 2, vers. 25, addita est. In quo leges interpretis violavit, cujus partes sunt vocem in aliam linguam translatam non minùs latâ et ancipite significatione relinquere, quàm est in origine, et cùm vox syriaca *scortum* significare possit, ac verò plerumque significet, quemadmodùm in hebraicâ linguâ, non debuit profectò ad *cauponæ* significationem sive arctari, sive detorqueri. Ac nescio an satis consentiat cum Ecclesiâ eam feminam arbitrari cauponam fuisse et non scortum potiùs, tùm ob receptam vulgò opinionem quam antiqui Patres confirmant, tùm quòd in hebraicâ modò et syriacâ linguâ, *sona* vocatur, sed etiam latinè *meretrix* in editione vulgatâ, et à B. Jacobo Pauloque sive Lucâ aut Clemente (nam horum alterum Epistolam ad Hebræos interpretatum esse constans opinio est, et Eusebii lib. 6 hist. cap. 18, testimonio confirmatum), græcè, πόρνη nuncupatur, quæ voces nescio an usquàm in honesti quæstûs significatione occurrant. Scio chaldæum paraphrastem ubique Rahab *cauponam* dicere; et quod plus ponderis habet Gregor. Nazianz. in oratione de pauperum curâ hæc verba posuisse : *Inter peccatores Rahab meretrix, sed nequaquàm meretrix professione, quæ propter hospitalitatis amorem laudata est et salvata*. Neque ignoro nostrâ ætate placere cœpisse quibusdam Catholicis opinionem, quæ negat Rahab aliquandò scortum fuisse. In quo mallem aliorum sententiam audire, quàm proferre meam. In hoc genere poni debet, quod Matth. 26, vers. 28, ubi nos legimus: *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, interpres syriacè posuit : *novi fœderis*, cùm dictionem, quæ eadem διαθήκη Græcorum est, Testamentum significare ipsemet in dictionario fatetur, neque ignorare potuit Paulum, ad Hebræos 9, vers. 16, cùm de novâ lege disputet, de quâ etiam Christus superioribus apud Matth. verbis loquebatur, eam vocem *in testamenti* significatione posuisse, neque posuisse tantùm, sed ex eâ etiam vocis significatione collegisse Christum qui *testamentum* nuncupârat, necessariò fuisse moriturum, ut testamentum esset validum. *Testamentum*, inquit, *in mortuis confirmatum est, alioquì nondùm valet dùm vivit qui testatus est*, cujus argumenti vis penitùs corruit dictione illâ in *fœderis* significatione sumptâ, quod inter vivos etiam est validum, ac debuit venire in mentem, quosdam ejus Epistolæ auctoritatem elevare conatos esse, quod indignum esse id argumentum Pauli majestate putarent, quibus obviàm eundum fuit, atque hæreticorum esse proprium novum testamentum, *novum fœdus* vocare, gallicè *la nouvelle alliance*, atque ab iis per imprudentiam ad quorumdam Catholicorum sermonem manâsse, quibus opitulari non oportuit, præsertìm cùm interpres ipse in Marco et Lucâ atque 1 ad Cor. 11, ubi de eodem mysterio agitur, pro eâdem voce *testamentum* reddidisset, tametsi aliis rursùs locis *ad fœderis seu pacti* significationem revertatur, quod incredibilem sive inscientiam rerum sive inconstantiam arguit. Atque cum sanè Matth. locum et similes castigandos restituendosque omninò propter auctoritatem Pauli judicarem, ni ab Hieronymo in Jerem. cap. 31 præsidium aliquod habere considerarem, qui dictionem hebraicam, *berith*, cui syriaca et græca respondent, *fœdus* et *pactum* significare ait, atque adeò in eo Jer. cap., vers. 31, legimus in editione vulgatâ : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum*, etc. et Innoc. c. cum Marthæ, de celebratione missarum, videri possit hanc interpretationem tueri, cùm ait : *Novi et æterni testamenti perindè esse, ac si diceret, novæ et æternæ promissionis*. Itaque de hoc loco, quod de superiori dixi, mallem audire alios quàm ipse pronuntiare, tametsi hoc præsertìm tempore æquum fuerat nihil in re tanti momenti mutari, quod multorum aures offendat. Ad Rom. 5, vers. 12, Pelagianis favere videtur, qui negabant transgressionis Adæ labem reatumque manâsse ad posteros, sed eos mortis reos esse, atque vocari à Paulo quòd ejus transgressionem novis peccatis imitati essent. Itaque ubi nos legimus eo loco : *Et ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, quibus verbis significatur omnes Adæ posteros ejus peccati reos esse, etiamsi nullum peccatum novum ipsi committerent, interpres syriacus posuit : *Et ità in omnes mors pertransiit, in eo quòd omnes peccaverunt*. Quantò satiùs erat vertere, in quo omnes peccaverunt, quandò eam interpretationem verba syriaca recipiunt, quàm mutando veteri lectione erroris suspicionem movere? Eòdem pertinet quod 1 ad Cor. 15, vers. 10, dixit : *Plus quàm omnes laboravi, non ego, sed gratia illius qui mecum est*, quæ interpretatio nostri temporis hæreticis multùm favet, negantibus vim et cooperationem liberi arbitrii, totumque tribuentibus gratiæ; quid enim aliud est, non ego scilicet laboravi, sed gratia ejus qui in me est, nempè Dei? Ac debuit interpreti venire in mentem

magnam de hujus loci interpretatione esse Catholicis cum hæreticis litem, Vallamque in annot. negare contrà S. Thomam et August. satis et hoc loco adstrui *gratiæ cooperantis* vim, Calvinum verò lib. 2 institut. cap. 3, §. 11, ità locum vertisse: *Non ego, sed gratia Dei quæ in me est*, à quo Fabricii interpretatio nihil differt, nisi quòd relativum *qui* in genere masculino poni maluit. In quo Eras., qui liberior esse solet, cautior exstitit, cùm sic locum reddidit : *Non ego, sed gratia Dei quæ mihi adest*, et sanè sic potuit ad verbum verti ex syriaco, *non ego, sed gratia Dei, qui, vel quæ mecum*, neque quidquam addere, quandò in syriaco nihil est aliud, ut Catholicus supplere posset, non verbum *est*, sed *operatur aut laborat*, quod proximè præcesserat. Sic enim Vulgata dixit : *Non ego, sed gratia Dei mecum*, scilicet operatur, sublato relativo, conservatâ sententiâ. Censeo ergò, ut maximè alia quæ à me adducta sunt in hoc capite dissimulari omnia placeat, hunc locum castigari debere ne in re tanti momenti adversariis favere judicemur. Rursùs in hoc novo Testamento syriaco nonnulli libri desiderantur, nimirùm duæ Joannis Epistolæ, 2 et 3, Petri 2, Judæ Epistola atque Apocalypsis. Undè Græci, qui teste Hieron. Epistolâ ad Dard. et lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in *Petro, Joanne, Papiâ et Judâ*, atque Euseb. lib. 3 hist. cap. 25, quique Græcis hoc tempore non pauci adhærent, eosque libros rejiciunt à divinorum librorum numero, argumentum possunt arripere ad perstandum in sententiâ, cùm videant in syriacis codicibus non esse. Deest etiam Joan. 8, tota historia adulteræ quod iis patrocinatur qui eam addititiam esse judicant, quorum omnium sententia Trident. conc. decret. sess. 4, cap. 1, reprobata est, omnes libros sacros cum omnibus partibus suis proùt in Vulgatâ editione circumferuntur suscipientis. Aliquid certè dici debuit ad stabiliendam, tùm ejus historiæ, tùm reliquorum librorum qui desunt, auctoritatem; in quo video Fabricium absoluto toto opere (nam ab aliquo admonitum fuisse suspicor), laborâsse, et initio primi tomi quamdam sive præfationem sive excusationem posuisse, quod ipsis locis ubi periculum erat fieri oportuit. Quis enim postquàm venenum hauserit in tantâ sylvâ, sive præfationem, sive privilegiorum, sive Epistolarum remedium opportunè inveniat quæratve, admonente nemine? Jam verò illud gravissimum esse arbitror et prorsùs correctione indigere, quod 1 Joan. 5, totus versus 7 desideratur, nempè : *quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*. Quæ verba cùm Arianorum jugulum peterent ab ipsis perfidè fuisse sublata Hieronym. indicat, sive quicumque fuit auctor prologi in septem Epistolas canonicas. Et debuit interpres animadvertere Arianorum pestem hoc tempore in quibusdam provinciis plus nimiò grassari, et, ut proclives sunt homines ad quærendum undecumquè erroris patrocinium, posse eos syriacorum codicum auctoritate suam causam tueri, causarique nostros codices esse depravatos, syriacos tantùm veram continere lectionem, præsertìm cùm tanta illis tribuatur antiquitas, ut Marcum habuisse interpretem scribant.

CAPUT XIII.

Septuaginta Interpretes Prophetarum officio functos (1).

Multa de hebraicis codicibus cùm sint dicta, rerum ordo exigit, ut ad græcos transeamus, quoniam ex illis fontibus primi manârunt. De veteri Testamento plura dicemus, de novo adjicientur pauca. Ac veteris Testamenti libros plures interpretes græcè reddidisse superiùs est explicatum, multasque græcas versiones exstitisse olìm librorum veteris Testamenti omninò septem. In eo numero septuaginta Interpretes, qui jussu Ptolemæi Philadelphi id opus perfecerunt in Ægypto, principem locum tenuerunt, cæteris antiquiores majori multò auctoritate. De quibus solet in dubium verti, *an divinos libros fuerint divino instinctu et inflatu interpretati*, sic, ut eorum calamus, cùm interpretationem faciebant, regeretur à Deo, non minùs quàm Mosis et aliorum scriptorum sacrorum scribentium libros sacros. Neque hoc loco de vocis notione laboramus; scimus enim scriptores sacros à *Prophetis* veteribus non scribendi fide, sed directionis modo differre. Neque rursùs *Prophetæ* vocem latâ significatione usurpamus, quâ Paulus utitur ad Ephesios 3, vers. 5, et cap. 4, vers. 11, ubì ait: *et ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam quidem Prophetas*, eâ voce comprehendens interpretes explanatoresque divinarum Scripturarum. Ambrosii certè sententia, nimirùm, quoniam ut Origenes ait homil. 2 in Ezechielem, quo spiritu et mente antiqui Prophetæ vaticinati sunt, eâdem opus habeant qui commodè debent divinos libros exponere, quemadmodùm *Evangelistas* mox Paulus vocat, quibus munus erat Evangelium per provincias primis

(1) Consule Bonfrerium de hâc quæstione et Valtoni Prolegomena.

temporibus evulgandi, quo modo ab Eusebio Pantenus Alexandrinus *Evangelista* vocatur, aliique multi per id tempus eodem fungentes munere, lib. 5 Historiæ Ecclesiasticæ cap. 10. Nos hoc loco *Prophetæ* voce intelligimus, qui præsentiâ divini numinis ductus, neque fallere potest, neque falli. Sanè Ægypti rex Ptolemæus Philadelphus, pacis artibus magis quàm bello oblectatus, tàm multa ingenii et liberalitatis monimenta reliquit, ut ab eo elegantia opera et magnifica *Philadelphia* vulgò dicerentur, teste Philone, lib. 2 de vitâ Mosis. Is, auctore Demetrio Phalereo (*qui primus doctrinam urbes regendi*, ut Cicero ait, lib. 3 de Legibus, *ex umbraculis eruditorum et otio, non modò in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen, aciemque perduxit*), Alexandrinam bibliothecam undiquè congestis libris instruere cogitavit. Demetrius cui ea cura imposita est, ducentis librorum millibus congestis, et cùm brevì ad quingenta millia fore affirmaret, teste Josepho lib. 12 Antiquitatum, cap. 2, tametsi Marcellinus Amianus lib. 22, *septuaginta modò librorum millia*, Cæsare dictatore, in bello alexandrino conflagrâsse affirmat, regi indicavit divinas leges apud Judæos servari, quæ, si in græcam linguam verterentur, magnum ornamentum operi inchoato essent allaturæ. Rex Judæis, quorum erat magnus numerus in Ægypto, per edictum libertate restitutâ, ad Eleazarum ejus gentis pontificem litteras cum donis mittit, quibus septuaginta duos viros sapientes senos ex singulis tribubus, eâ causâ ad se mitti impetravit, eorumque adventu hebraici libri divinarum Scripturarum græcè sunt redditi. Hactenùs auctores consentiunt. De ratione interpretandi dissentiunt inter se viri antiquitate, auctoritateque maximâ. Plerique in cellas distributos affirmant, cùm inter se nihil contulissent sententiâ et verbis eisdem interpretationem omnes perfecisse, quod si verum est, numinis præsentis argumento certissimo. Huic sententiæ Augustinus suffragatur, lib. 18 de Civit., cap. 43, tùm lib. 2 de Doctrinâ, christianâ cap. 15, his verbis : « Latinis « quibuslibet emendandis Græci adhibeantur, « in quibus septuaginta Interpretum, quod ad « vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas : qui jam per omnes peritiores Ecclesias « tantâ præsentiâ Spiritûs sancti interpretati « esse dicuntur, ut os unum tot hominum « fuerit, et quæ in hanc sententiam sequuntur. » Eadem docet Irenæus lib. 3, cap. 25, Ptolemæo metuente ne fortè consensu veritatem absconderent, separatos ejus jussu, eisdem verbis omnes interpretationem fecisse. Idem sentit Clemens Alexandrinus Stromatum primo. Justinus in oratione Paræneticâ, priorum sententiâ confirmatâ, adjicit vestigia *cellularum* Alexandriæ se vidisse. Philo, lib. 2 de vitâ Mosis, aperto miraculo tribuit, in tantâ linguæ græcæ varietate et copiâ, eisdem omninò verbis interpretationem fecisse, atque rei gestæ memoriam anniversariis sacris, non à Judæis, sed ab incolis etiam in Pharo insulâ, ubì interpretatio est facta, celebrari convenisse, sperareque se brevi fore ut tota Ægyptus divinas leges susciperet. Ecce duos oculatos testes, quibus auctoritate et fide jure præferri nullus antiquorum possit. Denique Epiphanius, *lib. de ponderibus et mensuris*, cum cæteris consentiens, binos in singulas domunculas distributos, qui erant sex et triginta et unumquodque par singulos divinæ Scripturæ libros interpretandos accepisse primùm; deindè alios circulo affirmat solus, eumque secutus Justinianus, Novellâ 146, eatenùs ut *binos* in *singulis* cellulis fuisse dicat; nam alii *singulos* in singulis cellulis distributos aiunt. In alteram partem Hieronymi auctoritas opponitur, qui eam opinionem nullo idoneo auctore nixam, ex vulgi rumoribus collectam ait; libro 2 contrà Ruffinum, præfatione in librum Paralip. vulgò sine auctore eas cellulas jactare affirmat, et præfatione in Pentateuchum : *Nescio*, inquit, *quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, quibus divisi*, certè septuaginta Interpretes, *eadem scriptitârint*; cùm Aristeas ejusdem, Ptolemæi ὑπερασπιστήσους, et multò post tempore Josephus nihil tale retulerint, sed in unâ basilicâ contulisse scribant, non prophetâsse. Exstat quidam *Aristeæ*, qui in intimis Ptolemæi erat, et quo suasore Judæi in libertatem restituti fuerunt, libellus de septuaginta Interpretum versione, singulorum etiam nominibus adscriptis; quem negare non possumus ejus miraculi nullam fecisse mentionem, cùm minutissima quæque explicuerit, et fortassè rem omnibus notam ac testatam prætermisit; neque omnia historici referunt. Nam ab auctoritate aliorum Patrum discedere grave existimabam. Neque Josephi auctoritas movebat, qui libro 12 Antiquitatum, cap. 2, *Aristeæ* tantùm disputationem fermè totidem verbis in suam historiam transtulit, nullâ re additâ vel commutatâ. Ergò eò inclinat animus, ut divino numine inspirante septuaginta Interpretes opus perfecisse credam. Certè utrovis modo præcipua præ cæteris Interpretibus auctoritate et maximâ, utì Augus-

tinus ait locis citatis, si separati non fuerunt, sed communi tractatu singula contulerunt, ne sic quidem quemquam unum hominem quâlibet peritiâ ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet aut decet. Quæ sunt ipsa Augustini verba. Porrò septuaginta Interpretes in suâ versione non verbum verbo reddidêre, utì Origenes ait, sed paraphrasim potiùs fecisse videntur quàm translationem. Nimirùm studio nostra et Christi mysteria apertiùs explicandi, sic commodum ille putabat, si sacri libri ex hebraico ad verbum verterentur, ut in ecclesiasticis conventibus septuaginta Interpretum versione uteremur, alterâ ex hebraico adversùs Judæos quod Græcè Aquila, Symmachus, et Theodotio præstiterunt, latinè Hieronymus. Eâ causâ sæpè septuaginta Interpretum versio ab hebraicis discrepat, et quoniam nonnulla mysteria tegere gentibus voluerunt, utì idem Hieronymus ait præfatione traditionum in Genesim : « Neque verò, inquiens, septuaginta « Interpretum, ut invidi latrant, errores ar- « guimus, neque nostrum laborem illorum « reprehensionem putamus, cùm illi Ptolemæo « regi Alexandriæ mystica quæque in Scripturis « sanctis prodere noluerint, et maximè ea quæ « Christi adventum pollicebantur, ne vide- « rentur Judæi, et alterum Deum colere : « quos ille Platonis sectator magni idcircò fa- « ciebat, qui unum Deum colere dicerentur. »

CAPUT XIV.

Septuaginta Interpretes an legem modò sunt interpretati (1)?

Sequitur quæstio non minùs impedita argumentorum in utramque partem pondere, et diversâ sentientium auctoritate, quam partem veteris Testamenti septuaginta Interpretes fuerint interpretati. Nam antiqui fermè Patres, omnes libros veteres indicant. Justinus in oratione Paræneticâ antiquos libros Hebræorum conscriptos litteris versos ait, nullo discrimine facto, et Irenæus lib. 3, cap. 25, petiisse Ptolemæum ab Hierosolymis habere interpretatas Scripturas eorum. Epiphanius numerum librorum exprimit, ac viginti septem omninò græcè conversos ait, ità ut seniorum par unum quoque libris illis inter omnes distributis, unum librum interpretandum acciperet, factâque interpretatione daret aliis vertendum, et vicissim acciperet interpretandos, qui ab aliis versi erant, donec circulo facto libri omnes ab omnibus interpretibus verterentur. Ad horum Patrum auctoritatem accedit validum argumentum ; cùm enim Christus et Apostoli veteris Testamenti locos non ex hebraicis libris, sed ex græcis produxerunt sæpè, utì antè dictum est, quâ ex interpretatione aliâ sumere potuerunt? Neque enim Aquila, Symmachus, Theodotio, aliive interpretes adhuc exstiterant. Deindè quoniam præter sex editiones, ab antiquis Patribus septuaginta Interpretum editio citatur in omnibus libris veteris Testamenti, tanquàm ab aliis diversa; et Origenes in Hexapla eam contulit, quam nisi novos interpretes fingamus, à Septuaginta factam fateri debemus. Hæc sunt in hanc partem argumenta valida atque præclara, quis neget? quis non videat? In alteram Hieronymi auctoritas est, qui multorum instar esse possit. Is Aristæam et Josephum affirmare ait, legem tantùm, hoc est, quinque libros Mosis à septuaginta Interpretibus fuisse conversos, consentireque eruditos, omnemque Hebræorum scholam. Sanè Aristæas et Josephus legem petitam à Hierosolymis, missamque, interpretesque cum membranis quæ legem aureis litteris scriptam continebant ad regem ivisse aiunt. Sed præstat ipsa Hieronymi verba ex præfatione traditionum in Genesim subjicere, dicentis : « Accedit ad hoc « quoque, quòd Josephus qui septuaginta « Interpretum proponit historiam, quinque « tantùm libros Mosis translatos refert, quos « nos quoque confitemur, plus quàm cæteros « cum hebraicis consonare. » Tùm in Ezechielis verba ex quinto capite : « Tertia tui pars « peste morietur, ait, quanquàm et Aristæus « et Josephus, et omnis schola Judæorum « quinque tantùm libros Mosis à Septuaginta « translatos asserant. » Eadem repetit in illa verba ex capite 25 ejus Prophetæ : *et profecisti in regno;* præterea Michææ 2, in illa verba : *mulieres populi mei ejecistis.* Accedit Philo, qui lib 2 de vitâ Mosis, tantummodò ait legem ab illis Interpretibus traductam, et cum cæteris consentiens Zonaras tomo primo suorum Annalium. Legis autem nomine Hebræi Pentateuchum intelligunt, quem et Thorah, id est, legem vocant. Accedit styli dissonantia ; nam Hieronymus præfatione traditionum in Genesim, versionem Pentateuchi magis cum hebraicis fontibus quàm cæterorum librorum convenire ait, quod de Ezechiele etiam confirmat præfatione in eum Prophetam, his verbis : Sed et vulgata editio non multùm distat ab hebraico, undè non satis miror quid

(1) Vide Bonfr. præl. et Valt. Proleg.

causæ exstiterit, ut si eosdem in universis libris habemus interpretes, in aliis eadem, in aliis diversa transtulerint. Sæpèque idem Hieronymus in Prophetis præsertim conqueritur, magnam nominum propriorum in iis vaticiniis immutationem esse factam præ aliis veteris Testamenti libris. Quæ magna argumenta sunt, ac nostram assensionem in hanc partem potiùs trahunt. Nam si auctoritate agendum est, Aristææ, Philoni atque Josepho, nemo posteriorum jure præferatur, et certè diebus septuaginta duobus, quibus interpretationem factam Josephus et Aristæas affirmant, item Cyrillus catechesi 4, Septuaginta quo modo potuerunt libros omnes convertere, præsertim inter omnes collatione factâ? Nam quod objicitur ab adversariis, undè Christus et Apostoli græca testimonia protulerint, nimirùm exciderat, Clementem Alexandrinum, Stromate primo, atque Eusebium lib. 9 præparationis Evangelicæ, c. 2, utrumque ex Aristobuli sententiâ affirmare libros Hebræorum, priusquàm rerum potiretur Alexander Magnus, fuisse in græcam linguam conversos. Undè poetæ et philosophi apud Græcos multa mutuati sunt, prorsùs ut Numenius affirmaret nihil aliud esse Platonem quàm Mosem atticâ linguâ loquentem. Indè etiam Theopompus et Theodectes cùm in sua poemata quædam ex divinis libris transtulissent, ejus temeritatis pœnas dederunt, alter emotâ mente, alterius oculis excæcatis, ut Aristæas et Josephus referunt locis citatis. Addam etiam ex Justino in oratione 2 ad Antoninum imperatorem, Herodis regis tempore, Ptolemæo ægyptio rege exposcente, græcè fuisse conversos propheticos libros. Quod memoriæ lapsu quidam putat à Justino martyre Herodem positum pro pontice Eleazaro, à quo septuaginta Interpretes in Ægyptum sunt missi. Ego plures interpretationes variis antè Christum temporibus fuisse factas cogitabam, neque Justinum credebam in re apertissimâ fuisse hallucinatum; sic factum, ut cùm ex variis interpretationibus cum lege ipsâ seu Pentateucho libri alii sacri in bibliothecâ Alexandrinâ essent reperti, quorum erat auctoritas major, et fama celebrior, septuaginta Interpretibus omnes tribuerentur, quam opinionem secutus Origenes in sua eos volumina contulit eodem septuaginta Interpretum nomine, et Hieronymus ipse, quotiès de hâc re propriè disputatio non est, vulgarem sequitur famam, Septuaginta nomine totam illam interpretationem passim vocitans. Labor longus: ad alia transeundum, si Thalmudistas adjecero nostræ sententiæ hâc et superiori disputatione suffragari argumento haud dubio veritatis; qui enim nobiscum conspiràssent? Illi ergò initio ejus tractatùs quem *tractatum Scribarum* vocant, sic aiunt: « Ptolemæus rex convocavit septuaginta duos senes, collocavitque in totidem cellis; cùmque nondùm aperuisset, quâ de causâ convocati essent, ingressus ad singulos dixit eis: Scribite mihi legem Mosis, magistri vestri. Porrò Deus ità cujusque mentem dirigebat ut cùm scriberent singuli, eamdem omni ex parte legem omnes scriberent, tredecim modò locis ab hebraico commutatis. » Hæc illi.

CAPUT XV.

Codices græcos ex Septuaginta purâ interpretatione non esse.

Ergò cum lege quæ sola à septuaginta Interpretibus est græcè reddita, alii libri sacri veteris Testamenti ex vetustâ interpretatione conjuncti circumferebantur, quæ ab usu loquentium Septuaginta editio universa vocabatur, non ab indoctis, sed ab expolitis etiam doctrinâ et eruditione viris; reliquum est hoc loco investigare, an quæ ex græcis omnibus versionibus sola manet, ea ipsa sit, an ex aliis aliqua. In quâ disputatione conjecturis agendum est, ac satis habeam si verisimilia quæ fuerint pro veris accipiantur. Statuo igitur græcos codices non ex sincerâ illâ interpretatione, sed potiùs ex eâ cum aliis mixtâ, esse prorsùs ex eâ interpretatione (1) quæ vulgata à Græcis seu communis dicebatur. De psalmis testata res est, cùm Hieronymus Epistolâ ad Sunniam et Fretellam locis omnibus, quibus utramque versionem affert totâ eâ Epistolâ, qui innumeri sunt, confertque utramque editionem, quam lectionem vulgatæ editionis esse ait, et à septuaginta interpretum versione discrepare, ea ferè in græcis codicibus retinetur: hodiè longum esset proferre omnia, quædam tantùm exempla proferantur. Primum ex Psalm. 5, ubi hodiè græcè et latinè legimus: *Dirige in conspectu tuo viam meam*, quæ fuit lectio vulgatæ editionis; Septuaginta è contrario cum Hebræis legebant: *Dirige in conspectu meo viam tuam.* Deindè Psalm. 6, ubi nos legimus, vers. 11: *Erubescant et conturbentur vehementer;* adverbium, *vehementer*, quod in hebraicis codicibus et Septuaginta versione erat, in solâ

(1) Quod certum est de editionibus complutensi et Le Jay, sed falsum videtur sivè de editione romanâ, sivè de londinensi. Consule Valtoni Prolegomena.

Vulgatâ desiderabatur, utì hodiè in nostris codicibus græcis desiderari videmus. In solis tamen romanis legitur græcè. Prætereà Psalm. 16, vers. 2, *oculi tui videant æquitates*, in communi et Vulgatâ legebatur olim, *oculi mei videant æquitates;* ea lectio modò in græcis codicibus, etiam romanis conservatur. In eodem Psalmo, vers. 8, qui modò legitur græcè, *custodi me, Domine, ut pupillam oculi*, negat in alio interprete præterquàm in editione illâ reperiri. Versus illi qui citantur à Paulo ad Rom. 3 : *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant*, de quibus magna quæstio est, ex quo veteris Testamenti loco afferantur, plerisque affirmantibus ex Psalm. 13, quoniam nisi illi versus ejus Psalmi sint, duo Psalm. 13 et 52, idem Psalmus esset, Hieronymus præfatione lib. 16 in Isaiam, credit ex variis locis veteris Testamenti à Paulo produci, negatque eos versus in Psalm. 13 inveniri, præterquàm in unâ editione vulgatâ, qui hodiè tamen in græcis codicibus Psalm. 13 leguntur; atque ex illâ latinâ vulgatâ editione Psalm. 44, vers. 14, illis verbis, *in fimbriis aureis circumamicta varietate*, Hieronymus Epistolâ ad Principiam virginem negat illud *circumdata varietate*, quod in græcis codicibus exstat, ullum interpretem posuisse præter unam editionem vulgatam. Postremò, Ps. 75, vers 8, illa verba : *Venite et quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terrâ*, nulla editio habebat, præterquàm Luciani, quæ eadem vulgata, seu communis erat, nam septuaginta Interpretes et sexta editio, κατακαυσωμεν, id est, *comburamus*, posuerunt; Theodotion, ἐνέπυρ-ίσωμεν; Aquila et Symmachus, ἐνεπρησαν; quinta editio, κατέκαυσαν, id est, *incenderunt*, utì in hebraicis codicibus legitur, et Hieronymus in suâ versione est interpretatus. Qui locus cum aliis ex eâ Hieronymi epistolâ ad Sunniam et Fretellam, Paulum Foros. 2 par. Paulinæ lib. 2, in eam opinionem adduxit, quæ est eruditorum hodiè, græcos psalmos non ex interpretatione septuaginta Seniorum, sed ex communi Græcorum esse atque vulgatâ. Idem possumus de Prophetarum libris confirmare multis exemplis et auctoritate multorum Patrum. Ac primùm Hieronymus in Isaiam libro primo, postrema verba secundi capitis : *quiescite ergò ab homine cujus spiritus in naribus ejus est*, deesse dicit in versione septuaginta Interpretum, quæ tamen modò in græcis codicibus integra exstant, ac proxima verba, *quia excelsus reputatus est ipse*, inversa ab Hebræis, putâ dictione unâ in duas partitâ, intelligentes, inquit, Judæi prophetiam esse de Christo, verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati sunt, ut viderentur non laudare Christum, sed nihili pendere, Quemadmodùm et Origenes, homiliâ 12 in Jeremiam, in illa verba : *Peccatum Judæ scriptum est in stylo ferreo*, quoniam, inquit, difficile est aliquem se malum confiteri, ideò Judæi qui exemplaria nonnulla falsârunt, etiam in hoc loco pro *peccato Judæ* etiam *peccatum eorum* posuerunt. Verùm satìs multa in hanc sententiam superiùs adducta sunt, et finis non esset si omnia essent congerenda. Idem Origenes ad Romanos cap. 11, illa verba à Paulo desumpta ex Isaiæ cap. 59 : *Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem à Jacob*, explanans, affirmat septuaginta Interpretes posuisse (nempè undè testimonium illud Paulus assumit) : *Veniet propter Sion ;* nunc autem legitur : *veniet à Sion*, etc. ἥξει ἀπὸ Σίων ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβίας ἀπὸ Ιακωβ. Hieronymus Ezechielis 13, in illud : *qui linunt absque temperaturâ*, vers. 10, Septuaginta posuisse *qui linunt stultitiâ* affirmat. Quæ lectio in codicibus græcis vulgò non habetur, ne in Romæ quidem editis nuper, præterquàm in complutensibus, et eorum exemplo in regiis restituta, ut arbitror ex Hieronymi verbis : καὶ αὐτοὶ ἐπαλείφουσιν αὐτὸν ἀφροσύνῃ. Ad hæc historia Susannæ Danielis 13, in Septuaginta quidem codicibus erat, utì superiùs est ex Origene demonstratum. Hieronymus autem dicit se eam ex Theodotionis editione sumpsisse nihilò differentem à græcis codicibus qui modò exstant. Itaque Origenes versionem Septuaginta dixit, quæ communis et mixta cum aliis erat ac præsertìm cum Theodotionis. Ac verò *totum Danielem* græcè ex Theodotionis versione esse indicat illis verbis præfatione in illum librum : *Danielem Prophetam*, inquiens, juxtà septuaginta Interpretes Domini Salvatoris Ecclesiæ non legunt, utentes Theodotionis editione, et hoc cur acciderit nescio. Nimirùm communis seu vulgata editio Græcorum ex cæteris interpretationibus, præsertìm Theodotionis cum septuaginta Interpretum versione erat confusa, libris etiam integris ut magis Ecclesiis placuerant, in eam ex aliis interpretibus in commune corpus collatis. *Liber Esther* ex vulgatâ Græcorum editione fuisse mihi videtur. Nam quæ Hieronymus in versione latinâ ex vulgatâ Græcorum versione sumpsisse se ait à capite 10, ea fermè in græcis codicibus exstant; illa etiam quæ capite 11, in Vulgatâ fuisse tantùm, neque in alio interprete ullo inveniri, nimirùm : *Anno 2, regnante Artaxerxe Maximo, primâ die mensis Nisan*, et quæ sequun-

tur. De libro Judicum quid certi afferam non habeo, nisi fortassis quod Eusebius in Chronicis negat *Ailon* vel *Aeglon* numerari in Judicibus à septuaginta Interpretibus, cujus tamen nomen hodiè in græcis codicibus exstat cap. 12, vers. 11. Librum Josue ex septuaginta Interpretum versione non esse, Masii diligentia in eum librum græcè apertè convincit multis verbis ac sententiis additis aut detractis ad veterem Septuaginta interpretationem, quâ in re laudandus ejus conatus est, si ex certæ fidei codicibus græcis ea restituit, neque Syrorum libris se in fraudem induci est passus, quos superiùs dictum est vetus Testamentum habere, tùm ex hebræo, tùm ex editione Septuaginta, in suam linguam conversum. Verùm accedit eòdem Hieronymi auctoritas in Michæam cap. 5, ad illa verba : *Et tu Bethleem Ephrata,* affirmantis verba illa, Thæco et Ephrata, hoc est Bethleem, quæ sunt superiùs adducta, neque in hebraico esse, neque apud alium interpretem inveniri, nisi in septuaginta Interpretibus, quæ in nostris hodiè codicibus Græcis desiderantur, in ipso etiam Masii codice obelo jugulata. Reliquum est de Pentateucho disserere, in quo versionem septuaginta Interpretum puram, certè sinceriorem, quàm in aliis Patribus manere indicio sunt Hieronymi traditiones in Genesim; nam ferè quibus locis Septuaginta verba affert, ea modò in græcis codicibus exstant. Genesis cap. 3 : *Super pectus tuum et ventrem tuum gradieris*, et cap. 25, vers. 22, illis verbis: *collidebantur in utero parvuli*, ait in Septuaginta græcè legi : ἐσκίρτων δὲ τὰ παιδία ἐν ὠὐτῇ. Quæ lectio in græcis modò codicibus exstat; tùm cap. 26, vers. 33, ubi appellavit *eam abundantiam*, Septuaginta verò *eum juramentum*, quæ lectio etiam in græcis codicibus exstat. Verùm de hâc re certò pronuntiare non possumus, cùm Hieronymus eo libro de vulgatâ editione nihil meminerit, quibus locis à septuaginta Seniorum editione discrepabat, quod factum puto, quoniam eâ parte Vulgata magis consentiebat cum veteri septuaginta Seniorum interpretatione, et Genes. 49, illis verbis: *donec veniat qui mittendus est*, vers. 10, ubi modò legitur : *donec veniant exposita ei*, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Septuaginta legerunt, *donec veniat*, cui repositum est, ᾧ ἀπόκειται, uti Eugubinus in annotationibus ad eum locum ait, et ex Justino colligitur contrà Tryphonem, juxtà Perionii certè versionem, nam græci codicis copia non erat. « Poteram, « inquit, vobiscum de verbo pugnare, quod vos « interpretamini, cùm scriptum esse dicitis « hoc modò, quoad venerint ea quæ ei repo- « sita sunt, quandoquidem non ità interpretati « sunt septuaginta Interpretes, sed, quoad is « cui repositum est venerit. » Postremò ex Origene, homiliâ secundâ in Exodum, illis verbis ex cap. 2, *sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine,* satis colligitur Septuaginta verbo hebraico *Theba* id est, arca, relicto, posuisse : *sumpsit mater ejus Thecam*, θήκην : quæ dictio hodiè in regiis et complutensibus græcis est; romana Biblia θήβην posuêre. Ad hæc satis constat ex libro 1 Hieronymi contrà Ruffinum, commentaria in Psalmos, quæ ejus nomine circumferuntur, Hieronymi germana esse; affert enim illa verba, נשקי בר, ex Psalmo secundo in commentariolis interpretatum esse, *adorate filium*, in versione psalterii posuisse, *adorate purè*, quæ eò libentiùs dicta sunt, quòd nonnulli quâ solent libertate pronuntiandi ex numero operum Hieronymi illa Commentaria expungunt. Ergò in eo libro Psalm. 86, vers. 5, ubi nos legimus : *mater Sion dicet homo,* affirmat septuaginta Interpretes transtulisse : *numquid Sion dicet homo?* Nunc autem in græcis codicibus *mater Sion* legimus, ut est ferè in Vulgatâ nostrâ latinâ, certè in Psalterio romano. Ex his autem locis omnibus, multisque aliis, quæ passim occurrunt, satis efficitur græcos codices non ex Septuaginta interpretatione certè purâ et sincerâ esse, sed confusâ cum aliis. Itaque in græcâ interpretatione, quâ modò utimur, multa è Septuaginta versione sunt, multa ex versionibus aliis. Quò fit sæpè etiam, quæ ab antiquis Patribus in septuaginta Interpretum versione esse dicuntur, in illis inveniantur. Ut Origenes tomo 2 in Joannem affirmat, Esther cap. 14, legi in eâ versione, *ne tradideris sceptrum, Domine, non existentibus,* et Hieronymus in Zachariam ad illa verba 5 capitis : *et habebant alas quasi alas milvi,* vers. 9, affirmat in eâ versione legi : *et ipsæ habebant alas, sicut alæ sunt upupæ.* Utrumque autem legitur in nostris codicibus græcis, quæ ex multis atque ex innumeris afferre exempli causâ visum est argumento certissimo in græcis codicibus, neque omnia ex septuaginta Interpretum versione esse, neque nullâ, ac potiùs videri ex communi seu vulgatâ Græcorum editione relictos esse, quæ erat ex multis permixta, ac majori ex parte septuaginta Interpretum versionem amplectebatur. Neque negaverim græca Biblia, quæ antè aliquot annos Romæ prodierunt, multò sinceriora esse quàm reliqua, quâ causâ in Pontificis diplomate septuaginta Interpretum esse dicuntur. Sed et

ipsa ex aliis editionibus non pauca habere admixta, ex iis quæ dicta sunt à nobis hoc capite planè intelligitur.

CAPUT XVI.

Græcos codices esse vitiatos (1).

Ad græcos et hebraicos codices plerique reccurrendum disputant quotiès in latinis inciderit nodus aliquis difficilis explicatu, quasi ad primas origines, undè ad nos cætera derivàrunt. Quod cùm faciunt, antiquorum Patrum exempla, Hieronymi atque Augustini, et vestigia sibi consectari videntur. Horum opinionem convellere ex animis magnâ ex parte hâc disputatione conabimur, eos fontes multis magnisque sæpè maculis esse turbidos confirmantes, ut illis fidendum esse non magnoperè videatur. De veteri Testamento pauca dicemus, quoniam res est omnibus testata; de novo paulò plura afferemus, quoniam in eâ linguâ plurimâ ex parte conscriptum est primum. Et quidem antiquis temporibus græcos codices fuisse miseris modis laceros, Hieronymi scripta declarant multis locis; quod si verum est, quid illis putes accidisse ab eo tempore ad nostram ætatem mille et ducentis annis, quibus major litterarum inscitia in orbem terrarum incubuit, magnisque bellorum motibus provinciæ concussæ sunt. Silent autem inter arma litterarum studia. Ergò præfatione in Esdram: « Si quis, inquit, septuaginta vo« bis opposuerit Interpretes, quorum exem« plaria varietas ipsa lacerata et inversa « demonstrat, neque potest utique verum « asseri, quod diversum est, » et quæ sequuntur. Quibus similia præfatione secundâ in libros Paralipomenon his verbis ait: « Liberè « enim vobis loquor: ità in græcis et latinis « codicibus, hic nominum liber vitiosus est, « ut non tàm hebræa quàm barbara quædam « et sarmatica nomina conjecta arbitrandum « sit. Nec hoc septuaginta Interpretibus, qui « Spiritu sancto pleni (vides quid hoc loco « sentiat Hieronymus!) eâ quæ vera fuerunt, « transtulerant; sed scriptorum culpæ adscri« bendum, dùm de emendatis inemendata « scriptitant, et sæpè tria nomina subtractis « è medio syllabis in unum vocabulum co« gunt, vel è regione unum nomen propter « latitudinem suam in duo vel tria vocabula « dividunt. » Præterea, in caput Ezechielis 40, ad illa verba: *et ecce murus forinsecus*, affirmat omnia propè verba hebraica et nomina quæ in græcâ et latinâ translatione (nempè veteri) erant nimiâ vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata; et dùm de inemendatis describuntur inemendatiora, de verbis hebraicis facta esse sarmatica. Sanè quid eo capite vers. 6, ubi nos legimus: « Mensus est « limen portæ calamo uno, » scit quod in græcis legitur: « mensus est *thee* sex, sex alam « portæ æqualem calamo latitudinem, et alti« tudo æqualis calamo longitudo, et alam cu« bitorum quinque. » Quid pleraque alia eo et aliis capitibus græcè? Præterea, Job. 19, vers. 25, ubi legimus: « Scio enim quòd redemptor « meus vivit, et in novissimo die de terrâ sur« recturus sum, et rursùs circumdabor pelle « meâ; et in carne meâ videbo Deum; » quid est quòd in horum verborum locum reponitur in græcis codicibus: *Scio ego quòd æternus est qui solvere me debet, super terram suscitare pellem meam, quæ tolerat hæc?* Jonæ cap. 3, vers. 4, *adhùc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*, græcè legimus: *adhùc tres dies*, quod vitiosum esse non modò hebraica, chaldaica, nostræque vulgatæ editionis fides, sed etiam Justinus argumento est dialogo contrà Triphonem græcè legens: *adhùc quadraginta tres dies, et Ninive subvertetur*, quæ lectio græcorum codicum magis germana, videtur olim fuisse vitiata, quæ modò exstat, atque ità sentit Theodoretus in eum Prophetam, vitium hujus librarii irrepsisse in alios codices, qui ex primo descripti sunt. Longum esset exempla omnia proferre, quibus græca esse contaminata convincitur; neque librariorum semper incuriâ, sed interpretis etiam inscitiâ; ut vel hoc argumento facilè confirmetur, veteres libros non omnes à septuaginta Interpretibus græcè fuisse redditos, certè ex eorum interpretatione non esse, qui modò reliqui sunt. Ad novum Testamentum progrediendum est, in quo haud multò minora græcè vitia esse explicandum est. Matth. cap. 5, ubi nos legimus: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Græcè additur: *qui irascitur fratri suo, εἰκῇ, temere*, quod adverbium esse addititium ex Augustino lib. 1 Retractationum cap. 19, et Hieronymo in eum Matthæi locum satis colligitur, et 2 dialogo contrà Pelagianos quasi redundans induci jubet. Eodem cap. vers. 11: *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum*, in græco additur vox ῥῆμα, *et dixerit omne malum verbum*, quam esse addititiam indicat Chrysostomi lectio 3, *de Sacerdotio* cap. 11, cum locum Matthæi afferentis,

(1) Vide in secundâ Introd. parte libr. secund. Acostæ de verâ Scripturas interpretandi ratione. Capit. 18.

ut est in codicibus nostris. Post orationem Dominicam Matthæi cap. 6, in græcis codibus additur, ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία, *quia tuum est regnum, tua potentia, et gloria in secula seculorum,* quæ verba præter Chrysostomum et Theophylactum nemo antiquorum Græcorum attigit, argumento ea in plerisque græcis codicibus etiam antiquis temporibus non fuisse, ac ne nunc quidem leguntur in omnibus, Matth. 24, illa verba *duo erunt in lecto uno,* vers. 41, in græcis vulgò codicibus desiderantur, quæ tamen Chrysostomus ad eum locum explanat, et Robertus Stephanus in vetusto et correcto codice se invenisse indicat, quemadmodùm Joannis septimo capite, ubi pro illis verbis: *nondùm erat spiritus datus,* vers. 39, græci codices habent: *nondùm Spiritus sanctus*; at Chrysostomus vulgatæ editionis lectionem sequitur Commentariis ad eum locum. Victorinus item contrà Arianos, tùm Leo magnus sermone tertio de Pentecoste. Et ne omnia colligam, ad Romanos 12, ubi nostra editio habet, *Domino servientes,* Græci ferè tempori servientes, nempè facili permutatione vocem κυριῳ mutârunt in καιρῷ. Nam antiqui Patres græci etiam legerunt, ut est in editione vulgatâ. Ad hæc primæ ad Corinth. 7, quo loco nos legimus vers. 33 et 34: *Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori et divisus est, et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt*, Græci permixtione utriusque versûs legunt: *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori;* mox ab alio principio: *divisa est mulier et virgo;* rursùs: *innupta cogitat quæ Domini sunt.* Quæ vix profectò intelligas, ità sunt implicata. Et Hieronymus, 1 contrà Jovinianum, negat græcam lectionem apostolicæ mentis sententiam explicare. Minuta dices fortassis hæc sunt. Esto. Sed minora certè vitia nobiles adversarii objiciunt in editione nostrâ vulgatâ contineri, quotiès ejus auctoritatem contentiosis disputationibus elevare contendunt. Age tamen, majora gravioraque proferantur, ac non incuriâ librariorum, quod erat tamen miserandum, sed hæreticorum audaciâ non pauca in novo Testamento vitiata esse et fraudibus, confirmant subjecta exempla. Tertullianus lib. 5 contrà Marcionem, illum affirmat multa in divinis libris corrupisse. Ex iis, 1 ad Corinth. cap. 15, vers. 45, ubi nos legimus: *Primus homo de terrâ terrenus, secundus homo de cælo cælestis,* Marcionem supposuisse ait: *secundus homo Dominus de cælo.* Rursùs, vers. 49: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis,* quo nimirùm futuræ resurrectionis modum, sectæ commentum Pauli verbis confirmaret. Utroque autem loco in græcis codicibus vulgò pro verâ lectione Marcionis lectionem invenimus; in primo: ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ; in posteriori: φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου. Vade ergò et fide græcis codicibus, ad eos, quasi ad primos fontes, revoca exortas de religione controversias. Restituta quidem erat in Bibliis Complutensibus trilinguibus, posteriori loco certè vera et antiqua lectio φορησωμεν, per Omega; cæterùm in Bibliis Regiis reposita diversa est, non arbitror malo animo, sed quoniam vulgò in aliis libris comminùs erat. Deindè 1 Joan. 5, vers. 7, *quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt,* in nonnullis codicibus desiderabatur, ab infidelibus fraude detractus, ut Hieronymus est auctor, sive quicumque alius prologum scripsit in septem Epistolas canonicas, et argumento sunt tùm OEcumenii commentaria græca, tùm codices syriaci non ità pridem in lucem producti, quo studiorum fructu dicere non est necesse; sed nuper tamen in lucem editi, in quibus is versus totus deest, quos ex græco sermone in eam linguam conversos fuisse magnis conjecturis fixum habeo; et ne alienam culpam in græcos codices derivare videamur, iis ipsis verbis, quoniam Arianorum causam jugulabant, non legimus: *et hi tres unum sunt,* sed: *et hi tres in unum sunt*, οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσί, quod ad voluntatum concordiam possit referri ab adversariis. Nec dubium est sæpè ab hæreticis græcos codices contaminatos multis locis fuisse, et fuit Græcia ab omni memoriâ hæresum sectarumque ferax, quo periit malo. Irenæus, lib. 1 contrà hæreses, cap. 29, Basilius lib. 2 contrà Eunonium, Eusebius lib. 5 histor. cap. ult., vitiatas ab hæreticis divinas Scripturas testantur. Præter hos Theodoretus, lib. 2 contrà hæreses Hydroparastas, sic dictos, quod aquam offerrent in sacrificio, affirmat ex quatuor Evangelistis confecisse Evangelium, quòd per quatuor ipsi vocabant, detractis genealogiis, aliisque. Undè Christus ex Davide ortus secundùm carnem monstratur, aitque plures ducentis invenisse se apud Catholicos absque ullâ veneni suspicione lectitari. Porrò ex tantis corruptionibus tantâque licentiâ contaminandi Scripturas verisimile est plures errores ac vitia in græcos codices ad nostram ætatem manâsse. Omitto multa alia, neque enim afferri omnia facilè possunt, ac nominatim, quod Epiphanius testatur lib. 1,

tom. 1, Epicuri sectam explicando, Matth. 1, vers. 11, bis *Jechoniam* legi debere, *Josias autem genuit Jechoniam, Jèchonias autem genuit Jechoniam et fratres ejus;* et à quibusdam indoctis rerum Evangelicarum ad ambiguitatem tollendam, velut emendandi gratiâ deletum esse posteriori loco *Jechoniæ* nomen, cùm eumdem esse putarent, cùm prior *Jechonias* alio nomine *Amasias* diceretur, posterior *Sedecias et Joachim*. Quâ correctione ex quatuordecim, generationes tredecim factæ sunt, et quidem in nonnullis græcis codicibus ejus lectionis vestigium exstat, in quibus legitur : *Josias autem genuit Joachin, Joachin autem genuit Jechoniam.* Mitto etiam quod Marc. cap. 13, vers. 32 : *De die autem illo, vel horâ nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius.* Ambros. lib. 5, de fide ad Gratianum, negat in antiquis et græcis codicibus addi, *neque filius*, sed locum eum eâ additione corruptum ab Arianis fuisse. Quod mirêre ampliùs Lucæ cap. 22, vers. 44. Hilarius, 10 de Trinitate, et Hieronymus, contrà Pelagium libro 2, in plerisque græcis et latinis codicibus fuisse negant illa verba : *et factus est sudor ejus velut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Verùm hæc et similia libenter prætermittimus, ac contrà horum Patrum auctoritatem diversam potiùs lectionem probamus, quoniàm non modò in Græcis codicibus exstat, sed etiam in editione nostrâ vulgatâ, cujus auctoritatem Græcis convellendis debilitare non convenit, ad quam asserendam potissimùm tota disputatio suscepta est, præsertìm cùm multa alia argumenta suppetant, quibus eorum fidem vacillare ostendi potest, quotiès à nostrâ editione vulgatâ discrepant, quod ex proximo capite manifestum evadit ac planum.

CAPUT XVII.

Græcos codices novi Testamenti olim variâsse.

Cùm multa indicant Græcos quondam novi Testamenti codices variâsse veterum Patrum scripta, eorumque qui modò exstant discrepantia, tùm nihil magis declarat, quàm latini interpretis diligentia; neque enim tàm multis locis quibus à græcis latina discrepant, de suo capite finxisse verisimile est. Ac suspicabar ex variis olim codicibus eam lectionem fuisse secutum, eosque codices qui communi eruditorum sententiâ eâ ætate maximè probabantur, ex alio quopiam uno, aut paucis minoris fidei transfusos græcos codices, qui nostrâ ætate formis expressi vulgò circumferuntur. Eam cogitationem inanem non esse, ac potiùs firmis radicibus stare, ex novo Testamento græco magis confirmavi, ad cujus exteriorem marginem minio varias lectiones suâ manu suoque labore sedecim codicum factâ collatione, in quibus octo erant ex Regiâ bibliothecâ D. Laurentii, plerique vetustate insignes, adjecerat Petrus Fagiardus Velesius Marchio, ingentem thesaurum, magnique æstimandum, si vir ille opibus et græcæ linguæ peritiâ præstans, quibus ex libris singulæ lectiones essent depromptæ, notâsset, quam diligentiam alius fortassè supplebit, eosdem codices nactus, neque præstiturum me aliquandò desperabam. Omninò ex aliquo codice græco, qui ex nostris latinis in eam linguam conversus. Et quales Erasmus contendit exstare inter Epistolas Genesii Sepulvedæ Epist. 5 et 7, lib. 1, desumptos eos locos esse non putabam : nam ii codices, si qui inveniuntur, recentiores sunt. Marchionis codices vetustos imprimis fuisse non dubitabam. Nunc ex multis atque adeò innumeris locis, quibus eæ lectiones cum editione nostrâ vulgatâ conveniunt, specimen aliquot subjecta exempla dabunt : ex quibus benignus lector conjiciat quod verum esse affirmamus, nullo loco à græcis latina discrepare, quin lectio aliqua nostris codicibus faveat. Ac primùm Matth. cap. 6, quo loco nos legimus : *attendite ne justitiam coràm hominibus,* Græci : ἐλεημοσύνην, *eleemosynam*, alii codices : δικαιοσύνην, id est *justitiam* habent. Parùm, inquis, refert, quandò verbis aliis eadem sententia constat, Hebræis *justitiæ* nomine *eleemosynam* significantibus. Producto etiam Proverb. 11, vers. 4 : *Non proderunt divitiæ in die ultionis, justitia autem liberabit à morte,* id est, eleemosyna, ut Elias quidem non ineptè interpretatur; et vulgari Hispanorum linguâ *Zatico* dicitur panis frustum, quod mendicis dare consuevimus. Eodem cap. vers. 12, ad finem orationis Dominicæ adjicitur : *Quoniam tuum est regnum et potentia, et gloria in secula;* quæ omnia in editione vulgatâ non sunt, et in eo codice obelo jugulantur quasi addititia; cap. 24, quo loco nos legimus vers. 26, *ubicumqne fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ :* quod ad Romanorum legiones referendum putabam, quibus insignis aquila præferebatur, quasi vulturum in morem ad futuram stragem congregarentur, in græco *ptoma* id est cadaver, legitur, quod ad sententiam parùm, ac nihil potiùs refert, ad lectionis veritatem aliquid adnotâsse, in aliis græcis codicibus poni, *soma,* id est, *corpus;* cap. 26, quo loco nos legimus : *Hic est sanguis meus novi Testamenti,*

qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum : in græcis codicibus legitur ἐκχυνόμενον, *effunditur :* in aliis codicibus græcè legitur ἐκχυθησόμενον, id est, *effundetur.* Atque similis varietas est Marci 14, Lucæ 22, quò minùs erat necesse lectionem græcam nostræ præferre, quod quidam faciunt hoc loco, ac multò minùs in eâ latentia mysteria perscrutari, quasi ea verba significent non Christum tradendum, sed jam etiam in sacramento tradi, quod quamvis accipi de corpore possit, sanguinem quo modo intelligas non effundendum tantùm in morte, sed effundi in ipso sacramento cœpisse. Cap. 27, vers. 8, ubi nos legimus : *propter quod vocatus est ager ille Aceldema*, id est, *ager sanguinis*, in græcis desideratur vox *Aceldema,* ac tantùm legitur : διὸ ἐκλήθη ὁ ἄγρος ἐκεῖνος ἄγρος αἵματος; in aliis codicibus additur, et Santes Pagninus eam vocem posuit in novi Testamenti versione, quâ ad verbum Græca expressit, argumento nostris similem codicem Græcum fuisse nactum hâc parte. Verùm priusquàm ad alios Evangelistas transeo, adjiciendum est nomina propria, in quibus græca exemplaria maximè discrepant, in illis græcis codicibus integra exstare, utì in nostrâ editione vulgatâ. *Bethania,* Joan. 1, vers. 28, non Bethabara, quin in Nonni paraphrasi memini me legere : Βηθανίης πέλε ταῦτα θεὸν δέος ἐγγὺς ἀρούρης. *Bethsadia*, Joan. 5, non *Bethesda, Beelzebud* non *Beelzebud, Nazareus,* non *Nazoræus, Chorozaim, Capharnaum, Cayphas.* Prætereà Matth. 19, locis omnibus *Moyses,* ut legitur in græcis codicibus totius veteris Testamenti, non *Moses*, ut quidam ex hebraicâ formâ mutâsse videntur in omnibus græcis codicibus novi Testamenti, qui vulgò circumferuntur. Ex Marco pauca selegimus ; cap. 14, vers. 3, in latinâ editione *alabrastrum unguenti spicati pretiosi*, Græci *pistici* dicunt ; alia exemplaria, *spicati.* Fortassis ex latinâ voce, *spicati*, Græci *pistici* fecerunt parvâ immutatione litterarum, quod in aliis dictionibus contingit, ut eas integras aut immutatas in suum usum Græci eo tempore præsertim transferrent. Porrò eodem cap. vers. 54 : *Sedebat cum ministris ad ignem*, Græci vulgò *ad lumen,* πρὸς τὸ φῶς. At alii codices cum nostrâ lectione consentientes habebant πρὸς τὸ πυρ. Ex Lucâ quædam alia adducenda sunt, ac primùm cap. 2, vers. 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Græci ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, hoc est, *in hominibus bona voluntas;* atque in eo codice prorsùs ut in editione vulgatâ lectio diversa adnotata est, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἀνθρώποις εὐδοκίας, ne putes Ecclesiam temerè nostram lectionem prætulisse, eâque uti in precibus ecclesiasticis. Prætereà, cap. 10, vers. 30, ubi nos legimus, *suspiciens autem Jesus*, Græci *suscipiens* legunt, quoniam verbum *hypolambano,* apud Græcos *respondere* significat, et usque adeò ea lectio probata est, ut in plerosque etiam latinos codices à paucis annis irrepserit, cùm diversam lectionem confirmare liceret, non solùm ex gothico exemplari eximiæ vetustatis, sed ex aliis græcis codicibus, ubì non ὑπολάβων, sed αναβλέπων legebatur. Quemadmodùm cap. 15, verba illa, *nonne accendit lucernam, et everrit domum*, vers. 8, quæ erat lectio antiqua ferè codicum omnium, etiam gothici quod quidam in *everrit* mutârunt, græcè σαρῖ. Licuisset etiam eorumdem codicum auctoritate tueri, cùm in quibusdam græcè etiam καταιρεῖ, id est *evertit,* inveniatur. Quibus exemplis facilè intelligitur, quàm fallax sit ratio, latinos codices ex græcis castigandi, quod video nostrâ ætate à multis fuisse factitatum. Verùm nonnulla alia exempla ex Joannis Evangelio ac cæteris libris subjiciamus. Joan. 4, vers. 46, ubi nostra editio : *et erat quidam regulus*, plerique legendum putabant : *erat quidam regius*, hoc est, de domo et familiâ regis, quòd in græco *basilicos* legatur. Sed nimirùm interpres noster *basilicos* græcè legit, quæ vox propriè regulum significat, et in Marchionis codice ea lectio est adnotata ad marginem. Rursùs cap. 11, vers. 1 : *et erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ de castello Mariæ et Marthæ sororum ejus :* quæ lectio immutata est recens, ut arbitror, quoniam græcè *Mariæ et Marthæ sororis ejus* vulgò legitur, cùm nostra lectio in aliis græcis codicibus inveniretur; cap 14, *non creditis, quia ego in patre et pater in me est ;* in Græcis vulgò codicibus : *Credite mihi, quia ego in patre, et pater in me est.* Vers. 11, cùm in aliis græcis codicibus inveniatur, ut in nostrâ editione est positum : πιστεύετε ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοὶ ἔστι; Prætereà magna fuit disceptatio, an Joannis 21, vers. 22, legendum esset : *sic eum volo manere,* an verò : *si eum volo manere ;* nam consentientibus græcis codicibus in posteriorem lectionem latini discrepabant, et qui vetustiores erant ac majori fide, *sic eum volo manere* legebant, etiam gothicus, antè sexcenos annos descriptus. Et Paulus Foros. part. 2, suæ Paulin. lib. 2, Romæ in D. Pauli codicem, ut fama fert ipsâ Hieronymi manu descriptus, novi

Testamenti eam lectionem præferre ait, quæ certè in iis græcis exemplaribus inventa est utroque loco, pro conjunctione ἐάν substituentibus οὕτως. Ex Actis Apostolorum cùm plura liceret, locum unum afferre certum est. Ex cap. 13, vers. 19, et destruens gentes septem in terrâ Chanaam, fortè distribuit eis terram eorum, quasi post 450, annos, *et post hæc dedit judices usquè ad Samuelem prophetam :* juxtà quam lectionem numerus annorum ad captivitatem Ægypti referendus est, juxtà ea quæ Gen. 15, vers. 13, *Abrahæ dicta sunt*, græca discrepant; sic enim ad verbum habent : *et delens gentes septem in terrâ Chanaan*, sorte distribuit eis terram eorum, et post hæc quasi annis 450, *dedit judices usque ad Samuel prophetam.* Juxtà quam lectionem annorum numerus ad tempus referendus est, quo judices præfuerunt, quod neque cum libro 3 Regum cap. 6, neque cum Josepho lib. 8, Antiq. cap. 3, et lib. 11, cap 4, aut veritate consentit, judices præfuisse quadringentis et quinquaginta tantùm annis. Quâ difficultate usque adeò quidam implicitos se viderunt, ut eum numerum in omnibus codicibus esse vitiatum affirmarent; cùm consultiùs fuisset vulgatam lectionem tueri multò minoribus impeditam difficultatibus, de quibus hoc loco plura dicere non est necesse. Certè consentientibus latinis alii græci codices patrocinabantur, in quibus scriptum inveniebam, κατα-κληροδοτήσεν αυτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, ὡσεὶ μετὰ τετρακόσια καὶ πεντήκοντα ἔτη καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κρίτας, quæ est ipsa lectio nostræ editionis vulgatæ. Venio nunc ad Paulum 1, ad Corinth. 15, ubi nos legimus vers. 31 : *Quotidiè morior propter vestram gloriam, fratres.* Græci vulgò : *per vestram gloriam*, quasi juramenti forma, νὴ τὴν ὑμέτεραν καύχησιν. At in aliis codicibus erat : διὰ τὴν ὑμέτεραν καύχησιν, hoc est, *propter vestram gloriam, fratres.* Eodem capite vers. 51, magna quæstio à multis annis inter Latinos et Græcos excitata est, illis affirmantibus extremo tempore omnes homines morituros, quòd eo loco legerent, *omnes quidem resurgemus* (moriemur ergò), *sed non omnes immutabimur;* cùm Græci contrà tendant legentes : *omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*, quæ est non modò diversa, sed contraria potiùs lectio, et scimus certò alios græcos codices latinis patrocinari, in quibus legitur : πάντες ἀναβιώσομεν, ἀλλὰ οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, atque ità legisse Pagninum argumento est ejus versio hoc loco nihilo discrepans ab editione vulgatâ. Mox vers. 55, *ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* Græca vulgò sunt inversa : Ubi est, mors, stimulus tuus? *ubi est, mors, victoria tua?* Verùm cum latinâ lectione alii codices consentiebant, in quibus erat positum : ποῦ σοῦ θάνατε τὸ νίκος, ποῦ σοῦ θάνατε τὸ κέντρον; 2 ad Corinth. 12, vers. 1 : *Si gloriari oportet, non expedit quidem;* græci codices : *gloriari sanè non expedit mihi;* verùm latinæ lectioni consentiens græca erat : εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφερέσει δὴ. Postremò Apocalypsis ultimo cap. vers. 12 : *Ecce venio citò reddere unicuique secundùm opera sua*, in græco : *secundùm opus ejus.* Sed Græcè etiam legebatur : ὁ μισθὸς μοῦ μαι ἐμοῦ ἐστίν ἀποδοῦναι ἕκαστῳ ὡς τὰ ἔργα αὐτοῦ; et mox ubi Græci vulgò habent : μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, *beati qui faciunt præcepta ejus;* in eo codice erat : μακάριοι οἱ πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἀρνίου, *beati qui lavant stolas suas in sanguine agni*, uti est in vulgatâ editione latinâ. Multa alia possent afferri, quibus confirmaremus quod erat initio propositum, codices græcos non minùs variare quàm latinos, multisque locis esse ab antiquâ lectione mutatos; et si vetusti codices evolvantur, nullo fermè loco latina à græcis discrepare, in quo non inveniatur græca lectio nostræ favens, non leves atque inconsiderati, quibus nostra stomacum movent, aliena placent atque contraria. Sed finis esto, extremâ disputatione si monuero græcos libros divinarum Scripturarum haud multò majori elegantiâ esse quàm latinos, et scriptores ecclesiastici sermonis ornatûs nullam curam habuerunt, cùm sit delicati hominis, mollis ingenii, in rebus seriis elegantiam consectari. Documento esse possint multæ voces in novo Testamento ex Latinâ linguâ, cujus usus propter amplitudinem imperii frequens erat, in græcam nullo delectu transfusæ, quibus auctores sacri frequenter usi sunt, qualia sunt, *sudaria* et *semicinctia.* Act. 19. Porrò *sudaria* abstergendo sudori serviebant; et apud Pollucem libro 7, καψιδρωτία vocabantur, *semicinctia* autem ad pudenda tegenda erant comparata, et *perizomata* græcè etiam in Genes. libro vocantur. Præterea *Libertini* vox latina est. Actor. cap. 6, *niger, euro, aquilo, centurio.* Ad hæc Matth. 27, *prætorium et custodia;* Joannis 19, *titulus*, locis aliis *denarius, quadrans, legio, spiculator, linteum, colonia, membrana, artemon*, id est, trochlea seu velum; postremò *flagellum*, Joan. 2, *census*, Matth. 17, *perperàm*, 1 ad Corinth. 13, *sicarii*, Act. cap. 22, et si quæ sunt alia id genus, quæ nunc quidem memoriæ non occurrunt : et hæc exempla attulisse sit satis ad refellendam

temeritatem eorum qui nostrorum librorum interpretis certè latini simplicitatem accusant.

CAPUT XVIII.

Editio latina vulgata eadem Hieronymi est.

De hebraicis et græcis codicibus pro præsenti disputatione satis multa sunt; ad latinos transeundum, ac in primis statuendum, quo interprete editio nostra vulgata sit facta; eò impeditior disputatio, quòd nullis antiquorum vestigiis trita sit; nam primis temporibus eam editionem singuli complectentes, quam offerebat Ecclesia, et quâ vulgò utebatur, de auctore investigando non laborârunt. Nostra ætate viri docti non parùm existimârunt, ad sanciendam auctoritatem nostræ editionis pertinere, si de auctore ejus esset exploratum: conati quidem illi sunt lucem afferre, sed suis disputationibus rem magis implicâsse videntur, ac dubiam magis fecisse in varias, ut fit, ac contrarias sententias abeuntes. Quidam nostram editionem Hieronymi esse negant: Santes Pagninus, initio suæ versionis Bibliorum; Joan. Driedo, lib. 2 de dogmatibus ecclesiasticis cap. 1, his ferè argumentis, quoniam multis locis, quæ Hieronymus in nostrâ editione corrupta esse ait, in illâ manent. Genes. 1, ubi nos legimus: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, Hieronymus in traditionibus in Genes. affirmat eo loco verbum hebraicum, in *fovendi* significatione sumi. Isaiæ 1, ubi in Hieronymi versione ex hebræo adjunctâ commentariis legimus: *calcare atrium meum non apponeris*, editio vulgata substituit: *ut ambularetur in atriis meis*: verbis aliis sententia non prorsùs eadem. Quemadmodùm cap. 5 ejusdem prophetæ, ubi Hieronymus posuit: *eritis velut therebinthus*, nos legimus: *eritis velut quercus, ubi plantavit vineam Sorech*; nostra editio vulgata substituit: *plantavit vineam electam*. Innumera id genus proferre licet, sed singula capita delibanda sunt, ac uno et altero exemplo illustranda, quale et illud est Hieronymum multis locis ea verba Matth. cap. 2: *Quoniam Nazaræus vocabitur*, affirmâsse ex Isaiæ cap. 11, fuisse desumpta; quo loco nos legimus: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*, non alio modo, quàm in græcis codicibus, nulloque majori vestigio Evangelicæ citationis, quàm Hieronymus debuit exprimere, si ab eo ea interpretatio fuisset facta. Verùm facilem hoc et expeditam solutionem habet, si versionem ex hebraico Hieronymi commentariis adjunctam ejus esse credimus, de quo nemo hactenùs dubitavit, locum illum eisdem verbis exprimentis, neque Hieronymus Evangelistam voluit ex versione sumpsisse, sed ad verbum hebraicum נצר, alludere pro quo Interpretes *florem aut germen* reddidêre. Secundum argumentum desumitur ex nominibus propriis, quæ omnia in editione vulgatâ esse corrupta, multùmque ab hebraico discrepare Hieronymus sæpè conqueritur. *Eva, Abel, Enoch*, Prophetarum nomina, urbium, locorum, regionum, quæ profectò Hieronymus castigâsset, si ejus nostra versio esset; accedit plerosque locos ità esse in nostrâ interpretatione depravatos, ità ab hebraico dissidere, ut contrariam sententiam videantur exprimere. 1 Paralip. 4, vers. 22, *et qui stare fecit solem, virique mendacii*, quibus verbis in cogitationem inducamur judicum etiam tempore solem à cursu retentum, quemadmodùm Josue ætate factum legimus. Prætereà cap. 15, vers. 20: *Eliab, et Maasias, et Banaias in nablis arcana cantabant*, hebraicè super Halamoth, quæ vox non arcana, sed instrumentum musicum significat, ipso Hieron. auctore in Psalmorum titulis, quæ ipse ex Hebraico convertit. Eccles. 1, vers. 15, ubi nos legimus: *perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus*, vix credas Hieronymum posuisse, cùm hebraica longè aliter habeant: *perversum non poterit dirigi, et defectus non poterit numerari*. Neque debemus prætermittere, Genes. 8, vers. 7, de corvo quem emisit Noe ex arcâ, legi in nostrâ editione: *qui egrediebatur, et non revertebatur donec siccarentur aquæ*, cùm hebraicâ negatione detractâ è contrario legant: *egrediebatur et revertebatur*. Ipsâ etiam Hieronymi ætate, ne hebraica corrupta esse contendas, nam traditione ejus in Genes. hoc loco corrupta esse putabam, ubi de corvo hebraicè dici ait: *exiens et non revertens*; verùm hoc certè loco editionem nostram ab antiquo esse immutatam, additâ ex septuaginta Interpretibus negatione, gothicum exemplar indicio est, antè sexcentos annos descriptum, detractâ negatione, ea verba habens, quo Biblia Complutensia trium linguarum et Regia secuta sunt. Tertium argumentum ex enumeratione librorum ducitur. Psalmi certè non sunt Hieronymi; nam quos ipse ex hebraico vertit, inter ejus opera circumferuntur, multùm à nostris discrepantes. Ecclesiastis versionem Hieronymi non esse ex commentariis ejus in eum librum cum duplici versione discimus; nam quam ipse suam esse dicit, præsertim c. 7,

ad illa verba: *meliùs est audire increpationem sapientis*, et cap. 10, ad illa verba: *est malum quod vidi sub sole*, à nostrâ Vulgatâ differt planèque est alia, tametsi in præfatione affirmet in translatione ex hebraico se septuaginta Interpretum consuetudini coaptâsse, in his duntaxat quæ multùm ab hebraicis non discrepabant, quâ causâ duæ illæ versiones majori ex parte consentiunt. Idem judicium esto de aliis Salomonis libris, ac de iis præsertìm qui hebraicè non exstant, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Machabæi, et Baruch*, inprimìs, quandò Hieronymus ipse, præfatione in Jeremiam, se illum librum prætermisisse affirmat his verbis: *Librum autem* Baruch *notarii ejus qui apud Hebræos neque legitur, neque habetur, prætermisimus*. Hæc sunt ferè in hanc partem argumenta, qui contrariam sententiam sequuntur, editionem vulgatam ex ipsâ Hieronymi interpretatione esse, Eugubinus disputatione propriâ de hoc argumento, Beuther Valentinus in suis prolegomenis his rationibus utuntur. Primùm enim quî fieri potuit, nisi hæc esset ipsa Hieronymi versio, ut prologi Hieronymi, quos ipse adjecerat libris à se conversis, nostrâ ætate singulis divinis libris adscribantur. Psalmi enim qui manifestè ex ejus interpretatione non sunt, Hieronymi prologum non præferunt, nisi eum, quem in Psalmorum correctionem juxtà septuaginta Interpretes adhibuit; alter qui ad Sophronium est, in Psalmos ex hebraico conversos non in editione nostrâ, sed inter ejus opera invenitur, adjunctus psalmorum ex hebraico interpretationî. Deinde si juvat libros singulos enumerare, Prophetæ omnes ex Hieronymi interpretatione sunt, quod manifestum efficitur, si utramque interpretationem, quæ cum ejus commentariis circumfertur, tùm veterem septuaginta Interpretum, tùm ab Hieronymo ex hebraico factam diligenter inspexeris. Et Jonæ certè cap. 4, vers. 7, de quo magna disceptatio Hieronymo et Augustino fuit, Epistolis 10 et 11, inter Augustini Epistolas, non *cucurbita* legitur, ut erat in veteri editione, sed *hedera*, utì Hieronymus posuit. Oseæ 11, vers. 1, illud de quo sæpè disputatio fuit: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quod à Matth. 2 adducitur, et in septuaginta Interpretibus desiderabatur, in nostrâ editione ponitur. Danielis postremis capitibus, quis alius nisi Hieronymus illa verba addit? Hucusque in hebraico volumine legimus; quæ sequuntur ex editione Theodotionis sumpsi. Job in libro multi versus desiderabantur in veteri editione, utì Hieronymus ipse testis est præfatione primâ in librum Job, *septingenti fermè aut octingenti versus desunt*, quæ omnia integra tamen nunc exstant in nostrâ editione vulgatâ. Præterea Augustinus 22, de Civitate Dei cap. 29, offert ex novâ interpretatione ex hebraico, quam Hieronymi esse dixerat, cap. 19, *et in carne meâ videbo Deum*, quod est in unâ editione vulgatâ. Locus alter ex eò libro, eâque interpretatione in Concilio 8 Toletano adducitur, cujus et similium, ne sim longior, una ratio est, ac præsertìm ex Gregorii Commentariis in eum librum manifestum efficitur, quod contendimus, quandò Hieronymi novam interpretationem sequi se ait. De Pentateucho item constat ex Hieronymi interpretatione esse, tùm ex annorum computatione à septuaginta Interpretibus longè diversâ, cum hebraicis codicibus consentaneâ, de quâ olim Augustino et aliis Patribus magna concertatio fuit, tùm ex cap. Genes. vers. 2, ubì nos legimus cum Hebræis: *complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat*: Septuaginta et ex illis Latini veteres habebant: *perfecit Deus in die sextâ opera sua quæ fecit*, et vers. 23, quo loco habemus de Evâ: *hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*, olìm legebatur: *hæc vocabitur mulier*, atque ità citant Ambrosius et veteres. Hieronymus traditionibus in Genes. negat septuaginta Interpretes hebraicam paranomasiam satis explicâsse, quâ in eâ linguâ nomen fœminæ à viri appellatione deducitur, meliùsque Symmachum fictâ voce græcè dixisse: *hæc vocabitur andris*, quod latinè dici posset *virago*. Idem Hieronymus ad Damasum, quæst. 2, quo loco Exod. 13, vers. 18, vulgò legimus: *armati ascenderunt filii Israel de terrâ Ægypti*, olìm positum fuisse affirmat: *quintâ generatione ascenderunt filii Israel*, diversitatemque contigisse vocis hebraicæ ambiguitate: labor omnia referre. Sed certè libros Regum Hieronymi esse satis indicat Augustini locus 22, de Civit. Dei, cap. 29, quo loco prolatis verbis ex 4 Regum cap. 5, vers. 26, juxtà veterem translationem addit: Sicut autem ex hebræo interpretatus est presbyter Hieronymus: *Nonnè cor meum, inquit, in præsenti erat, quandò reversus est homo de curru suo in occursum tuî?* quæ sunt verba editionis vulgatæ. Accedit, Isidorus lib. 1 de officiis Eccles., cap. de scriptoribus sacrorum voluminum, affirmans editionem Hieronymi ejus ætate ab omnibus Ecclesiis receptam fuisse, his verbis: *De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodò Hieronymus presbyter sacras Scripturas convertit, cujus editione generaliter*

omnes Ecclesiæ usquequaquè utuntur pro eo quòd veracior sit in sententiis, et clarior in verbis. Quæ verba ne confecta credantur, Rabanus ex eo repetit lib. 2 de institut. Clericorum, cap. 54. Quod si editio Hieronymi erat in usum recepta, profectò ab eo tempore nulla facta est immutatio, nisi quod vetus editio latina periit, quæ tunc privatim legebatur. Sic argumentis in utramque partem quæstione ancipiti, quæ certa sunt priori loco proponantur, ut recto ordine ad alia progrediamur. Ac constat Hieronymum novum Testamentum novâ interpretatione nequaquàm convertisse, sed tantùm castigâsse, quibus locis depravatum erat de viris illustribus extremo: *Novum*, inquit, *Testamentum græcæ fidei reddidi, vetus juxtà hebraicam transtuli;* et præfatione in Evangelistas ad Damasum: *Novum*, inquit, *opus me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam; et quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum græcâ consentiant veritate decernam.* Neque tamen omnibus locis ea castigatio Hieronymi conservatur, neque in nullis; nam ad Galat. 5, *persuasio vestra non est ex eo qui vocavit nos*, affirmat detractâ negatione priores codices habuisse: *persuasio vestra ex Deo est.* Pari modo ad Galat. 2, *Quibus neque ad horam cessimus*, antè Hieronymum legebatur: *quibus ad horam cessimus*, quæ est Ambrosii lectio. His locis Hieron. censura placuit; aliis locis retentâ antiquâ lectione, Hieronymi correctio recepta non est. Ad Galat. 1, pro illis verbis: *Non acquievi carni et sanguini*, Hieronymus legendum putabat: *Non contuli cum carne et sanguine*, et commentariis in Epistolam ad Ephes. cap. 1, ad illa verba: *qui est pignus hæreditatis nostræ*, vers. 14, *pignus*, inquit, latinus interpres posuit pro arrabone; tamen antiqua lectio modò retinetur. Neque opus est omnia congerere. Commentaria in duas Epistolas has satis exemplorum suppeditabunt, cùm in Epistolam ad Galat. nostra editio undevigesies notetur vitii à Hieronymo, ad Ephesios quinquies et vigesies nihilominùs. Præterea Matth. cap. 6, vers. 11, pro *pane nostro quotidiano*, quæ lectio retinetur in nonnullis codicibus, certè in gothicis, ille substituendum putabat: *panem supersubstantialem, peculiarem, eximium, aut egregium*, uti ex ejus commentariis perspicitur. Ergò de novi Testamenti editione exploratum est eam Hieronymi non esse; de veteri modò translatione latinâ disputatur, nam quamvis olim, teste Augustino, 2 de doctrinâ Christianâ cap. 11, multæ atque adeò innumeræ latinæ interpretationes exstiterint, inter eas, ut ipse addit cap. 15, italica cæteris præferenda erat, quòd esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ; illam arbitror, cùm à pluribus reciperetur, editionis vulgatæ nomen olim obtinuisse, de eâque propriè disputatio suscipitur, an sit illa, quæ sola hoc tempore reliqua est, an verò perierit, in ejus locum substitutâ Hieronymi interpretatione, quæ hoc tempore Vulgatæ nomen habeat. Porrò ex variis interpretationibus latinis factum est primùm, ut testimonia divinarum Scripturarum non eisdem verbis ab antiquis Patribus proferantur, Cypriano, Lactantio, Ambrosio, aliis utì superiùs est dictum. Deindè ut plura testimonia usu frequenti, quasi ex divinis litteris recitentur, vulgò quæ non sunt in nostris codicibus, quale est illud de Davide: *Non ædificabis mihi domum, quia vir sanguinis es.* Exstat quidem sententia 1, Paralip. 22, vers, 8; cæterùm illa verba ubi invenias? Prætereà Job cap. 7, vers. 1, in editione vulgatâ: *Militia est vita hominis super terram*, vetus editio et ex illâ in communi loquentium usu: *tentatio est vita hominis super terram.* Sic Gregorius affirmat, lib. 8 Moralium cap. 3, neque minùs est usu tritum: *Nemo mundus à forte, neque infans, cujus unius diei est vita ejus super terram;* exstat quidem sententia, Job 14, vers. 4, in septuaginta Interpretum versione, neque tamen totidem verbis, et adducitur à Cypriano lib. 2 contrà Judæos; nam in Vulgatâ nostrâ legitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Adhæc Proverb. cap. 3, in Bibliis gothicis tantùm vers. 28 legitur: *Nondùm enim scis quid superventura pariet dies*, quod frequenter usurpatur, et ex septuaginta Interpretibus manavit; nam quod eodem capite, vers. 5, additur: *dic sapientiæ: Soror mea es; et prudentiam voca amicam*, ne in Septuaginta quidem inveniebam. Jam cap. 16, post versum 17, in eisdem Bibliis legebatur: *Qui custodit vias suas, custodit animam suam, diligens autem vitam parcit ori suo*, quod ipsum ex septuaginta modò Interpretibus sumptum considerabam. Quemadmodùm illa verba, *super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* Nunc nusquàm exstant, quæ Gregorius V, Moral. cap. 31, ex veteri translatione Isaiæ fluxisse ait, nimirùm c. 66, vers. 2. Postremò idem Gregorius, lib. 9 Moral. cap. 17, verba Jeremiæ 48: *Maledictus qui opus Dei facit fraudulenter*, vers. 10, affirmat in antiquâ editione

legi *fraudulenter et desidiosè*, undè in communem consuetudinem proverbii instar manàsse videtur: *Maledictus qui opus Dei facit negligenter*. Nahum 1, vers. 9, ubi legimus: *Non consurget duplex tribulatio*, Septuaginta dixêre: *non puniet Deus bis in idipsum*. Quæ verba vulgò in ore omnium versantur. Mitto Ambrosium, 1 de officiis cap. 31, ex Proverbiis cap. certè 23, citare illud: *Quandò sederis ut comedas cum principe, considera quæ apponuntur tibi, quoniam talia te oportet præparare*, vers. 1 et 2, quæ in nostris codicibus latinis non exstant, sed in septuaginta Interpretum græcâ versione. His sic constitutis ac certâ ratione confirmatis, quod ad propositam initio quæstionem attinet, Hugo Victorianus in prænotationibus elucidatoriis cap. 9, editionem latinam quâ ejus tempore Ecclesia utebatur, nempè nostram, negat aut Hieronymi sinceram esse, aut quâ antiquo tempore utebatur Ecclesia, sed mixtam ex utrâque, ut quod de communi ac vulgatâ Græcorum editione superiùs dictum est, non esse prorsùs ex septuaginta Interpretibus puram, sed confusam ex aliis: idem contigerit nostræ editioni, Hugonis quidem sententia, quo tamen tempore, cujusve diligentiâ et auctoritate neque ipse explicat, neque nobis erat exploratum, et est antiquitas omnis obscura, in argumento quod versamus maximè, sed et annotatio ad historiæ scholasticæ, Genes. cap. 62, editionem Hieronymi puram in duodecim modò Prophetas exstare affirmat. Neque dubium est, quòd prior Joannes Driedo in dogmatibus consideravit, ex unâ editione in alteram plura verba ac sententias fuisse transfusas librariorum licentiâ, cùm memoriæ confiderent, aut consueta magis quàm nova quibusdam locis probarent. Illud examinandum ex utrâque editione major singulorum librorum pars, an verò corpus totum ad nos manârit. Sanè *Pentateuchus*, *Libri Regum*, *Job*, *Prophetæ* omnes ex Hieronymi versione procul dubio sunt, quod superiora argumenta manifestè declarant, tametsi, ut modò dicebam, nonnullis verbis admixtis ex editione illâ veteri, quæ res alios in contrariam opinionem induxit. Idem judicium esto de libro *Esther*. *De Josue tamen et Judicibus* usque adeò firma argumenta non suppetebant, sed stylus tamen consentit, et prologi adjuncti his libris indicio sunt Hieronymum interpretem habuisse. *Paralipomena et Esdras* eodem interprete versi sunt, quoniam finis unius cum initio alterius consentit totidem fermè verbis, suspicabarque Hieronymum fuisse eisdem rationibus inductum. Contrà *Psalmi* ex veteri editione latinâ relicti nobis sunt, quod quoniam superioribus annis Theologus quidam in Hispaniâ in dubium vocare est ausus, novâ disputatione confirmare constitui; pro re præsenti satis habebam indicare grave antiquis temporibus visum fuisse, veterem Ecclesiarum in Psalmis concinendis consuetudinem novâ Hieronymi interpretatione mutare; et ferè antiquis stare malumus, nisi quæ manifestè sunt depravata. *Ecclesiastes* non est Hieronymi, quod duplex versio declarat ad ejus commentaria adjuncta, locique superiùs indicati. Idem judicabam de *Proverbiis et Cantico canticorum*, quoniam uno volumine circumferri solent, tridui opus quo tempore usum iis tribus libris interpretandis Hieronymus præfatione in opera Salomonis ait, mirum non est, non satis placuisse, ac veterem translationem fuisse eâ parte communi sensu prælatam, et erat grave, quod semel aures hominum occupabat, præsertìm iis libris quorum testimonia in communi usu magis versantur, novâ interpretatione mutare. Sic erat nostra sententia. Quam mutare compulit *Justus Urgelitanus*, qui in Cantica scribere se dicens secundùm editionem Hieronymi, nostram Vulgatam ad verbum præfert. Idem judicium esto de *Ecclesiaste*, et Hieronymus procul dubiò junior eum librum Blesillæ exposuit juxtà editionem Septuaginta, posterior editio deindè est adjuncta, quæ eadem nostræ Vulgatæ ex posteriori Hieronymi versione est. Tantumdem de *Proverbiis* judicârim ex Hieronymi versione eum etiam librum esse. *Librum Tobiæ* ex Hieronymi interpretatione non esse stylus arguit multò humilior, quàm ut Hieronymi fuisse credatur: an dixisset ille: *Undè factum est, ut hœdum caprarum accipiens detulisset domi*, cap. 2, vers. 20? an diceret cap. 5, vers. 21: *Benè ambuletis et sit Deus in itinere vestro et Angelus ejus comitetur vobiscum?* Et hunc etiam librum Hieronymus in præfatione ad Chromatium ex Chaldæorum linguâ opera cujusdam Judæi, unius diei labore se convertisse testatur. Pari modo de *Judith* libro statuebam, ac multò magis de *Sapientiâ*, *Ecclesiastico et Machabæorum* libris, quos Hieronymus nunquàm convertit, neque præter unam Sapientiam, libri alii hebraicè exstabant ejus ætate. Ex his quomodò argumenta in utramque partem initio proposita dissolvenda sint facilè intelligitur; nam Hieronymi prologi plerisque libris adscripti movere non debent, ut ex Hieronymi interpretatione omnes libros sacros

fuisse judicem; incuriâ librariorum id contigisse putamus, qui initio Bibliorum positos, fortè an consilio, prologos singulis libris præposuerunt. Nec è contrario nominum propriorum immutatio convincit nullos libros à Hieronymo fuisse conversos; dedit enim vir prudentissimus Ecclesiæ auribus ne magna fieret ab antiquo immutatio; nam quòd nonnullis locis aliter nos legimus, quàm Hieronymus putârit hebraica significare, superiùs dictum est ex antiquâ editione verba non pauca in Hieronymi libros irrepsisse. Exempla superiùs producta sunt; sed et Genes. 1, vers. 2: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, verbum hebraicum affirmat in traditionibus in Genesim quod jam tetigimus, in *fovendi* significatione eo loco accipi, et cap. 13, vers. 13: *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coràm Domino nimis*, in Traditionibus negat vocem, coràm Domino, seu in conspectu Domini, in hebraico exstare. Neque prætermitti decet Hieronymum varium esse, sæpèque aliis locis diversam ejusdem loci interpretationem fuisse secutum; causas explicare non attinet, certè non omnia memoriæ succurrunt, sæpèque septuaginta Interpretum versionem sequebatur, quale illud est: *Qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet*, Epistolâ ad Damasum, pro quo ipse Genes. 4, vers. 24, ex hebraico posuit: *Septuplum ultio dabitur de Cain*, et Psalm. 2, ubi nos legimus: *apprehendite disciplinam*, Hieronymus ipse primo contrà Ruffinum, quoniam hebraica variè significarent, ait se in versione ex hebraico posuisse: *adorate purè*, cùm commentariis ad eum psalmum dixisset: *adorate filium*. Sic, Epistolâ ad Paulinum, quæ prologi instar est in omnes sacros libros, locum Amos 7, vers. 14, ubi in versione posuit: *Armentarius ego sum vellicans sycomoros*, in Epist. eâ dixit ex septuaginta Interpretum versione: *Amos pastor et rusticus, et ruborum mora distringens*. Facile esset multa ejusmodi exempla proferre, quæ libenter missa facimus. Verùm ad extremum adversùs ea quæ hactenùs confirmata sunt, quosdam libros ex Hieronymi interpretatione non esse, non parùm ambiguitatis diebus superioribus attulerunt Biblia antè sexcentos ampliùs annos gothicis litteris descripta, quæ in templo Toletano servantur, quibus Hieronymi versionem integram contineri, diversam à veteri editione vulgatâ, multa ndicabant. *Psalmi* ex hebraico conversi, utì inter ejus opera exstant, quod fortassè in paucis Bibliorum codicibus invenias. *Baruch* prætermissus, utì Hieronymus se prætermisisse ait, tùm *Esdræ duo libri tertius et quartus*, quos Hieronymus somnia vocat, prætereà *Regum libri divisi*, eo modo quo dividuntur ab Hebræis in primum et secundum. *Samuelis* et rursùs in primum et secundum. *Regum*, quos nos libros *Regum* tertium et quartum vocamus. In his Bibliis omnes libri præter Psalmos exstant, utì in editione nostrâ vulgatâ, paucis tantummodò verbis commutatis, pro varietate regionum scilicet. Sed ut manifestum sit non alium interpretem exstitisse, ea res in eam cogitationem inducebat, ut præter Psalmos, omnes libros editionis nostræ putarem Hieronymi esse. Sed certè cùm non omnes ipse fuerit interpretatus, verisimile est proximè ejus ætatem, ne in Bibliis Hieronymi aliquid deesset ex veteri editione eos libros fuisse adjunctos; prætereà paucos alios in quibus ejus interpretatio non satis vulgò probabatur. Ergò ea nostra sententia est, plurimos libros nostræ editionis, ex Hieronymi interpretatione esse, paucos quosdam ex alterâ, quæ olim apud Latinos editio vulgata vocabatur, neutros omni ex parte sinceros, sed quibusdam locis aut verbis ex divisâ editione commutatis.

CAPUT XIX.

Psalmos editionis vulgatæ ex Hieronymi interpretatione non esse.

De Psalmis separatâ disputatione est agendum, propter cujusdam Theologi persuasionem, Psalmos vulgatos ex Hieronymi interpretatione esse affirmantis, negantis qui in ejus operibus exstant ab illo fuisse ex hebraico conversos, utì vulgò hominum opinio habet. Sed de quolibet asserente contraria laborare stultum esse ais; rectè, si ille ex promiscuo imperitorum numero fuisset, et non potiùs eruditus litteris incredibili ingenii firmitate, quem nominare non est necesse. Ex dente et unguibus per te, lector, dignoscito, ejus cum libri et jurgia cum aliis notum Hispanis, sed exteris fecerunt. Ex hoc exemplo admonitus verum esse cogitabam, quod eloquentiæ romanæ pater aliquandò dixit: *nihil esse tàm absurdum atque incredibile, quod non sit dictum ab aliquo philosophorum*. Nimirùm propositum illi erat hebraicos codices accusare quasi locis innumeris vitiatos castigandosque ex nostrâ editione vulgatâ, et cùm objiceretur Hieronymi ætate non alio modo habere hebraicos codices, quàm nostra argumenta Psalmorum, quos ille ex hebraico vertit, non minùs à vulgatis discrepantes, ac verò multò magis, quàm in cæteris libris ab hebraicis dis-

sideant vulgata; maluit negare quod verum erat quàm à sententiâ recedere, quamvis sæpè monitus, quam animo semel infixerat. Eâ causâ disputationem hanc de Psalmorum versione suscipimus, cogimurque in re minimè dubiâ hærere. Verùm antequàm disputationem aggredimur, considerandum est Hieronymum veteris Testamenti libros priusquàm ex hebraico verteret juxtà Septuaginta editionem emendâsse. Cæterùm, inquit ipse, præfatione primâ in librum Paralipomenon, memini editionem Septuaginta translatorum olim de græco emendatam tribuisse me nostris, neque inimicum debere existimari eorum quos in conventu fratrum semper edissero. Et sigillatim quod ad rem magis pertinet, triplicem Psalmorum editionem adornavit, atque perfecit, uti Sigebertus in Chronicis affirmat, et ex ipso Hieronymo constat utrâque præfatione in Psalmos. Primùm enim septuaginta Interpretum editionem leviter correxit; eamdem rursùs depravatam majori diligentiâ castigatam asteriscis obeliscque distinxit, *asterisco* designans, quæ à Septuaginta prætermissa ipse addidit ex hebraico, *obelo* quæ ex Theodotionis editione redundabant. Hoc posterius psalterium Gallia suscepit, priùs retinuit aliquot seculis Ecclesia romana, undè *Psalterium Romanum* dictum est, quod tamen et ipsâ Caroli Magni ætate, ut arbitror, gallico mutavit, aut potiùs Nicolao III, Pontifice maximo, qui brevitatis studio Romæ amotis libris antiquis ecclesiasticarum precum, libros Minorum substituit, uti Radulphus Tungrensis ait, de Canonum observantiâ propositione 22. Tertiam Psalmorum editionem, Sophronii hortatu Hieronymus ad fidem hebraicam expressit, quod nulla tamen Ecclesiarum hactenùs in usum recepit. Nec prætermittendum est, quod de Isidoro Braulio Cæsar augustanus in ejus vitâ ait, aut potiùs Lucas Tudensis in iis quæ de suo ad vitam Isidori à Braulione descripta ipse adjecit non pauca, quartam Psalterii translationem edidisse. Ejus editionis in Hispaniâ Gothorum tempore usus fuit, uti indicant scripta ejus ætatis Isidori, Juliani, aliorum, retineturque locis omnibus ubi gothico more sacrificatur, ab iis quos Mozarabes vulgus vocat, quod eâ ratione Psalterium gothicum nominare licet sive hispanicum. Convenit autem frequenter cum Psalterio romano, quamvis multis etiam locis discrepet, cujus rei pauca exempla proferre placet. Psalm. 3, vers. 5: *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me*, Gothici legunt: *Ego dormiri et quievi et resurrexi, quoniam Dominus suscitavit me;* atque ità citat eum locum Isidorus, lib. 1 contrà Judæos, Psalm. 6, vers. 10: *Convertantur et erubescant valdè velociter;* gothici codices habent: *Convertantur et confundantur valdè velociter*. Psal. 7, vers. 12: *Fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies?* illi: *Fortis et longanimis et non iram adducens per singulos dies*. Psalm. 9: *Inimici defecerunt frameæ in finem:* gothici: *Inimici defecerunt frameâ in finem*. Psalm. 16, vers. 11: *Adipe suo concluserunt*, et vers. 16: *Saturati sunt desideriis*, ubi nos: *Saturati sunt filiis*, et Psalterium Romanorum: *Saturati sunt porcinâ*. Mitto innumeros alios locos, quibus gothicum Psalterium à romano discrepat. Ad rem accedamus, confirmemusque vulgatos Psalmos non ex Hieronymi interpretatione esse, quam ex hebraico adornavit. Primùm præfatio ad Sophronium, quo auctore eam editionem perfecit, non vulgatis psalmis præfigitur, sed illis qui inter Hieronymi opera exstant ab usu Ecclesiarum remoti. Librariorum vitio commutatas præfationes ais. Esto. Neque enim contendere volo. Quid tamen respondere possis, si locis omnibus monstravero, quibus Hieronymus utramque versionem confert, eam lectionem quam hebraica exprimere ait, à Vulgatâ discrepare, ac verò eam esse qui in illis Psalmis exprimitur, qui inter Hieronymi opera versantur. Epistolâ ad Principiam virginem totum Psalmum 44. explanat, atque in titulo se vertisse ait: *Victori pro liliis filiorum Core* eruditionis canticorum amantissimi. vers. 1: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, pro eo se interpretatum ait: *Lingua mea stylus scribæ velocis;* utrumque in illis Psalmis, de quibus agimus invenitur, diversa lectio in vulgatis, quod in reliquo psalmo licet considerare. Cui ergò, nisi ferreus sit, in rè propositâ dubitare ampliùs liceat? An hæc etiam eludere tentabis, quod toto psalmo unum aut alterum verbum immutatum sit? Quasi non sæpè memoria fallat, aut librarii quædam non immutârint aliquandò, præstat causam deserere, commutare sententiam, quàm tueri pertinaciter suscepta temerè, præsertim cùm, proximâ epistolâ, quæ est ad Marcellam, ex Psalm. 126, quiddam explicans, quo loco in nostrâ editione est ut septuaginta Interpretes posuerunt: *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis;* in hebræo affirmat, et aliis interpretibus legi: *Beatus vir qui implevit pharetram suam ex ipsis*, quomodò in iis Psalmis legimus qui inter Hieronymi opera exstant. Ad hæc epistola ad Cyprianum, quæ præcesserat in explicatione Psalm. 89, tùm in titulo, ubi

nos juxtà Septuaginta habemus : *Oratio Moysi, hominis Dei*, in hebraico haberi ait : *Oratio Moysi, viri Dei* : tùm vers. 1 : *Domine, refugium factus es nobis*, hæbraicam dictionem, Maon, quam Septuaginta in significatione refugii expresserunt, magis habitationem quàm refugium significare ait, atque ità in iis Hieronymi Psalmis legimus : *Domine, habitaculum tu factus es nobis in generatione et generatione*. Multa alia ad confirmandum nostros Psalmos ex Hieronymi interpretatione non esse, adduci possent, sensus propè omnium eruditorum non aliter judicantium, Biblia gothica quæ cùm omni fermè ex parte Hieronymi essent ab antiquis diversa, cæteris divinis libris adjunctos habent Psalmos, qui hoc tempore inter alia ejus opera sunt rejecti nimirùm antiquis illis temporibus nondùm inoleverat, ut pro illis vulgati Psalmi, quorum usus retinebatur in Ecclesiis, in libris substituerentur. Sed cui superiora argumenta non suffecerint, frustrà nova congesseris, cùm in mediâ luce caligare mihi atque offendere videatur.

CAPUT XX.

De editionis vulgatæ auctoritate.

Benè habet : jactis fundamentis, ad præcipuam hujus disputationis partem ventum est ; de nostræ editionis auctoritate ac fide disputandum est, quantùm illi tribuendum Tridentini Patres judicârint, nos etiam judicare debeamus. Sed quò faciliùs omnia explicentur atque intelligantur, dividenda in capita, hæc etiam disputationis pars est, ac statuendum primum in concilio Tridentino Sess. 4, librorum canonicorum catalogum describi his verbis : « Sunt verò infrà scripti, *nimirùm libri* « *canonici*, Testamenti veteris quinque Moysi, « *id est* Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, « Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus et secundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, « Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, *id est* Osea, Joel, « Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus et secundus. Testamenti novi quatuor Evangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam et « Joannem. Actus Apostolorum, à Lucâ Evangelistâ conscripti, quatuordecim Epistolæ « Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad « Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli « duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli « una, et Apocalypsis Joannis Apostoli. » Itaque exceptis tertio et quarto *Esdræ* libris, et tertio Machabæorum, omnes alii libri qui in communibus Bibliorum voluminibus circumferuntur, divini et canonici judicantur : integri cum omnibus partibus quas in vulgatâ editione habent, quod quidam ad singulas voces retulerunt, quoniam eæ etiam partes sunt, severi homines nimiùmque suis rationibus tribuentes. Alii, quorum judicium magis probabam, majores partes intelligunt capita, narrationes, periodos ; nam voces singulæ vix partium nomen merentur, cùm sint potiùs particulæ, utì in corpore humano, unguium et capillorum segmenta. Neque verò liceret ullo loco à vocibus singulis dissidere, ac pro illis significationes alias substituere, si quasi divinæ omnes essent approbatæ ; neque erat difficile Patribus, si id erat propositum, probare libros sacros cum omnibus dictionibus, adde etiam punctis et apicibus ; nam ii etiam partium nomine comprehendi possunt. Sed apage has subtilitates, quas in explicandis Patrum dictis adhibere non convenit. Itaque juxtà hanc sententiam septem posteriora capita libri *Esther*, ab initio ferè decimi capitis usque ad finem libri rejici non debent, quod quidam audacter fecit nostrâ ætate, bibliothecæ sanctæ lib. 1, sect. 3, quod implicita videantur ac pertubata, et utraque *Artaxerxes epistola* contrà Judæos, et pro ipsis exstat apud Josephum totidem fermè verbis lib. 11 Antiquitatum cap. 6. Undè quidam suspicantur in librum Esther transiisse, cùm liceat potiùs existimare à Josepho cum reliquâ narratione ex eo libro desumpta fuisse, neque fas arbitror post tantam auctoritatem, et tàm apertum decretum ullam divinorum librorum partem repudiare, neque Patrum verba, utì ille fecit, de partibus germanis ac legitimis interpretari, sed germanas potiùs omnes ducere, quæ exstant in editione vulgatâ, alioqui recurret quæstio eademque libertas, dùm aliis affirmantibus, quamcumque partem alius negaverit legitimam esse, et quasi addititiam repudiârit. Præfatiuncula etiam quam latini codices præferunt initio Lamentationum Jeremiæ : *Et factum est, postquàm in captivitatem reductus est Israel*, quæ in græcis codicibus exstat, desideratur in hebraicis, probata est, Danieli addita ex Theodotione certè à Hiero-

nymo, item ad caput 3 : *Azariæ oratio, trium puerorum hymnus, historia Suzannæ*, cap. 13, quæ de Bele et dracone narrantur cap. 14, suscipi omnia debent quasi divinorum librorum legitimæ partes, quantumvis in hebraicis libris non inveniantur. In novo Testamento caput ultimum Marci ab illis verbis : *Surgens autem Jesus mane primâ sabbati*, quæ in multis olim codicibus non exstabant, uti ex Hieronymo ad Hedibiam. quæst. 3, et Euthymii commentariis ad eum locum perspicitur, Concilii Tridentini auctoritate probatur. Tùm historia adulteræ Joannis 8, de quâ Hieronymus lib. 2 contrà Pelagianos : In Evangelio, inquit, secundùm Joannem in multis et græcis et latinis codicibus invenitur *de adulterâ muliere*, quæ accusata est apud Dominum, quibus verbis indicatur in aliis codicibus non exstare. Indicant etiam Græcorum commentaria, Euthymii et aliorum, tùm syriacum Testamentum nuper in lucem editum : in quo ea narratio penitùs desideratur. Et quidam suspicantur ex Eusebio, lib. 3, postremis verbis, cùm de Papiâ loquens, simul, inquit, et historiam quamdam subjungit de muliere adulterâ, quæ accusata est à Judæis apud Dominum. Habetur autem in Evangelio quod dicitur secundùm Hebræos scripta ista parabola, ex eo addititiam esse, quam libertatem judicandi concilium Tridentinum præscindit, quemadmodùm Lucæ cap. 22, quod de Angelo narratur Christum confortante, ejusque sudore de quo olim est dubitatum, hoc tempore dubitare non licet. Præterea, 1 Joan. cap. 5, vers. 7 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*, in multis græcis codicibus olim non erat, neque OEcumenius attingit, ne Beda quidem commentariis ad eam epistolam, tùm in syriacis codicibus non exstat ; verùm post concilium Tridentinum de ejus aut alterius partis auctoritate et fide nefas dubitare esset, ac scelus supplicio vindicandum. Octo versus ad Rom. cap. 3 citantur, quos ex Psalmo 13, ubi nunc conjuncti leguntur, Hieronymus esse negat præfatione lib. 16 in Isaiam, sed ex variis locis in unum à Paulo collatos et affirmant alii, nefas putantes secùs judicare, post concilii Tridentini decretum ; nos liberum potiùs judicium lectori relinquamus, ex quo loco ii versus sint desumpti, modò divinos et certæ fidei esse fateamur ; nam neque in Bibliis Complutensibus eo Psalmo ponuntur. *Una oratio* Manassis regis ad calcem Paralipomenon adjicitur; quem ex intimo corde preces fudisse, cùm Babylone vinctus esset lib. 2 Paralip., cap. 33, scribitur, verbis quæ in eâ oratione continentur, an aliis non satis constat, cùm ea oratio incertæ fidei sit, neque adjiciatur in omnibus codicibus sacris ; certè in gothicis deerat, tametsi græcè exstet Lutetiæ in bibliothecâ Victorianâ adjecta aliis libris sacris, ubi eam legimus. Ergò de hâc oratione utrovis modo judices parùm refert : nobis supposita videbatur. Aliæ divinorum librorum partes sine crimine rejici non debent, quamvis in græcis aut hebraicis codicibus non legantur.

CAPUT XXI.

Quatenùs editio vulgata recipi debeat (1).

Hic est disputationis cardo, in quo vertuntur omnia. An editio vulgata, quam Tridentini Patres pro authenticâ habere sanciunt in publicis disputationibus, lectionibus, prædicationibus et expositionibus, ità sit ab illis probata, ut discedere ab ejus auctoritate nefas sit etiam in minimis, quæ ad nullam pietatis christianæ partem videntur pertinere ; sed omnia sint recipienda quasi ex divino oraculo, non minùs quàm ipsi autographi libri, si integri et incorrupti exstarent ; an in præcipuis tantùm religionis capitibus eam admittere necesse sit, eatenùs ut nullus perniciosus error neque in fide, neque in moribus in eâ contineatur : magnì enim refert utrovis modo loquaris. Et theologos nostrâ ætate bifariàm divisos, concilii verba non eodem modo explicâsse video. Ac primùm quod in confesso est omnibus, librorum vitia, quæ multa injuriâ temporum et incuriâ librariorum inciderunt, probata non sunt, ipsaque codicum varietas multa fuisse mutata indicio est, cùm sit veritas simplex, aberrandi multiplex via, nondùmque ex variis lectionibus quæ sit præferenda definitum est. Pio V, Pont. Max., tentatum est editionem vulgatam sinceram exhibere, cessatum tamen deterritis rei difficultate, quibus ea cura est imposita, viris prudentibus atque eruditis. Rursùs conatus repetitus est meliori successu, quandò Clementis Octavi jussu jam prodierunt sacri libri, locis innumeris castigatis. Itaque anteà non erat exploratum, an Complutensia Biblia in quorum editione vulgatâ multa erant immutata, quo consilio non disputo, cæteris præferenda sint, an Lovaniensia, quibus viri eruditi castigandis diligentem operam navârunt ; privatâ auctoritate romana profectò cæteris potiora sunt. Ex antiquis nondùm constabat, an Italica præfe-

(1) Vide Bonfrerii Præloquia et Valt. Prol.

renda essent, an verò gothica, quâ nostri olim Hispani vulgò utebantur. Alia quidem prætermittimus, sed in gothicis tamen multa fuisse immutata, subjecta exempla indicabunt. Gen. cap. 5, vers. 2: *et vocabit nomen eorum Adam et Evam;* cap. 8, vers. 7, *dimisit corvum, qui egrediebatur, et revertebatur donec siccarentur aquæ;* cùm in nostris vulgò libris, priori quidem loco *Evæ* nomen non sit, in posteriori addatur negatio, in utris meliùs non disputamus, sed certè Jud. cap. 7, vers. 18: *Quandò sonuerit tuba in manu meâ, vos quoque per castrorum circuitum clangite, et conclamate Domino et Gedeoni;* gothica: *conclamate, gladius Domini et Gedeonis,* quod secutus est Chaldæus, et magis convenit cum iis quæ sequuntur, quamvis hebraicis, græcisque discrepantibus. Et lib. 1 Reg. cap. 2, vers. 32, quo loco nos habemus: *et videbis æmulum tuum in templo,* gothica legunt: *et videbis Christum æmulum tuum in templo.* Et cap. 21, vers. 13, quo loco legimus de Davide: *defluebantque salivæ ejus in barbam,* Gothicis additur: *et cecidit ad ostia civitatis.* Et postremis verbis ejus capitis, pro *hiccine ingredietur domum meam?* illi habent: *dimitte illum hinc, et ne ingrediatur domum meam.* Proverb. 29, vers. ult., pro *abominantur justi virum impium,* eadem sententia verbis aliis ponitur: *abominatio justorum vir iniquus.* In Sapientiâ et Ecclesiastico multò plura sunt immutata, ut videantur illi libri in gothicis ex editione diversa esse. Itaque Sapientiæ 19, vers. 19, ubi nos legimus: *Ignis in quâ valebat suprà suam virtutem,* gothicus codex habet: *Ignis in aquâ valebat suæ virtutis oblitus.* Ecclesiast. 3, vers. 28, *pravus corde in illi scandalizatur,* illi legunt: *Parvicordius in illis scandalizabitur.* Et cap. 4, vers. 29, *et doctrinâ in verbo sensati,* Gothi legebant: *Et doctrinâ in verbis veritatis.* Cap. 11, vers. 31: *Sicut enim eructant præcordia fœtantium,* pro illis verbis Gothi legebant: *Sicut enim eructant præcordia fœtentium.* Neque licet utra lectio verior sit in plerisque locis ex græco exemplari considerare, cùm non verbis sæpè, sed totâ sententiâ discrepent. Ad confirmandum quod sæpè dictum est græcos codices variâsse, neque nostrum interpretem nactum multis locis eos qui modò in usu sunt, quod ex loco proximo meliùs perspicietur. Ecclesiast. 19, vers. 13, ubi græca habent corruptissimè: *Corripe amicum ne fortè non fecerit; et si fecit, ne fortè addat,* meliùs Vulgata: *Corripe amicum ne fortè non intellexerit, et dicat: Non feci; aut si fecit, ne iterùm addat facere.* Omnium optimè gothica, in quibus adjicitur quod in aliis deesse videtur; sic enim habent: *Corripe amicum ne fortè cùm fecerit injuriam, et non intellexerit, dicat: non feci; aut si fecerit, ne iterùm addat facere.* Ezechiel. cap. 1, vers. 1, *et factum est in anno tricesimo in quarto in quintâ mensis.* Gothica: *et factum est in anno tricesimo in quarto mense in quintâ mensis.* Ex græcis, inquis, sumptum id est: esto; sed et hebraica fortassis sunt vitiata unius vocis defectu, tametsi Hieronymus additam græcè potiùs arbitratur. Mitto locum Michææ cap. 5, quoniam de illo mentio facta est: *Et tu, Bethleem, domus Ephrata, numquid parvula es in millibus Juda?* Non prætermittam 2 Machabæorum 7, vers. 17, ubi vulgò legimus: *Fili mi, miserere mêi, quæ te in utero novem mensibus portavi,* gothica habere: *decem mensibus,* quam lectionem in correctioribus exstare codicibus, ac veriorem esse Silvester ait, Rosa Aurea super Evangelium feriæ 2, post Domin. 4, Quadrag. art. 2, et favet gothicæ lectioni locus Sapient. 7: *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine,* et Virgilius Eclogâ 4, ait: *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.* Non nemo hæc loca sic conciliat, ut fœtus novem mensibus integris sit in utero, attingat etiam decimum. Sic novem menses integri sunt, decem inchoati. Sanè Matth. cap. 1, vers. ult.: *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazarœus vocabitur,* dictio *per Prophetas* in gothicis non erat, quemadmodùm Marci 1, vers. 2, sicut scriptum est in Isaiâ Prophetâ: *Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te,* in gothicis vox *antè te,* et illud in Isaiâ Prophetâ non erat, quæ lectio si reciperetur, quæ græcorum etiam codicum est, magnas difficultates evaderemus. Postremò, 1 Petri cap. 4, vers. 14, ad illa verba: *Quoniam quod est honoris et gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus super vos requiescet;* in gothicis additur, quemadmodùm in græcis codicibus: *quod ab illis quidem blasphematur, à vobis autem honorificatur,* quæ aut in nostris desiderantur, aut in illis redundant. Penè eram oblitus quod prætermittendum non est. Ecclesiast. 51, vers. 5, pro *de portis tribulationum quæ circumdederunt me,* in gothicis legi: *de multis tribulationibus;* quæ lectio cum sententiâ magis convenit et cum græcâ lectione: ἐκ πλειόνων θλιψέων, eòque vulgata lectio corrupta planè esse videbatur. Hier. 12, vers. 8: *Numquid avis discolor hæreditas mea mihi, numquid avis tincta per totum?* Gothicum exemplar, *numquid avis distincta per totum?* quæ lectio

commodior est, cùm hebraicâ magis congruens, sententiæ inhærens, quam Hieronymus sequitur in commentariis, *pavonem*, intelligens autem discolorem atque distinctam, tametsi vulgare mendum in eum Hieronymi locum etiam irrepsit. Isidorus, lib. 2 contrà Judæos, *avis distincta per totum* legit. Sic certè in codice Hispalensi, de quâ re paulò plura scholiis nos ad eum locum diximus. Thren. cap. 3, vers. 38 : *Ex ore Altissimi non egredientur, nec bona nec mala.* Gothica : *ex ore Altissimi non egredientur mala pro bonis.* Mutatæ lectionis causam explicare non attinet, conjectura facilis est. Itaque Tridentini decreti verbis vulgatæ editionis vitia non probantur, quæ multa inesse ex codicum varietate colligebamus librariorum certè incuriâ; sed ipsa tantùm interpretis versio probatur, ubi constiterit, aut ex codicum omnium consensione, aut Ecclesiæ auctoritate locum aliquem ab illo ità esse conversum. Addo tamen ne verbis quidem illis ità esse probatam nostram editionem, ut eadem magis propriè, aut magis apertè exprimi posse nonnullis locis negent. Eò enim pertinent variæ versiones latinæ, quæ nostris et antiquis temporibus cum laude prodierunt, quas Tridentini Patres non rejiciunt. Sed inter illas vulgatam præferendam censent, atque ità censuit Augustinus suâ ætate cùm, 2 de doctrinâ Christianâ cap. 12, de variis versionibus latinis quæ ejus ætate exstabant locutus, adjecit : *Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam quàm impedivit, si modò legentes non sint negligentes;* nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpè manifestavit inspectio. Quandò modestiùs Augustinus quamvis linguarum ignarus, tùm de versionibus, tùm de linguarum usu græcè et latinè loquitur, quàm nostrâ ætate quidam Theologi faciunt, statuentes tempora esse mutata, promulgatâque Tridentini concilii lege, probatâque latinâ conversione, græca et hebraica uno impetu concidisse, cùm repudiari non possint, de quibus mentio nulla facta est, ac ne præferuntur quidem latina, quandò in eo decreto nulla facta est comparatio latinæ editionis cum græcis et hebraicis exemplaribus, sua illis relicta est auctoritas quasi autographis et divino spiritu absque controversiâ dictatis, quibus locis incorrupta manent. Alia quæstio est: *an latina græcis et hebraicis incorruptiora sint*, de quo alio loco : nunc tantùm contendimus hebraica græcaque haudquaquàm à Tridentinis Patribus rejecta esse, latina quidem probari, neque ità tamen ut loca quædam apertiùs, aut etiam magis propriè verti posse negent. In quo video Theologos consentire, eos etiam qui editionis vulgatæ defensionem suscipiunt majori fortassè conatu quàm opus sit. Hujus rei innumera exempla liceret proferre; unum tamen proferemus aut alterum: lib. 3 Reg. cap. 20, per pedissequos principum provinciarum victoriam fore Propheta ait; commodiùs vocem hebraicam, *naharim, in pueros*, ut fecit proximo versu, quàm *in pedissequos* vertisset, quemadmodùm septuaginta Interpretes παιδαρία καὶ παῖδας dixerunt, hoc est, *puerulos et pueros*, ut non tantùm famulos principum, sed filios intelligamus, ex quibus, cùm in aulâ regis Achab educarentur, cohors regia constaret, in quibus propter nobilitatem præcipuum robur exercitûs constare solet. Proverbiorum 30, vers. 19, ubi nos habemus: *viam viri in adolescentiâ*, cùm in hebræo sit vox *Halma*, quam virginem significare contendimus propter locum Isaiæ cap. 7 : *Ecce virgo concipiet;* commodiùs chaldæus paraphrastes, et Pagninus dixerunt: *Viam viri in virgine;* perperàm qui posuêre : *viam viri in puellâ seu adolescentulâ*, argumento debilitato quod adversùs Judæos ex Isaiæ verbis conficitur validissimum pro perpetuâ Mariæ virginitate. Idem judicium esto, Cant. 6, vers. 7: *Adolescentularum non est numerus;* dicerem : *virginum non est numerus*, propter vocem *Halmoth*, eo etiam loco positam, quod et locis aliis possit notari à nostro interprete prætermissum, et Levit. cap. 21, vers. 14, de Pontifice : *Meretricem*, inquit, *non accipiet, sed puellam de populo suo;* meliùs Septuaginta dixerunt : *virginem de populo suo;* et hebraicè *Bethula* ponitur, quæ vox *virginem teneræ ætatis* significat. Jeremiæ cap. 31, vers. 31 : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Judæ fœdus novum* (1), commodiùs dictionem *Berith*, in testamenti significatione expressisset, utì septuaginta Interpretes eo loco fecerunt, et Paulus ad Hebræos cap. 8, vers. 8, atque ex eâ significatione collegit necesse fuisse ut Christus moreretur, quò testamentum quod vivens nuncupârat, eo mortuo, ratum esset : *Ubi enim*, inquit, *testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Joannis cap. 12, vers. 20 : *Erant autem quidam gentiles ex iis qui ascenderant ut adorarent in die festo.* Meliùs diceres : *Erant autem quidam Græci*, ἕλληνες, genere quidem et professione Judæi, sed qui Græci tamen Actorum cap. 6, et aliis locis sæpè vocantur tùm græcè, tùm latinè, quòd extrà Judæam inter

(1) Vide inferiùs Huetii Parallelismos, veteris et novi Testamenti, et commentarium in Isaiam,

Græcos nati essent; gentiles certè non erant. Prætereà ad Romanos cap. 1, *qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, commodiùs fortassè atque apertiùs græca sic redderentur : *qui definitus est aut declaratus filius Dei in potestate*, ne *virtutem* quis putaret eâ significatione accipi, quæ vitiis contradicit, et verbum græcum, meliùs in sententiâ definiendi quàm prædestinandi ponatur. Neque in magno discrimine alterutrum poni debet utrovis modo dicatur, neque contendimus editionis vulgatæ auctoritatem imminuere. Illud modo explicamus, his exemplis multa reddi posse apertiùs et magis propriè, quàm sit in editione vulgatâ. Major disputatio est de veritate editionis vulgatæ : *An locis omnibus credere debeamus interpretem veram significationem singularum vocum græcarum hebraicarumve secutum fuisse, an contrariam et falsam?* quemadmodùm Jonæ cap. 4, pro voce *Kikaion* hebraicâ, Septuaginta *cucurbitam* posuerant, vulgata editio *hederam* habet, utrumque diù in Ecclesiâ lectum est diversis temporibus. Auctor Vulgatæ Hieronymus commentariis ad eum locum et inter epistolas Augustini, epistola 11, neutrum eâ voce significari ait, sed potiùs herbam esse quæ Syris et Pœnis *Kikeia* vulgò sive *elqueroa* nuncupatur; nonnulli malunt *ricinum* interpretari : id ergò quærimus, an si quis Hieronymum secutus, aut septuaginta Interpretes, negaverit herbam quâ tectus est Jonas fuisse *hederam*, debeat continuò de religione postulari? Sic in Canticis legimus : *Sicut lilium inter spinas*, quæ commodissima interpretatio est vocis *Sosanna*, nam indè Hispanis *azuzena* dicta fuisse videtur. Sed nùm propterea quasi impius rejiceretur, si quis chaldæi paraphrastis auctoritatem secutus, et quorumdam Hebræorum eâ voce rosam potiùs significari putârit, quòd lilium inter spinas non nascatur? Multa lapidum, herbarum, animantium nomina ponuntur in editione vulgatâ, quæ si quis non usque adeò propriè hebraicis vocibus respondere asserat, et pro *smaragdo*, verbi gratiâ, *prasium* poni, pro *hyssopo libanotim*, ut Georgius Venetus vult, vel *spartum*, ut nostro Abulensi placet, substitui velit, nùm eum in impiorum numero propterea ponemus? Is certè est hujus disputationis cardo, id est diligenter explicandum. Plerique enim nefas putant falsum interpreti adscribere quàcumque in parte. Alii neque minori numero neque auctoritate contrà tendunt, neque de minimis quæ ad mores et dogmata non spectant magnoperè referre putant, utrovis modo sentiatur. Hæc enim ad quæstiunculas divinæ legis pertinere putant, de quibus liberum esse judicium Vincentius Lirinensis ait. Verùm horum auctorum verba primo loco adscribere visum est, in quorum numero Andreas Vega primus occurrit, lib. 15, in concilium Tridentinum cap. 9; de editione vulgatâ, disputans, sic ait : « Synodus non approbavit menda, quæ linguarum periti et in sacris litteris mediocriter versati in eâ deprehendunt; approbavit duntaxat vulgatam editionem repurgatam à mendis quæ vitio scriptorum vel chalcographorum in eam obrepserunt, nec eam tanquàm è cœlo delapsam adorari voluit; interpretem illius, quisquis ille fuerit, sciebat non fuisse Prophetam, nec nos meruisse hactenùs quemquam, qui eodem in omnibus spiritu sacras litteras à propriâ et nativâ linguâ in alienam linguam transfuderit, ac proindè neque cohibuit, nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui aliquandò docent meliùs potuisse aliqua verti, et uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritum sanctum sensus, vel certè alios commodiores, quàm è vulgatâ editione possint haberi. Sed in honorem vetustatis et honoris quem ei jam à multis annis detulerant concilia latina, qui sunt eâ usa, et ut certò scirent fideles, quod et verissimum est, nullum indè haberi posse perniciosum errorem, et tutò illam et citrà periculum posse legi; ad coercendam etiam confusionem, quam affert multitudo translationum, et temperandam licentiam nimiam cudendi semper novas translationes, sapienter statuit ut istâ uteremur in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus. Atque eatenùs voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset nullo eam fœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset, atque ideò adjecit : Ne quis illam quovis prætextu rejicere auderet. Et hanc fuisse mentem synodi, neque quidquam ampliùs statuere voluisse ex verbis ipsis et ex aliis consuetis approbationibus concilii potes colligere. Et ne dubites de his, verissimè possum tibi allegare amplissimum et observandissimum dominum Sanctæ Crucis cardinalem, de pietate et de litteris et de studiosis omnibus optimè meritum, qui illi sessioni et aliis omnibus præfuit, ac pridiè quidem quàm illud decretum firmaretur, et posteà non opinor semel mihi testatus est, nihil ampliùs voluisse Patres firmare. Itaque nec tu, nec

« quispiam alius propter hanc approbationem « vulgatæ editionis impeditur, quominùs ubi « hæsitaverit ad fontes recurrat, et in medium « proferat quidquid habere potuerit, quo ju- « ventur et locupletentur Latini et vulgatam « editionem ab erroribus repurgent, et quæ « sensui Spiritûs sancti, et ipsis fontibus sunt « magis consentanea, assequantur. » Hæc ille. Nobis idem sciscitantibus Romæ, cùm ibi theologicas scholas explicaremus, non aliud responsum dedit Jacobus Laines, nostri tùm ordinis Præpositus generalis, pietatis studiis, eruditionis opinione, morum suavitate, atque ingenii candore mirabili, quem honoris causâ nominare volui, et quoniam concilii Tridentini magna pars fuit, quippè cui plurimùm à cæteris Patribus deferebatur, et omnibus actionibus interfuit, quod mirum in tantâ temporum varietate atque intervallo videri possit. Similia Sixtus Senensis ait, extremâ Bibliothecâ sanctâ, his verbis : « Etsi in eâ ejusmodi errata « inveniantur, certum est tamen neque in ve- « teri, neque in novâ editione aliquid unquàm « inventum esse, quod fuerit vel à varietate « christianæ fidei devium, falsumve ac mendax, « vel contrarium dogmatibus ac regulis ortho- « doxis, vel præter veritatem additum, vel « contrà veritatem mutatum, vel in præjudi- « cium veritatis omissum, vel adeò depravatum, « ut occasionem perniciosè errandi attulerit, « vel hæresibus ac pravis dogmatibus materiam « et fomenta præstiterit, vel ità obscurè et « ambiguè versum, ut mysteria nostræ fidei « occultaverit, aut non ad sufficientiam et « quantùm satis est ad salutem explicaverit. » Quos tamen errores, mendas ac depravationes D. Hieronymus in veteri editione novi Testamenti se consultò reliquisse testatus est, et Ecclesia similiter in novâ editione ex professo reliquit, non quia tot eruditissimi ac sanctissimi Ecclesiæ Patres ea errata vel non agnoverint, vel approbaverint, sed quia ad ea dissimulanda justis se causis impediri viderint. Primò quòd animadverterint nihil periculi in fide ac moribus ex his tàm levibus erratis imminere. Deindè ne fideles importunæ ac nimiùm exactæ correctionis novitate offenderentur, quorum aures usquè ab infantiâ vetus illa editio occupaverat. Postremò ut vetustam illam editionem venerarentur, quæ nascentis Ecclesiæ fidem educaverat et crescentis roboraverat et evexerat, utque sanctam ac venerandam illam simplicitatem antiqui interpretis, qui non sermonis ornatum, sed historiæ veritatem quæsivit, suâ ipsorum approbatione honorarent, et vestigia majorum suorum sequerentur, qui eosdem errores sacrâ quâdam pietate ducti tolerârunt, exemplo sanctorum Apostolorum, qui quanquàm scirent editionem septuaginta Interpretum in multis redundare, et in multis deficere, eam tamen non contempserunt, sed ubique eam prædicaverunt, et ex eâ prima nostræ fidei fundamenta jecerunt. Temerarium igitur, imò planè hæreticum, propter leves quosdam defectus qui in nostrâ vulgatâ editione citrà ullum fidei ac morum detrimentum reperiuntur, eam spernere et abjicere, novasque et profanas in locum ejus hæreticorum translationes introducere, præsertim post œcumenici concilii Tridentini decretum. His accedit Belga Lindanus, qui lib. 3 de optimo genere interpretandi, de vitiis editionis vulgatæ, de interpretis etiam culpâ multa disputat, ac præsertim cap. 2 : « Quarè, inquit, nunc porrò de « his agendum superest rationibus, quibus vul- « garis hujus editionis incommoda, aut tolli « queant aut mitigari atque sarciri : hebrais- « mos dico, atque græcismos, acyrologias at- « que catachreses, latinique sermonis stribi- « ligines, et si quæ alia sunt in interprete hoc « vulgari orationis vitia, quibus haud dubium « tàm Psalmorum, quàm novi Testamenti ver- « sio latina vulgaris locis non paucis est « obscurata. Item alibì impedita ne liberè « fluat, rursùm alias diriusculè cohærens, per- « plexa etiam, ne dicam contaminata, aut in- « terpretis si non ignorantiâ, certè oscitantiâ « à plano sensu ac genuino deturbata. » Et cap. 10, hæc addit in eamdem sententiam : « Quas modò « aggredimur locorum sacræ Scripturæ classes, « clariùs necessarium linguarum hebraicæ at- « quæ græcæ commonstrant usum : ut enim « emendata pura puta atque certa tibi constet « Scripturæ lectio, at sensum tamen nondùm « habet semper apertum ac cuivis obvium, et si « obvium aliquandò, non tamen certum et in- « dubitatum. Proindè hunc ex fontibus esse « hauriendum aut illustriorem, aut pleniorem, « aut denique veriorem ipsa nos sæpenumerò « res cogit. » Vides latinam editionem falsi nonnunquàm à Lindano insimulari, cujus testimonium eò majoris ponderis est, quòd is auctor studio defendendi nostra hebraicis græcisque codicibus parùm æquus à quibusdam judicatur. Postremò Melchioris Cani testimonium adjiciatur de locis Theologicis lib. 2, cap. 13, ex concilio Tridentino auctoritatem editionis vulgatæ quatuor propositionibus explicantis his verbis : *Prima conclusio*, quæ maximè rem causamque continet, nam cæteræ sunt quasi con-

sectariæ. Editionem hanc veterem atque vulgatam, quam post tempora divi Hieronymi latina Ecclesia usurpavit, fidelibus esse retinendam in his omnibus quæ ad fidem et mores spectabunt. Secunda, si qua morum et fidei quæstio inter Catholicos exoriatur, eam definiri oportet per latinam hanc veterem editionem, cujus videlicet si aliquod testimonium alteram quæstionis partem confirmaverit, ea sit Catholicis amplectenda : sin contrà reprobaverit, rejicienda. Tertia, in fidei ac morum disputatione, non esse nunc temporis ad hebraica græcave exemplaria provocandum, nec ex eis certam controversiarum fidem esse faciendam. Quarta, in his quæ ad fidem et mores pertinent non esse latina exemplaria per hebraica vel græca corrigenda. Deindè, capite decimo quarto, quo loco Pauli verba primæ ad Corinthios decimo quinto versu affert : *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*, negat is ex illis certò colligi, omnes in fine mundi fore morituros, quoniam antiquissimis etiam temporibus græci codices variarent, neque ità esse nostram lectionem probatam, ut diversa, quæ vulgò Græcorum est : *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabitur*, planè sit rejecta. Verba ejus adscribimus : « Ad « aliud argumentum, quoniam nolumus esse « longi in singulis explicandis, breviter res- « pondetur eum locum ex priori Epistolâ ad « Corinthios bifariàm apud Græcos legi, et ut « vulgata habet editio, et in hunc modum: « *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes* « *immutabimur;* cujus rei auctor est Didymus « in epistolâ ad Minerium et Alexandrum. » Neutra autem lectio à viris Ecclesiæ reprobata est, quin admonuêre semper lectionem dubiam et variam esse, nec alterutram ex eis, ut certam et exploratam amplexi sunt. Neutram igitur lectionem recipere cogimur, quia neutram partem doctores Ecclesiæ tanquàm exploratam et Catholicam asseruêre. Quod idem in aliâ particulâ quâlibet latinæ editionis fieret, si idem penitùs contigisset. At ubi doctores catholici unam et eamdem lectionem sine varietate tenuerunt, nec ancipitem assertionis libravêre sententiam, nobis non licet latinam editionem in quæstionem vertere. Neque dubitat is auctor aliquandò in rebus minutis, ac in numeris præsertim falsum adscribere interpreti, ut libro undecimo, capite quinto ad argumentum undecimum. Possemus etiam auctorum non minori auctoritate et eruditione verba in eamdem sententiam adjungere. Præterea gallos, italos atque germanos scriptores qui libris de Theologiâ editis, non dubitant sæpè editionis vulgatæ vitia accusare, et nostri interpretis oscitantiam : quos grave est universos quasi impios, et de religione malè sentientes criminari, præsertim cùm validis argumentis eorum sententia fulciatur. Unus quispiam temeritatis notam his omnibus theologis minimùm inurendam censet, næ magis ipse temerarius, et vim vocis ignorans magnus scilicet Theologus, qualificator præclarus. Nos ad alta festinamus. Multa superiùs in hebraicis et græcis codicibus vitia esse ostendimus, multa mendacia in rebus minutis; eorum pars aliqua non exigua in nostrâ editione vulgatâ exstat. Quis ergò eam quantâvis eloquentiâ à vitiis vindicare possit? Exempla multa cùm afferre liceat, unum et alterum subjiciam : lib. 4 Regum, cap. vigesimo quarto, vers. octavo : *Decem et octo annorum fuisse dicitur Joachim, cùm regnare cœpisset.* Ac lib., 2 Paralipomenon, trigesimo sexto, vers. 9 : *Octo annorum erat Joachim, cùm regnare cœpisset, et tribus mensibus ac decem diebus regnavit in Hierusalem*, vitiosè procul dubio ; quî enim eâ ætate malum facere potuit, quî ultrò egredi ad regem Babylonis, cùm esset naturâ bonus? nimirùm hebraico codice à librariis vitiato, is error in græcos codices et latinos indè manavit, et scribentis peccatum interpretis vitium factum est. Michææ quinto, vers. 2 : *Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda*, quæ verba Matth. cap. 2, negatione adjectâ, citantur, vers. 6, fortassis quoniam Michææ locus vitiatus est hebraicè; nam auctores veteres, Origenes, Cyprianus, illa verba negativè citant, et textus Septuaginta, commentariis Hieronymi adjunctus, negationem habet; ex hebraicis autem codicibus id vitium in vulgatam editionem transfusum est. Mitto locum superiùs adductum ex Deuteronomio cap 27, vers. 26: *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus.* Undè Hieronymus contendit fraude Judæorum, duabus vocibus detractis *omnis et omnibus*, locum esse depravatum, ac legi potiùs debere, quemadmodùm citatur à Paulo ad Galat. cap. 3, vers. 10 : *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Multa hujusmodi proferre possem, sed genus ipsum videtis, et ex superioribus plura exempla peti possunt; ad alia transferenda oratio est. Codices hebraicos multis locis variâsse fatentur omnes, etiam qui contraria sentiunt, et multis documentis docere promptum est : variæ illæ lectiones in Vulgatæ variis locis exstant, dùm aliud Hierony-

mus vertit in veteri Testamento, diversam lectionem Apostoli in novo citârunt; varietas autem vitium indicat, cùm scriptor sacer unicam lectionem posuerit, non variam, ut necesse sit confiteri è duobus locum alterum in editione vulgatâ esse vitiatum. Exempla accipe. Habacuch., cap. 1, vers. 5: *Aspicite*, inquit, *in gentibus, et vide e, et admiramini*, qui locus Act. cap. 13, vers. 41, longè aliter à Paulo citatur: *Videte, contemptores, et admiramini*, nempè conjecturâ facili, ubi Paulus et septuaginta Interpretes legerunt בוגדים, Hieronymi codices hebraici, ut et nostrâ ætate בגוים, habuerunt, unius vocis modicâ mutatione factâ, variatum est; utra lectio verior sit, non disputamus, certè vitiatâ alterâ, cùm utraque in editione vulgatâ alio et alio loco conservetur. Prætereà Genes. cap. 47, vers. 31: *Adoravit Israel Dominum conversus ad lectuli caput;* quod ad Hebræos cap. 11, vers. 21, aliter citatur: *adoravit fastigium virgæ ejus*, quod ambiguitate vocis, parvâque immutatione seu additione punctorum factum est, ut longè aliter in utroque loco legatur. Vera lectio utrobique esse non potest, alteram ergò vitiatam esse fateamur oportet. Prætereà Habacuch. cap. 3: *In medio annorum vivifica illud*, vers. 2, septuaginta Interpretes posuerunt: *In medio duorum animalium cognosceris*. Undè mos appingendi Christi præsepio duo animalia manavit. Et Septuaginta versionem Ecclesia in precibus quotidianis amplexa est. Vocum hebraicarum nonnullâ immutatione factâ id potest constare, ut suspicari possimus hebraica esse vitiata, quod tamen vitium in editione vulgatâ exstat. Quemadmodùm Isaiæ cap. 28: *Ecce ponam in Sion lapidem summum, angularem, electum, probatum, pretiosum; qui crediderit, non festinet;* quod tamen, 1 Petri cap. 2, vers. 6, longè aliter, *qui crediderit in ipsum, non confundetur;* quæ lectio in gothicis Bibliis, in Isaiâ ipso etiam exstabat, vers. 17, et lectio utraque verbi hebraici mutatione potest facilè constare. Utrum præferendum sit hoc loco non laboramus, modò fateamur geminam lectionem, quarum altera est vitiata, exstare in editione vulgatâ. Confer Psalmum decimum septimum in Psalterio positum, cum ipsomet posito libro 2 Regum, vigesimo secundo, videbis non paucis locis neque leviter discrepare interpretationis varietate: cùm auctor Psalmum cecinerit, modos divino spiritu eosdem et verba dictante non alia. Prætereà idem sæpè nomen animantis, herbæ, lapidis, cùm unum tantùm significet, non unâ significatione redditur in variis locis editionis vulgatæ, sed pro varietate interpretis significatione mutatâ, indicio significationem alteram falsam esse, quod in unâ voce hebraicâ rem facilè docere possumus: pro quâ in Psalmis unicornis redditur. Psalm. 91, vers. 10, in Numeris cap. 33, vers. 26, et Job cap. 29, vers. 12, rhinoceros: *numquid volet rhinoceros servire tibi?* undè est opinio quorumdam nata rhinocerotem et unicornem eumdem animantem esse, cùm contrà antiqui scriptores doceant, certè Cresias in Indicis: Asini, inquit, agrestes sunt, equis pares atque majores, corpore candido, capite purpureo, oculis ceruleis, cornu in fronte cubiti magnitudine octo infrà digitis, candidissimum, cuspide acutâ atque rubrâ valdè; in medio nigrum est; poculis ex eo confectis spasmo convulsionique medentur atque morbo sacro, veneno prætereà mortifero adversantur; cùm longè aliâ formâ sit rhinoceros, quem in Hispaniâ vidimus, et Plinius describit, et cornua utraque passim ostenduntur, multùm longitudine ac formâ inter se discrepantia. Præstabat ergò confiteri, quod verum est, non idem genus esse animantis, sed pro varietate interpretis, variâ significatione exprimi vocem unam in editione vulgatâ. Porrò ad difficultatem vitandam communes quasdam significationes fingere, ac voces polysimas facere supervacaneum arbitror nullius paulò antiquioris testimonio confirmatum. Et quis credat in uno libro semper in unâ significatione positas fuisse ab iis qui libros sacros scripserunt, in diversâ significatione locis omnibus et libris aliis? Ego id potiùs interpretum varietati adscriberem. Idem dixerim in dictione caath קאת, pro quâ Hieronymus Isaiæ cap. 34, vers. 11, *Onocrotalum* reddidit, et Levit. cap. 11, vers. 18. At Psalmorum interpres *pelicanum*, Psalm. 101, vers. 7: *Similis factus sum pelicano solitudinis*. Idem prorsùs in innumeris aliis vocibus hebraicis liceat explicare; sed capita et fontes indicâsse sit satis. Accedit ad superiora ab antiquis Patribus sæpè versionem nostram falsi accusari; omnes producere longum esset, Augustini et Hieronymi verbis hoc caput confirmare satis habeam. Sapientiæ cap. 4, vers. 3: *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*, positum est vocis μοσχεύματα interpretatione, quam nemo latinus intelligat: quid enim vitulamen est? Et ne à librariis locum corruptum excuses, sic legitur in omnibus antiquis codicibus, in gothicis etiam et romanis recentibus, sicque Optatus antiquissimus legit contrà Donatistas lib. 4, Augustinus etiam lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 12: « Error interpretis factum indicat, erroris etiam

« occasione prudenter explicatâ, his post alia « in hanc sententiam verbis. Hinc enim etiam « est illud, quoniam μόσχος, moschos, Græcè, « vitulus dicitur μοσχεύματα, moscheumata, « quidam non intellexerunt esse plantationes, « et vitulamina interpretati sunt. Qui error « tàm multos codices præoccupavit, ut vix « inveniatur aliter scriptum, et tamen senten- « tia manifestissima est, quia clarescit conse- « quentibus verbis. Namque adulterinæ plan- « tationes non dabunt radices altas, conve- « nientiùs dicitur quàm vitulamina, quæ velut « pedibus per terram gradiuntur, et non hæ- « rent radicibus. Hanc translationem in eo loco « etiam cætera contexta custodiunt. » Hæc Augustinus. Hieronymus autem multis locis, quod ipse interpretatus est, et in editione vulgatâ exstat, immutandum censet, sententiâ eo jam tempore, quo scribebat mutatâ. Isaiæ cap. 1, vers, 30, pro voce hebraicâ, *elah*, pro quâ editio vulgata *quercum* habet, *cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis*, ipse commentariis ad eum locum *terebinthum* potiùs eâ voce significari ait, quod Septuaginta reddiderunt, et pro re natâ variis locis nunc hanc, nunc illam interpretationem sequitur; ut Pagninus in dictionario eâ radice affirmat. Tùm Isaiæ cap. 19, vers. 15: *Et non erit Ægypto opus quod faciat caput et caudam incurvantem et refrænantem;* vocem hebraicam Hieronymus malè se reddidisse ait his verbis: « In eo quoque quòd « nos transtulimus incurvantem et refrænan- « tem, possumus dicere incurvum et lascivien- « tem, ut intelligamus senem et puerum. Nos « autem verbum hebraicum אגמון, dùm cele- « riter, quæ scripta sunt, vertimus ambigui- « tate decepti, refrænantem diximus, quod si- « gnificantiùs Aquila transtulit στρέβλοντα, id « est, qui nihil rectè agit, sed omne perver- « sum, ut puerum significaret. » Ex his colligas licet, Hieronymum divinas Scripturas humano ingenio et diligentiâ fuisse interpretatum, neque in eo Prophetæ officio fuisse functum, alioquì quomodò semel posita corrigeret immutaretque? potuit ergò labi ut humanus, atque adeò lapsus est; nam in tantâ rerum sylvâ atque varietate nunquàm offendisse majus profectò miraculum esset, nec consentaneum humanæ imbecillitati. Verùm hoc argumentum, quoniam susceptæ disputationis in hanc partem validissimum est, præstabit novo ex principio explicare.

CAPUT XXII.

An Latinus interpres fuerit Propheta.

Magna disceptatio est inter theologos, an latinum interpretem in *Prophetarum* numero ponere debeamus, quasi numinis instinctu correctâ humanâ imbecillitate, opus versionemque perfecerit, id enim hoc loco *vatem* intelligimus, neque de vocis notione subtiliori laboramus. Etenim superiùs de septuaginta Interpretibus disputavimus, in eam sententiam propensi, contrà Hieronymi placita non humano eos ingenio, sed divini luminis ductu divinos libros græcè fuisse interpretatos. De latino interprete major quæstio est, majori contentione in utramque partem agitatâ. Petrus Sutor, opere dicto *de translatione Bibliæ* cap. 10; et Titelmannus disputatione *pro editione vulgatâ*, quam commentariis in Epistolam ad Romanos adjunxit, aiunt; quam sententiam recentiores ferè sequuntur, quicumque editioni vulgatæ etiam in minimis repugnare nefas putant, pii homines et religiosi, concilii Tridentini decreta, nisi eâ opinione susceptâ, stare posse non putantes. Negant alii, majori linguarum cognitione instructi, his argumentis. Quoniam Hieronymus ipse, præfatione in Pentateuchum: *Aliud*, inquit, *est vatem, aliud est esse interpretem; ibi spiritus ventura prædicit, hìc eruditio et verborum copia ea quæ intelligit, transfert.* Neque est verisimile, quod septuaginta Interpretibus (de iis enim agit eo loco) denegabat, sibi tribuisse, præsertim cùm Augustinus, Hieronymo æqualis, ipsum falli potuisse, divinos libros ex hebraico interpretando, confirmet his ad eum verbis, epistolâ decimâ. « Undè etiam nobis videtur aliquandò te quoque « in nonnullis falli potuisse. » Quis ergò divinus ille instinctus fuit, quem neque Augustinus, neque Hieronymus ipse intellexerunt? quid juvat post tot secula novo commento novos prophetas comminisci? Qui si divino spiritu acti sunt, quemadmodùm ipsi scriptores sacri, quomodò potuerunt divinum beneficium ignorare? Adde quòd Hieronymus ipse, utì superiùs dictum est, suam interpretationem novâ sæpè diligentiâ corrigit. Amos cap. 7, vers. 14, cùm dixisset armentarius: *Ego sum vellicans sycomoros*, ut est in nostrâ editione, commentariis ad eum locum, expositis aliorum opinionibus, atque vocis hebraicæ interpretationibus: *Nobis*, inquit, *magis videtur rubos dicere*, qui afferunt mora, ac pastorum famem et penuriam consolantur. Quod epistolâ ad Paulinum secutus est, cùm dicit: *Amos pastor et rusticus, et ruborum mora distringens.* Et epistolâ inter Augustini epistolas 11, tùm commentariis in Jonam Prophetam, cùm pro voce hebraicâ *Kikaion*, Septuaginta *cucurbitam*, ipse

hederam posuisset, negat alterutrum esse, sed potiùs genus virgulti lata habens folia in modum pampini, quod cùm plantatum fuerit, citò consurgit in arbusculam absque ullis calamorum et hastilium adminiculis, quod Syri, *ciceiam,* seu *elkeroa* vocant. Qui ergò teste Hieronymo dixerit Jonam non *hederâ* fuisse tectum, ut est in editione vulgatâ, nullum flagitium committit. Aliud est an sapienter Hieronymus mutârit, et potiùs per herbam nobis magis cognitam vocem illam fuerit interpretatus : quod potiùs quidam arbitrantur, quandò veram significationem non sequebatur, debuisse intactam relinquere versionem Septuaginta, novitatis offensione vitatâ, de quâ re plura Canus lib. 2 de locis Theologicis cap 14, et Petrus Sutor cap. 11. Neque enim omnia quæ dici poterant hoc loco explicanda sunt. Accedit novum argumentum, quoniam si divinus spiritus interpreti singula verba dictavit, nulla improprietas, nihil malè positum inveniretur in editione vulgatâ. Non agimus de veritate, sed certè Dei opera bona cuncta sunt, et in suo genere miranda, verbaque rebus respondere debent; sive per se, sive per prophetarum linguas loquatur, nullum vitium in ejus verbis, nulla improprietas admitti debet; cùm adversæ partis fautores non negent, et res ipsa indicat, multa impropriè et perturbatè esse posita in editione vulgatâ, et commodiùs reddi potuisse. Sed in divinis libris nullum mendacium admitti debere, quo universa corruant, ais rectè; sed cùm describendis iis libris librariorum incuriâ multa vitientur, cùm iis explicandis sæpè à verâ sententiâ recedatur, quid mirum idem interpretandis libris contigisse? At ea vitia corrigi ac deprehendi ex aliis codicibus et majori diligentiâ posse ais : esto, tametsi id negare poteram, ex uno aliquandò omnibus codicibus depravatis. Verùm quid prohibeat idem præstare in interpretatione, et interpretis incuriam ex fontibus castigare? Neque est prætermittendum supervacaneè confingi, quòd nullo antiquiori testimonio, nullo argumento satis idoneo confirmetur interpretem functum fuisse Prophetæ officio. Nam Sutoris argumenta afferre pudet, ità futilia sunt et inania; quæ majoris ponderis sunt, proximo capite à nobis afferentur. Quòd si recipitur, ut est verisimile, interpretem non fuisse *vatem*, fateri oportet, quod superiùs est tactum, labi eum falliquc potuisse, nempè humano ingenio nixum, ac omninò lapsum esse. Quis enim in tantâ rerum multitudine et sylvâ, non aliquandò falleretur, non offenderet aliquandò? Quòd si concilii Tridentini Patres nostram editionem omni ex parte probare volebant, paremque cum fontibus auctoritate et fide facere, longâ commentatione debebant singula interpretis errata castigare, quod factum certè non fuit; nullâ enim immutatione factâ vulgatam editionem, ut passìm legebatur, suis decretis probârunt, authenticamque esse sanxerunt. Non ergò fuit propositum eam in minimis etiam, quæ ad fidem et mores non pertinent, comprobare. Hæc sunt hujus partis præsidia, quæ verbosior fuit, an verior, sincero animo lector, neque infesto partibus, dijudicabit; si quid nostrum testimonium valet, nobis etiam ea sententia ad veritatem propensa videbatur. De veritate non laboramus, neque dubitamus omnia argumenta in hanc partem allata dissolvi posse. Nos etiam quibus scholis Romæ et Lutetiæ annis superioribus divinos libros explicuimus, *nostram editionem* omni ex parte tueri conati sumus, neque meminimus usquàm interpretis incuriam, aut aliquod interpretationis vitium accusâsse; quippè sciebam, si animus esset, et pietas facilè posse à calumniâ vindicari, neque à priori consuetudine modò recedimus; confirmare tantùm conati sumus, qui secùs sentiunt, probabilem opinionem afferre multis argumentis et testimoniis nixam, quod ad constituendam inter dissidentes pacem aliquid referre persuasum habebam. Nunc alterius partis argumenta proferenda sunt, atque explicanda proximo capite, finisque imponendus disputationi longissimæ atque impeditæ.

CAPUT XXIII.

Alterius partis argumenta.

Ac primùm concilii Tridentini decreta occurrunt nondùm satis explicata, in quibus libri canonici, ut sunt in editione vulgatâ, cum omnibus suis partibus probantur; deindè ut editio vulgata pro authenticâ habeatur, et ut nemo eam rejiciat, novo decreto mandatur. Ex utrâque autem parte validum argumentum conficitur, quòd plerosque in contrariam sententiam impulit; nam et singulæ voces canonicorum librorum partes sunt, et nullâ distinctione factâ majoris aut minoris rei, rejici illam altero decreto vetatur. Deindè quòd Augustinus contendit adversùs Hieronymum, si levissimum mendacium in divinis libris inveniretur, universa eorum auctoritas corrueret; qui enim in minimis mentitus est, in maximis etiam potest fallere. Quod argumentum ad editionem vulgatam trahere licet, atque si in eâ aliquod

mendacium admittitur, universam dubiam facere, ut pro authenticâ haberi non possit. Sunt autem Augustini verba ex epistolâ 9: *Si ad Scripturas sacras admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis obteretur improbitas?* Quæ verba ad editionem vulgatam transferas licet. Præterea satis constat Scripturam sacram Ecclesiæ catholicæ possessionem esse, ergò in Ecclesiâ latinâ, in quâ catholica religio conservata tantum est, vera Scriptura permansit, atque locis omnibus integra, atque adeò non hebraicis codicibus aut græcis, sed latinis fides certa est tribuenda, quibus utitur atque usa est Ecclesia latina; alioqui divinâ Scripturâ fuisse destitutam tot seculis fateri debes, atque editionem latinam dare, quâ parte vitiosa est, Scripturam divinam non esse. Non est ergò editio nostra Scriptura divina, neque certam auctoritatem habet, neque nos Scripturam canonicam habemus, certè iis locis quibus est vitiata; licebitque locis omnibus aut plerisque dubiam facere, quasi à fontibus discrepantem, quæ magna perversio esset; ac religio nostra nutabit, quæ divinis libris quasi fundamentis innititur. Accedit, nihil esse in divinis libris leve, cùm omnia ad fidem spectent, ac in impiorum numero poni debeat, quicumque etiam in re levissimâ discesserit ab iis, quæ in divinis libris continentur, affirmâritque aut corvum rediisse in arcam, aut columbam à Noe emissam nunquàm rediisse: quid enim levius? contrà quam in divinis libris legitur atque editione vulgatâ. Postremò multò majoris ponderis argumentum occurrit: quoniam hâc licentiâ admissâ, multis libris sacris cogemur certam auctoritatem denegare, nempè quorum versiones tantùm exstant, ipsi libri autographi desiderantur: *Libri Tobias et Judith; Ecclesiasticus, Sapientia*, atque in novo Testamento *Evangelium Matthæi, ac Epistola ad Hebræos*, quos constat ab auctoribus primùm hebraicâ linguâ fuisse conscriptos, neque nunc exstare, nisi in græcam linguam conversos. Quòd si antiquitùs Ecclesia eorum librorum græcæ interpretationi potuit certam auctoritatem dare, paremque ipsis fontibus, undè ea interpretatio manavit, non minùs in minimis, quàm in maximis, cur modò Ecclesia nostræ editioni parem auctoritatem tribuere non possit, non video. Quod si potuisse das, quibus aliis verbis eam voluntatem explicare potuit, quàm quæ ex concilio Tridentino sunt allata? Hæc sunt ferè in hanc partem argumenta, quibus nostram editionem certæ fidei et auctoritatis esse etiam in minimis confirmari potest, valida atque præclara, quis non videat? Nonnulli etiam eisdem argumentis interpretem non humano ingenio, sed Deo dictante Scripturas latinè reddidisse contendunt. Quod utinàm dictum persuadere adversariis potuissent, magnâ nos molestiâ liberâssent. Sed quandò id non est factum, et plerique temerè dictum putant, in illorum gratiam hæc argumenta dissolvere constituimus: et primùm concilii Tridentini verba, quibus maximè innituntur qui ità sentiunt, explicare. Ergò priori decreto editionem vulgatam probari putant cum partibus, nempè capitibus singulis et narrationibus; nam si voces singulas, quæ particulæ potiùs quàm partes sunt, probare voluisset, id explicare facilè potuisset; nimirùm quorumdam licentiam coercere voluit, aliquos divinos libros aut eorum partem abdicantium. Secundo decreto, quoniam disputationes adversùs hæreticos futuræ erant, de religione certè et moribus, quos injuriâ temporem labefactatos astringere erat propositum, fontes designavit, undè argumenta petenda essent, divinas litteras et traditiones ecclesiasticas, et ne quis argumenta eluderet, ac certam auctoritatem detraheret editioni vulgatæ, eam decernit authenticam esse, hoc est, plenæ auctoritatis, certè quoniam nihil continebat, quod ad mores et religionem spectat depravatum, eatenùsque vetat à quoquam rejici, et ad coercendam ingeniorum petulantiam, ut idem in lectionibus, concionibus et expositionibus fiat. Eodem decreto mandatur, ne rejiciatur in iis, quæ ad dogmata et mores pertinent, ac verò eà semper utantur; quæ explicatio cùm magnos auctores habeat qui superiùs sunt designati, repudiari non potest certè quasi religioni contraria. Quod de mendacio affertur ex Augustino parùm movet contrà sentientes. Nam eodem argumento efficeretur, ne librariorum quidem incuriâ mendacium in divinis libris esse debere. Nam si illud ex aliis codicibus castigare posse contendis, idem dicent adversarii, errorem interpretis ex fontibus debere corrigi, et Augustinus epistolâ 19, ad Hieronymum: *Si quid*, inquit, *in eis offendero*, nempè libris canonicis, *quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem quàm mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem: quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam.* Quibus verbis interpreti mendacium apertè tribuit contrarium veritati non minùs quàm librariis. Verùm cùm superiùs sit dictum, græca etiam et hebraica

corrupta esse, meritò quis ambigat, an locus aliquis in divinis libris in omnibus codicibus et linguis vitiatus esse possit hebraicè, græcè et latinè. Negat enim Abulensis, lib. 4 Reg. cap. 24, quæst. 8, valido argumento ductus : quia eo admisso omnia in divinis libris nutarent, et in locis apertissimis adversarius excusare posset codices omnes in linguis omnibus esse depravatos. Verbi gratiâ, initium Genesis, atque Evangelii Joannis ; quâ enim ratione magis his locis, quàm aliis incorruptos esse defendatur? Resistunt Cajetanus et Canus, hic lib. 11 de locis Theologicis cap. 5, præsertim, his verbis productis lib. 2 Paralip. cap. 36 : *Octo annorum erat Joachin, cùm regnare cœpisset*. Cajetanus, commentariis in libros Reg. lib. 2, cap. 21, vers. 8 : *Et quinque filios Michol, filiæ Saül, quos genuerat Hadrieli, filio Berzellai, qui fuit de Molathi*. Existimabat enim pro *Michol* in omnibus codicibus legendum *Merob*, quæ data est Hadrieli Molathiti uxor, lib 1 Reg. cap. 18, vers. 19, et sanè *Michol* filiâ Saül non est natus filius usque ad diem mortis suæ, lib. 2 Reg. cap. 6, vers. 22, nupsitque non Hadrieli, sed Phaltieli, filio Lais, lib. 2 Reg. cap. 3, vers. 15, quo tempore à Saüle patre Davidi est ablata. Hebræi *Merob* filios fuisse concedunt naturâ, Micholis adoptione et educatione ; affert Petrus Galatinus, lib. 5 contrà Judæos cap. 13, quod Cajetanus refellit, quoniam Michol eos *genuisse dicitur :* quæ forma loquendi in filios adoptione convenire non potest, ac multò magis refellenda est sententia Joseph., 7 Antiquitatum cap. 4, affirmantis *Michol* ex Davidis conjugio nullos quidem filios peperisse, ex alio marito tamen, cui pater à priori abstractam tradidit quinque liberos genuisse. Quidam etiam Marcum cap. 15, vers. 25 : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*, cùm Joannis cap. 19, vers. 14 : *Erat autem parasceve paschæ hora quasi sexta*, conciliant : Marci locum in omnibus codicibus et linguis propter similitudinem notarum, græcè ternarii et senarii corruptum esse putantes viri antiquitate et auctoritate præcipuâ : in quo numero Hieronymus erat in Psalm. 77 initio, et sanctus Thomas affert part. 3, quæst. 46, art. 9, ad 2. Quòd si Cajetani sententia recipitur, Abulensis argumento respondendum est, nullum esse mendacium in codicibus ac linguis omnibus, cujus non aliquod vestigium exstet, aut non possit ex antiquorum libris aut collatione aliorum locorum castigari, quod ad Dei providentiam pertinet, ne omnia dubia reddantur : et supplicio dignus sit quicumque temerè nullâ compulsus necessitate, locum aliquem affirmârit in linguis omnibus et codicibus esse contaminatum. Nam quod afferebatur Scripturam sacram catholicæ Ecclesiæ possessionem propriam, atque adeò in Ecclesiâ latinâ latinos codices certæ auctoritatis esse in minimis et in maximis, facilè id refelli potest, quandò ad Ecclesiam catholicam non minùs quàm latina interpretatio ipsi fontes pertinent, ejus hæreditas Christi Testamento relicta. Cùm objicitur codices latinos divinam Scripturam esse, distinctione adhibitâ facilè dissolvitur : Scripturam sacram pro fontibus sumi græcis atque hebraicis, tùm etiam pro interpretatione quæcumque ex illis manavit. Latinis ergò codicibus divina Scriptura continetur, non quasi in fontibus, id enim datum non est, ut divini libri latinè primùm scriberentur. Dei consilia curiosiùs perscrutari non convenit, sed divina Scriptura in illis continetur quasi in interpretatione non minoris certè auctoritatis ; quandò cum illis consentit, quandò discrepat, incuriâ aut errore interpretis excusanda est, atque iis locis divina Scriptura, hoc est, divinæ Scripturæ interpretatio vitiosa certè dici potest, et modò in re conveniamus, de nominibus magnoperè laborandum non est : ac ne illud quidem efficitur nostram religionem nutare, quandò in editione vulgatâ contrà mores aut fidem mendacium aliquod contineri negavimus, neque nostra fides interpretatione nititur, nisi cum fontibus comparata, atque ex illis ubi opus erit præsertim Ecclesiæ catholicæ judicio castigata : quod diligenter censeo considerandum. Porrò nihil esse in divinis libris, quod ad fidei dogmata non spectet, eatenùs verum est, si minutissima quæque ad ea revocari intelligatur : certè dogma illud, *Deum esse veracem in omnibus dictis suis*, in divinis libris ne minimum quidem medacium esse ; alioqui multa sunt, quibus nullum peculiare dogma explicatur, in quibus erroris aliquid in editione nostrâ esse, absurdum non arbitrantur : in fontibus, undè ii errores corrigendi sunt, vel levissima quæque vitio carent, ne Deo mendacium tribuatur, quo dictante divini libri sunt conscripti, interpres humano ingenio nixus, in quibusdam certè labi potuit. De postremo argumento alios audire mallem, quàm ipse pronuntiare. Sed novi Testamenti libri, *Matthæi Evangelium, et Epistola ad Hebræos*, de quibus est disputatio, Lucam aut Clementem interpretes habuerunt, viros Apostolicâ auctoritate, et cum ipsis scriptoribus sacris sapientiâ fideque comparandos. De veteris Testamenti libris idem judicium esto, tametsi

ignoretur à quibus conversi sunt, et est antiquitas omnis occulta sanctaque. Nam neque est traditum, quâ diligentiâ illi libri fuerint à veteribus in numerum divinorum librorum relati, et idoneam tamen fuisse adhibitam existimare et confiteri necesse est, neque in his libris vel levissimum errorem contineri, ne interpretis quidem culpâ, nisi fortè librariorum vitio aut incuriâ, quos majori diligentiâ castigare opus est.

CAPUT XXIV.

Ratio castigandi codicis editionis vulgatæ.

Magnâ prudentiâ opus habet, gravi judicio, quicumque editionis vulgatæ codices castigare aggrediatur, cùm multa in eâ sint quæ à fontibus hebraicis græcisque codicibus discrepare videntur, illorum potiùs vitio quàm interpretis, uti superiùs dictum est, non pauca in hebraicis et græcis libris hominum incuriâ aut malitiâ esse depravata, aut quoniam interpreti fuit propositum, sententiam exprimere, non numerare verba; quæ si immutare quis velit, rem is stultissimam faciat. Cujus rei innumera exempla exstant, sed pauca quædam afferenda sunt. Ps. 2, quo loco legimus: *Apprehendite disciplinam*, uti græci codices habent, et Hieronymus in suâ versione ex hebraico posuit: *adorate purè*, ipsemet commentariis in Psalmos: *Osculamini filium*, sive *adorate filium*, reddendum putavit; et lib. 1 adversùs Ruffinum, utrumque se fuisse secutum ait, nimirùm verbis mutatis, sententiâ non aliâ. Osculo enim adoratio olim exhibebatur, sive quo manum suam quis osculabatur alterius vicariam, cui adoratio exhibebatur juxtà illud Job cap. 31, vers. 26: *Si vidi solem cùm fulgeret, et lunam incedentem clarè, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, et negatio contrà Deum altissimum.* Apuleius etiam eum morem fuisse docet, ritumque adorandi, Apolog. 1, et lib. 4 de Asino. Plinius lib. 18, cap. 2, ad calcem: *In adoratione*, inquit, *totum corpus circumagimus, et manum ad oscula admovemus.* Tùm Minutius in Octavio initio: *Cæcilius*, ait, *simulacro Serapidis denotato*, ut vulgus superstitiosum est, *manum ori admovens osculum labiis pressit.* Sive alterius manum qui adorabat, osculabatur, significans ab ejus manibus beneficium expectare, id significat: *Osculamini filium*, in Psalmo, quam alii sententiam expresserunt verbis aliis: *Apprehendite disciplinam*, sive *adorate purè.* Et in Theodoreto, lib. 5 Hist. cap. 16, invenio *osculandi* voce venerationem significari, quod interpres non satis considerâsse videtur, cùm græca sic reddidit: *Imperator autem*, nempè Theodosius, *ratus Amphilochium oblitum officii, jubet ad filium accedere, illumque osculari*, cùm dicere potiùs debuisset: *illumque venerari.* Locus alter ex Jeremiæ Lamentationibus sumi potest cap. 4, vers. 7, ubi Hieronymus dixit: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo*: quam interpretationem Pagninus reprehendit in dictionario: « *Hieronymus*, inquiens, *rubicundiores ebore antiquo*, supple *convertit*; sed non convenit huic loco, quia ebur est candidum et non rubrum; » nimirùm studio reprehendendi suam ipse inscitiam prodidit vir alioquì doctus et gravis. Olim enim consuetudo fuit ebur purpurâ infificere, quod ex Virgilio deprehenditur, 12 Æneidos: *sanguineo veluti violaverit ostro.* Tingendi ebur causam Ovidii 2 Elegiarum expressit, nempè ne ævo flavesceret: *Aut quod non longis flavescere possit ab annis, Mæonis assyrium femina tingit ebur.* Ad eam autem consuetudinem antiquam Hieronymus allusit, cùm dixit: *Rubicundiores ebore antiquo*, id est, ebore quod olim rubro colore tingebatur, de voce hebraicâ nihil sollicitum, quâ gemmæ genus significatur rubræ; et cùm opinionibus Hebræi variarent, qualis ea gemma esset, aliis verbis maluit sententiam explicare, quam septuaginta Interpretes partem quasi foveam reliquerunt intactam, ac verò penitùs prætermiserunt vim hebraicæ vocis. Tertius locus ex Prov. est, cap. 26, ubi nostra editio vers. 8 habet: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ità qui tribuit insipienti honorem*; græcè et hebraicè pro *acervo Mercurii, cumulus* tantùm ponitur sive *funda*; et à Hieronymo procul dubio *Mercurii* vox est addita, sententiâ conservatâ, quâ rem vanissimam facere significavit Salomon, qui tribuit stulto honorem, non secùs atque qui promiscuè lapidem in cumulum aliorum lapidum mittit, aut fundâ in incertum jacit, idipsum eleganter Hieronymus expressit, alludens ad morem antiquum, quo Mercurii statuam in triviis collocare consueverunt intrà lapidum cumulum, cui viatores, quasi viam monstraret, aut serta imponebant, aut lapides cumulo addebant. Hunc morem elegans poeta ex parte expressit emblemate:

In trivio mons est lapidum: supereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenùs.
Mercurii est igitur tumulus, suspende, viator,
Serta Deo, rectum qui tibi monstrat iter.

Id ergò Hieronymus expressit, rem vanissimam facere, qui stultum honorat, perindè ac

qui mittit lapidem Mercurii ad statuam honorandam. Quid quòd communi proverbio inter Hebræos usitatum est, *Mittere lapidem in Mercurium*, quem ipsi *Marcolis* vocant, ad significandum genus et formam impii cultûs. Auctor Elias in Thisbi dictione, מרקוליס. Stultè ergò quis harum et similium rerum ignoratione editionem nostram accuset, aut etiam castigandam putet quasi à fontibus discrepantem? Itaque magnâ cautione esse opus, neque facilè interpretem accusari debere proposita exempla satis declarant. Quartum accedat ex Isaiâ cap. 22, vers. 17: *Dominus asportari te faciet, sicut asporta ur gallus gallinaceus;* haud facilè enim in dictionariis invenies vocem hebraicam, *Gheber*, significare gallum, quod secutus vir doctus commentariis in eum prophetam reddi malebat: *Asportari te faciet Dominus, sicut asportatur vir*, sive asportatione viri, nimirùm cùm in captivitatem agitur. In quo certò nihil præcipuum erat, quo enim alio modo asportari deberet? Et nos superiùs indicavimus hebraicâ voce gallum etiam significari ex Rabbinorum sententiâ, quod potuit multis in aliis vocibus contingere, ut earum veteres significationes interciderint, quod in latinâ etiam linguâ contigisse consideramus. Quis enim hoc tempore plerasque voces novit aut significationes, quamvis peritus latinitatis à Nonio Marcello et Festo Pompeio in eorum dictionariis collectas? *Quid millus sit, quid petimina, bulgæ, bulima, Capronæ, Cesticillus, flammearii, grallatores, mustricola*, quâ quidam dixit: *mustricolarum in dentes impingam tibi.* Quod si in linguâ latinâ vix hæc à peritis noscuntur, multaque alia penitùs interciderunt, quid putes hebraicæ contigisse, reconditæ inprimis et antiquissimæ? Sit ergò fixum non temerè, nec facilè nostram editionem accusari debere. Quòd si error est apertus, aut interpretis inscitiâ incidit, aut librariorum incuriâ; hæc enim conjecturis assequi difficile non est: errata primi generis si quæ sunt, nullus privatâ auctoritate castigare debet, neque immutare illud Sapient. cap. 4, vers. 3: *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*, sicque locus mansit in Lovaniensibus Bibliis et Romanis Sixti, et cap. 12, vers. 18: *Cùm ergò sis justus, justè omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri condemnas, et exterum æstimas à tuâ virtute*, quamvis absonam sententiam continere videatur. Nam interpres græcos codices corruptos secutus videtur; nullus immutare debet, quod Lovanienses tamen fecisse video ex græcis codicibus, qui vulgò circumferuntur, immutantes hoc modo: *Ipsum quoque qui non debet puniri condemnare, exterum æstimas à tuâ virtute;* neque dubito commodiorem hanc lectionem esse superiori, quam Romani etiam sunt secuti. Sed nescio an præscindenda licentia ea sit, quoniam veteres codices vulgatæ, Gothici etiam, Complutenses, Regii in diversam lectionem conspirabant; sic etiam legit Gregorius, libro 3 Moralium cap. 11. Neque in Amos prophetâ *sycomoros*, neque in Jonâ *hederam* mutâris, tametsi constaret voces hebraicas utroque loco longè aliam habere significationem. Quòd si error consideratus in editione vulgatâ librariorium incuriâ contigit (quod facilè deprehendimus cùm detractione aut additione alicujus litteræ, aut vocis facili immutatione veram lectionem restitui posse animadvertimus); siquidem in vitiosam lectionem omnes codices conspiraverint, privatâ auctoritate immutanda non est, neque sine offensione multorum et animorum motu consueta relinquimus, præsertìm in libris divinis; itaque Gen. cap. 13, Seth et Loth, *qui erat cùm Abraham*, vers. 5, legendum esset: *qui ierat cum Abraham*, sic enim hebraica et græca habent, et fuit facilè librariis unam litteram intercidere. Et cap. 38: *Mortua est sua uxor Judæ*, legi deberet: *mortua est filia sua uxor Judæ*. Psalm. 34, *qui maligna loquuntur super me*, legendum erat: *qui magna loquuntur super me;* multaque alia id genus à Lindano errata animadversa, lib. 3 de optimo genere interpretandi cap. 9. et sequentibus, immutari non debent; antiquis enim et consuetis hominès stare malunt etiam ubi vitium constat. In quo complutenses codices accusari possent; innumeris enim locis veterem lectionem immutârunt, non ex aliorum exemplarium collatione, id enim dissimulari poterat, sed ex hebraicis et græcis fontibus: tametsi iis Bibliis edendis cardinalis Hispaniæ prudentissimi accessit auctoritas, romani Pontificis voluntate fortassis etiam adjuta. Sed multis tamen locis veterem lectionem mutârunt, ex quo numero quædam proferre convenit. Psalm. 41: *Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum*, illi posuerunt: *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum:* Sic enim græcè et hebraicè legimus, et facile fuit librario unius litteræ permutatione pro *forti fontem* dicere: secuti sunt alii, præsertìm, cùm *sitiendi* verbum magis cum fonte videretur convenire. In Bibliis romanis Sixtus quidem *fontem* reliquit; Clement. *in fortem* mutavit. Sic Psalm. 105, vers. 39: *Infecta est terra in sanguinibus*, mutârunt: *Interfecta est terra in sanguinibus.* Quæ

multò commodior lectio erat cum hebraicâ תחבב, græcâque ἐρημοκατανύξει, consentiens, nisi diversa lectio usu recepta fuisset, quam video etiam Lovanienses immutâsse ac dixisse : *interfecta est terra*, fortassè adjutos veteribus exemplaribus, retinuisse prudenter Romanos : quemadmodùm Isaiæ cap. 24, vers. 5, simili immutatione, ut arbitror, dictum est: *Terra infecta est ab habitatoribus suis;* nam codex gothicus habebat : *interfecta est*, et idem verbum quod superius erat; sed locum hunc Complutenses intactum reliquêre; immutârunt Psalm. 106, vers. 40, ubi nos vulgò legimus : *Effusa est contentio super principes;* illi substituerunt pro *contentione contemptionem*, græcis ἐξουδένωσις, et hebraicis codicibus adjuvantibus, ubi ponitur : *contemptus.* Psalm. 113, vers. 147, *Præveni in maturitate*, illi dixerunt : *præveni in immaturitate*, inducti voce græcâ ἀωρία, quæ intempestivum significat intempestamque auroram, quod latinè dicimus . *intempestâ nocte :* consentit hebraica vox, et veram esse complutensem lectionem indicat, si tamen æquum fuit usu receptam lectionem mutare. Quod Isaiæ etiam cap. 60, vers. 4, fecerunt, ubi nos legimus : *Filiæ tuæ de latere surgent*, mutantes ac legentes : *filiæ tuæ in latere sugent*, propter verbum hebraicum, quod nutrire significat. Mittimus alia, plures enim sexcentis locis immutatos consideravimus, et ex Psalm. 13 octo omninò versus à Paulo ad Romanos cap. 3 citatos, ex eo penitùs detractos consilio, quod hoc loco neque accusare volumus neque laudare, aliorum de eâ libertate vetera mutandi judicium esto. Nos quâ viâ cœpimus progredientes hanc disputationis partem absolvamus, adjicientes ubi latini codices variârint eam esse præferendam lectionem, quæ magis cum prototypo et fontibus convenit, etiamsi diversa lectio in pluribus codicibus exstet, atque adeò Genes. cap. 8, vers. 7, *Dimisit corvum qui egrediebatur et revertebatur*, ut est in Bibliis gothicis et complutensibus, verior lectio haberi debet, tametsi in multò majori codicum numero adjectâ negatione legatur : *Egrediebatur et non revertebatur.* Daniel cap. 9, vers. 26 : *Et post hebdomadas septuaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus;* quod sequitur, *populus qui eum negaturus est*, addititium existimari debet, quoniam in gothicis deerat, in Benedicti Bibliis obelo erat jugulatum : quemadmodùm in hebraicis fontibus non legitur, et ex margine in contextum transiisse videtur, cùm alioquì oratio deficiens videretur. Quòd si ex prototypo, ex variis lectionibus codicum latinorum, quæ sit germana dijudicari nequit, ea præferatur quæ sententiæ magis inhæret, magisque convenit cum ejus loci circumstantiis antecedentibus et consequentibus, quod dictum ad varias etiam lectiones codicum hebraicorum et græcorum accommodari potest. Postremò, siquidem hâc ratione certi aliquid statui non possit, ea lectio præferri debet, quæ plurimùm codicum antiquorum et fide dignorum consensione fuerit adjuta, præsertìm si veterum Patrum accedat auctoritas, ex quorum scriptis in variâ codicum lectione, quæ sit præferenda, dijudicari potest. Summè magno judicio opus est, magnâque prudentiâ ad castigandum divinæ Scripturæ libros : ac præsertìm præcipua animi pietas et modestia adhibeatur, proculque sit contradicendi libido, novaque atque inaudita inveniendi. Quod in Bibliis Romæ recens editis observatum certò credimus.

CAPUT XXV.

De novis versionibus.

Decreto Tridentinæ synodi minimè adversantur, quicumque novas versiones adornant aut adhibent, iisque utuntur præsertìm studio explicandi veteris et vulgatæ editionis obscura loca, ambigua verba, linguarum idiomata, et inter varias denique quæ in eâ occurrunt, lectiones dijudicandi quænam præferri debeat. Sola quidem editio vulgata pro authenticâ haberi debet, nemoque illam rejicere impunè audeat; sed neque versiones aliæ latinæ repudiantur eo decreto, quæ nostrâ et parentum ætate magno numero prodierunt, linguarum peritiâ copiâque librorum post inventam artem æncis formis libros evulgandi, multi sacros libros interpretari aggressi sunt, non eodem omnes studio, quidam rerum novarum cupiditate, et ut sectæ placita quasi divinis libris consentanea confirmarent, de quorum studio agere non est opus, quid enim afferre possent utilitatis pravi homines atque nefarii? Alii ad eruditionem ostentandam et ut nostræ editioni convitium facerent, quasi multis maculis fœdæ, eum laborem sumpserunt : Erasmus novi Testamenti interpretatione et annotationibus; Valla et Faber editis annotationibus aut commentariis : quos imitari profectò non debemus omni supplicio vindicandos potiùs conatus; et erat ingenii moderati ac pii animi, si quæ vitia inoleverant temporum culpâ, ea excusare potiùs, aut leviter castigare, quàm videri velle Ecclesiæ negligentiam suis scriptis accusare, quasi indormientis diù, altùmque stertentis. Ego in interprete divinarum Scripturarum mo-

destiam præcipuam cuperem; atque quo ad græca et hebraica paterentur, studium editionis vulgatæ defendendæ, ex variis lectionibus græcis aut hebraicis prælata eâ quæ nostris codicibus favere maximè videretur, et ubi in fontibus nulla esset varietas, ex eorum verbis excutere conaretur sententiam nostræ editionis: quod fieri plurimis locis facilè posse magnis experimentis comprobatum habeo; atque in eo genere cum laude *Genebrardus* monachus Benedictinus, æqualis noster et amicus, commentariis in Psalmos laboravit, quod utinam in reliquis libris sacris præstitisset, undè laudem omni ex parte cumularet, fructusque perciperentur uberrimi: nam plerosque alios in hâc re defecisse video, eos etiam qui majori modestiâ in opere versati sunt, *Pagninus*, *Fabricius*, alii quos honoris causâ nominare nolui, neque eorum peccata omnia proferre hoc loco erat propositum. Quædam tantùm exempli causâ subjicientur, nullâ accusandi voluntate, sed explicandi tantùm quid in eis à plerisque desideretur. Ac primùm Job cap. 19, quo loco nos legimus: *et rursùs circumdabor pelle meâ*, quibus verbis, uti Hieronymus ad Pammachium affirmat, testimonium omnium quæ in veteri Testamento exstant, apertissimum continetur, ad confirmandum corpora in vitam reditura, Pagninus ità suâ interpretatione invertit, ut ne vestigium quidem tantæ rei supersit cum hebraicâ; ità interpretatur: *Et postquàm pellem meam contriverunt hanc*, cùm potuisset nostræ interpretationi consentaneè locum reddere, et verbum hebraicum *Nakaph* in significatione involvendi seu circumdandi ponere, quemadmodùm Job 1, vers. 5, dictionem הקיפו, ipsemet posuerat in significatione *circumdandi*, *et fuit*, *cùm circumvoluti essent dies convivii*, quam vocem à *Nakaph* et à à *Jakaph* deduci juxtà rationem grammaticæ posse constat, et utrumque verbum in significatione *circumdandi* quibusdam etiam dictionariis invenio. Prætereà *Leo Judæ*, quamvis hæreticus, eâ versione quæ circumfertur cum Bibliis Roberti Stephani, et Tigurina alio nomine est, sic locum reddidit: *Postquàm verò circumdederint*, hoc scilicet corpus, *meâ cute*, *spectabo Deum*. Et Galatinus, lib. 3 contrà Judæos, cap. 27, et ipse hebraicè doctissimus eamdem significationem secutus dixit: *Et posteà pelle meâ involventur ista*. Quod si paulò duriùs videatur pro singulari pronomine זאת, numero multitudinis reddere ista, tametsi in hebraicâ linguâ usitatum id est, sic locus verti possit: *Et posteà pellem meam involvent*, seu *circumdabunt hanc*, supple *mihi*, quo resurrectionis mysterium manifestè exprimitur. Video septuaginta Interpretes locum etiam invertisse cùm dixerunt: *Scio ego quòd æternus est*, qui solvere me debet super terram suscitare pellem meam, quæ tolerat hæc, et ubi nos habemus: *et in carne videbo Deum*, illi posuerunt: *ab enim Domino hæc mihi confecta sunt*. Quo modo antè Hieronymum in antiquâ editione latinâ locum fuisse conversum Augustinus indicat, lib. 22 de Civit. Dei, cap. 29, cùm juxtà codices ex hebræo legi ait: *Et in carne meâ videbo Deum*. Verùm in iis verbis mysterium resurrectionis quantumvis immutatis aliquâ ratione conservatur; in Pagnini versione nullo modo. Deindè Psalm. 15, vers. 10, ubi nos legimus: *Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem*, Pagninus: *Non relinques animam meam in sepulchro, neque permittes misericordem tuum ut videat corruptionem*. Arias pro *corruptione*, *foveam* substituit, atque in Idiotismis affirmavit eo loco *animam* pro *corpore* sumi, hâc sententiâ: non derelinques corpus meum in sepulchro, quomodò Theodoretus Beza, Calvini successor, Act. cap. 2, ubi à Petro Apostolo is locus ad confirmandam Christi resurrectionem citatur, pro nostrâ lectione posuit: *Non derelinques cadaver meum in sepulchro*, aliis verbis sententiâ non aliâ. Quâ interpretatione loci vis enervatur penitùs et corruit, quo uno vel maximè *descensus Christi ad inferos*, ex sacris litteris comprobatur: quid enim commercii habet cum descensu ad inferos corporis et sepulchri commemoratio? Neque potuit ea interpretatio alieno magis tempore, ut esset verissima, à viro catholico prodire, quàm cùm adversùs hæreticos concertatio est Christi descensum ad inferos penitùs repudiantes, explicantes aliter quàm Ecclesia ab omni memoriâ judicavit. Porrò nobis cum hæreticis dimicantibus prodire ex adverso è Catholicorum numero, qui secundùm hæreticos litem det, quàm sit turpe et indignum nemo non videt.

Verùm ne in hâc parte severior esse videar, quàm pro rei magnitudine, Sanctis episcopi Ebroicensis, viri eruditi, juxtà ac pii verba subjiciam de hâc interpretatione contrà Bezam disputantis libro *de veritate Eucharistiæ*, repetitione 4, cap, 11, pag. 162: *Accedemus*, inquit, *ad Bezæ æquè impiam arrogantiam, quì sacram illam ex Lucâ Scripturæ auctoritatem de descensu Christi ad inferos non veretur violare et corrumpere, et in sensum contrarium articulo fidei convertere*. Itaque quod apud Lucam est: ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις

ψυχὴν μου εἰς ἅδου, ità transfert Latinè : « Non « derelinques cadaver meum in selpuchro, nec « sines sanctum tuum sentire corruptionem. In « primis miramur hominis impiam audaciam, « qui septuaginta Interpretum et Evangelistæ « Lucæ versionem ex hebræo in græcam lin- « guam contemnat, et Judæos imitari malit, « quasi Spiritus sanctus Rabbinos inimicos « crucis Christi magis afflaverit, quàm septua- « ginta Interpretes et Evangelistas ; ità homines « trium hebraicarum litterarum, aut græca- « rum oculos Evangelistis configunt, ac Spi- « ritum sanctum ipsis adimunt, quem sibi « non pudet vindicare ; ac plus auctoritatis « hostibus Christi quàm Evangelii scriptoribus « et assertoribus differre. Deindè miramur eò « progredi hujus bestiæ ferociam, ut existimet « se acutiùs videre ac magis sapere, quàm « omnes qui hactenùs vixerunt, Christianos, « neque eos quidem excipio quos duces ad « hæresim habet ; nemo sanè veterum, nemo « recentiorum, qui alicujus nominis sit, sicut « Beza latinè reddidit, ne quidem Genevensis « editio per Calvinum toties recognita audet « à veteri versione recedere. » Hactenùs Sanctes, quæ omnia verba contrà hanc Ariæ interpretationem dicta esse lector interpretetur. Denique *Calvinus*, *Castalio*, *Bucerus*, *Musculus*, *Gualterus*, quamvis hæretici, ausi non sunt hunc locum ad *corpus sepulchrumque referre*. Solus Pagninus, eumque imitatus *Leo Judæ*, posuerunt : *Non derelinques animam meam in sepulchro*, et Vatablus in annotatione exposuit *animam*, id est *cadaver meum*, si tamen eæ annotationes in septuaginta Psalmos Vatabli sunt, et non alicujus hæretici, quod potiùs arbitror. At dices *animam* aliquandò pro *corpore* sumi ; sit sanè, tametsi Sanctes episcopus eo loco perneget ; sed non continuò colligas hoc loco *animam* usurpari pro *corpore* : oportet enim locis Scripturæ explicandis Patrum sententiam et Ecclesiæ mentem consulere, quæ ab Spiritu sancto regitur. Contendas rursùs vocem *Seol*, pro *sepulchro* poni propriè, neque inferos significare, nisi metaphoricos, nam hoc Arias in responsione ad Leonem affirmavit : non hærebo, tametsi Genebrardus hebraicè doctissimus, 3 de Trinit. num. 38, multis Rabbinorum testimoniis confirmat, vocem *Seol*, propriè significare infernum, ac nisi vocis abusu in significatione *sepulchri* non poni : cæterùm aliud est, quid ea vox significare possit, aliud quid hoc loco significet. Lucas certè et Septuaginta ἅδην interpretati sunt, quæ vox manifestè *infernum* significat. Et vide quanta sit perversio judiciorum et contradicendi Ecclesiæ libido. Psalm. 9, vers. 18, ubi nos legimus : *convertantur peccatores in infernum*, in hebræo est לשאולה, quam vocem *gehennam* significare eo loco *Rabbi D. Kimhi* affirmat, idque indicare ait, *he*, littera quæ in fine redundat, nempè secundam mortem : verba ejus subjecissem, sed codex ad manum non erat. Quid verò Vatablus ? *infernum* ibi pro *sepulchro* poni putat, ejusque atque Pagnini judicium Arias secutus, posuit : *Revertantur impii ad sepulchrum*, quæ malum, tanta ista temeritas contradicendi ut hostibus etiam defendentibus Ecclesiæ lectio et auctoritas convellatur ? Penè præterierat, interpretem syriaci Fabricium, tomo 3 Bibliorum Regiorum locum alium ex primâ Petri cap. 3, vers. 19, eâdem audaciâ depravare, quo tamen nonnulli ad confirmandum Christi ad inferos descensum uti consueverunt ; et ubi latinè græcèque legitur : *In quo et his qui in carcere erant spiritu veniens prædicavit*, quem carcerem volunt esse infernum ubi patres detinebantur, illum posuisse : *Et prædicavit animabus illis, quæ detinebantur in sepulchro*, nimirùm voce *Seol*, quæ in syriaco est, et nostræ causæ mirum in modum favebat, Ariæ imitatione in *sepulchri* significatione explicatâ, in quo miror hominem non considerâsse nullas esse in *sepulchro* animas, et si *animam* pro *corpore* sumi voluit, *corpora* mortua non audire prædicantem, et multò simpliciùs verti potuit : *et prædicavit animabus illis quæ detinebantur in inferno* : quam lectionem à Cyrillo quodam in loco græcè etiam usurpatum esse memini, sed nimirùm, hi homines ad Bezæ opinionem propensi esse videntur, qui in annot. Act. cap. 2, vocem *Seol*, negat usquàm *infernum* significare, qui gradus est ad affirmandum nullam de inferno in veteri Testamento mentionem esse factam, à quâ tamen opinione procul abesse Ariam mihi planè persuadeo. Jam quod in ejus versiculi secundâ parte posuit : *Nec dabis misericordem tuum videre foveam*, eòdem pertinet, tametsi in responsione ad Leònem excusare conatus sit *foveam* se pro corruptione usurpâsse, quod non est consentaneum : nam vox scheol, et *foveam* significat, et *interitum*, nec erat quod *foveam* diceret, si *interitum* volebat intelligi : et Leo Judæ, undè ipse eam interpretationem desumpsit, *foveam* pro *sepulchro* posuit, ut Vatabli annotatio explicat, neque eo loco tantùm, sed etiam Genes. cap. 44, ubi Arias dixit : *Descendere facietis canitiem meam cum malo ad sepulchrum*, Leo Judæ : *cum malo*

in foveam. Non erat ergò quod Arias comminisceretur pro corruptione capi, sed nimirùm totum locum voluit ad *sepulchrum* referre, in quo Christi corpus diù mansurum fore negatur. Quantò simpliciùs et veriùs Damascenus lib. 3 de fide Orthodoxâ cap. 28, quoniam Septuaginta posuerunt: οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σοῦ ἰδεῖν διαφθοράν, ait, φθοράν, mortem quidem significare quam Christus expertus est; διαφθοράν, id est, *secundùm corruptionem*, Christum non sensisse, cùm corpus ejus non fuerit in saniem cineremque redactum, quod tametsi non usquequaque servari videam, nam Psalm. 29, vers. 10, ubi de Christo dicitur: *Quæ utilitas in sanguine meo, dùm descendo in corruptionem?* Dictio διαφθορὰ legitur etiam, tamen satis ostenditur longè aliter quàm ab Ariâ eum locum fuisse à Damasceno intellectum. Augustinus sic totum locum explicat: *Quoniam neque animam meum inferis possidendam dabis, neque sanctificatum corpus, per quod ità, sanctificandi sunt hi, corrumpi patieris.* Hieronymus: *Non derelinques, quia propterea illùc descendit, ut electos suos indè ejiceret, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* non de corruptione corporis Christi in sepulchro dicit, sed de cæterorum sanctorum. Vides certè hunc locum non totum de corpore, neque de sepulturâ totum olìm à Patribus intellectum atque explicatum fuisse. Censeo ergò hos locos castigandos omnes esse in versione Psalmorum in idiotismis, et 1 Petr. cap. 3, ac ne parcendum quidem Vatablo et Pagnino. De Psalm. 15 satis multa dicta sunt; ad 44 transeamus, cujus vers. 8: *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ:* quem et Paulus adduxit, eoque est, ad Christi divinitatem confirmandam ad Hebr. cap. 1, usus. Majores nostri, veteris Ecclesiæ lumina, in Deo duas esse hypostases, et Patrem qui ungit, distinctum esse à Filio qui ungitur, frequentes confirmârunt. Ambros. de fide lib. 1, cap. 2: Habes, inquit, in Psalm. 44, Deum Patrem et Deum Filium declaratum, ait enim: *Unxit te Deus, Deus tuus, Deus est qui unxit, et Deus qui secundùm carnem ungitur Dei Filius.* Hilarius, lib. 4 de Trinitate, eodem loco producto, *Ungitur*, inquit; multa in eamdem sententiam, et lib. 11: *Deus à Deo suo præ consortibus suis secundùm humanitatem*, atque his consentanea. Orig. contrà Celsum lib. 1, Athan. de unito nomine sanctissimæ Trinitatis, et oratione 2 contrà Arianos, Irenæus lib. 3, cap. 6, tùm Augustinus contrà Maximinum Arianum, lib. 1 et lib. 3. Addit Hieronymus epistolâ ad Principiam virginem, Aquilam, vocem hebræam *Elohim* vocandi casu, *thee*, græcè reddidisse, seque ejus imitatione distinctionis gratiâ posuisse, *dee*, nimirùm, ut verba quæ præcesserant interpretaretur: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi.* Hieronymi verba adscribimus: *Duas personas ejus qui unctus est Dei, et qui unxit, intellige. Undè et Aquila Elohim verbum hebraicum non nominativo casu sed vocativo interpretatur dicens,* θεέ, *et nos propter intelligentiam, dee, posuimus, quæ latina lingua non recipit: ne quis perversè putet, Deum dilecti et amantissimi et regis bis patrem nominari.* Ad hæc Isidorus, lib. 1 contrà Judæos, cap. 3, eodem versu producto, adjungit: *Quis est igitur iste Deus unctus à Deo? Respondeant nobis Judæi. Ecce Deus unctus à Deo dicitur, et utique Christus ipsâ unctione monstratur cùm Deus unctus insinuatur: dùm enim audis Deum unctum, intellige Christum: Christus enim à chrismate, id est, ab unctione vocatur.* Quæ eò pluribus verbis explicata sunt, ut intelligatur quàm imprudenter Pagninus (neque enim malo animo quidquam fecisse puto) hujus argumenti vires debilitârit, cùm in suâ versione dixit: *Propterea unxit te Dominus, Deus tuus, oleo lætitiæ,* quod enim vestigium duarum personarum eâ interpretatione susceptâ relinquatur, cùm utraque vox *Dominus Deus* in nominandi casu ponatur, et ad Deum ungentem referri tantùm possit? Et potuit considerare eamdem vocem *Elohim* in hebraico geminari, ut in latinâ linguâ eamdem geminationem ejus vocis latinè exprimeret, nam quibus locis *Dominus Deus* latinè ponitur in nostrâ editione vulgatâ, non unum Dei nomen geminatum, sed duo in hebraico respondent. Excuset aliquis Pagninum, quòd eo psalmo, et in Paulo græcè legatur ἔχρισέ σὲ ὁ θεὸς ὁ θεὸς σοῦ, utrobique nominandi casu, non vocandi. Verùm Psalmi hebraicè sunt scripti, et Epistola ad Hebræos. Græcus ejus epistolæ interpres locum posuit, ut in Psalmis græcè expositum invenit, neque volebamus ut cum Hieronymo priori loco poneret *Dee*, aut cum Aquilâ Græcè θεέ, tantùm quandò hebraica vertebat, eamdem Dei vocem, ut est in hebraico, geminaret dicens: Deus, Deus tuus, quod æquum profectò erat et consentaneum. Quod si quis vocem Deus priori loco positam accipere vellet in nominandi casu, certè ex ipsâ geminatione vocis convinceretur duas personas nominari Patris et Filii, qui Christum ut hominem unxerint. Deniquè frequenter in divinis libris græcè

nominativus pro vocativo sumitur. *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* et *Deus, Deus meus, respice in me.* His et aliis locis græcè nominativus est, sed vocativi vim habens. Quod ipsum eo loco Psalmi 44 dicere quid vetat? Multa alia notari poterant, et certè breviter quædam alia horum interpretum peccata attingenda potiùs sunt quàm explicanda. Psalm. 21, ubi nos legimus : *Foderunt manus meas et pedes meos*, vers. 17, quod nemo antiquorum interpretum, ne recentium quidem, immutare ausus est, constat hebraica esse corrupta, utì superiùs dictum est, et pro *Caari*, legendum *Carù;* unus Arias ausus est reddere : Sicut leo manus meas et pedes meos, in eo à Pagnino discedens, cujus etiam interpretationem, *foderunt manus meas*, rejecit ad marginem, ipsamque hebraicam vocem aliter posuit, quàm restituta erat in Bibliis complutensibus, neque punctis iisdem in tertio et septimo tomo regiorum Bibliorum nonnullo inconstantiæ argumento. Tum Psalm. 109 : *Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, vers. 4, Arias dixit : *secundùm verbum meum Melchisedech;* cùm Paulus ad Hebr. cap. 5, vers. 10, de Christo citaverit ad probandum aliam sacerdotii rationem in novo *Testamento* fore diversam à veteri : quòd si verbis inhærere voluit, debuit in mentem venire vocem *dibrath*, ipsummet in dictionario posuisse in significatione consuetudinis et moris, et Pagninus reddidit : *Secundùm morem Melchisedech*, quo minùs oportebat veterem lectionem tantoperè immutare, ut alia sententia redderetur. Prætereà, Proverb. cap. 30, vers. 19, ubi nos legimus : *Viam viri in adolescentiâ;* et commodiùs septuaginta Interpretes et Chaldæus dixerant : *viam viri in virgine*, quod Pagninus fuerat secutus, Arias substituit : *viam viri in puellâ*, nimirùm non consideravit (neque enim occurrunt omnia) in hebraico esse dictionem, *Halma*, quâ usus est Isaias, cap. 7, dùm dixit: *Ecce virgo concipiet;* et quâ nos ad probandam beatæ Mariæ virginitatem contendimus adversùs Judæos, non puellam promiscuè significari, sed absconditam, et ab oculis hominum subductam certè virginem. Molestum omnia, neque nobis id erat propositum, sed exemplis aliquot illustrare sæpè interpretes recentiores peccâsse, eos etiam qui majori modestiâ majorique laude divinos libros interpretati sunt. Mitto illud Genes. cap. 19, vers. 24 : *Pluit Dominus à Domino ignem et sulphur* : quo loco duas personas Trinitatis eâ geminatione vocis exprimi veteres censuerunt; novi interpretes Deum è cœlo aut à seipso pluisse, eâ loquendi formâ explicari tantùm contendunt Vatabl. in annot. Arias in Idiotismis. Mitto et Jerem. cap. 11, vers. 19, quo loco Ecclesia legit : *Mittamus lignum in panem ejus*, et veteres Christi crucem iis verbis exprimi contendunt; novi interpretes eludunt mysterium, de Jeremiâ dictum putantes, ac verba sic Hebraica reddentes Latinè, Pagninus : *Corrumpamus veneno cibum ejus;* Arias, *corrumpamus lignum in pane ejus;* Vatablus, *ligno cibum ejus*, de taxo intelligentes, arbore venenatâ quâ ii homines Jeremiam perimere satagebant. Cùm verbum, שחת, potuissent eo loco tueri, non in corrumpendi significatione sumi, sed mittendi, non auctoritate tantùm septuaginta Interpretum, Hieronymi, et chaldæi paraphrastis, non aliâ significatione id verbum exprimentium, sed etiam Rabbi David Kimhi, dicentis, commentariis in eum locum, *corrumpamus*, pro ponamus, quo modo Justinus contrà Triphonem dixit : *Venite, ponamus lignum in panem ejus*.

CAPUT XXVII.

De Rabbinorum libris.

Non minori quàm superiori animorum motu, neque minori sententiarum varietate disceptatur, disceptatumque est in Hispaniâ superioribus annis de libris Rabbinorum ac præsertim de eorum commentariis, quibus divinos libros hebraicè explicârunt. Plerique contaminari se atque scelere astringi putant, si eos aut legant patienter aut audiant, religiosi nimiùm inhærentes persuasioni vulgari, hostes esse nominis christiani, lethale venenum in iis libris contineri, utilitatis parùm, grave periculum ex eâ lectione incautis hominibus imminere, neque minùs esse fugiendos quàm hæreticorum libros perversis de religione opinionibus atque ineptis explicationibus divinarum Scripturarum non minùs fœdos, quod ex usu familiari confirmant, arrogantes evadere quicumque in his libris versantur, judaicis rebus et placitis plus æquo favere, contemnere nostra, majorum dicta convellere, quasi aniles fabulas, præsertim cùm sacros libros tractant, accusantes, ad allegorias eos confugere historiæ exiguâ curâ, cùm mysticæ significationes inhærere litteræ debeant atque ei consentaneæ esse. Alii quorum major eruditio est, et linguarum cognitio major hebraicæ atque græcæ, contrà tendunt negantes eorum librorum lectione arcendos esse theologos, undè magna commoda veniunt, periculi parùm aut nihil; quorum ra-

tionem copiosiùs explicare volo, quò faciliùs res difficilis et obscura intelligatur, et simulatæ veritatis præstigiæ detegantur. Si quis ad legendum expers veri atque ignarus accesserit, ab hoc humanitatis jure impetrare cupimus, ut universa diligenter cognoscat neque incognitâ causâ damnet. Sanè quæ decretis majorum, eorum certè quorum interest sancita sunt, ea hâc disputatione movere non erat animus: sed explicare tantùm ac confirmare ineptè facere et contrà omnia vetustatis exempla quicumque eorum librorum lectione promiscuè, atque in universum theologos arcendos arbitratur. Ac primùm satis constat hebraicæ linguæ cognitionem in primis utilem esse theologis, rationibus nostris salutarem, quippè in eâ multò maxima sacrorum librorum pars hominibus tradita est, atque ex eâ quasi ex fonte certa explicatio petenda est versionum quæ indè manârunt. Sic Clementinâ, de magistris cap. 1, sancitum est, ut in omnibus scholis publicis professores ejus linguæ constituantur, vectigali de publico designato; quod in plerisque videmus ab eo initio susceptum magnâ diligentiâ servari, in nonnullis etiam addita collegia magnâ ex parte ad alendos de publico juvenes, qui in ejus linguæ cognitionem diligenter incumbant aliâ curâ soluti. Constat etiam linguam hebraicam ex veteris Testamenti libris ut doceatur necesse esse, in quibus tantùm pura sinceraque conservatur: nec in eos libros alia commentaria hebraica exstare præter ea, quæ à Rabbinis sunt conscripta, quibus non modò sententia librorum sacrorum explicatur, sed plerumque etiam ratio grammaticæ. Quòd si addiscendâ linguâ græcâ, Commentaria in Homerum, Hesiodum, Pindarum aliosque id genus scriptores quæ græcè circumferuntur, necessaria sunt, magnumque detrimentum studio linguæ latinæ afferret, qui commentaria in Virgilium, Horatium, aliosque scriptores classicos de medio tolleret: non secùs arbitror magno incommodo fore, si Rabbinorum scripta promiscuè omnibus, præsertim hebraicæ linguæ professoribus atque viris doctis auferantur, neque magno usui erit eam linguam leviter attingere, ac non potiùs cognitam planè et explicatam habere: neque id Ecclesiæ est propositum, exigui enim fructus perciperentur, neque satis magnum operæ pretium esset. Porrò ex dictionariis absoluta alicujus linguæ cognitio non contingat, nisi aliorum librorum multa et assidua lectio accesserit diligensque observatio: id primum argumentum est. Alterum ex numero desumitur eorum, qui eos libros versare possunt, exiguo sanè, præsertim in Hispaniâ, in quâ provinciâ vix triginta inveniantur, quibus Rabbinorum libri usui esse possint, quæ res non paucos impulit ut cogitarent nullâ novâ lege opus fore eos libros prohibere exiguo periculo, non levi ex iis reipublicæ litterariæ utilitate, cùm sit commodum imprimis existere in republicâ quibus reconditæ artes librique noti sint, certè refellendi studio, si quæ placita aliena à religione atque veritate invecta à perniciosis hominibus atque incautis mentibus instillata fuerint, quo studio vel ipsas artes magicas nosse velle, ut confutentur et reprobentur licitum est, ut docet S. Thomas, quodlibet 4, art. 16, et Hieronymus in Daniel. 1, in illa verba: *Proposuit autem Daniel in corde suo ne polluretur de mensâ regis:* de mensâ, inquit, *regis*, *et de vino potûs ejus non vult comedere ne polluatur,* utique si sciret ipsam sapientiam atque doctrinam Babyloniorum esse peccatum, nunquàm acquiesceret discere quod non licebat. Discunt autem non ut sequantur, sed ut judicent atque convincant, quomodò si quispiam adversùs mathematicos velit scribere imperitus μαθήματος, risui pateat, et adversùm philosophos disputans, si ignoret dogmata philosophorum; discunt ergò eâ mente doctrinam Chaldæorum, quâ et Moyses omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat. Et alioquì quomodò ejus exemplo Ægyptios spoliabimus auro, argento, et veste pretiosâ, nisi eorum thesauris contrectatis? Quòd si in Hispaniâ de quâ potissimùm suscipitur disputatio (nam in aliis nationibus nulla disceptatio est), pauci modò inveniuntur qui in eorum librorum lectione versati sint, providendum ne his novis difficultatibus juvenes terreantur, nolintque dare operam ei studio atque linguæ, quam novâ invidiâ flagrare vident, ac in dies minor numerus existat paucique aggrediantur eam linguam addiscere, cujus libros præter sacros novâ infamiâ notari vident, majori rei litterariæ detrimento quàm ut facilè intelligi aut explicari possit. Neque sumus Hispani tantoperè id genus studiis addicti, ut fræno et non potiùs calcaribus egeamus. Omninò deberent potiùs juvenes arte incitari ad ea studia, ut linguarum ornamentum in Hispaniâ reciperetur, quibus nonnunquàm rempublicam indigere videmus; neque scio an quod ornamento est cæteris nationibus, nostræ impedire aliquâ ratione aut auferre conveniat his novis difficultatibus. Deindè antiquorum Patrum exemplum accedat, qui in Rabbinorum libris pro se quisque suâque ætate versati sunt, *Hierony-*

mus, Epiphanus, Origenes, aliique primis illis temporibus cum laude fructuque, de quâ re præstat Hieronymum audire, lib. 1 contrà Ruffinum accusantem, quòd viros hebræos suos magistros Hieronymus nominaret; excusat enim hebraicam linguam non ab aliis discere debuisse, idemque fecisse antiquiores Patres. Verùm verba ipsa Hieronymi præstabit subjicere. « Ipse Origenes, inquit, et Clemens, et « Eusebius, atque alii complures, quandò de « Scripturis aliqua disputant et volunt appro- « bare quod dicunt, sic solent scribere : Refe- « rebat mihi Hebræus, et, audivi ad Hebræo, et, « Hebræorum ista sententia est. Certè etiam « Origenes patriarcham Huillum, qui tempori- « bus ejus fuit, nominat, et trigesimum to- « mum in Isaiam, in cujus fine edisserit. Væ « tibi, civitas Ariel, quam expugnavit David, « illius expositione concludit, et cùm aliter « priùs sensisse se dicat doctum ab illo, id quod « est verius confitetur. Octogesimum quoque « nonum psalmum qui inscribitur: Oratio Moysi « hominis Dei, et reliquos undecim qui non « habent titulos, secundùm Huilli expositionem « ejusdem Moysi putat, neque dedignatur he- « bræam scripturam interpretans, per singula « loca, quid Hebræis videatur inserere. » Hactenùs Hieronymus. Neque solùm primis temporibus Patres cum laude in Hebræorum libris versati sunt, quibus divinos ipsi libros explicabant, sed posteriori etiam sine reprehensione atque periculo. S. Thomas legit, uti ex ejus scriptis perspicitur, librum More Rabbi Mosis, Ægyptii docti inprimis inter Judæos cùm in latinam linguam transfusus eâ ætate esset, quemadmodùm nostrâ. *Nicolaus Lira* eruditis commentariis in sacros libros passim Rabbinorum dicta sententiasque profert, atque eis utitur, quod ipsum Abulensis facit; et ut multa uno exemplo comprehendamus, annotationes in vetus Testamentum, quæ Vatabli nomine circumferuntur, quamvis sæpè hâc magnâ diligentiâ castigatæ, plura ipsæ ex libris Rabbinorum producunt atque explicant, quàm multi viri docti ex iis libris exsculperent, quòd ea lingua recondita sit et paucissimis nota. Neque movere debet, quod respondent nonnulli posse studiosos conatus suos juvare ex iis quæ latinè sunt reddita, sumpta ex Hebræorum libris; idem enim de græcâ linguâ sentireliceret, magnique refert ex fontibus potiùs haurire quàm ex rivis indè deductis, quibus ejus rei facultas erit exiguo semper numero. Neque dubium est, qui in eâ sunt sententiâ, atque ità loquuntur, eâ facultate carere, ac suspicari libet contemnere eos qui non assequuntur vitio naturæ humanæ, terroresque ostentare ubi nullum est periculum : certè in Hispaniâ quidam usque adeò sunt infensi litterarum humaniorum studiis atque linguarum, ut quod de hebraicâ dicunt, idem dicerent de græcâ atque latinâ paulò elegantiori, nisi multitudinis judicium formidarent, quorum conatus sequi profectò non debemus neque favere vocibus. Prætereà nullum hactenùs incommodum vidimus, nulli perniciem ex iis libris comparatam; contrà magna commoda ad divinos libros explicandos provenire, ut minùs necesse sit tàm severos judices in eos libros esse, ut de omnium manibus extorqueamus nullo delectu docti ineruditive : multi quotidiè de religione postulantur et gravissimis suppliciis subjiciuntur, neminem meminimus eorum librorum lectione contaminatum ad judaicas superstitiones transiisse, quæ res multos permovit, ut nullâ novâ lege opus esse judicarent : sicut enim morbos antè necesse est existere, quàm remedia eorum, sic peccata priùs nata sunt, quàm leges quæ iis mederentur. *Quid leges de adulteriis, de majestate,* nisi vitæ impuritas et contemptus magistratuum ac reipublicæ concitavit? Quid *repetundarum leges,* nisi corrupti judices datâ potestate ad perniciem abutentium? Quid alia? an parum est exploratum ex vitiorum eas fœditate natas? Præclarè nobiscum ageretur si legibus caverentur peccata potiùs quàm punirentur, quo nomine Persarum leges laudantur, sed neque quid cavendum sit, nisi ex alieno periculo perspicimus casuque, et optimæ illæ leges sunt quæ ex communi usu atque experimento nascuntur.

Scimus autem Hebræorum libros passim fuisse propositos in publicis scholarum et privatis monasteriorum bibliothecis in omnibus nationibus apud viros etiam cautos, qui suos aliorum librorum suspectorum lectione diligenter arcerent : scimus sæpè à Pontificibus romanis, tùm antiquis temporibus, tùm memoriâ recenti de Judæorum libris leges latas à Gregorio IX, Innocentio IV, Benedicto XIII, schismatis tempore : prætereà à Julio III, anno 1553, et à Paulo IV, anno 1559; nullâ lege invenias eos libros de quibus agitur fuisse reprobatos, quod eò dicimus, ut si qua lex de iis libris feratur aut lata sit, eâ moderatè utantur quorum interest, et constat homines antiquis stare malle quam novis, nisi quæ usus manifestè arguit. Et omnium provinciarum colorem unum esse, eosdemque mores verum est, in iis præsertim quæ ad religionem

spectant, quæ omnium communis est, neque pro locis et nationibus varia. Nam commoda quæ ex iis libris proveniunt, levia profectò non sunt : linguæ hebraicæ paraphrases undè nisi ex Rabbinorum libris? Num ex dictionariis? At qui ex dictionario sapit, parùm in linguis omnibus sapit, neque omnia possunt lexicis comprehendi, et frequenti potiùs variorum librorum lectione, linguarum peritia comparatur; vocum hebraicarum reconditas significationes ex Rabbinorum libris eruimus, quæ passìm nostræ causæ favent. Ritus judaicos et mores quorum magna pars in veteris Testamenti libris comprehenditur, undè commodiùs quàm ex eâ gente haurias, atque eorum libris? Quemadmodùm Græcorum ex græcis auctoribus eruimus, Romanorum ex romanis. *Quid de mensuris et ponderibus et numismatis Hebræorum commemorem?* Quarum rerum inscitiâ passìm laboramus. Scimus in veteribus Patrum libris id genus quædam tradi, sed pauca et obscurè, nempè confirmandâ religione magis quàm id genus rebus explicandis distincti erant. Multis exemplis cùm liceat hanc explicare, unum et alterum proferam : non uno loco de *Mammonâ iniquitatis* mentio fit, et ut de eo amicos faciamus præcipit Christus, Lucæ 16, vers. 19; multi in eâ voce explicandâ laborant, et multa comminiscuntur, explicando cur *mammona iniquitatis* dicatur, cùm simplicissimè mammona iniquitatis significet, *dona quibus judices corrumpuntur;* quod ex pluribus locis chaldaicæ paraphrasis observavimus, 1 Reg. 12, vers. 3: *si de manu cujusquam munus accepi*, chaldaicè : *accepi mammon iniquitatis*, quasi pauperes debeamus, quorum est regnum cœlorum, donis allicere et quasi corrumpere, ut delictis nobis eorum in gratiam condonatis, nos in suorum numero recipiant. Prætereà : Matth. cap. 5, vers. 22 : *Qui irascitur,* inquit Christus, *fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit consilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Passìm expositores iis verbis explicandis discruciantur, cùm constet tria tribunalia notari, ubi exercebantur judicia, Hierosolymis constituta, quorum posterius priori severius erat, atque illis nominibus judicii, concilii et gehennæ ignis vulgò vocabantur, quod nisi ex Rabbinorum libris eruere quì possis. Tertium exemplum accedat, Job capite ultimo, vers. 11 : *Venerunt ad Job fratres post valetudinem et sanitatem restitutam, et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam.* In tantâ pecorum copiâ leve munus videatur ovis una, neque desunt qui existimant vocem hebraicam, *Chesita*, non *ovem* tantùm significare, sed etiam monetæ genus, nimirùm aureæ, neque exigui ponderis, sic dictæ quòd ovis formâ expressa esset, quod antiquissimis Romanis in usu fuit, et in antiquissimis monetis ovis figuram videmus expressam, undè et *pecuniam* dictam fuisse viri eruditione præstantes notârunt. Ergo fratres pro se quisque ovem illi obtulerunt, id est, si hoc recipitur, *monetam, quæ ovis nomine vocabatur.* Postremò illud adjungam paraphrasim chaldaicam, quæ ab Hebræis vulgò *Targum* nominatur, esse à Rabbinis confectam, quâ divini libri explicantur judaicis superstitionibus et pravis interpretationibus Hebræorum, non minùs fœdam quàm reliqui Rabbinorum libri, quæ tamen passìm circumfertur, non tantùm chaldaicâ linguâ, sed, etiam latinâ, quæ omnibus communis est, pars in Bibliis complutensibus et universa in Bibliis regiis, quæ superioribus annis in lucem prodierunt. Neque ejus lectione prohibere integrum sit, quòd Clementinâ de magistris, *linguam chaldaicam in publicis scholis explicari mandatur,* quod non contingat nisi ex chaldaicâ eâ paraphrasi. Quòd si lex esse debet uniformis et secum ipsa consentire, neque hunc librum Rabbinorum quo divini explicantur reprobare fas est, neque incommodum judicatur in linguâ latinâ circumferri, certè aliorum librorum ejus generis copia fieri debet saltem viris doctis, in quibus pauciores superstitiones sunt, paucique eò eruditionis provecti, ut eos intelligere atque in illis versari possint. Quòd si Judæorum libris opponas inveniri quædam religioni nostræ contraria, ritus, cæremonias, placita, multò plura in græcis libris atque latinis, quæ linguæ minùs reconditæ sunt, minùsque à communi usu remotæ, dicam exstare, passìmque legi : quæ si tolerantur ob earum linguarum utilitatem, jure petere videamur, ut idem hebraicis libris concedatur. Quòd si convitia in religionem nostram jactantur, rarò id contingit, idemque in Græcorum et Latinorum libris invenitur, ut religio nostra accusetur. Cornelius Tacitus, lib. 15, sic ait : *Ergò abolendo rumori Nero subdidit reos et exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat, auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, repressaque in præsens exitiabilis supertitio rursùs erumpebat,* etc. Quibus similia Suetonius in Vitâ Neronis cap. 16 : *Afflicti,* inquit, *sup-*

pliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ. Quid Lucianum proferam in nonnullis dialogis, quâ cætera libertate ridentem nostra? Zozimum *Constantinum* insectantem calumniâ quasi nostra sacra sincero animo haudquaquàm susceperit? Quid Justinum, lib. 36 de *Moyse* fabulosa aniliaque commemorantem? Quid alia multa quæ in libris aliis reperiuntur, neque eâ causâ reprobati unquàm sunt aut castigati, nimirùm majoris utilitatis respectu: quòd si in Judæorum libris loci nonnulli ex divinis litteris explicantur aliter quàm ab Ecclesiâ accipiuntur, ex aliorum Rabbinorum libris refellimus, quo in genere Porcherus et Galatinus cum laude Judæos exagitârunt, neque est dubium his libris de quibus agitur sublatis, magno adjumento ac præsidio viros doctos exspoliari ad Judæos revincendos, non aliter divinos accipientes quàm ab eorum majoribus explicantur, ut necesse sit ex eorum libris illos convenire: quòd si in Hispaniâ Judæi non vivunt, divino beneficio tribuatur, neque semper res in eodem statu manent, virique docti ex Hispaniâ prodeuntes his studiis ac libris indigere poterunt, quæ nisi in idoneâ ætate suscipiantur, frustrà confirmant labores. Reliquæ objectiones ab adversariis afferuntur; ad duo reducuntur capita, primùm qui in Rabbinorum libris versantur, in divinorum librorum explicatione humi repere; quæ de Christo accipienda sunt, ad reges aut privatos homines traducit: secundùm, id genus hominum Patrum antiquorum dicta atque expositiones, flocci facere. Non negabimus, quod verum est, Judæos longè aliter quàm debeant sacros libros explicare *verbis inhærentes modò*, quod Sozomenus, lib. 15, historiæ cap. 22, πρὸς ριτὸν μόνον græcè, dicit respicere Judæos, Christianos sententiæ potiùs inhærere atque altiores significantes perscrutari, atque πρὸς θεωρίαν convertere, utì idem Sozomenus ait: contingit autem sæpè ut librorum, in quibus frequenter versamur, colorem assumamus, atque illis plus aliquandò quàm sit opus tribuamus. Verùm id vitium hominum potiùs est quàm librorum, et qualecumque periculum majoribus commodis compensatur. Omninò *Sanctes Pagninus*, ex ordine Dominicano vir doctus, inprimìs hebraicè græcèque, non modò in libris sanctorum Patrum fuit versatus, quod ejus scripta indicant, sed etiam mysticas significationes, si quis alius, secutus est opere dicato quod *Isagogem in divinas litteras* nuncupavit. Idem de Genebrardo, hebraicarum litterarum professore regio, dici potest, Parisiis, ex divi Benedicti ordine, inprimis esse versatum in antiquorum Patrum libris: idem dici potest de multis aliis, quos brevitatis studio prætermittimus. Porrò in divinis litteris sensum historicum investigare quasi fundamentum aliarum interpretationum non modò reprehensione vacat, verùm etiam magnas utilitates habet, ad quam rem quibusdam scopulis vitatis quibus Judæi ad nostram religionem infirmandam divinas litteras invertunt, magnum in modum Rabbinorum libri conducunt, argumento sunt Vatabli annotationes in vetus Testamentum, hâc de causâ ab omnibus magno plausu acceptæ, tametsi Roberti Stephani qui eas evulgavit, singulari perfidiâ non paucis locis contaminatæ sunt, quod affirmat Genebrardus, Epistolâ nuncupatoriâ in opera Origenis his verbis: *Nec opus est commemorare Vatableam, quæ circumfertur, interpretationem; nam aut illa Vatabli non est, viri utì accipimus, (neque enim per ætatem unquàm mihi hominem videre concessum est), doctissimi, et quod multò plurìs faciendum est, christianissimi, qui longè abhorreret à sectariorum tunc incipientium emergere disciplinâ, institutis, opinionibus, sed quorumdam discipulorum ipsius qui pravè dormitando à doctore accepta pejus accipiebant, typisque mandabant, vel nomen sui doctoris prætexentes, interìm suas novitates novarum rerum cupidis specie Dei verbi instillabant.* Hæc Genebrardus pluraque alia in eamdem sententiam, quibus Vatabli annotationes ab ejus discipulis fuisse depravatas nefariis hominibus declarat, Robertumque Stephanum falsi crimine ab eo postulatum fugâ sibi ad hereticos consuluisse, quorum placitis jam anteà fuerat contaminatus. Quòd si aliqui locis aut rebus majoris momenti ex Rabbinorum lectione aut aliâ de causâ recedunt à verâ sententiâ et interpretatione, æquiùs videbatur eos supplicio subjicere, quàm propter paucorum periculum aut pravitatem, cæteros eruditione fideque præstantes viros eorum librorum præsidio exspoliare, atque tàm apertis argumentis videri temerè repugnare voluisse. Atque illud cogitare opus est, nihil esse tàm utile, nihil tàm sanctum, quo humana pravitas abuti non possit. Hæc sunt quæ de hâc disputatione dicenda nobis videbantur, utinam tàm felici successu quàm à candido profecta animo, nullâ certè obtrectandi alienis opinionibus aut laboribus voluntate, cùm contrà eos vituperare sim solitus, qui in alienâ ruinâ exultant, aliisque prostratis ad summa evadere conan-

tur; atque illud Pauli sæpè in mentem venit: *Invicem comeditis, invicem mordetis, timeo ne ab invicem consumamini* : quæ verba ad universam disputationem referri debent ; atque quod ad postremum hoc caput pertinet, considerare omnium nationum et temporum consensu Judæorum libros fuisse à Catholicis passim lectitatos sine offensione (unum aut alterum excipio Pontificum decretis jampridem jugulatos), mores autem universales Ecclesiæ antiquare ad eos tantùm spectat, ad quos leges universales condere : quod majorem vim habet, præsertim si quis contendat viros etiam doctos eorum lectione penitùs arcere, neque quod videtur esse tutius, id semper commodius haberi debet, alioqui neque equos conscendere, neque ædificia multis tabulatis in sublime erigere conveniret, undè gravior casus contingat. Neque exigui momenti haberi debet linguæ unius, qualis est hebræa, præsidio magnâ ex parte viros doctos exspoliare, et periculum est ne ab hoc aditu ad rejiciendum libros græcos procedatur, nec enim argumenta malè sentientibus deesse possunt : dicent enim quæ in latinâ linguâ sunt viris doctis præsertim in tantâ librorum copiâ, sufficere, cætera supervacanea esse; atque quoniam in græcorum Patrum libris nonnulli errores inveniuntur, contendent reprobandos videri, certè castigandos, quod scimus à quibusdam fuisse tentatum, quorum sententiæ favere non debemus, nimirùm alienæ atque præposteræ, neque eorum sequi judicium. Ego quidem hujus disputationis laborem subterfugere nolui, ac verò eam libenter suscepi, si quo modo possim alienis erroribus mederi. *Sed cùm falli ipse possim ut humanus, omnia quæ in hâc disputatione posita sunt, catholicæ Ecclesiæ, atque deò cujusvis viri docti melius sentientis, censuræ subjecta esse volo optoque.*

DIVI HIERONYMI VITA.

Hieronymi vitam minutatim exponere supervacaneum profectò foret. Quis magni Doctoris nescit ortum illustrem, vitæ exordia minùs pura, fugam in eremum, fluctuationes animi cordisque tempestates austerâ corporis afflictione ultrò compressas, cùm in illâ trans mare vastâ solitudine quæ, ut ipse ait, exusta solis ardoribus, horridum monachis habitaculum præstabat, romanæ libidinis phantasma quasi memoriâ redivivum circumstaret? Satis igitur erit si pauca perstrinxerimus de Hieronymo in iis quæ ad litteras sacras pertinent. Hic eædem occurrunt agitationes, iidem animi æstus propè indomiti, imò indomitiores; nam qui cupiditatibus frænum injicere potis fuerat, eum ingenii fervidis impetibus extrà justitiæ limites non semel abreptum referunt. Verùm generoso de fonte fluit quidquid imperfectum animadvertitur in Hieronymo. Vivido quo exardescebat amore veritatis excæcatus, haud semper ipsos hostes ab imaginariis æquè distinxit, et si Pelagianos, Vigilantianos Jovinianosque errores meritâ insectatus est severitate, morsus, morsusque implacatos ingeminans, ratiocinio pariter ac eloquentiâ formidandus, nimiam sanè verborum asperitatem et ferè iracundiam in Ruffinum quosdamque alios exercuit. Sed ex levi defectuum umbrâ radiat excitatiùs virtutum egregiarum splendor, neque à multis tantum quantum ab Hieronymo decus in Ecclesiam redundavit. Vir conceptu sublimis, eloquio asper ac præceps ornatusque simul, nulli fortè scriptorum ecclesiasticorum foret secundus, nisi dicendi modis singularibus aut incultis, à consueto orationis tenore identidem dissonaret.

Quàm profundâ sermonis hebraici cognitione instructus esset, quantisque laboribus et humilitate doctrinam hanc acquisiverit, Bonfrerius, Valtonus, nec non Joann. Mariana suprà citati dixerunt. De præcipuo laborum ejus fructu, de Vulgatâ scilicet latinâ, eosdem videre est. Cætera quæ divi Hieronymi dantur opera sequens nomenclatura describet.

1° *Commentarii* in nonnullos tùm veteris tùm novi Testamenti libros; 2° *Tractatus polemici* adversùs Montanum, Helvidium, Jovinianum, Vigilantium, Pelagium, Ruffinum, Origenisque omnes sectatores; 3° *Tractatus de vitâ et scriptis auctorum ecclesiasticorum;* 4° *Versio et sequentia Chronici Eusebiani;* 5° *Historia Patrum eremitarum;* 6° Hieronymo vulgò adscribitur *Martyrologium,* Lucæ editum, 1668, in-f°; 7° *Epistolæ* variæ ex quibus quæ circà Scripturam sacram versantur seligimus. Nullum divi Hieronymi opus totiès typis recusum est quotiès illius *Epistolæ :* « In plerisque, inquit vir exquisitissimi judicii, miram styli vim miramque sublimitatem invenimus, atque ideò in iis non minùs quo modo dicta quàm quæ dicta placent. » Optima omnium habetur benedictina Hieronymi editio, 5 v. in-f°, ab 1693 usquè ad 1706. Multò etiam faciunt et jure quidem eam quam edidit recentiùs Vallars, Venet. in-4°.

Hieronymus, Stridonii, in finibus Dalmatiæ et Pannoniæ natus, anno circiter æræ christianæ 331, obiit trigesimâ die septembris 420, in Bethleemico monasterio, undè translatum posteà corpus, Romæ in Basilicâ *SS. Mariæ Majoris* piè conservatur.

SANCTI HIERONYMI
EPISTOLÆ CRITICÆ,
SIVE QUÆ AD EXPLANATIONEM
VETERIS TESTAMENTI PERTINENT.

JUXTA EDITIONEM BENEDICTINAM.

DAMASI PAPÆ EPISTOLA AD HIERONYMUM PRESBYTERUM,

Scripta anno 384 vel circiter.

DILECTISSIMO FILIO HIERONYMO DAMASUS.

Dormientem te, et longo jam tempore legentem potiùs, quàm scribentem, quæstiunculis ad te missis excitare disposui : non quo et legere non debeas; hoc enim veluti quotidiano cibo alitur et pinguescit oratio : sed quòd lectionis fructus sit iste, si scribas. Itaque quoniam et heri tabellario ad me remisso nullas te jam epistolas habere dixisti, exceptis his, quas aliquandò in eremo dictaveras, quasque totâ aviditate legi atque descripsi : et ultrò pollicitus es te furtivis noctium operis aliquas, si vellem, posse dictare; libenter accipio ab offerente, quod rogare volueram etiamsi negâsses. Neque verò ullam puto digniorem disputationis nostræ confabulationem fore, quàm si de Scripturis sermocinemur inter nos; id est, ut ego interrogem, tu respondeas. Quâ vitâ nihil puto in hâc luce jucundius, quo animæ pabulo omnia mella superantur. *Quàm dulcia*, inquit Propheta, *gutturi meo eloquia tua! super mel ori meo.* Nam cùm idcircò, ut ait præcipuus orator, homines à bestiis differamus, quòd loqui possumus : quâ laude dignus est, qui in eâ re cæteros superat, in quâ homines bestias antecellunt? Accingere igitur, et mihi quæ subjecta sunt dissere, servans utrobique moderamen, ut nec proposita solutionem desiderent, nec epistola brevitatem. Fateor quippè tibi, eos quos mihi jampridem Lactantii dederas libros, ideò non libenter lego, quia et plurimæ epistolæ ejus usque ad mille spatia versuum tenduntur, et rarò de nostro dogmate disputant : quo fit, ut et legenti fastidium generet longitudo : et si qua brevia sunt, scholasticis magis sint apta, quàm nobis, de metris et regionum situ et philosophis disputantibus.

Quid sibi vult quod in Genesi scriptum est : *Omnis qui occiderit Caïn, septem vindictas exsolvet?*

Si omnia Deus fecit bona valdè, quare Noe de mundis et immundis animalibus præcipit, cùm immundum nihil bonum esse possit? Et in novo Testamento post visionem quæ Petro fuerat ostensa dicenti : *Absit, Domine, à me quoniam commune et immundum nunquàm introivit in os meum,* vox de cœlo responderit : *Quod Deus mandavit, tu commune ne dixeris?*

Cur Deus loquitur ad Abraham, quòd quartâ progenie filii Israel essent de Ægypto reversuri, et posteà Moyses scribit : *Quintâ autem progenie exierunt filii Israel de terrâ Ægypti,* quod utique nisi exponatur, videtur esse contrarium.

Cur Abraham fidei suæ signum in circumcisione suscepit?

Cur Isaac, vir justus, et Deo charus, non illi cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore, benedixit?

EPISTOLA HIERONYMI AD DAMASUM,

Eodem anno scripta quo superior.

BEATISSIMO PAPÆ DAMASO HIERONYMUS.

Postquàm epistolam tuæ Sanctitatis accepi, confestim accito notario, ut exciperet imperavi : quo ad officium præparato, quod eram voce prompturus, antè mihi cogitatione pingebam. Interim jam et ego linguam, et ille ar-

ticulum movebamus, quùm subitò Hebræus intervenit, deferens non pauca volumina, quæ de Synagogâ quasi lecturus acceperat. Et illicò : Habes, inquit, quod postulaveras : meque dubium et quid facerem nescientem, ità festinus exterruit, ut omnibus prætermissis ad scribendum transvolarem quod quidem usque ad præsens facio. Verùm quia heri diacono ad me misso, ut tu putas epistolam, ut ego sentio, commentarium te exspectare dixisti : brevem responsionem ad ea desiderans, quæ singula magnorum voluminum prolixitate indigent, ταῦτά σοι ἐσχεδίασα, duabus tantùm quæstiunculis prætermissis : non quò non potuerim et ad illas aliquid respondere, sed quòd ab eloquentissimis viris, Tertulliano nostro scilicet et Novatiano, latino sermone sint editæ : et si nova voluerimus afferre, sit latiùs disputandum. Certè exspecto quid placeat : utrumne epistolari brevitate sententias tibi velis digeri, aut singulorum libros confici. Nam Origenes in quarto Pauli ad Romanos ἐξηγήσεων τόμῳ de circumcisione magnificè disputavit : et de mundis atque immundis animalibus in Levitico plura disseruit : ut si ipse invenire nihil possem, de ejus tamen fontibus mutuarer : et ut veriùs loquar, Didymi de Spiritu sancto librum in manibus habeo, quem translatum tibi cupio dedicare : ne me existimes tantummodò dormitare, qui lectionem sine stylo somnum putas. Antelatis itaque problematibus, quæ epistolæ tuæ subjeceras, quid mihi videretur annexui, veniam postulans, et festinationis pariter et morarum : festinationis, quia ad unam lucubratiunculam dictare voluerim multorum opus dierum ; tarditatis, quia alio opere detentus, non statim ad interrogata rescripsi.

Quid sibi vult quod in Genesi scriptum est : Omnis qui occiderit Caïn septem vindictas exsolvet?

Antequàm de Quæstione dicamus, rectum videtur ut editiones interpretum singulorum cum ipso hebraico conferentes sermone, digeramus, quò faciliùs Scripturæ sensus possit intelligi. VAIOMER LO ADONAI LOCHEN CHOL OREG CAIN SOBATHAIM JOCCAMO. Aquila : *Et dixit ei Dominus : Propterea omnis qui occiderit Caïn, septempliciter ulciscetur.* Symmachus : *Et dixit ei Dominus : Non sic, sed omnis qui occiderit Caïn, hebdomas, sive septimus vindicabitur.* Septuaginta et Theodotion : *Et dixit ei Dominus : Non sic, sed omnis qmi occiderit Caïn, septem vindictas exsolvet.* Postquàm Caïn occiderat fratrem, interrogatus à Domino : *Ubi est Abel, frater tuus?* contumeliosè respondit ; *Nescio : numquid custos fratris mei sum?* Quamobrem maledictione damnatus, ut gemens et tremens viveret super terram, noluit veniam deprecari, sed peccatis peccata congeminans, tantum putavit nefas, cui à Domino non posset ignosci. Deniquè respondit Domino : *Major mea causa est, quàm ut dimittar,* id est, plus peccavi, quàm ut merear absolvi. *Ecce ejicis me hodiè à facie terræ, et à facie tuâ abscondar, et ero gemens et tremens super terram : et erit, omnis qui invenerit me, occidet me.* Ejicior, inquit, à conspectu tuo, et conscientiâ sceleris, tremebundus, lucem ipsam ferre non sustinens, abscondar ut latitem ; eritque, omnis qui invenerit me, occidet me : dùm ex tremore corporis et furiatæ mentis agitatu, eum esse intelligit, qui mereatur interfici. Verùm Deus nolens eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradens pœnæ, quâ se ipse damnaverat, ait : *Non sic,* id est, non ut æstimas morieris, et mortem pro remedio accipies : verùm vives usque ad septimam generationem, et conscientiæ tuæ igne torqueberis : ità ut quicumque te occiderit, secundùm duplicem intelligentiam, aut in septimâ generatione, aut septimo te liberet cruciatu. Non quòd ipse qui occiderit Caïn, septem ultionibus subjiciendus sit ; sed quòd septem vindictas, quæ in Caïn tanto tempore cucurrerunt, solvat interfector, occidens eum qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam.

Ut autem quod dicimus manifestius fiat, quotidianæ consuetudinis ponamus exemplum. Loquatur inter verbera servus ad dominum : Quia incendi domum tuam, et universam substantiam tuam dissipavi, interfice me. Dominusque respondeat : Non ut vis, morieris, et finies morte supplicia ; verùm longo tempore custodieris ad vitam ; et tàm infeliciter in hâc luce versaberis, ut quicumque te occiderit, beneficium præstet occiso, dùm te de tàm multis liberet cruciatibus : et secundùm Septuaginta quidem editionem hic nobis sensus videtur.

De eo autem quòd Aquila posuit : *septempliciter :* Et Symmachus : *hebdomas* sive *septimus ulciscetur*, majorum nostrorum ista sententia est, quòd putant in septimâ generatione à Lamech interfectum Caïn. Adam quippè genuit Caïn. Caïn genuit Enoch. Enoch genuit Irad. Irad genuit Maviael. Maviael genuit Mathusala. Mathusala genuit Lamech, qui septimus ab Adam, non spontè (ut in quodam Hebræo volumine scribitur) interfecit Caïn : ut ipse

posteà confitetur, *quia virum occidi in vulnere meo, et juvenem in livore meo : quoniam septies vindicabitur de Caïn, de Lamech autem septuagies septies.* Hoc quidem de Caïn, quòd in septimâ generatione à Lamech interfectus sit, et juxtà aliam editionem, pœnam sui sceleris dederit : quòd tot generationibus gemens et tremens viveret super terram, nihil obscuri arbitror remansisse.

Nunc illud quod non interrogaveras, dùm aliud agimus, irrepsit : Quæ sint septuaginta septem vindictæ, quæ in Lamech exsolvendæ sint. Aiunt, ab Adam usque ad Christum generationes septuaginta septem. Lege Lucam Evangelistam, et invenies ità esse, ut dicimus. Sicut ergò septimâ generatione Caïn peccatum est dissolutum, non enim vindicabit Deus bis in idipsum, et qui semel recepit in vitâ suâ, non eosdem cruciatus patietur in morte, quos est passus in vitâ : ità et Lamech peccatum, id est totius mundi atque sanguinis qui effusus est, Christi solvetur adventu, qui tulit mundi peccata; qui lavit amictum suum in sanguine uvæ, et torcular calcavit solus ; qui de Edom ad cœlum rubicundus ascendens, clamantibus Angelis miraculum præbuit: *Elevate portas, principes, vestras, et introibit rex gloriæ,* et cætera. Referebat mihi quidam Hebræus in apocryphorum libris septuaginta septem animas ex Lamech progenie reperiri, quæ diluvio deleta sint, et in hoc numero de Lamech factam esse vindictam, quòd genus ipsius usque ad cataclysmum perseveraverit.

Alii de septem vindictis Caïn varia suspicantur. Primum ejus asserunt fuisse peccatum, quòd non rectè diviserit. Secundum quòd inviderit fratri suo. Tertium, quòd dolosè egerit, dicens : *Transeamus in campum.* Quartum, quòd interfecerit. Quintum, quòd procaciter negaverit, dicens : *Nescio, numquid custos fratris mei sum?* Sextum, quòd seipsum damnaverit, dicens : *Major culpa mea est, quàm ut dimittar.* Septimum, quia nec damnatus egerit pœnitentiam, secundùm Ninivitas, et Ezechiam, regem Juda : qui imminentem mortem lacrymis distulerunt, ut qui damnati fuerant, non perirent, sed agentes pœnitentiam, impetrarent misericordiam Dei. Nam tradunt illum à clementissimo Deo, ideò usque ad septem generationes fuisse dilatum, ut saltem malis ipsis et longævitate mœroris compulsus, pœnitentiam ageret, ut mereretur absolvi. Nonnulli septenarium numerum plenum et perfectum interpretantur, de multis Scripturarum locis testimonia contrahentes, et hunc esse sensum quem suprà perstrinximus, quòd qui interfecerit Caïn, ab ingenti eum afflictione, et omnia supplicia transeunte liberet pœnâ.

Sunt autem qui et de Evangelio interrogationem Petri replicent : *Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ; usque septies? Dicit ei Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Et putant mortem atque peccatum in septimâ progenie sabbatizâsse, quandò Enoch raptus est, *et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.* De septuaginta autem et septem, illam expositionem sequuntur : in adventu Christi, mortis atque peccati aculeum esse confractum.

Ponam et aliam opinionem, ne quid videar prætergressus. Quidam septimum annum remissionis, et quinquagesimum Jubilæi, et quadringentesimum nonagesimum quod volunt intelligi septuagies septies, multis modis interpretantur, asserentes ob hanc causam quinquagesimi et quingentesimi numeri sacrati, in Evangelio positum debitorem : et quinquagesimum Psalmum pœnitentiæ : qui septem conficitur septimanis, et in principium ogdoadis erumpit. Verùm ne longiùs sermo procedat, hucusque super hoc locutum esse sufficiat, quia et ex his quæ respersimus, ingentem tibi disputationis sylvam poteris ipse conficire : sciens Origenem, duodecimum et tertiumdecimum in Genesim librum de hâc tantùm Quæstione dictâsse.

Cur Deus loquitur ad Abraham, quòd quartâ progenie, filii Israel essent de Ægypto reversuri : et posteà Moyses scribit : Quintâ autem progenie ascenderunt filii Israel de terrâ Ægypti? Quod utique nisi exponatur, videtur esse contrarium.

Hoc verò problema cùm legissem, cœpi mecum tacitus æstuare, et è vestigio Genesim Exodumque percurrens, reperi loca, in quibus scripta sunt, quæ videntur facere quæstionem. Ac primò æstimabam spiritalibus spiritalia comparans, indissolubilia esse, sicut et multa sunt alia. Nam et Mathusalem quatuordecim annos post diluvium vixisse scribitur, nec tamen ingressus est arcam cum Noe. Et cùm ipse Deus locutus sit ad Abraham : *Sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum in terrâ non suâ, et in servitutem redigent eos et affligent, et humiliabunt eos annis quadringentis :* posteà Moyses scribit in Exodo : *Et factum est post quadringentos et triginta annos, exivit omnis populus Domini de terrâ Ægypti.* Agar quoque Ismaelem, quasi lactentem et tenerum portat

in humeris, cùm decem et octo fermè et ampliùs reperiatur annorum, et ridiculum sit tàm grandem juvenem matris sedisse cervicibus. Roboam verò, filius Salomonis, quadragesimo primo ætatis suæ anno regni sumpsit exordium, et regnavit in Jerusalem annis sedecim, cùm utique pater ejus duodecimo anno regnare incipiens, annis quadraginta regnaverit, et undecimo filium generare non quiverit. Dùm hæc et multa hujusmodi mecum sollicitus volverem, aperuit mihi ostium, qui habet clavem David, et introduxit me in cubiculum suum, posuitque in foramine petræ : ut post spiritum sævientem, post terræ meæ motum, post incendium ignorantiæ quo urebar, vox ad me auræ lenioris accederet, diceremque : Inveni quem quæsivit anima mea : tenebo eum, et non dimittam. ETENIM CUM videatur Scriptura inter se esse contraria, utrumque verum est, cùm diversum sit.

Egressi sunt quartâ generatione filii Israel de terrâ Ægypti. Replica genealogiam Levi. Levi genuit Caath. Caath genuit Amram. Amram genuit Aaron. Aaron genuit Eleazar. Eleazar genuit Phinees. Caath cum patre suo Levi ingressus est Ægyptum. Rursùm Eleazar cum patre suo Aaron egressus est de Ægypto. A Caath usque ad Eleazar computantur generationes quatuor : licèt quidam velint ab Amram usque ad Phinees, ut nos in Eleazarum fecimus, pervenire. Si verò volueris disparem numerum ostendere, quomodò secundùm Exodum quintâ generatione egressi sint filii Israel de terrâ Ægypti, tribus tibi Judæ et ordo numeretur. Juda genuit Phares, Phares Esrom. Esrom genuit Aram. Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Naason. Naason genuit Salmon. Phares cum patre suo Juda ingressus est Ægyptum. Naason princeps tribus Juda in deserto describitur : cujus filius Salmon terram repromissionis intravit. Computa à Phares usque ad Naason, et invenies generationes quinque : tametsi nonnulli (ut in tribu Levi ostendimus) in Esrom initium faciant, et ad Salmon usque perveniant. Puto problema dissolutum : quod si displicet, ad compendium veniam, et dicam in hebræo non esse diversum. Aquila namque, qui non contentiosus, ut quidam putant, sed studiosus verbum interpretatur ad verbum, in eo loco ubi Septuaginta posuerunt : Quinta autem generatione ascenderunt filii Israel de terrâ Ægypti, ità transtulit : Καὶ ἐνοπλισάμενοι ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου, id est : *Et armati ascenderunt filii Israel de terrâ Ægypti.* Licèt pro eo quòd nos *armati* diximus, secundùm græci sermonis ambiguitatem *instructi,* sive *muniti;* propter supellectilem quâ Ægyptios spoliaverunt, possit intelligi. Æstimanti curiositatem esse finitam, major quærendi ardor exoritur : et ad similitudinem Jeremiæ dissolvor undique et ferre non possum, quare Septuaginta, *quintam generationem,* et Aquila transtulerit *armatos.* Volumen hebræum replico, quod Paulus φενόλην juxtà quosdam vocat, et ipsos characteres sollicitiùs attendens, scriptum reperio : VAMUSIM ALU BNE ISRAEL MEAREZ MESRAIM. In reliquâ parte interpretationes non discordant : omnis pugna de verbo est AMUSIM, quod his litteris scribitur, HETH, MEM, SIN, JOD, MEM, utrùm nam *quinque,* an *munitos* sonet. Et quidem quinque hoc sermone dici, negare non possumus : verum *quinque* plurali numero, non *quinta,* ut illi interpretati sunt, singulari : sed nec *generatio* invenitur adjuncta, quæ linguâ hebræâ DOR dicitur : ut si esset *quinta generatio,* sermone legeretur illorum AMESA DOR. Nunc autem AMUSIM, id est, *quinque,* imo *quinta* tantùm scriptum est, ut fit quasi sensus : *Quinta autem ascenderunt filii Israel de terrâ Ægypti :* quod quia minùs videbatur intelligi, adjuncta *generatio* est. Aquilam verò ut in cæteris, et in hoc maximè loco propriè transtulisse omnis Judæa conclamat ; et Synagogarum consonant universa subsellia, quòd videlicet idem sermo, et eisdem litteris scriptus, diversas apud eos et voces et intelligentias habeat. Ex quibus exempli causâ unum ponimus, ut quod dicimus perspicuum fiat : pastores et amatores eisdem litteris scribuntur RES, AIN, JOD, MEM : sed pastores ROIM, amatores leguntur REIM. Undè evenit, ut ubi Jerusalem in Prophetis, cum amatoribus suis fornicationis scelere arguitur, ibi in nostris codicibus, pro amatoribus, pastorum nomen sit immutatum. Scio hæc molesta esse lectori, sed de hebraicis litteris disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tulliano eloquentiæ ducendus est rivulus ; nec aures Quintiliani flosculis et scholari declamatione mulcendæ. Pedestris, et quotidianæ similis, et nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat. Sint alii diserti, laudentur, ut volunt ; et inflatis buccis, spumantia verba trutinent : mihi sufficit sic loqui, ut intelligar, ut, de Scripturis disputans, Scripturarum imiter simplicitatem.

Cur Isaac, vir justus et Deo charus, non illi cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore, benedixit ?

Differo paulisper typos, et ea quæ à majoribus nostris super hoc loco sunt interpretata, prætereo, non quòd opinioni eorum non acquiescam, sed quòd tu hoc tantùm quæras, quare vir justus aliquid ignoraverit, et contrà suam fecerit voluntatem. Ad quod districta responsio est; NULLUM HOMINEM, excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuisse scientiam et certissimam veritatem. Denique Paulus ex parte cognoscit, et ex parte prophetat : et nunc per speculum videt in ænigmate, et secundùm quod oportet orare, nescire nos dicit : Quia cùm venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur. Samuel Propheta, connumeratus Moysi in sacerdotio Dei, ad ungendum regem missus, quùm maximum filiorum Jesse vidisset Eliab, ait : *Ecce coràm Domino Christus ejus.* Et dixit Dominus ad Samuel : *Noli respicere faciem ejus, neque staturam, quoniam reprobavi eum : quia non quomodò videt Deus, videt homo. Homo videt in facie, Deus autem inspicit cor,* et per singulos semper ignorans, usque ad David nescisse describitur. Elisæus quoque, qui duplici glorificatus est spiritu, cujus ossa vitam examini cadaveri reddiderunt, cùm Sunamitis ad eum venisset in montem, et ad pedes ejus flebiliter corruisset, Giezi prohibente ne faceret, ait : *Dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine est, et Dominus abscondit à me, et non nuntiavit mihi.* Plura sunt quàm ut exemplis debeamus docere, sanctos viros et Deo charos, ea tantummodò scisse quæ eis à Domino revelata sunt : ignorâsse verò, quæ eis revelata non fuerint ; et ad singulas visiones Zachariam atque Danielem interrogare Angelum, et suppliciter deprecari, ut exponat sibi quæ sint illa quæ videant. Undè non mirum est, et Isaac in suam maximè utilitatem nescisse quid faceret, cùm magis eo tempore erraret quo filium sanguinariæ deditum voluptati, et eum, qui posteà fratrem posset occidere, prætermisso illo qui innocenter habitabat domi, vellet efferre, et suam magis quàm Dei facere voluntatem. Ego puto divinæ dispensionis fuisse, ut oculis cæcaretur, et cùm ipse diceret : *Vox quidem, vox Jacob est, manus autem, manus Esaü*, tamen non intelligeret minorem esse filium, qui ad benedictionem fratris præreptor adstiterat.

Quoniam autem polliciti sumus, et de eo quid significaret in figurâ, adjungere, Hippolyti martyris verba ponamus, à quo et Victorinus noster non plurimùm discrepat: non quòd omnia pleniùs exsecutus sit, sed quòd possit occasionem præbere lectori ad intelligentiam latiorem. Isaac portat imaginem Dei Patris, Rebecca Spiritûs sancti, Esaü populi prioris, et diaboli, Jacob Ecclesiæ, sive Christi. Senuisse Isaac, consummationem orbis ostendit : oculis caligâsse, fidem perisse de mundo, et religionis lumen antè eum neglectum esse significat. Quòd filius major vocatur, acceptio legis est Judæorum. Quòd escas ejus atque capturam diligit pater, homines sunt ab errore salvati, quos per doctrinam justus quisque venatur. Sermo Dei, benedictionis est repromissio, et spes regni futuri, in quo cum Christo sancti sunt regnaturi, et verum sabbathum celebraturi. Rebecca, plena Spiritu sancto, sciens quid audisset antequàm pareret, *quia major serviet minori ;* magis autem forma Spiritûs sancti, quæ futura noverat in Christo, in Jacob antè meditatur : loquitur ad filium minorem : *Vade ad gregem, et accipe mihi indè duos hædos;* præfigurans carneum Salvatoris adventum, in quo eos vel maximè liberaret, qui peccatis tenebantur obnoxii : siquidem in omnibus Scripturis, hædi pro peccatoribus accipiuntur. Quòd autem duos jubetur afferre, duorum populorum significatur assumptio : quos teneros et bonos, dociles et innocentes animæ. Stola Esaü, fides et Scripturæ sunt Hebræorum, quibus gentilium indutus est populus. Pelles quæ ejus brachiis circumdatæ sunt, peccata utriusque sunt plebis, quæ Christus in extensione manuum cruci secum pariter affixit. Quòd Isaac quærit ab Jacob, cur tàm citò venerit, admirabatur celerem credentium fidem. Quòd cibi delectabiles offeruntur, hostia placens Deo, salus est peccatorum. Post esum sequitur benedictio, et ejus odore perfruitur, virtutem resurrectionis et regni, apertâ voce pronuntians ; quomodò etiam, adorent eum fratres sui et serviant ei, credentes ex Israel. Quia igitur iniquitas est inimica justitiæ, Esaü in discordiam concitatur, et necem fraudulentus excogitat, dicens in corde suo : *Appropinquent dies passionis patris mei, et occidam Jacob, fratrem meum.* Diabolus fratricidas Judæos in Caïn ante præmeditans, in Esaü manifestissimè confitetur : tempus quoque interfectionis ostendens : *Appropinquent,* inquit, *dies passionis patris, ut interficiam fratrem meum.* Quapropter Rebecca, id est, patientia, nuntiavit viro fratris insidias, qui

vocato Jacob, præcepit ei, ut in Mesopotamiam pergeret et indè acciperet uxorem de genere Laban Syri, fratris matris suæ. Quomodò itaque fratris dolos fugiens, Mesopotamiam tendit Jacob, ità et Christus Judæorum incredulitate compulsus, proficiscitur in Galilæam : indè sibi ex gentibus sponsam sumpturus Ecclesiam. Hæc supradictus vir.

Nos autem dicimus non venisse Dominum, nisi ad oves perditas domûs Israel, nec voluisse panem filiorum accipere et dare eum canibus, et benedictionem primam Judæorum populo detulisse, quibus sunt credita eloquia Dei, et repromissio et legislatio et confectio Testamenti. Verùm quia illi credere noluerunt, ad Jacob minorem populum benedictionem esse translatam. Neque tamen majorem filium penitùs fuisse despectum, quia cùm subintraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvatus erit.

EPISTOLA HIERONYMI AD EVANGELIUM PRESBYTERUM,

Scripta anno 398.

Misisti mihi volumen ἀνώνυμον, ἀδέσποτον, et nescio utrùm tu de titulo nomen subtraxeris, an ille qui scripsit, ut periculum fugeret disputandi, auctorem noluerit confiteri. Quod cùm legissem, intellexi famosissimam Quæstionem super Pontifice Melchisedec illùc plurimis argumentis esse perductam : ut docere conatus sit, eum qui benedixerit tanto Patriarchæ, divinioris fuisse naturæ, nec de hominibus æstimandum. Et ad extremum ausus est dicere, Spiritum sanctum occurrisse Abrahæ, et ipsum esse qui sub hominis figurâ visus sit. Quomodò autem Spiritus sanctus, panem vinumque protulerit, et decimas prædæ quas Abraham victis quatuor regibus reportârat, acceperit omninò tangere noluit ; petisque ut quid mihi, vel de scriptore, vel de quæstione videatur, respondeam. Fateor, volui dissimulare sententiam, nec me periculoso et φιλεγκλήμονι miscere tractatui, in quo quodcumque dixissem, reprehensores habiturus forem. Sed rursùm quùm epistolam legerem, et invenissem in extremâ pagellâ, miris me obtestationibus adjuratum, ne spernerem precatorem, revolvi veterum libros, ut viderem quid singuli dicerent, et tibi quasi de multorum consilio responderem.

Statìmque in fronte Geneseos primam Homiliarum Origenis reperi scriptam de Melchisedec, in quâ multiplici sermone disputans, illùc devolutus est, ut eum angelum diceret. Iisdemque penè argumentis quibus scriptor tuus de Spiritu sancto, ille de supernis virtutibus est locutus. Transivi ad Didymum, sectatorem ejus, et vidi hominem pedibus in magistri iisse sententiam. Verti me ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, et Emisenum, Apollinarem quoque, et Eustathium nostrum, qui primus antiochenæ Ecclesiæ episcopus contrà Arium clarissimâ tubâ bellicum cecinit : et deprehendi horum omnium opiniones, diversis argumentationibus ac diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent Melchisedec hominem fuisse chananæum, regem urbis Jerosolymæ, quæ primùm Salem, posteà Jebus, ad extremum Jerusalem appellata sit. Nec mirum esse si Sacerdos Dei altissimi describatur absque circumcisione et legalibus cæremoniis et genere Aaron : cùm Abel quoque et Enoch et Noe placuerint Deo, et victimas obtulerint ; et in Job volumine legamus, quòd ipse et oblator munerum fuerit, et sacerdos, et quotidiè pro filiis suis hostias immolârit. Et aiunt ipsum quoque Job non fuisse de genere Levi, sed de stirpe Esaü, licèt aliud Hebræi autument.

Quomodò autem Noe inebriatus in domo suâ, et nudatus atque derisus à mediano filio, typum Salvatoris præbuit, et Cham populi Judæoum. Samson quoque, amator meretricis et pauperis Dalilæ, multò plures hostium mortuus quàm vivus occidit; ut Christi exprimeret passionem : omnesque penè Sancti et Patriarchæ et Prophetæ, in aliquâ re figuram expresserint Salvatoris. Sic et Melchisedec, eò quòd chananæus fuerit, et non de genere Judæorum, in typum præcessisse sacerdotis Filii Dei, de quo dicitur in centesimo nono Psalmo : *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec*. Ordinem autem ejus multis modis interpretantur, quòd solus et rex fuerit et sacerdos, et antè circumcisionem functus sacerdotio : ut non gentes ex Judæis, sed Judæi à gentibus sacerdotium acceperint : neque unctus oleo sacerdotali, ut Moysi præcepta constituunt, sed oleo exsultationis, et fidei puritate : neque carnis et sanguinis victimas immolaverit, et brutorum sanguinem animalium dextrâ susceperit, sed pane et vino, simplici puroque sacrificio, Christi dedicaverit sacramentum ; et multa alia quæ epistolaris brevitas non recipit.

Prætereà pleniùs esse tractatum in Epistolâ ad Hebræos, quam omnes Græci recipiunt, et nonnulli Latinorum, quòd iste Melchisedec, id est, rex pacis, sine patre, sine matre : et quo-

modò hoc intelligendum sit, uno statim verbo explicari ἀγενεαλόγητος, non quòd absque patre et matre fuerit, cùm Christus quoque secundùm utramque naturam et patrem habuerit et matrem, sed quòd subitò introducatur in Genesi occurrisse Abraham à cæde hostium revertenti : et nec antè, nec posteà ejus nomen feratur adscriptum. Affirmat autem Apostolus, quòd Aaron sacerdotium, id est, populi Judæorum, et principium habuerit et finem : Melchisedec autem, id est, Christi et Ecclesiæ, et in præteritum et in futurum æternum sit, nullumque habuerit auctorem , et quòd translato sacerdotio, legis quoque mutatio fiat : ut nequaquàm de Agar ancillâ et monte Sina, sed de Sarâ liberâ, et arce Sion egrediatur verbum Domini, et lex Dei de Jerusalem. Et difficultatem rei proœmio exaggerat, dicens: *Super quo multus nobis sermo est, et ininterpretabilis :* non quia Apostolus non potuerit id interpretari, sed quia illius temporis non fuerit. Hebræis enim, id est, Judæis persuadebat, non jam fidelibus, quibus passim proderet sacramentum. Verumtamen si vas electionis stupet ad mysterium, et de quo disputat ineffabile confitetur, quantò magis nos vermiculi et pulices, solam debemus scientiam inscitiæ confiteri, et amplissimam domum, parvo quasi foramine ostendere : ut dicamus duo sacerdotia inter se ab Apostolo comparata, prioris populi et posterioris. Et hoc agit totâ disputatione, ut antè Levi et Aaron, sacerdos fuerit Melchisedec ex gentibus : cujus tantum prædicat meritum, ut futuris sacerdotibus Judæorum, in lumbis benedixerit Abraham. Totumque quod sequitur in laudes Melchisedec, ad Christi typum referri, cujus profectus Ecclesiæ sacramenta sunt.

Hæc legi in Græcorum voluminibus, et quasi latissimos terrarum situs in brevi tabellâ volui demonstrare, non extendens spatia sensuum atque tractatum, sed quibusdam punctis atque compendiis infinita significans, ut in parvâ epistolâ multorum simul disceres voluntates. Verùm quia amanter interrogas, et universa quæ didici, fidis auribus instillanda sunt, ponam et Hebræorum opinionem : et ne quid desit curiositati, ipsa hebraica verba subnectam: *Umelchisedec melec salem hosi lehem vajain, uhu choen leel elion : vaibarcheu vaiomer baruch abram leel elion cone samaim vaares : ubaruch el elion eser maggen sarach biadach vajethen lo maaser mecchol.* Quod interpretatur in latinum hoc modo : *Et Melchisedech, rex Salem, protulit panem et vinum; erat autem sacerdos Dei excelsi; benedixitque illi, et ait : Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum et terram : et benedictus Deus altissimus, qui tradidit inimicos in manu tuâ; et dedit ei decimas ex omnibus.* Traduntque hunc esse Sem, primum filium Noe, et eo tempore quo ortus est Abram, habuisse ætatis annos trecentos nonaginta ; qui ità supputantur : Sem, post diluvium anno secundo, cùm centum esset annorum, genuit Arphaxad : post cujus ortum, vixit annos quingentos, hoc est, simul sexcentos. Arphaxad annos natus triginta et quinque, genuit Salem, qui et ipse tricenarius, procreavit Eber, quem triginta quatuor annorum legimus genuisse Phaleg. Rursùm Phaleg, expletis annis triginta, genuit Rehu : qui et ipse post trigesimum et secundum nativitatis suæ annum, edidit Serug : de quo cùm ad triginta pervenisset annos, ortus est Nachor : qui viginti novem annorum genuit Thare : quem legimus quòd septuagenarius genuerit Abram et Nachor et Aran. Supputa per singulas ætates, annorum numerum, et invenies ab ortu Sem, usque ad generationem Abram, trecentos nonaginta annos. Mortuus est autem Abraham centesimo septuagesimo quinto ætatis suæ anno. Ratione deductâ, invenitur Sem abnepoti suo decimi gradûs, Abraham supervixisse annos triginta quinque.

Simulque et hoc tradunt, quòd usque ad sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noe, cujus series et ordo describitur, fuerint sacerdotes, et Deo victimas immolârint : et hæc esse primogenita, quæ Esaü fratri suo vendiderit Jacob. Nec esse mirum, si Melchisedech victori Abraham obviàm processerit, et in refectionem tàm ipsius, quàm pugnatorum ejus, panem vinumque protulerit, et benedixerit ei, quùm abnepoti suo hoc jure debuerit : et decimas prædæ atque victoriæ acceperit ab eo : sive quod habetur ambiguum, ipse dederit ei substantiæ suæ decimas, et avitam largitatem ostenderit in nepotem. Utrumque enim intelligi potest, et juxtà hebraicum, et juxtà septuaginta Interpretes, quod et ipse acceperit decimas spoliorum, et Abrahæ dederit decimas substantiæ suæ , quanquàm Apostolus in Epistolâ suâ ad Hebræos apertissimè definiat, non Abraham suscepisse à Melchisedech decimas divitiarum ejus, sed de spoliis hostium, partem accepisse pontificem.

Salem autem non, ut Josephus et nostri omnes arbritrantur esse, Jerusalem, nomen ex græco hebraicoque compositum , quod absurdum esse peregrinæ linguæ mixtura demonstrat, sed oppidum juxtà Scytopolim, quod

usque hodiè appellatur Salem, et ostenditur ibi palatium Melchisedec, ex multitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam : de quo in posteriore quoque parte Geneseos scriptum est : *Venit Jacob in Socoth,* id est, *in tabernacula, et fecit sibi ibi domos atque tentoria, et transivit in Salem, civitatem regionis Sichem, quæ est in terrâ Chanaan.*

Considerandum quoque est, quòd Abrahæ à cæde hostium revertenti, quos persecutus est usque Dan, quæ hodiè Paneas appellatur, non de viâ Jerusalem, sed de oppido metropoleos Sichem, in itinere fuerit : de quo in Evangelio quoque legimus : *Erat autem Joannes baptizans in Ennon, juxtà Salim, quia aquæ erant multæ ibi.* Nec refert, utrùm Salem an Salim nominetur, cùm vocalibus in medio litteris perrarò utantur Hebræi, et pro voluntate lectorum, ac varietate regionum, eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur.

Hæc ab eruditissimis gentis illius didicimus : qui in tantùm non recipiunt Spiritum sanctum, vel Angelum fuisse Melchisedech, ut etiam certissimum hominis nomen adscribant. Et reverà stultum est id quod in typo dicitur : eò quòd Christi sacerdotium finem non habeat ; et ipse rex et sacerdos nobis utrumque donaverit, ut simus genus regale et sacerdotale, et quasi angularis lapis parietem utrumque conjunxerit, et de duobus gregibus bonus pastor unum effecerit gregem ; sic quosdam referre ad ἀναγωγὴν, ut historiæ auferant veritatem, et dicant non fuisse regem, sed in imagine hominis Angelum demonstratum; cùm in tantùm nitantur Hebræi Melchisedech, regem Salem, filium Noe Sem ostendere, ut antè hoc scriptum sic referant : *Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ei* (haud dubium quin Abraham), *postquàm reversus est à cæde Chodorlaomor, et regum qui cum eo erant in valle Save : hæc est vallis regis;* de quâ statim sequitur : *Et Melchisedech, rex Salem, protulit panem et vinum,* et reliqua. Si ergò hæc civitas regis est, et vallis regis, sive, ut Septuaginta transtulerunt, campus, quem hodiè Aulonem Palæstini vocant, manifestum est hominem fuisse qui in terrenâ et valle et urbe regnavit.

Habes quæ audierim, quæ legerim de Melchisedech. Meum fuit citare testes: tuum sit de fide testium judicare. Quòd si omnes repuleris, tuum certè spiritualem illum interpretem non recipies, qui imperitus sermone et scientiâ, tanto supercilio et autoritate Melchisedech Spiritum sanctum pronuntiavit, ut illud verissimum comprobârit, quod apud Græcos canitur ; imperitia confidentiam, eruditio timorem creat. Ego post longam ægrotationem, vix in Quadragesimæ diebus hæc fabricare potui ; cùm alteri me operi præpararem, paucos dies qui supererant in Matthæi expositione consumpsi ; tantâque aviditate studia omissa repetivi, ut quod exercitationi linguæ profuit, nocuerit corporis valetudini.

EPISTOLA HIERONYMI AD FABIOLAM.

Scripta anno 396 *vel* 397.

DE VESTE SACERDOTALI.

Usque hodiè in lectione veteris Testamenti super faciem Moysi velamen positum est. Loquitur hodiè glorificato vultu, et populus loquentis gloriam ferre non sustinet. Cùm autem conversi fuerimus ad Dominum, auferetur velamen : occidens littera moritur, vivicans spiritus suscitatur. Dominus enim spiritus est, et lex spiritalis. Undè et David orabat in Psalmo : *Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tuâ.* Numquid de bobus cura est Deo ? Utique non. Multò magis de jecore bovis, arietis et hircorum et armo dextro, pectore et ventre quo stercora digeruntur : quorum duo in esum accipiunt sacerdotes : tertium Phinees meretur in præmium. De victimis salutaribus, adeps quo pectus obvolvitur, et pinnula jecoris offeruntur super altare : ipsum verò pectus et brachium dextrum dantur Aaron et filiis ejus legitimum sempiternum à filiis Israel. Sensus in corde est, habitaculum cordis in pectore. Quæritur ubi sit animæ principale. Plato, in cerebro, Christus monstrat in corde : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et : *de corde procedunt cogitationes malæ.* Et : *quid cogitatis nequam in cordibus vestris?* Voluptas et concupiscentia, juxtà eos qui de physicis disputant, consistit in jecore. Hujus pinnulam in diversa volitantem, et per occulorum fenestras erumpentem foràs, offerunt sacerdotes Deo : ut postquàm opere dixerint Deo: Holocaustum tuum pingue fiat, et concupiscentiam libidinis seminarium igni spiritûs concremaverint, mereantur accipere præmium, pectus et brachium. In pectore, mundas cogitationes, legis notitiam, dogmatum veritatem ; in brachio bona opera et pugnam contrà diabolum et armatam manum : ut quod mente conceperint, exemplo probent. Jesus enim cœpit facere et docere. Ipsum quoque pectusculum appellatur ἐπιθέματος, id est, additamentum sive præcipuum et egregium : TENUPHA quippè hoc magis

sonat. Ex quo intelligimus juxtà illud Malachiæ : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus*, præcipuam debere esse in sacerdotibus legis doctrinæque notitiam : et additamento gratiæ spiritualis, talem virum institui, qui possit contradicentibus resistere, et nihil in se sinistri habere operis, quod ducat ad tartarum, sed dextrum brachium et separatum, UT OPERA sacerdotis comparatione virtutum ejus, à cunctis hominibus separata sint. Hæc de victimis et de his quæ offeruntur in altari, et quæ sacerdotibus dantur à Domino.

Cæterùm et alia tria, exceptis primitiis hostiarum, et de privato, et de macello publico; ubi non religio, sed victûs necessitas est, sacerdotibus membra tribuuntur, brachium, maxilla et venter. De brachio jam diximus. Maxilla eloquentem eruditumque significat, ut quod pectore concipimus, ore promamus. Venter receptaculum ciborum, in scorto Madianitide sacerdotali pugione confossus, universos hominum labores, et momentanea blandimenta gulæ, stercoris fine condemnat : et ostendit mentibus consecratis Deo, totum quod currimus, quod satagimus, quod voramus, in secessum projici. Undè et Apostolus : *Esca,* inquit, *ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et illas destruet.* Et è contrario de luxuriosis : *Quorum Deus venter est : et gloria in confusione eorum.* Vituli pulverem quem adoraverat Israel, in contemptum superstitionis in potum accepit populus, ut discat contemnere quod in secessum projici viderat. Præcipitur sacerdotibus, ne ministraturi in templo, vinum et siceram bibant, ne ebrietate et crapulâ et curis hujus vitæ prægraventur corda eorum, nec partem habeant in terrâ, nisi solum Deum, ut nullâ debilitate segnes sint; ne truncis auribus, læso oculo, simis naribus, claudo pede, cutis colore mutato : quæ omnia referuntur ad animæ vitia. VOLUNTAS ENIM in homine, non natura damnatur. Si quis è sacerdotibus semine fluxerit, ad sacerdotalem mensam prohibetur accedere : et è contrario vidua cujus cum Sara defecerunt muliebria, propter continentiam et castitatem recipitur in domum patris : et de templi ærario alitur. Quòd si filios habuerit, redditur soboli suæ, ut juxtà Apostolum his ministretur, quæ verè viduæ sunt : et ut quæ de sacerdotalibus sustentatur cibis, nullius alterius amore teneatur. Vicinus et mercenarius excluduntur à convivio sacerdotum; servis ciborum reliquiæ conceduntur. Jam tunc rejiciebantur Phygelus et Hermogenes, et recipiebatur Onesiphorus. Primitiæ ciborum et omnium frugum atque pomorum offeruntur antistiti : ut habens victum atque vestitum, absque ullo impedimento securus et liber serviat Domino. Primogenita mundorum animalium accipiunt sacerdotes : immundorum pretia. Hominum quoque primi partus redimuntur, quia conditio una nascendi est : pretium æqualiter offertur, sic moderatum et leve, ut nec dives intumescat, nec tenuis prægravetur. Æditui et janitores accipiunt decimas; et rursùm decimas decimarum offerunt sacerdotibus : tantò illis minores, quantò ipsi majores populo. Quadraginta octo civitates ad habitandum levitis et sacerdotibus separantur : sex urbes fugitivorum trans Jordanem et intrà Jordanem eliguntur : et finis exilii, mors pontificis est. Universa quæ festinus sermo perstrinxit, et quorum pulsavi tantùm, nec aperui sacramenta, ad cunctos pertinent sacerdotes. Pontifex autem quantis polleat privilegiis, dicam breviter.

Caput, inquit, *suum non discooperiet.* Habet cidarim, et nomen Dei portat in fronte; diademate ornatus est regio; ad perfectam Christi venit ætatem, semper ejus gloriâ protegendus est; et vestimenta sua non scindet, quia candida sunt, quia impolluta, quia agnum sequentia, et de attonsæ ovis confecta velleribus. Thamar, amissâ pudicitiâ, scidit tunicam. Caiphas, perdito sacerdotio, rupit publicè vestimenta. Super omnem animam quæ mortua est non ingreditur. Ubicumque peccatum est, et in peccato mors, illùc pontifex non accedit. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Quamvis ille sit dives, quamvis potens, et multitudinem offerat victimarum, si mortuus est, non tangitur à pontifice, non videtur. Quòd si resurgit, et ad vocem Salvatoris egreditur de sepulcro et fasciis peccatorum solutus incedit, intrabit ad eum pontifex, et ibi faciet mansionem, et cum resurgente prandebit.

Super patre suo et matre suâ non inquinabitur. Multa nos facere cogit affectus : et DUM PROPINQUITATEM respicimus corporum, et corporis et animæ offendimus Creatorem. Qui amat patrem aut matrem super Christum, non est eo dignus. Discipulus ad sepulturam patris ire desiderans, Salvatoris prohibetur imperio. QUANTI MONACHORUM dùm patris matrisque miserentur, suas animas perdiderunt? Super patre et matre pollui nobis non licet, quantò magis super fratre, sororibus, consobrinis, familiâ, servulis! Genus regale et sacerdotale

sumus. ILLUM ATTENDAMUS patrem, qui nunquàm moritur : et qui ideò vivens mortuus est, ut nos mortuos vivificaret. Si quid habemus de Ægypto quod princeps mundi suum possit agnoscere, tenenti Ægyptiæ cum pallio relinquamus. Sindone opertus adolescens, vinctum Dominum sequebatur : incurrisset in laqueos, nisi expeditus et nudus persequentium declinâsset impetum. REDDAMUS PARENTIBUS quæ parentum sunt : si tamen vivunt ; si servientes Domino filios suos præferri sibi gloriantur.

Et de sanctis non egredietur : et non polluet sanctificationem Dei sui. Pro otioso quoque verbo rationem reddituri sumus : ET OMNE QUOD non ædificat audientes, in periculum vertitur loquentium. Ego si fecero, si dixero quippiam, quod reprehensione dignum est, de sanctis egredior, et polluo vocabulum Christi, in quo mihi blandior : quantò magis pontifex et episcopus, quem oportet esse sine crimine tantarumque virtutum, ut semper moretur in sanctis, et paratus sit victimas offerre pro populo, sequester hominum et Dei, et carnes agni sacro ore conficiens, quia sanctum oleum Christi Dei sui super eum est. Non egredietur de sancto, ne vestimentum quo indutus est, polluat. Quotquot enim in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Servemus tunicam quam accepimus, sanctam custodiamus in sancto. Ille montanus habitator, qui de Jerusalem descendebat in Jericho, non priùs vulneratus est, quàm nudatus. Infunditur ei oleum, medicamentum lene, et misericordiâ temperatum : et quia debuit negligentiæ sentire cruciatum, vini austeritate mordetur : ut per oleum ad pœnitentiam provocetur, per vinum severitatem sentiat judicantis.

Uxorem virginem accipiet; viduam autem et ejectam et meretricem non accipiet, sed virginem de genere suo, et non contaminabit semen suum in populo. Ego Dominus qui sanctifico eum. Scio pontificem, cui præcepta nunc dantur à plerisque Christum intelligi : et id quod dictum est, super patre et matre non inquinabitur, de virginali Mariæ partu edisseri : multòque facilior est super Domino interpretatio, qui audit in Psalmo : *Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Et in Zachariâ : *Audi, Jesu, sacerdos magne :* et cui sordida peccatorum nostrorum vestimenta tolluntur, ut recipiat gloriam quam habuit apud Patrem priùs quàm mundus esset.

Sed ne quis me vim facere Scripturæ putet, *et sic amare Christum*, ut historiæ auferam veritatem, interpretabor in membris, quod referatur ad caput : intelligam de servis, quod impleatur in Domino ; quanquàm gloria Domini, gloria famulorum sit. Et ubicumque opportunitas loci tulerit, sic de vero lumine disputabo, ut derivetur ad eos, quibus Christus donavit, ut lumen sint. Pontifex iste, quem Mosaicus sermo describit, viduam, ejectam et meretricem non duxit uxorem. Vidua est, cujus maritus est mortuus. Ejecta, quæ à marito vivente projicitur. Meretrix, quæ multorum libidini patet. Sed accipiet, inquit, uxorem virginem et de genere suo, non alienigenam, ne in malâ terrâ nobilium seminum frumenta degenerent. Non meretricem, quæ multis exposita est amatoribus. Non ejectam, quæ etiam priori conjugio indigna fuit. Non viduam, ne pristinarum meminerit voluptatum ; sed illam animam, quæ non habet maculam, neque rugam, quæ cum Christo renata innovatur de die in diem, de quâ Apostelus loquitur : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Nolo discipulam conjugem pontificis quidquam habere de vetere homine. Si consurreximus cum Christo, ea quæ sursùm sunt sapiamus. Præteritorum obliti, futurorum avidi. Infelix Simon, quia post baptismum de antiquo matrimonio cogitabat, nec ad virginalem venerat puritatem, Petri consortio indignus fuit.

Compulisti me, Fabiola, litteris tuis, ut de Aaron tibi sacerdotio scriberem et vestimentis. Ego plus obtuli, ut de cibis et primitiis sacerdotum, et de observatione pontificis præfatiunculam struerem. Egressa de Sodomis, et ad montana festinans, non vis habitare in parvâ urbe Segor. Transcendens proselytos, præteris Israelitas, dimittens leviticum gradum, et præpete pennâ transvolans sacerdotes, ad pontificem venis. Sed dùm vestes ejus et Rationale pectoris diligenter inquiris, nostra tibi displicuêre consortia. Et tu quidem optato frueris otio : et juxtà Babylonem Bethleemitica forsitan rura suspiras. Nos in Ephrathâ, tandem pace redditâ, vagientem de præsepi audimus infantem, et querimonias ejus ac voculas ad tuas aures cupimus pervenire.

Legimus in Exodo, tabernaculum, mensam, candelabrum, altare, columnas, tentoria, coccum, byssum, haycinthum, purpuram, ex auro, argento, ære vasa diversa ; tabernaculum divisum in tria ; duodecim panes per singulas hebdomadas mensæ impositos ; in candelabro septem lucernas ; altare hostiis holocaustique expositum ; crateras, scyphos, thuribula, phya-

las, mortariola, paxillos, pelles rubras, pilos caprarum et ligna imputribilia. Tanta et talia offeruntur in tabernaculo Dei, ut nullus desperet salutem. Alius aurum sensuum, alius argentum eloquii, alius vocem æris exhibeat. Totus mundus in tabernaculi describitur sacramento. Primum et secundum vestibulum omnibus patet. Aqua enim et terra cunctis mortalibus data sunt. In sanctis verò sanctorum, quasi ad æthera et in cœlum, paucorum introitus et volatus est. Duodecim panes, duodecim mensium significant circulum. Septem lucernæ, septem errantia astra demonstrant. Et ne longum faciam (neque enim propositum mihi est nunc de tabernaculo scribere), veniam ad sacerdotalia vestimenta : et antequàm mysticam scruter intelligentiam, more judaico, quæ scripta sunt, simpliciter exponam : ut postquàm vestitum videris sacerdotem, et oculis tuis omne ejus patuerit ornamentum, tunc singulorum causas pariter exquiramus.

Discamus primùm communes sacerdotum vestes atque pontificum. Lineis feminalibus, quæ usque ad genua et poplites veniunt, verenda celantur, et superior pars sub umbilico vehementer astringitur : ut si quandò expediti mactant victimas, tauros et arietes trahunt, portantque onera, et in officio ministrandi sunt, etiamsi lapsi fuerint, et femora revelaverint, non pateat quod apertum est. Indè et gradus altaris prohibentur fieri, ne inferior populus ascendentium verenda conspiciat : vocaturque linguâ hebræâ hoc genus vestimenti *Machnase*, græcè περισκελῆ, à nostris feminalia, vel bracæ usque ad genua pertingentes. Refert Josephus (nam ætate ejus adhuc templum stabat, et necdùm Vespasianus et Titus Jerosolymam subverterant, et erat ipse de genere sacerdotali, multòque plus intelligitur quod oculis videtur, quàm quod aure percipitur) hæc feminalia de bysso retorta ob fortitudinem solere contexi, et postquàm incisa fuerint, acu consui. Non enim posse in telâ hujuscemodi fieri.

Secunda ex lino tunica est ποδήρης, id est, talaris, duplici sindone, quam et ipsam Josephus byssinam vocat, appellaturque *chotonath*, id est, χιτών, quod hebræo sermone in *lineam* vertitur. Hæc adhæret corpori, et tàm arcta est et strictis manicis, ut nulla omninò in veste sit ruga, et usque ad crura descendat. Volo pro legentis facilitate abuti sermone vulgato. Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris et astrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia, dirigendo jaculo, tenendo clypeo, ensi vibrando, et quocumquè necessitas traxerit. Ergò et sacerdotes parati in ministerium Dei, utuntur hâc tunicâ, ut habentes pulchritudinem vestimentorum, nudorum celeritate discurrant.

Tertium genus est vestimenti, quod illi appelant *abanet*, nos cingulum, vel baltheum, vel zonam possumus dicere. Babylonii novo vocabulo *hemian* vocant. Diversa vocabula ponimus, ne quis erret in nomine. Hoc cingulum in similitudinem pellis colubri, quâ exuit senectutem : sic in rotundum textum est, ut marsupium longius putes. Textum est autem subtegmine cocci, purpuræ hyacinthi, et stamine byssino, ob decorem et fortitudinem : atque ità polymitâ arte distinctum, ut diversos flores ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam, de quâ suprà diximus, inter umbilicum et pectus hoc stringunt baltheo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, et ex unâ parte ad crura dependens, cùm ad sacrificia cursu et expeditione opus est, in lævum humerum retorquetur.

Quartum genus est vestimenti, rotundum pileolum, quale pictum in Ulysse conspicimus, quasi sphæra media sit divisa, et pars una ponatur in capite : hoc Græci et nostri τιάραν, nonnulli galerum vocant, Hebræi *misnepheth* : non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit : sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit : atque ità in occipitio vittâ constrictum est, ut non facilè labatur ex capite. Est autem byssinum, et sic fabrè opertum linteolo, ut nulla acûs vestigia forinsecùs appareant.

His quatuor vestimentis, id est, feminalibus, tunicâ lineâ, cingulo quod purpurâ, cocco, bysso, hyacinthoque contexitur, et pileo, de quo nunc diximus, tàm sacerdotes quàm pontifices utuntur. Reliqua quatuor propriè pontificum sunt, quorum primum est *mail*, id est, tunica talaris, tota hyacinthina, ex lateribus ejusdem coloris assutas habens manicas, et in superiori parte quâ collo induitur aperta, quod vulgò capitium vocant, oris firmissimis ex se textis, ne facilè rumpantur. In extremâ parte, id est, ad pedes, septuaginta duo sunt tintinnabula, et totidem mala punica, iisdem contexta coloribus, ut suprà cingulum. Inter duo tintinnabula unum malum est : inter duo mala unum tintinnabulum, ut alterutrum sibi media sint ; causaque redditur : idcircò tintinnabula vesti apposita sunt, ut cùm ingreditur pontifex in Sancta Sanctorum, totus vocalis incedat, statìm moriturus si hoc non fecerit.

Sextum est vestimentum quod hebraicâ lin-

guâ dicitur *ephod*. Septuaginta ἐπωμίδα id est, superhumerale appellant. Aquila ἐπένδυμα, nos *ephod* suo ponimus nomine. Et ubicumque in Exodo, sive in Levitico superhumerale legitur, sciamus apud Hebræos *ephod* appellari. Hoc autem esse pontificis vestimentum, et in quâdam epistolâ scripsisse me memini, et omnis Scriptura testatur sacrum, quiddam esse, et solis conveniens pontificibus. Nec statim illud occurrat, quòd Samuel, qui levita fuit, scribitur in regnorum primo libro, habuisse ætatis adhuc parvulæ *ephod bad*, id est, *superhumerale lineum* cùm David quoque antè arcam Domini idem portâsse referatur. Aliud est enim ex quatuor supradictis coloribus, id est, hyacintho, bysso, cocco, purpurâ, et ex auro habere contextum : aliud in similitudinem sacerdotum simplex et lineum. Auri laminæ, id est, bracteæ, mirâ tenuitate tenduntur, ex quibus secta fila torquentur, cum subtegmine trium colorum, hyacinthi, cocci, purpuræ, et cum stamine byssino : et efficitur palliolum miræ pulchritudinis, præstringens fulgore oculos in modum Caracallarum, sed absque cucullis. Contrà pectus nihil contextum est, et locus futuro Rationali derelictus. In utroque humero habet singulos lapides clausos et astrictos auro, qui hebraicè dicuntur *soom*, ab Aquilâ et Symmacho et Theodotione onychini, à Septuaginta smaragdi transferuntur ; Josephus sardonychas vocat, cum hebræo Aquilâque consentiens : ut vel colorem lapidum, vel patriam demonstraret. Et in singulis lapidibus sena Patriarcharum nomina sunt, quibus israeliticus populus dividitur. In dextro humero majores filii Jacob, in lævo minores scripti sunt, ut pontifex ingrediens Sancta Sanctorum, nomina populi, pro quo rogaturus est Dominum, portet in humeris.

Septimum vestimentum est mensurâ parvulum, sed cunctis supradictis sacratius. Intende, quæso, animum, ut quæ dicuntur intelligas. Hebraicè vocatur *hosen*, græcè autem λόγιον, nos *Rationale* possumus appellare, ut ex ipso statim nomine scias mysticum esse quod dicitur. Pannus est brevis, ex auro et quatuor textus coloribus, hoc est, iisdem quibus et Superhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrum, et duplex, ne facilè rumpatur. Intexti sunt enim ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretii per quatuor ordines, ità ut in singulis versiculis terni lapides collocentur. In primo ordine sardius, topazius, smaragdus ponitur. Symmachus dissentit in smaragdo, ceraunium pro eo transferens. In secundo carbunculus, sapphirus, jaspis. In tertio lyncurius, achates, amethystus. In quarto chrysolithus, onychinus, berillus. Satisque miror cur hyacinthus, pretiosissimus lapis, in horum numero non ponatur : nisi fortè ipse est alio nomine lyncurius. Scrutans eos qui de lapidum atque gemmarum scripsêre naturis, lyncurium invenire non potui. In singulis lapidibus secundùm ætates duodecim tribuum scuplta sunt nomina. Hos lapides in diademate principis Tyri, et in Apocalypsi Joannis legimus, de quibus exstruitur cœlestis Jerusalem : et sub horum nominibus et specie, virtutum vel ordo, vel diversitas indicatur. Per quatuor Rationalis angulos, quatuor annuli sunt aurei, habentes contrà se in Superhumerali alios quatuor : ut cùm appositum fuerit λόγιον in loco quem in Ephod diximus derelictum, annulus veniat contrà annulum, et mutuò sibi vittis copulentur hyacinthinis. Porrò ne magnitudo et pondus lapidum contexta stamina rumperet, auro legati sunt atque conclusi : nec suffecit hoc ad firmitatem, nisi et catenæ ex auro fierint, quæ ob pulchritudinem fistulis aureis tegerentur, haberentque et in Rationali suprà duos majores annulos, qui uncinis Superhumeralis aureis necterentur, et deorsùm alios duos : nam post tergum in Superhumerali contrà pectus et stomachum, ex utroque latere erant annuli aurei, qui catenis cum Rationalis inferioribus annulis jungebantur : atque ità fiebat, ut astringeretur et Rationale Superhumerali, et Superhumerale Rationali, ut una textura contrà videntibus putaretur.

Octava est lamina aurea, id est, *sis zaab*, in quâ scriptum est nomen Dei hebraicis quatuor litteris *jod*, *he*, *vau*, *he*, quod apud illos ineffabile nuncupatur. Hæc super pileolum lineum et commune omnium sacerdotum, in pontifice plus additur, ut in fronte vittâ hyacinthinâ constringatur, *totamque* pontificis pulchritudinem, Dei vocabulum coronet et protegat.

Didicimus quæ vel communia cum sacerdotibus, vel quæ specialia pontificis vestimenta sunt : et si tanta difficultas fuit in vasis fictilibus, quanta majestas erit in thesauro, qui intrinsecùs latet ? Dicamus igitur priùs quod an Hebræis accepimus : et juxtà morem nostrum, spiritualis posteà intelligentiæ vela pandamus. Quatuor colores ad quatuor elementa referuntur, ex quibus universa subsistunt. Byssus terræ deputatur, quia ex terrâ gignitur. Purpura mari, quia ex ejus cochleolis tingitur. Hyacinthus aeri, propter coloris similitudinem. Coccus igni et ætheri, qui hebraicè *sani* ap-

pellatur : quod Aquila διάφορον, Symmachus δίβαφον interpretatus est. Pro cocco juxtà latinum eloquium, apud Hebræos *tholath*, id est, vermiculus scribitur ; et justum esse commemorant, ut pontifex Creatoris non solùm pro Israel, sed et pro universo mundo roget : siquidem ex terrâ et aquâ et aere et igne mundus iste consistat, et hæc elementa sint omnium. Undè primum vestimentum lineum, terram significat, secundum hyacinthinum, aerem in colore demonstrans, quia de terrenis paulatim ad excelsa sustollimur ; et ipsa vestis hyacinthina à capite usque ad talos veniens, indicat aerem de cœlis usque ad terram fusum. Mala autem punica et tintinnabulum in inferioribus posita, fulgura tonitruaque demonstrant, sive terram et aquam, et omnium elementorum inter se consonantiam : et sic sibi universa perplexa, ut in singulis omnia reperiantur. Quòd autem supradicti colores auro intexti sunt, id significari volunt, quòd vitalis calor et divini sensûs providentia universa penetret. Superhumerale et duos lapides, vel smaragdinos, vel onychinos, qui desuper sunt, et utrumque humerum tegunt, duo hemisphæria interpretantur : quorum aliud super terram, aliud sub terrâ sit; sive solem et lunam, quæ desuper rutilant. Zonam illam, quâ sacerdotis pectus arctatur et linea tunica, id est, terra constringitur, interpretantur oceanum. Rationale in medio positum terram edisserunt, quæ instar puncti, licet omnia in se habeat, tamen à cunctis vallatur elementis. Duodecim lapides, vel zodiacum interpretantur circulum, vel duodecim menses. Nec alicui gentilis videatur expositio. Non enim si cœlestia et Dei dispositionem, idolorum nominibus infamârunt, idcircò Dei est neganda providentia, quæ certâ lege currit et fertur, et regit omnia. Nam et in Job, Arcturum et Orionem et *mazuroth*, hoc est, zodiacum circulum et cætera astrorum nomina legimus. Non quòd eadem apud Hebræos vocabula sint, sed quia nos non possumus quæ dicuntur, nisi consuetis vocibus, intelligere. Pulchrè autem hoc ipsum quod in medio est, appellatur Rationale. Ratione enim cuncta sunt plena, et terrena hærent cœlestibus ; imò ratio terrenorum et temporum, caloris et frigoris, et duplex inter utraque temperies, de cœli cursu et ratione descendit. Undè et Rationale cum Ephod fortiùs stringitur. Porrò quod dicitur in ipso Rationali δήλωσις esse et ἀλήθεια id est, manifestatio, atque doctrina, vel veritas, hoc ipsum significat, quod nunquam in Dei ratione mendacium sit : sed et ipsa veritas multis signis et argumentis monstretur hominibus, et usque ad mortales veniat. Undè factum est, ut rationem solis et lunæ et anni et mensium et temporum et horarum, tempestatum quoque, serenitatis atque ventorum et rerum omnium nosceremus, *accipientes insitam* à Deo sapientiam, et ipso habitatore atque doctore, domicilii sui nobis et fabricæ scientiam demonstrante. Super omnia ciddaris et vitta hyacinthina cœlum monstrat, et auri lamina quæ in fronte pontificis est, inscriptumque nomen Dei, universa quæ subter sunt, Dei arbitrio gubernari. Idipsum ego puto sub aliis nominibus et in Cherubim et quatuor animalibus figuratum, quæ ità sibi permixta sunt et hærent, ut in uno inveniantur et cætera : et quod instanter, et antè se vadant, et non revertantur. Labuntur enim tempora, et præterita relinquentia, ad futura festinant. Quod autem semper in motu sunt, illud significat quod et philosophi suspicantur, currere mundum suo ordine, et incessabiliter velut rotam in suo axe torqueri : undè et rota in rotâ est, id est, tempus in tempore, et annus in semetipsum revolvitur : et ipsæ rotæ elevantur ad cœlum, et super crystallum thronus ex sapphiro est, et super thronum similitudo sedentis : cujus inferiora ignea sunt, superiora electrina, ut demonstret quæ inferiora sunt, igne et purgatione indigere : quæ sursùm, in conditionis suæ puritate persistere. Et quomodò hìc in habitu sacerdotis, auri lamina est desuper, ità in Ezechiele electrum in pectore et in vertice collocatur. Justum ergò erat (sicut suprà ex parte diximus) ut pontifex Dei, creaturarum omnium typum portans in vestibus suis, indicaret cuncta indigere misericordiâ Dei : et cùm sacrificaret ei, expiaretur universalis conditio, ut non pro liberis ac parentibus et propinquis, sed pro cunctâ creaturâ, et voce e habitu precaretur.

Tetigimus expositionem hebraicam, et infinitam sensuum sylvam alteri tempori reservantes, quædam futuræ domûs stravimus fundamenta. De feminalibus lineis hoc solent dicere : Ratio seminum et generationis ad carnem pertinens, terræ proxima deputatur. Undè et ad Adam loquitur Deus : *Terra es, et in terram ibis*. Causasque hujus rei, quomodò de parvulo semine et fœdissimis initiis tanta vel hominum vel diversarum rerum pulchritudo nascatur, esse obvolutas, et humanis oculis non patere. Legimus in Levitico, juxtà præceptum Dei, Moysen lavisse Aaron et filios ejus : jam tunc

purgationem mundi, et rerum omnium, sanctitatem Baptismi, sacramenta signabant. Non accipiunt vestes, nisi lotis priùs sordibus, nec ornantur ad sacra, nisi in Christo novi homines renascantur. Vinum enim novum in novis utribus mittitur. Quòd autem Moyses lavat, legis indicium est. Habent Moysen et Prophetas, ipsos audiant. Et ab Adam usque ad Moysen omnes peccaverunt. Præceptis Dei lavandi sumus, et cùm parati ad indumentum Christi, tunicas pelliceas deposuerimus, tunc induemur veste lineâ, nihil in sese mortis habente, sed totâ candidâ, ut de baptismo consurgentes, cingamus lumbos in veritate, et tota pristinorum peccatorum turpitudo celetur. Undè et David : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Post feminalia et lineam tunicam induimur hyacinthino vestimento, et incipimus de terrenis ad alta conscendere. Hæc ipsa hyacinthina tunica, à Septuaginta ὑποδύτης, id est, subucula nominatur, et propriè pontificis est, significatque rationem sublimium non patere omnibus, sed majoribus atque perfectis. Hanc habuerunt Moyses et Aaron et Prophetæ, et omnes quibus dicitur : *In montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.* Nec sufficit nobis priorum ablutio peccatorum, baptismi gratia, doctrina secretior, nisi habuerimus et opera. Undè jungitur et Ephod, id est Superhumerale, quod Rationali copulatur, ut non sit laxum, neque dissolutum, sed hæreant sibi invicem et auxilio sint. Ratio enim operibus, et opera ratione indigent, ut quod mente percipimus, opere perpetremus. Duoque lapides in Superhumerali, vel Christum significant et Ecclesiam, duodecim Apostolorum, qui ad prædicationem missi sunt, nomina continentes; vel litteram et spiritum, in quibus continentur legis universa mysteria. In dextrâ spiritus, in lævâ littera est. Per litteras ad verba descendimus, per verba venimus ad sensum. Quàm pulcher ordo, et ex ipso habitu sacramenta demonstrant. In humeris opera sunt, in pectore ratio. Undè et pectusculum comedunt sacerdotes. Hoc autem Rationale duplex est, apertum et absconditum, simplex et mysticum, duodecim in se lapides habens, et quatuor ordines, quos quatuor puto esse virtutes, prudentiam, fortitudinem, justitiam et temperantiam, quæ sibi hærent invicem, et dùm mutuò miscentur, duodenarium efficiunt numerum; vel quatuor Evangelia, quæ in Apocalypsi describuntur plena oculis, et Domini luce radiantia mundum illuminant. In uno quatuor, et in quatuor singula. Undè δήλωσις et ἀλήθεια, id est, doctrina et veritas in pectore sacerdotis est. Cùm enim indutus quis fuerit veste multiplici, consequens est, veritatem quam corde retinet, sermone proferre : et ob id in Rationali veritas est, id est, scientia, ut noverit quæ docenda sint, et manifestatio atque doctrina, ut possit instruere alios, quod mente concepit. Ubi sunt qui innocentiam sacerdoti dicunt posse sufficere? Vetus lex novæ congruit : idipsum Moyses quod Apostolus. Ille sacerdotis scientiam ornat in vestibus : iste Timotheum et Titum instruit disciplinis. Sed et ipse vestimentorum ordo præcipuus. Legamus Leviticum. Non prius Rationale, et sic Superhumerale, sed antè Superhumerale, et deinceps Rationale. *A mandatis tuis*, inquit, *intellexi :* priùs faciamus, et sic doceamus : NE DOCTRINÆ AUCTORITAS, cassis operibus destruatur. Hoc est quod in Prophetâ legimus : *Seminate vobis in justitiâ, et metite fructum vitæ : illuminate vobis lumen scientiæ.* Primùm seminate in justitiâ, et fructum vitæ æternæ metite : posteà vobis scientiam vindicate. Nec statìm absoluta perfectio est, si quis Superhumerale et Rationale habeat, nisi hæc ipsa inter se forti compagine solidentur, et sibi invicem connexa sint : ut et operatio rationi, et ratio operibus hæreat, et his præcedentibus, doctrina sequatur et veritas.

Quatuor elementa, de quibus suprà diximus, et duos lapides vel onychinos vel smaragdinos, et gemma duodecim, quæ ponuntur in Rationali, si esset tempus ut discuterem, singulorum naturas et causas tibi exponerem : et quid unusquisque valeat, et quomodo virtutibus singulis comparentur, pleniùs quæsita demonstrarem. Sufficiat, quod et sanctus Papa Epiphanius egregium super hoc volumen edidit : quod si legere volueris, plenissimam scientiam consequeris. Ego jam mensuram epistolæ excedere me intelligo, et excipientis ceras video esse completas. Undè ad reliqua transeo, ut tandem finiatur oratio. Lamina aurea rutilat in fronte : NIHIL ENIM NOBIS prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientiâ coronemur. Lineis induimur, ornamur hyacinthinis, sacro baltheo cingimur, dantur nobis opera, Rationale in pectore ponitur : accipimus veritatem, profert sermo doctrinam : IMPERFECTA SUNT UNIVERSA, nisi tàm decoro currui dignus quæratur auriga, et super creaturas Creator insistens, regat ipse quæ condidit. Quod olim in laminâ monstrabatur, nunc in signo ostenditur crucis. Auro legis sanguis Evangelii pretiosior est. Tunc signum juxtà Ezechielis vocem gementibus figebatur in fronte : nunc portantes crucem

dicimus : *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Bis in Exodo legimus præcipiente Domino, et Moyse jussa faciente, octo vestium genera pontificis. In Levitico de septem tantùm scriptum est : et refertur quomodò Moyses fratrem suum Aaron illis induerit : de solis feminalibus nihil dicitur : hâc (ut arbitror) causâ, quòd ad genitalia nostra et verenda lex non mittit manum; sed ipsi secretiora nostra et confusione digna tegere et valere debemus, et conscientiam puritatis ac seminum Deo judici reservare. De cæteris virtutibus, verbi gratiâ, sapientiâ, fortitudine, justitiâ, temperantiâ, humilitate, mansuetudine, liberalitate, possunt et alii judicare : pudicitiam sola novit conscientia, et humani oculi hujus rei certi judices esse non possunt : absque his qui passìm in morem brutorum animalium libidini expositi sunt. Undè et Apostolus : *De virginibus,* inquit, *præceptum Domini non habeo :* quasi Moyses loquatur : feminalibus ego non vestio, nec impono alicui necessitatem : qui vult sacerdos esse, ipse se vestiat. O QUANTÆ VIRGINES, et quantorum sperata pudicitia in die judicii dehonestabitur ! quantorum infamata pudicitia à Deo judice coronabitur ! Ipsi igitur assumamus feminalia : ipsi nostra verenda operiamus : non quæramus alienos oculos. Ità tegantur genitalia, ut nullorum oculis pateant: ne, quandò intramus Sancta Sanctorum, si qua appa uerit turpitudo, morte moriamur.

Jam sermo finitur, et ad superiora retrahor. Tanta debet esse scientia et eruditio pontificis Dei, ut et gressus ejus, et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu : ut quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum. ABSQUE TINTINNABULIS ENIM et diversis coloribus et gemmis floribusque virtutum, nec Sancta ingredi potest, nec nomen antistitis possidere. Hæc ad unam lucubratiunculam cùm jam funis solveretur à littore, et nautæ crebriùs inclamarent, propero sermone dictavi, quæ memoriâ tenere poteram, et quæ diuturnâ in Rationali pectoris mei lectione congesseram : satis intelligens magis me loquendi impetu, quàm judicio scribentis fluere, et more torrentis turbidum proferre sermonem. Fertur in indice Septimii Tertulliani liber de Aaron vestibus, qui interìm usque ad hanc diem à me non est repertus. Si à vobis propter celebritatem urbis fuerit inventus, quæso ne meam stillam illius flumini comparetis. Non enim magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus æstimandus.

EPISTOLA HIERONYMI AD FABIOLAM,

Non fuit scripta antè annum 400.

DE XLII MANSIONIBUS ISRAELITARUM IN DESERTO.

In septuagesimo septimo Psalmo, quem juxtà Evangelistam Matthæum ex personâ Domini dictum credimus, decem plagarum in Ægypto, et egressionis Israel in solitudinem, narratur historia. Cùmque nulli dubium sit, facta esse quæ scripta sunt, quasi aliud littera sonet, aliud spiritus clausum teneat : *Aperiam,* inquit, *in parabolâ os meum, loquar propositiones ab initio. Quanta audivimus et vidimus, et patres nostri narraverunt nobis.* Undè et Apostolus iisdem verbis, quia eodem et spiritu : *Hæc autem,* ait, *omnia in figurâ contingebant illis; scripta sunt autem ad commonitionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt :* Et : *nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari : et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petrâ; petra autem erat Christus.* Si ergò pars historiæ itineris ex Ægypto spiritualiter accipitur, et cætera, quæ ab Apostolo pro angustiâ temporis prætermissa sunt, ejusdem esse intelligentiæ convincentur. Nam idem Propheta, qui in alio loco dixerat : *Habitavi cum habitantibus Cedar : multùm incola fuit anima mea,* absentiam Terræ sanctæ non sustinens, lacrymabiliter ingemiscit, et dicit : *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam : donec transeam in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei : in voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Et in alio Psalmo : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tuâ.* Paulus quoque : *lex spiritualis est.* Et ipse Dominus : *Si crederetis Moysi, et mihi crederetis : de me enim ille scripsit.* Et Evangelium secundùm Lucam : *Tunc incipiens à Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in cunctis Scripturis quæ de se ipso dicta erant.* Igitur Judæi parvuli, et qui solidum cibum glutire nequeunt, sed adhuc lacte nutriuntur infantiæ, legant Pharaonem carneum, et mare Rubrum, per quod ad Indiam navigatur ; et Manna coriandro simile, et omnia quæ scripta sunt, audiunt corporaliter : lepram domorum, et lepram pellis, et staminis; taurum homicidam, et jumentum adulterii reum; et Hebræi propter uxorem ac liberos servire cupientis, aurem subulâ perforatam. Nos autem derelinquentes Capharnaum, agrum quondàm pul-

cherrimum, et cum Jesu egredientes in desertum pascamur panibus ejus, si insipientes sumus et jumentorum similes, hordeaceis: sin rationale animal, triticeis, et ex grano frumenti commolitis, quod in terram cadens et mortuum multos fructus attulit. Novem plagis percussa est Ægyptus, fractus Pharao, ut dimitteret populum Dei. Ad extremum primogenita perdidit, ut primogenita Israelis Domino sacrarentur. Qui priùs tenere cupiebant, instanter expellunt. Exterminator transit, et terram Gessen pastoralem et pluviis irrigatam, non audet attingere: erant enim postes eorum agni cruore signati, et opere loquebantur: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Undè et appellatur ipsa solennitas *Phase*, quam nos *transitum* appellare possumus, eò quòd de pejoribus ad meliora pergentes, tenebrosam Ægyptum relinquimus. Sed jam tempus est ut promissa complentes, Mansionum Israel ordinem prosequamur.

Scriptum est in ultimâ parte voluminis Numerorum, quòd apud Hebræos appellatur VAJEDABBER: *Hæc sunt castra filiorum Israel, qui egressi sunt de terrâ Ægypti per turmas suas in manu Moysi et Aaron;* quas Græci ἀπάρσεις vocant, nos propter linguæ proprietatem significantiùs *Mansiones*, sive quia de exercitu dicitur, *castra* transtulimus. Fit autem catalogus Mansionum à primâ usque ad ultimam; et numerantur simul quadraginta duæ, de quibus Matthæus loquitur: « Ab Abraham usque ad « David generationes quatuordecim, et à David « usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim: et à transmigratione « Babylonis usque ad Christum generationes « quatuordecim, id est, simul generationes quadraginta duæ. » Per has currit verus hebræus: qui de terrâ transire festinat ad cœlum, et Ægypto seculi derelictâ, terram repromissionis ingreditur. Nec mirum, si in illo numeri sacramento perveniamus ad regna cœlorum: sub quo Dominus atque Salvator à primo Patriarchâ pervenit ad virginem, quasi ad Jordanem, quæ pleno gurgite fluens, Spiritûs sancti gratiis redundabat. Quod autem in manu Moysi et Aaron egressus scribitur, intellige legem et sacerdotium, opera et cultum Dei, quorum alterum altero indiget. NIHIL ENIM PRODEST exercere virtutes, nisi noveris Creatorem: nec Dei veneratio proficit ad salutem, nisi præcepta Conditoris impleveris. His duabus manibus, quasi duobus Seraphim in confessionem sanctæ Trinitatis erumpimus, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth.

PRIMA MANSIO.

Moverunt autem castra de Ramesse, mense primo, quintâ decimâ die mensis primi; alterâ die post Pascha egressi sunt filii Israel in manu excelsâ in conspectu omnium Ægyptiorum: et Ægyptii sepeliebant quos percusserat Dominus ex eis, omne primogenitum in terrâ Ægypti: et in diis eorum fecit Dominus judicia.

Ramesses à quibusdam interpretatur *commotio turbulenta*, aut *amaritudo, commotioque tineæ:* nos autem veriùs æstimamus exprimi, *tonitruum gaudii.* Ad hanc urbem quæ in extremis Ægypti finibus erat, populus congregatus est, qui in desertum exire cupiebat, eò quòd tumultum seculi derelinquens, movebatur à vitiis pristinis, et ab excomedente se priùs tineâ peccatorum, et omnem amaritudinem vertens in dulcedinem, ut Dei vocem in Sinâ monte desuper tonantis audiret. Quòd autem verba divina et eloquia Scripturarum, in istius seculi et mundi rotâ, tonitrus appellentur, Psalmista declarat dicens: *Vox tonitrui tui in rotâ.* Et Dei Patris vocem in baptismo Salvatoris audientes, tonitruum putaverunt. Cùmque commoti fuerimus ad Evangelicam tubam, et excitati tonitruo gaudii, eximus in mense primo, quandò hyems præteriit et abit sibi, quandò veris exordium est, quandò terra parturit, quandò cuncta renovantur, et eximus quintâ decimâ die mensis primi, in crastinum Paschæ, pleno mensis lumine, post esum Agni immaculati, et calceatos pedes habentes de Apostolo, et accinctos pudicitiâ lumbos, et baculos in manibus præparatos. Quamvis enim in Ægypto quartâ decimâ die mensis Pascha facientes, comederimus Agnum, tamen tunc nobis lux plena completur; quandò in manu excelsa Ramessem dimittimus, quæ excelsa dicitur, vel quòd Ægyptum percusserit, vel quòd protexerit Israel videntibus Ægyptiis, qui admirantur nos exire de seculo, et torquentur invidiâ, et posteà nos tenere cupientes, in persecutionibus suffocantur; quandò et Ægyptii sepeliunt primogenitos suos, et patres mortui terrenis operibus, opprimunt mortuos filios suos. Mihi videntur Ægyptiorum primogenita, dogmata esse philosophorum, quibus deceptos homines atque irretitos tenebant. Quæ cùm Israel vivus effugerit, circumdant mortuis suis: ne exeuntium imitentur exemplum. Porrò quod sequitur: *Indiis eorum fecit judicia*, sive ut Septuaginta transtulerunt, *ul-*

tiones : illud Hebræi autumant, quòd nocte quâ egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sint, sive motu terræ sive ictu fulminum. Spiritualiter autem discimus, quòd egredientibus nobis de Ægypto, errorum idola corruant, et omnis perversarum doctrinarum cultura quatiatur.

II MANSIO.

Et proficiscentes filii Israel de Ramesse, castrametati sunt in Soccoth.

Secùnda Mansio: In hâc coquunt panes azymos, et primùm tendunt tabernacula, undè et ex re locus nomen accepit. SOCCOTH quippè interpretantur in linguâ nostrâ, *tabernacula*, sive *tentoria*. Et ob hoc septimo mense, quintâ decimâ die mensis solemnitas Tabernaculorum est. Cùm ergò exierimus ex Ægypto, primùm tabernacula figimus, scientes nobis ad ulteriora pergendum. Tunc non comedimus de fermento Ægypti, de fermento malitiæ et nequitiæ : sed vescimur azymis sincerità-tis et veritatis : Domini præcepta opere consummantes : *Cavete à fermento Pharisæorum.* In hâc nobis præcipitur Mansione, ut semper egressionis ex Ægypto memores simus; ut celebremus transitum, id est, Phrase Domini; ut primogenita nostri uteri, cunctarumque virtutum, pro primogenitis Ægypti quæ percussa sunt, Domino consecremus.

III MANSIO.

Et profecti de Soccoth, castrametati sunt in Etham, quæ est in extremo solitudinis.

Tertia Mansio offertur post tabernacula, in quâ primùm videtur Dominus nocte in columnâ ignis, et per diem in columnâ nubis, ut præcedat populum, et dux itineris fiat. ETHAM nobiscum sonat *fortitudo* atque *perfectio*, de quâ et David canit : *Tu dirupisti fluvios Etham*, id est, *fortes*. Grandis est fortitudo, Ægyptum dimittere, et in extremâ solitudine commorari. Ex quo intelligimus locum Soccoth adhuc juxtà Ægypti fuisse regiones. In eo enim quòd dicitur : *quæ est in extremis finibus solitudinis*, ostenditur inter confinia esse eremi et Ægypti. Præparemus nobis fortitudinem, assumamus perfectum robur : ut inter errorum tenebras et confusionem noctis, scientiæ Christi lumen appareat. Dies quoque noster nubem habeat protegentem : ut his ducibus ad sanctam Terram pervenire valeamus.

IV MANSIO.

Profectique de Etham, reversi sunt ad Phiahiroth, quod est contrà Beel-sephon, et castrametati sunt è regione Magdol.

Quarta Mansio est PHIAHIROTH, quæ interpretatur *os nobilium*, scribiturque hebr. per litteram HETH. Quidam malè, *hiroth*, *villas* putant, errorque manifestus, quòd pro supradicto elemento, AIN litteram legant. BEEL-SEPHON in linguam nostram vertitur *Dominus aquilonis*, aut *ascensus speculæ*, aut *habens arcana*. PORRÒ MAGDOL, *magnitudo*, vel *turris*. Assumptâ igitur fortitudine, nobilitamur in Domino, et Beel-sephon idoli arcana comtemnimus, illiusque magnificentiam et turritam superbiam declinamus. Non enim est ab austro, undè Dominus venit, et à meridie, in quâ sponsus recumbit in floribus; sed possessor aquilonis, venti frigidissimi, à quo exardescunt mala super terram : qui cùm sit frigidissimus, nomine dexter vocatur, falsum sibi assumens vocabulum virtutis ac dextræ, cùm totus sit in sinistrâ.

V MANSIO.

Et profecti de Phiahiroth, transierunt per medium mare in deserto : et ambulaverunt viam trium dierum in solitudine Etham, et castrametati sunt in Marâ.

Quinta Mansio est in MARA, quæ interpretatur *amaritudo*. Non poterant ad Rubri maris gurgites pervenire, et Pharaonem cum suo exercitu videre pereuntem, nisi postquàm habuerunt in ore nobilitates, id est, in Domini confessione virtutes, quandò crediderunt Deo et Moysi, famulo ejus, et audierunt ab eo : *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis*, et victores, Mariâ præcinente, in tympanis et choris resonare cœperunt carmina triumphantium : *Cantemus Domino; gloriosè enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare.* Post prædicationem Evangelii, post tabernacula transmigrantium, post assumptam fortitudinem, post confessionis nobilitatem, pericula rursùs occurrunt. UNDÈ DISCIMUS cavendas semper insidias, et invocandam misericordiam Dei, ut insequentem Pharaonem possimus effugere, et nobis in spirituali baptismo suffocetur. Egressis de mari Rubro, occurrit eremus Sur, quæ et solitudo Etham dicitur, in quâ tribus diebus ingredientes non habuerunt aquam : et pervenerunt ad Mara, quæ ex amaritudine nomen accepit. Habebat fons aquam, et dulcedinem non ha-

bebat. Murmurat populus videns aquas, et potare non sustinens. Intellige Mara, aquas occidentis litteræ : quibus si immittatur confessio crucis, et passionis Dominicæ sacramenta jungantur, omne quod impotabile et triste videbatur ac rigidum, vertitur in dulcedinem. Undè et scriptum est : *Constituit Deus populo legem et judicia, et tentavit eum.* UBI ENIM MAGNITUDO gratiæ, ibi magnitudo discriminis. Nec terrearis, si post victoriam venias ad amaritudinem : quia verum Pascha facientes, azyma cum amaritudinibus comedunt, et tentatio probationem, probatio spem, spes parit salutem. Apud medicos quoque, quædam antidotus, noxios humores temperans, ex amaritudine nuncupatur, quæ dulcis ostenditur, restituens sanitatem : sicut è contrario voluptas atque luxuria amaritudine terminantur, dicente Scripturâ : *Quæ ad tempus pinguefacit fauces tuas, novissimè verò amariùs felle invenies.*

VI MANSIO.

Et profecti de Marâ, venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ; ibique castrametati sunt.

Sexta Mansio in *arietes fortesque* vertitur. Quàm pulcher ordo virtutum ! Post victoriam tentatio; post tentationem refectio. De amaritudine venimus ad arietes et robustos principes gregis, quos apud Ezechielem Dominus judicaturum esse se dicit, quòd alii eorum conculcaverint aquas et compresserint oves; alii lenes et placabiles fuerint. De his et vicesimus octavus Psalmus loquitur : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Sextæ Mansionis tenemus hospitium. Nunquàm priùs occurrerunt fontes purissimi, nisi ubi magistrorum doctrina prorupit. Nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivatæ aquæ, totius mundi siccitatem rigant. Juxtà has aquas septuaginta creverunt palmæ, quos et ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Lucâ Evangelistâ testante, duodecim fuisse Apostolos, septuaginta discipulos minoris gradûs : quos et binos antè se Dominus primùm undecim, deindè Apostolis omnibus, alios volens intelligi primos, ut alios secundos Christi discipulos. Bibamus de hujusmodi fontibus, et dulces fructus victoriæ devorantes, ad mansiones reliquas præparemur.

VII MANSIO.

Profectique de Elim, castrametati sunt ad mare Rubrum, quod hebraicè dicitur JAM SUPH.

Septima Mansio. Et quæritur, quomodò post transitionem maris Rubri et fontis Mara, et Elim, rursùm ad mare Rubrum venerint, nisi fortè in itinere pergentibus, sinus quidam maris occurrerit, juxtà quem castrametati sint. Aliud est enim transire mare, aliud in proximo figere tabernacula. Ex quibus monemur, etiam post Evangelicam disciplinam et cibos dulcissimos triumphorum, apparere nobis interdùm mare, et præterita discrimina poni antè oculos. Quanquàm multæ differentiæ sit transire mare, et mare procul aspicere. Verbum JAM SUPH, apud Hebræos ex mari et rubro compositum est. SUPH, autem et *Rubrum* et *Scyrpus* vocatur. Undè possumus suspicari, quòd venerint ad paludem quamdam et lacum, qui et carecto et juncis plenus fuerit. Quòd autem omnes congregationes aquarum Scriptura sancta, mare vocet, nulla dubitatio est. Hæc Mansio in Exodo non habetur; sed scriptum est pro eâ, quòd de mari Rubro venerint ad desertum Sin, quæ est inter Elim et Sinai, quintâ decimâ die mensis secundi egressionis eorum ex Ægypto, id est, tricesimâ primâ postquàm egressi sunt de Ramesse.

VIII MANSIO.

Et profecti de mari Rubro, castrametati sunt in solitudine Sin.

Octava Mansio, licèt juxtà ordinem Exodi septima sit. Sed sciendum, quòd omnis usque ad montem Sinai eremus Sin vocetur, et ex totâ provinciâ, etiam locus unius Mansionis nomen acceperit : sicut et Moab tàm urbis quàm provinciæ nomen est. In hâc solitudine quinque Mansiones sunt : Jam Suph, de quâ suprà diximus, et eremus Sin, et Dephca, et Alus, et Raphidim, de quibus loquemur in consequentibus. SIN autem, interpretatur *rubus*, vel *odium*, quorum utrumque facit ad mysticos intellectus, quod postquàm venerimus ad eum locum, de quo sit nobis Dominus locuturus, grande odium mereamur inimici. Tunc videbimus ardere rubum, et non comburi : inflammari Ecclesiam persecutionibus, et eam, loquente in illâ Domino, non perire. Et nota, quòd in octavâ Mansione, in quâ torcularia nostra sunt, undè et octavus Psalmus, hoc titulo prænotatur, desertum capimus ru-

bi : quia plures filii desertæ magis, quàm ejus quæ habet virum.

IX MANSIO.

Et profecti de deserto Sin, castrametati sunt in Dephcâ.

Nona Mansio : Hoc nomen apud Græcos κροῦμα, id est, *pulsatio* dicitur : juxtà quod et Dominus ait : *Pulsate et aperietur vobis.* In libro autem Hebraicorum Nominum, adhæsionem remissionemque transtulimus, quod lectorem turbare non debet. Nec putet nos dissonantia scribere. Ibi enim juxtà id quo vulgò habetur edidimus, si medium verbum scribatur per BETH litteram : hìc autem in hebraico volumine scriptum reperi per PHE, quod elementum magis pulsationem quàm glutinum sonat : sensusque est manifestus, post responsa Domini, post octavum numerum resurrectionis, Christi incipimus sacramenta pulsare. Prudentem studiosumque lectorem rogatum velim, ut sciat me vertere nomina juxtà hebraicam veritatem. Alioquin in græcis et latinis codicibus, præter pauca, omnia corrupta reperimus : et miror quosdam eruditos et ecclesiasticos viros ea voluisse transferre quæ in hebraico non habentur, et de malè interpretatis, fictas explanationes quærere, ut in præsenti pro *Dephcâ* legant *Rephca*, litteram ponentes pro littera, eò quòd RES et DALETH parvo apice distinguantur, et interpretantur *curationem*, atque exindè tropologiam similem prosequuntur.

X MANSIO.

Profecti de Dephcâ, castrametati sunt in Alus.

Decima Mansio in Exodo non habetur, creditur que in Sin eremo contineri, eodem narrante libro : *Profecta est omnis multitudo filiorum Israel de eremo Sin per Mansiones suas, juxtà os Domini, et venerunt Raphidim.* Ex quo perspicuum est plures Mansiones, unius regionis vocabulo demonstrari. Interpretaturque ALUS, fermentum, quod tollens mulier, miscuit farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. In hâc solitudine murmurat populus propter famem, et conversus respicit procul in nube gloriam Dei; accepitque vespere coturnicem, et mane alterius diei manna. Et nota in Mansione decimâ fermentum poni, et post esum carnium manna tribui; implerique Scripturam : *Panem Angelorum manducavit homo.*

XI MANSIO.

Profecti de Alus, castrametati sunt in Raphidim : et non erat ibi aqua populo.

Undecima Mansio est, quam violenter interpretatam in libro Hebraicorum Nominum reperi : *Vidit os sufficiens eis*, aut certè : *visio oris fortium*; meliùsque transfertur : *dissolutio fortium*, vel *sanitas fortium*; sive juxtà proprietatem linguæ syræ : *remissio manuum.* Hæc et in Exodo legitur post profectionem de eremo Sin. Queritur in eâ populus ob ardorem sitis : fons de petrâ Oreb erumpit et profluit, et quia tentaverunt Deum, locus Raphidim, tentationis quoque, id est, MESSE, sortitus est nomen. Moyses ascendit in montem; Jesus contrà Amalec militat; ad crucis signum, superatur inimicus : remissis orantis manibus, hostis victor insequitur. Sedet Moyses super lapidem dictum à Zachariâ, qui septem habebat oculos, et in Samuelis volumine appellatur ABEN EZER, id est, *lapis adjutorii* : et utramque manum ejus, Aaron et Ur, id est, montanus lucidusque sustentat. Devicto adversario, supervenit Jethro, adducit Zephoram et utrumque filium; dat concilium septuaginta Seniorum : et in typum Ecclesiæ de gentibus congregatæ, legis immunitio Evangelio suggerente completur. Pulchrè autem *dissolutio* ac *sanitas fortium*, RAPHIDIM dicitur, vel propter dissipatum Amalec, vel propter sanatum Israel. Sin autem *remissionem manuum* juxtà Syros RAPHIDIM sonat, dicemus propter offensam populi, quia contrà Dominum murmuravit, istud loco nomen impositum. Hæc tangimus potiùs quàm exponimus, breviter indicâsse contenti, quòd post fermentum Alus et Messam Ecclesiæ, soleant multiplicia dæmonum adversùm nos tentamenta consurgere.

XII MANSIO.

Et profecti de Raphidim, castrametati sunt in solitudine Sinaï

Duodecima Mansio est. Statim tibi veniat in mentem Apostolorum numerus : una de pluribus, sed major ab omnibus, non separatur in ordine, et præcellit in merito. Ad hunc locum quadragesimâ septimâ die perveniunt Scripturâ dicente : *Mense tertio egressionis filiorum Israel de Ægypto : in die hâc transierunt in solitudine Sinaï, profectique de Raphidim, venerunt in desertum Sinaï, et castrametati sunt in eremo, seditque ibi Israel è regione montis; et Moyses ascendit ad Deum : vocavitque eum Dominus de monte dicens*, et reliqua. Et rursùm :

Vade, inquit, *ad populum, et sanctifica eos hodiè et cràs : et lavent vestimenta sua, sintque parati in diem tertium, quia tertiâ die descendet Dominus, videnteuniverso populo, super montem Sinaï.* Quod et factum est. Laveruntque vestimenta sua, et ab uxorum coitu separatis, die tertio descendit Dominus in montem; quo fumante, et fulgore, tonitruo, caligine, voce, tubâ, mortalium corda terrentibus, Moyses loquebatur, et Dominus respondebat ei. Supputemus numerum, et inveniemus quinquagesimo die egressionis Israel ex Ægypto in vertice montis Sinaï legem datam. Undè et Pentecostes celebratur solemnitas, et posteà Evangelii sacramentum Spiritûs sancti descensione completur : ut sicut priori populo quinquagesimo die, vero Jubilæo et vero anno Remissionis, et veris quinquaginta et quingentis denariis, qui debitoribus dimittuntur, lex data est : ad Apostolos quoque et, qui cum eis erant, in centum viginti Mosaicæ ætatis numero constitutis, descenderit Spiritus sanctus, et divisis linguis credentium, totus Evangelicâ prædicatione mundus expletus sit. Longum est si replicare velim, quod in lege præceptum sit, quomodò fabricatum tabernaculum, quæ varietas hostiarum, quæ vasorum diversitas, quæ indumenta pontificis, quæ sacerdotum et levitarum cæremoniæ, quid egerint, quomodò populus numeratus sit. Hoc tantùm dicam, quòd media pars Exodi, et totus Leviticus liber, et Numerorum præcepta non modica, et per singulas populi tribus distributio, et oblationes principum in hâc Mansione descriptæ sint : multorumque voluminum disputatio huic loco sufficere vix possit. Interpretatur autem SINAI, rubi; non unus, ut suprà in solitudine Sin, sed plures : ut ibi principium sit, hìc perfectio : ibi solitarius numerus, hìc multiplex. Aliud est enim unam, et aliud omnes gratias possidere.

XIII MANSIO.

Et profecti de solitudine Sinaï, castrametati sunt sunt in sepulcris concupiscentiæ.

Tertia decima Mansio, cujus nomen cum interpretatione editum est, apud Hebræos appellatur CABAROTH ATTHAVA. Est autem sensus ille de Evangelio, quod Jesus baptizatus statim à spiritu ductus est in desertum, et tentabatur à diabolo. Itaque et Israel post familiarem cum Domino sermonem, postquàm juxtà montem Sinaï commoratus est anno uno et diebus quatuor, mirâ dispositione castrorum egressus est in solitudine PHARAN; quæ interpretatur *onager,* aut *feritas,* ibique succumbit malæ bestiæ, fastidiens cœlestem panem, et Ægyptiorum carnes desiderans, quandò multos subitum voravit incendium, et intercedente Moyse humum vorax flamma consumpsit. Tunc accipiunt coturnices, et usque ad nauseam ac vomitum devorant. Eliguntur septuaginta presbyteri : vadunt ad ostium tabernaculi, duo remanent, Heldad et Medad, non imperii negligentes, sed humilitate submissi, dùm se honore arbitrantur indignos. Undè et absentes prophetant : saturatoque populo quùm adhuc escæ essent in ore eorum, ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum, et electos Israel præpedivit, ne ad malum velociter currerent : undè et appellatus est locus, *sepulcra concupiscentiæ,* sive, ut in Septuaginta legimus, *memoria desiderii.* Ex quibus omnibus nos omnes docemur, qui sapientiam dimisimus secularem, et ægyptias ollas contempsimus, non debere murmurare contrà cœlestem Scripturarum panem, nec virulentias Ægyptiorum, qui sunt magnarum carnium, sed simplicem mannæ cibum quærere : alioquin si rursùs eas voluerimus appetere, vorabimus usque ad nauseam, et statim Domini igne torquebimur, desideriumque nostrum vertetur in tumulos, ut simus sepulcra dealbata, quæ foris parent hominibus speciosa, intùs autem plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitiâ.

XIV MANSIO.

Et profecti de sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Aseroth.

Quarta decima Mansio est in solitudine Pharan, quæ in *atria* vertitur. In hâc Aaron et Maria, propter Æthiopissam contrà Moysen murmurant, et in typum zeli adversùs Ecclesiam de gentibus congregatam, populus Judæorum lepræ sorde perfunditur; nec redit ad tabernaculum et pristinam recipit sanitatem, donec statutum plenitudinis gentium tempus impleat. Et hoc, prudens lector, attende, quòd post consummatam in duodecimo numero virtutem, quia superbivit Israel, et in sepulcris concupiscentiæ carnes ægyptias desideravit : rursùm jacit aliud fundamentum, et atria, id est, vestibulum virtutis ingreditur, ostendens nobis, et eos qui stant posse cadere, et qui ceciderunt posse resurgere. Positus est enim Jesus in ruinam et resurrectionem multorum, et ipse loquitur per Prophetam : *Numquid qui cadit non resurget?*

XV MANSIO.

Et profecti de Aseroth, castrametati sunt in Rethmâ.

Pro quo suprà in hoc eodem libro legimus : Postquàm profectus est populus de Aseroth, castrametati sunt in solitudine Pharan.

Hæc est autem quinta decima Mansio. Et notandum quòd reliquæ Mansiones decem et octo, quarum nunc breviter catalogus describitur, à Rethmâ usque ad Asiongaber, id est, usquè ad tricesimam secundam Mansionem, sub Pharan solitudinis nomine contineantur, in quibus universa quæ scripta sunt, diversis temporibus gesta sentimus : quæ quia non sunt per Mansiones singulas distributa, à nobis quoque in commune dicentur, ut posteà veniamus ad reliqua. RETHMA transfertur *sonitus*, aut *juniperus*, quanquàm plerique ἄρκευθον apud Græcos, aliud genus arboris significare contendant. Juniperum autem et primus graduum Psalmus, juxtà veritatem hebraicam sonat, ubi scriptum est : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ?* Et Propheta respondet : *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus juniperorum :* pro quo apud nos legitur *desolatoriis*. Ferunt autem lignum hoc ignem multo tempore conservare, ità ut si prunæ ex ejus cinere fuerint opertæ, usque ad annum perveniant. Ex quo discimus post sepulcra concupiscentiæ, et vestibula, transire nos ad lignum, quod multo tempore calorem tenet, ut simus ferventes spiritu, et claro sonitu atque exaltatâ voce Evangelium Domini prædicemus. Ab hâc itaque Mansione usque ad tricesimam secundam istiusmodi continentur historiæ. Duodecim exploratores mittuntur ad Terram sanctam ; botrus refertur in ligno, et Christi breviter Passio demonstratur. Murmurat populus Judæorum, gigantum impetum reformidans. Pugnat contrà Amalec et Chananæum nolente Deo, et victus intelligit quæ debebat in Terrâ sanctâ exercere sacrificia. Dathan et Abiron et filii Core consurgunt contrà Moysen et Aaron, et terræ voragine glutiuntur. Inter mortuos et viventes pontifex medius thuribulo armatus ingreditur, et currens ira Dei sacerdotis voce prohibetur. Virga Aaron et florem profert et folia, et in æternam memoriam, virens siccitas consecratur. Necdùm templum et jam æditui, necdùm sacerdotes et levitæ obtulère sacrificia, et partes eorum mysticus sermo describit. Vitula rufa in holocausto concrematur, et cinis ejus, piacularis aspersio est. Quorum omnium figuræ proprios libros flagitant, et melius reor tacere quàm pauca dicere.

XVI MANSIO.

Et profecti de Rethmâ, castrametati sunt in Remmon-Phares.

Sexta decima Mansio est, quæ interpretatur græco sermone ῥοιᾶς ἀποκοπή, Latinè : *mali punici divisio,* quod alii *malum granatum* vocant. Cujus arboris fructus in Scripturâ dupliciter accipitur, aut in Ecclesiæ gremio, quæ omnem turbam credentium suo cortice legit, aut in varietate et consonantiâ virtutum, juxtà illud quod scriptum est : *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una :* sicque divisi sunt singuli gradus, ut omnes eâdem compage teneantur.

XVII MANSIO.

Et profecti de Remmon-Phares, castrametati sunt in Lebnâ.

Septima decima Mansio est, quam in *laterem* possumus vertere, licèt quidam *Lebbona* transferentes, malè *candorem* interpretati sint. Legimus ægyptios lateres in Exodo, quos populus faciens ingemuit. Legimus in Malachiâ lateres pro quibus Idumæa destructis politos lapides reponere nititur. Et laterem in Ezechiel in quo obsessæ Jerusalem pictura describitur. Ex quibus discimus in itinere istius vitæ, et de alio in aliud transitum, NUNC NOS CRESCERE, nunc decrescere, et post ordinem Ecclesiasticum sæpè ad laterum opera transmigrare.

XVIII MANSIO.

Et profecti de Lebnâ, castrametati sunt in Ressâ.

Octava decima Mansio in *frenos* vertitur. Si enim post profectum, rursùm ad luti opera descendimus, infrenandi sumus, et cursus vagi atque præcipites Scripturarum retinaculis dirigendi. Hoc verbum, quantùm memoria suggerit, nusquàm alibi in Scripturis sanctis apud Hebræos invenisse me novi, absque libro apocrypho, qui à Græcis λεπτή, id est, *parva* Genesis, appellatur : ibi in ædificatione turris, pro stadio ponitur, in quo exercentur pugiles et athletæ, et cursorum velocitas comprobatur. Dicit et Psalmista : *In freno et chamo maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Et Apostolus : *Nescitis quòd qui in stadio currunt, omnes quidem currunt : sed unus accipit palmam ? Sic currite, ut comprehendatis.*

XIX MANSIO.

Et profecti de Bessâ, castrametati sunt in Caalthâ.

Nona decima Mansio interpretatur *Ecclesia*. Vagi currentium gressus, frenis ad Ecclesiam retrahuntur : et fores quas antè reliquerant, rursùm intrare festinant.

XX MANSIO.

Et profecti de Caalthâ, castrametati sunt in monte Sapher.

Vigesima Mansio interpretatur *pulchritudo*, et in monte decoris est constituta, de quâ et quarti decimi Psalmi principium sonat : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* VIDE QUID prosint frena. A vitiis nos retrahunt, introducunt ad virtutum choros, et in Christo, monte pulcherrimo, habitare faciunt. Iste, juxtà Danielem, lapis excisus de monte sine manibus, crevit in montem magnum, et implevit omnem terram. Iste, juxtà Ezechielem, vulneravit principem Tyri. Ad istum in Isaiâ et Michæâ populi confluunt, dicentes : *Venite, ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas : et ambulabimus in semitis ejus.*

XXI MANSIO.

Et profecti de monte Sapher, castrametati sunt in Aradâ.

Vicesima prima Mansio vertitur in *miraculum*. Quàm pulcher ordo profectuum, quàm egregia textura credentium ! Post opus lateris infrenamur; post frenos in Ecclesiam introducimur ; post habitationem Ecclesiæ, ad Christum montem ascendimus, in quo positi stupemus atque miramur : ut noster in laudibus ejus sermo superetur, invenientes in eo, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

XXII MANSIO.

Et profecti de Aradâ, castrametati sunt in Maceloth.

Vicesima secunda Mansio in *cœtus* vertitur. In hâc enim consistit multitudo credentium, Ecclesia primitivorum, virtutum omnium consonantia. Tunc verè possumus dicere : *Ecce quàm bonum et quàm jucundum, habitare fratres in unum!* Et : *Dominus habitare facit unius moris in domo.*

XXIII MANSIO.

Et profecti de Maceloth, castrametati sunt in Thaath.

Vicesima tertia Mansio potest et *subter* intelligi, sed meliùs *pavorem* interpretabimur. Venisti ad Ecclesiam, ascendisti ad montem pulcherrimum; stupore et miraculo, Christi magnitudinem confiteris; vides ibi multos virtutis tuæ socios : noli altùm sapere, sed time. Dominus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et qui se exaltat, videat ne cadat. Potentes potenter tormenta patientur. TIMOR VIRTUTUM custos est ; securitas ad lapsum facilis. Undè et in quodam Psalmo, postquàm Propheta dixerat : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit ; in loco pascuæ ibi me collocavit*, jungit timorem, qui custos est beatitudinis, et infert : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Et est sensus : dùm tormenta formido, servavi gratiam quam acceperam.

XXIV MANSIO.

Et profecti de Thaath, castrametati sunt in Thare.

Vicesima quarta Mansio, quam nonnulli vertunt in *malitiam* vel *pasturam*, nec errarent si per *ain* litteram scriberetur; nunc verò, cùm aspiratio duplex in extremâ sit syllabâ, erroris causa manifesta est. Hoc eodem vocabulo et iisdem litteris scriptum invenio patrem Abraham, qui in supradicto apocrypho Geneseos volumine, abactis corvis qui hominum frumenta vastabant, *abactoris* vel *depulsoris* sortitus est nomen. Itaque et nos imitemur Thare, et volucres cœli quæ juxtà viam satum triticum devorare festinant, solliciti prohibeamus. Nam et Abraham Patriarcha in typo Israelis, et hostiam, divisa membra sacrificii, à volucribus non sinit devorari; et contemptorem oculum effodiunt corvi de convallibus; verusque Moyses ducit Æthiopissam ; et Elias à corvis pascitur. Si habueris pavorem, sollicitus eris ; si sollicitus fueris, leo in caulas ovium tuarum introire non poterit : quod vel ad præpositos Ecclesiarum, vel ad custodiam refer animæ tuæ, ad quam leo diabolus per diversa vitiorum foramina ingredi nititur.

XXV MANSIO.

Et profecti de Thare, castrametati sunt in Methicâ.

Vicesima quinta Mansio vertitur in *dulcedinem*. Ascendisti in excelsum, admiratus es virtutum choros, timuisti ruinam, abegisti insidiatores ; dulcis te protinùs fructus laboris insequitur; et in morem litterarum, radicum amaritudinem, pomorum suavitas compensabit, et dices : *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua,*

super mel ori meo! Sponsumque tibi audies concinentem : *Mel distillant labia tua, soror mea sponsa.* QUID ENIM suavius disciplinâ ? Quid eruditione melius? Quid dulcius Domino? *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* Undè et Samson qui abegerat à fructibus suis aves, et vulpes, quæ exterminant vineas, colligaverat, leonemque interfecerat rugientem, favum invenit in ore mortui.

XXVI MANSIO.

Et profecti de Methicâ, castrametati sunt in Asmonâ.

Vicesima sexta Mansio in linguâ nostrâ *festinationem* sonat, juxtà illud quod in Psalmo scribitur: *Venient legati ex Ægypto.* Pro *legatis* in hebræo *festinantes* legimus : ut postquàm dulces fructus laboris messuerimus, non simus quiete contenti et otio, sed rursùm ad ulteriora properantes, obliviscamur præteritorum, et in futura nos extendamus.

XXVII MANSIO.

Et profecti de Asmonâ, castrametati sunt in Maseroth.

Vicesima septima Mansio *vincula* sive *disciplinas* sonat, ut festino gradu pergamus ad magistros, et eorum teramus limina, ET PRÆCEPTA VIRTUTUM ac mysteria Scripturarum, vincula putemus æterna, juxtà illud quod in Isaiâ dicitur : *Et Sabaïm viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt ; post te ambulabunt vincti manicis.* Et Paulus, vinctus Jesu Christi. Duplicia sunt in Scripturis vincula, quæ quamdiù rupit Samson, vicit inimicos. Et de meretrice legimus : *vinculum in manibus ejus* Et ex personâ Domini dicentis: *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Et alibi : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* CHRISTI AUTEM vincula voluntaria sunt, et vertuntur in amplexus. Quicumque his fuerit colligatus, dicet : *Sinistra ejus sub capite meo, et dextra ejus complectetur me.*

XXVIII MANSIO.

Et profecti de Maseroth, castrametati sunt in Bane-jacan.

Vicesima octava Mansio transfertur in *filios necessitatis* seu *stridoris.* Si ab uno incipias numero, et paulatim addens ad septimum usque pervenias, vicesimus octavus efficitur numerus. Qui sint isti filii necessitatis, Psalmus ipse nos doceat : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Quæ est tanta necessitas, quæ nolentibus imponatur? Cùm divinis Scripturis fueris eruditus, et leges earum ac testimonia vincula scieris veritatis : contendens cum adversariis, ligabis eos, et vinctos duces in captivitatem, et de hostibus quondàm miseris atque captivis, liberos Dei facies, ut repentè dicas cum Sion : *Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva : et istos quis enutrivit ? Ego destituta et sola : et isti ubi erant ?* Miraris Isaiam, ejusdem Psalmi sacramenta cognosce : *Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentiâ, vox Domini confringentis cedros;* ut postquàm adversarios fregerit, et concusserit desertos priùs gentium populos, præparentur cervi in montibus, et sit dilectus sicut filius unicornium, in temploque ejus omnes dicant gloriam. Porrò quod vertimus : *filios stridoris,* ad illum sensum refer, quòd timore supplicii et ejus loci ubi est fletus et stridor dentium, deserens diaboli vincula, Christo Domino credentium turba colla submittat.

XXIX MANSIO.

Et profecti de Bane-jacan, castrametati sunt in monte Gagdad.

Vicesima nona Mansio interpretatur *nuntius,* sive *expeditio* et *accinctio*, vel certè (quod nos verius arbitramur) κατακοπὴ, id est, *concisio.* Haud aliter possumus magistri discipulorum atque credentium eos facere filios necessitatis, nisi præceptores eorum interfecerimus. CRUDELES SIMUS in occisione eorum; non parcat manus nostra armum aut extremum auriculæ de ore leonis extrahere. Maledictus qui facit opus Domini negligenter, et qui prohibet gladium suum à sanguine. Undè et David : *In matutino,* inquit, *interficiebant omnes peccatores terræ.* De nuntio autem et accinctione hæc breviter possumus dicere, quòd filiis necessitatis grandes ad virtutem stimulos suggeramus, cùm eis nuntiaverimus præmia futurorum, et accinctos inire bella docuerimus. Horum trium quidquid magister fecerit, in monte consistit.

XXX MANSIO.

Et profecti de monte Gagdad, castrametati sunt in Jetabathâ.

Tricesima Mansio *bonitas* interpretatur, ut cùm pervenerimus ad perfectum virum, in sacerdotalem gradum, et in ætatem plenitudinis Christi, in quâ et Ezechiel erat juxtà fluvium Chobar, possimus cum David in tricesimo Psalmo canere : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Pastor enim bonus ponit animam suam pro ovibus suis.

XXXI MANSIO.

Et profecti de Jetabathâ, castrametati sunt in Hebronâ.

Tricesima prima Mansio interpretatur παρέλευσις, id est *transitus* sive *transitio*. Ad hanc venit verus *Hebræus*, id est, περάτης, sive *transitor*, qui dicere potest : *Transiens videbo visionem hanc magnam :* de quâ et Psalmista canit : *Et non dixerunt qui præteribant : Benedictio Domini super vos.* Præterit enim figura hujus mundi : et propterea sancti cupiunt ad meliora transire ; nec præsenti statu contenti ingemiscunt quotidiè : *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Multùm est, si de omnibus Scripturis super verbo transitionis velim exempla congerere.

XXXII MANSIO

Et profecti de Hebronâ, castrametati sunt in Asiongaber.

Tricesima secunda Mansio transfertur in *ligna viri*, sive *dolationes hominis*, quod significantiùs græcè dicitur ξυλοκισμοὶ ἀνδρὸς, scribiturque per *Ain* litteram, non ut Græci et Latini errant, per *Guimel*. Undè in solitudine multitudo lignorum, nisi quod seduli et diligentis magistri disciplinâ monstratur, cædentis ligna informia, et dolantis facientisque vasa diversa, quæ in domo magnâ necessaria sunt ? Possunt *lignationes viri*, saltuum et omnium arborum genera, ac per hoc credentium multitudinem figurare, dicente David : *Invenimus eam in campis sylvæ.* Hucusque solitudo Pharan decem et octo continet Mansiones, quæ descriptæ in Catalogo, in superiori itinere non ponuntur.

XXXIII MANSIO.

Et profecti de Asiongaber, castrametati sunt in deserto Sin : Hæc est Cades.

Quæritur cur octava Mansio nunc tricesima tertia esse dicatur. Sed sciendum quòd prior per *Samech* litteram scribitur, interpretaturque *rubus*, sive *odium :* hæc autem per *Sade*, et vertitur in *mandatum*. Illudque quod jungitur, *Cades*, non ut plerique æstimant, *sancta* dicitur, sed *mutata*, sive *translata*, legimus in Genesi juxtà hebraicam veritatem, ubi Judas meretricem putans Thamar, dona transmisit : et sequester munerum interrogat : *Ubi est cadesa ?* hoc est, *scortum*, cujus habitus à cæteris feminis immutatus est. In multis quoque locis hoc idem reperimus. Sin autem *sancta* interpretatur κατὰ ἀντίφρασιν est intelligendum : quomodò Parcæ dicuntur ab eo quòd minimè parcant : et bellum, quòd nequaquàm bellum sit, et lucus, quòd minimè luceat. In hâc Mansione moritur Maria et sepelitur : et propter aquas contradictionis Moyses et Aaron offendunt Dominum, et prohibentur transire Jordanem, missisque nuntiis ad Edom transitus petitur, nec impetratur. Quis timeret post tantos profectus murmur populi, et offensam magistrorum, et viæ transitus denegatos ? Videtur mihi in Mariâ, Prophetia mortua ; in Moyse et Aaron, legi et sacerdotio Judæorum finis impositus : quòd nec ipsi ad terram repromissionis transcendere valeant, nec credentem populum de solitudine hujus mundi educere. Et nota quòd post mortem Prophetiæ, et aquas contradictionis, Idumæum carneum atque terrenum transire non possint, et cum multis precibus et conatu viam non impetrent ; sed egrediatur Edom adversùs eos in populo multo, et in manu forti. Interpretatio quoque nominis, morti et offensæ et negato transitui convenit. Ubi enim mandatum, ibi et peccatum, ubi peccatum ibi offensa ; ubi offensa, ibi mors. Hæc est Mansio de quâ Psalmista canit : *Commovebit Dominus desertum Cades.*

XXXIV MANSIO.

Et profecti de Cades, castrametati sunt in Or monte, in extremo terræ Edom. Ascenditque Aaron sacerdos in montem Or, juxtà præceptum Domini et mortuus est ibi anno quadragesimo egressionis filiorum Israel de terrâ Ægypti, mense quinto, primâ die mensis. Eratque Aaron centum viginti trium annorum, quandò mortuus est in monte Or. Et audivit Chananæus rex Arad, qui habitabat ad austrum, in terrâ Chanaan, quòd venissent filii Israel.

Tricesima quarta Mansio est, quam plerique interpretantur *lumen :* nec errarent si per *Aleph* litteram scriberetur. Alii pellem, et ipsi verum dicerent, si esset *Ain* positum. Nonnulli foramen, quod posset accipi, si *Heth* haberet elementum. Cùm autem legatur per *He*, magis mons intelligitur, et legi potest : *Ascendit Aaron sacerdos in montis montem*, id est in verticem ejus. Ex quo animadvertimus non in monte simpliciter, sed in montis monte pontificem mortuum, ut dignus locus meritis illius monstraretur. Moritur autem eo anno quo novus populus repromissionis terram intraturus erat, in extremis finibus terræ Idumæorum. Et quanquàm in monte sacerdotium Eleazaro filio dereliquerit, lexque eos qui eam impleverint perducat ad summum, tamen ipsa sublimitas

non est trans fluenta Jordanis, sed in extremis terrenorum operum finibus; et plangit eum populus triginta diebus. Aaron plangitur, Jesus non plangitur. In lege descensus ad inferos; in Evangelio ad paradisum transmigratio. Audivit quoque Chananæus quòd venisset Israel, et in loco exploratorum (ubi quondàm offendisse populum noverant) ineunt prælium, et captivum ducunt Israel. Rursùmque in eodem loco pugnatur; ex voto victor vincitur, victi superant, appellaturque nomen loci *Horma*, id est, *anathema*. Eadem dicere mihi non est pigrum, legentibus necessarium, quòd semper humanus status in hujus seculi viâ fluctet, et alius in valle, alius in campis, alius moriatur in monte, nec in monte simpliciter, sed in montis monte, id est, in excelso vertice. Cùmque nos Dei auxilio destitutos hostis invaserit, duxeritque captivos, non desperemus salutem, sed iterùm armemur ad prælium. Potest fieri ut vincamus, ubi victi fuimus; et in eodem loco triumphemus, ubi fuimus antè captivi.

XXXV ET XXXVI MANSIO.

Et profecti de monte Or, castrametati sunt in Selmonâ. Profectique de Selmonâ, venerunt in Phinon.

Hæ duæ Mansiones, tricesima quinta et tricesima sexta, in ordine historiæ non inveniuntur, sed scriptum est pro eis: *Egressi sunt de monte Or, per viam maris Rubri, et circumierunt terram Edom.* Ex quo ostenditur in finibus atque circumitu terræ Edom eas positas. Nec secundùm morem legitur: *Et profecti de monte Or, castrametati sunt in Selmonâ*, sive *in Phinon*, sed post ambitum terræ Idumæorum venit ad extremum, et ait: *Profecti filii Israel, castrametati sunt in Oboth.* Nec dixit: profecti sunt de illo et illo loco, quia duas Mansiones silentio prætermiserat; quas cùm in supputatione tacuerit, reddit in summâ. Prima Mansio *Selmona* interpretatur *imaguncula*. Secunda *Phinon*, diminutivè *os*, ab ore, non ab osse, intellige. In his Aaron mortuo, murmurant contrà Deum et Moysen, manna fastidiunt, à serpentibus vulnerantur; et in typum Salvatoris, qui verum antiquumque serpentem in patibulo crucis triumphavit, diaboli venena superantur. Undè et imaguncula, veræ expressæque imaginis Filii Dei, Passionem ejus intuens conservatur: et quod corde credit ore pronuntiat, legens illud Apostoli: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Simulque nota, quòd utraque Mansio ὑποκοριστικῶς appellatur: quia ex parte videmus, et ex parte prophetamus, et nunc per speculum videmus in ænigmate.

XXXVII MANSIO.

Et profecti de Phinon, castrametati sunt in Oboth.

Tricesima septima Mansio vertitur in *magos*, sive *pythones*, vel, secundùm verba Heliu, *lagenas grandes*, quæ cùm musto plenæ fuerint absque spiramine, illicò disrumpuntur. Pugnaverunt magi contrà Moysen et Aaron; et à muliere quæ erat in Endor, et habebat, juxtà septuaginta Interpretes, spiritum *pythonem*, juxtà Hebræos, *magum*, regi Israelis illuditur. Multæ sunt præstigiæ, et innumerabiles laquei, quibus animæ capiuntur humanæ; sed nos dicamus, in Domino confidentes: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Et: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es;* cadent à latere nostro mille, et decem millia à dextris nostris. Non timebimus ab incursu et dæmonio meridiano, sed obturabimus aures nostras, ne audiamus voces incantantium, et Sirenarum carmina negligamus. Post imaginem Dei, quæ in cordis ratione monstratur: et confessionem fidei, quæ ore profertur, consurgunt serpentes, et artes maleficæ ad bella nos provocant. Sed nos qui habemus pretiosissimum thesaurum in vasis fictilibus quæ frangi possunt, ità ut quædam vix testa remanserit, in quâ hauriri possit aquæ pusillùm, omni custodiâ circumdemus cor nostrum.

XXXVIII MANSIO.

Et profecti de Oboth, castrametati sunt in Jeabarim, in finibus Moab.

Tricesima octava Mansio *acervos lapidum transeuntium* sonat. Sunt sancti lapides, qui volvuntur super terram, læves, politi et rotunditate suâ rotarum cursibus similes. Sunt et alii quos Propheta jubet tolli de viâ, ne ambulantium in eos offendant pedes. Qui sunt isti ambulantes? Utique viatores et prætereuntes, qui per istud seculum ad alias mansiones transire festinant. Quod autem dicitur, *in finibus Moab*, et suprà scriptum est, *in solitudine quæ respicit Moab, contrà solis ortum*, ostendit juxtà litteram, quòd hùcusque in finibus terræ Idumæorum fuerint, et nunc veniant ad terminos Moab de aliâ provinciâ ad aliam transeuntes. Non enim semper uni virtuti danda est opera, sed sicut scriptum est, *ibunt de virtute in virtutem*, de aliâ transeundum est ad aliam, quia hærent sibi et ità inter se nexæ sunt, ut

qui unâ caruerit, omnibus careat. Et tamen transire de aliâ ad aliam, eorum est propriè qui Solis justitiæ ortum considerant.

XXXIX MANSIO.

Et profecti de Jeabarim, sive (ut in secundo loco apud Hebræos habes) *Iim, castrametati sunt in Dibon-Gad.*

Tricesima nona Mansio interpretatur, *fortiter intellecta tentatio.* Pro hâc in ordine historiæ aliter scriptum reperi. Postquàm enim castrametati sunt in Jeabarim, in finibus Moab, contrà ortum solis, legitur : *Indè profecti sunt et diverterunt ad torrentem Zared. Et de hoc loco proficiscentes, castrametati sunt trans Arnon, quæ est in solitudine finium Amorræi;* eò quòd Arnon in terminis sit Moabitarum et Amorræorum ; et post hæc venerunt ad puteum ubi cecinit Israel carmen hoc : *Ascende, putee, quem foderunt principes, et aperuerunt duces populorum in datore legum, et in baculo ejus ; et de solitudine in Matthanâ ad torrentes Dei ; et de torrentibus Dei ad excelsa ; et de excelsis, ad vallem, quæ est in regione Moab, in vertice Phasga, qui prospicit contrà desertum.* Hæc loca in finibus Amorræorum quidam interpretantes, putant non Mansiones esse, sed transitus, nec præjudicare debere catalogo Mansionum extraordinariam expositionem. Alii autem spiritualibus spiritualia comparantes, nolunt regiones significari ; sed per locorum nomina virtutum profectus esse : quòd post magos et congregationem lapidum frequenter veniamus ad torrentes *Zared*, quod interpretatur, *aliena descensio :* et in descensione positi, transeamus ad *Arnon*, quod *maledictionem* sonat, quæ est posita in finibus *Amorræorum*, qui vel *amari* hostes sunt, vel *multa loquuntur* inflati. Sin autem transieremus terminos Moab, qui de incestu generatus est, et recessit à vero patre, statim nobis occurrit puteus, quem nemo de plebe fodit, nullus ignobilis, sed principes et duces, qui jura dant populis : et canentes carmen in aquâ putei, et in Dei muneribus gratulantes, prophetant quò transituri sint : ad quæ perventuri loca, quòd scilicet de deserto veniant in *Matthanâ*, quod interpretatur *donum*, et de Matthanâ ad *Naaliel*, quod dicitur ad *torrentes Dei*, et de Naaliel ad *Bamoth*, quæ interpretatur, *excelsa*, sive *adveniens mors*, quandò conformes efficimur mortis Christi, et de Bamoth occurrit nobis vallis humilitatis, quæ tamen posita est in vertice montis *Phasga*, qui interpretatur, *dolatus*, quòd nihil habeat informe et rude, sed artificis sit politus manu : qui mons respiciat solitudinem quæ hebraicè dicitur Isimon. Quandò enim fuerimus IN VIRTUTUM CULMINE constituti, tunc totius mundi ruinas et omnium peccatorum respicimus vastitatem. Penè obliti sumus, currente oratione, dictare, quare *Dibon-Gad* interpretetur, *fortiter intellecta tentatio.* Post Dibon-Gad geritur bellum contrà Seon, regem Amorræorum, et Og regem Basan ; et discimus quòd cùm venerimus ad summum, et de fonte principum regumque biberimus, ascendentes ad montem Phasga, non debeamus elevari in superbiam, sed propositam nobis è contrario solitudinem noverimus. Antè contritionem enim elevatur cor viri, et antè gloriam humiliatur.

XL MANSIO.

Et profecti de Dibon-Gad, castrametati sunt in Almon Deblathaïm.

Quadragesima Mansio vertitur in *contemptum plagarum*, sive *opprobriorum.* Et per hanc discimus omnia dulcia et illecebras voluptatum in seculo contemnendas, nec inebriari nos debere vino, in quo est luxuria. Mel non offertur in sacrificiis Dei, et cera quæ dulcia continet, non lucet in tabernaculo, sed oleum purissimum, quod de olivæ profertur amaritudine. Mel enim distillat à labiis mulieris meretricis ; de quo puto juxtà mysticos intellectus gustâsse Jonatham, et sorte deprehensum, vix populi precibus liberatum. Quod autem opprobria contemnenda sint, et, si falsa objiciantur, beatitudinem pariant, Salvator plenissimè docet.

XLI MANSIO.

Et profecti de Almon-Deblathaïm, castrametati sunt in montibus Abarim, contrà faciem Nabo.

Quadragesima prima Mansio vertitur in montes *transeuntium*, et est contrà faciem montis Nabo, ubi moritur et sepelitur Moyses, terra repromissionis antè conspecta *Nabo* interpretatur, *conclusio*, in quâ finitur lex, et non invenitur ejus memoria. Porrò gratia Evangelii absque ullo fine tenditur. In omnem terram exivit sonus ejus, et in fines orbis terræ verba ipsius. Simulque considera quòd habitatio transeuntium in montibus sita sit et adhuc profectu indigeat. Post montes enim plurimos ad campestria Moab et *Jordanis* fluenta descendimus, qui interpretatur, *descensio.* NIHIL ENIM, ut crebrò diximus, tam periculosum est, quàm gloriæ cupiditas et jactantia, et animus conscientiâ virtutum tumens.

XLII MANSIO.

Et profecti de montibus Abarim, castrametati sunt in campestribus Moab super Jordanem, juxtà Jericho, ibique fixerunt tentoria. Ab domo solitudinis usque Abel Sittim, in planitie Moab.

In quadragesimâ secundâ quæ et extrema Mansio est, cursìm quæ sint gesta narremus. Residens in eâ populus à divino Balaam, quem mercede conduxerat Balac, filius Sephor, Dei jussione benedicitur, et maledictio mutatur in laudes; audit vocem Domini ex profano ore resonantem: *Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel; et percutiet principes Moab, et vastabit cunctos filios Seth, et erit Edom hæreditas ejus.* Fornicatur cum filiabus Madian, et Phinees, filius Eleazar, zelatus zelum Domini, Zamri et scortum Madianitidem pugione transfigit: undè et accepit præmium in æternam memoriam, armum victimæ. Numeratur rursùm populus, ut interfectis pessimis, novus populus Dei censeatur. Interpellant quinque filiæ Salphaad; ex judicio Domini hæreditatem accipiunt inter fratres suos, nec femineus à possessione Dei sexus excluditur. Jesus Moysi in montem succedit, et discit à lege, quæ spiritualiter offerre debeat in Ecclesiâ. Primùm quid per singulos dies, deindè quid in sabbatho, quid in kalendis, quid in Paschâ, quid in Pentecoste, quid in Neomeniâ mensis septimi, quid in Jejunio ejusdem mensis, die decimo, quid in Scenopegiâ, quandò figuntur tabernacula, decimâ quintâ die supradicti mensis. Uxorum et filiarum vota absque auctoritate patrum et virorum cassa memorantur: bellum contrà Madianitas, et mors divini Balaam, et prædæ divisio, et oblatio ex eâ in tabernaculo Dei. Primus Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, ultrà Jordanem in eremo possessionem accipiunt. Plurima enim habebant jumenta, et necdùm ad id venerant, ut possent habitare cum templo. Docetur populus ut in Terrâ sanctâ idola destruat, et nullus de priori habitatore servetur. Describitur olìm cupita provincia, et duarum semis tribuum hæreditas separatur. Numerantur tribuum principes, qui Terram sanctam debeant introire. Quadraginta duas urbes cum suburbanis suis usque ad mille passus per circuitum, Levitæ accipiunt, tot numero, quot et istæ sunt Mansiones. Et adduntur fugitivorum sex aliæ civitates, tres intrà Jordanem, et tres trans Jordanem, ut sint simul quadraginta octo. Qui fugitivorum suscipi, qui interfici debeant, qui usque ad mortem pontificis maximi reservari. Succedit Deuteronomium, secunda lex, meditatorium Evangelii; ibique breviter discimus quæ inter Pharan et Tophel, et Laban et Azeroth, et loca aurea, abjecto Judâ infelicissimo, undecim dierum viâ de Choreb, per viam montis Seir usque ad Cades-Barne Moyses populo sit locutus; et extremum cantat Canticum, in quo apertissimè Synagoga projicitur, et Ecclesia Domino copulatur: *Impinguatus est et incrassatus ac dilatatus, et recalcitravit dilectus, et oblitus est Dei Salvatoris sui.* Et iterùm: *Generatio pessima: filii ineruditi, ipsi ad æmulationem me provocaverunt in eo qui non erat Deus. Irritaverunt me in sculptilibus suis: et ego zelare hos faciam nationes, et contrà gentem stultam irritabo eos.* Benedicuntur filii Israel. Et rursùs in Simeone Judas miserandus excluditur. Ascendit Moyses ad montem Nabo, in verticem Phasga, qui est contrà Jericho; et ostendit ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan, et Nephthalim et Ephraïm et Manassen, et universam terram Juda, usque ad mare magnum contrà austrum, et regionem campestrem Jerichontis, civitatis palmarum, usque Segor. Quis potest tanta nôsse mysteria? Quis in extremis legis et hujus vitæ finibus constitutus intelligit semper sibi esse pugnandum, et tunc plenam victoriam dari, si fuerit in campestribus, si in Abelsittim, quod interpretatur, *luctus spinarum*, fleverit antiqua peccata, et spinas quæ suffocaverunt sementem verbi Dei, et de quibus Propheta dicit: *Versatus sum in miseriâ, dùm mihi configitur spina?* et tunc præparatus, deficiente mannâ, sub duce Jesu Jordanem transeat; et circumcisus cultro Evangelii, primùm comedat de cœlesti pane; et occurrat ei princeps exercituum Dei, ut verum Pascha nequaquàm in Ægypto, sed in finibus Terræ sanctæ comedat. O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius! Quis sapiens, et intelliget hæc? intelligens, et cognoscet ea? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis. Prævaricatores autem corruent in illis.

EPISTOLA HIERONYMI AD DARDANUM,

Scripta circà annum Christi 414.

DE TERRA PROMISSIONIS.

Quæris, Dardane, Christianorum nobilissime, nobilium Christianissime, quæ sit terra repromissionis, quam Judæi redeuntes ex Ægy-

pto possederunt, cùm à majoribus eorum jam fuerit antè possessa, ac proindè non sit promissa, sed reddita? His enim verbis uteris in calce epistolæ tuæ.

Quod interrogans, videris illud sentire, quod plurimis nostrorum placet, aliam repromissionis terram esse quærendam, de quâ et David loquitur in Psalmo : *Credo videre bona Domini, in terrâ viventium.* Et Dominus in Evangelio : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Utique David, quandò hæc cantabat in spiritu, in terrâ repromissionis erat, et non solùm in Judææ finibus morabatur, sed multarum in circuitu nationum victor exstiterat, quæ à torrente Ægypti, qui est Rhinocoruræ, usque ad Euphratem fluvium tendebantur, dicens in alio loco : *In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ servient.* Quomodò ergò se credebat accipere, quod jam victoriâ possidebat? Et ne forsitan legentibus Judæis ambiguum derelinquat, quæ sit illa terra, quam videre cupiebat, ipso sermone demonstrat, dicens : *Credo videre bona Domini, in terrâ viventium.* Ergò terra Judææ, quæ ditionis illius erat, non est terra viventium, id est, Abraham, Isaac et Jacob, de quibus Dominus in quæstione Resurrectionis dicit : *Non est Deus mortuorum, sed viventium;* verùm terra et regio mortuorum, de quibus loquitur Ezechiel : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et : *Non mortui laudabunt te, Domine, sed nos qui vivimus*, qui et in resurrectione occursuri sunt Domino Salvatori, dicente Apostolo : *Hoc enim dico vobis in sermone Domini, quoniam nos qui vivimus, qui relinquimur in adventum Domini, non prævenienus eos qui dormiunt :* de quibus et Jeremias loquitur : *Derelinquentes te super terram scribantur.* Quodque David promittit : *Credo videre bona Domini*, ad spiritualem nos perspicuè trahit intelligentiam. Quæ enim bona rex alia requirebat, aut quo indigebat, qui tantæ potentiæ fuit, ut partis per illum opibus, Salomon filius ejus (quo nullus in orbe terrarum ditior fuit) contentus esset? Sed in terrâ viventium bona illa quærebat, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Quod autem in Evangelio dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, juxtà litteram sibi videtur esse contrarium. Non enim terræ possessio mansuetorum est et mitium, qui sæpè etiam à parentibus derelicta perdunt propter mansuetudinem ; sed virorum fortium et violentorum, qui sunt ad bella promptissimi. Denique et in Psalmo quadragesimo quarto, qui sub nomine Salomonis ad Christi Ecclesiæque ejus sacramentum refertur, scribitur : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tuâ et decore tuo, intende et prosperare et regna. Propter mansuetudinem et justitiam et veritatem, et deducet te mirabiliter dextera tua.* Hic est qui et in alio Psalmo loquebatur : *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Et iterùm : *Assumens mansuetos Dominus.* Et apertiùs in Evangelio : *Discite à me, quia humilis sum, et mansuetus corde.* In cujus typum et Moyses omnium hominum, qui erant super terram, mansuetissimus scribitur.

Hæc est, ut diximus, terra viventium, in quâ sanctis viris atque mansuetis bona Domini præparantur : quæ antè adventum in carne Domini Salvatoris, nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob, nec Prophetæ, et alii justi viri consequi potuerunt. Denique et Abraham, licèt diversis locis, cum Lazaro videtur apud inferos : et Jacob vir justus dicit : *Lugens et gemens descendam ad infernum.* Sanguis Christi clavis paradisi est, dicentis ad latronem : *Hodiè mecum eris in paradiso.* Ista est, ut diximus, terra viventium, terra divitiarum et bonorum Dei, quæ primus Adam perdidit, et secundus Adam invenit; imo ab illo perdita iste restituit, dicente Apostolo : *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen* (sub cujus personâ lex intelligitur) *in similitudinem prævaricationis Adam, qui est forma futuri.* Volumus scire quæ sit hæc terra, manifestiùs legamus in Malachiâ : *Beatos vos dicent omnes, dicit Dominus : quoniam eritis vos in terrâ voluntariâ*, quæ significantiùs græcè appellatur θελητὴ, quam vel sancti desiderant, vel quæ placeat Deo. Isaias quoque in hæc verba consentit, dicens : *Et erit vir abscondens sermones suos, et apparebit in terrâ Sion, sicut fluvius gloriosus in terrâ sitienti.* Quæ est terra Sion, in quâ apparebit fluvius gloriosus? Illa videlicet, de quâ idem David in alio Psalmo canit : *Gloriosa sunt dicta de te, civitas Dei.* Et iterùm : *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.* Numquid istas portas diligit Deus, quas videmus in cineres et favillas esse conversas? Non dico prudentibus, sed ne stultis quidem hoc persuaderi potest. Ego arbitror et illud, quod in sexagesimo quarto Psalmo legimus : *Visitâsti terram, et inebriâsti eam ; multiplicâsti locupletare illam. Fluvius Dei repletus est aquis ; parâsti cibum illorum, quoniam sic est præparatio ejus; sulcos ejus inebria, multiplica genimina illius, in stillicidiis ejus lætabi-*

tur germinans, huic sensui convenire. Illa enim terra quotidiè visitatur à Deo et inebriatur, cunctisque plena est divitiis. De hâc fluvius egreditur Dei, de quo scriptum est : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei;* qui et in descriptione templi Ezechiel mystico sermone narratur : in cujus ripis arbores sunt ex utrâque parte per singulos menses novis frugibus abundantes. De quâ terrâ et in Proverbiis vir scripsit sapientissimus : *Qui operatur terram suam, implebitur panibus.* Quòd si de hâc terrâ quam cernimus, et quæ magis à peccatoribus possidetur, de quâ scriptum est : *Maledicta terra in operibus tuis,* aliquis intelligendum putat, respondeat quomodò possit hæc stare sententia : *Qui operatur terram suam, implebitur panibus.* Quanti enim operantur terram, et exercent vomere, et tamen multis impedientibus causis, egestate conficiuntur et penuriâ? Sed considerandum, Scriptura quid dicat: *Qui operatur terram suam,* quæ propriè juris sui est, de quâ nunquàm ejici potest; secundùm quem sensum et illud scriptum est : *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ.* Et hoc secundùm litteram sentiri non potest. Quanti enim alienis, amicorumque redimuntur pecuniis? Hujus terræ cultores et agricolæ, Apostoli sunt, quibus dicitur : *Vos estis sal terræ.* Et in alio loco : *In patientiâ vestrâ, possidebitis animas vestras :* quorum unus, vas electionis, confidentissimè loquebatur: *Dei enim cooperatores sumus, Dei agricultura, Dei ædificatio estis;* et multa alia, quæ idcircò non replico, ne sensum videar legentis obtundere, et memoriæ illjius diffidere.

Illud quoque sollicitâ mente tractemus, et Scriptarum nos doceat auctoritas, sanctos hujus terræ, quam Judæi terram repromissionis autumant, non habitatores esse,sed accolas atque peregrinos. Ex justi viri personâ legimus : *Advena sum ego et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Qui cùm diù in terræ hujus tenebris versaretur, flebiliter ingemiscit et dicit : *Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est! habitavi, cum habitantibus Cedar, multùm accola fuit anima mea.* Ubicumquè autem habitator terræ legitur, et priora, et media, et extrema tractemus, et liquidò Scripturarum poterit regula comprobari semper habitatores terræ peccatores appellari; de quibus in Apocalypsi Joannis illud exemplum est : *Væ habitatoribus terræ!* Abraham ad quem primùm facta est repromissio, dicente Domino : *Tibi dabo terram hanc et semini tuo,* juxta Stephani primi in Christo Martyris concionem, nec vestigium quidem pedis hujus terræ dicitur accepisse. Ità enim scriptum est : *Tunc egressus de terrâ Chaldæorum, habitavit in Charran : et indè, postquàm mortuus est pater ejus, migravit in terram, in quâ vos nunc habitatis, et non dedit ei possessionem, ne vestigium quidem pedis, quam repromisit dare ei in possessionem et semini ejus post eum.* Ac ne forsitan lectoris tacita cogitatio trahat eum ad illam intelligentiam, ut quod non est datum parenti, reddatur posteris, vas electionis loquitur ad Hebræos : *Fide qui vocatur Abraham, obedivit egredi in locum, quem accepturus erat in possessionem; et egressus est, nesciens quò iret. Fide peregrinatus est in terrâ repromissionis quasi in alienâ; in tabernaculis habitans cum Isaac et Jacob, cohæredibus ejusdem promissionis : exspectavit enim fundamentum habentem civitatem, cujus artifex et creator Deus est.* Et iterùm cùm de Abel et Enoch, et Noe, Saràque dixisset, intulit : *Juxtà fidem mortui sunt hi omnes, non acceptis repromissionibus, sed procul eas videntes et salutantes et confitentes : quia peregrini et advenæ erant super terram. Qui enim hæc loquuntur, ostendunt quòd quærant patriam: et siquidem illius recordabantur, de quâ egressi erant, habebant tempus ut reverterentur ; nunc verò meliorem desiderant, id est, cœlestem.* Multisque in medio sanctis commemoratis, ad extremum intulit : *Et hi omnes testimonium habentes in fide, non acceperunt repromissionem, Deo de nobis meliùs quid providente, ne sine nobis perfecti fierent. Accessimus enim ad montem Sion et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui scripti sunt in cœlis.* Nec me fugit, quòd perfidia Judæorum hæc testimonia non suscipiat, quæ utique veteris Testamenti auctoritate firmata sunt. Illud nostris dicendum est, hanc Epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solùm ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò ecclesiasticis græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi, licèt plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur ; et nihil interesse cujus sit, cùm eccelsiastici viri sit, et quotidiè Ecclesiarum lectione celebretur. Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas canonicas; nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsin Joannis eâdem libertate suscipiunt, et tamen nos utramque suscipimus ; nequaquàm hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdùm de apocryphis facere solent (quippè qui et genti-

lium litterarum rarò utantur exemplis), sed quasi canonicis et ecclesiasticis.

Respondeant mihi qui hanc terram (quæ nunc nobis Christi passione et resurrectione terra repromissionis effecta est) possessam putant à populo Judæorum, postquàm reversus est ex Ægypto quantùm possederit; utique à Dan usque Bersabee, quæ vix centum sexaginta millium in longum spatio tenditur. Neque enim David et Salomon, potentissimos reges, exceptis his quos post victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuisse Scriptura testatur. Et hoc dico, ut taceam quinque Palæstinæ civitates, Gazam, Ascalonem, Geth, Accaron et Azotum, Idumæos quoque à meridianâ plagâ vix septuaginta quinque millibus ab Jerosolymâ separatos, Arabas et Agarenos, quos nunc Sarracenos vocant, in viciniâ urbis Jerusalem. Pudet dicere latitudinem terræ repromissionis, ne ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur. Ab Joppeusque ad viculum nostrum Bethleem, quadraginta sex millia sunt; cui succedit vastissima solitudo, plena ferocium barbarorum, de quibus dicitur : *Contrà faciem omnium fratrum suorum habitabit*, et quorum facit poeta eloquentissimus mentionem. Latèque vagantes Barcæi, à Barcâ oppido, quod in solitudine situm est, quos nunc corrupto sermone Afri Baricianos vocant. Hi sunt qui pro locorum qualitatibus, diversis nominibus appellantur, et à Mauritaniâ per Africam et Ægyptum, Palæstinamque et Phœnicem, Cœles-Syriam et Osrhohenem, Mesopotamiam, atque Persidem tendunt ad Indiam. Hæc est, Judæe, tuarum longitudo et latitudo terrarum; in his gloriaris; super his te per diversas provincias ignorantibus jactitas : Ad populum Phaleras : ego te intùs et in cute novi.

Quòd si objeceris terram repromissionis dici, quæ in Numerorum volumine continetur, à meridie maris Salinarum per Sina et Cades-Barne, usque ad torrentem Ægypti, qui juxtà Rhinocoruram mari magno influit, et ab occidente ipsum mare, quod Palæstinæ, Phœnicis Syriæ Cœles, Ciliciæque pertenditur; ab aquilone Taurum montem et Zephyrium usque Emath, quæ appellatur Epiphania Syriæ; ad orientem verò per Antiochiam, et lacum Cenereth, quæ nunc Tiberias appellatur, et Jordanem, qui mari influit Salinarum, quod nunc Mortuum dicitur; trans Jordanem autem duarum semis tribuum possessio est, Ruben et Gad, et dimidiæ tribûs Manasse. Et ego fatebor hæc tibi repromissa, non tradita : si observâsses mandata Dei, et in præceptis illius ambulâsses; si non pro omnipotente Deo coluisses Beelphegor et Baalim, et Beelzebub et Chamos : quos quia prætulisti Deo, omnia quæ tibi promissa fuerant, perdidisti. Et mihi in Evangelio promittuntur regna cœlorum, quæ Instrumentum vetus omninò non nominat. Sed si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquàm erit culpa in promittente, sed in me qui promissum accipere non merui. Ubi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, frustrà cupias quod promissum est. Lege librum Josue et Judicum, et quantis possessionum augustiis sis coarctatus, intelliges. Quid diversarum urbium alienigenas commemorem, quos populus Judæorum non quivit expellere de urbibus et sedibus suis, cùm ipsa metropolis tua priùs Jebus, posteà Salem, tertiò Jerosolyma, et nunc Ælia, Jebusæos expellere non valuerit; sed manserint cum eis in scandalum exemplumque vicinorum; in tantùm ut tibi templum tuum conditum sit, ubi area Orne fuerit Jebusæi, et ipsum templum septuaginta millium latomorum, et octoginta millium vectorum, hoc est, centum quinquaginta millium, exceptis præpositis operum, præ multitudine habitantium tecum incircumcisorum, ab ethnicis exstructum sit.

Nec hoc dico in sugillationem terræ Judææ, ut hæreticus sycophanta mentitur, aut quò auferam historiæ veritatem, quæ fundamentum est intelligentiæ spiritualis, sed ut decutiam supercilium Judæorum, qui Synagogæ angustias Ecclesiæ latitudini præferunt. Si enim occidentem tantùm sequuntur litteram, et non spiritum vivificantem, ostendant terram repromissionis lacte et melle manantem. Sin autem per tropologiam dictum putant, pro rerum omnium abundantiâ; et nos terram confessionis terramque viventium, terræ veprium præferemus, dicente Domino ad Moysen de abjectione Israelis et assumptione gentium : *Dimitte me, ut deleam populum istum, et faciam te in gentem magnam*. Et eodem Patre ad Filium : *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*. Et apertiùs per Isaiam : *Parùm tibi est, ut sis puer meus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces*, vel *reliquias Israel congregandas. Dedi te in lucem cunctis gentibus, ut sis salvator universæ terræ*. Ex quo perspicuè demonstratur, omnia illius populi in umbrâ et typo et imagine præcessisse, scripta autem esse pro nobis, in quos fines seculi decurrerunt.

Multa, Judæe, scelera commisisti; cunctis

circà te servisti nationibus. Ob quod factum? Utique propter idololatriam. Cùmque servisses crebrò, misertus tui est Deus, et misit judices et salvatores, qui te de famulatu Moabitarum et Ammonitarum, Philistiim quoque et diversarum gentium liberârunt. Novissimè sub regibus offendisti Deum, et omnis tua provincia, gente Babylonicâ vastante, deleta est. Per septuaginta annos templi solitudo permansit. A Cyro, rege Persarum, est laxata captivitas. Esdras hoc et Nehemias plenissimè referunt. Exstructum est templum sub Dario, rege Persarum atque Medorum, à Zorobabel, filio Salathiel, et Jesu, filio Josedec, sacerdote magno. Quæ passi sitis à Medis, Ægyptiis, Macedonibusque non enumero. Nec tibi adducam in memoriam, Antiochum Epiphanem, crudelissimum omnium tyrannorum; nec Cn. Pompeium, Gabinium, Scaurum, Varum, Cassium, Sosiumque replicabo, qui tuis urbibus et præcipuè Jerosolymæ insultavêre. Ad extremum sub Vespasiano et Tito urbs capta, templumque subversum est. Deindè civitatis usque ad Hadrianum principem per quinquaginta annos mansêre reliquiæ. Post eversionem Templi paulò minùs per quadringentos annos et urbis et templi ruinæ permanent. Ob quod tantum facinus? Certè non colis idola, sed etiam serviens Persis atque Romanis, et captivitatis pressus jugo, ignoras alienos deos. Quomodò clementissimus quondàm Deus, qui nunquàm tui oblitus est, nunc per tanta spatia temporum miseriis tuis non adducitur, ut solvat captivitatem, et ut veriùs dicam, exspectatum tibi mittat Antichristum? Ob quod, inquam, facinus, et tàm execrabile scelus avertit à te oculos suos? Ignoras? Memento vocis parentum tuorum: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros!* Et: *Venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas.* Et: *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Habes quod elegisti; usque ad finem mundi serviturus es Cæsari, donec gentium introeat plenitudo et sic omnis Israel salvus fiat, ut qui quondàm erat in capite, vertatur in caudam.

Hæc, tibi vir eloquentissime, in duplicis præfecturæ honore transacto, nunc in Christo honoratior, tumultuariâ et brevi lucubratione dictavi, ne viderer omninò reticere. Eodem enim tempore, imò eodem mihi die, et litteræ tuæ redditæ sunt, et meæ expetitæ, ut aut tacendum fuerit, aut incompto eloquio respondendum: quorum alterum pudoris, alterum charitatis est.

EPISTOLA HIERONYMI AD MARCELLAM,

Scripta Romæ, anno 384.

DE EPHOD ET THERAPHIM.

Epistolare officium est de re familiari, aut de quotidianâ conversatione aliquid scribere; et quodammodò absentes inter se præsentes fieri, dùm mutuò quid aut velint, aut gestum sit, nuntiant; licèt interdùm confabulationis tale convivium, doctrinæ quoque sale condiatur. Verùm tu, dùm tota in tractatibus occuparis, nihil mihi scribis, nisi quod me torqueat, et Scripturas legere compellat. Denique herî famosissimâ quæstione propositâ postulâsti, ut quid sentirem statim rescriberem. Quasi verò Pharisæorum teneam cathedram, ut, quotiescumque de verbis hebraicis jurgium est, ego arbiter et litis sequester exposcar. Non sunt suaves epulæ, quæ non et placeant et redoleant, quas non condit Apicius, in quibus nihil de magistrorum hujus temporis jure suffumat. Sed quia vector et internuntius sermonis nostri redire festinat, rem grandem celeriùs dicto, quàm debeo; LIGET DE SCRIPTURIS sanctis disputanti, non tàm necessaria sint verba quàm sensus. Quòd si eloquentiam quæris, Demosthenes legendus, aut Tullius est; si Sacramenta divina, nostri codices, qui de hebræo in latinum non benè resonant, pervidendi.

In fronte epistolæ tuæ posueras, quid sibi velit, quòd in Regnorum libro primo scriptum est: *Et Samuel puer serviebat antè conspectum Domini, cinctus Ephod bad, et diploïdem habebat pusillam, quam fecerat ei mater sua; et afferebat ei de diebus in dies, cùm ascenderet et cum viro suo sacrificare sacrificium dierum.* Itaque quæris quid sit EPHOD BAD, quo futurus Propheta præcingitur, utrumne zona, an, ut quidam putant, thuribulum; vel genus aliquod vestimenti sit. Et si vestis, quomodò eâ præcingitur? Et post ipsum *Ephod*, quarè adjungitur ei *bad?* In sequentibus quoque legisse te scribis: *Venit homo Dei ad Eli, et dicit ei: Hæc dicit Dominus: Manifestè ostendi me ad domum patris tui, ex omnibus tribubus Israel, cùm essent in terrâ Ægypti servientes in domo Pharaonis, et elegi domum patris tui ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotium; ut ascenderent ad altar meum, et incenderent incensum, et portarent Ephod;* totumque libri ordinem persecuta, etiam de illo loco exemplar sumpsisti, in quo Doec Idumæus jussu regis interfecit sacerdotes. *Et conversus,* inquit Scriptura, *Doec Syrus mortificavit ipse sacerdotes Domini, et occidit in illâ*

die trecentos quinque viros : sive (ut in hebræo legitur) *octoginta quinque, omnes qui portabant Ephod; et Nob civitatem sacerdotum occidit in ore gladii à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad nutrientem, et vitulum, et asinum, et ovem in ore gladii. Et salvatus est unus filius Abimelech, filii Achitob ; et nomen ei Abiathar, et fugit post David.*

Non me teneo, quin problematis ordinem responsione præveniam, ubi nunc legimus : *Et omnes portantes Ephod bad.* Hoc quarè ità dixerim, in sequentibus disces. Illud quoque quod sequitur addidisti : *Et factum est, cùm fugeret Abiathar, filius Achimelech, ad David, et ipse cum David descendit in Ceilâ, habens Ephod in manu suâ ; et renuntiatum est Saül, quia venit David in Ceilâ ;* ubi cùm regis adventus et civitatis timeretur obsidio, dixit David ad Abiathar : *Defer Ephod Domini.* Hæc sunt quæ de Regnorum libro excerpta proponens, ad volumen Judicum transcendisti, in quo Micha de monte Ephraïm scribitur mille centum argenti siclos matri, quos illa voverat, reddidisse; eamque sculptile indè fecisse et conflatile. Et addis hæc post modicum vocari *Ephod* et *Theraphim,* cùm utique si zona sit, aut vestimenti genus, sculptile atque conflatile esse non possit. Agnosco errorem penè omnium Latinorum, putantium *Ephod* et *Theraphim,* quæ posteà nominantur, de hoc argento quod Micha matri dederat, fuisse fictum; cùm Scriptura sic referat : *Et accepit mater ejus*, haud dubium quin Michæ, *argentum, et dedit illud conflatori, et fecit illud sculptile atque conflatile. Et fuit in domo Michæ; et vir Micha, et domus ejus Dei; et fecit Ephod et Theraphim, et implevit manum unius de filiis suis, et factus est ei in sacerdotem.* Si autem putas ea quæ superiùs appellata sunt sculptile atque conflatile, *Ephod* et *Theraphim* deinceps nominari, disce esse non eadem. Siquidem post matris idolum, quod dicitur sculptile atque conflatile, fecit Micha *Ephod* et *Theraphim,* sicut ex consequentibus approbatur : *Et responderunt quinque viri qui abierant considerare terram, et dixerunt ad fratres suos : Ecce nôstis quia est in domibus istis Ephod et Theraphim et sculptile atque conflatile.* Et post multa quæ in medio prætermisisti : *Et ascenderunt,* inquit, *quinque viri, et illùc irruerunt, et sumpserunt sculptile atque conflatile, Ephod et Theraphim. Et sexcenti viri qui cincti erant vasis bellicis, ingressi sunt domum Michæ, et sumpserunt sculptile atque conflatile, Ephod et Theraphim.* Coarguit igitur eorum opinionem, qui ut indissolubilem facerent quæstionem, *Ephod,* argenteum putaverunt. Illud breviter attende, quòd nunquàm nisi in sacerdotio nominetur. Nam et Samuel qui illo cinctus refertur, Levites fuit, et sacerdotes Nobe hoc dignitatis suæ insigne portabant. Et (quod in latinis codicibus non habetur), quandò David fugiens à Saül, venit ad Achimelech, et gladium postulavit, dicens : *Vide si est ad manum tuam lancea et gladius, quoniam gladium meum, et vasa mea non sustuli in manu meâ; respondensque sacerdos dixit : Ecce gladius Goliath alienigenæ, quem percussisti in valle Terebinthi, et hic involutus est vestimento post Ephod in sacrario :* utique Ephod conditum servabatur. Hoc quoque quod nunc posuimus ubi sculptile atque conflatile legitur, licèt idolum sit, tamen quia per errorem religio putabatur, ad venerationem ejus, sicut ad Dei ministerium, *Ephod* et *Theraphim* insigne conficitur.

Theraphim quid sit, si spatium dictandi fuerit, prosequemur. Nunc interìm de *Ephod,* ut cœpimus, explicandum est. In Exodo, ubi Moysi præcipitur, ut sacerdotalia jubeat fieri vestimenta, post cætera legitur : *Et hæ stolæ quas faciant, pectorale, et superhumerale, et tunicas* κοσυμβωτὰς, *et cidarim, et cinctorium.* Ubi autem nos posuimus superhumerale, in græco ἐπωμίδα septuaginta Interpretes transtulerunt, quòd scilicet super humeros istiusmodi veniat vestimentum. Deindè jungitur : *Et hi accipiant aurum et hyacinthum, et coccum, et purpuram, et byssum, et faciant superhumerale de bysso retortâ, opus textile varium.* Quid plura? Totus Exodi liber hâc vestium plenus est specie. Nam et in fine ejusdem voluminis scribitur : *Et fecit omnis sapiens in operibus stolas sanctorum, quæ sunt Aaron sacerdotis, sicut Dominus præcepit Moysi. Et fecerunt superhumerale de auro et hyacintho et purpurâ et cocco, et bysso retortâ.* Sed quia in Exodo hoc genus vestimenti præcipitur tantùm ut fiat, et posteà factum refertur, non tamen eo Aaron vestitur, in Levitico, quomodò sacerdotalibus vestimentis indutus fuerit, explicatur : *Et applicuit Moyses Aaron et filios ejus, et lavit eos aquâ, et vestivit eum tunicâ, et cinxit eum zonâ, et vestivit eum* ἐπενδύτην, quod nos, *subtunicalem,* sive *tunicam* quâ *subtùs* vestitus est, possumus interpretari. *Et imposuit ei superhumerale,* inquit, *et cinxit eum secundùm facturam superhumeralis, et constrinxit eam in ipso.* Vides itaque hoc Aaron superhumerali cingi, quomodò Samuel *Ephod bad* illo, nescio quo, cingebatur. Sed ne te longiùs traham, hanc habe sententiam : Ubi-

cumque in septuaginta Interpretibus, hoc est, in codicibus nostris ἐπωμίς, id est, *superhumerale* legitur, in hebræo scriptum est *Ephod*. Quod quarè alibi interpretari voluerint, et alibi ininterpretatum reliquerint, non est mei judicii, cùm hoc ipsum in pluribus fecerint : ut quæ alibi aliter atque aliter expresserant, novissimè translationis varietate lassati, ipsa hebræa verba posuerint. Aquila autem, id quod illi ὑποδύτην et ἐπομίδα dixerunt, ἔνδυμα et ἐπένδυμα, id est, *vestimentum* et *supervestimentum* dixit. Quod scilicet ἔνδυμα, quod hebræo sermone vocatur MAIL, *subteriorem tunicam;* ἐπένδυμα verò, id est, ἐπωμίς, quod hebraicè dicitur EPHOD, *superius* pallium significet, quo tota sacerdotalis protegatur ambitio.

Quæres forsitan, si *Ephod* sacerdotale sit pallium, quarè in quibusdam locis addatur *bar?* Audiens *bar,* risum tenere non possum. Nam cùm apud Hebræos dicatur *bad,* ipsos quoque septuaginta Interpretes sic transtulisse manifestum sit, ut pro *bad, bar* scriberetur, error obtinuit. BAD autem hebraicâ linguâ *linum* dicitur, licet linum PHESTHA significantiùs exprimatur. Denique ubi nos legimus: *Et fac eis femorale lineum : ut operiant carnis turpitudines, à lumbis usque ad crura eorum :* in hebræo pro *lineo, bad* ponitur. Quâ specie vir quoque ille qui Danieli monstratur, indutus est : *Et extuli oculos meos, et vidi : et ecce vir unus vestitus est baddim*, quod plurali numero, *vestes lineæ* nuncupantur. Propterea autem Samuel et octoginta quinque viri sacerdotes, *Ephod* lineum portâsse referuntur, quoniam sacerdos magnus solus habebat licentiam *Ephod* non lineo vestiendi, verùm (ut Scriptura commemorat) auro, hyacintho, purpurâ, cocco, byssoque contexto. Cæteri habebant *Ephod,* non illâ varietate distinctum, et duodecim lapidibus ornatum, qui in humero utroque residebant, sed *lineum* et simplex, et toto candore purissimum.

Verùm quia suprà promiseram, me, si spatium dictandi fuisset, de *Theraphim* quoque breviter disserturum, nec quisquam interim interpellator advenit, scito *Theraphim* ab Aquilâ μορφώματα interpretari, quas nos *figuras* sive *figurationes* possumus dicere. Nam in eo loco, quandò Saül misit nuntios, ut acciperent David, et responderunt, vexari illum graviter, misit rursùm dicens : *Afferte illum in lecto ad me, ut occidam illum; et venerunt nuntii, et ecce cenotaphia in lecto ;* pro *cenotaphiis,* in hebræo *Theraphim,* id est μορφώματα, posita sunt; et non decor caprarum, ut nostri codices habent, sed pulvillus de caprarum pelle consutus, qui intonsis pilis, caput involuti in lectulo hominis mentiretur. Ut autem utriusque sermonis veritatem pariter explicem, in Osee comminatur Deus se à populo fornicante omnem gratiam ablaturum, dicens, quòd *diebus multis sedebunt filii Israel sine lege et principe, sine sacrificio, sine altari, et sine sacerdotio et manifestationibus.* Pro *sacerdotio et manifestationibus* in hebræo est: *sine Ephod, et sine Theraphim,* sicut Theodotion et Symmachus transtulerunt. Ex quo intelligimus in *Ephod,* juxtà Septuaginta quoque qui sensum magis quàm verba interpretati sunt, *sacerdotium* interpretari; in *Theraphim* verò, id est, *figurationibus* vel *figuris*, varia opera, quæ *Theraphim* vocantur intelligi. Nam et in Exodo cæterisque locis, ubi describuntur vestes plumariâ arte contextæ, *opus Cherubim,* id est, *varium* atque *depictum,* esse factum describitur: ità tamen, ut VAU litteram *Cherubim* non habeat : quia ubicumque cum hâc litterâ scribitur, animalia magis quàm opera significat. Juxtà igitur hunc sensum, et Micha cum veste sacerdotali, cætera quoque quæ ad sacerdotalia pertinent ornamenta, per *Theraphim* fecisse monstratur.

Quàm vellem nunc tibi omnem habitum sacerdotalem exponere, et per singulas vestium species, divina ostendere sacramenta! Verùm quia in hoc ipso brevitatem epistolæ excessimus, et Josephus ac Philo viri doctissimi Judæorum, multique de nostris id latissimè prosecuti sunt, quorum, ut aiunt, voce audies me, quæ de cætero velis, præsens percontator præsentem : ut si quid fortè nescimus, sine teste, sine judice in fidâ aure moriatur. Mater communis si valeat, gaudeo; et ut valeat Dominum precor. Nos, ut scis, Hebræorum lectione detenti, in latinâ linguâ rubiginem obduximus; in tantùm, ut loquentibus quoque nobis stridor quidam non latinus interstrepat. Undè ignosce ariditati; etsi imperitus sum sermone, inquit Apostolus, sed non scientiâ. Illi utrumque non deerat, et unum humiliter renuebat. Nobis utrumque deest, quia et quod pueri plausibile habueramus, amisimus; nec scientiam quam volebamus, consecuti sumus juxtà Æsopici canis fabulam, dùm magna sectamur, etiam minora perdentes.

EPISTOLA HIERONYMI AD RUFINUM PRESBYTERUM,

Quo tempore scripta non satis compertum.

DE JURGIO DUARUM MERETRICUM, ET JUDICIO SALOMONIS.

Multùm in utramque partem crebrò fama mentitur, et tàm de bonis mala, quàm de malis bona, falso rumore concelebrat. Undè et ego gaudeo quidem super testimonio ergà me sanctitatis tuæ, et amore sancti presbyteri Eusebii: nec dubito quin me publicè prædicetis, sed tacitum vestræ prudentiæ judicium pertimesco. Itaque obsecro, ut magis memineritis meî, et dignum vestrâ laude faciatis. Quòd primus ad officium provocâsti, et mihi secundæ in rescribendo partes datæ sunt, non venit de incuriâ in amicos, sed de ignorantiâ. Si enim scîssem, præoccupâssem sermonem tuum.

Interpretatio judicii Salomonis super jurgio duarum mulierum meretricum, quantùm ad simplicem historiam pertinet, perspicua est: quòd puer annorum duodecim contrà ætatis suæ mensuram de intimo humanæ naturæ judicârit affectu. Undè et admiratus est et pertimuit illum omnis Israel, quòd scilicet eum manifesta non fugerent, qui tàm prudenter abscondita deprehendisset. Quantùm autem ad typicos pertinet intellectus, dicente Apostolo: *Hæc omnia in figurâ contingebant illis; scripta sunt autem de nobis, in quos fines seculorum decurrerunt,* quidam Græcorum autumant super Synagogâ et Ecclesiâ sentiendum, et ad illud tempus cuncta referenda, quandò post crucem et resurrectionem, tàm in Israel, quàm in gentium populo verus Salomon, id est pacificus, regnare cœperit. Quòd autem adulteræ et meretrices Synagoga et Ecclesia dicantur in Scripturis, nulla dubitatio est; et hoc primâ fronte videtur esse blasphemum.

Cæterùm, si recurramus ad Prophetas, Osee videlicet qui accepit uxorem fornicariam, et generat filios fornicationis, et deindè adulteram, et ad Ezechiel qui Jerusalem quasi meretricem arguit, quòd secuta sit amatores suos, et divaricaverit omni transeunti pedes, lupanarque in loco celebri exstruxerit; animadvertemus Christum, idcircò venisse, ut meretrices donaret matrimonio, et de duobus gregibus unum ovile faceret, medioque pariete destructo, in easdem caulas oves priùs morbidas congregaret. Hæ sunt duæ virgæ, quæ junguntur in Ezechiel, et de quibus per Zachariam Dominus refert: *Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculos, et pavi gregem.* Mulier quoque illa meretrix in Evangelio, quæ pedes Jesu lacrymis lavat, crine detergit, et cui peccata omnia dimittuntur, manifestè pingit Ecclesiam de gentibus congregatam. Hæc idcircò in primâ fronte replicavi, ne cui videatur incongruum, si meretrices dicantur Synagoga et Ecclesia, quarum una Salomonis judicio, filii possessione donata est. Prudens quærat auditor, quomodò meretrix sit Ecclesia, quæ non habet maculam, neque rugam? Non dicimus Ecclesiam permansisse meretricem, sed fuisse. Nam et in Simonis leprosi domo Salvator scribitur inisse convivium, utique non quia leprosus erat eo tempore quo habebat hospitem Salvatorem, sed quia leprosus antè fuerat. Matthæus quoque in catalogo Apostolorum publicanus dicitur, non quò permanserit publicanus post apostolicam dignitatem, sed quia priùs fuerit publicanus, ut, ubi superabundavit peccatum, superabundaret gratia.

Simulque considera quid dicat Ecclesia contrà Synagogam calumniatricem: *Ego et mulier hæc habitabamus in domo unâ.* Post resurrectionem enim Domini Salvatoris, una de utroque populo Ecclesia congregata est, et quàm eleganter: *Peperi,* inquit, *apud eam in cubiculo!* Ecclesia enim de gentibus quæ non habebat priùs legem et Prophetas, peperit in domo Synagogæ, nec egressa est de cubiculo, sed ingressa. Undè dicit in Cantico canticorum: *Introduxit me rex in cubiculum suum.* Et iterùm: *Et quidem non spernam te. Assumens introducam te in domum matris meæ, et in cubiculum ejus quæ concepit me. Tertiâ autem die: Postquàm ego peperi, peperit et hæc.* Si consideres Pilatum lavantem manus atque dicentem: *Mundus ego sum à sanguine justi hujus;* si Centurionem antè patibulum confitentem: *Verè hic erat Filius Dei;* si eos qui antè passionem per Philippum Dominum videre desiderant, haud ambiges primam peperisse Ecclesiam, et posteà natum populum Judæorum, pro quo Dominus precabatur: *Pater, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt.* Unâque die crediderunt tria millia, et aliâ die quinque millia. Et eramus simul (multitudinis enim credentium erat cor unum, et anima una) nullusque alius in domo nobiscum, exceptis nobis duabus, non blasphemantium Judæorum, non gentilium idolis servientium. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte. Dùm enim legis sequitur observantiam, et gratiæ Evangelii, jugum Mosaicæ doctrinæ

copulat, tenebrarum errore cooperta est. Oppressitque eum mater sua dormiens, quæ non poterat dicere : *Ego dormio, et cor meum vigilat;* mediâ nocte consurgens, tulit filium de latere Ecclesiæ dormientis, et in suo collocavit sinu. Relege totam ad Galatas Apostoli Epistolam, et animadvertes quomodò filios Ecclesiæ suos facere Synagoga festinet, et dicat Apostolus : *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec Christus formetur in vobis.* Vivum tulit, non ut possideret, sed ut occideret. Non enim amore fecit hoc filii, sed æmulæ odio, et suum mortuum per legis cæremonias in sinu Ecclesiæ supposuit.

Longum est si velim per singula currere, quomodò per Apostolum Paulum, et ecclesiasticos viros intellexit Ecclesia, non esse suum filium, qui tenebatur in lege, et in luce cognoverit, quem in tenebris non videbat. Indè jurgium ortum est præsente rege, alterâ dicente : Filius tuus mortuus est, meus autem vivit ; alterâ respondente : Mentiris, filius quippè meus vivit, et filius tuus mortuus est ; atque in hunc modum contendebant coràm rege. Tunc rex Salomon (qui manifestè Salvator accipitur, secundùm Psalmum septuagesimum primum, qui titulo Salomonis inscribitur; ubi nulla dubitatio est, quin cuncta quæ dicuntur, non Salomoni mortuo, sed Christi conveniant majestati) SIMULAT IGNORANTIAM, et humanos pro dispensatione carnis mentitur affectus, sicut et in alio loco : *Ubi posuistis Lazarum?* Et ad mulierem fluentem sanguine : *quis me tetigit?* Gladium postulat, de quo dixerat : *Nolite putare quòd venerim pacem mittere super terram ; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim dividere hominem contrà patrem suum, et filiam contrà matrem suam, et nurum contrà socrum suam ; et inimici hominis domestici ejus;* et tentat naturam naturæ Dominus, vultque secundùm utriusque voluntatem, viventem filium in legem gratiamquæ dividere : non quod probet, sed quod ad arguendum calumniam Synagogæ, hoc velle se dicat. Illa quæ nolebat Ecclesiæ filium in gratiâ vivere, nec per baptismum liberari, libenter habet dividi puerum, non ut possideat, sed ut interficiat. ECCLESIA QUEM scit suum esse, libenter concedit æmulæ, dùm vivat saltem apud adversariam, ne inter legem divisus et gratiam, Salvatoris mucrone feriatur. Undè dicit Apostolus : *Eccè ego Paulus dico vobis, quòd si legem observatis, Christus vobis nihil prodest.*

Hæc sub allegoriæ nubilo dicta sunt. Cæterùm, optimè novit prudentia tua non easdem esse regulas in tropologiæ umbris, quæ in historiæ veritate. Quod sicubi pedem offendimus, et sapienti lectori frivolum videatur esse quod scripsimus, culpam in auctorem referat. Nos enim et hæc ipso in lectulo decumbentes, longâque ægrotatione confecti, vix notario celeriter scribenda dictavimus; non ut impleremus materiam, sed ne tibi in principio amicitiarum aliquid imperanti, videremur negare. Ora nobis à Domino sospitatem, ut post duodecim menses, quibus jugi languore confectus sum, possim aliquid dignum vestræ scribere voluntati : et ignosce si scatens oratio, cursu solito non fluat. Non enim eodem lepore dictamus quo scribimus, quia in altero sæpè stylum vertimus, iterùm quæ legi digna sint scripturi ; in altero quidquid in buccam venerit celeri sermone convolvimus. Caninium libenter vidi, qui narrare tibi poterit quàm difficile et periculosum manùs dexteræ, usque in præsentem diem quo ista dictavi, vulnus sustinuerim.

EPISTOLA HIERONYMI AD VITALEM PRESBYTERUM,

Scripta anno 395 *vel* 396.

DE SALOMONE ET ACHAZ.

Zenon nauclerus, per quem mihi dicis tuæ sanctitatis litteras esse transmissas, unam tantùm et brevem epistolam beati Papæ Amabilis reddidit, solita munuscula continentem. Satisque miror quid causæ fuerit, ut cùm in benedictionibus et tuis et illius perferendis fidelis exstiterit, in retinendâ epistolâ negligens comprobetur. Neque enim te falli arbitror discipulum veritatis, nisi fortè græco homini latinus sermo inter chartulas oberravit. Itaque ad secundam rescribo epistolam, quam mihi sanctus filius meus Heraclius diaconus reddidit, in quâ inter cætera deprecaris, ut exponam tibi causas quarè Salomon et Achaz, undecim annorum, filios genuisse dicantur. Si enim duodecimo anno Salomon super Israel accepit imperium, et quadraginta annis regnavit in Jerusalem, filiusque ejus Roboam cùm quadragesimum et primum annum ageret ætatis, patri successit in regnum, perspicuum est undecim annorum fuisse Salomonem, sive decem, quia decem menses à conceptu usque ad partum sibi mater vindicat. Rursùm Achaz, filius Joathan, cùm viginti esset annorum, rex constitutus est super duas tribus, id est, Judam et Benjamin, regnavitque annis sedecim ; quo

mortuo, Ezechias, cùm vicesimum et quintum annum ageret ætatis, patri successit in regnum. Ex quo intelligitur Achaz quoque undecimo sive decimo anno, Ezechiam filium procreàsse.

Et si quidem in historiis aliter haberent septuaginta Interpretes, aliter hebraica veritas : confugere poteramus ad solita præsidia, et arcem linguæ tenere vernaculæ; nunc verò cùm et ipsum authenticum, et cæteri interpretes pari auctoritate consentiant, non in Scripturâ, sed in sensu est difficultas. Quis enim crederet mortalium, ut undecim annorum puer generaret filium? Multa et alia dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia, et tamen vera sunt. Neque enim valet natura contrà naturæ Dominum; aut potest vas figulo dicere : Quarè me ità fecisti, aut ità? licèt quod pro miraculo, signo atque portento fit, legem natura facere non possit. Nùm quia nostrâ ætate duplex Lyddæ natus est homo, duorum capitum, quatuor manuum, uno ventre et duobus pedibus, omnes homines ità nasci necesse est? Legamus veteres historias, et maximè græcas ac latinas, et inveniemus lustralibus hostiis, secundùm errorem veterum, portentosas soboles, tàm in hominibus quàm in armentis ac pecudibus, expiatas. Audivi, Domino teste, non mentior : quædam muliercula cùm expositum nutriret infantem, et instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaretque cum eâ parvulus, qui usque ad decimum jam pervenerat annum, accidit, ut plus quàm pudicitia patitur, se mero ingurgitaret; accensâque libidine, obscœnis motibus ad coïtum duceret infantem. Prima ebrietas, alterius noctis et cæterarum deinceps fecit consuetudinem. Necdùm duo menses fuerant evoluti, et ecce feminæ uterus intumuit. Quid plura? dispensatione Dei factum est, ut quæ contrà naturam, simplicitate parvuli in contemptum Dei abutebatur, à naturæ Domino proderetur, impleto sermone quo dicitur : *Nihil occultum quod non manifestetur.*

Simulque consideremus, quòd occultè Scriptura et Salomonem et Achaz, voluptatis et impietatis accuset. Uterque enim cùm esset de stirpe David, recessit à Domino; et alter in tantùm secutus est libidinem, ut septingentas habuerit uxores, et trecentas concubinas, et adolescentulas, et scorta passiva, quorum non erat numerus; neglectoque Deo patrum suorum, exstruxerit idola gentium plurimarum; et fuerit, non ut priùs Ididia, id est, *amabilis Domini*, sed amator mulierum; alter miserit ad regem Assyriorum, auxilium postulans, et in tempore angustiæ suæ, auxerit contemptum in Dominum, immolaveritque diis Damasci victimas percussoribus suis, et in omnibus urbibus Juda exstruxerit aras ad cremandum thus; atque ad iracundiam provocaverit Dominum Deum patrum suorum, in tantùm ut direptis vasis domûs Domini atque confractis, clauserit januas templi Dei, et fecerit sibi altaria in universis angulis Jerusalem, ambulaveritque in viis regum Israel, et statuas fuderit Baalim, et adoleverit incensum in valle filiorum Ennon, et lustraverit filios suos in igne, juxtà ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel. Ex quo perspicuum est, homines à parvâ ætate libidini deditos, immaturâ eorum sobole demonstrari, quòd etiam eo tempore peccare cœperint, quo natura non patitur.

Ad summam illud dici potest, quòd in regno David Salomon cùm duodecim esset annorum, solium patris obtinuerit, et posteà, quia Scriptura reliquit incertum, vixerit David regnante jam filio aliquot annos, qui sibi et non Salomoni imputentur; mortuo autem patre post filius regnaverit annis quadraginta, quos sine parente regnavit, atque ità et initium regni Salomonis, et tempus quo solus ipse regnavit, ab historiâ demonstratum. Nec tamen omnes annos vitæ illius quinquaginta tantùm et duorum annorum circulis contineri. Sin autem dubitas, quòd regnantibus filiis, patribusque viventibus, non filiis tempus regni eorum, sed parentibus imputetur, lege ipsum Regnorum volumen, et invenies, quòd Ozias, rex Juda, postquàm leprâ percussus est, habitavit in domo separatâ, et filius ejus Joatham imperium rexerit, judicaveritque populum terræ, usque ad diem mortis patris sui : et tamen post mortem illius cùm viginti quinque esset annorum, sedecim annis regnâsse dicatur, quos solus ipse regnaverit. Quod de Salomone intelleximus, et de Achaz similiter intelligendum est, qui Joathæ filius, Ezechiæ pater fuerit. Audivi quemdam Hebræum hujuscemodi narrare fabulam juxtà Prophetiam Isaiæ, quam inter decem Visiones super interpretatus sum, quòd mortuo Achaz, Philistæa lætata sit, et Scriptura posteà comminetur ac dicat : *Ne lætetis, Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem :* hoc est de Achaz constituetur rex Ezechias. Ex quo intelligi voluit, non statim post mortem patris, filium in imperium subrogatum, sed

vel seditionibus populi, vel quibusdam interregnis, aut certè prementibus malis; et hinc indè consurgentibus bellis, regnum ejus fuisse dilatum.

In rebus obscuris diversas ponimus opiniones, ut non tàm scribere, quàm loqui tibi coràm videamur. Cæterùm Apostolus interminabiles genealogias et judaicas fabulas prohibens, de istiusmodi mihi videtur interdicere quæstionibus. Quid enim prodest hærere in litterâ, et vel scriptoris errorem, vel annorum seriem calumniari, cùm manifestissimè scribatur : *Littera occidit, spiritus autem vivificat?* Relege omnes et veteris et novi Testamenti libros, et tantam annorum reperies dissonantiam, et numerum inter Judam et Israel, id est, inter regnum utrumque confusum, ut hujuscemodi hærere quæstionibus, non tàm studiosi, quàm otiosi hominis esse videatur. Munuscula à te missa libenter suscepi, et impendio precor, ut in amore quo nos appetere cœpisti, ad finem usque perdures. Non enim cœpisse, sed permansisse virtutis est. Nostra vicissìm per Desiderium missa suscipe.

EPISTOLA HIERONYMI AD MARCELLAM,

Scripta anno Christi 384.

DE COMMENTARIIS RHETICII IN CANTICUM CANTICORUM.

Nuper cùm Rheticii, Augustodunensis episcopi, qui quondàm à Constantino imperatore sub Silvestro episcopo, ob causam Montensium missus est Romam, commentarios in Canticum canticorum perlegissem, quod Hebræi vocant SIR ASSIRIM, vehementer miratus sum, virum eloquentem præter ineptias sensuum cæterorum, Tharsis urbem putâsse Tarsum, in quâ Paulus Apostolus natus sit; et aurum Ophaz, Petrum significare : quia Cephas in Evangelio, idem Petrus sit appellatus. Habuerat utique et in Ezechiele idipsum verbum, ubi de quatuor animalibus scribitur : *Et species rotarum sicut species Tharsis.* Et in Daniele de Domino : *Et corpus ejusdem ut Tharsis.* Quod Aquila chrysolytum, Symmachus hyacinthum interpretantur. Et in Psalmo : *In spiritu violento conteres naves Tharsis.* Et inter lapides qui in ornatu sacerdotis, tribuum nominibus sculpti sunt ejusdem lapidis nomen inseritur : et omnis ferè Scriptura hoc vocabulo referta est. De Ophaz verò quid dicam, cùm supradictus Daniel Propheta in tertio anno Cyri, regis Persarum, post tres hebdomadas jejunii atque tristitiæ dicat : *Extuli oculos meos, et vidi, et ecce vir unus vestitus baddim, et renes ejus cincti auro Ophaz.* Plura quippè apud Hebræos auri sunt genera. Undè ob distinctionem, nunc OPHAZ positum est, ne quis ZAAB putaret, quod in Genesi nasci cum lapide carbunculo prædicatur.

Quæris si Tharsis lapis chrysolitus sit, aut hyacinthus, ut diversi interpretes volunt, ad cujus coloris similitudinem Dei species scribatur; quarè Jonas Propheta Tharsis ire velle dicatur, et Salomon et Josaphat in Regnorum libris naves habuerint, quæ de Tharsis solitæ sint exercere commercia. Ad quod facilis est responsio, ὁμώνυμον esse vocabulum quod et Indiæ regio ità appelletur, et ipsum mare, quia cœruleum sit, et sæpè solis radiis percussum, colorem supradictorum lapidum trahat, et à colore nomen acceperit. Licèt Josephus TAU litterâ commutatâ Græcos putet Tarsum appellâsse pro Tharsis.

Innumerabilia sunt, quæ in illius mihi commentariis sordere visa sunt. Est quidem sermo compositus, et gallicano cothurno fluens; sed quid ad interpretem, cujus professio est, NON QUO IPSE DISERTUS appareat, sed quo eum, qui lecturus est, sic faciat intelligere, quomodò ipse intellexit qui scripsit? Rogo, non habuerat decem Origenis volumina? Non interpretes cæteros? Non certè aliquos necessarios Hebræorum, ut aut interrogaret, aut legeret, quid sibi vellent quæ ignorabat? Sed tàm malè videtur existimâsse de cæteris, ut nemo possit de ejus erroribus judicare. Frustrà ergò à me ejusdem viri commentarios postulas, cùm mihi in illis displiceant multò plura, quàm placeant. Quòd si opposueris, cur cæteris dederim, audies, non omnes iisdem vesci debere cibis. Jesus in deserto plures hordeaceis panibus pascit, frumentaceis pauciores. Corinthii in quibus audiebatur fornicatio qualis nec inter gentes, lacte pascuntur, quia necdùm poterant solidum cibum capere. Ephesii autem, in quibus nullum crimen arguitur, ab ipso Domino cælesti vescuntur pane, et sacramentum quod à seculis absconditum fuerat agnoscunt. Neque verò eorum qui à me exemplaria acceperunt, vel auctoritate vel ætate ducaris, cùm et Daniel puer senes judicet, et Amos, pastor caprarum, in sacerdotum principes invehatur.

EPISTOLA S. HIERONYMI AD SUNNIAM ET FRETELAM.

Scripta videtur anno Christi 405.

DILECTISSIMIS FRATRIBUS SUNNIÆ ET FRETELÆ, ET CÆTERIS QUI VOBISCUM DOMINO SERVIUNT, HIERONYMUS.

Verè in vobis apostolicus et propheticus sermo completus est : *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua hebraicam quæreret veritatem; et dormitantibus, imò contendentibus Græcis, ipsa Germania Spiritûs sancti eloquia scrutaretur? *In veritate cognovi, quòd non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi.* Dudùm callosa tenendo capulum manus, et digiti tractandis sagittis aptiores, ad stylum calamumque mollescunt; et bellicosa pectora vertuntur in mansuetudinem christianam. Nunc et Isaiæ vaticinium cernimus opere completum : *Concident gladios suos in aratra, et lanceas suas in falces; et non sumet gens contrà gentem gladium, et non discent ultrà pugnare.* Rursùm in eodem : *Pascetur lupus cum agno; et pardus requiescet cum hædo; et vitulus et leo et taurus pascentur simul; et puer parvulus ducet eos; et bos et ursus in commune pascentur, parvulique eorum erunt pariter; et leo et bos comedent paleas;* non ut simplicitas in feritatem transeat, sed ut feritas discat simplicitatem.

Quæritis à me rem magni operis, et majoris invidiæ; in quâ scribentis non ingenium, sed eruditio comprobetur; ut dùm ipse cupio de cæteris judicare, judicandum me omnibus præbeam, et in opere Psalterii juxtà digestionem schedulæ vestræ, ubicumque inter Latinos Græcosque contentio est, quid magis Hebræis conveniat, significem. In quo illud breviter admoneo, ut sciatis aliam esse editionem, quam Origines, et Cæsariensis Eusebius, omnesque Græciæ tractatores κοινὴν, id est, *communem* appellant, atque *Vulgatam,* et à plerisque nunc Λουκιανὸς dicitur; aliam Septuaginta Interpretum, quæ et in Ἑξαπλοῖς codicibus reperitur, et à nobis in latinum sermonem fideliter versa est, et Jerosolymæ atque in Orientis Ecclesiis decantatur. Super quâ re et sanctus filius meus Avitus sæpè quæsierat. Et quia se occasio fratris nostri Firmi presbyteri dedit, qui mihi vestram epistolam reddidit à vobis; scribens in commune respondeo, ET HE MAGNO amicitiæ libero fenore, quod quantò magis solvimus, plus debemus. Sicut autem in novo Testamento, si quandò apud Latinos quæstio exoritur, et est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem græci sermonis, quo novum scriptum est Instrumentum; ità in veteri Testamento, si quandò inter Græcos Latinosque diversitas est, ad hebraicam confugimus veritatem; ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis. Κοινὴ autem ista, hoc est communis editio, ipsa est quæ et Septuaginta. Sed hoc interest inter utramque, quod κοινὴ pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum, vetus corrupta editio est. Ea autem quæ habetur in Ἑξαπλοῖς, et quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta, et immaculata septuaginta Interpretum translatio reservatur. Quidquid ergo ab hâc discrepat, nulli dubium est, quin ità et ab Hebræorum auctoritate discordet.

Prima de quinto Psalmo quæstio fuit : *Neque habitabit juxtà te malignus.* Pro quo habetur in græco: οὔτε παροικήσει σοι πονηρὸς, sive πονηρευόμενος, ut Vulgata editio continet. Et miramini, cur παροικίαν, id est, *incolatum* latinus interpres non verterit, sed pro hoc posuerit *habitationem,* quæ græcè dicitur κατοικία. Quod quidem in alio loco fecisse convincitur : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Et in decimo quarto Psalmo rursùm pro incolatu habitationem posuit : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et sciendum, quòd si voluerimus dicere : *Domine, quis incolet tabernaculum tuum?* vel illud de quinto : *Neque incolet juxtà te malignus,* perdet εὐφωνίαν : et dùm interpretationis κακοζηλίαν sequimur, omnem decorem translationis amittimus; et hanc esse regulam boni interpretis ut ἰδιώματα linguæ alterius, suæ linguæ exprimat proprietate. Quod et Tullium in Protagorâ Platonis, et in Οἰκονομικῷ Xenophontis, et in Demosthenis contrà Æschinen oratione fecisse convincimus; et Plautum, Terentium, Cæciliumque, eruditissimos viros, in græcis comœdiis transferendis. Nec ex eo quis latinam linguam angustissimam putet, quòd non possit verbum de verbo transferre; cùm etiam Græci pleraque nostra circuitu transferant; et verba hebraica, non interpretationis fide, sed linguæ suæ proprietatibus nitantur exprimere.

De eodem Psalmo : *Dirige in conspectu meo viam tuam.* Pro quo habetur in græco κατευθύνον ἐνώπιον σου τὴν ὁδόν μου, hoc est, *dirige in conspectu tuo viam meam.* Quod nec Septuaginta habent, nec Aquila, nec Symmachus, nec Theodotion; sed sola Κοινὴ editio. Denique et

in hebræo ità scriptum reperi: OSER LAPHANAI DARCHACH. Quod omnes voce simili transtulerunt: *Dirige in conspectu meo viam tuam.* Secundùm illud, quod in Oratione Dominicâ dicitur: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Non quo nobis orantibus sanctificetur quod per se sanctum est; sed quo petamus, ut quod per naturam suî sanctum est, sanctificetur in nobis. Ergò et nunc Propheta postulat, ut via Domini quæ per se recta est, etiam sibi recta fiat.

De sexto Psalmo: *Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei.* Et dicitis in græco, *vehementer*, non haberi. Scio, sed hoc in editione Vulgatâ. Cæterùm, in hebræo habet MOD, id est, *vehementer;* et omnes, σφόδρα, similiter transtulerunt.

De septimo Psalmo: *Judica me, Domine, secundùm justitiam meam.* Pro quo habetur in græco, κατὰ τὴν δικαιοσύνην σου, id est, *juxtà justitiam tuam.* Sed et in hoc malè; in hebræo enim SEDECI habet, quod interpretatur, *justitia mea;* et non SEDEDACH, quod *justitiam tuam* sonat. Sed et omnes interpretes, *justitiam meam*, voce simili transtulerunt. Nec cuiquam videatur temerarium, quod judicari secundùm justitiam suam postulet, cùm et sequens versiculus hoc ipsum significet: *Et secundùm innocentiam meam super me.* Et sexti decimi Psalmi hoc exordium sit: *Exaudi, Domine, justitiam meam.* Et in septimo decimo quoque dicatur: *Retribuet mihi Dominus, secundùm justitiam meam, et secundùm puritatem manuum mearum reddet mihi.* In vigesimo quoque quinto Psalmo scriptum sit: *Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum.* Et in quarto dicatur: *Cùm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ.* Et in octogesimo quinto: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Jacob quoque loquatur in Genesi: *Exaudiet me cras justitia mea.*

De octavo Psalmo: *Quoniam videbo cœlos tuos.* Et dicitis quòd, *tuos*, in græco non habeat. Verum est, sed in hebræo legitur SAMACHA, quod interpretatur, *cœlos tuos;* et de editione Theodotionis in septuaginta Interpretibus additum est sub asterisco: cujus rei vobis sensum breviter aperiam. Ut quid minùs habetur in græco ab hebraicâ veritate, Origines de translatione Theodotionis addidit, et signum posuit asterisci, id est, stellam, quæ quod priùs absconditum videbatur, illuminet et in medium proferat; ubi autem quod in hebræo non est, in græcis codicibus invenitur, obelon, id est, jacentem præposuit virgulam, quam nos latinè, veru, possumus dicere; quo ostenditur jugulandum esse et confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur. Quæ signa et in Græcorum Latinorumque poematibus inveniuntur.

Decimo sexto: *Oculi tui videant æquitates.* Pro quo in græco vos legisse dixistis: οἱ ὀφθαλμοί μου, id est, *oculi mei*, sed rectiùs, *oculi tui*, quia et suprà dixerat: *De vultu tuo judicium meum prodeat*, et oculi Dei in Prophetâ recta operante, non prava, sed recta conspiciant. In ipso: *Custodi me ut pupillam oculi.* Dicitisque in græco legi: *Custodi me, Domine;* quod nec in hebræo, nec in ullo habetur interprete. In eodem: *Exsurge, Domine, præveni eum, et supplanta eum.* Pro quo in græco sit: πρόφθασον αὐτοὺς, id est, *præveni eos*, et supplanta eos; sed meliùs si legatur numero singulari, siquidem de impio dictum est, de quâ statim sequitur: *præveni eum et supplanta eum; eripe animam meam ab impio.* Nullique dubium quin diabolum significet.

Decimo septimo Psalmo: *Grando et carbones ignis.* Et quæritis cur græcus istum versiculum secundò non habeat interpositis duobus versibus. Sed sciendum, quia de hebraico, et de Theodotionis editione in septuaginta Interpretibus sub asterisco additum sit. In eodem: *Qui perfecit pedes meos tanquàm cervorum.* Pro quo scribitis in Græco inveniri ὡσεὶ ἐλάφου, id est, *tanquàm cervi;* singularem numerum pro plurali. Sed in Hebræo pluralis numerus est CHAJALOTH, et omnes Interpretes pluralem numerum transtulerunt. In eodem: *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ.* Pro quo in græco vos legisse dixistis, τῆς σωτηρίας μου, id est, *salutis meæ.* Sed in hebræo JESACHA, *salutis tuæ*, significat, non *meæ*, quod et omnes interpretes transtulerunt. In ipso: *Supplantâsti insurgentes in me subtùs me.* Pro quo in græco plus invenisse vos dicitis: *Omnes insurgentes*, sed, *omnes*, additum est. In eodem: *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus.* Et dicitis in græco non haberi, *meus.* Quod non sub asterisco, sed ab ipsis Septuaginta de hebraicâ veritate translatum est; et cuncti interpretes in hâc parte consentiunt. In eodem: *Liberator meus de gentibus iracundis.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis: *Ab inimicis meis fortibus*, sive *potentibus.* Et quia semel veritati studemus, si quid vel transferentis festinatione, vel scribentium vitio depravatum est, simpliciter confiteri, et emendare debemus. In hebræo nihil aliud habet nisi hoc: *Liberator meus ab inimicis meis.* Septuaginta autem, *iracundis*, addi-

derunt. Et pro *gentibus*, tàm in hebræo, quàm in cunctis interpretibus, *inimici*, positi sunt : et miror, quomodò, pro *inimicis*, *gentes* mutatæ sint.

Decimo octavo : *Exsultavit ut gigas ad currendum viam suam.* Et dicitis quod in græco, *suam*, non habeat : sed hoc nos sub veru additum reperimus, et in hebræo non esse manifestum est.

Decimo nono : *Tribuat tibi secundùm cor tuum.* Et dicitis in græco vos hoc versiculo additum nomen Domini reperisse, quod superfluum est : quia ex superioribus ἀπὸ κοινοῦ subauditur, undè cœpit et Psalmus : *Exaudiat te Dominus in die tribulationis;* ut et hìc sub eodem sensu dicatur : *Tribuat tibi secundùm cor tuum*, id est, ipse Dominus, de quo suprà dictum est. In eodem : *Et exaudi nos in die quâ invocaverimus te.* Pro quo legisse vos dicitis : *in quocumque die;* sed superiùs cum hebraicâ veritate concordat, ubi scriptum est BIOM, id est, *in die.*

Vigesimo primo : *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me.* Et dicitis invenisse vos, *meum*, quod et verum est, et ità corrigendum. Brevi enim, si quid scriptorum errore mutatum est, stultâ credimus contentione defendere. In eodem : *Universum semen Jacob magnificate eum.* Pro quo in græco scriptum sit : δοξάσατε αὐτὸν, id est, *glorificate eum.* Sed sciendum quòd ubicumque in Græco scriptum est, *glorificate*, latinus interpres, *magnificate*, transtulerit; secundùm illud quod in Exodo dicitur : *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*, pro quo in græco scribitur : *glorificatus est :* sed in latino sermone si transferatur, fit indecora translatio; et nos emendantes olìm Psalterium, ubicumque sensus idem est, veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimiâ novitate lectoris studium terreremus.

Vigesimo secundo : *Calix meus inebrians quàm præclarus est!* Pro quo in græco legisse vos dicitis : *calix tuus :* sed hoc in Κοινῇ error obtinuit. Cæterùm, et Septuaginta, et hebraicum, et omnes interpretes, *calix meus*, habent, quod hebraicè dicitur CHOSI : alioquin si, *calix tuus*, esset, diceretur CHOSACH.

Vigesimo quarto : *Confundantur omnes iniqua agentes.* Et dicitis quòd, *omnes*, in græco non habeat, et benè; nam nec in hebræo habet, sed in Septuaginta sub veru additum est. In eodem : *Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.* Et dicitis in græco vos reperisse, *Domine*, quod superfluum est.

Vicesimo sexto : *Et nunc eccè exaltavit caput meum.* Sed, *eccè*, superfluum est. In eodem : *Exquisivit facies mea.* Pro quo in græco sit positum : *Quæsivit te facies mea.* Sed meliùs superiùs.

Vigesimo septimo : *Exaudi vocem deprecationis meæ.* Pro quo invenisse dixistis : *Exaudi, Domine;* sed et hoc additum est.

Vigesimo octavo : *Et in templo ejus omnis dicet gloriam.* Pro quo in græco sit, πᾶς τίς. Quod si transferre voluerimus ad verbum, *omnis quis*, in κακοζηλίαν interpretationis incurrimus, et fit absurda translatio. In eodem : *Dominus diluvium inhabitare facit.* Pro quo legisse vos dicitis : *Dominus diluvium inhabitat*; quorum prius ad gratiam pertinet in credentibus, secundum ad ejus, in quo credunt, habitaculum. Sed quia JASAB verbum ambiguum est, et potest utrumque sonare, nam et *sessio*, et *habitatio* dicitur, et in ipso Psalmo de gratiâ baptismatis dicebatur : *Vox Domini super aquas; Dominus super aquas multas;* et : *Vox præparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo ejus omnis dicet gloriam*, de ipsis sentire volumus, qui glorificant Dominum; et interpretati sumus : *Dominus diluvium inhabitare facit.*

Trigesimo : *Quoniam tu es protector meus.* Rursùm in hoc loco nomen Domini additum est; et ne eadem semper inculcem, observare debetis nomen Domini et Dei sæpissimè additum; et id vos debere sequi quod de hebraico et de septuaginta Interpretibus emendavimus. In eodem : *Ego autem dixi in excessu mentis meæ.* Pro quo in latinis codicibus legebatur, *in pavore meo*, et nos juxtà græcum transtulimus, ἐν τῇ ἐκστάσει μου, id est, *in excessu mentis meæ;* aliter enim latinus sermo ἔκστασιν exprimere non potest, nisi mentis excessum. Aliter me in hebraico legisse noveram : *In stupore et admiratione meâ.*

Tricesimo primo : *Nec est in spiritu ejus dolus.* Pro quo in græco vos legisse dicitis : ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος, id est, *in ore ejus dolus;* quod solus Symmachus posuit. Alioquin et septuaginta Interpretes, et Theodotion, et Quinta, et Sexta editio, et Aquila, et ipsum hebraicum, *in spiritu ejus*, habet, quod hebraicè dicitur BRUCHO. Sin autem esset : *in ore ejus*, scriberetur, BAFFIO. In eodem : *Conversus sum in ærumnâ meâ;* in græco, *meâ*, non esse suggeritis. Quod ex hebraico, et de translatione Theodotionis sub asterisco additum est, et in hebræo legitur LASADDI.

Trigesimo quarto : *Omnia ossa mea dicent;*

Domine. Pro quo in græco bis, *Domine*, invenisse vos dicitis. Sed sciendum quòd multa sunt exemplaria apud Hebræos, quæ ne semel quidem Dominum habeant.

Trigesimo sexto : *Et viam ejus volet*. In græco, *volet nimis* vos legisse dicitis. Quod additum est, nec apud quemquam habetur interpretum.

Trigesimo octavo : *Verumtamen vanè conturbatur omnis homo*. Et dicitis vos in græco non invenisse *conturbatur*. Sed et hoc in 70 sub veru additum est. Et hinc apud vos et apud plerosque error exoritur, quod scriptorum negligentiâ, virgulis et asteriscis subtractis, distinctio universa confunditur.

Trigesimo nono : *Et legem tuam in medio cordis mei*. Pro quo in græco reperisse vos dicitis, *in medio ventris mei*, quod et in hebræo sic scriptum est: BATTHOCH MEAI. Sed propter euphoniam, apud Latinos, *in corde*, translatum est; et tamen non debemus subtrahere quod verum est. In eodem : *Domine, in adjutorium meum respice*. Pro quo in græco reperisse vos dicitis σπεῦσον, id est, *festina*. Sed apud Septuaginta πρόσχες, id est, *respice*, scriptum est.

Quadragesimo : *Et si ingrediebatur, ut videret*. *Et* dicitis quod in græco non sit positum. Cùm manifestissimè et in hebræo, et in cunctis interpretibus scriptum sit, et Septuaginta transtulerint: καὶ εἰσεμπορεύετο τοῦ ἰδεῖν.

Quadragesimo primo : *Salutare vultûs mei, Deus meus*. Pro quo invenisse vos dicitis, *et Deus meus*. Sed sciendum, hoc in isto Psalmo bis inveniri, et in primo positum esse : *salutare vultûs mei, Deus meus;* in secundo autem, id est, in fine ipsius Psalmi : *Salutare vultûs mei, et Deus meus;* ità duntaxat, ut, *et*, conjunctio de hebræo, et Theodotione, sub asterisco addita sit. In eodem : *Exprobaverunt mihi qui tribulant me*. Pro quo vos invenisse dixistis, ὀνείδιξόν με οἱ ἐχθροί μου, id est, *exprobraverunt mihi inimici mei;* cùm et apud Septuaginta scriptum sit, οἱ θλίβοντές με, et apud Hebræos SORARAI, id est, hostes mei. In eodem : *Spera in eum, quoniam adhùc confitebor illi*. Et dicitis, *adhùc*, in græco non inveniri. Quod sub asterisco additum est. Ità enim et in hebræo scriptum reperimus CHI OD, quod significatur ὅτι ἔτι, latinèque dicitur, *quoniam adhùc*. Hoc ipsum etiam in quadragesimo secundo intelligendum est.

Quadragesimo tertio : *Et non egredieris in virtutibus nostris*. Pro quo in græco reperisse vos dicitis : *Et non egredieris Deus;* sed superfluum est. In ipso : *Posuisti nos in similitudinem gentibus;* sed si dictum fuisset in latino, *in similitudinem in gentibus*, κακόφωνον esset : et propterea absque damno sensûs, interpretationis elegantia conservata est. Alioquin in hebraico ità scriptum reperi : *Posuisti nos proverbium in gentibus*. In eodem : *Exsurge, adjuva nos*. Pro quo, more solito, in græco nomen *Domini* additum est.

Quadragesimo quarto : *Sagittæ tuæ acutæ*. Pro quo in græco legisse vos dicitis : *acutæ, potentissime;* sed hoc malè, et de superiori versiculo additum est, in quo legitur : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*.

Quadragesimo septimo : *Quoniam ecce reges congregati sunt*. Pro quo in græco legisse vos dicitis : *Quoniam ecce reges ejus congregati sunt*. Quod superfluum esse, ipse lectionis textus ostendit; et in veteribus codicibus Latinorum scriptum erat, *reges terræ*, quod nos tulimus, quia nec in hebræo, nec in Septuaginta reperitur. In ipso : *Sicut audivimus, sic vidimus*. Pro quo in græco reperisse vos dicitis : *sic et vidimus*, quod superfluum est, legitur enim in hebræo CHEN RAINU, quod interpretatur οὕτως εἴδομεν, hoc est, *sic vidimus*. In eodem : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*. Pro eo quod nos de hebraico et de septuaginta Interpretibus vertimus, *templi tui*, in græco vos legisse dicitis, *populi tui*, quod superfluum est. In hebraico scriptum est ECHALACH, id est, τοῦ ναοῦ σοῦ, hoc est, *templi tui*, et non AMMACH, quod *populum tuum* significat.

Quadragesimo octavo : *Homo cùm in honore esset*. Pro quo in græco invenisse vos dicitis : *Et homo in honore cùm esset*. Sed sciendum, quod iste versiculus bis in hoc Psalmo sit, et in priori additam habeat *et* conjunctionem, in fine non habeat. In eodem : *Et dominabuntur eorum justi*. Pro *justis*, εὐθεῖς, id est, *rectos*, in græco vos legisse dicitis; sed propter εὐφωνίαν ità in latinum versum est. Alioquin et in eo loco, ubi scriptum legimus : *In libro* εὐθεῖς, justorum intelligimus librum ; et non debemus sic verbum de verbo exprimere, ut dùm syllabas sequimur, perdamus intelligentiam. In eodem : *De manu inferni cùm liberaverit me*. Pro quo in græco legisse vos dicitis : *cùm acceperit me :* quod quidem et nos ità de 70 vertimus; et miror à quo in vestro codice depravatum sit.

Quadragesimo nono : *Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris*. Pro quo in græco reperisse vos dicitis : κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ σου κατελάλεις, et putatis non benè versum, quia diximus,

adversùs fratrem tuum loquebaris, et debuisse nos dicere, *adversùs fratrem tuum detrahebas.* Quod vitiosum esse, et in nostrâ linguâ non stare, etiam stultis patet. Nec ignoramus quòd καταλαλιὰ dicitur detractio : quam si voluerimus ponere, non possumus dicere, *adversùs fratrem tuum detrahebas;* sed, *de fratre tuo detrahebas.* Quod si fecerimus, rursùs contentiosus verborum calumniator inquiret, quarè non dixerimus, κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ σου, hoc est, *adversùs fratrem tuum.* Hæc superflua sunt, et non debemus impolitâ nos verborum interpretatione torquere, cùm damnum non sit in sensibus : quia unaquæque lingua, ut antè jam dixi, suis proprietatibus loquitur. In ipso : *Ne quandò rapiat, et sit qui eripiat.* Et in græco reperisse vos dicitis : *Et non sit qui eripiat;* quod et à nobis versum est, et in nostris codicibus sic habetur ; ET MIROR QUOMODO vitium librarii dormitantis, ad culpam referatis interpretis, nisi fortè fuerit hoc : *Ne quandò rapiat, nec sit qui eripiat;* et ille pro *nec, et* scripserit. In eodem : *Sacrificium laudis honorificabit me.* Pro quo in græco scribitur, δοξάσει με, id est, *glorificabit me*, de quo et suprà diximus. In Evangelio, in eo loco, ubi in græco legimus : Πάτερ, δόξασον με τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον παρά σοι πρὸ τοῦ τὸν κόσμον γενέσθαι, in latino legitur : *Pater, clarifica me;* noluimus ergò immutare quod ab antiquis legebatur, quia idem sensus erat.

Quinquagesimo quarto : *Exspectabam eum qui salvum me fecit.* Et dicitis vos invenisse in græco : *Exspectabam Deum*, quod additum est. In eodem : *A pusillanimitate spiritûs.* Et in græco invenisse vos dicitis, ἀπὸ ὀλιγοψυχίας, quod propriè *pusillanimitas* dicitur. Sed sciendum quòd pro ὀλιγοψυχία, Aquila, et Symmachus, et Theodotion, et Quinta editio, interpretati sunt, ἀπὸ πνεύματος, id est, *à spiritu;* et in hebræo scriptum sit MERUA, omnisque sensus ità apud eos legatur : *Festinabo ut salver à spiritu tempestatis, et turbinis.* In eodem : *Quoniam si inimicus maledixisset.* In græco ὠνείδισεν, hoc est, *exprobrâsset*, positum est. Sed inter maledicta et opprobria sensum non discrepare perspicuum est.

Quinquagesimo quinto : *Quoniam multi bellantes adversùm me, ab altitudine diei timebo.* Et dicitis in græco vos invenisse, *non timebo;* quod additum est. Et est ordo : Quoniam multi dimicant adversùm me, idcircò ego ab altitudine diei timebo, hoc est, NON BELLANTES adversùm me, sed tuum excelsum timebo lumen. In ipso : *In irâ populos confringes.* Pro quo in græco legitur, ἐν ὀργῇ λαοὺς καταξεις, id est, *confringes* : et apud Latinos pro eo quòd est, *dejicies*, id est, καταβαλεῖς, malè error obtinuit, κατάξεις, id est, in irâ populos *confringes;* nam et in hebræo HORED habet, id est, καταβιβάσον, quod nos possumus dicere, *depone;* et Symmachus interpretatus est, κατασεῖσαι.

Quinquagesimo octavo : *Quia Deus susceptor meus.* Pro quo in græco positum est : *Susceptor meus est tu.* Sed sciendum in hebræo nec *es* scriptum, nec *tu;* et apud Septuaginta solos inveniri. In ipso : *Deus meus, voluntas ejus præveniet me.* Pro quo in græco scriptum est, τὸ ἔλεος αὐτοῦ, id est, *misericordia ejus :* quod et verius est. Sed in hebræo scriptum est : *Misericordia mea præveniet me.* In eodem : *Deus ostendet mihi inter inimicos meos.* Pro quo in græco positum est, *Deus meus;* sed *meus* additum est. In eodem : *Ne occidas eos, ne quandò obliviscantur populi tui.* Pro quo in græco scriptum est : *legis tuæ;* sed in Septuaginta et in hebræo non habet, *populi tui*, sed *populi mei;* et à nobis ità versum est. In eodem : *Et scient, quia Deus dominabitur Jacob finium terræ.* Pro quo in græco scriptum est : *Et finium terræ*, sed *et* conjunctio addita est; et ordo est : Scient quia Deus Jacob dominabitur finium terræ.

Quinquagesimo nono : *Quis deducet me usque in Idumæam?* Pro quo in græco habet : *aut quis deducet me;* sed superfluum est.

Sexagesimo : *Quoniam tu, Deus, meus exaudisti orationem meam.* Pro quo legitur in græco : *Quia tu, Deus, exaudisti me.* Quod non habet in hebræo nec in 70 Interpretibus, et in latino additum est. In eodem : *Psallam nomini tuo in seculum seculi.* Pro quo in græco sit, *In seculum;* et in hebræo semel habet LAED, id est, *in æternum;* et non LOLAM, quod est, *in seculum.*

Sexagesimo primo : *Quia Deus adjutor noster in æternum.* Pro quo in græco est : *Deus adjutor noster.* Ergò *in æternum* obelus est.

Sexagesimo secundo : *Sitivit tibi anima mea.* Pro quo in græco sit : *Sitivit in te anima mea.* Sed in hebræo non habet ATTHA, quod significat, *et;* sed LACH, quod ostenditur, *tibi*, quod et omnes interpretes transtulerunt. Ergò secundùm linguæ proprietatem versum est in latinum.

Sexagesimo textio : *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Pro quo in græco : *Sagitta parvulorum;* sed si sic dicamus, non resonat in latino : *Sagitta parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Pro quo meliùs habet in hebræo : *Percutiet eos Deus jaculo repentino, et inferentur plagæ eorum.*

Sexagesimo quarto : *Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.* In græco additum scribitis : *Qui sustinebit.* Quod superfluum est ; subauditur enim, qui conturbas profundum maris, et conturbas sonum fluctuum ejus. In eodem : *Parâsti cibum illorum, quoniam ità est præparatio ejus.* Et dicitis quòd in græco non sit, *ejus,* cùm in hebræo THECHINA manifestè, *præparationem ejus,* significet : ejus autem, id est, terræ, de quâ suprà dixerat : *Visitâsti terram et inebriâsti eam.*

Sexagesimo quinto : *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum.* Pro quo invenisse vos dicitis : *Cum incenso et arietibus;* sed malè : in hebræo enim scriptum est: EM CATOROTHELIM, quod interpretatur, μετὰ θυμιάματος κριῶν, id est, cum incenso arietum. In eodem : *Propterea exaudivit Deus.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis : *Exaudivit me Deus;* sed superfluum est.

Sexagesimo septimo : *Exsultate in conspectu ejus.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis : *Et exsultate in conspectu ejus.* Quod ità versum est et à nobis, sed à quo in codice vestro corruptum sit, scire non possum. In eodem : *Etenim non credunt inhabitare Dominum.* Pro quo in græco legisse vos dicitis: καὶ γὰρ ἀπειθοῦτες τοῦ κατασκηνῶσαι, quod utrumque falsum est. Nos enim transtulimus : *Et enim non credentes inhabitare Dominum Deum;* ut sit sensus et pendeat ex superioribus : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus,* et eos qui non credebant Dominum inhabitare posse mortalibus. In eodem : *Deus benedictus Dominus die quotidiè.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis : *Dominus benedictus Deus, benedictus Dominus die quotidiè;* sed melius et verius quod suprà. In eodem : *Viderunt ingressus tui, Deus,* pro quo in græco scriptum sit : *Visi sunt ingressus tui Deus.* In hebræo ità habet : RAU ALICHOTACH. Quod Aquila, et Symmachus, et Theodotio interpretati sunt : *Viderunt itinera tua, Deus,* et quod sequitur : *Itinera Dei mei regis, qui est in sancto.* Ergò à nobis ità legendum est : *Viderunt gressus tuos, Deus;* et scriptoris vitium relinquendum, qui nominativum posuit, pro accusativo, licet et in Septuaginta et in Ἑξαπλοῖς ità repererim : ἐθεώρησαν τὰς πορείας σου, ὁ θεὸς : et pro eo quod est ἐυθεώρησαν, hoc est, *viderunt,* in multis codicibus habet, ἐθεωρήθησαν : quod et obtinuit consuetudo. In eodem : *Ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto;* subauditur: viderunt ingressus Dei mei, et regis mei. Quod autem dicitis, *mei,* in rege non appositum, apertissimi mendacii est, secundò enim ponitur, et Dei mei, et regis mei, blandientis affectu; UT QUI OMNIUM DEUS et rex est, suus specialiter Deus fiat et rex meritò servitutis. Denique in Hebræo scriptum habet, HELI MELCHI, quod *Deum meum* et *regem meum* significat. In eodem : *Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino.* Et dicitis hoc in isto versiculo non esse scriptum, *Psallite Domino,* quoniam statim sequatur : *Diapsalma. Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad orientem;* cùm iste versiculus magis habere debeat juxtà hebraicam veritatem : *Cantate Deo, psallite Domino;* et illud quod sequitur in principio versûs alterius, *psallite Deo,* non sit in libris authenticis, sed obelo prænotatum. Ergò et vos legite magis quæ vera sunt; NE, DUM ADDITUM suscipitis, quod à Prophetâ scriptum est relinquatis.

Sexagesimo octavo : *Laudabo nomen Dei cum cantico.* Pro quo dicitis vos reperisse in græco : *Dei mei*; sed *mei* superfluum est.

Septuagesimo : *Deus, ne elongeris à me.* Quod dicitis in græco positum : *Deus meus,* superfluum est. In eodem : *Deus docuisti me ex juventute meâ.* Et in hoc, quod apud Græcos invenisse vos dicitis, *Deus meus,* superfluum est, *meus.* In eodem : *Donec annuntiem brachium tuum.* Et dicitis in græco vos reperisse : *mirabilia tua,* quod de superiori versiculo est : *et usque nunc pronuntiabo miracula tua.* Benè ergò hìc habet, *brachium.*

Septuagesimo primo : *Et adorabunt eum omnes reges.* Illud quod in græco invenisse vos dicitis, *reges terræ,* superfluum est. In eodem : *Benedictus Dominus Deus, Deus Israel.* Dicitis in græco bis, *Deus,* non haberi : cùm in hebræo sit, et apud Septuaginta; et manifestissimè triplex Domini Deique nuncupatio mysterium Trinitatis sit. In eodem : *Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum.* Hoc ergò quod in græco vos invenisse dicitis : *In æternum, et in seculum seculi*, superfluè à Græcis sciatis appositum, quod nec hebræus habet, nec Septuaginta interpretes.

Septuagesimo secundo : *Prodiit quasi ex adipe.* Et dicitis vos apud Græcos invenisse, ἐξελεύσεται, id est, *prodiet*, quod falsum est. Nam et apud septuaginta Interpretes ità scriptum est : ἐξηλεύσατο ὡς ἐκ στέατος ἡ ἀδικία αὐτῶν. In eodem : *Quomodò scit Deus*, in græco dicitis non esse, *Deum;* cùm apud Septuaginta scriptum sit, Πῶς ἔγνω ὁ θεός, et omnes interpretes similiter de hebræo transtulerint. In eodem : *Intelligam in novissimis eorum.* Pro quo in græco legisse vos dicitis : *et intelligam;* sed hìc *et* con-

junctio superflua est. In eodem : *Defecit caro mea, et cor meum.* Pro quo malè perversum ordinem quidam tenent : *Defecit cor meum, et caro mea.* In eodem : *Ut annuntiem omnes prædicationes tuas.* Pro quo vos in græco legisse dixistis, τὰς αἰνέσεις σου, id est, *laudes tuas.* Et sciendum quòd in hebræo MALOCHOTHACH scriptum habet, quod Aquila ἀγγελίας, id est, *nuntios tuos;* Septuaginta, τὰς ἐπαγγελίας σου, id est, *prædicationes tuas*, vel *promissa* interpretati sunt : licèt et laus, et prædicatio, unum utrumque significet.

Septuagesimo tertio : *Utquid, Deus, repulisti in finem?* Pro quo malè apud Græcos legitur, ordine commutato : *Utquid repulisti, Deus?* In eodem : *Quanta malignatus est inimicus in Sancto.* Miror quis in codice vestro emendando perverterit, ut, pro *Sancto, Sanctis* posuerit; cùm et in nostro codice, *in Sancto*, inveniatur. In eodem : *Incendamus omnes dies festos Dei à terrâ.* Pro quo in græco scriptum est : καταπαύσωμεν; et nos ità transtulimus : *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei in terrâ.* Et miror quomodò è latere adnotationem nostram nescio quis temerarius scribendam in corpore putaverit, quam nos pro eruditione legentis scripsimus hoc modo ; non habet, καταπαύσωμεν, ut quidam putant, sed κατακαύσωμεν, id est, *incendamus.* Et quia retulit mihi sanctus presbyter Firmus, qui hujus operis exactor fuit, inter plurimos hinc habitam quæstionem, pleniùs de hoc disputandum videtur. In hebræo scriptum est, SARPHU CHOL MOEDAU EL BAARES, quod Aquila et Symmachus verterunt, ἐνεπύρισαν πάσας τὰς συναγωγὰς τοῦ Θεοῦ, id est, *incenderunt omnes solemnitates Dei in terrâ.* Quinta, κατέκαυσαν, id est, *combusserunt.* Sexta : κατακαύσωμεν id est, *comburamus*; quod et Septuaginta juxtà Hexaplorum veritatem transtulisse perspicuum est ; Theodotion quoque, ἐμπυρίσωμεν vertit, id est, *succendamus*, Ex quo perspicuum est sic psallendum, ut nos interpretati sumus. Et tamen sciendum, quid hebraica veritas habeat. Hoc enim quod Septuaginta transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesiis decantandum est; et illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum. Undè si quid pro studio è latere additum est, non debet poni in corpore, ne priorem translationem pro scribentium voluntate conturbet. In eodem : *Contribulâsti capita draconum in aquis; tu confregisti capita draconis.* Sic lectionis ordo sequitur, ut in priori versu, *tu*, non habeat, sed in secundo, et aquæ plurali numeri scribantur, non singulari, sicut et Aquila verbum hebraicum AMMAIM τῶν ὑδάτων, id est, *aquarum* interpretatus est. In eodem : *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum.* Pro quo in græco, τῶν ἱκετῶν σου, id est, *deprecantium te*, scriptum dicitis. In hebræo autem, SORARACH legitur; quod Aquila, *hostium tuorum*, Symmachus, *bellantium contrà te*; Septuaginta, et Sexta editio, *inimicorum tuorum*, interpretati sunt. Et est sensus pendens ex superioribus : *Memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt totâ die : Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum*, id est, voces quæ te blasphemant, tibique in populo tuo detrahunt. Undè sequitur: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*; id est, DUM TU DIFFERS pœnas, illi proficiunt in blasphemiis.

Septuagesimo quarto : *Narrabimus mirabilia tua.* Pro quo malè apud Græcos legitur : *Narrabo omnia mirabilia tua.*

Septuagesimo quinto : *Omnes viri divitiarum manibus suis.* Et non ut vos, nescio à quo depravatum, legitis : *in manibus suis.* In eodem : *Terribili, et ei qui aufert spiritum principum.* Dicitis quòd, *ei*, non sit scriptum in græco; verum est, sed nisi apposuerimus, *ei*, latinus sermo non resonat. Neque enim possumus dicere : *Terribili et qui aufert spiritum principum.*

Septuagesimo sexto : *Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Pro quo in hebræo legimus : *Recordabar Psalmorum meorum in nocte cum corde meo; loquebar, scopebam spiritum meum.* Pro exercitatione, ἀδολεσχίαν, id est, *decantationem* quamdam, et *meditationem* Septuaginta transtulerunt; et pro eo, quod nos diximus, *scopebam*, illi posuerunt, ἔσκαλλον : quod Symmachus transtulit, ἀνηρεύνων, id est, *perscrutabam*, sive *quærebam*; et Quinta similiter. Propriè autem σκαλίσμος, in agriculturâ dicitur in sarriendo, id est, sarculando : et quomodò ibi quæruntur herbæ sarculo, quæ secentur; sic et iste retractatum cogitationum suarum μεταφορικῶς à sarculo demonstravit. Et sciendum, quòd ἔσκαλλον, non semel, sed frequenter significat. In eodem : *A generatione in generationem.* Hoc quod in græco sequens invenisse vos dicitis, *consummavit verbum*, rectè non habet in latino; quia et in nullo habetur interpretum.

Septuagesimo septimo : *Et narrabunt filiis suis.* Pro quo in græco habet, ἀπαγγελοῦσιν, quod est, *annuntiabunt.* Sed sciendum, quòd in hebræo IASAPHPHERU, scriptum est : quod Aquila, et Symmachus, *narrabunt*, transtulerunt. In eodem : *Et occidit pingues eorum.* Sic habet et in hebræo, hoc est RAMASMNEHEM, quod

Aquila interpretatus est, ἐν λιπαροῖς αὐτῶν, Symmachus, τοὺς λιπαρωτέρους αὐτῶν; Septuaginta, et Theodotion, et Quinta, ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν. Quod quidam non intelligentes pro πίοσιν, putaverunt scriptum πλείοσιν. In eodem : *Dilexerunt eum in ore suo, et linguâ suâ mentiti sunt ei.* Et in hebræo ità scriptum est ICHAZBU LO, et omnes voce simili transtulerunt. ἐψεύσαντο αὐτῷ, id est, *mentiti sunt ei.* Quis autem voluerit pro *ei*, ponere *eum*, et vitiare exemplaria, non est mei judicii. In eodem : *Et propitius fiet peccatis eorum, et non disperdet eos.* Dicitis quod *eos* in græco non habeat, quod et verum est : sed nos ne sententia pendeat, latinum sermonem suâ proprietate complevimus. Si quis autem putat διαφθερεῖ non *perditionem* sonare, sed *corruptionem*, recordetur illius tituli in quo scribitur, εἰς τὸ τέλος μὴ διαφθείρῃς, hoc est, *in finem ne disperdas :* et non ut plerique κακοζήλως interpretantur, *ne corrumpas.* In eodem : *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ ; montem, quem acquisivit dextra ejus.* Pro quo apud Septuaginta legitur : ὄρος τοῦτο ἐκτήσατο ἡ δεξιὰ αὐτοῦ, et non ut vos putatis, ὃ ἐκτήσατο, hoc est, *quem acquisivit* dextera ejus. Meliùs ergò secundùm hebraicam proprietatem interpretatus est Symmachus : *montem, quem acquisivit dextera ejus.* In eodem : *Et averterunt se, et non servaverunt pactum, quemadmodùm patres eorum.* Scio quòd, *pactum*, non habeat in hebræo; sed quandò omnes voce simili transtulerunt, ἠσυνθέτησαν, et apud Græcos συνθήκη pactum dicitur, ex uno verbo significatur : *Non servaverunt pactum*, licèt Septuaginta ἠθέτησαν posuerint. In eodem : *In terrâ quam fundavit in secula.* Pro quo scriptum invenisse vos dicitis : *In terrâ fundavit eam in secula.* In hebræo ità scriptum est ut vertit et Symmachus, εἰς τὴν γῆν ἣν ἐθεμελίωσεν εἰς τὸν αἰῶνα. Si autem non de terrâ dicitur quòd fundata sit, sed de aliâ re, quæ fundata videatur in terrâ, probent ex prioribus et sequentibus quis sensus sit; et nescio quid, quod non dicitur, fundatum videatur in terrâ. Sin autem sanctificium in terrâ fundatum putant, debuit scribi : *In terrâ fundavit illud in secula.* In eodem : *Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Non habet, ἐν τῇ συνέσει, ut scribitis numero singulari ; sed ἐν ταῖς συνέσεσιν, quod *intelligentias* sonat : sicut habetur et in hebræo BATHABUNOTH quod est, *in intellectibus.*

Septuagesimo octavo : *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.* Quod græcè, ὡς ὀπωροφυλάκιον dicitur, nec aliter potest verti quàm à nobis translatum est. Significat autem speculam quam custodes satorum et pomorum habere consueverunt, ut de amplissimâ urbe parvum tuguriolum vix remanserit. Hoc secundùm Græcos. Cæterùm in hebræo LIIN scriptum habet; quod Aquila vertit λιθάριον, id est, *acervum* et *cumulum lapidum,* quibus vineæ et agri purgari solent.

Septuagesimo nono : *Et plantâsti radices ejus hinc.* Et dicitis quòd in græco, *hinc*, non habeat, et benè : nam et in nostris codicibus non habetur ; et miror quis imperitorum vestros libros falsaverit.

Octogesimo secundo : *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Et dicitis quòd in græco sit scriptum : *Possideamus nobis.* Quæ superflua quæstio est; quandò enim dicitur *possideamus*, intelligitur et *nobis.*

Octogesimo tertio : *Cor meum et caro mea exsultavit in Deum vivum.* Pro quo in græco scriptum dicitis, *exsultaverunt.* In hoc nulla contentio est; si enim legimus, *exsultavit*, intelligitur, et cor meum exsultavit, et caro mea exsultavit. Sic autem, *exsultaverunt*, duo pariter exsultaverunt, id est, cor et caro. Et quæso vos, ut hujusmodi ineptias, et superfluas contentiones, ubi nulla est sensûs immutatio, declinetis. In eodem : *Beatus vir cujus est auxilium abs te.* In græco invenisse vos dicitis : *cui est auxilium abs te;* quod quia nos in latinâ interpretatione vitavimus, ut dicitis, reprehendimur. Cui enim non pateat, quòd si dicere voluerimus: *cui est auxilium ejus*, apertissimum vitium sit; et quandò præcesserit, *cui*, sequi non debeat, *ejus?* nisi forte vitii arguimur quòd vitaverimus vitium. In eodem : *In valle lacrymarum.* Pro quo dicitis in græco scriptum esse κλαυθμῶνος, id est, *plorationis.* Sed sive ploratum, sive planctum, sive fletum, sive lacrymas dixerimus, unus est sensus. Et nos hoc sequimur, ut ubi nulla est de sensu mutatio, latini sermonis elegantiam conservemus.

Octogesimo quarto : *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Pro eo quòd est, *benedixisti*, in græco scriptum dicitis, εὐδόκησας, et quæritis quomodò hoc verbum exprimi debeat in latinum. Si contentiosè verba scrutamur et syllabas, possumus dicere : *Benè placuit, Domine, terra tua ;* et dùm verba sequimur, sensûs ordinem perdimus. Aut certè addendum est aliquid, ut eloquii ordo servetur, et dicendum : *Complacuit tibi, Domine, terra tua.* Quod si fecerimus, rursùm à nobis quæritur, quarè addiderimus, *tibi*; cùm nec in græco sit, nec in hebræo. Eadem igitur interpretandi sequenda est regula, quam sæpè diximus, ut ubi non

sit damnum in sensu, linguæ in quam transferimus εὐφωνία et proprietas conservetur. In eodem : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi;* et dicitis quod in græco, *sibi*, non habeat. Nec in hebræo habet; et apud Septuaginta obelo prænotatum est : quæ signa dùm per scriptorum negligentiam à plerisque quasi superflua relinquuntur, magnus in legendo error exoritur. Si autem non fuerit additum *sibi*, misericordia et veritas non sibi, sed aliis occurrisse credentur; nec justitia et pax sibi dedisse osculum, sed alteri.

Octogesimo quinto : *Et non proposuerunt te in conspectu suo;* et dicitis, quòd in vestro codice, *te*, non habeat. Addite, *te*, et emendato errore librarii, vestrum quoque errorem emendabitis. In eodem : *Et tu, Domine, Deus miserator et misericors.* In græco invenisse vos dicitis : *Et tu, Domine, Deus meus.* Quod superfluum est; *meus* enim nec in hebræo habetur, nec in Septuaginta.

Octogesimo octavo : *Magnus, et horrendus.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis, φοβερὸς, quod significat, *terribilis, timendus, formidandus.* Ego puto id ipsum significare *et horrendum :* non, ut vulgus æstimat, despiciendum, et squalidum, secundùm illud : Mihi frigidus horror membra quatit; et : Horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent; et : Monstrum horrendum, ingens; et multa his similia. In eodem : *Tunc locutus es in visione sanctis tuis.* Pro quo in græco, *filiis tuis*, invenisse vos dicitis. Sed sciendum quòd in hebræo *laasidach* habet; quod omnes τοῖς ὁσίοις σου, id est, *sanctis tuis*, transtulerunt; et sola Sexta editio, *Prophetis tuis*, interpretata est; sensum magis, quàm verbum exprimens. Et in Κοινῇ tantùm pro *sanctis, filios* reperi. In eodem : *Tu verò repulisti, et despexisti.* Pro quo in græco, ἐξουδένωσας, invenisse vos dicitis. Unius litteræ mutatio quantùm vobis fecit errorem! non enim, *respexisti*, sed, *despexisti*, et *pro nihilo duxisti*, interpretati sumus. Nisi fortè, ἐξουδένωσας, non putatis transferendum, *despexisti;* sed, secundum disertissimum istius temporis interpretem, annihilâsti, vel annulâsti, vel nullificâsti, et si qua alia possunt inveniri apud imperitos portenta verborum.

Octogesimo nono : *A seculo et usque in seculum tu es, Deus.* Et dicitis quòd in græco non sit, *Deus.* Quod apud eos deesse manifestum est. Nam et hebraicum habet, et omnes alii interpretes, et Septuaginta similiter transtulerunt: ἀπὸ τοῦ αἰῶνος, καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ ὁ Θεός, quod hebraicè dicitur *meolam ad olam ath el.* In eodem : *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.* In græco invenisse vos dicitis : *Mansuetudo super nos;* sed et hoc superfluum est.

Nonagesimo: *Dicet Domino : Susceptor meus es tu.* Et dicitis quod in græco, *es*, non habeat. Ego vobis ampliùs dicam, quòd apud Hebræos nec *es*, habeat, nec *tu;* sed apud Septuaginta et apud Latinos pro εὐφωνία et verborum consequentiâ positum sit.

Nonagesimo tertio : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine.* Dicitis in græco non esse, *tu;* et verum est; sed apud Latinos propter εὐφωνίαν positum. Si enim dicamus : *Beatus homo quem erudieris, Domine*, compositionis elegantia non habebit. Et quandò dicitur *Domine*, et apostropha fit ad Dominum, nihil nocet sensui, si ponatur et *tu.* In eodem : *Et in malitiâ eorum disperdet eos.* In græco dicitis non esse præpositionem, *in;* sed legi: *malitiam disperdet.* Sciendum autem, quòd in hebræo, et in cunctis interpretibus positum sit : *In malitiâ eorum disperdet eos.* Si autem voluerimus legere : *Malitiam eorum disperdet*, id quod in Septuaginta sequitur in fine versiculi, *eos*, et superfluum erit, et vitiosum.

Nonagesimo septimo : *Recordatus est misericordiæ suæ.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis : *Misericordiæ suæ Jacob;* sed hic, *Jacob*, nomen superfluum est.

Centesimo : *Oculi mei ad fideles terræ, ut sederent mecum.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis, τοῦ συγκαθῆσθαι αὐτοὺς μετ' ἐμοῦ. Quis non talem fugiat interpretationem, ut verbum ad verbum exprimens dicat : *Ut consederent ipsi mecum?*

Centesimo primo : *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Et dicitis vos in græco invenisse, ἐπὶ δώματι, quod antiqui codices Latinorum interpretati sunt, *in ædificio.* Δῶμα in orientalibus provinciis ipsum dicitur, quod apud nos *tectum;* in Palæstinâ enim et Ægypto, ubi vel scripti sunt divini libri, vel interpretati, non habent in tectis culmina, sed δώματα quæ Romæ vel *solaria*, vel *mediana* vocant, id est, plana tecta, quæ transversis trabibus sustentantur. Denique et Petrus, in Actibus Apostolorum, quandò ascendit in *doma*, in *tectum* ædificii ascendisse credendus est. Et quandò præcipitur nobis ut faciamus *domati* nostro coronam, hoc præcipitur, ut in *tecto* faciamus per circuitum quasdam eminentias, ne facilis in præceps lapsus sit. Et in Evangelio : *Quæ*, inquit, *auditis in aure, dicetis super domata*, id est, *super tecta.* Et in Isaiâ :

Quid vobis est, quòd omnes ascendistis in tecta vana? et multa istiusmodi. In eodem: *Factus sum sicut* Νυκτικόραξ *in domicilio.* Quod similiter habetur in græco; et quæritis quid significet Νυκτικόραξ apud Latinos. In hebræo pro nycticorace verbum BOS scriptum est: quod Aquila, et Septuaginta, et Theodotion, et Quinta editio *nycticoracem* interpretati sunt; Symmachus *upupam;* Sexta editio *noctuam,* quod et nos magis sequimur. Denique ubi apud nostros, et Græcos legitur: *factus sum sicut nycticorax in domicilio,* apud Hebræos dicitur: *Factus sum sicut noctua in ruinosis.* Plerique *bubonem* contentiosè significari putant. In eodem: *A facie iræ et indignationis tuæ.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis, *à facie iræ tuæ;* cùm manifestum sit, quòd apud Hebræos, et apud septuaginta Interpretes sic habeatur: ἀπὸ προσώπου τῆς ὀργῆς καὶ τοῦ θυμοῦ σοῦ. In eodem: *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus; et terræ ejus miserebuntur.* Pro terrâ in hebræo *afar* positum est, quod omnes χοῦν transtulerunt: et potest tàm *pulvis* quàm *humus*, id est *terra* interpretari.

Centesimo secundo: *Non in perpetuum irascetur.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis: *Non in finem;* sed verbum hebraicum NESE, et *perpetuum*, et *finis*, et *victoria* pro locorum intellegitur qualitate.

Centesimo tertio: *Qui facis Angelos tuos spiritus.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis: ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, id est, *qui facit Angelos suos.* A quibus breviter quærite quomodò, cùm ad Deum sermo sit, quasi ad alium loquens Propheta repentè mutetur; maximè cùm sic incipiat: *Domine, Deus meus, magnificatus es vehementer: confessionem et decorem induisti.* Et: *Qui tegis in aquis superiora ejus*, id est, *cœli. Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum;* et statìm sequitur: *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. Qui fundâsti terram super stabilitatem suam.* Et post paululùm: *Ab increpatione tuâ fugient: à voce tonitrui tui formidabunt;* et: *In loco, quem fundâsti eis. Qui emittis fontes in convallibus.* Et illud: *Ut educas panem de terrâ.* Si ergò omnia ad secundam personam sunt, id est, ad Deum; quomodò in uno versiculo tertia persona subitò, et extrà ordinem inducitur? In eodem: *A voce tonitrui tui formidabunt.* Habet et in hebræo, *tonitrui tui:* et miror quomodò apud Latinos scriptorum errore subtractum sit. In eodem: *Hoc mare magnum et spatiosum manibus.* Dicitis in græco, *manibus*, non haberi, et ego novi. Sed ex hebraico et Theodotionis editione in Septuaginta sub asterisco additum est. Denique et in hebræo ità scriptum est ZE HAIAM GADOL VARAB IDAIM, quod Aquila sic interpretatus est: αὕτη ἡ θάλασσα ἡ μεγάλη καὶ εὐρύχωρος χερσὶν, quòd quasi expansas manus habeat, et in se cuncta suscipiat. In eodem: *Ut educas panem de terrâ.* Pro quo invenisse vos dicitis, *ut educat*, sed non potest aliud ad ipsum, aliud de ipso dici. Aut omnia quasi ad Deum loquebatur Propheta, aut omnia ad alium de eo referebat. Cùm autem pleraque ad ipsum dirigantur, et ea quæ ambigua sunt, ad ipsius personam dirigenda sunt. In eodem: *Herodii domus dux est eorum.* Pro herodio, quod in hebræo dicitur ASIDA, Symmachus ἰκτῖνα, id est, *milvum* interpretatus est. Denique et nos ità vertimus in latinum: *Ibi aves nidificabunt. Milvi abies domus est;* quòd scilicet semper in excelsis et arduis arboribus nidos facere consueverit. Undè et Sexta editio manifestiùs interpretata est *milvo cupressi ad nidificandum.* Pro abietibus autem et cupressis in hebræo ponitur BARUSIM, quod magis *abietes*, quàm *cupressos* significat. In eodem: *Petra refugium herinaciis.* Pro quo in hebræo positum est SPHANNIM, et omnes χοιρογρυλλίους voce simili transtulerunt, exceptis Septuaginta, qui, *lepores*, interpretati sunt. Sciendum autem animal esse non majus hericio, habens similitudinem muris et ursi: undè in Palæstinâ ἄρκομῦς dicitur, et magna est in istis regionibus hujus generis abundantia, semperque in cavernis petrarum, et terræ foveis habitare consueverunt.

Centesimo quarto: *Dedit terra eorum ranas.* Pro quo in græco ἐξῆρψεν vos legisse dicitis. Quod potest ità interpretari: *Ebullivit terra eorum ranas;* sed et in hoc nulla est sensùs mutatio; et nos antiquam interpretationem sequentes, quod non nocebat, mutare noluimus. In eodem: *Et contrivit lignum finium eorum.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis; *omne lignum.* Sed et hoc additum est, et superfluum. In eodem: *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham, puerum suum.* Pro quo in græco legisse vos dicitis, ὃν διέθετο, id est, *quod disposuit.* Ità enim et in hebræo, et apud septuaginta habetur Interpretes, ἐμνήσθη τοῦ λόγου, τοῦ ἁγίου αὐτοῦ, τοῦ πρὸς Ἀβραὰμ τὸν δοῦλον αὐτοῦ. Ergò quod in græco dicitur, ὃν διέθετο, in hoc loco et superfluum est, et radendum.

Centesimo quinto: *Confitemini Domino, quo-*

niam bonus. Pro quo in græco legisse vos dicitis : quoniam χρηστὸς, id est, *suavis*. Sed sciendum quod χρηστὸς, et in *bonum*, et in *suave* verti potest. Denique in hebræo ità scriptum est CHI TOB, quod omnes voce simili transtulerunt: *quia bonus*. Ex quo perspicuum est quod χρηστὸς, bonus intelligitur. In eodem : *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ*. Dicitis quod in græco inveneritis : *Et non fuerunt memores*. *Et*, conjunctio superflua est. In eodem : *Et irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum*. Pro quo in græco invenisse vos dicitis, καὶ παρεπίκραναν, et putatis verbum è verbo debere transferri : *et amaricaverunt*. Sed hæc interpretatio annullationi consimilis est, sive annihilationi. Legite Ezechiel, et invenietis παραπικράσμος, *irritationem*, *et exacerbationem* semper expressum, ubi dicitur, οἶκος παραπικραίνων, id est, *domus exasperans*. In eodem : *Et vidit cùm tribularentur, et audivit orationem eorum*. Quidquid extrà hoc in græco invenisse vos dicitis, superfluum est.

Centesimo sexto : *Et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus*. Hoc ergò quod pro isto in græco invenisse vos dicitis : καὶ ἐπετίμησεν τῇ καταιγίδι αὐτῆς, καὶ ἔστη, superfluum est. In eodem : *Et deduxit eos in portum voluntatis eorum*. Pro quo invenisse vos dicitis : *in portum voluntatis suæ*. Sed in hebræo non habet EPHSAU quod *voluntatis suæ* significat; sed EPHSAM, quod *voluntatis eorum* sonat.

Centesimo septimo : *Exsurge, gloria mea*. Quod dicitis in latino non esse, rectè in isto Psalmo non habet : quia nec apud Hebræos, nec apud ullum interpretum reperitur, sed habetur in quinquagesimo sexto Psalmo, de quo mihi videtur à quodam in istum locum esse translatum. In eodem : *Mihi alienigenæ amici facti sunt*. Pro quo in græco invenisse vos dicitis, ὑπετάγησαν, hoc est, *subditi sunt*. Sed hoc in quinquagesimo nono scriptum est : in præsenti autem ità apud omnes invenimus translatores, ἐμοί ἀλλοφύλοι ἐφιλίασαν, id est, *amici facti sunt*. Quod hebraicè dicitur ETHROE.

Centesimo nono : *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*. Dicitis vos in græcis codicibus non legisse, *virtutis tuæ*, quod manifestè et in hebræo, et in Septuaginta interpretibus habetur. In eodem : *Dominare in medio inimicorum tuorum*. Dicitis in græco legi : *et dominare*. Sed hoc nec in hebræo habetur, nec apud Septuaginta, et superfluum est.

Centesimo decimo : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde*. In græco invenisse vos dicitis : *in toto corde meo*. Sed et hoc hic superfluum est.

Centesimo decimo tertio : *Deus autem noster in cœlo*. Pro quo in græco legisse vos dicitis : *in cœlo et in terrâ*. Sed et hoc superfluum est.

Centesimo decimo quarto : *Et in diebus meis invocabo te*. Dicitis quòd in græco non sit, *te*; et benè : è vestris quoque codicibus eradendum est. In ipso : *Placebo Domino in regione vivorum*. Pro quo in græco legisse vos dicitis : *Placebo in conspectu Domini*. Sed hoc superfluum est.

Centesimo decimo septimo : *Et in nomine Domini quia ultus sum in eos*. Dicitis, *quia*, in græcis codicibus non inveniri ; sed in latinis sub asterisco legendum est.

Centesimo decimo octavo : *Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi*. In græco, *vehementer*, additum legisse vos dicitis; sed hoc superfluum est. In eodem : *Levavi manus meas ad mandata quæ dilexi*. In græco legi vos dicitis : *ad mandata tua*, sed et hoc superfluum est. In eodem : *Cogitavi vias meas*. In græco *vias tuas* legisse vos dicitis. Sed hoc superfluum est, et rectiùs, *vias meas*, legitur. In eodem : *Et averti pedes meos in testimonia tua*. In græco legisse vos dicitis, *et avertisti*. Sed et hoc superfluum est. In eodem : *Ego autem in toto corde scrutabor mandata tua*. In græco : *in toto corde meo*, legisse vos dicitis : sed hìc, *meo*, superfluum est. In eodem : *Anima mea in manibus meis semper ; et legem tuam non sum oblitus*. Pro quo in græco legisse vos dicitis : *Anima mea in manibus tuis semper*. Sed sciendum et apud Hebræos, et apud Septuaginta, et omnes alios interpretes scriptum esse, *in manibus meis;* et non, *in manibus tuis* Quod hebraicè dicitur BACHAFFI ; et omnes apud Græcos ecclesiastici interpretes istum locum sic edisserunt ; et est breviter hic sensus : Quotidiè periclitor, et quasi in manibus meis sanguinem meum porto; et tamen legem tuam non obliviscor. In eodem : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*. Pro quo in græco legisse vos dicitis : *quia non custodivi legem tuam*. Sed hoc superfluum est; quia in hebræo legitur : *Rivi aquarum fluebant de oculis meis, quia non custodierunt legem tuam*. In eodem : *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum*. Pronuntiabit, in græco φθέγξεται vos legisse dixistis; quod verbum sive dicas, *pronuntiabit*, sive, *effabitur*, sive,

loquetur, idipsum significat. Denique et nos in hebræo ità vertimus : *Loquetur lingua mea sermonem tuum.*

Centesimo decimo nono : *Domine, libera animam meam à labiis iniquis, à linguâ dolosâ.* In græco legisse vos dicitis : *et à linguâ dolosâ; et* superfluum est.

Centesimo vigesimo sexto : *Beatus vir qui implebit desiderium suum ex ipsis.* In græco dicitis, *virum*, non haberi; quod manifestissimè et in hebræo, et in Septuaginta interpretibus continetur.

Centesimo vigesimo nono : *Propter legem tuam sustinui te, Domine.* Dicitis vos in græco invenisse : *Propter nomen tuum;* et nos confitemur plura exemplaria sic reperiri. Sed quia veritati studemus, quid in hebræo sit, simpliciter debemus dicere. Pro, *nomine*, sive, *lege*, apud eos legitur THIRA, quod Aquila interpretatus est φόβον, hoc est, *timorem;* Symmachus et Theodotion νόμον, id est, *legem*, putantes THORA, propter litterarum similitudinem *Iod*, et *Vau*, quæ tantùm magnitudine distinguuntur. Quinta editio, *terrorem*, interpretata est; Sexta, *verbum.*

Centesimo trigesimo primo : *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.* Pro eo quod nos interpretati sumus : *votum vovit*, in græco, ὤμοσεν, legisse vos dicitis, et putatis interpretari debuisse, *oravit*, sed hoc malè : εὐχὴ enim pro locorum qualitate, *et orationem* et *votum* significat, secundum illud : *Redde Domino vota tua*, id est, τὰς εὐχὰς σοῦ.

Centesimo trigesimo quinto : *Qui fecit luminaria magna.* Dicitis quia in græco inveneritis : *magna solus;* sed hoc de superiori versiculo est, ubi legimus : *Qui magna fecit mirabilia solus.* Ibi ergò legendum est, et hic, quasi superfluum, non scribendum.

Centesimo trigesimo septimo : *Quoniam magnificâsti super omne nomen sanctum tuum.* In græco reperisse vos dicitis : *super omnes.* Sed in Septuaginta ità legitur ὅτι ἐμεγάλυνας ἐπὶ πᾶν τὸ τὸ ἅγιον σοῦ ὄνομα, sicut et nos in latinum vertimus. Cæterùm apud Hebræos ità esse cognoscite : *Qui magnificâsti super omne nomen verbum tuum.* Juxtà editionem autem latinam hic sensus est : *Quoniam magnificâsti super omne nomen*, hoc est, quod in cœlo et in terrâ dici potest, sanctum, *filium tuum.*

Centesimo trigesimo octavo : *Quia non est sermo in linguâ meâ.* Pro quo in græco legisse vos dicitis : *Quia non est dolus in linguâ meâ;* quod solùm Sexta editio interpretata est. Cæterùm, et apud Septuaginta, et apud omnes interpretes, et ipsum hebraicum, vel λαλίαν, vel λόγον, id est, *eloquium*, et *verbum*, scriptum habet. Denique hebraicè MALA dicitur.

Centesimo trigesimo nono : *Funes extenderunt in laqueum.* Pro quo in græco invenisse vos dicitis : *Funes extenderunt laqueum pedibus meis.* Sed hoc in loco superfluum est. In eodem pro eo quod est : *Habitabunt recti cum vultu tuo*, in græco reperisse vos dicitis : *Et habitabunt.* Sed hic, *et*, conjunctio superflua est.

Centesimo quadragesimo : *Dissipata sunt ossa nostra secùs infernum.* Pro quo in græco legisse vos dicitis : *ossa eorum.* Sed et hoc superfluum est.

Centesimo quadragesimo sexto : *Nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Pro *ei*, *Domino*, legisse vos dicitis : quod non habetur.

Ideò autem, quòd et vos in fine schedulæ quæritis, et sanctus filius meus Avitus frequenter efflagitat, quomodò græca interpretanda sint verba, breviter annotavi.

Neomenia mensis exordium est, quod nos secundùm latinæ linguæ proprietatem, *Kalendas* possumus dicere. Verùm quia apud Hebræos mensis secundùm lunæ cursum supputatur, et apud Græcos μήνη luna dicitur, *Neomenia* quasi *luna nova* appellatur. Ἔρημος autem *desertum*, vel *solitudinem* significat. *Thronus, sedem*, vel *solium.* Νυκτικόραξ, ut diximus, *noctuam*, Κοινόμυῖα, non ut Latini interpretati sunt, *musca canina* dicitur per *y* græcam litteram, sed juxtà hebraicam intelligentiam per δίφθογγον debet scribi οι ut sit Κοινόμοῖα, id est, *omne muscarum genus.* Aquila πάμμικτον, id est *omnimodam muscam* interpretatus est : λαζευτήριον, pro quo latinus *asciam* vertit, nos genus ferramenti interpretamur, quo lapides dolantur. Denique ex hebræo vertentes ità diximus : *Et nunc sculpturas ejus pariter bipenne et dolatoriis deraserunt.* λαζευτήριον ergò *dolatorium* dici potest.

EPISTOLA HIERONYMI,

SIVE EXPLANATIO PSALMI XLIV AD PRINCIPIAM VIRGINEM.

Scripta videtur circà annum Christi 398.

Scio me, Principia, in Christo filia, à plerisque reprehendi, quòd interdùm scribam ad mulieres; et fragiliorem sexum maribus præferam. Et idcircò debeo primùm obtrectatoribus meis respondere, et sic venire ad disputatiunculam quam rogàsti. Si viri de Scripturis quærerent, mulieribus non loque-

rer. Si Barac ire ad prælium voluisset, Debbora de victis hostibus non triumphâ esset. Jeremias carcere clauditur; et quia periturus Israel virum non receperat prophetantem, Olda eis mulier suscitatur. Sacerdotes et Pharisæi crucifigunt Filium Dei; et Maria Magdalena plorat ad crucem, unguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Apostolos, repertum nuntiat. Illi dubitant, ista confidit. Verè πυργίτης, verè turris candoris et Libani, quæ prospicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Salvatoris ad sacci pœnitentiam provocantem. Defecerant Saræ muliebria, et ideò Abraham ei subjicitur et dicitur ad eum : *Omnia quæ dicit tibi Sara, audi vocem ejus.* Illi defecerant muliebria : tu nunquàm habuisti muliebria. SEXUS devoratur à virgine, Christum portat in corpore. Jam possidet quod futura est. Rebecca pergit ad interrogandum Deum ; et suâ responsione condigna audit oracula : *Duæ gentes in utero tuo, et duo populi de ventre tuo dividentur.* Illa duos generat dissidentes : TU UNUM quotidiè concipis, parturis, generas, unione fœcundum, majestate multiplicem, trinitate concordem. Maria, soror Moysi, victorias Domini canit : et Rachel Bethleem nostram atque Ephratam stirpe nominis sui signat in posteros. Filiæ Salphaad hæreditatem inter fratres merentur accipere. Ruth et Esther et Judith tantæ gloriæ sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint. Anna Prophetissa generat filium Levitam, Prophetam, Judicem, sacro crine venerabilem; et offert eum in tabernaculo Dei. Thecuites mulier regem David interrogatione concludit, ænigmate docet, exemplo Dei mitigat. Legimus et aliam sapientem feminam, quæ cùm obsideretur civitas, et propter unum perduellem, dux exercitûs Joab muros ariete quateret, locuta est ad populum in sapientiâ suâ, et tantæ multitudinis periculum, muliebri auctoritate sedavit. Quid loquar de reginâ Saba, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et testimonio Domini condemnatura est omnes viros Jerusalem ? Elisabeth utero prophetat et voce. Anna, filia Phanuelis, in templo, templum efficitur Dei, et quotidiano jejunio, cœlestem invenit panem. Sequuntur mulieres Salvatorem et ministrant ei de substantiâ suâ. Ille qui de quinque panibus, quinque millia hominum, exceptis mulieribus et parvulis, aluit, escas sanctarum mulierum non recusat accipere. Cùm Samaritana loquitur ad puteum, et saturatur conversione credentis, cibos qui coempti fuerant negligit. Apollo, virum apostolicum et in lege doctissimum, Aquila et Priscilla erudiunt, et instruunt eum de viâ Domini. Si doceri à feminâ non fuit turpe apostolo, mihi quarè turpe sit post viros docere et feminas ?

Hæc et istiusmodi σεμνοτάτη, filia, perstrinxi breviter ; ut nec te pœniteret sexûs tui, nec viros nomen suum erigeret, in quorum condemnationem, feminarum in Scripturis sanctis vita laudatur. Gaudeo et veluti quodam tripudio effertur animus meus, cùm in Babylone invenitur Daniel, Ananias, Azarias, Mizael. O quàm multi sunt senes et judices Israel quos rex babylonius frigit in sartagine suâ ! Quàm multæ Susannæ, quod interpretatur *lilium*, quæ candore pudicitiæ sponso serta componunt, et coronam spineam mutant in gloriam triumphantis! Habes ibi in studio Scripturarum et in sanctimoniâ mentis et corporis, Marcellam et Asellam : quarum altera te per prata virentia, et varios divinorum voluminum flores ducat ad eum qui dicit in Cantico : *Ego flos campi, et lilium convallium ;* altera ipsa flos Domini tecum mereatur audire : *Ut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.* Et quia de floribus et liliis loqui cœpimus, semperque virginitas floribus comparatur, opportunum mihi videtur, ut ad florem Christi scribens, de multis floribus disputem.

Quadragesimum quartum Psalmum legens in titulo reperi : *In finem pro his qui commutabuntur, filiorum Core intelligentia, Canticum pro dilecto :* in hebraico scriptum est, LAMANASSE AL SOSANNIM LABNE CORE MESCHIL SIR IDIDOTH : quod nos in latinum vertimus : *Victori pro liliis filiorum Core, eruditionis Canticum amantissimi.* Symmachus more suo manifestiùs : *triumphum pro floribus* interpretatus est. Igitur SOSANNIM, vel, *pro his qui commutandi sunt*, vel in *lilia* transfertur et *flores :* MESCHEL quoque et *eruditionem* et *doctissimum* sonat : SIR, *canticum ;* IDIDIA antiquum Salomonis est nomen, qui alio sensu *pacificus* appellatur. Quatuor autem Psalmi, licèt in posteriori titulorum parte dissentiant, hoc principio prænotantur ; quadragesimus quartus, quinquagesimus nonus, sexagesimus octavus, septuagesimus nonus : è quibus duo medii inscribuntur, *David ;* primus et novissimus, *filiorum Core et Asaph.* De cunctis dicere non est hujus temporis; quem cœpimus, explicemus.

Rectè, qui in seculorum fine mutandi sunt, de quibus Apostolus loquitur : *Omnes dormiemus, sed non omnes immutabimur,* referuntur ad finem. Et hoc ipsum mysterium lectorem præ-

parat ad intelligentiam spiritalem. Ubi enim simplex et apertus est sensus, quid necesse est audientem intelligentiæ præmonere, et dici ad eum, qui habet aures audiendi, audiat? Canticum quoque canitur charissimo atque dilecto, QUIA PROPTER illum veniet sanctis promissa mutatio. Quæ quidem et in hâc vitâ intelligi potest, quandò exuimur veteri homine, et induimur novo qui renovatur in cognitione secundùm imaginem Creatoris, et gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur quasi à gloriâ in gloriam. Nec est tempus ullum quo non mutetur Sanctus, præteritorum obliviscens et in futurum se extendens, cùm interior noster homo renovetur de die in diem, et immutabilis Deus qui loquitur per prophetam : *Ego Deus et non mutor*, propter nos mutaverit faciem suam, formamque servi acceperit, et de Judæâ transmigrans ad Philistiim, qui interpretantur *poculo corruentes* (inebriati enim fuerant aureo calice Babylonis) primùm derisus sit propter stultitiam crucis, deindè susceptus propter gloriam triumphorum. Charissimus autem ille est, de quo Isaias canit : *Cantabo canticum dilecto vineæ meæ ;* Et Evangelium : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, hunc audite.* Cui non unus Propheta, sed omnis chorus filiorum Core nunc laudes canit. Qui sint autem filii Core, id est Calvariæ, in quadragesimo primo Psalmo competentiùs disputatur. Et ut sciamus textum Cantici titulo convenire, mutationem de alio ad aliud dicit, ut filia cui præcipitur, ut antiqui parentis obliviscatur, regis se amplexibus paret. Victorem autem eum esse qui dicit : *Confidite, ego vici mundum ;* et ad quem ista adolescentis oratio est : *A te victoria, et sapientia, et gloria, et ego tuus servus,* profectò novit qui Domino vincente superavit, et est particeps triumphorum ejus : et qui immarcescibilem gloriæ coronam, de candore bonorum operum et de varietate virtutum texuit Salvatori.

Eructavit cor meum verbum bonum. Pro quo interpretatus est Symmachus, *commotum est cor meum verbo bono :* indicans ad alterius sermonem cor dicentis esse commotum, et Spiritu Sancto futura Christi sacramenta pandente etiam hunc in eloquium prorupisse : ut quemadmodùm cæteri de adventu ejus locuti sunt, et iste loqueretur. Ructus autem propriè dicitur digestio cibi, et concoctarum escarum in ventum efflatio. Quomodò enim juxtà qualitatem ciborum de stomacho ructus erumpit, et boni vel mali odoris flatus indicium est ; ità interioris hominis cogitationes verba proferunt, et ex abundantiâ cordis os loquitur. Justus comedens replet animam suam ; cùmque sacris doctrinis fuerit satiatus, de boni cordis thesauro profert ea quæ bona sunt, et cum Apostolo loquitur : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Quidam ex personâ Patris dictum intelligi volunt, quòd ex imis vitalibus et cordis arcanis, verbum suum quod in se erat semper, protulerit, juxtà alterius Psalmi vaticinium : *Ex utero antè luciferum genui te.* Ut quomodò uterus non significat uterum (neque enim Deus dividitur in membra, sed eamdem substantiam Patris Filiique demonstrat), sic cor et verbum quod profertur ex corde, Patrem ostendere et Filium. Et quod sequitur : *Dico ego opera mea regi*, illi aptant intelligentiæ : *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt :* quòd dicente Patre operatus sit Filius. Omnia enim quæ Pater facit, eadem et Filium facere similiter ; et Patrem manentem in eo operari cuncta per Filium.

Dico ego opera mea regi. Propheticus chorus, Christi et Ecclesiæ sacramenta dicturus, ne carmine videatur indignus, et ob conscientiam peccatorum dicatur ei : *Ut quid tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* opera sua regi quem laudaturus est confitetur, ut vel si bona sunt, ipse suscipiat ; vel si mala sunt, mundet ; facitque quod jussus est : *Dic tu iniquitates tuas ut justificeris. Et justus accusator suî est in principio sermonis.* Ἰδίωμα autem non solùm hebraicæ, sed et latinæ linguæ est, pro syntagmatibus et scriptis opuscula dicere. Ergò et iste qui laudes cantaturus est Domino, carmen suum et opusculum consecrat ei; et pro musis gentilium ipsum invocat in principio quem laudaturus est.

Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis. Pro quo nos interpretati sumus : *Lingua mea stylus scribæ velocis.* Extrema pars prologi est, et cum præcedentibus junge quod sequitur : Eructavit cor meum in laudes Dei. Sermonem bonum et opuscula mea quibus eum prædicaturus sum, ipsi potissimùm consecravi. Debeo ergò et linguam meam quasi stylum et calamum præparare ; ut per illam in corde auribus audientium scribat Spiritus Sanctus. Meum enim est quasi organum præbere linguam ; illius quasi per organum sonare quæ sua sunt. Stylus scribit in cerâ ; calamus vel in chartâ vel in membranis, aut in quâcumque materiâ quæ apta est ad scriben-

dum. Mea autem lingua in similitudinem scribæ velocis, quem notarium possumus intelligere, quodam signorum compendio, breviatum Evangelii strictumque sermonem exaravit in tabulis cordis carnalibus. Si enim lex per manum mediatoris digito Dei scripta est: et quod destructum est, glorificatum est: quantò magis Evangelium quod mansurum est, per meam linguam scribetur à Spiritu Sancto, ut illius laudes, ad quem in Isaiâ dicitur, *Velociter spolia detrahe, citò prædare,* velox in corde credentium sermo describat

Speciosus formâ præ filiis hominum. In hebraico: *Decore pulchrior filiis hominum.* Finito proœmio, hinc narrationis exordium est: et fit apostropha ad ipsum amatissimum et dilectum et regem, cui dicentis opera consecrata sunt. Quæritur autem quomodò pulchrior sit cunctis filiis hominum, et de quo legimus in Isaiâ: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed erat species ejus inhonorata et deficiens à filiis hominum. Homo in plagâ positus, et sciens ferre infirmitatem, quia avertit faciem suam.* Nec statim Scriptura dissonare videtur: quia ibi ignobilitas corporis propter flagella et sputa et alapas et clavos, et injurias patibuli, commemoratur; hic pulchritudo virtutum in sacro et venerando corpore. Non quò divinitas Christi hominibus comparata formosior sit; hæc enim non habet comparationem: sed absque passionibus crucis, universis pulchrior est, Virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset et in vultu quiddam oculisque sidereum, nunquàm eum statim secuti fuissent Apostoli; nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent. Denique et in præsenti testimonio, in quo ait: *Homo in plagâ positus et sciens ferre infirmitatem,* reddit causas quarè ista perpessus sit: *Quia avertit faciem suam,* id est, paululùm divinitate subtractâ, corpus injuriæ dereliquit. Quidam hunc versiculum superioribus copulant; ut speciosus formâ præ filiis hominum, non ad Christum, sed ad calamum referatur.

Effusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. In editione Vulgatâ pro benedixit, *unxit* legimus. Sed sciendum quòd error scriptorum, Septuaginta translatoribus non debeat imputari, qui hoc loco cum hebraicâ veritate concordant. Legentes illud; *Jesus proficiebat ætate et sapientiâ et gratiâ apud Deum et homines;* et in alio loco: *Admirabantur super verbis gratiæ ejus quæ egrediebantur de ore illius;* et quòd *in potestate habebat sermonem;* intelligere possumus, quo sensu dictum sit: *Effusa est gratia in labiis tuis.* Noe invenit gratiam coràm Domino in diebus suis, et Moyses, et reliqui Prophetarum. Sed omnis gratiæ multitudo in labiis Salvatoris effusa est; quæ in brevi tempore totum implevit orbem. Et ipse tanquàm sponsus processit de thalamo suo. A summo cœlo egressio ejus. Nam et sancta Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratiâ salutatur. Et Apostolus sciens prædicationem suam, non in eloquentiâ seculari, sed in virtute Dei, omnes mundi superâsse doctrinas, ait: *Et sermo meus et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis ut sit fides nostra non in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei.* Seque ipsum reprehendens, quia dixerat: *Ampliùs autem omnibus laboravi*, statim intulit: *Non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Et rursùm: *Quia gratia ejus qui in me est, non fuit vacua.* Propriè autem in Salvatorem verbum effusionis adjungitur, ut significet gratiæ largitatem, secundùm illud: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Et: *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Et nota quòd omnium quæ dicuntur, intelligentiam ad personam ejus referat, qui assumptus ex Mariâ est, quòd propter gratiam labiorum in æternum benedictus esse dicatur: tale quid et Apostolo prædicante: *Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit, et dedit illi nomen super omne nomen.* Sicut enim ibi forma servi, passionis injuria est: et exaltatio nominisque donatio ad Patrem redit; ità hic effusio gratiæ et benedictionis in sempiternum, ad eum referenda est qui potest humiliari et crescere.

Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; specie tuâ, et pulchritudine tuâ. In hebræo: *Accingere gladio tuo super femur tuum, fortissime; gloriâ tuâ et decore tuo.* Istum arbitror te locum optimè intelligere, et accinctam Christi gladio militare. Ut autem scias semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, et superat voluptates; gentilis quoque error, deas virgines finxit armatas. Accinxit et Petrus lumbos suos, et ardentem lucernam habuit in manibus suis. Quòd autem femur significet opera nuptiarum, his breviter exemplis doceberis. Abraham mittens ad uxorem quærendam filio suo Isaac, dicit majori domûs suæ: *Pone ma-*

num tuam super femore meo, et adjurabo te per Dominum Deum cœli: Non dubium quin per eum qui de ejus semine erat naturus. Jacob postquàm luctatus est cum homine, qui ei apparuerat ad torrentem Jaboc, Mesopotamiâ derelictâ, et terram Repromissionis ingrediens, non antè Israel sortitus est nomen, quàm nervus femoris ejus emarcuit. Et ad filium loquitur : *Non deficiet princeps ex Judâ, neque dux de femoribus ejus.* Et rursùm ipse moriturus Joseph adjurat in femore suo, ne eum in Ægypto sepeliat. In Judicum quoque libro legimus : *Gedeoni erant filii septuaginta, qui egressi sunt de femoribus ejus.* In Cantico canticorum dicitur : *Ecce lectulus Salomonis : sexaginta potentes in circuitu ejus de potentibus Israel, omnes tenentes gladios, docti ad bellum : vir et gladius super femur ejus.* Gloriâ ergò et decore suo, sive specie et pulchritudine divinitatis suæ, carnis opera mortificans; et NATUS EX VIRGINE, futuris virginibus, virginitatis princeps fuit.

Et intende prosperè, procede et regna. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua. In hebræo : *Decore tuo prosperè ascende: propter veritatem et mansuetudinem justitiæ, et deducet te mirabiliter dextera tua.* Secundò scriptum est apud Hebræos, *decore tuo*, ne quis idipsum vitio librariorum repetitum putet. Et est figura quæ apud rhetores, repetitio nominatur. More ergò panegyrici, quo laudatores loquuntur ad eos quos præconiis efferunt, armatum cohortatur ad prælium, ut semel arrepta bella non deserat, et super hostium strages victor incedens, præparet sibi regnum in his quos de diaboli eripiens potestate, suo copulavit imperio, et dicat : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus.* Nullique dubium, veritatem et modestiam, et justitiam, Christum appellari, qui dicit : *Ego sum via, veritas et vita.* Et : *Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde.* Et : *Qui factus est nobis à Deo justitia, et redemptio, et sanctitas.* Hæc autem universa dicuntur in corpore, ut exigantur in membris. VICTORIA DOMINI servorum triumphus est. Magistri eruditio, discipulorum profectus. Et quod sequitur : *Deducet te mirabiliter dextera tua;* aut de signis quæ in Evangelio perpetravit, aut τροπικῶς de cæde, quam exercuit in hostibus, sentiendum est. Cor sapientis in dexterâ, et cor stulti in sinistrâ ejus. CHRISTUS TOTUS in dextris est, Antichristus in sinistris. Hebraica interpretatio distat in verbis, non distat in sensu.

Sagittæ tuæ acutæ, potentissime, populi sub te cadent in corda inimicorum regis. In hebraico, absque *potentissime*, reliqua similiter. Et hic versiculus tibi potissimùm aptus est, quæ jaculo Domini vulnerata, cum sponsâ in Cantico canis : *Vulnerata charitate ego sum.* Nec mirum si sponsus tuus habeat plures sagittas, de quibus centesimo decimo nono Psalmo dicitur : *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis;* quùm Patris ipse sit jaculum, et loquatur in Isaiâ : *Posuit me quasi sagittam electam, in pharetrâ suâ abscondit me.* His sagittis et Cleophas in itinere cum altero vulneratus aiebat : *Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in viâ, et aperiret nobis Scripturas?* Et in alio loco legimus : *Sicut sagittæ in manu potentis, ità filii excussorum.* His sagittis totus orbis vulneratus et captus est. Paulus sagitta fuit Domini, qui postquàm ab Jerosolymis usque ad Illyricum missus arcu Domini, hùc illùcque volitavit, ad Hispanias ire festinat, ut velox sagitta sub pedibus Domini sui, orientem occidentemque prosternat. Et quia plures sunt potentissimi regis inimici, qui vulnerati fuerant ignitis sagittis diaboli, et quasi cervus spiculo percussi in jecore, sagittæ Domini mittuntur ignitæ cum carbonibus desolatoriis, UT QUIDQUID VITII in corde inimicorum regis fuerit, excoquant, et salutari igne ignem ejiciant perditorem.

Sedes tua, Deus, in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. In hebraico : *Thronus tuus Deus, in seculum seculi, sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis.* Duas personas, ejus qui unctus est Dei, et qui unxit intellige. Undè et Aquila ELOIM verbum hebraicum, non nominativo casu, sed vocativo interpretatur, Θεέ; et nos propter intelligentiam, *Dee* posuimus, quod latina lingua non recipit; ne quis perversè putet Deum dilecti et amantissimi et regis, his Patrem nominari. Quanquàm enim Pater in Filio, et Filius in Patre, et alterutrum sibi et habitator et thronus sint, tamen in hoc loco ad regem qui Deus est sermo dirigitur; et dicitur ei quòd imperium ejus (hoc enim intelligo : *thronum*, juxtà illud quod scriptum est : *De fructu ventris tui ponam super thronum tuum*) finem non habeat. Quod quidem et Mariæ nuntiavit Angelus : *Dabit ei Dominus Deus thronum David patris sui, et regnabit super domum Jacob in se-*

cula, et regni ejus non erit finis. Nec putemus hoc illi esse contrarium, quod Apostolus scribens ad Corinthios ait, Filium Deo traditurum regnum, et subjiciendum ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Non enim dixit, tradet Patri, ut videretur separare Filium, sed *tradet Deo*, hoc est, habitanti in assumptione corporis Deo, ut sit Deus omnia in omnibus, et Christus, qui antè per paucas virtutes erat in singulis, per omnes in omnibus commoretur. Sceptrum autem et virgam insigne esse regnantis, ipse Propheta significat, dicens : *Sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui.* Quidam de Isaiâ testimonium proferentes : *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet,* hominem qui est assumptus intelligunt, cui et deferatur imperium, et qui propter dilectam justitiam et exosam iniquitatem regnare dicatur, et unctus esse oleo exsultationis præ participibus suis ; quasi præmium charitatis, et odii iniquitatis in unctione sumpturus. Docemur autem in utrâque parte et amoris et odii esse nobis semina, cùm ipse qui primitias massæ nostrorum corporum levavit ad cœlos, et justitiam dilexerit, et oderit iniquitatem. Undè David : *Nonnè odientes te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam ? perfecto odio oderam illos.* Quod sequitur : *Unxit te Deus, Deus tuus.* Primum nomen Dei vocativo casu intelligendum est, sequens nominativo. Quod satis miror, cur Aquila non ut cœperat in primo versiculo vocativo casu interpretatus sit, sed nominativo, bis nominans Deum qui supradictum unxerit Deum. In hoc loco Photinus opprimitur, sed Arius caput levat, de Evangelio proferens testimonium : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Sed cùm dilectum audiat eum, accinctum gladio super femur, et regnare propter veritatem et mansuetudinem, ungi ob dilectam justitiam et exosam iniquitatem, et unctum esse præ consortibus suis, de quibus scriptum est : *Participes Christi facti sumus, si tamen principium substantiæ usque ad finem firmum retineamus ;* miror cur solùm Deum Dei ad calumniam vocet, quasi universa quæ dicta sunt, divinitati Verbi et non humilitati hominis conveniant. Audiat Actus Apostolorum : *Jesum Nazarenum quem unxit Deus Spiritu sancto.* Audiat Evangelium : *Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, propterea quòd nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ipsum Dominum sentiat intonantem : *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me.* Participes autem Apostolos credentesque significat, quibus unctionis suæ vocabulum tribuit, ut ab uncto vocentur uncti, id est, à Christo christiani.

Myrrha et gutta et casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. In hebraico : *Myrrha et stacte et casia in cunctis vestimentis tuis de domibus eburneis, quibus lætificaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Præfatio ipsa te docuit, idcircò me hunc Psalmum explanare voluisse, quia ad virginem scribens, pro liliis et floribus titulum reperi. Itaque consequenter et istos versiculos ad te referam, cui volumen hoc scribitur. Mortificâsti membra tua super terram, et quotidiè Christo offers myrrham. Christi bonus odor es, et propterea *stacten*, id est, *stillam* vel *guttam* exhibes Domino. Narrant et hi qui aromatum novêre virtutes, stacten florem esse myrrhæ. Quod autem sequitur *casia*, est ipsa quæ ab aliis σύριγξ, id est, *fistula* nuncupatur, vocalis in laudes Dei, et omnes pituitas et rheumata voluptatum suo calore excoquens. Ubi in nostris codicibus scriptum est, *gutta* vel *stacte*, in hebraico HALOTH legitur. Undè et Nicodemus centum libras myrrhæ et aloës ad sepeliendum Dominum præparavit. Et sponsus loquitur ad sponsam : *Myrrha et aloe cum omnibus unguentis primis.* Et illa respondet : *Manus meæ distillaverunt myrrham : digiti mei myrrhâ pleni.* Projice et tu mortis opera. Christo in baptismate consepulta, et huic mundo mortua esto, et nihil aliud nisi de cœlestibus cogitans, loquere ad sponsum tuum : *Manus meæ stillaverunt myrrham, digiti mei myrrhâ pleni.* Legimus et unguentum sacerdotale, cujus et David meminit : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.* In quo cum cæteris aromatibus miscetur et stacte. Offerunt et Magi myrrham. Et in præsenti loco, initium vestimentorum Christi, est suscipere mortem illius, et in suâ carne monstrare. Hæc indumenta para sponso tuo : his à te vestibus comptus incedat. Cùmque ei hujuscemodi texueris vestimenta, efficieris ipsa templum Dei, et lætificabis eum *de domibus eburneis*, sive, ut meliùs in hebraico scribitur, *de templo dentium;* et laudes Domino canes; totaque seculo mortua, Angelorum imitaberis choros. Ebur enim et dentes, insigne esse mortis et vocis, ipsa nominum natura testatur. Et consequenter adjunctum est : *Ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Rex regum et Dominus dominantium sponsus tuus est. Reges isti qui sub tanto rege

sunt reguli, patres tui sunt, qui te evangelicâ genuere doctrinâ. Horum tu filia, honorificas in omnibus vestimentis et odoribus bonis et templo eburneo eum, cui suprà dictum est : *Effusa est gratia in labiis tuis.* Et : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Et : *Sagittæ tuæ acutæ.* Et : *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi.* Pro eo quod nos transtulimus *domibus eburneis*, quia in græco scriptum est ἀπὸ βαρέων ἐλεφαντίνων, quidam Latinorum ob verbi ambiguitatem, *à gravibus* interpretati sunt, cùm βαρὺς, verbum sit ἐπιχώριον Palæstinæ; et usque hodiè domus ex omni parte conclusæ et in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum, βαρεῖς appellentur.

Adstitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato. Quodque sequitur : *Circumdata varietate*, exceptâ editione Vulgatâ, nullus interpretum transtulit. In hebraico : *Stetit conjux in dexterâ tuâ in diademate aureo.* Ubi nos *conjugem* vertimus, ibi apud Hebræos legitur SEGAL. Pro quo Aquila σύγκοιτον, id est, *concubinam.* Symmachus et Quinta Editio παλλακήν, id est, *pellicem*, Septuaginta, Theodotion et Sexta, *reginam* interpretati sunt. Deindè ubi ego posui, *in diademate aureo*, Symmachus transtulit, *in auro primo.* Aquila, Quinta et Sexta editio, *in tincturâ*, vel *in auro Ophir.* Quæ filiæ regum sunt, et in sponsi parantur amplexus, per myrrham et guttam et casiam et domos eburneas delectant eum, cujus thronus in seculum seculi est. Quæ autem jam super petram Christum stabili radice fundata est catholica Ecclesia, una columba, perfecta et proxima, stat à dextris; et nihil in se sinistrum habet. Stat in vestibus deaureatis, de sermonibus Scripturarum ad sensum transiens, et cunctis plena virtutibus : sive ut nos transtulimus, *in diademate aureo.* Est enim regina, regnatque cum rege; cujus filias possumus intelligere, et in commune credentium animas, et propriè virginum choros. *Ophir* genus auri est, vel à loco Indiæ, vel à colore nomine indito. Septem quippè apud Hebræos auri vocabula sunt. Uxorem quoque et concubinam intelligamus de Cantico Salomonis, quæ sine sponso suo vel marito dormire non potest.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum : quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum. In hebraico : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populi tui, et domûs patris tui, et concupiscet rex decorem tuum : quia ipse est Dominus tuus, et adora eum.* Hùcusque per Prophetæ linguam, quam calamo scribenti velociter comparat, loquitur Spiritus Sanctus, ipsum regem, et bellatorem, et Deum, sponsumque compellans. Hinc persona Patris inducitur loquentis ad sponsam Filii sui, et cohortantis eam, ut, veteris gentilitatis et idololatriæ errore contempto, primùm his quæ dicantur attendat, et propter quod de alienigenâ, filia nominetur. Deindè videat vel ipsa quæ dicuntur, vel universam conditionem, ex visibilibus intelligens invisibilia, et ex creaturis sentiens Creatorem, et diligenter inclinet aurem suam, ut quæ dicuntur, memoriter teneat. Cùmque audierit, viderit, et inclinaverit aurem suam, totamque se doctrinæ tradiderit, et eorum intelligentiæ quæ dicuntur, obliviscatur primum populum suum, et cum Abraham de Chaldæâ egrediens, relinquat terram nativitatis et cognationis suæ. Nemo dubitat patrem nostrum, antequàm adoptaremur à Deo, fuisse diabolum, undè Salvator ait : *Vos ex patre diabolo nati estis.* Cùm ergò, ait, antiqui patris fueris oblita, et talem te exhibueris, depositis pristinis sordibus, ut super fratruelem dealbata conscendas, et quam possit diligere Filius meus, tunc concupiscet rex decorem tuum. Et ne putes unum esse de turbâ, à quo amanda es; ipse est Rex tuus et Dominus tuus. Quia verò interdùm qui reges et domini sunt, sunt quidem potestate reges et domini, tamen ejusdem naturæ, cujus sunt illi in quos dominantur et regnant, indico tibi quòd et Deus tuus sit, et debeas adorare eum. Septuaginta Interpretes non dixerunt : *Et adorabis eum*, sed, *adorabunt eum*, ut sit sensus : Iste qui te amaturus est, qui tuam pulchritudinem dilecturus, Deus est, et adorandus ab omnibus. Quod de Ecclesiâ ex gentibus congregatâ exposuimus, unusquisque ad seipsum referat animamque credentis, quòd prioribus vitiis derelictis, adoptetur in filiam, inclinet aurem suam, obliviscatur veteris conversationis : et cum Apostolo dimittat mortuum patrem, et talem se præbeat, qui ametur à rege. Ipse est enim Dominus ejus, cui flectere debeat genu; depositâ superbiâ, jugum humilitatis assumere.

Interrogemus Judæos, quæ sit ista filia, ad quam loquitur Deus : non dubito quin Synagogam respondeant. Et quomodò dicitur Synagogæ et israelitico populo : *Dimitte populum tuum, et domum patris tui?* Numquid derelinquet gentem hebræam, et Abraham antiquum patrem? Si dixerint de vocatione significari Abraham, quâ Chaldæos reliquerit, quis est

iste rex, qui amaturus est decorem Abraham? Certè alius est qui loquitur : *Audi filia;* et alius de quo loquitur : *Concupiscet rex decorem tuum.* Qui alius, non solùm rex, sed et Dominus et Deus est, qui adorandus est.

Filia Tyri, in muneribus vultum tuum deprecabuntur divites plebis. In hebræo est : *O filia fortissimi, in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites populi.* Verbum hebraicum SOR quod in Ezechiele juxtà Septuaginta legimus, interpretari potest et *Tyrus*, et *tribulatio*, et *fortissimus*, sive *fortissima;* et *silex*, id est, *lapis durissimus.* Undè in præsenti loco error ortus est. Aquila enim, et Septuaginta, et Theodotion, et Quinta editio, *Tyrum* interpretati sunt. Sexta verbum hebraicum posuit SOR. Symmachus κραταιάν, id est, *fortissimam.* Nos idipsum ad Deum retulimus; ut illa cui suprà dixerat : *Audi filia et vide*, filia *fortissimi* nuncupetur. Aut certè ipsa *fortissima* sit, quia imitata est fortem Patrem, cujus vultum in diversis muneribus deprecabuntur divites plebis. Divites in cunctis operibus bonis et scientiâ, sive qui divites putantur in hoc seculo; sapientes hujus mundi, et philosophorum disciplinis eruditi. Vel quod meliùs est, qui anteà divites fuerant, habentes eloquia Dei, et Testamenta, et Prophetas, id est, de populo Israel. Ut enim antè Salvatoris adventum, hi qui de Tyro erant, hoc est de populo gentium, et proselyti esse cupiebant, deprecabantur divitem populum Israel, et per eos introducebantur in templum, sic post adventum Domini, quicumque ex Israel credere voluerint (divites quondàm familiaritate et protectione Dei), venient ad filiam Tyri, et offerentes varia dona virtutum et confessionis in Christum, deprecabuntur eam, ut salutem quam perdiderunt in Judæâ, inveniant in gentibus.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intùs, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. In hebræo : *Omnis gloria filiæ regis intrinsecùs, fasciis aureis vestita est.* Pro eo quòd in Septuaginta scriptum est ἔσωθεν, et nos vel *ab intùs*, vel *intrinsecùs* interpretati sumus, in quibusdam exemplaribus invenitur ESEBON, quod *cogitationes* sonat. Ex quo ostenditur, omnem gloriam Ecclesiæ, cui suprà dictum est : *Audi, filia, et vide*, et : *ô filia Tyri*, et nunc appellatur filia regis, esse intrinsecùs, et in cogitationibus, id est, in interiori homine, et in circumcisione non manufactâ, sed spiritu, habente conscientiæ fiduciam apud Deum, et totâ pulchritudine positâ magis in sensuum nomine, quàm in flore verborum. Quomodò autem in stamine ex quo dependent fimbriæ, subtegmen intexitur, et tota vestimenti virtus in stamine est; ità in variis sensibus Scripturarum, in quibus vestis Ecclesiæ omnis intexitur, miscentur aliqua de naturâ, de moribus, et hoc ipsum significat vestis Aaron auro, purpurâ, bysso, hyacinthoque contexta, quam fecerunt mulieres, quibus Deus ad texendum dedit sapientiam. Et ut intelligere possimus omnem ornatum filiæ regis intrinsecùs, ipsa loquitur in Cantico : *Introduxit me rex in cubiculum suum;* in quo clauso ostio labiorum, Deum Patrem jubemur orare. In nono quoque Psalmo titulus inscribitur, *pro absconditis filii.* Variam habuit et Joseph tunicam, quam ei texuit mater Ecclesia. De his fimbriis Salvatoris αἱμορροοῦσα unam tetigit, et sanata est. Quod autem in hebraico scribitur, *fasciis aureis vestita est*, id ipsum significat quod suprà : *Omnis gloria filiæ regis intrinsecùs;* fasciis sensuum divinorum inferiora membra obvolvuntur Ecclesiæ, et tota uteri tegitur ambitio. Harum fasciarum non potest oblivisci sponsa, secundùm Jeremiam, quæ mammas ligant; et pectus, in quo cogitationes sunt, protegunt.

Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitiâ et exsultatione, adducentur in templum regis. Juxtà Septuaginta prior versiculus adhùc de filiæ canitur ornatu : sequens ad ipsum sponsum regemque dirigitur. Porrò juxtà hebraicum, totum ad sponsam dicitur usque ad eum locum, ubi scriptum est : *Pones eos principes in universâ terrâ.* Et legitur : *In scutulatis ducentur ad regem, virgines sequentur eam, amicæ ejus ducentur illùc, ducentur in lætitiis et exsultatione, ingredientur thalamum regis.* Multam esse distantiam animarum in Christo credentium, demontrat Canticum canticorum, in quo scriptum est : *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentulæ quarum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, proxima mea,* in quâ dicitur : *Viderunt eam filiæ et beatificant eam reginæ et concubinæ, et laudant eam.* Quæ ergò perfecta est et sancta corpore et spiritu, et columba et proxima meretur vocari. Hæc est filia, de quâ suprà dictum est : *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Quæ autem supergressæ sunt sex dies mundi, et futura regna suspirant, reginæ appellantur. Si qua verò circumcisionem quidem habet octavæ diei, sed adhùc non venit ad nuptias, hæc concubina vocitatur. Diversa autem multitudo credentium, quæ necdùm potest sponsi copulari amplexibus, nec de eo liberos parere,

adolescentula dicitur. Ego puto de istis virginibus quæ sequuntur Ecclesiam, et in primo ponuntur gradu, et te esse, et omnes qui in virginitate corporis et animæ perseverant. Proximas autem et amicas, viduas esse, et in matrimonio continentes : quæ omnes cum lætitiâ et exsultatione ducuntur ad templum et in thalamum regis. In templum quasi sacerdotes Dei, in thalamum quasi sponsæ regis et sponsi. Hoc templum et Joannes vidit in Apocalypsi, et Propheta desiderat. *Unam,* inquit, *petii à Domino, hanc requiram ; ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Et iterùm : *Domine, dilexi decorem domûs tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Et in alio loco : *Quia transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei : in voce exsultationis et confessionis, sonitûs festa celebrantium.* Scutulata autem quibus sponso suo regina componitur, ipsa sunt, quæ in Septuaginta legimus *circumamicta varietate.*

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. In hebraico : *Pro patribus tuis erunt tibi filii, pones eos principes in universâ terra.* Et ex Patris personâ nequaquàm de filiâ, sed rursùs ad filiam sermo intelligi potest, et ex Spiritûs Sancti, et ex filiorum Core. Si ergò ad filiam sponsam sermo dirigitur, sponsa autem de nationibus congregata est, cui suprà dicitur : *Obliviscere populum tuum et domum patris tui*, debemus sponsæ patres nosse : ut consequenter noverimus et filios. Pro patribus tuis, de quibus in Jeremiâ locuta est : *Quàm falsa possederunt patres nostri idola, et non est in eis qui pluat.* Pro Platone et pro cæteris diversorum dogmatum et errorum magistris, nati sunt tibi filii : quos constituisti principes tuos, et fecisti in populis præceptores. Vel certè aliter : O Ecclesia, filii tui quos genuisti tibi, vertentur in patres tuos, quùm de discipulis eos feceris magistros et in sacerdotali gradu omnium testimonio collocaveris. Sin autem Patres Ecclesiæ intelligimus Abraham, Isaac, et Jacob, et reliquos Patriarchas ; filios, qui ei in patrum honore sunt nati, Apostolos intelligamus, qui missi sunt à Domino prædicare usque ad extremum terræ, et baptizare credentes in nomine Trinitatis. Sed quæritur quomodò Ecclesia de gentibus patres habere possit, Abraham, Isaac, et Jacob, quùm ei supradictum sit : *Obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Legamus Evangelium : *Nolite dicere : Patrem habemus Abraham; potens est Deus de lapidibus istis*, hoc est, de duro corde gentilium, *suscitare filios Abrahæ.* Et in alio loco : *Si filii essetis Abrahæ, opera Abrahæ faceretis.* Et in Genesi ad ipsum Abraham loquitur Deus : *In semine tuo,* inquit, *benedicentur omnes gentes.* Sicut enim ille in præputio et fide justificatus est, ità et nos justificabimur in eâdem fide, si habuerimus fidem et opera patris nostri Abraham. Potest hoc ipsum ad Salvatorem dici, vel à Patre vel à prophetali choro et Spiritu Sancto. Pro patribus tuis, stirpe videlicet Judæorum, qui te reliquerunt et negaverunt, nati sunt tibi filii Apostoli, et de nationibus credentes, quos constituisti principes in universâ terrâ.

Memor ero nominis tui in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in seculum seculi. In hebraico : *Recordabor nominis tui in omni generatione et generatione. Propterea confitebuntur tibi populi in seculum et in æternum.* Quod nos interpretati sumus, *confitebuntur tibi*, Symmachus transtulit, *laudabunt te.* Regina quæ steterat à dextris regis in vestitu deaurato, et jussa fuerat oblivisci populi et domûs patris sui, et iterùm illi dictum erat : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*, intelligens quantâ decoranda sit gloriâ et quibus præmiis sublevanda, convertit ad sponsum voces suas; et pollicetur recordaturam se semper nominis sponsi, in omni generatione et generatione. Quod promisit, videmus expletum. Ipsa Christiana, nobis omnibus Christianorum nomen imposuit : nomen novum, in quo benedicentur omnes familiæ gentium. Recordatur autem non in unâ generatione, sed in omnibus : vel cunctas significans nationes, vel duas generationes, Judæorum atque gentilium. Et quia hoc parùm est, si in duabus generationibus nominis Domini recordetur, propterea populi qui in Ecclesiâ fuerint, confitebuntur et laudabunt Dominum in æternum et in seculum seculi. Quandò et tu, ô filia Principia, sanctorum mixta choro, inter virgines duceris ad regem, et ex domibus eburneis delectabis sponsum in honore tuo; tunc recordare et mei, qui hujus Psalmi tibi Domino revelante intelligentiam tribui, et dicito : *Memor ero nominis tui;* ut quæ partem intellexisti carminis, si vita comes fuerit, et totum Canticum canticorum intelligas.

EPISTOLA HIERONYMI AD CYPRIANUM PRESBYTERUM,

Scripta post annum Christi 389.

Priùs te, Cypriane, presbyterorum studiosissime, de illorum numero super quibus au-

divit Moyses : *Elige presbyteros, quos tu ipse scis esse presbyteros*, tantùm epistolis noveram, et beati viri vocabulum consecutum, qui in lege Dei die ac nocte meditatur. Nunc autem quia exterioris quoque hominis nobis invicem facta est cognitio, et post salutationem dulcesque complexus, quibus sibi amicitia copulatur, ut probes verum esse quod audieras, statim à me postulas, ut difficillimum Psalmum, qui apud Græcos et Latinos octogesimus nonus inscribitur, tibi edisseram; non compositâ verborum oratione plausuque populari, qui solet imperitorum aures decipere atque palpare; sed oratione simplici et ecclesiastici eloquii veritate : ut scilicet interpretatio nostra non alio interprete indigeat, quod plerisque nimiùm disertis accidere solet, ut major sit intelligentiæ difficultas in eorum explanationibus, quàm in his quæ explanare conantur. Aggrediar opus difficillimum, et sanctarum precum tuarum fultus auxilio, illius versiculi recordabor : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multâ.*

Ac primùm sciendum quod Psalmi istius juxtà hebraicum titulus sit : *Oratio Moysi viri Dei;* juxtà Septuaginta : *Oratio Moysi, hominis Dei.* Inter hominem autem et virum quid intersit, sancta Scriptura nos doceat. Loquitur quinquagenarius ad Eliam : *Homo Dei, rex vocat te.* Cui ille respondit: *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, et comedat te et quinquaginta viros tuos.* Ad Timotheum quoque Apostolus scribit : *Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge.* Porrò de viro Dei idem Apostolus instruit : *Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus sit ; caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus.* Iste vir est, qui caput velare non debet, quùm sit imago et gloria Dei, et quotidiè orans loquitur : *Nos autem omnes revelatâ facie gloriam Domini contemplantes in eamdem imaginem transformamur, à gloriâ in gloriam sicut à Domini spiritu.* Et in alio loco : *Donec perveniamus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sive igitur viri, sive hominis appellatio, sancto viro competit, et ei qui vidit Deum facie ad faciem, et salva facta est anima ejus; cujus ore creaturam mundi, eorum duntaxat quæ visibilia sunt, conditionem hominis, et omnis retrò historiæ didicimus veritatem, qui non solùm nobis quinque reliquit libros, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros et Deuteronomium, sed undecim quoque Psalmos, ab octogesimo nono, cujus principium est : *Domine, refugium factus es nobis*, usque ad nonagesimum nonum, qui inscribitur : *Psalmus in confessione.* Quòd autem in plerisque codicibus nonagesimus octavus habet titulum : *Psalmus David*, in hebraico non habetur; hanc habente Scripturâ sanctâ consuetudinem, ut omnes Psalmi qui cujus sint, titulos non habeant, his deputentur, quorum in prioribus Psalmis nomina continentur.

Quatuor autem Psalmi sunt qui habent orationis titulum, sextus decimus, qui inscribitur : *Oratio David*, et incipit : *Exaudi, Domine, justitiam meam.* Et octogesimus quintus : *Inclina, Domine.* Et octogesimus nonus, qui nunc in manibus est : *Domine, refugium factus es nobis.* Et centesimus primus, qui titulum habet : *Oratio pauperis cùm anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam.* David et pauper, qui cùm dives esset, pro nobis pauper factus est, refertur ad Christum, qui sedit super pullum asinæ, juxtà Zachariam, pauper atque mansuetus. Moyses autem per quem Dominus legem dedit, cujus ore audivimus loquentem Deum : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, statimque infertur : *Et fecit Deus hominem : ad imaginem Dei fecit illum; masculum et feminam fecit illos*, ab initio conditionis hominis usque ad mortem et resurrectionem omnia explicat; qualis creatus sit; quanto vivat tempore; quid agat in seculo; quem fructum vitæ habeat; propter quid laboret; quò ire contendat. Et quoniam ipse qui hæc scribit homo est, sub personâ suâ de omni generis humani conditione testatur. Sunt autem qui hunc Psalmum sive Orationem, ad israeliticum populum referant : quomodò in solitudine offenderit Deum atque conciderit, et non meruerit terram promissionis intrare, proque patribus ingressi sint filii, et rursùm placatum exspectent Deum, quod in Christi compleatur adventu.

Oratio, juxtà grammaticos, omnis sermo loquentium est; cujus etymologiam sic exprimunt : Oratio, est oris ratio. In Scripturis autem sanctis, difficilè orationem juxtà hunc sensum legimus, sed eam quæ ad preces et obsecrationes pertinet. Aiunt Hebræi uno Psalmorum volumine quinque libros contineri; à primo usquè ad quadagesimum; et à quadragesimo primo usquè ad septuagesimum primum; et à septuagesimo secundo usque ad octogesimum octavum; et ab octogesimo nono, qui quarti libri initium est, et quem nunc disserimus, usque ad centesimum quintum. In quorum omnium fine duplex AMEN positum est, quod Septuaginta transferunt, *fiat, fiat*, et à

centesimo sexto usque ad finem. Instar duodecim Prophetarum, qui et ipsi cùm proprios libros ediderint, unius voluminis nomine continentur. Illud autem quod penè præterii, asserens inter undecim Moysi Psalmos, etiam nonagesimum octavum esse, in quo positum est : *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est: Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; et Samuel in eis qui invocant nomen illius*, videtur nostræ sententiæ contraire : quomodò Moysi sit, qui Samuelem nominet, quem multa post tempora fuisse cognoscimus. Cujus quæstionis facilis solutio est : Prophetatum nomen esse Samuelis, qui tanti meriti fuit, ut cum Moyse poneretur in Jeremiâ : *Si steterint Moyses et Samuel:* juxtà illud exemplum, quandò homo Dei loquitur in Samariâ : *Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David, Josias nomen ejus.* Sciamus quoque errare eos, qui omnes Psalmos David arbitrantur, et non eorum, quorum nominibus inscripti sunt. Undè et hunc Psalmum volunt sub nomine Moysi à David esse compositum, quod scilicet legislator communem humani generis offensam et calamitatem, et deindè exspectationem salutis, sacro ore describat.

Domine, habitaculum factus es nobis, in generatione et generatione. Septuaginta : *Domine, refugium factus es nobis, in omni generatione et generatione.* Pro habitatione et refugio in hebraico MAON ponitur, quod magis habitationem quàm refugium sonat. Narraturus autem tristia, et genus deploraturus humanum, à laudibus Dei incipit ; ut quidquid posteà homini accidit adversorum, non Creatoris duritiâ, sed ejus qui creatus est culpâ accidisse videatur. Qui sustinet tempestatem, vel petræ vel tecti quærit refugium. Fessus viator tàm sole quàm pulvere, umbræ quærit solatium. Si sævissima bestia hominis sanguinem sitiat, cupit et nititur, utcumquè poterit, præsens vitare discrimen. Ità et homo à principio conditionis suæ Deo utitur adjutore : ET CUM ILLIUS SIT gratiæ quòd creatus est, illiusque misericordiæ quòd subsistit et vivit, nihil boni operis agere potest absque eo, qui ità concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret. NE LIBERTAS ARBITRII redundaret ad injuriam Conditoris, et ad ejus contumaciam, qui ideò liber conditus est, ut absque Deo nihil esse se noverit. Quod autem dixit, *in generatione et generatione*, omnia significat tempora, et antè legem et in lege, et in Evangelii gratiâ. Undè et Apostolus dicit : *Gratiâ salvi estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed ex dono Dei.* Et omnes Epistolæ ejus in salutationis principio, NON PRIUS PACEM HABENT, et sic gratiam, sed antè gratiam, et sic pacem, ut donatis nobis peccatis nostris, pacem Domini consequamur.

Antequàm montes nascerentur, et parturiretur terra et orbis, à seculo et usque in seculum tu es Deus. Septuaginta : *Antequàm montes firmarentur et fingeretur terra et orbis, à seculo et usque in seculum tu es Deus.* Hunc locum quidam pravâ distinctione subvertunt, maximè hi qui volunt antè fuisse animas, quàm homo in sexti diei numero conderetur. Ità enim legunt atque distinguunt : *Domine, refugium factus es nobis, à generatione et generationem, priùs quàm montes firmarentur, et fingeretur terra et orbis :* ut scilicet posteà consequatur, *à seculo et usque in seculum tu es Deus.* Ità enim edisserunt : Si Dominus antequàm montes firmarentur, et fingeretur terra orbisque terrarum, refugium fuit hominum, ergò fuerunt animæ in cœlestibus, antequàm hominum corpora formarentur. Nos autem, ut proposuimus, lectionem ità debemus distinguere : *Antequàm montes firmarentur et fingeretur terra et orbis terrarum, à seculo et usque in seculum tu es Deus;* ut non refugium nostrum fuerit antè conditionem mundi, qui necdùm eramus, sed quòd Deus ab æterno usque in æternum sit semper Deus. Pro eo enim quod latinus interpres posuit : *à seculo usque in seculum*, et hebraicè dicitur OLAM, rectiùs interpretabimur : *à sempiterno usque in sempiternum.* Simile quid et in Proverbiis ex personâ sapientiæ, qui Christus est, legitur : *Dominus creavit me initio viarum suarum in operâ suâ; antè secula fundavit me in principio, antequàm terram faceret et abyssos, priùs quàm procederent fontes aquarum, priùs quàm montes firmarentur, antè omnes colles generavit me.* Nullum autem debet verbum *creationis* movere, cùm in hebræo non sit *creatio*, quæ dicitur BARA, sed *possessio.* Ità enim scriptum est : ADONAI CANANI BRESITH DERCHO ; quod in linguâ nostrâ exprimitur : *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Inter possessionem autem et creationem, multa diversitas est. Possessio significat, quod semper Filius in Patre, et Pater in Filio fuerit. Creatio autem ejus qui priùs non erat, conditionis exordium. Potest juxtà legis tropologiam hoc quod dicitur : *Antequàm montes firmarentur et fingeretur terra et orbis terrarum*, significare, quòd antequàm in animâ nostrâ sublimia dogmata firmarentur, et terra corporis nostri fingeretur, sive

stabiliretur à Deo, et orbis terrarum, qui hebraicè dicitur THEBEL, græcè significantiùs dicitur οἰκουμένη quam nos, *habitatam*, transferre possumus, firmaretur, sive stabiliretur, Deus nobis semper refugium fuerit. Habitata est autem anima, non deserta, quæ hospitem meretur habere Deum, dicente Salvatore : *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Illud autem quod et hebraicum habet, et omnes alii interpretes : *Antequàm montes nascerentur, et parturiretur terra*, manifestè ad tropologiam nos trahit. Neque enim montes et terra nativitatem et parturitionem recipiunt, sed conditionem. Ex quo liquidò demonstratur SANCTOS QUOQUE excelsasque virtutes, Dei semper misericordiâ procreari.

Convertes hominem usque ad contritionem, et dices : Revertimini, filii Adam, Septuaginta : *Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti : Convertimini, filii hominum.* Juxtà hebraicum, quod dicitur hoc est : O Deus, qui hominem condidisti, et ab initio ejus es refugium et habitatio, convertes eum usque ad contritionem : fecisti eum atque plasmâsti, ut contereretur in mortem, et vas tuum extremo vitæ suæ tempore frangeretur ; cui cùm immineat ista conditio ut ortus intereat ; et quamvis longo vixerit tempore, tamen fine dissolvatur extremo ; quotidiè ei loqueris per Prophetas : *Revertimini, filii Adam,* qui vestrâ culpâ offendistis Deum, et de immortalibus facti estis mortales. Præcipientis enim noluistis audire imperium : *De omni ligno quod est in paradiso comedes ; de ligno autem scientiæ boni et mali non comedes : in quocumque enim die gustaveris de eo, morte morieris.* Porrò illud quod Septuaginta transtulerunt : *Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti : Convertimini, filii hominum,* hunc habet sensum : Obsecro, ut hominem quem ad tuam imaginem et similitudinem condidisti, et tantùm eum honorare dignatus es, ut de servo filium nuncupares, ne eum humilies peccato perpetuo, ne super illum vigeat antiqua sententia : *Terra es, et in terrâ ibis.* Tu enim nobis promisisti pœnitentiam, dicens : *Nolo mortem peccatoris ; tantùm ut convertatur et vivat.* Tu dixisti, omnium sanctorum tuorum eloquio : Convertimini, sive revertimini, filii hominum ad clementissimum Patrem, qui occurrit venientibus, et signum quod suo vitio perdiderunt, offert, et stolam incorruptionis largitur antiquam.

Quia mille anni in oculis tuis, ut dies hesterna quæ præteriit, transiit ut vigilia nocturna, sive *in nocte.* Qui per Prophetas semper nos ad pœnitentiam provocas, dicens : *Revertimini, filii hominum,* petimus (ut antè jam dixi) ne facias hominem in humilitate sempiternâ retineri. Nec enim putamus longum esse quod promittis, salutem nobis post tempora multa tribuendam. ÆTERNITATI ENIM COMPARATA, brevis est omnium temporum longitudo. In conspectu enim tuo mille anni quasi una dies reputantur. Statìmque se ipse reprehendit : Malè dixi, unam diem, et unius diei spatio mille annorum apud te longitudinem computari, cùm magis debuerim dicere : unius vigiliæ spatium, instar habere mille annorum prolixitatem. Nox in quatuor vigilias dividitur, quæ singulæ trium horarum spatio supputantur. Undè et Dominus quartâ vigiliâ ad navigantes venit Apostolos. Sicut igitur una noctis vigilia citò pertransit maximè vigiliarum labore defessis, sic et mille annorum spatia apud te, qui semper es, et futurus es, et fuisti, pro brevissimo tempore computantur. Quodque infert : *Sicut dies hesterna quæ præteriit,* juxtà illud Apostoli sentiamus quod scribit ad Hebræos : *Jesus Christus heri et hodiè, ipse et in sempiternum.* Ergò arbitror ex hoc loco et ex Epistolâ quæ nomine Petri Apostoli inscribitur, mille annos pro unâ die solitos appellari : ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus annorum tantùm credatur subsistere ; et posteà venire septenarium numerum, et octonarium, in quo verus exercetur sabbathismus, et circumcisionis puritas redditur. Undè et octo beatitudinibus bonorum operum præmia promittuntur. Scribit autem Petrus hoc modo : *Unum hoc vos ne prætereat, dilectissimi, quia una dies apud Deum quasi mille anni, et mille anni quasi unus dies. Non moratur Dominus in promisso, ut quidam morari existimant.*

Percutiente te eos, somnium erunt, mane quasi herba transiens. Mane floruit et abiit, ad vesperam conteretur atque siccabitur. Septuaginta : *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat.* Juxtà hebraicum hic sensus est : Multùm conversationi nostræ contulit et saluti, quòd omnis vita mortalium, quasi somnium, ità veloci morte contracta est, quæ in similitudine florum atque fœni, eodem penè tempore siccatur atque deperit. Percutiente te, inquit, eos, id est, homines, et illo sermone completo : *Stulte, hâc nocte repetent animam tuam à te : quæ autem præparâsti cujus erunt ?* Omnis humana conditio somnio comparabitur. Sicut enim mane virens herba, et suis floribus vernans, delectat

oculos contemplantium, paulatimque marcescens, amittit pulchritudinem, et in fœnum quod conterendum est, vertitur; ità omnis species hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris; et repentè dùm nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis priùs extenta contrahitur; et extremo fine, quod hìc dicitur vespere, id est, senectute, vix moveri potest, non ità ut cognoscatur quis prior fuerit, sed penè in alium commutetur. Quid loquimur de infantiæ temporibus usquè ad extremam et decrepitam senectutem, cùm hoc et languor faciat, et inediæ mœror, UT VULTUS PRIUS PULCHERRIMUS feminarum, ad tantam transeat fœditatem, ut amor in odia commutetur. Super hâc conditione mortalium et Isaias loquitur: *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Fœnum aruit, flos decidit.* Juxtà Septuaginta quoque similiter explicandum est: Omne quod in seculo longum videtur, apud te, Deus, breve est. Dies enim et anni quibus humana vita contracta est, si comparentur æternitati, reputabuntur pro nihilo. Sicut enim herba mane crevit, floruit et siccatur, ad vesperamque indurescit et deperit; ità erit omnis hominum pulchritudo.

Consumpti enim sumus in furore tuo, et in indignatione tuâ conturbati sumus. Septuaginta: *Quia defecimus in irâ tuâ, et in furore tuo turbati sumus.* Pro eo quod nos diximus, *turbati sumus*, Symmachus et Aquila transtulerunt, *acceleravimus*. Brevitatem autem vitæ significat humanæ. Quodque intulit: *In irâ tuâ et in furore tuo*, sententiæ Dei ostendit perseverantiam, cui omnes homines subjacemus, illi videlicet: *Terra es, et in terram ibis.* Pulchrè autem, non ut in Septuaginta habetur, *turbati sumus*, sed juxtà hebraicum, *acceleravimus* dicitur; ut, quamvis ætas hominum longa videatur, tamen comparatione æternitatis brevis sit. Quod et illustris poeta testatur, dicens: *Sed fugit intereà, fugit irreparabile tempus.* Et iterùm: *Phœbe, diù (res si qua diù mortalibus ulta est) viximus.*

Posuisti iniquitates nostras coràm te; negligentias nostras in luce vultûs tui. Septuaginta: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultûs tui.* Ubi nos juxtà hebraicum et Symmachum posuimus: *negligentias nostras*, pro quo Septuaginta, *seculum* transtulerunt, in hebraico scriptum est ALOMENU, quod Quinta editio interpretatur, *adolescentiam*, Aquila παροράσεις; et nos in linguam nostram vertere possumus, *errores* sive *ignorantias*. Undè dixit in alio loco: *Delicta quis intelligit?* Et: *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.* Aliena enim nobis sunt vitia, quæ sæpè voluntate, interdùm ignorantiâ et errore committimus: et tamen QUUM NON SIT VOLUNTAS in crimine, error in culpâ est. Miror autem cur Septuaginta voluerint pro *adolescentiâ, negligentiis* et *erroribus*, sive *ignorationibus, seculum* dicere, nisi fortè, quòd in seculo et in vitæ hujus tempore vitia committantur. Quodque intulit: *In illuminatione*, sive *in luce vultûs tui*, hunc habet sensum: Nihil te nostrorum latuit peccatorum; secreta quoque nostra tuus oculus inspexit. Juxtà illud quod scriptum est: *Tenebræ non abscondentur à te.* Et: *Scrutans corda et renes Deus.* Et iterùm: *Sicut tenebræ ejus, ità et lumen ejus.* Homo enim videt in facie, Deus autem in corde.

Omnes enim dies nostri transierunt, et in furore tuo consumpsimus annos nostros, quasi sermonem loquens. Septuaginta: *Quoniam dies nostri defecerunt, et in irâ tuâ defecimus. Anni nostri sicut aranea meditati sunt.* Brevitatem humanæ vitæ, quæ sententiæ Dei hùcusque subjecta est: et quam in priori versiculo somnio comparavit, dicens: *Percutiente eos te, somnium erunt*, nunc sermoni loquentium comparat: ut, quomodò sermo qui in ore versatur dùm profertur, intercipitur, et esse desistit; sic et omnis vita nostra pertranseat atque desistat: et hoc in irâ et in furore Dei, cui meritò subjacemus, vivente in nobis, ut suprà diximus, sententiâ Dei. Quæ sit autem ira et furor Dei, crebriùs diximus, non quòd Deus ulciscatur iratus, SED QUOD PATIENTIBUS pœnas iratus esse videatur. Quod enim in nos ex perturbatione descendit, in illo est ex judicii veritate. Pro *sermone loquentis*, Septuaginta *meditationem araneæ transtulerunt.* Quomodò enim loquentis sermo prætervolat, ità et opus araneæ incassum texitur. De quo super personâ hæreticorum scriptum est in Isaiâ: *Telam araneæ texunt;* quæ parva et levia potest capere animalia, ut muscas, culices et cætera hujusmodi; à fortioribus autem rumpitur. Instar levium in Ecclesiâ simpliciumque, qui eorum decipiuntur erroribus; cùm viros in fidei veritate robustos non valeant obtinere.

Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; sin autem multùm, octoginta anni; et quod ampliùs est labor et dolor. Septuaginta: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni; et ampliùs eorum labor et dolor.* Pro eo quod nos posuimus, *in ipsis*, et in hebræo habetur BAEM;

Symmachus significantiùs transtulit ὀλόκληροι, quod magis ad sensum quàm ad verbum transferre possumus, *universi*. Quidquid igitur vivimus, et in quo delectabilis est vita mortalium, septuaginta annorum spatio comprehenditur. Sin autem multùm, et, ut interpretatus est Symmachus, *contrà opinionem*, octoginta sunt anni; quidquid suprà fuerit, morbis et infirmitate transigitur, quæ est socia senectutis, caligantibus oculis, dolentibus vel cadentibus priùs durissimis dentibus, quod pleniùs divinus sermo in Ecclesiaste describit: *Venient dies malitiæ, et in quibus dicemus: Non est nobis voluntas. Quandò obscurabitur sol et luna, et stellæ; et convertentur nubes post pluviam. In die quâ movebuntur custodes domûs, et subvertentur viri virtutis: cessabuntque molentes, quia paucæ factæ sunt, et obscurabuntur quæ vident in foraminibus, et claudentur januæ in foro: in infirmitate vocis molentis, et exsurget ad vocem avis, et humiliabuntur omnes filiæ cantici, et quidem ab alto aspicient; et pavores in viâ; et florebit amygdalum, et incrassabitur locusta, et scindetur capparis. Quoniam abibit homo in domum æternitatis suæ; et gyrabunt in foro qui plangunt, quoadusque non pulsetur funiculus argenti, et conteratur ornamentum auri, et confringatur hydria ad fontem et impediatur rota in lacu, et convertatur pulvis in terram sicut fuit, et spiritus revertatur ad Dominum, qui dedit eum. Vanitas vanitatum, dicit Ecclesiastes, et universa vanitas.* Quæ omnia humanæ vitæ et maximè senectutis miserias comprehendunt, et quem sensum habeant, in suo loco disseruimus. Sunt qui istum locum allegoricè interpretantes, ad sabbathi circumcisionisque mysterium referunt, quòd primùm requiescamus in lege, et posteà veræ circumcisionis in Evangelio sacramenta nos teneant, admonentes et illud: *Da partem septem, et da partem octo.* Et septuaginta millia, et octoginta millia hominum multitudines, à quibus templum sub Salomone constructum est. Sed quid hoc ad præsentem locum, cui sufficit simplex et pura explanatio, QUÆ NON DOCTRINÆ gloriam in multiplicatione sermonum, sed legentis debet intelligentiam quærere?

Quoniam transivimus citò et avolavimus. Septuaginta: *Quoniam supervenit mansuetudo super nos et corripiemur.* Pro quo in græco scriptum est παιδευθησόμεθα, quod verbum ambiguum est, et tàm correptionem quàm eruditionem doctrinamque significat. Quem enim diligit Dominus, corripit, sive erudit, ac flagellat omnem filium quem recipit. Quem locum ità Symmachus transtulit: *Succidimur enim repentè et avolamus.* Quinta editio hoc modo: *Quoniam transivimus celeriter, et dissolvimur.* Et est sensus: Post septuaginta annos, et ut multùm octoginta, quibus hominum vita transigitur, cùm anima fuerit à corpore segregata, vento similes avolamus, sive quia suprà herbæ virenti et florum pulchritudini, et ad vesperam siccitati, hominem comparat: nunc pro ariditate vesperâ, successionem florum ponit. Et quùm pertransierit, inquit, omne quod vivimus, subitâ morte dissolvimur. Quod autem Septuaginta dixêre: *Quoniam superveniet mansuetudo, et corripiemur,* hunc habet sensum: Post septuaginta annos et octoginta, cùm venerit Domini mansuetudo, et dies nobis mortis ingruerit, non judicabimur juxtà meritum, sed juxtà clementiam; et quæ putatur correptio esse, eruditio est atque doctrina. Satisque miramur quid voluerint verbum hebraicum AIS, Septuaginta, Theodotio et Sexta editio transferre *mansuetudinem*; quùm Aquila, Symmachus et Quinta editio *festinationem* et *repentè celeriter*que transtulerint.

Quis novit fortitudinem iræ tuæ, et secundùm timorem tuum indignationem tuam? Septuaginta: *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Inter hebraicum et Septuaginta diversa distinctio est. Septuaginta enim dinumerationem, timori et furori domini copulant. Porrò hebraicum, sequenti aptat versiculo, ut sequatur: *Ut numerentur dies nostri, sic ostende, et veniemus corde sapienti.* Quod breviter ità nobis disserendum videtur. Quis potest nôsse quamdiù ira tua, ex quâ timor nascitur humano generi, perseveret, nisi te docente, qui Deus es? Itaque obsecro, ut tempus vitæ nostræ indices nobis, quò possimus corde sapienti, tuo nos judicio præparare. Quod autem dixit: *Quis novit fortitudinem sive potestatem iræ tuæ; et secundùm timorem tuum indignationem tuam?* ostendit esse difficile, iræ timorisque et indignationis Dei secretum rationemque cognoscere: undè et Propheta lacrymabiliter deprecatur: *Domine, ne in irâ tuâ arguas me; neque in furore tuo corripias me.* NON ENIM CORRIPIT ut interficiat atque disperdat, sed ut corrigat et emendet. Quam ob rem et in Osee, populo Judæorum, cui multùm iratus est, dicit se nequaquàm irasci, nec visitare nurus eorum, cùm adulteraverint. Et per Ezechielem loquitur ad Jerusalem: *Jam non irascar tibi, et zelus meus recessit à te.* Et in Verbis Dierum sonat, quandò pergit Israel adversùm hostes in prælium corde pacifico.

Ut numerentur dies nostri, sic ostende, et

veniemus corde sapienti. Septuaginta : *Dexteram tuam ità notam fac, et eruditos corde in sapientiâ.* Quod Aquila, Symmachus et Quinta editio sic verterunt: *Dies nostros sic ostende, ut veniamus corde sapienti.* Errorque perspicuus, cur pro *diebus*, Septuaginta *dexteram* dixerint : JAMENU quippè verbum compositum est, significans *dies nostros.* Quod in singulari numero si scribatur, extrema littera quæ appellatur NUN, exprimit *dexteram ;* sicut est illud in nomine BENJAMIN, qui interpretatur, *filius dextræ.* Sin autem MEM habeat, *diem* vel *dies* sonat. Est autem sensus : Numerum annorum dierumque nostrorum, quibus in hoc seculo nos vivere decrevisti, ostende nobis, ut præparemus nos adventui tuo; et contempto errore mortalium, ad te pergere festinemus, cupiamusque præsentiam tuam, et ad te festinemus corde sapienti. NIHIL ENIM ITA DECIPIT humanum genus, quàm dùm ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi seculi hujus possessionem repromittunt. Undè et illud egregiè dictum est : Nullum tàm senem esse et sic decrepitæ ætatis, ut non se adhùc uno plus anno vivere suspicetur. Ad hunc sensum pertinet et illud quod dicitur : *Memento mortis tuæ, et non peccabis.* Qui enim se recordatur QUOTIDIÈ ESSE MORITURUM, contemnit presentia, et ad futura festinat. Hoc est quòd David in alio precatur loco dicens : *Ne auferas me in dimidio dierum meorum, priusquàm abeam, et non subsistam.* Quod ità exponitur : Ne eo tempore facias me mori, quandò adhùc putabam me victurum, ut possim peccata corrigere pœnitentiâ. Si enim hoc feceris, inventus in delictis meis esse desistam. Non quò spem resurrectionis neget; SED QUÒ CORAM EO se neget posse subsistere, apud quem omnes qui in vitiis perseverant, pro nihilo computantur. Ubi nos interpretati sumus, *eruditos corde in sapientiâ*, alii transtulerunt *compeditos*, verbi ambiguitate decepti. Si enim dicas πεπεδημένους, *compeditos* significat.

Revertere, Domine, usquequò? et exorabilis esto super servos tuos. Septuaginta similiter : Quia agimus pœnitentiam, et scientes vitæ nostræ brevitatem, ad te corde sapienti cupimus pervenire; et tu, Domine, revertere ad nos. Peccatis enim nostris longè recesseras, et dimiseras nos ; ut ambularemus secundùm voluntatem et cogitationes nostras. Quod autem infert, *usquequò*, illam habet intelligentiam, quam in duodecimo Psalmo legimus : *Usquequò, Domine, oblivisceris me in finem?* Qui enim in angustiâ constitutus est, serum ei videtur Dei auxilium : et propterea impensiùs deprecatur, ut citò adjutorem Dominum sentiat; et nequaquàm iratum judicem, sed placatum.

Imple nos matutinâ misericordiâ tuâ : et laudabimus et lætabimur in cunctis diebus nostris. Septuaginta : *Repleti sumus mane misericordiâ tuâ, et exsultavimus et delectati sumus in omnibus diebus nostris.* In cunctis penè locis hanc habent Septuaginta consuetudinem, ut quod apud Hebræos in futurum ostenditur, hoc illi quasi jam factum et præteritum referant. Hic ergò, non, ut illi voluerunt, dicunt se impletos esse matutinâ misericordiâ Dei atque lætatos : alioquì si hoc factum erat, quomodò posteà deprecantur et dicunt : *Respice in servos tuos et in opera tua?* Sed totum quod postulant, ideò deprecantur, ut mereantur matutinam misericordiam ejus, quam cùm fuerint consecuti, laudent Deum atque lætentur in cunctis diebus vitæ suæ. Videtur autem mihi resurrectionis spem et æternæ vitæ præmia deprecari, dicens : *Imple nos matutinâ misericordiâ tuâ.* Quod quidem et vicesimi primi Psalmi titulus sonat, qui propriè ad mysterium Domini et ad resurrectionem ejus pertinens, inscribitur : *Pro assumptione matutinâ.*

Lætifica nos pro diebus quibus nos afflixistis, et annis quibus videmus mala. Septuaginta : *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliâsti, annis quibus vidimus mala.* Et Lazarus qui receperat mala in vitâ suâ, in sinu Abraham æterno quiescit gaudio. Mala autem non ea appellat quæ contraria bonis sunt, sed pro afflictione ponit et angustiis. Quibus malis et Sara afflixit Agar, ancillam suam; et de quibus in Evangelio scribitur : *Sufficit diei malitia sua.* Quantò igitur magis in hoc seculo, persecutionibus, paupertate, inimicorum potentiâ vel morborum cruciatibus fuerimus afflicti, tantò post resurrectionem in futuro præmia consequemur. Pulchrè autem non dixit, *sustinuimus mala*, sed *vidimus.* Quis enim est homo qui vivat et non videat mortem? Quæ NON TAM AD dissolutionem corporis referenda est, quàm ad multitudinem peccatorum, juxtà quam dicitur : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Appareat apud servos tuos opus tuum, et gloria tua super filios eorum. ERGÒ IN SERVIS SUIS ipse Dominus operatur opus suum. Nec propriâ qui postulat salute contentus est, sed quærit gloriam filiorum, id est, servorum Dei. Filios autem non tàm illos qui de eorum

stirpe generati sunt, quàm discipulos debemus accipere; de quibus et Paulus loquebatur : *Filioli mei, quos iterùm parturio.* Undè et Joannes Apostolus secundùm merita filiorum suorum profectusque operum singulorum, scribit ad parvulos, scribit ad juvenes, scribit ad patres.

Et sit decor Domini Dei nostri super nos, et opus manuum nostrarum fac stabile super nos; et opus manuum nostrarum confirma. Septuaginta : *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos; et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.* Ubi sunt qui liberi arbitrii sibi potestate plaudentes, in eo putant se Dei gratiam consecutos, si habeant potestatem faciendi bona, sive mala? Eccè hìc Moyses post resurrectionem quam postulaverat, dicens : *Imple nos matutinâ misericordiâ tuâ, et laudabimus, et lætabimur in cunctis diebus nostris*, nequaquàm surrexisse contentus est, et æternæ vitæ præmia consecutum; sed postulat, ut decor Domini Dei sui sit super eos qui surrexerint, et splendeat in animabus cordibusque sanctorum; et opera manuum eorum ipse dirigat, faciatque esse perpetua; ipseque confirmet quidquid in sanctis videtur boni. SICUT ENIM HUMILITAS deprecantis meretur præmia, ità superbia contemnentis, Dei auxilio deseretur.

EPISTOLA HIERONYMI AD MARCELLAM,

Scripta anno Christi 384.

DE DECEM NOMINIBUS DEI.

Nonagesimum Psalmum legens, in eo loco quo scribitur : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur;* dixeram apud Hebræos pro Deo cœli esse positum, SADDAI, quod Aquila interpretatur ἱκανόν, quod nos *robustum* et *sufficientem* ad omnia perpetranda accipere possumus; unumque esse de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur. Illicò studiosissimè postulâsti, ut tibi universa nomina cum suâ interpretatione digererem. Faciam quod petîsti.

Primum nomen Dei est EL, quod Septuaginta *Deum*, Aquila ἐτυμολογίαν ejus exprimens, ἰσχυρόν, id est, *fortem* interpretatur.

Deinde ELOIM et ELOE, quod et ipsum *Deus* dicitur.

Quartum SABAOTH, quod Septuaginta, *virtutum;* Aquila, *exercituum* transtulerunt.

Quintum ELION, quem nos, *excelsum*, dicimus.

Sextum ESER IEJE, quòd in Exodo legitur : *Qui est, misit me.*

Septimum ADONAI, quem nos *Dominum* generaliter appellamus.

Octavum IA, quod in Deo tantùm ponitur : et in ALLELUIA extrema quoque syllaba sonat.

Nonum τετραγράμματον, quod ἀνεκφώνητον, id est, *ineffabile* putaverunt, quod his litteris scribitur, IOD, HE, VAU, HE. Quod quidam non intelligens propter elementorum similitudinem, cùm in græcis libris repererint ΠΙΠΙ, legere consueverunt.

Decimum quod superiùs dictum est SADDAI, et in Ezechiel non interpretatum ponitur. Scire autem debemus quòd ELOIM communis numeri sit, quòd et unus Deus sic vocetur et plures, ad quam similitudinem cœli quoque appellantur et cœlum, id est, SAMAIM. Undè et sæpè interpretes variant, cujus rei exemplum nos in linguâ nostrâ habere possumus : Athenas, Thebas, Salonas.

EPISTOLA HIERONYMI AD EAMDEM MARCELLAM,

DE QUIBUSDAM HEBRÆIS NOMINIBUS,

Scripta eodem anno quo superior.

Nuper cùm pariter essemus, non per epistolam, ut antè consueveras, sed præsens ipsa quæsîsti, quid ea verba, quæ ex hebræo in latinum non habemus expressa, apud suos sonarent; curque sine interpretatione sint posita, ut est illud *Alleluia, Amen, Maran atha, Ephod*, et cætera, quæ in Scripturis respersa memorâsti.

Ad quod nos quia dictandi angustiâ coarctamur, breviter respondemus, sive septuaginta Interpretes, sive Apostolos id curâsse, ut quoniam prima Ecclesia ex Judæis fuerat congregata, nihil ad credentium scandalum innovarent, sed ità ut à parvo imbiberant, traderent. Posteà verò quàm in universas gentes, Evangelii dilatatus est sermo, non potuisse semel suscepta mutari. Licèt et illud in libris suis, quos ἐξηγητικούς vocant, Origenes asserat propter vernaculum linguæ uniuscujusque idioma, non posse ità apud alios sonare, ut apud suos dicta sunt; et multò melius esse non interpretata ponere, quàm vim eorum interpretatione tenuare.

Igitur ALLELUIA exprimitur, *laudate Dominum*, IA quippè apud Hebræos unum de decem Dei nominibus est. Et in illo Psalmo ubi legimus : *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus*, apud Hebræos legitur, ALLELUIA CHI TOB ZAMMER.

AMEN verò Aquila πεπιστομένως exprimit, quod nos, *fideliter*, possumus dicere, dictum adverbium ex nomine fidei. *Amen* Septuaginta γένοιτο, id est, *fiat*. Undè et in fine librorum (in quinque siquidem volumina, Psalterium apud Hebræos divisum est) *fiat fiat* transtulerunt : quod in hebraico legitur, AMEN AMEN, quò scilicet ea verè dicta quæ sunt suprà, confirmentur. Undè et Paulus asserit, non posse aliquem respondere *amen*, id est, confirmare quæ prædicta sunt, nisi intellexerit prædicationem. MARAN ATHA magis syrum est quàm hebraicum, tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid et hebræum sonet, et interpretetur, *Dominus noster venit*, ut sit sensus : *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit;* et illo completo deinceps inferatur : *Dominus noster venit*, quòd superfluum sit adversùm eum odiis pertinacibus velle contendere, quem venisse jam constet.

Vellem tibi aliquid et de *diapsalmate* scribere, quod apud Hebræos scribitur SELA : et de *Ephod*, et de eo quod in cujusdam Psalmi titulo habetur : *Pro* EJELETH, et cæteris istiusmodi ; nisi et modum epistolici characteris excederem, et tibi aviditatem magis dilatæ deberent facere quæstiones. Tritum quippè est proverbium : Ultroneas putere merces. Undè et nos de industriâ dicenda reticemus, ut avidiùs velis audire quæ tacita sunt.

EPISTOLA HIERONYMI AD EAMDEM MARCELLAM,

Scripta eodem tempore quo superiores.

DE VOCE DIAPSALMA.

Quæ acceperis reddenda sunt cum fœnore : sortisque dilatio usuram parturit. De *diapsalmate* nostram sententiam flagitâras, epistolæ brevitatem causati sumus; et rem libri, non posse explicari litteris prætexuimus. Verùm quid prodest ad ἐργοδιώκτην meum? Major tibi cupiditas silentio concitatur. Itaque, ne te diutiùs traham, habeto pauca pro pluribus.

Quidam *diapsalma* commutationem metri dixerunt esse; alii pausationem spiritûs; nonnulli alterius sensûs exordium. Sunt qui rhythmi distinctionem, et quia Psalmi tunc temporis junctâ voce ad organum canebantur, cujusdam musicæ varietatis existiment silentium. Nobis nihil horum videtur; cùm Aquila, qui verborum hebræorum diligentissimus explicator est, SELA, hoc est, *diapsalma*, quod ex *Samech*, *Lamed*, *He* scribitur, *semper* transtulerit, et inveniamus in Psalmorum quoque fine *diapsalma* positum, ut est illud in tertio : *Dentes peccatorum contrivisti; Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua, sela*, id est, *semper*. Et vigesimo tertio : *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ semper*. E contrà in Psalmis multorum versuum penitùs non inveniatur : in tricesimo videlicet sexto et septuagesimo septimo, et in centesimo decimo octavo. Rursùs nonus Psalmus distinguatur Cantico diapsalmatis : cùm utique sicut quibusdam videtur, *diapsalma* indicium silentii esse non possit.

Ex quo animadvertimus hoc verbum superiora pariter inferioraque connectere, aut certè docere sempiterna esse quæ dicta sunt; ut est illud in tertio : *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo suo, semper*. Et rursùm : *Voce meâ ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo, semper*. Et in quarto : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? semper*. Et alibi : *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini, semper*. Et in Habacuc : *Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan, semper*. Et infrà : *Juramenta tribubus quæ locutus es, semper*.

Scire autem debemus apud Hebræos in fine librorum, unum è tribus solere subnecti : ut aut AMEN scribant, aut SELA, aut SALOM, quod exprimit *pacem*. Undè et Salomon *pacificus* dicitur. Igitur ut solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alerius sequentis, medium interponere *explicit*, aut *feliciter*, aut aliquid istiusmodi ; ità et Hebræi ut quæ scripta sunt roborentur, facere solent; ut dicant AMEN, aut *in sempiternum*; aut scribenda commemorant, ut ponant SELA, aut transacta feliciter protestantur, *pacem* in ultimo subnotantes.

Hæc nos de intimo Hebræorum fonte libavimus, non opinionum rivulos persequentes, NEQUE ERRORUM quibus totus mundus repletus est varietate perterriti, sed cupientes et scire et docere quæ vera sunt. Quòd si tibi non videtur onerosum, quid Origenes de diapsalmate senserit, verbum interpretabor ad verbum, ut QUIA NOVITIA musta contemnis, saltem veteris vini auctoritate ducaris.

Sæpè quærens causas cur in quibusdam Psalmis interponatur *diapsalma*, observavi diligentissimè in hebræo, et cum græco contuli, invenique quia ubi lingua hebræa SELA habet, græca verò *semper*, aut aliquid istiusmodi, ibi Septuaginta et Theodotion et Symmachus transtulerunt *diapsalma*. Neque verò nocet exemplis affirmare quod dicimus. In septuagesimo quarto Psalmo, cujus principium est : *Confite-*

bimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum; et post illud, *ego confirmavi columnas ejus*, apud Septuaginta et Theodotionem et Symmachum est *diapsalma*; pro quo apud Aquilam, *ponderavi columnas ejus semper.* In quintâ autem editione : *Ego sum qui paravi columnas ejus semper.* In Sextâ verò; *ego firmavi columnas ejus jugiter.* Porrò in hebraico habet post AMUDA, quod est, *columnas ejus*, SELA. Et rursùm in septuagesimo quinto, cujus principium est : *Notus in Judæâ Deus*, invenimus apud Septuaginta et Theodotionem, post scutum et frameam, et bellum, *diapsalma.* Apud Symmachum, post clypeum et gladium et bellum, similiter *diapsalma.* Pro quo apud Aquilam, post clypeum et gladium et bellum, *semper.* Apud Quintam editionem, post scutum et romphæam et bellum, *semper.* In Sextâ verò, post scutum et gladium et bellum, *in finem.* Eratque rursùm in hebraico post UMALAMA, quod est, *et bellum*, SELA. Et in eodem Psalmo, post illum locum, *ut salvos faciat mites terræ*, *diapsalma;* apud Symmachum similiter *diapsalma;* et apud Aquilam, *semper,* necnon et apud Quintam. In Sextâ verò, *in finem.* Et in hebraico erat post ANIE ARES, quod est, *mites terræ*, SELA. Atque ità cùm talem uniuscujusque editionis opinionem reperissemus, hæc annotavimus. Utrùm autem cujusdam musicæ cantilenæ, aut rhythmi immutationem, qui interpretati sunt *diapsalma*, senserint, aliudve intellexerint, tuo judicio derelinquo. Hùcusque Origenes; cujus nos maluimus, in hâc disputatione, duntaxat imperitiam sequi, quàm stultam habere scientiam nescientium.

EPISTOLA HIERONYMI AD PAULAM,

Scripta eodem anno quo superiores.

DE ALPHABETO HEBRAICO PSALMI CXVIII.

Nudius tertius cùm centesimum octavum decimum Psalmum tibi insinuare conarer, et dicerem omnem moralem locum in eo esse comprehensum, et quomodò philosophi solent disputationes suas in physicam, ethicam, logicamque partiri, ità et eloquia divina aut de naturâ disputare, ut in Genesi et in Ecclesiaste, aut de moribus, ut in Proverbiis, et in omnibus sparsim libris, aut de logicâ, pro quâ nostri theologicen sibi vindicant, ut in Cantico canticorum, et in Evangeliis (licèt Apostolus sæpè proponat, assumat, confirmet atque concludat, quæ propriè artis dialecticæ sunt) studiosissimè perquisisti, quid sibi velint hebrææ litteræ, quæ Psalmo quem legebamus videbantur insertæ.

Respondi secundùm ordinem litterarum eum esse compositum, quòd videlicet ex primâ litterâ, quæ apud eos vocatur *Aleph*, octo versus inciperent. Rursùs ex sequenti *Beth* totidem versus exordium sumerent, ac posteà ex *Gimel* idem numerus compleretur; atque ità usque ad *Thau*, quæ apud eos extrema littera est, Psalmum esse conscriptum, et ex singulis quibusque elementis secundùm interpretationes eorum debere intelligi quæ sequerentur. Identidem flagitâsti, ut tibi interpretationes singularum edicerem litterarum. Dixi fateor, verùm quia propter barbariem linguæ memoriâ labitur omne quod diximus, desideras commentariolum fieri; ut si in aliquo fortè titubaveris, oblivionem lectio consoletur.

Ac priùs quàm de singulis disseram, scire debes, quatuor Psalmos secundùm ordinem Hebræorum incipere elementorum, centesimum decimum et centesimum undecimum, et hunc de quo nunc scribimus, et centesimum quadragesimum quartum. Verùm debes scire in prioribus Psalmis, singulis litteris, singulos versiculos, qui trimetro iambico constant, esse subnexos. Inferiores verò tetrametro iambico constare, sicuti et Deuteronomii Canticum scriptum est. In centesimo decimo octavo Psalmo, singulas litteras octoni versus sequuntur. In centesimo quadragesimo quarto, singulis litteris singuli versus deputantur. Sunt qui et alios, hoc ordine putent incipere, sed falsa eorum opinio est. Habes et in Lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabeta, è quibus duo prima quasi sapphico metro scripta sunt: quia tres versiculos qui sibi connexi sunt, et ab unâ tantùm litterâ incipiunt, heroici comma concludit. Tertium verò alphabetum trimetro scriptum est, et à ternis litteris, sed eisdem terni versus incipiunt. Quartum alphabetum simile est primo et secundo. Proverbia quoque Salomonis extremum claudit alphabetum, quod tetrametro iambico supputatur, ab eo loco, in quo ait : *Mulierem fortem quis inveniet?*

Quomodò autem in his nostris litteris non potest quis ad legenda verba texendaque procedere, nisi priùs ab elementis cœperit; ità et in Scripturis divinis non valemus ea quæ majora sunt nôsse, nisi ethicæ habuerimus exordium, secundùm illud quod Propheta dicit: *A mandatis tuis intellexi;* quòd videlicet post opera cœperit habere scientiam secretorum. Verùm jam complendum est quod petisti, ut sensum uniuscujusque elementi interpretatio annexa significet.

Aleph, interpretatur *doctrina*. Beth, *domus*. Gimel, *plenitudo*. Daleth, *tabularum*. He, *ista*. Vau, *et*. Zain, *hæc*. Heth, *vita*. Tet, *bonum*. Jod, *principium*. Caph, *manus*. Lamed, *disciplinæ* sive *cordis*. Mem, *ex ipsis*. Nun, *sempiternum*. Samech, *adjutorium*. Ain, *fons* sive *oculus*. Phe, *os*, ab ore, non ab osse dictum intellige; ne litterarum ambiguitate fallaris. Sade, *justitia*. Coph, *vocatio*. Res, *capitis*. Sin, *dentium*. Thau, *signa*.

Post interpretationem elementorum intelligentiæ ordo dicendus est. Aleph, Beth, Gimel, Daleth, prima connexio est, *doctrina, domus, plenitudo, tabularum;* quod videlicet doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine divinorum.

Secunda connexio est: He, Vau, Zain, Heth, *ista, et, hæc, vita*. QUÆ ENIM ALIA POTEST esse vita sine scientiâ Scripturarum, per quam etiam ipse Christus agnoscitur, qui est vita credentium?

Tertia connexio habet: Tet, Jod, *bonum, principium;* quia quamvis nunc sciamus universa que scripta sunt, tamen ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus, et nunc per speculum videmus in ænigmate. Cùm autem meruerimus esse cum Christo, et similes Angelis fuerimus, tunc librorum doctrina cessabit; et tunc videbimus facie ad faciem bonum principium sicuti est.

Quarta connexio est: Caph, Lamed, *manus, disciplinæ* sive *cordis*. Manus intelliguntur in opere, cor et disciplina interpretantur in sensu: quia nihil facere possumus, nisi priùs quæ facienda sunt scierimus.

Quinta connexio est: Mem, Nun, Samech, *ex ipsis, sempiternum, adjutorium*. Hoc explanatione non indiget, sed omni luce manifestius est, ex Scripturis æterna subsidia ministrari.

Sexta connexio habet: Ain, Phe, Sade: *fons*, sive *oculus, oris, justitiæ;* secundùm illud quod in quarto numero exposuimus.

Septima connexio est, quæ et extrema, quòd et in ipso quoque septenario numero sit mysticus intellectus: Coph, Res, Sin, Thau, *vocatio, capitis, dentium, signa*. Per dentes articulata vox promitur, et in his signis ad caput omnium qui est Christus pervenitur, per quem venitur ad regnum sempiternum.

Oro te, quid hoc sacratius sacramento, Quid hâc voluptate jucundius? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quàm Dei scire prudentiam, et in abdita ejus intrare, et sensum Creatoris inspicere, et sermones Domini Dei tui, qui ab hujus mundi sapientibus deridentur, plenos docere sapientiâ spiritali? Habeant sibi cæteri, si velint, suas opes, gemmâ bibant, serico niteant, plausu populi delectentur, et PER VARIAS VOLUPTATES, divitias suas vincere nequeant. Nostræ divitiæ sint, in lege Domini meditari die ac nocte, pulsare januam non patentem, panes Trinitatis accipere, et seculi fluctus domino præeunte calcare.

Saluta Blesillam et Eustochium, tirunculas nostras. Saluta Felicitatem, verè carnis et spiritûs virginitate felicem. Saluta reliquum castitatis chorum, et domesticam tuam Ecclesiam, cui omnia, etiam quæ tuta sunt, timeo, ne dormiente patrefamilias, inimicus homo zizania superseminet, quamvis etiam dicere audeant: Ego civitas firma, civitas quæ non oppugnatur. Nullus hostili obsidente exercitu securus est. Nemo, ut beatus Cyprianus ait, satis tutus, periculo proximus. Exemplar epistolæ, si accipere voluerit φιλοπονοτάτη nostra Marcella, tribuito. Et memento meî, obsecrans ut Dominus noster Jesus Christus conterat Satanam sub pedibus nostris velociter.

EPISTOLA HIERONYMI AD MARCELLAM,

Scripta eodem tempore quo præcedentes,

DE ALIQUOT LOCIS PSALMI CXXVI.

Beatus Pamphilus martyr, cujus vitam Eusebius, cæsariensis episcopus, tribus fermè voluminibus explicavit, cùm Demetrium Phalereum et Pisistratum in sacræ bibliothecæ studio vellet æquare, IMAGINESQUE ingeniorum, quæ vera sunt et æterna monumenta, toto orbe perquireret, tunc vel maximè Origenis libros impensiùs, prosecutus, cæsariensi Ecclesiæ dedicavit; quam ex parte corruptam, Acacius, dehinc et Euzoius ejusdem Ecclesiæ sacerdotes in membranis instaurare conati sunt. Hic cùm multa repererit, et inventorum nobis indicem dereliquerit, centesimi vigesimi sexti Psalmi Commentarium, et PHE litteræ Tractatum, ex eo quòd non inscripsit, confessus est non repertum. Non quòd talis tantusque vir (Adamantium dicimus) aliquid præterierit, sed quòd negligentiâ posterorum ad nostram usque memoriam non durârit. Hoc ideò dixi, ut quia de eodem Psalmo mihi proposuisti, qui esset *panis doloris*, in eo quod dicitur: *Vanum vobis est antè lucem surgere; surgite postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris*, ostenderem me de Origenis commentariis quid senserit, non habere.

Undè ad hebræum recurrens, inveni pro pane doloris scriptum, LEEM AASABIM, quod Aquila interpretatus est, ἄρτον τῶν διαπονημάτων,

id est, *panem elaborationum*. Symmachus ἄρτον κακοπαθούμενον, quod exponitur, *panem ærumnosum*. Quinta editio et Theodotion, qui in cæteris cum Septuaginta translatoribus facit, *panem idolorum*. Sexta πλάνης, id est *erroris*. Nec mirandum est de Aquilâ, si διαπονήματα pro *idolis* ponat, cùm opera manuum hominis sint, et propheticè populus arguatur ad templum diluculo frustrà consurgere, et post quietem ad sanctuarium festinare; cùm idola, Dei honore venerentur, secundùm quod Ezechiel scripsit in ipso templo, sacrificare idolis sacerdotes. Ut autem pleniùs adducaris, pro *dolore* in hebræo *idola* posita, hoc ipsum verbum, hoc est, ASABIM, etiam in centesimo decimo tertio Psalmo scriptum est. Septuaginta quoque *idola* transtulerunt. Nam et in eo loco ubi legimus, *idola gentium, argentum et aurum, opera manuum hominum*, in hebræo habetur, ASABEEM, quod Aquila interpretatur *elaborationes eorum*. Undè cùm ità veritas se habeat, non frustrà quidam doloris panem, aut hæreticorum intelligunt sacramenta, aut vitæ istius miserabilis et ærumnosæ interpretantur laborem; apud quam in sudore faciei comedimus panem nostrum, et inter spinas et tribulos, brevis vitæ alimenta nascuntur.

Illud quoque de eodem Psalmo interrogare dignata es: *Qui sint filii excussorum?* Miror te in Hilarii commentariis non legisse, excussorum filios, credentium populos interpretari, quòd scilicet Apostolos illo nomine putaverit appellatos, quibus in Evangeliis sit præceptum, in quamcumque civitatem introierint, et non fuerint recepti, excutere pulverem pedum suorum in testimonium non credentium. Licèt tu argutè præcaveris, non posse Apostolos sub nomine excussorum intelligi, cùm sit aliud excutientium, aliud excussorum, quia excutientes sunt, qui excutiant, excussi verò, qui ab aliis excutiantur. Et incongruum esse excussos Apostolos accipi, qui magis excutientes debuerint appellari. Quid igitur faciam? Tantum virum et temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo: qui et confessionis suæ merito, et vitæ industriâ, et eloquentiæ claritate, ubicumque romanum nomen est, prædicatur, nisi quòd non ejus culpæ adscribendum est, qui hebræi sermonis ignarus fuit, græcarum quoque litterarum quamdam auram ceperat, sed Heliodori presbyteri, quo ille familiariter usus, ea quæ intelligere non poterat, quomodò ab Origene essent dicta, quærebat. Qui, quia in hoc Psalmo commentarium Origenis invenire non potuit, opinionem magis insinuare suam, quàm inscitiam voluit confiteri. Quam ille sumptam claro sermone disseruit, et alienum errorem disertiùs exsecutus est.

Restat igitur ut rursùm ad fontem sermonis recurramus hebræi, et videamus quomodò scriptum sit. Ubi nos habemus, *sicut filii excussorum*, ibi legitur, CHEN BNE ANNAURIM, quod Aquila interpretatus est, *sicut filii pubertatum*. Symmachus et Theodotio, *sicut filii juventutis*. Sexta ἀκόνεος νοῦ, quod nos dicere possumus, *exacuti sensus*. Ex quo manifestum est, adolescentiæ populos intelligi christianos, secundùm illud exemplum, quòd Deus suos sanctos in modum arcûs et sagittarum dicatur extendere; ut in prophetâ Zachariâ: *Quoniam extendi te mihi Juda ut arcum*. Et Salvator de semetipso: *Posuit me sicut sagittam electam, et in pharetrâ suâ abscondit me*. Denique in sequenti versu, exceptis Septuaginta, qui aliter transtulerunt, et in hebræo, et in cunctis editionibus ità reperi: *Beatus vir qui replevit pharetram suam ex ipsis*; ut quia metaphoram semel sumpserat ex sagittis, et in pharetrâ quoque translatio servaretur. *Excussos* autem et consuetudo sermonis humani, *vegetos* et *robustos* et *expeditos* vocat; et ipsi Septuaginta Interpretes in Esdræ libro, pro juvenibus transtulerunt, in quo ità scribitur: *Et factum est ex die illâ, medii excussorum faciebant opus, et medii eorum habebant hastas et scuta et arcus et thoraces et principes post omnem domum Juda, ædificantes in muro*. Ex quo animadvertimus, et in præsenti loco pro adolescentibus atque puberibus, *excussos* positos; non ut ille opinatus est pro Apostolis, qui excussi à pedum excussione dicantur.

Legi et cujusdam librum, et elegantem in eo sensum reperi, *excussos* Judæos dici à templo, et lege et gratiâ Domini, pro eo quod est *reprobos;* et eorum esse filios Apostolos, qui ex ipsorum semine procreentur, et in similitudinem sagittarum manu Domini contineantur.

In sequenti quoque Psalmo Heliodorus magis quàm noster Hilarius erravit, qui de eo loco, in quo scriptum est: *Labores fructuum tuorum manducabis*, varia opinatus, asseruit magis stare sententiam, si scribatur: *fructus laborum* aliquem manducare, et non *labores fructuum*. Undè spiritualem intelligentiam debere perquiri. Et ex hâc occasione longam ingrediens disputationem, tantâ operositate quod volebat intelligi, usus est persuadendi, QUANTA SEMPER falsitas indiget, ut vera videa-

tur; cùm in hoc loco non septuaginta Interpretes, sed Latini de græco, verbi ambiguitate decepti, καρπούς, *fructus*, magis quàm *manus* interpretati sint; cum καρποί, *manus* quoque dicantur : quod in hebræo ponitur CHAPHACH. Et Symmachus Quintaque editio transtulerunt, *manuum tuarum*, ut ambiguitatem prioris sermonis effugerent.

Cùm hæc furtivis, ut aiunt, operis ad lucubratiunculam velox notarii manus me dictante signaret, et plura dicere cogitarem, jam fermè quarta noctis hora excesserat, et repentè stimulis quibusdam dolentis stomachi suscitatus, in orationem prorupi ut saltem reliquo horarum spatio, subrepente somno, frustraretur infirmitas.

DIVI HIERONYMI

Prologus galeatus.

Viginti et duas litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque lingua et Chaldæorum testatur, quæ hebrææ magnâ ex parte confinis est. Nam et ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moysis totidem litteris scriptitant, figuris tantùm et apicibus discrepantes. Certumque est Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Hierosolymam et instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse quibus nunc utimur; cùm ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebræorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum hæc eadem supputatio, sub Levitarum ac sacerdotum censu, mysticè ostenditur. Et nomen Domini *tetragrammaton* in quibusdam græcis voluminibus, usquè hodiè antiquis expressum litteris invenimus. Sed et Psalmi, trigesimus sextus, et centesimus decimus, et centesimus undecimus, et centesimus decimus octavus, et centesimus quadragesimus quartus, quanquàm diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiæ Lamentationes, et Oratio ejus; Salomonis quoque in fine Proverbia, ab eo loco in quo ait : *Mulierem fortem quis inveniet?* iisdem alphabetis vel incisionibus supputantur. Porrò quinque litteræ duplices apud Hebræos sunt : *Caph, Mem, Nun, Pe, Sade:* aliter enim scribuntur per has principia medietatesque verborum, aliter fines. Undè et quinque à plerisque libri duplices æstimantur, Samuel, Melachim, Dibre Hajamim, Esdras, Jeremias cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis. Quomodò igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus hebraicè omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur; ità viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis, in Dei doctrinâ, tenera adhùc et lactens viri justi eruditur infantia. Primus apud eos liber, vocatur *Beresith;* quem nos Genesim dicimus. Secundus, *Veelle semoth;* qui Exodus appellatur. Tertius, *Vaiicra*, id est Leviticus. Quartus, *Vagedabber*, quem Numeros vocamus. Quintus, *Elle hadebarim*, qui Deuteronomium prænotatur. Hi sunt quinque libri Moysis, quos propriè *Thora*, id est Legem appellant. Secundùm, Prophetarum ordinem faciunt, et incipiunt ab Jesu, filio Nave; qui apud eos *Josue ben Nun* dicitur. Deindè subtexunt *Sophetim*, Judicum librum. Et in eumdem compingunt *Ruth*, quia in diebus judicum facta ejus narratur historia. Tertius sequitur, *Samuel*, quem nos Regum primum et secundum dicimus. Quartus, *Melachim*, in est Regum, qui tertio et quarto Regum volumine continetur. Meliùsque multò est *Melachim*, id est Regum, quàm *Mamlachot*, id est Regnorum dicere. Non enim multarum gentium describit regna, sed unius israelitici populi qui tribubus duodecim continetur. Quintus, est *Isaias*. Sextus, *Jeremias*. Septimus, *Ezechiel*. Octavus, liber duodecim Prophetarum, qui apud illos vocatur *There asar*. Tertius ordo, Hagiographa possidet. Et primus liber incipit à *Job*, Secundus à *David;* quem quinque incisionibus et uno *Psalmorum* volumine comprehendunt. Tertius est *Salomon*, tres libros habens : Proverbia, quæ illi *Misle*, id est Parabolas appellant. Quartus, *Coheleth*, id est, Ecclesiastes. Quintus, Canticum canticorum, quem titulo *Sir hassirim* prænotant. Sextus, est *Daniel*. Septimus, *Dibre hajamim*, id est, Verba dierum, quod significantiùs, chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare ; qui liber apud nos *Paralipomenon*

primus et secundus inscribitur. Octavus, *Esdras;* qui et ipse similiter apud Græcos et Latinos in duos libros divisus est. Nonus, *Esther*.

Atque ità fiunt pariter veteris legis libri viginti duo : id est, Moysi quinque, et Prophetarum octo, Hagiographorum novem. Quanquàm nonnulli *Ruth* et *Cinoth*, inter Hagiographa scriptitent, et hos libros in suo putent numero supputandos : ac per hoc esse priscæ legis libros viginti quatuor, quos sub numero viginti quatuor seniorum Apocalypsis Joannis inducit adorantes Agnum, et coronas suas prostratis vultibus offerentes; stantibus coràm quatuor animalibus, oculatis antè et retrò, id est in præteritum et in futurum respicientibus, et indefessâ voce clamantibus; *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.* Hic prologus, Scripturarum quasi galeatum principium omnibus libris quos de hebræo vertimus in latinum, convenire potest; ut scire valeamus, quidquid extrà hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, et Jesu, filii Syrach, liber, et Judith, et Tobias, et Pastor, non sunt in Canone. Machabæorum primum librum, hebraicum reperi. Secundus, græcus est; quod ex ipsâ quoque phrasi probari potest. Quæ cùm ità se habeant, obsecro te, lector, ne laborem meum, reprehensionem existimes antiquorum. In templo Dei offert unusquisque quod potest : alii aurum, argentum, et lapides pretiosos ; alii byssum, et purpuram, et coccum offerunt et hyacinthum; nobiscum benè agitur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat. Undè et tota illa tabernaculi pulchritudo, et per singulas species, Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio, pellibus tegitur et ciliciis, ardoremque solis et injuriam imbrium ea quæ viliora sunt prohibent. Lege ergò primùm, Samuel, et Melachim meum; meum, inquam, meum. Quidquid enim crebriùs vertendo, et emendando sollicitiùs et didicimus et tenemus, nostrum est. Et cùm intellexeris, quod anteà nesciebas, vel interpretem me æstimato, si gratus est, vel paraphrasten, si ingratus, quanquàm mihi omninò conscius non sim mutâsse me quippiam de hebraicâ veritate. Certè si incredulus es, lege græcos codices et latinos, et confer cum iis opusculis quæ nuper emendavimus; et ubicumque discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebræorum cui magis accommodare debeas fidem; et si nostra firmaverit, puto quòd eum non æstimes conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinârit. Sed et vos famulas Christi rogo (quæ Domini discumbentis pretiosissimâ fidei myrrhâ ungitis caput, quæ nequaquàm Salvatorem quæritis in sepulcro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit) ut contrà latrantes canes, qui adversùm me rabido ore desæviunt, et circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententiæ recordabor : *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me. Obmutui, et humiliatus sum; et silui à bonis* (Psal. 38).

HIERONYMUS PAULINO.

Frater Ambrosius tua mihi munuscula perferens, detulit simul et suavissimas litteras, quæ à principio amicitiarum, fidem probatæ jam fidei, et veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa necessitudo est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantùm corporum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor, et divinarum Scripturarum studia conciliant. Legimus in veteribus historiis quosdam lustrâsse provincias, novos adisse populos, maria transisse, ut eos quos ex libris noverant, coràm quoque viderent. Sic Pythagoras memphiticos vates; sic Plato Ægyptum, et Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondàm magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit; ut qui Athenis magister erat, et potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus; malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere. Deniquè dùm litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus à piratis est venumdatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus et servus; tamen quia philosophus, major emente se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus; et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus seculis, celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extrà urbem quærerent. Apollonius, sive ille magus, ut vulgus loquitur, sive philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit;

et ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, et de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos, de naturâ, de moribus siderum ac dierum cursu audiret docentem. Indè per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut Gymnosophistas, et famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret, et semper proficiens, semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissimè octo voluminibus Philostratus. Quid loquar de seculi hominibus, cùm Apostolus Paulus, vas electionis et magister gentium, qui de conscientiâ tanti in se hospitis loquebatur : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* post Damascum Arabiamque lustratam, ascenderit Hierosolymam, ut videret Petrum, et manserit apud eum diebus quindecim? Hoc enim mysterio hebdomadis et ogdoadis, futurus gentium prædicator instruendus erat. Rursùmque post annos quatuordecim, assumpto Barnabâ et Tito, exposuerit Apostolis Evangelium; ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset. Habet enim nescio quid latentis ἐνεργείας viva vox, et in aures discipuli de auctoris ore transfusa, fortiùs sonat. Undè et Æschines cùm Rhodi exularet, et legeretur illa Demosthenis oratio, quam adversùs eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, suspirans ait : *Quid si ipsam audissetis bestiam, sua verba resonantem?* Hæc non dico, quòd sit in me aliquid tale, quod vel possis à me audire, vel velis discere; sed quòd ardor tuus, et discendi studium etiam absque nobis per se probari debeat. Ingenium docile, et sine doctore laudabile est. Non quid invenias, sed quid quæras consideramus. Mollis cera, et ad formandum facilis, etiamsi artificis et plastæ cessent manus, tamen virtute totum est quidquid esse potest. Paulus Apostolus ad pedes Gamalielis legem Moysis et Prophetas didicisse se gloriatur Act. 22, ut armatus spiritalibus telis posteà diceret confidenter, 2 Cor. 10 : *Arma nostræ militiæ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, et captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo, et parati subjugare omnem inobedientiam.* Ad Timotheum scribit ab infantiâ sacris litteris eruditum, et hortatur ad studium lectionis, ne *negligat gratiam quæ data sit ei per impositionem manûs presbyterii.* Tito præcipit ut inter cæteras virtutes episcopi, quem brevi sermone depinxit, scientiam quoque in eo eligat Scripturarum : *Obtinentem,* inquit, *eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem;* ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, et contradicentes revincere. Sancta quippè rusticitas solùm sibi prodest; et quantùm ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantùm nocet, si destruentibus non resistat. Malachias Propheta, imò per Aggæum Dominus : *Interroga,* ait, *sacerdotes legem;* in tantùm sacerdotis officium est interrogatum res respondere de lege. Et in Deuteronomio, cap. 32, legimus : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; seniores tuos, et dicent tibi.* In psalmo quoque 119 : *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Et in descriptione justi viri, cùm eum David arbori vitæ, quæ est in paradiso, compararet, inter cæteras virtutes et hoc intulit : *In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Daniel in fine sacratissimæ visionis ait justos fulgere sicut stellas; et intelligentes, id est doctos, quasi firmamentum. Vides quantùm inter se distent justa rusticitas, et docta justitia? Alii stellis, alii cœlo comparantur. Quanquàm juxtà hebraicam veritatem utrumque de eruditis possit intelligi. Ità enim apud eos legimus : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cur dicitur Paulus Apostolus vas electionis? Nempè quia legis et Scripturarum sanctarum erat armarium. Pharisæi stupent in doctrinâ Domini; et mirantur in Petro et Joanne quomodò legem sciant, cùm litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, et quotidiana in lege meditatio tribuere solet, illis hoc Spiritus sanctus suggerebat; et erant juxtà quod scriptum est, θεοδίδακτοι Duodecim annos Salvator impleverat, et in templo senes de quæstionibus legis interrogans, magis docet dùm prudenter interrogat. Nisi fortè rusticum Petrum, rusticum dicimus Joannem; quorum uterque dicere poterat : *Etsi imperitus sermone, non tamen scientiâ.* Joannes, rusticus, piscator, indoctus? et undè illa vox, obsecro : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum?* Λόγος enim græcè multa significat : nam et verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt : quæ universa rectè intelligimus in Christo. Hoc doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignoravit,

Perdam, inquit, *sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium* reprobabo. Vera sapientia perdet falsam sapientiam; quanquàm stultitia prædicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos: sapientiam autem non seculi hujus, nec principum seculi istius, quæ destruitur; sed loquitur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus antè secula. Dei sapientia, Christus est; Christus enim, Dei virtus, et Dei sapientia in mysterio abscondita est; de quâ et noni psalmi titulus prænotatur: *Pro occultis filii*, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. Et qui in mysterio absconditus erat, prædestinatus est antè secula; prædestinatus autem et præfiguratus in lege et Prophetis. Undè et Prophetæ appellabantur *Videntes!* quia videbant eum, quem cæteri non videbant. Abraham vidit diem ejus, et lætatus est. Aperiebantur cœli Ezechieli, qui populo peccatori clausi erant. *Revela*, inquit David, *oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tuâ*. Lex enim spiritualis est, et revelatione opus est, ut intelligatur, ac revelatâ facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur; quem si dederis homini scienti litteras, ut legat, respondebit tibi: Non possum; signatus est enim. Quanti hodiè putant se nôsse litteras, et tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit! In Actibus Apostolorum sanctus eunuchus, imò vir (sic enim eum Scriptura cognominat), cùm legeret Isaiam Prophetam, interrogatus à Philippo: *Putasne intelligis, quæ legis?* respondit: *Quomodò possum, nisi aliquis me docuerit?* Ego (ut de me loquar interìm) nec sanctior sum hoc eunucho, nec studiosior, qui de Æthiopiâ, id est, de extremis mundi finibus, venit ad templum, reliquit aulam regiam; et tantus amator legis divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo legeret litteras sacras; et tamen cùm librum teneret, verba Domini cogitatione conciperet, linguâ volveret, labiis personaret, ignorabat eum quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in litterâ. O mira doctoris virtus! eâdem horâ credit eunuchus, baptizatur, et fidelis et sanctus factus est; ac magister de discipulo, plus in deserto fonte Ecclesiæ, quàm in aurato Synagogæ templo reperit. Hæc à me perstricta sunt breviter (neque enim epistolaris angustia evagari longiùs patiebatur), ut intelligeres te in Scripturis sacris, sine prævio et monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometris, dialecticis, astronomis, astrologis, medicis; quorum scientia mortalibus vel utilissima est, et in tres partes scinditur, τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, et quæ non tàm linguâ quàm manu administrantur. Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumque cæsores, lanarii quoque, et fullones, et cæteri qui variam supellectilem, et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici; tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passìm omnes vindicant. *Scribimus indocti doctique poemata passim*. Hanc garrula anus, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequàm discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, proh pudor! à feminis, quod viros doceant; et ne parùm hoc sit, quâdam facilitate verborum, imò audaciâ, edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt. Taceo de meî similibus, qui si fortè ad Scripturas sanctas post seculares litteras venerint, sermone composito aures populi mulserint; quidquid dixerint, hoc legem Dei putant; nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, et Virgiliocentonas; ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere christianum, quia scripserit:

> Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna:
> Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Et Patrem loquentem ad Filium:

> Nate, meæ vires, mea magna potentia solus.

Et post verba Salvatoris in cruce:

> Talia perstabat memorans, fixusque manebat.

Puerilia sunt hæc, et circulatorum ludo similia, docere quod ignores: imò, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quòd nescias.

Videlicet manifestissima est Genesis, in quâ de creaturâ mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum

et gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum.

Patet Exodus cum decem plagis, cum Decalogo, cum mysticis divinisque præceptis.

In promptu est Leviticus liber, in quo singula sacrificia, imò singulæ penè syllabæ, et vestes Aaron, et totus ordo leviticus spirant cœlestia sacramenta.

Numeri verò, nonnè totius arithmeticæ, et prophetiæ Balaam, et quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent?

Deuteronomium quoque, secunda lex, et Evangelicæ legis præfiguratio, nonnè sic ea habet quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus? Hucusquè Moyses, hucusquè Pentateuchus; quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesiâ gloriatur.

Job, exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosâ incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur; omnesque leges dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba plena sunt sensibus. Et (ut de cæteris sileam) resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de eâ vel manifestiùs, vel cautiùs scripserit. *Scio*, inquit, *quòd redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum; et rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Veniam ad Jesum Nave, qui typum Domini non solùm gestis, verùm etiam nomine præfert. Transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiæ cœlestisque Jerusalem spiritualia regna describit.

In Judicum libro, quot principes populi, tot figuræ sunt.

Ruth Moabitis, Isaiæ explet vaticinium, dicentis : *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petrâ deserti, ad montem filiæ Sion.*

Samuel in Heli mortuo, et occiso Saül, veterem legem abolitam monstrat. Porrò in Sadoc atque David, novi sacerdotii, novique imperii sacramenta testatur.

Melachim, id est, tertius et quartus Regum liber, à Salomone usque ad Jechoniam, et à Jeroboam filio Nabat usque ad Osee qui ductus est in Assyrios, regnum Juda et regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt; si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, et hæreticorum contrà Ecclesiam bella narrantur.

Duodecim Prophetæ in unius voluminis angustias coarctati, multò aliud, quàm sonet in litterâ, præfigurant.

Osee crebrò nominat Ephraim, Samariam, Joseph, Jezrahel, et uxorem fornicariam, et fornicationis filios, et adulteram cubiculo clausam mariti, multo tempore sedere viduam, et sub veste lugubri, viri ad se reditum præstolari.

Joel, filius Phatuel, describit terram duodecim tribuum, crucâ, brucho, locustâ, rubigine vastante consumptam : et post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei, et ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, et effusum iri in cœnaculo Sion. Qui centum viginti, ab uno usque ad quindecim paulatìm et per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mysticè continentur.

Amos, pastor et rusticus, et ruborum mora distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim dignè exprimat tria aut quatuor scelera Damasci, et Gazæ, et Tyri, et Idumææ, et filiorum Ammon et Moab; et in septimo et octavo gradu Judæ et Israel? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ sunt in Samariæ monte, et ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustæ, et stantem Dominum super murum litum vel adamantinum, et uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, et famem in terram; non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.

Abdias, qui interpretatur *Servus Dei*, pertonat contrà Edom, sanguineum, terrenumque hominem : fratris quoque Jacob semper æmulum, hastà percutit spiritali.

Jonas, columba pulcherrima, naufragio passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat; et sub nomine Ninive, gentibus salutem nuntiat.

Michæas, de *Morasthi*, cohæres Christi, vastationem annuntiat filiæ latronis, et obsidionem ponit contrà eam; quia maxillam percusserit judicis Israel.

Nahum, consolator orbis, increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur : *Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem.*

Habacuc, luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam, et figit gradum super munitionem, ut Christum in cruce contem-

pletur, et dicat : *Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus.*

Sophonias, speculator, et arcanorum Dei cognitor, audit clamorem à Portâ piscium, et ejulatum à Secundâ, et contritionem à collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento.

Aggæus, festivus et lætus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret, destructum templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem : *Adhuc unum modicum, et ego commovebo cœlum et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes; et veniet desideratus cunctis gentibus.*

Zacharias, memor Domini sui, multiplex in prophetiâ, Jesum vestibus sordidis indutum, et lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis; duas quoque olivas à sinistris lampadis cernit et dextris, ut post equos nigros, rufos, albos, et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Jerusalem, pauperem regem vaticinetur et prædicet, *sedentem super pullum, filium asinæ subjugalis.*

Malachias apertè, et in fine omnium Prophetarum, de abjectione Israel, et vocatione gentium : *Non est mihi,* ait, *voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.*

Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, et Danielem, quis potest vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium.

Secundus virgam nuceam, et ollam succensam à facie aquilonis, et pardum spoliatum suis coloribus, et quadruplex diversis metris nectit alphabetum.

Tertius principia et finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos istæ partes cum exordio Geneseos antè annos triginta non legantur.

Quartus verò, qui et extremus inter quatuor Prophetas, temporum conscius, et totius mundi φιλίστωρ, lapidem præcisum de monte sine manibus, et regna omnia subvertentem, claro sermone pronuntiat.

David, Simonides noster, Pindarus, et Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Christum lyrâ personat, et in decachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem.

Salomon, pacificus et amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit et Christum, sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.

Esther, in Ecclesiæ typo, populum liberat de periculo; et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, et diem celebrem mittit in posteros.

Paralipomenon liber, id est, Instrumenti veteris ἐπιτομή tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippè nomina juncturasque verborum, et prætermissæ in Regum libris tanguntur historiæ, et innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones.

Esdras et Nehemias, adjutor videlicet, et consolator à Domino, in unum volumen coarctantur, instaurant templum, muros exstruunt civitatis; omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, et descriptio sacerdotum, Levitarum, Israelis, proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medullâ.

Cernis me Scripturarum amore raptum, excessisse modum epistolæ, et tamen non implêsse quod volui. Audivimus tantùm, quid nôsse, quid cupere debeamus, ut et nos quoque possimus dicere: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Cæterùm illud Socraticum impletur in nobis; « Hoc tantùm scio, quòd nescio. »

Tangam et novum breviter Testamentum.

Matthæus, Marcus, Lucas, et Joannes, quadriga Domini, et verum Cherubim, quod interpretatur *scientiæ multitudo,* per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, et in sublime tendentes, terga pennata et ubique volitantia, tenent se mutuò, sibique perplexi sunt, et quasi rota in rotâ volvuntur, et pergunt quòcumque eos flatus Spiritûs sancti perduxerit.

Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias : octava enim ad Hebræos, à plerisque extrà numerum ponitur. Timotheum instruit ac Titum, et Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur. Super quos meliùs tacere puto, quàm pauca scribere.

Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, et nascentis Ecclesiæ in-

fantiam texere : sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam.

Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, septem Epistolas ediderunt, tàm mysticas, quàm succinctas, et breves pariter ac longas : breves in verbis, longas in sententiis : ut rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat.

Apocalypsis Joannis, tot habet sacramenta, quot verba. Parùm dixi, et pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.

Oro te, frater charissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nôsse, nihil quærere. Nonnè tibi videtur jam hìc in terris regni cœlestis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate, et quasi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de industriâ sic prolata sunt, ut rusticam concionem faciliùs instruerent, et in unâ eâdemque sententiâ aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non sum tàm petulans, et hebes, ut hæc me nôsse pollicear, et eorum fructus capere, quorum radices in cœlo fixæ sunt ; sed velle fateor. Sedenti me præfero, magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti datur, pulsanti aperitur, quærens invenit. Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cœlo. Obviis te manibus excipiam, et (ut inepti aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effutiam) quidquid quæsieris, tecum scire conabor.

Habes hìc amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum seculi, fidem amicitiæ, amorem Christi. Nam prudentiam et eloquii venustatem etiam absque illo ipsa epistola præferebat. Festina, quæso te, et hærentis in salo naviculæ funem magis præcide, quàm solve. Nemo renuntiaturus seculo benè potest vendere quæ contempsit ut venderet. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum est: Avaro tàm deest quod habet, quàm quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est ; infidelis autem etiam obolo indiget. Sic vivamus, tanquàm nihil habentes, et omnia possidentes. Victus et vestitus, divitiæ Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende : si non habes, projice. Tollent tunicam, et pallium relinquendum est. Scilicet, nisi tu, semper recrastinans, et diem de die trahens, cautè et pedetentim tuas possessiunculas vendideris, non habet Christus undè alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli navem tantùm et retia reliquerunt. Vidua duo æra misit in gazophylacium, et præfertur Crœsi divitiis. Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

BASILII PONCII VITA.

Pauca admodùm suppeditant de Poncio Legionensi (Basilio) biographiarum auctores, sed prorsùs honorifica. Summo loco natus, Granatæ in Hispaniâ, augustiniani ordinis vestem induit. Clarissimo floruit nomine, dùm Salmanticæ ac Compluti publicas theologiæ jurisque canonici daret lectiones. Etsi à nonnullis paulò laxioris in scribendo disciplinæ insimulatus sit, intacta tamen apud omnes est ipsius existimatio, neque minori pietate quàm doctrinâ eum eminuisse vulgò conceditur. Plurima et sanè eruditissima opera composuit, ex quibus maximà semper in famâ fuère *Variæ Disputationes* de theologiâ scholasticâ atque positivâ, undè *expositivas quæstiones* deprompsimus. Quarum, si pauca admodùm excipias auctoris ævum ac patriam nimiusculè redolentia, altam sapientiam, dialecticam pressam lucidamque simul, copiosum stylum et elegantem mirabère; nec aliter censuit profectò vir summæ doctrinæ summique judicii, R. P. Tournemine, cùm ipsis locum tribuerit in eximiâ illâ Menochii editione quâ litteras sacras donavit 1719. Inter cætera ejusdem opera præcipuè adscribuntur tractatus varii : *De confirmatione*, in-4°; *de matrimonio*, in-f°; *de impedimentis matrimonii*, in-4°.

Basilius Poncius Legionensis, anno Domini 1629, obiit Salmanticæ ubi cancellarii academici munus adimpleverat.

BASILII PONCII

QUÆSTIONES EXPOSITIVÆ,

ID EST, DE SCRIPTURA SACRA EXPONENDA.

Quaestio prima.

Utrùm sacri vates, cùm de aliquâ re agunt, quæ typus est, ad eam digrediantur, cujus est typus, eodem orationis filo?

CAPUT PRIMUM.

Ejus, quod quæritur, sensus aperitur nonnullis rejectis.

Implicata quæstio, dignaque, ut diligenter à nobis examinetur quoad fieri possit, cùm ex ejus decisione multorum in sacris litteris pendeat recta intelligentia : an, scilicet, cùm Prophetæ de uno agunt quà est typus alterius, tantùm ea dicant, quæ typo conveniunt quà typus est; an verò à typo ad rem adumbrandam digrediantur, ità ut ea dicant, quæ nullâ ratione typo convenire possint, quem transitum à litterâ ad spiritum, id est, ad id de quo mysticè agebatur primùm, majores nostri meritò vocaverunt. Ut, quod exempli causâ dictum sit, cùm constet Hierusalem et Israelis nomine populum, et urbem Judæorum metropolim significari propriè, translatè verò justos homines ; an quandò Prophetæ horum felicitatem prædicandam sibi proposuerunt, semper in eisdem veris Israelitis hæreant; an verò cùm de illis agere cœperint, majori quâdam luce perfusi, et in veris Israelitis imaginem eorum, qui metaphoricè Israelitæ dicuntur, aspicientes, ad hos suam orationem convertant, et multa vaticinentur, quæ in primos minimè quadrare possint. Nam in sacris litteris reperiri non solùm nominum et verborum, sed rerum etiam allegorias doceo alibi, et constans est omnium doctorum sententia. Nomina quoque vel gentium, vel populorum, vel urbium, solere interdùm accipi, non pro his tantùm, quæ propriè, sed etiam pro his quæ impropriè significant, adeò notum est, ut probatione non egeat. An verò, cùm de his, quæ sic propriè appellantur, agere vates instituerint, ad ea, quæ sic impropriè dicuntur, gradum faciant, difficile est ad explicandum, et ut intelligatur dignissimum.

Verùm priùs intelligamus oportet, eum quem nonnulli transitum vocant, scilicet, cùm Propheta de rebus sui temporis ad populum orationem habens, aut in Judæos invehitur, ut eos consoletur, mentionem inducit Christi venturi, et post ad institutam orationem redit, nequaquàm nos in dubium revocare, aut stabilire conari, cùm à nullo sanæ mentis negari possit, et hujus rei apud Oseam, Isaiam, Hieremiam præcipuè, et reliquos vates obvia occurrant exempla clarissima. Nec enim is transitus verè dici potest, et propriè, sed præfatæ vaticinationis, aut objurgationis, vel ratio, vel mœstitiæ illatæ solatium, aut prædictorum malorum diminutio. Sicut si quis ex nostris alicui exprobraret, quæ pravè gessit, minaretur supplicia, posteàque subjiceret: Verùm ne extimescas: ità ergà te indulgentissimus princeps affectus est, ut facilè tibi culpam et pœnam condonaturum sciam.

Nec verò investigamus nunc, an aliquæ in Prophetis digressiones sint, hoc est, cùm de re aliquâ sermonem habere cœperint, subitò de alio argumento sermonem instituant, et ad priora quandoque regrediantur, quandoque secùs. Planum quidem est, et in quotidianis hominum sermonibus sæpè evenire, ut ab uno argumento digrediantur ad aliud. Lambinus certè in illud Horatii 3 carm. Od. 3 : *Est et fideli tuta silentio*, hæc habet. Laudatâ abstinentiâ et animo ab omni cupiditate libero, et soluto, et humanarum rerum contemptore, di-

greditur ac penè dicam, aberrat ad laudem silentii, neque posteà revertitur ad sermonem institutum. Est enim poetarum tanquàm spiritu divino afflatorum, mentis agitatione concitatorum, non semper in proposito sermone hærere; sed ad alia nonnunquàm aberrare, sententiâque longè à principio diversâ carmen concludere. In Canticis quoque Canticorum, et Hieremiæ Lamentationibus istas subitaneas argumenti mutationes agnosco, ab eo quod præcedebat fortassis alienas; at verò juxtà amoris, vel doloris vehementis naturam et ingenium, et affectibus, qui in amantium, vel dolentium animis vario ordine excitari solent, planè conformes. Eorum enim, qui vel dolent vehementer, vel amant impensè, aberrat animi æstimativa facultas, rarò in eàdem cogitatione insistit, sed volubilis, et inquies animus singulis propè momentis varias cogitationes immittit, juxtà varios, quos excitat affectus. Quàm enim sibi parùm constat amantis animus? Jam lætitiâ perfunditur, jam mœrore consumitur, jam amari se videns, extrà sese totus effunditur. Jam angitur absynthio zelotypiæ, sperat, desperat, timet, fidit, in nullâ aliâ re constans nisi quòd constans esse nesciat firmusve manere. Vacillat itaque animus, et velut mare fervens excitatis fluctibus, variis inductis affectibus agitatur. Eleganter et verè Ovidius lib. Metamorph. 10.

Noctis erat medium, curasque et corpora somno
Solverat; at virgo Cynereia pervigil igne
Carpitur indomito, furiosaque vota retractat.
Et modò desperat, modò vult tentare, pudetque,
Et cupit, et quod agat, non invenit: utque securi
Saucia trabs, ingens ubi plaga novissima restat,
Quò cadat in dubio est, omnique à parte timetur;
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Hùc levis atque illùc, momentaque sumit utraque.

Seneca quoque in Hippolyto amantis Phedræ inquietes actiones mirè depingit.

Torretur æstu tacito, et inclusus quoque
Quamvis tegatur, proditur vultu furor;
Erumpit oculis ignis, et lassæ genæ
Lucem recusant, nihil illi dubiæ placet,
Artusque variè jactat incertus dolor.
Nunc ut soluto labitur moriens gradu,
Et vix labente sustinet collo caput.
Nunc se quieti dedit, et somni immemor
Noctem querelis ducit; attolli jubet,
Rursùmque poni corpus, et solvi comas
Rursùsque fingi, semper impatiens suî
Mutatur habitus, etc.

Quod idem in valdè dolentium animo reperies, si attendas. Dolore namque vehementi animum occupante, variæ cogitationes exsurgunt pro affectuum quoque varietate. Idem etiam apud nonnullos vates reperiri dicendum est, in quibus non est una à principio libri ad finem usquè vaticinatio contexta; sed apud aliquos Prophetas est ex centonibus vaticinationum unus consutus, prædictionum liber. Quod in Apocalypsis explanatione observandum esse, quamvis potissima christianæ reipublicæ ab obitu Christi usquè ad mundi finem prædicantur, ostendam alio loco, si Deus concedat, manifestè. Sunt quoque apud Paulum ejusmodi digressiones frequentes, ex quo in ejus Epistolis magna existit obscuritas. Docet quidem Aristoteles, 8 Topicorum, ut si in disputatione alicujus problematis alterius obscuri incidat quæstio, illam omittamus, ne alterum problema alterius explicatione perturbetur, et neutrius sensum percipiat auditor. At id Paulus divino ductus spiritu non observat, ut notavit Theophilactus in 1 Corinth. cap. 11, explicans illa: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* Undè OEcumenius eadem disserens verba: De Dominicâ quidem cœnâ erat ipsi sermo, sed quoniam in aliquem mysteriorum sermonem incidit, quâdam verborum consequentiâ, quæ proposita sunt, recto ordine disponit. Nam is mos erat Paulo quæcumque interìm inciderent, aut intersererentur, disponere. Hujus apostolicæ consuetudinis aliquot exempla accipe: 1 Cor. cap. 5, de fornicario agens multa interserit de ejusdem resipiscentiâ. Posteàque ad intermissum sermonem regreditur, cùm ait: *Scripsi vobis in epistolâ, ne commisceamini fornicariis*, etc. 1 Tim. cap. 3, multa disputârat de diaconis, cùmque de eorum uxoribus interseruisset multa, ad eosdem redit diaconos similiter pudicos. Et posteà: *Diaconi sint unius uxoris viri.* Et in ejusdem epistolæ cap. 5, cùm dixisset: *Manus nemini citò imposueris*, nonnulla miscet de castitate servandâ, et vini usu moderato: rursùsque revertitur ad id, quod de non facilè ad ordinationem admittendis præmiserat, subjungit enim: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium*, etc. Et ad Titum 1. *Sunt*, inquit, *multi inobedientes, vaniloqui et seductores, maximè qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui.* Et subdit: *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta.* Illud (ex illis) non de Judæis intelligas, de quibus proximè locutus fuerat. Epimenides enim nequaquàm ex circumcisione, sed ad Cretenses referendum est, de quibus superiùs institutus sermo, cùm diceret: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ*, etc. Sed quid moror? Quod ad hoc transitûs genus

spectat, dilucidè nobis explicuit sanctissimus magnusque Gregorius lib. 5 Moral. cap. 29. Dubitabat sanctissimus Pater quomodò cohærerent illa Eliphaz apud Job, cap. 5: *Qui reliqui fuerint auferentur ex eis* (quod de hominibus à seculi proceribus parvi habitis, et despectis à Deo, aut in divinæ potentiæ ostentationem relictis interpretatur Gregorius), cum eo quod sequitur : *Morientur, et non in sapientiâ :* Si enim, inquit, à reprobis divinitùs auferuntur, quo pacto mori non in sapientiâ dicuntur? Respondet hisce verbis: Sed nimirùm sacræ Scripturæ consuetudo est, ut cùm aliquid narrat, interpositâ alterius causæ sententiâ, ad superiora protinùs redeat. Nam postquàm dixit Eliphaz : Et quia nullus est qui intelligat, in æternum peribunt, electorum mox sortem subintulit dicens : *Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis*, et rursùm sententiæ suæ oculum, in eum, quem prædixerat, interitum reproborum mittens, subitò adjunxit: *Morientur, et non in sapientiâ.* Ac si diceret : Hi, quos dixi, quia non intelligentes in æternum peribunt. procul dubio non in sapientiâ morientur. Sed hunc esse morem sacri eloquii meliùs ostendemus, si ex eo aliquam hujus rei similitudinem proferamus. Paulus namque Apostolus, cùm dilectum discipulum de instituendis Ecclesiæ officiis admoneret, ne quos fortè ad sacros ordines inordinatè proveheret, dixit: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis ; teipsum castum custodi,* qui ad infirmitatem ejus corporis protinùs verba convertens, ait : *Noli adhùc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum et frequentes infirmitates tuas.* Statìmque subjungit, dicens : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium, quorumdam autem et sequuntur.* Quid ergò ad illud pertinet, quòd ab infirmo aquam bibi prohiberet, hoc quod de peccatis absconditis quorumdam hominum manifestisque subjunxit? nisi quòd interpositâ de ejus infirmitate sententiâ, ad hoc in extremo redit, quod superiùs dixerat : *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Hæc et plura, quæ sequuntur in eamdem sententiam, Gregorius, vel hoc solùm alumno felix Benedictina familia, quidquid invidus Baronius tantæ familiæ tantum splendorem conetur adimere. Sed excusationem habet invidia Baronii ; tantus enim est Gregorius, ut meritò ab omnibus invideri possit. Consule etiam Gregorium Nyssenum tract. 2 in Psalm. 5, cap. 10, de Diapsalmate in principio.

Solere quoque sacras litteras de duabus aut tribus rebus aliquâ ratione affinibus mixtìm dicere, earumque rationes exponere, non explicato, quæ quibus respondeant, quod aliud transitùs genus dici non ineptè potest, indubitatum est, nec de eo nunc agimus. Observavit illud M. meus Luysius Legionensis in Abdiam, explicans difficilem locum apud Lucam : *Testificamini et consentitis*, etc., ex istâ observatione dilucidum. Et ego in eâ disputatione quam de Agno typico superioribus diebus in lucem emisi, cap. 36, ex eâdem observatione, cap. 16 Deuteronomii, ut antè me nullus, aliosque sacrarum litterarum nodos explicui facilè et abundè. Ex eoque facilè lucem accipiet Matthæus cap. 10, in quo de Apostolorum missione et ad gentibus omnibus annuntiandum Evangelium, et de peculiari destinatione ad oves, quæ perierunt domùs Israel, fit sermo. Quid fieri oporteret, in utrâque mixtim traduntur, distinguenda tamen ut cohæreant. De primâ quidem missione ad oves Israel, illa mihi dici videntur : *In viam gentium ne abieritis,* usque ad illa : *Tolerabiliùs erit terræ Sodomorum aut Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.* Ab illis autem : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum,* quæ sequuntur usquè ad illa : *Qui perseveraverit usquè in finem, hic salvus erit,* ad secundam missionem faciendam posteà pertinere existimo. Tradendos enim prædicit in testimonium antè reges et præsides, futuros odio omnibus hominibus, quæ haud dubiè in secundâ Apostolorum missione ad gentes contigerunt. Illa verò : *Cùm autem persequentur vos in unâ civitate, fugite in aliam: Amen dico vobis, non consummatibis civitates Israel, donec veniat filius hominis*, non ad proximè præcedentia, sed ad ea, quæ de primâ missione ad oves Israel dicta sunt, pertinere quis non videt? Nam in eâ nihil illis defuturum prædixerat, et ab unâ civitate in aliam fugiendum admonet, non declinandæ mortis gratiâ, quæ in eâ primâ Apostolorum excursione non imminebat ; sed, ut ad eam, ad quam confugerent, deferrent Evangelii nuntium. Nec verò eam missionem ad oves Israel absolvendam addit : *priusquàm ipse filius hominis veniat in regnum suum*, id est, immortalis resurgat, ac toti mundo Evangelii prædicandi potestas fiat.

Est etiam in more positum apud sacros vates, cùm de corpore mystico, imperio videlicet, aut republicâ, aut Ecclesiâ vaticinati cœperunt, ea dicere, quæ non omnia ad quodlibet ejus membrum, vel aliquod referri debeant. Sed nunc de hâc, nunc de illâ parte reipublicæ, nunc de toto corpore loquuntur, et quæ-

dam dicant, quæ huic parti, quædam quæ illi, alia quæ toti accommodari debeant, sine ullâ tamen distinctione, sed promiscuè; ubi benè nasuto interprete opus est, qui id olfaciat et distinguat. Quod non impropriè transitus dici potest. Verùm neque de hoc agimus in præsenti, quamvis ex hâc unâ observatione mirum est, quàm magna difficillimis sacræ Scripturæ testimoniis inferatur lux, quæque in alia commodiora tempora reservo, ne, quod sacrarum litterarum studio assiduo atque lectione dedici, in ipso statim vestibulo videar ostentare. Id ergò tantùm agimus, an in eâdem ratiocinatione duo sibi præcinenda aliquandò proponant vates, quorum unum sit typus alterius, et ab uno digrediantur ad aliud : Multis sacrarum litterarum testimoniis utilissima disputatio.

CAPUT II.

Explosâ sententiâ negante affirmans probatur autoritate Patrum et Doctorum.

Nonnulli, inter quos est Cajetanus præfatione in Psalmos, hanc distinctionem rerum et vaticinationum tollunt, nec miscere vates plures et diversas res putant, aut in unam eas prædictionem conjicere, sed quâ de re à principio dicere instituerunt, eam ad extremum exequi nullo interrupto filo. Idem quoque sensit Franciscus Ribera Comment. in Abdiam Prophetam, et in Epist. ad Hebr. Nam si secùs, eveniret profectò, ut in sensu historico sacri vates ab historiâ recederent, et cùm historiâ allegorias miscerent, omnia turbarentur, ac sacræ litteræ insolubilibus difficultatibus implicarentur. Quarè aliud interpretandi genus simplicius videtur et apertius.

Nobis tamen placet id in vatum scriptis sæpè contingere, nullamque meliorem regulam hactenus et inventam ad plurima prophetarum vaticinia expedienda verissimè et simplicissimè. Intelligamus tamen in hâc explanandi ratione nequaquàm allegoricum sensum confundi cum historico, aut jura sensuum violari, quin potiùs intrà historiæ sensum continere se, nec alterius cujusquam intelligentiæ fines invadere. Nam cùm ea dicuntur, quæ typo conveniunt, historicus sanè sensus est, typo quadrans; cùm verò ad id, quod adumbratur, gradus fit, historicus etiam sensus est, neque enim tunc ullus alius historicus, cùm de typo nequaquàm agatur, sed ea dicantur quæ rei adumbratæ tantummodò convenire possint. Itaque non est in sensu historico ab historiâ recedere, sed ipsam variare notis rerum, de quibus præcipuè agunt, et ex unâ earum, quæ vati ad dicendum propositæ sunt, personâ aut gente, ad aliam personam aut gentem transilire. Hoc interpretandi genus è recentioribus secutus est M. meus Luysius Legionensis initio Comment. in Abdiam, Pintus in Dan. cap. 11, Leo Castrensis (nescio quàm sibi constans) Isai. cap. 17, Perer. lib. 14 Comment. in Dan., Sebastian. Perez, episcopus Oxomensis, vir judicio, integritate, et doctrinâ præstans, cujus longam commemorationem facerem, nisi properarem ad alia, in lib. Reg. de sensùs sacræ Scripturæ regulâ 10, Antonius de Guevarâ Habacuc cap. 2, num. 4. Et tandem Gab. Vazq. Bellomontanus è societate Jesu, qui nuper excessit è vitâ non sine ingenti rei theologicæ damno, in quo cum summâ eruditione multâ reconditâque lectione vigebat ingenium acre et acutum. Is ergò ità docet, 1 part. dist. 16, cap. 4.

Sed numquid recentiores isti hoc explanandi genus excogitârunt, sibique finxerunt, quo difficilium vaticinationum exitum invenirent? Minimè sanè, sed acceperunt à Patribus, qui dati reipublicæ christianæ in exemplar morum, et in exponendis sacris litteris, et depromendis earum abditis sensis præceptores et duces. Primùm in hanc palæstram adduco, quem alium ex Ecclesiæ doctoribus nisi primum; nisi qui antistat omnibus, et quasi sol refulgens refulsit in templo Dei : hìc meliùs illud Horatii :

> Micat velut inter ignes,
> Lunæ minores.

Hìc meliùs illud Virgiliani pastoris :

> Verùm hic tantùm alios inter caput extulit omnes,
> Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Augustinum dico, qui, lib. 20 de Civitate Dei, cap. 21, docet locutiones tropicas in Prophetis veritati misceri, ut ad intellectum spiritualem intentio sobria, cum quodam utili et salubri labore perveniat. Spiritalem intelligentiam vocat Augustinus, non quia tunc sensus sit spiritualis, sed quia in allegoriâ rerum erat spiritualis, et quia præcipuè inspectus ab spiritu harum litterarum auctore. Et de unitate Ecclesiæ libro unico, cap. 8, in Psalm. 70, fatetur quædam de Salomone, de quo Psalmus inscribitur, dicta esse, contendit tamen quædam ità esse dicta, quæ de Christo dici contrà ipsos Judæos constantissimè defenduntur à nostris. Sed et apertissimè idem Augustinus, lib. 3 de Doctrinâ Christianâ, cap. 34, dùm exponit quartam Ticonii regulam, cùm dixisset multa, quæ omitto, ne longior sim, concludit : « Hìc

« ergò Israel spiritualis ab illo Israel carnali, « qui est unius gentis, novitate gratiæ, non nobilitate patriæ, et mente, non gente distinguitur. Sed altitudo prophetica, dùm de illo, « vel ad illum loquitur, latenter transit ad « hunc, et cùm jam de isto, vel ad istum loquatur, adhuc de illo, vel ad illum loqui « videtur, non intellectum Scripturarum nobis quasi hostiliter invidens, sed exercens « medicinaliter nostrum, etc. » Augustinum sequatur Hieronymus, lib. 3 Comment. in Isaiam cap. 16. Ità inquit : « Omnis autem « Prophetia ænigmatibus involvitur, et præcisis sententiis, dùm de alio loquitur, transit ad « aliud, ne, si ordinem Scriptura conservet, « non sit vaticinatio, sed narratio. » Et cap. 11 Dan. ex Patrum sententiâ inquit : « Cùmque multa quæ posteà lecturi, et expositurí « sumus super Antiochi personâ non conveniant, typum eum volunt esse Antichristi, « et quæ in illo ex parte præcesserint, in Antichristo in toto esse implenda. Et hunc esse « morem Scripturæ sanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in typis, juxtà illud, quod « de Domino Salvatore in Psal. 70, dicitur : « Qui prænotatur Salomonis, et omnia, quæ « de eo dicuntur, Salomoni non valent convenire. » Accedat Hieronymo Theodoretus in cap. 11 Dan. quâ scribit : « Quoniam igitur « in regno Græcorum aut Romanorum multa « sunt similia, ideò mixtè de illis Daniel loquitur miscens et confundens ea, quæ conveniunt Antiocho, cum his quæ pertinent « ad Antichristum. Oportet igitur lectorem ad « ea distinguenda perspicacem esse, ut sciat « quid et de quo propriè dicatur unumquodque. Simile hujus cernere licet in doctrinâ « Evangelicâ apud Matthæum. Cùm enim « Christus dixisset templum Hierosolymitanum « usquè adeò destructum iri, ut non esset relinquendus lapis super lapidem, interrogantibus illum discipulis, quandò hæc erunt, et « quod signum adventûs tui, duplici eorum « interrogationi, duplex item Christus, sed « promiscuum mistumque dedit responsum, « simul ea dicens, quæ Hierosolymis eventura « essent, et quæ in consummatione seculi futura erant. Interest autem eorum qui in « divinis sunt initiati mysteriis, quæ his et illis sunt congruentia temporibus et personis « benè discernere. » Hactenùs Theodoretus. Theodoreto succentat Hilarius in Psalm. 126 et 146, in principio. Eamdem rem his omnibus antiquior attigit Clemens Alexandr. lib. 5, Strom. cap. 6, in principio : « Aliter quoque « acceperis musicam consonantiam, nempè « ecclesiasticam legis et Prophetarum simul, « et Apostolorum unà cum Evangelio, et concentum, qui in uno quoque Prophetâ est positus, dùm ab unâ personâ ad aliam transi« litur. » Posteriora hæc frigidè, imò ineptè interpretatur Gentianus Hervetus in Commentario, id est, dùm loquenti patri mox succedit loquens filius. Gentiane, non ità, sed quia à Salomone, verbi gratiâ, vel Davide ad Christum transilitur. Suffragatur quoque Gregorius Nyssenus hom. 6, in cant. col. 7, in illa : « En « lectulum Salomonis : atque, inquit, quod « ex historiâ quidem de lecto verba fiant, cuivis fuerit perspicuum per ea quæ de Salomone scripta sunt historicè et corporaliter, « cujus et regnum, et mensam, et reliquum in « regno apparatum, vitæque totius diligentissimè et accuratissimè descripsit liber Regum. Propterea autem quòd dixit novum « quiddam et alienum de lecto, consentaneum « est omninò esse necesse expositionem non « manere in litterâ, sed aliquam accuratiorem « comprehendere intelligentiam mente abductâ « à materiali significatione ad spiritualem « verbi contemplationem. Quis enim lecti nuptialis fuerit ornatus ex sexaginta armatis? « etc. » E quibus omnibus ea deducitur in hoc interpretandi genere servanda regula : quoties de Salomone, verbi gratiâ, instituto sermone ea interseruntur, quæ Salomoni non quadrent, ad alium in Salomone expressum gradus fit. Denique hanc explanandi rationem contrà Theodorum Mopsuestenum episcopum approbavit Ecclesia in Concilio Constantinopolitano quinto, confessione sive collatione 4. Existimabat ille nullam in Psalmis, verbi gratiâ, de Christo mentionem esse, sed cujus Psalmi unus versiculus de Davide intelligeretur, totum ad litteram de Davide explanandum, nihil ibi de Christo. Hæc enim habet inter alia : « Sed non volentes istà considerare, voces omnes trahere ad Dominum tentant Christum, « ut quæ de populo facta sunt, simili modo intelligerent, et risum præstarent Judæis, « quandò ex scriptorum sequentiâ nihil ad « Dominum Christum pertinentes ostendunt « voces : » Et post alia inferiùs : « Eumdem « intellectum habet et illud : *Diviserunt sibi « vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* » Quòd enim Psalmus nullatenùs convenit Domino, certum est. Neque enim erat Domini Christi, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus dicere : Longè à salute meâ verba delictorum meo

rum. Quarè censebat ille testimoniorum in Testamento citationem accommodationem tantùm quamdam esse ad Christum, ejus quod suprà modum, hoc est, hyperbolicè dictum fuerat à Davide. At quàm facilè nos expedimus, et extricamus nostro interpretandi genere !

CAPUT III.

Idem tribus ex libro Psalmorum productis testimoniis comprobatur.

Superest ostendamus re ipsâ, nonnullis ex sacris litteris productis testimoniis, in quibus hæc explanandi ratio necessariò videtur admittenda. In primis autem adverto duo extrema in Psalmorum interpretatione evitanda. Unum Theodori, qui nihil ad Christum volebat pertinere. Alterum quorumdam ex nostris, qui scrupulosi nimis, et dùm valdè pii haberi volunt, omnia referentes ad Christum, et Judæis nostræ fidei hostibus, et cordatis hominibus ansam præbuerunt irridendi. Optimè et maturè Isidorus Pelus. lib. 2, epist. 195, de omni veteri Testamento : « Qui universum vetus « Testamentum ad Christum transferre conan- « tur, reprehensione minimè carent, si qui- « dem et gentilibus et hæreticis illis, qui id « repudiant, in suâ adversùm nos concerta- « tione robur suppeditant. Nam dùm ea, quæ « de ipso minimè dicta sunt, per vim intor- « quent, hoc efficiunt, ut quæ de eo haudqua- « quàm contortè dicta sunt, in suspicionem « veniant. Per quæ enim illi hos, ut verborum « sensum intorquentes evertunt, per eadem « in his quoque, quæ perspicuè de eo dicta « sunt, superiores esse existimant. Ego verò « necessariò utrumque contigisse aio, nempè « nec cuncta de ipso dicta esse, nec rursùm nul- « lum omninò de eo sermonem habitum fuisse. « Hoc enim conducebat, ut nec omninò de « Christo apud eos homines, qui de Deo etiam « ac Patre ambigebant ac dicebant : Fac nobis « deos, verba fierent; nec rursùs, tùm ad « convincendos Judæos, qui fidem minimè « adhibituri erant, tùm ad eorum, qui credi- « turi erant, confirmandam spem, omninò si- « leretur. » Similia habet lib. 3, epist. 339.

Ordiamur ergò à Psalm. 15, in quo egregius Psaltes David, cùm quædam de se dicere cœpisset, deque egregiâ suâ possessione cœlesti, quam sibi optabat unam, nonnulla adjicit à se aliena, Christi autem et morti, et resurrectioni ad amussim convenientia. Nam certè totum istum Psalmum de Davide ad litteram intelligendum esse, nonnulli ex nostris in hâc re parùm nostri voluerunt, cum Mopsuesteno Theodoro, ferri non potest. Petrus enim Apostolus Act. cap. 2, ità Psalmum istum interpretatur, ut ejus pleraque soli Christo convenire affirmet. Audiamus Petrum resurrectionis mysterium comprobantem eo Psalmo, et divino plenum spiritu divina quoque nobis arcana edisserentem. David enim dicit in eum : « Providebam Dominum in conspectu meo « semper, quoniam à dextris est mihi ne com- « movear. Propter hoc lætatum est cor meum, « et exultavit lingua mea, insuper et caro mea « requiescet in spe. Quoniam non derelin- « ques animam meam in inferno, nec dabis « sanctum tuum videre corruptionem. Notas « mihi fecisti vias vitæ, replebis me jucundi- « tate cum facie tuâ. » Subjungit Petrus inducens testimonium Davidis : « Viri fratres, li- « ceat audacter dicere ad vos de Patriarchâ « David, quoniam defunctus et sepultus est, et « sepulchrum ejus est apud nos usquè in ho- « diernum diem. Propheta igitur cùm esset et « sciret, quia jurejurando jurâsset illi Domi- « nus de fructu lumbi ejus sedere super sedem « suam, providens locutus est de resurrec- « tione Christi, quia neque derelictus est in « inferno, nec caro ejus vidit corruptionem. » Et probat Petrus de Christo testimonium esse; quia David sepulchrum eo tempore visebatur, et ejus caro corruptionem viderat, in cineres redacta fuerat, ejusque rei tot esse testes quot inspectores. Non ergò de se David illam Psalmi partem affirmavit verè, inquit Petrus, sed de Christo, quem in Davidico in æternum sessurum et regnaturum throno Dominus ipsi non sine juramento promiserat. Petrus nequaquàm de Davide, sed de Christo tantùm hanc Psalmi partem intelligi debere affirmat, et credemus hebraizantibus, qui id in Davidem quadrare somniant ! Petrus indè suam argumentationem producit, et Christi resurrectionem probat, quia caro David vidit corruptionem, in favillas redacta : et isti verè de se Davidem affirmâsse dicunt, *caro mea non videbit corruptionem!* Sed valere sinamus istos, qui tenebras amant in meridianâ luce. Igitur prima pars Psalmi ad Davidem pertinet. Scio Latomum, Genebrardum, et alios, etiam priorem illam partem ad Christum referre, non aliâ majori ratione ductos, nisi quia etiam Christus eam verè de se posset affirmare. Sed contrà ego, quia in Davidem quoque illa cadere conspicio, sine ullâ vi, Davidem de seipso loqui censeo, nec mirum si conveniant simul Christo. Nam quæ de typo dicuntur, quà typus est, et typo et rei adumbratæ conveniunt ; typo

quidem historicè, adumbratæ verò mysticè et allegoricè. Ab eo autem versu : *Propter hoc est lætatum cor meum,* incipit jam erigi mens Prophetæ ad Christi, quem in seipso contemplabatur, cujus se imaginem et typum divino agnoscebat spiritu, resurrectionem prædicandam, et litterali sensu ad Christum pertinent. Quod et Hebræorum doctores agnoverunt, et inscriptio ipsa non obscurè significat, quæ est, Michtam Davidis : Michtam autem, si duæ dictiones sunt, ut eas accepisse ex veterum Hebræorum sententiâ videtur Hieronymus, humilem et simplicem significat, ut ipse Hieronymus vertit, quibus docetur hunc Psalmum de eo « præcipuè Davide dici, qui, ut de se ipse « testatur, suprà communem modum humili « atque miti corde præditus fuit, hoc est, de « Christo Domino. Sin autem una vox est, ea « aureum quiddam et egregii operis significat. « Itaque alii eo coronam auream, alii citharam cælatam auro, alii columellam cælaturis egregiè ornatam, alii quæ optimè ac solertissimè facta cælatura sit, significari dicunt, quæ omnia Christo mirè conveniunt. « Vel certè iste Psalmus inscribitur Davidis « egregia cælatura, ut quomodò cælaturis superinductis effigiari vas solet, sic ea continet « hic Psalmus, quæ pertinent ad eam Christi « partem, quæ ipsius quasi aureæ divinitati superinducta, ad nostram naturam effigiavit « ipsam, id est, ad cælaturam Davidis, hoc est, « ad naturam humanam Christi. Nam quod « proprium illius naturæ humanæ fuit, in hoc « Psalmo de morte Christi, de reditu ad vitam, « de piorum salute, quam morte suâ, et ad « vitam reditu operaturus erat, apertè prædicit. Vel denique egregia dicitur cælatura « Davidis Psalmus iste, ut vas aureum cælaturis argenteis exornatum adfabrè, ut duos « hujus Psalmi bonæ partis sensus ostenderet, « et solum aurum inter cælaturas argenteas, « hoc est, sensum reconditum inter historicum « de Davide, emicare, et proferre sese, et apparere sine ullo argento, sed purumputum, « quale ipsum est, hoc est, transitum à Davide « egregiâ cælaturâ et cancello ad Christum, « cujus caput aurum optimum perhibetur in « Canticis. Hæc enim verborum periphrasis « utrumque sensum significat. R. Moyses in illo « Proverbiorum cap. 25, in quo vulgatus : « *Mala aurea in lectis argenteis*, dùm legit et « ait, apud Galatinum lib. 5, cap. 6 : Scis rursùs, quòd dixit Sapiens poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum secundùm ambas facies suas : cancellaturæ argenteæ sunt retiacula argentea, in quibus « oculi sunt minutissimi, penetrabiles tamen « visu. Est ergò sensus quòd verbum dictum « secundùm ambas facies suas, id est, secundùm interiorem et exteriorem sensum, est sicut pomum aureum in retiaculo argenteo, « ac si dicas necessarium esse, ut si sensus « exterior pretiosus et bonus, velut argentum, « interior verò multò melior, sicut aurum. « Necesse quoque est, ut sit aliquid in exteriori « sensu, quod ducat considerantem ad interiorem; quemadmodùm pomum aureum vestitum retiaculo argenteo, cùm procul respicitur, vel absque multo intuiti totum videtur « argenteum, cùm habens visum accesserit « provocatus argenti decore, videbit profectò « aureum pomum intùs latere. Sic sunt verba « Prophetarum. » Hæc Hebræus.

Addamus etiam aliud ex Psalm. 88, cujus initium : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Magnam ejus partem insumit David in celebrandâ Dei misericordiâ, à quâ ortum est, ut et populum sibi peculiarem designaret, et in eo populo Davidem eligeret, ex humili et pastoritiâ vitâ, ad regni culmen eveheret; concideret à facie ipsius inimicos ejus et poneret thronum ejus, sicut dies cœli; futurumque simul, ut quamvis peccata populi excrescerent, et iram Dei efflagitarent, eos, quamvis aliis pœnis affligeret, aliis suppliciis afficeret, non tamen eò puniturum, ut misericordiam semel promissam dispergeret ab eo, privaret populum hoc Davidis nepote, qui regnum ejus perpetuò conservaret. Hæc cùm dixisset, animo contemplari cœpit casus populi judaici varios, bella, captivitates, excidia, et in eo ærumnoso populo majori luce perfusus, agnoscens promissum Christum, ità populi calamitates enumerat, ut ad Christi ignominias, et infame lethum, nobis gloriosum et salutare gradum faciat. Ab illis ergò verbis : *Tu verò repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum*, de utroque agit, et vaticinationem ex utroque miscet. Quædam dicit, quæ populo accommodes facilè; quædam de Christo, cujus variè ab hominibus excruciati antè oculos observabatur imago in populo ærumnoso depicta, quæ populo Judæorum nequaquàm conveniant, si planè sine vi et simpliciter interpreteris, in Christum autem apprimè cadant. Et quidem Hebræi ipsi antiquiores, quamvis inimici nostri, pro nobis suffragium ferunt. Nam R. Abraham super ultimum versum hujus Psalmi : *Benedictus Dominus in æternum, Amen, Amen*, sic ait : *Sensus est, quòd Psalmista vidit per Spiritum sanctum adventum*

Messiæ, quamobrem dedit laudes nomini, id est Deo. Fuit autem quidam magnus sapiens et bonus homo, eratque sibi Psalmus iste gravis, ità quod non legebat ipsum, nec poterat ipsum patienter audire, eò quod Psalmista loquitur hìc gravia contrà Deum. Refert glossam istam hebraicam Victoria contrà Judæos part. 1, cap. 16, Raimundus in suo pugione pag. 3, dist. 3, cap. 3. Ex quâ glossâ constat hæc gravia, quæ dicuntur, de Rege Messiâ intelligi debere. R. quoque Abenezra in istum Psalmum sic ait : *Usquequò, Domine, occultabis te ex unâ parte, vel ex uno angulo, aut vertice, ac si tu sis occultatus, ità quòd non videas mala Messiæ tui, sed exardescat sicut ignis ira tua?* Hoc testimonio prædicti doctores contrà Judæos utuntur. Quòque magis quàm aptè hæc de Christo dicantur, videri possit, breviter percurramus varias divi Hieronymi, Psalserii Romani, et aliorum translationes inter se conferentes, ex quibus ista majorem lucem accipient : *Tu verò*, inquit, *repulisti et despexisti, populum* videlicet *abominatus es;* vertunt alii, propter eorum scelera, quæ exigebant, ut differret Christi promissionem : *Evertisti Testamentum servi tui, populum istum variè affligendo,* videris *oblitus fidei et promissionis.* Quæ item de Christo dici verè possunt, ergà quem cùm illudi, flagris cædi, ac tandem cruci affigi permitteret, quasi irati, et odio habentis personam sustinebat. Sed addit : *Profanàsti in terrà Sanctuarium ejus.* Quæ quis non videt ad Christum mirè referri, cujus profanatum diadema illi soli jure debitum, cum spineâ ejus capiti insertâ coronâ. Addit : *Destruxisti omnes sepes* ejus. De populo ista, alluditque ad vineæ allegoriam, cui sepem circumdedit bonus agricola. Sequitur : *Posuisti firmamentum ejus formidinem.* Hieronymus : *munitionem ejus pavorem.* Quis hìc non videt Apostolos fugientes depingi, præcipuè Petrum, qui præ cæteris pollicitaverat, *etiamsi omnes scandalizati fuerint, etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Negavit profectò antè galli cantum, extimuit inermis puellæ exilem vocem : munitio versa est in pavorem, et quod se obtulerat firmamentum, formidavit. Vel aliter : Firmamentum vocat naturam Christi humanam, de quâ David alio in loco : *Erit firmamentum in terrâ, quam posuit Deus in formidinem*, cùm ad ejus nutum et voluntatem, quia ad veritatem naturæ manifestandam expediebat, cœpit pavere, extimescere, et mortem formidare. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, et factus est opprobrium vicinis suis.* Rectè in Judæorum afflictam rempublicam cadunt, ut et aliis in locis eisdem ferè verbis testatum reliquit idem Psaltes. Rectè quoque in Christum, cùm Evangelista dicat : *Et qui præteribant blasphemabant.* Illud quoque : *Exaltàsti dexteram deprimentium eum et lætificàsti omnes inimicos ejus*, quantà et hostes Judæorum, et Christi in eorum calamitatibus sunt lætitiâ perfusi, quàmque ingens patientibus malum, inimicorum læta facies hilaris et gestiens vultus ! Sequitur : *Avertisti adjutorium gladii ejus*, de Christo tantùm intelligo. Verbum, quod est in hebræo, et petram, et gladium quoque significat. Undè rectè : Avertisti gladium petræ ejus, vel, peram gladii ejus, quibus retusam aciem gladii, quo Petrus Malcho lethale inferre parabat vulnus, quis non agnoscit ? Subdit : *Destruxisti eum ab emundatione*, vel : *Destruxisti carnem mundam ejus; quiescere fecisti carnem mundam ejus,* vertit Hieronymus, quæ Christum flagellatum, ejus carnes disruptas, ossa inter sanguinis eluviem albicantia nobis repræsentant. Quid ? Non illud apertè cadit in Christum, *Minoràsti dies temporis ejus ?* Vertit Hieronymus : *Abbreviàsti dies adolescentiæ ejus.* Quàm verè ! Finivit enim Christus vitam antè expletum trigesimum quartum ætatis annum, cruci affixus, nudus, opprobriis et blasphemiis plenis auribus, ità ut verè ab egregio Psalte dictum sit : *Et perfudisti eum confusione.* Quæ ità à me exposita volo, Patres, ut nulli aliorum expositioni præjudicent.

Sed et in Psalmo 77, nescio quid mysterii ex hâc interpretandi ratione subodoror. Cùm David ingrate populo collata beneficia percenset, ne ingratiores existerent posteri, inquit : *Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum ; panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantiâ.* In illo judaici populi mannâ, perquàm celebri, augustissimæ Eucharistiæ imaginem quamdam, quis est ex Ecclesiæ Patribus et Doctoribus qui non agnoverit ? Omitto testimonia, ne de rei apertissimæ veritate, dùm illam valdè stabilire conor, videar dubitare. David igitur, cùm inter beneficia ergà populum illum è Dei liberalitate profecta recenseret manna, excitatur ejus animus divino impulsu, illustratur quodam superiori lumine, et in illo cœlestem hunc, in quo Christi caro et sanguis verè continetur, eversâ panis substantiâ, cognoscens, ad illum sermonem et orationem convertit, breviterque ità describit, ut oculatus tanti mysterii testis videatur potiùs, quàm Propheta. Aliquid certè inserit narrationi suæ

quod de vetere mannâ dictum haudquaquàm mihi persuadere potuerunt, qui hanc Psalmi partem de mannâ ad litteram interpretantur. Itaque illud : *Mandavit nubibus desuper et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum*, de veteri illo cibo ad litteram dictum esse non dubito. Quæ verò sequuntur : *Panem cœli dedit eis; panem Angelorum manducavit homo*, quamvis si in improprià significatione accipiantur, manna convenire valeant, attamen si propriè accipiant, nequaquàm congruunt. Vox enim, quæ subest illi, panis, non utcumque panem, sed triticum significat. Manna autem nequaquàm triticum, sed quasi semen coriandri album, ut habetur Exod. cap. 16 et Num. 11. Quod tamen de Eucharistiâ nostrâ asseritur verè, cùm triticum materia sit, ex quâ conficitur, et tritici accidentia perseverent. Nec manna Angelorum pan's dici propriè potest; nostra verò Eucharistia propriissimè, cùm cecinerit divus Thomas, et usurpârit Ecclesia : *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum*, ut interìm omittam elegans Dionysii testimonium. Quòd si verba ista de mannâ intelligi, nisi impropriè non possunt ; de Eucharistiâ verò omni servatâ proprietate et rigore intelliguntur, de Eucharistiâ ad litteram interpretanda planum erit, si adjungas etiam sæpè repetitam regulam Augustini, et omnium approbatam consensu, quâ docet sacræ Scripturæ verba impropriè accipienda non esse, nisi quandò propriæ verborum explicationi non est locus. Sed et ulteriùs probo de Eucharistiâ ad litteram accipienda ista Christi testimonio, de se tantùm istam Psalmi partem intelligentis. Nam Joan. cap. 6, sic habetur : « Respondit Jesus et dixit eis : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Dixerunt ergò ei : Quod ergò tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : *Panem de cœlo dedit eis manducare.* » Ecce de mannâ intelligebant Judæi verbum istud. Sed audiamus Christum : *Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis : Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dabit vobis panem de cœlo verum. Panis enim verus est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ; ego sum panis verus qui de cœlo descendi.* Ecce cùm Judæi Christo dixissent avos et proavos manna in deserto manducâsse, idque comprobâssent isto Psalmi : *Panem cœli dedit eis;* respondit Jesus, *Amen, amen dico vobis*, etc., quasi dixisset apertiùs : Testimonium istud, quod pro vestrâ causâ adducitis, nequaquàm de tempore Mosaicæ legis, et de veteri illo mannâ dictum accipere debetis ; nec enim Moyses dat vobis panem de cœlo, id est, iste quem panem cœli nominat David, non est panis ille Mosaicus, sed panis vetus, quem dedit vobis Pater meus, dùm me panem verum, panem vivum, de cœlo misit in mundum. Adde etiam alia duo, quæ verum esse id quod dicimus, satis ostendunt. Primum est : *panem Angelorum manducavit homo.* Hieronymus, et episcopus Nebiensis transtulêre : *manducavit vir oriens,* quod Christi nomen est in sacrâ Scripturâ non infrequens. Christum autem seipsum manducavisse et bibisse, primùm ex Evangelio liquet. Alterum, Joannes à Toleto, ex Hebræis ad nostræ fidei veritatem conversus, in suo tractatu, tit. 6, de sacrâ Communione disserens, inquit : *Ubi nos habemus, panem Angelorum, in hebræo haberi vocem, quæ significat panem, qui totus absumebatur in membris, nullo prorsùs excremento derelicto, quod per corporis cloacas purgaretur. Nec faciebat,* inquit ille, *digestionem aliam. Hoc autem nulli pani, nulli quamvis defæcato cibo, ac delicato conveniat, nisi Eucharistiæ sacramento.* In omnibus enim pars aliqua substantiæ terreæ, quæ purganda et expellenda sit : hìc autem, cùm nulla substantia, nihil quoque, quod à membris ejectum, ut minùs bonum emittendum sit. Licèt enim panis iste divinus nutrire possit, ex divi Thomæ et theologorum sententiâ; tamen Clemens Papa et ibi glossa cap. tribus de consecrat. dist. 2, in secessum non vadere, ut ejus verbis utar, apertè testatur, quod ut videtis, in hâc Psalmi parte David vaticinatus fuerat. Sed ex Psalmis ista adduxisse sufficiat, quamvis suppetant alia multa.

CAPUT IV.

Ex Isaiâ nonnulla præferuntur ad idem comprobandum.

Exemplum etiam ad hujusmodi confirmationem illustre nobis offert Isaias, cap. 13 et 14, ubi de Babylonis excidio vaticinatur, ut cùm Hebræi ejus imperii eversionem audirent, de certo aliarum rerum prædictarum eventu non dubitarent, ut Chrysostomus et alii Patres admonuerunt. Ità tamen agit de Babylonis excidio, ut quoniam Babylonis nomen, non tantùm urbem Chaldæorum significat, sed etiam metaphoricè impiorum conventum, quædam dicantur, quæ Babyloni reverà conveniant, quædam verò de impiorum cœtu sub Babylonis nomine, quæ in propriam et veram Babylonem non cadant. Cui sententiæ scio re-

fragari eo loco Hieronymum et Theodoretum, qui allegoricè tantùm, ea quæ de supremo judicio et mundi conflagratione dicuntur, accipiunt; favent tamen mihi alii veteres Patres ferè omnes, Ambrosius lib. de El. et jejun. cap. 21, Chrysostomus in cap. 12 Matthæi, et tomo 5, in Paræn. priori ad Theodorum, Ephrem. in lib. de pœnit. Origen., tomo 2 in epist. ad Rom. cap. 4, Gregor. lib. 20 Moral. cap. 23, Cyprianus contrà Demetrianum, Basilius in eo Isaiæ loco, Eusebius, lib. 2 Demonstr. Evang. cap. 42. Hoc idem è recentioribus Leo Castrensis, hoc Forerius in Isaiam secuti sunt. Quædam enim ità dicuntur, quædam ità à Septuaginta translata sunt, ut neque Babylonis excidio, neque regi Babylonis ullo modo congruant. Sed res ipsa cogat de orbis inflammatione et malorum pœnâ ac de Lucifero interpretari. Itaque non inficiamur hìc agi de Babylonis excidio, et ejus imperii ruinâ, ità tamen id esse censemus, ut ab eâ gradum sibi faciat Propheta ad Babylonici, hoc est, impii cœtûs eversionem, et de eâ quædam dicat ab his, quæ verè Babyloni acciderunt aliena, aut in Babylone hactenùs nequaquàm adimpleta.

Sed priusquàm hoc caput breviter percurramus, et quid cuique rei conveniat, accommodemus, explicemus oportet (eo enim maximè nostra hæc interpretandi ratio stabilitur), an Babylon fuerit ità eversa, et æquata solo, ut solùm hericius, et struthiones aliaque hujusmodi animalia ruinas habitent. Si enim ostendero stare hactenùs Babylonem, planum profectò relinquam, hæc, quæ de eversione Babylonis vaticinatur Propheta, ad impiorum congregationis eversionem, et internecionem pertinere. Nam ut rectè Augustinus, quæ litteraliter non videmus impleta, intelligamus secundùm spiritum accipienda, et illum eumdem esse litteralem sensum. Involuta sanè res et explicatu difficilis, ab multorum, qui de hâc re scripserunt, varia et inter se pugnantia testimonia. Quamvis enim Babylonicum imperium eversum, et ad Persas translatum fuerit, ut futurum Isaias prævidit in cap. 21 et 44, notumque etiam sit, et ab Isaiâ hoc capite, et à Jeremiâ cap. 51, Babylonis vastitatem prædici; an tamen hactenùs ea illata Babyloni sit vastitas, dubium est, et perobscurum. Nam Hieronymus in cap. 25 Hieremiæ, et in cap. 14 Isaiæ, eversam Babylonem esse testatur, solùmque muros ejus relictos. At Theodoretus, Hieronymo coævus, ædificia remanere suo tempore docet, muris tamen carere. Quarè utrumque verum esse non potest. Strabo lib. 16 Geograph. Babylonis partem à Persis diruta censet, partem temporis injuriâ consumptam, negligentiâ quoque Macedonum, præsertimque, quia Seleucus Nicanor Seleuciam ad Tygrim condidit ad stadia trecenta Babyloni proximam. Sed certè sub Antiocho Epiphane illustrem fuisse Babylonem, statim ostendam. Fuit autem is septimus à Seleuco. Imò et post Christum Trajani tempore stetisse docebimus. Quarè sub Seleuco Nicanore eversam Babylonem, ità ut tantùm reliquiæ superessent, verum esse non potest, maximè cùm vates nunquàm in posterum ædificandam certissimè et apertissimè prædicat.

Verius igitur censeo non ad eam vastitatem et solitudinem redactam, quam hìc vaticinatur Isaias, et, quod ex eo fit, vaticinationis hujus partem, non ad Babylonem propriè dictam, sed ad universitatis impiorum eversionem, supremo tempore futuram pertinere. Cyrus in primis illam minimè vastavit. Euphratis quidem alveo diducto Babylonem obtinuit, et regem Baltasarem occidit; verumtamen neque urbs, neque ager vastata ab eo sunt, quin potiùs auctore Xenophonte, Cyrus, quamdiù vixit Cyaxares, Babylone commoratus est, edixitque Babyloniis ut agros excolerent ad regalia tributa et vectigalia pendenda. Sub Dario etiam Hystaspe Babylonem incolumem stetisse constat 1 Esdræ cap. 5, quin et tempore Artaxerxis, 1 Esdræ cap. 7. Tunc enim ascendit Esdras de Babylone. Alexandro etiam obviàm egressos babylonios sacerdotes cum muneribus, urbem cum arce et pecuniâ regi tradentes testis est Arianus lib. de Expedit. Alexandri, eumque ibi fato defunctum concors est omnium auctorum sententia; Demetrium Antigoni filium Poliorcetem, id est urbium expugnatorem, Babylonem expugnâsse, et septem delectorum hominum millia in urbe constituisse memorat in ejus vitâ Plutarchus. Interjectis post hunc multis regibus, Antiochum Epiphanem Babylone habitâsse Machabæorum subindicat historia, certè eo tempore stetisse Babylonem apertè manifestat. Trajanum multò post imperatorem Babylonem obtinuisse Eutropius, Dio, et alii historiæ romanæ scriptores tradiderunt. Sed et post Trajanum plus annis mille centum quinquaginta à regis Tartarum Metonis fratre Haalone expugnatam fuisse Aitonius Armenius, et Antonius Sabellicus Æneade 9, lib. 7, auctores sunt, cui etiam Joannes Tarcagnota consentit, 2 part. hist. mundi lib. 14, qui duo Baldacham hodiè appellari dicunt, exstareque

adhùc, sub hoc nomine multis hominum millibus illustrem. Thomas Minadoi in historiâ belli inter Turcas et Persas, ab anno Domini 1576, ad 85, Babylonis sæpè meminit. Quid? Babylone nasciturum Antichristum, atque in eo loco regnaturum primùm, docent auctor Operis de Antichristo, nomine Augustini, Hieronym. Dan. cap. 11, Anselmus in Elucidario, regnaturumque in Babylone multi colligunt ex illo Zachariæ cap. 5: *Et levaverunt amphoram inter terram et cœlum, et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quò isti deferunt amphoram? Et dixit ad me: ut ædificetur ei domus in terrâ Sennaar, et stabiliatur et ponatur ibi super basim suam.* Quod loco Septuaginta legunt in terrâ Babylonis. Excerpsimus ista ex multis, quæ ad idem comprobandum congessit Antonius de Guevara Habach. cap. 2, à num. 40. Non ergò hactenùs eversa Babylon, quæ regia primùm Antichristi futura, atque ideò in Babylone vera esse non potest hujus vaticinationis Isaiæ pars, sed de ultimo orbis incendio cum veterum Patrum communi sensu explananda erit; itaque illam breviter percurramus.

Onus Babylonis, Tristia prædicit Babyloni, et universo impiorum cœtui: *Super montem caliginosum levate signum.* Montem caliginosum Babylonem appellat, vel præ magnitudine urbis, vel certè propter hortos pensiles domibus imminentes, qui montium similitudinem referebant. Nabuchodonosor namque, adepto Babylonis imperio, in regio palatio ædificium fecit altissimum, lapideis columnis in maximam sublimitatem elatum, è quo non aliter, quam ex altis montibus prospectus pateret, in quo plantatis omnis generis arboribus fecit, ut paradisum haberet tùm re, tùm nomine pensilem. Atque id totum in gratiam uxoris, quæ quia in Mediâ educata erat, montoso situ maximè oblectabatur, ut Berosus, et Diodorus lib. 3, cap. 4, tradiderunt. Levate signum, è re militari sumptum, juxtà illud poetæ:

> Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
> Extulit.

Erat enim hoc genus militiæ, quod evocatio dicitur Servio in illum Virgilii locum: Exaltate vocem, id est, hortamini vos invicem ad pugnam; conclamabatur à militibus, ad arma, juxtà illud Ovidii lib. 14 Metamorph.

> Certatìmque omnes uno ore: Arma arma loquuntur.

Et illud Horatii, lib. 1 carm. Od. 35:

> Ad arma cessantes, ad arma
> Concitet, imperiumque frangat.

Levate manum, quâ scilicet venientes læti exciperent, id enim in more apud antiquos. Appositus testis Xenophon lib. 4, de instit. Cyri, quâ dicit: Tùm ille Cyrus misso ad ipsos Hircanos altero, jubet eis dicat, siquidem sint amici, quàm celerrimè sublatis dextris occurrerent. Infrà: Intereà nuntiis auditis Hircani gaudio efferri, equisque celeriter conscensis adesse, dextras, utì denuntiatum fuerat, prætendere Medi ac Persæ vicissìm porrectis dextris, eos excipere atque etiam animum ipsis addere. Hoc quidem sirempse puto cum isto: Levate manum. Ego mandavi sanctificatis meis. Firma quidem et stabilis contrà Babylonios sententia. Sanctificatos vocat hostes, quia Deum apud homines sanctificant, qui de sceleribus contrà Deum, et homines vindictam sumunt. Itaque ab effectu sanctificati dicuntur, ut illud et Horatii: Pallida mors. *Vocavi fortes meos, et exultantes.* Deo enim irato omnia præstò sunt, sicut enim tardè irascitur, ità quandò iratus animadvertere decernit, omnia ad nutum obediunt quàm celerrimè, cujus elegans exemplum est Isaiæ cap. 5: Vox multitudinis in montibus. Ingentes copias in Mediâ et Persiâ coactas ostendit. Vox sonitûs regum, unanimi scilicet consensu conspirantium Darii et Cyri. *Dominus præcepit militiæ belli*, etc. Hæc non de Babyloniorum hostibus, sed de dæmonibus et mundi excidio arbitror intelligenda, neque enim illud, à summitate cœli et omnem terram, et ea prodigia quæ sequuntur, in Babylonici imperii evenerunt excidio, eventura tamen et supremo tempore Christus in Evangelio testatus est, atque sic accepêre omnes quos suprà retuli, veteres Patres. *Et erit quasi damula fugiens*, etc. Redit ad institutam narrationem, et immanitatem in urbis expugnatione. At illa: *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbiâ Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam, et Gomorrham. Non habitabitur usquè in finem, et non fundabitur usquè ad generationem et generationem*, cum reliquis quæ sequuntur, non dicuntur de Babylone propriè, cùm illam manere ostenderimus, sed de impiorum conflagratione, et eorum pœnâ perpetuâ. Quibus similia alicui fortassis videri possunt, quæ Joannes vaticinatur in Apocalypsi, sub Babylonis nomine, sed tàm circà istud caput, quàm circà 14, videatur Montanus, qui per transitum ea duo capita interpretatur, in 13, ab eversione Babylonis ad supremi judicii diem, in 14 verò, à rege Babylonis ad Luciferi casum ex veterum Patrum verâ, communi atque solidâ sententiâ.

Capite quoque 45, cùm multa cœpisset Isaias de Cyro vaticinari, de victoriis illustribus, ac hostibus devictis, in eoque typum Christi, et in liberatione populi judaici, per Cyrum, libertatis generi humano concedendæ per Christum, imaginem aspiciens, erupit in hæc verba: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant Justum*, quæ in idolorum cultorem hominem cadere nequaquàm possunt. Et certè primam hujus capitis partem de Cyro intelligendam docent Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Eusebius, lib. 6 de præpar. Evang. cap. 7, ex recentioribus Vatablus in Isaiam, Ribera Abdiæ unico num. 9. Et certè Cyri nomen hoc loco expressum ab Isaiâ docet Josephus lib. 11 Antiquit. cap. 1, quo inquit: « Concitans ergò « animum Cyri, fecit eum per omnem Asiam « scribere. Cyrus rex hæc dicit: Quoniam me « maximus orbis terrarum Deus regem con- « stituit, credo hunc esse quem gens Israelita- « rum adorat. Is enim et meum prædixit no- « men per Prophetas (alludit certè ad primam « ejus capitis partem, in quâ Deus Cyro omnia « regna promittit, omnium regem constituit), « et quomodò templum ejus ædificaturus essem « Hieresolymis in terrâ Judæâ (legit in fine « præcedentis capitis hæc de instauratione « templi per ipsum, mihi ut videtur). Hæc au- « tem cognoverat, addit Josephus, Cyrus legens « librum quem inter suas prædicationes Isaias « reliquerat antè ducentesimum et decimum « annum. » Quòd si Septuaginta ex hebræo vertisse, quis dicat *Domino* Κυριῷ, quia nonnulli ex antiquis, qui utebantur eorum editione *Christo meo Domino* in suis scriptis reliquerunt, id fecisse dicemus, ut vel hoc admonerent legentes magnum in eo capite inesse mysterium, neque omnia adaptanda Cyro, sed in illo alium longè præstantiorem esse intelligendum. In eâ verò, quæ nunc circumfertur editione Septuaginta τῷ Κυρῷ legitur, id est Cyro. Porrò eam primam capitis partem de Cyro intelligi deberi satis indicant illa, *Assimilavi te, et non cognovisti me*. Et etiam illa: *Accinxi te, et non cognovisti me*. Quæ enim Leo Castrensis comminiscitur, sermonem ex eo loco ad populum israeliticum haberi, ex antecedentibus et sequentibus manifestè refellitur.

Juxtà hanc etiam interpretandi rationem lucem accipiet cap. 40 apud eumdem Prophetam, et facilè cum superiori cohærebit, quam qui non admittunt, illud caput interpretantur, mihi ut videtur, parùm verè, an etiam parùm piè, aliorum esto judicium. Comminatus fuerat Isaias capite proximè præcedenti captivitatem Ezechiæ ac Judæorum populo quæ non multò post sub Nabuchodonosore contigit, et statim cap. 45, exorditur: *Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Deus vester. Advocate eam, quia completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ejus*. Quibus finiendam brevi captivitatem illam prædicere videtur, sed quorsùm ea, quæ sequuntur statim? *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas ejus*, etc. Hujus rei difficultatem ingerit, quòd eo testimonio utatur Marcus quasi de Joanne Baptistâ prolatum, cùm tamen superiora repugnent. Joannes Maldonatus, summi vir ingenii et exquisitæ eruditionis, nodum istum hâc ratione dissolvit. Subscribo verba. « Manifestum est Evangelistam alludere ad locum Isaiæ cap. 40; itaque necesse est, ut nomen deserti eodem modo hic et apud Isaiam accipiatur. At quisquis apud Isaiam dicit per desertum locum minùs frequenter habitatum significari, Prophetæ sensum penitùs ignorat. Agebat enim de reditu filiorum Israel ex Babylonicâ captivitate, in quam præcedenti capite ducendos prædixerat, alludensque ad exitum ex Ægypto, undè eos Deus per inviam solitudinem infinitis difficultatibus superatis eduxit, et in Palæstinam intulit, viam illis per Jordanem, per desertum, per mare faciens, significat Deum eodem modo, quo eos ex Ægypto in terram Israel induxit, ex Babylone reducturum nihil, Deo, quominùs id faciat impedimento esse posse. Eum enim populo suo per inaccessas solitudines, per montes, per rupes, planissimam daturum viam, ut de Annibale Alpes transituro poeta quidam dixit: *Est cœlo, qui pandat iter;* hic litteralis sensus est, mysticus ille, quo populus sub diaboli tyrannide constitutus, populo sub rege Babylonis captivo comparatur, etc. » Et infrà in illa verba hoc est, inquit, esse verba Evangelistæ volentis Isaiæ prophetiam more suo ad Joannem accommodare. Itaque indicare videtur hæc per accommodationem ad Joannem derivata, reverà autem fuisse voces præconum, quos Cyrus miserat ad præparandas vias filiis Israel è captivitate dimissis, et à Babylone excedentibus. Cæterùm quamvis nonnulla sacrarum litterarum testimonia è veteri Testamento in novo per accommodationem et allusionem poni abundè docuerim 1 part., quæst. 1, et multis exemplis demonstraverim, attamen, cùm ad specialis loci considerationem devenitur, maturè id judicandum est, ne complura sacræ Scripturæ enervemus testimonia, quæ scriptores novi Testa-

menti in confirmationem adducunt. Id igitur in nonnullis non sine temeritate affirmari potest. Unumque eum esse locum quem habemus præ manibus non abnuo. Quidni ità sentiam? Matthæus clamat : *Hic est* (scilicet Joannes Baptista) *qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto,* etc. Et credam ego Maldonato asserenti non esse eum, de quo locutus est Isaias, sed Isaiæ verba, quæ de viarum præparationibus dicta sunt ad Joannem derivari! Quibus verbis apertiùs potuisset Evangelista dicere vaticinationem esse de Joanne, si iis non dicitur? Quarè non accommodatio testimonii est, sed citatio vel in sensu litterali vel mystico. At quid tu censes? Ego sanè ad litteram accipio de præcursore Domini, et per transitum illa duo capita connecto, ut leniter fluant, mirèque cohæreant. Agebat Isaias de futurâ hebræi populi apud Babylonios captivitate: non abnuo; faustum de solvendâ servitute nuntium promulgare cœpit initio cap. 40: non nego. At in illo priori captivitatem humani generis adumbratam, in posteriori redemptionem per Christum, quis non agnoscit? Cùm ergò Evangelium illud intulisset Judæis, Evangelium de mundi restauratione et liberatione, tanquàm in typo animo suo versâsse censendus est, et ad illum transit typo relicto. Cùmque executionis ejus, diabolici imperii dissolutionis à Joannis Baptistæ prædicationibus exordium desumendum esset (missus est enim à Deo ut omnes crederent per illum), illud primum enarravit Propheta, atque prædixit : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini*, etc. Hanc ego multis anteà annis, cùm primùm prodiit Maldonatus in lucem, connectendi rationem, quia dura nimis ejus mihi opinio videbatur, excogitaveram (Deus testis), in quam gaudeo vehementer devenisse posteà Benedictum Ariam Montanum in Comment. in Isaiam. Nec mirum, si in eam incideret maturi vir judicii, quæ à sanctis Patribus probata et derivata innumera expedit sacrarum litterarum difficillima loca, si modò prudenter cum delectu adhibeatur.

CAPUT V.

E Daniele affertur aliud testimonium.

Hâc eâdem ratione explanandum videtur, quod est apud Danielem cap. 11 et 12, in quibus de Antichristo vaticinatus est. Antiochus enim is, ut est omnium veterum theologorum opinio, Antichristi personam sustinuit. Daniel ergò, cùm de illo cœpisset scribere, post multa quæ de illius ingenio deque ad regnum ascensu, de regni administrandi ratione, de innato ejus odio in Judæos prædixit, ad extremum in ipso Antiocho Antichristum prospiciens, et ad eum suæ mentis aciem et cogitationem convertens, multa subjecit ab Antiochi personâ suprà quàm dici potest aliena, ut nunc ostendemus illa capita percurrendo. Postquàm Daniel in superioribus multa de Persarum ac Græcorum regibus, Syriæ et Ægypti, vaticinatus esset, ut ferè consensu omnium indubitatum est, et novissimè de Seleuco cognomento Philopatore, Antiochi magni successore, verba fecisset, subjungit : *Et stabit in loco ejus despectus, et non retribuetur ei honor regius.* Ex quo loco incipit de Antiocho Epiphane nonnulla vaticinari, et quæ illi et Antiocho cujus typus est, aptè conveniant. Non autem dubium est ista convenire Antiocho: stetit enim in loco fratris Seleuci, clàm et fraudulenter regnum præripiens Demetrio, filio Seleuci, Epiphanem adjuvantibus Eumene et Attalis, Asiæ regibus, ut refert Appianus in syriaco. Quod etiam verè cadit in Antichristum, ut Hieronymus et Theodorus in illud Dan. cap. 7, et cornu modicum, tradiderunt. Multis enim artibus sibi conciliabit multos; præcipuè tamen simulatione virtutis, ut sentiunt Cyrillus, Ephrem Damascenus, Hippolytus, atque etiam prodigiis et portentis. Sed qui fieri potest, ut Antichristus, maximè si Mahometani imperii successor futurus est, ut mihi non videtur improbabile, dicatur ignobilis? Id fortè ad ejus nativitatem spectavit, aut genus, aut si mavis ad initia ejus imperii, aut tandem quia improbi viles omnes atque despecti reipsâ, quamvis exteriùs aurei et argentei, ut eleganter in illo Abdiæ, *ecce parvulum dedi te*, M. meus Luysius Legionensis philosophatus est. Illa, quæ deindè sequuntur : *Et abundantes, et uberes urbes ingredietur, et faciet quæ non fecerunt patres ejus*, usque ad illud, *et cor ejus adversùm Testamentum sanctum*, de Antiocho propriè quoque intelliguntur. Cùm enim inter principes Ægypti bellum esset exortum, qui nutritii Ptolomæi erant, atque inter Antiochum Epiphanem propter Syriam occupatam ab Antiocho, quam illi Ægypti regno restitui volebant, commisso prælio inter Pelusium et Casium, victi sunt duces Ptolomæi. Porrò Antiochus, parcens puero, et amicitiam simulans, ascendit Memphim, ubi ex more Ægypti regnum occupavit, puerique rebus se providere dicens, cum modico exercitu omnem Ægyptum subjugavit sibi ; conatus tamen suos ad exitum perducere non potuit, à Ptolomæi militibus ejectus. Secundò iterùm venit in Ægyptum, ut Hieronymus hoc loco, et

latina græcaque narrat historia, quem tamen à conatu impedivit Romanorum legatio. Undè Daniel: *Et venient super eum trieres et Romani.* Josephus certè id non omisit lib. 12 Antiq. cap. 6, quo dicit: « Antiochus domi usus « fortunâ prosperâ, expeditionem ægyptiam « tentare statuit captus ejus regionis cupidine « contemptâque Ptolomæi filiorum ætate rebus « administrandis nondum idoneâ. Profectus « igitur cùm magno exercitu Pelusium, astu « circumvento rege Philometore, Ægyptum « occupat et redactâ priùs in potestatem Mem- « phi, locisque circumvicinis, ad Alexandriam « duxit exercitum, et urbem et reges subjuga- « turus; sed omnes ejus conatus, unâ Romano- « rum denuntiatione repulsi sunt, ità ut jam « occupata relinqueret. Quomodò autem id fa- « ctum sit narrat Justinus lib. 20. »

Sed obscurum illud: *Trieres et Romani;* similis locus legitur Num. 24: *Venient in trieribus de Italiâ, et superabunt Assyrios*, in quibus locis in hebræo est Cethim, de cujus significatione diversi diversa. Nam quidam Cethim insulam Cyprum significare tradunt, ut Josephus lib. 1 Antiq., cap. 6, cujus sententiæ est Theodoretus hoc loco. Sunt quibus Italiam eo nomine significari placeat. Nam Paraphrastes chaldæus locum è lib. Num. sic expressit: *Et naves venient à Romanis.* Et Thargum Hierosolym. eumdem locum ità convertit: *Et egredientur copiæ multæ ex provinciâ Italiæ unà cum multis legionibus Romanorum.* Ut tamen tota hæc res explicetur, et dissidentes sententiæ concilientur, sciamus oportet Japhet filium Noe inter alios filios genuisse Javan, quem Ionem veteres appellârunt. Hic autem in Asiâ minori unà cum filiis Elysso, Tharso, Cethim et Dodanim consedit primùm. A Ione Ionia, à Dodanim Dardani, ab Elysso Lystria Isaurorum, à Tharso Cilicia, juxtà quam Cethis provincia assignata Ptolomæo; Elyssi quoque multa vestigia exstant in Cilicià. Neque enim Iones e Græcià in Asiam commigrârunt, quin potiùs nos Mosaicæ historiæ innixi, et ex eo loco deducti, in quo arca resedit, in Asiâ priùs Ionem, et ejus filios, quàm in Græciam transîssent, consedisse dicimus. A Tharso nomen Tharsus accepit Ciliciæ urbs nobilissima Cydno flumini adjacens; ejusdem regionis pars Cethis vocatur clarissimam fratris memoriam refricans, quem Cethim plerique vocant. Itaque Cithii vel sunt ipsi Cilices, vel partem aliquam faciunt Ciliciæ ad Amanum montem, ut Ptolomæus indicat. Juxtà hunc adsedisse Elyssum, eaque loca tenuisse, Lystra Isaurorum ad Taurum satis declarat, ac per Lycaoniam fines suos ad Phrygiam usque protulisse, cùm in eâ Lysias urbs ejus memoriam retineat. Nec verò illi solùm, qui in Cilicià Cethæi dicti sunt, sed verisimile est istos Cethæos et Cilices cognatos ad Caicum simul colonias duxisse. Nam cùm Telephus, et ejus filius Eurypilus circà Caicum imperârit, et in illis locis Cethæos Eurypili socios Homerus celebrârit, quo Cethæos qui sint, ignorare se dicit Strabo, suspicarique esse ad Caicum magnam Cilicum copiam sub Eurypilo, et alibi poeta Cilices in eàdem orà posuerit, dicamus vel eosdem esse Cethæos et Cilices, vel certè cognatas ad Caicum duxisse colonias. Poetæ versus hi sunt:

> Ætion in sylvis habitabat Hipoplacon hirtam
> Rector Hypoplaceæ Thebæ, Cilicumque virorum.

Hæc Thebe fuit in agro Adramytteno, quam evertit Achilles, ut alibi poeta de Achille:

> Lyrnessum evertens, evertens mænia Thebæ.

Deindè Cethim Ionis filius in insulam transmigravit, quæ nunc Cyprus, olim ab eo Cethim dicta, id quod ejusdem nominis oppidum testatur Cetium. Imò et in Cypro etiam Elysi fratris mentio; sicut enim ad Caicum Eletici et Cethæi, ità et in Cypro Cethæi et Eleatici vicini reperiuntur. Ptolomæus enim juxtà Cetium in Cypro non obscuram fuisse civitatem nomine Elæam testatur. Indè factum existimo, ut nomen Cethim insulis Ionii maris attribueretur, imò et loca maritima eodem nomine censerentur. Josephus lib. 1 antiq. cap. 6, ità inquit. Porrò Cethimus insulam occupavit, tunc Cethimam, nunc Cyprum, quo factum est, ut tùm insulas omnes, tùm pleraque loca maritima generali voce Cethim significent. Maximè autem Cethim nomine inter maritima Europæ Italiam et Macedoniam significantem credo. Italiam significari docent ea quæ adduximus. Itaque dictam censent nonnulli à Caietà Italiæ parte nobilissimâ, in quâ antiquum Cethim filii Javam exstare volunt monumentum. Macedoniam quoque hoc nomine intelligi multi ex nostris tradiderunt, ut refert Hieronymus in Isaiæ cap. 23. *Cethim*, inquit, *quidam Cyprum interpretantur; neque hodiè enim est apud eos urbs Citium, de quà Zeno stoicæ sectæ hæresiarches fuit. Quanquàm nonnulli nostrùm Cethim Italiæ Macedoniæque insulas arbitrentur.* Isaias igitur, et Hieremias, hic cap. 2, ille cap. 23. cùm insulas Cethim appellant insulas Italiæ, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, et cæteras

adjacentes, insulas quoque maris Ionii, et quæ juxtà Cyprum indicari volunt, mercibus commutandis illustres. In hoc autem loco et libro Numerorum Itali, et à nobiliori parte Romani, ut prophetiæ eventus comprobavit, intelliguntur. Macedoniam porrò ab insulis adjacentibus Cethim appellari manifestè probat auctor libri Machabæorum duobus in locis. Alter est 1 Machabæorum cap. 1, quo inquit : *Postquàm percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græciâ, egressus de terrâ Cethim.* Alter verò in cap. 8 ejusdem libri, ubi Philippus et Perses, quos Macedoniæ reges esse constat ex historiâ Romanâ, Cethæorum reges dicuntur. Quid autem horum unoquoque loco significetur, ex his quæ antecedunt et sequuntur investigandum est, cùm tàm multa Cethim nomine contineri ostenderimus.

Quod autem sequitur apud Danielem : *Et revertetur et indignabitur contrà Testamentum sanctuarii,* de Antiocho propriè intelligi debet, quamvis figuratè de Antichristo, illustraturque Josephi verbis lib. 17 Antiq. cap. 7, ubi dicitur : « Reversus ab Ægypto, quam metu Romanorum reliquerat rex Antiochus, ad urbem Hierosolymitanam movit exercitum. Ingressus autem eam centesimo quadragesimotertio anno, ex quo primùm ad Seleuci familiam Syriæ regnum pervenit, sine ullo negotio Dominus ejus factus, est admissus, apertis portis per suæ factionis homines, quam dominationem crudeliter exercuit, necatis permultis, qui diversarum erant partium, direptisque pecuniis et asportatis Antiochiam. Bis enim Judæos afflixit Antiochus, primùm per se, iterùm per duces, quorum adventus exitialior et funestior Judæis fuit, uti ex lib. 1 Machab. cap. 1, constare potest, cum quibus ista Danielis de auxilio parvulo, de polluendo templo, de immani strage mirè conveniunt. » Quæ etiam sequuntur : *Et faciet juxtà voluntatem suam rex, et elevabitur et magnificabitur adversùs omnem deum*, licèt nonnulli Patres de Antichristo explicent, tamen Antiocho non repugnant, tanta ejus insania, tanta insolentia fuit. Quæ verò deinceps subduntur : « Et Deum patrum suorum non reputabit, et erit in concupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit, quia adversùm universa consurget. Deum autem Moazim in loco suo venerabitur, et Deum quem ignoraverunt patres ejus colet auro et argento, et lapide pretioso, rebusque pretiosis, » ad Antichristi personam ità pertinent, ut nullo modo Antiocho, quidquid dicat Porphyrius, convenire possent. Nam Antiochus coluit Græcorum deos, ut constat ex lib. 2 Machab. cap. 1 et 6. Rectè autem inquit, patrum suorum, quia, ut veteres Ecclesiæ Patres tradiderunt, nasciturus ex gente Judæorum. An verò ex Tribu Dan, vel Juda originem ducet, dubium profectò est. Mihi sanè durum videtur universæ tribus, reprobationem esse prædictam in Apocalypsi, ubi nulla mentio tribûs Dan, quia ex eâ oriundum Antichristum censent, verisimiliùs nasciturum ex tribu Juda, cùm eo potissimùm Hebræi decipiendi sint, si ex Judâ Antichristum genus ducere cognoverint, cùm sit de eo manifestissima vaticinatio in Messiâ. Vel fortè à Christianorum religione deficiet, et erit ex hæreticorum numero aliquis, vel ex his, qui Christum abjurârunt. Illud : *Et erit in concupiscentiis feminarum*, diversimodè à nonnullis accipitur. Quidam affirmativè intelligunt, neque mihi displicet, verisimile enim est hujusmodi lenociniis aut libertate in re venereâ, sub aliquo religionis prætextu, magnam hominum copiam in suî potestatem redacturum, uti Lutherus primùm, Henricus quoque octavus, Angliæ rex, et Elisabetha impia, tandem præstiterunt, quorum nonnullos vidimus in Hispaniâ. Alii verò neganter accipiunt, id est, non erit in concupiscentiis feminarum repetitâ negatione à superiori, quod sacris est familiare litteris, quasi, quod decipiat magis, simulaturus sit castitatem, ut sic saltem umbrâ alliciat. Deum autem Moazim in loco suo venerabitur, id est, diabolum ut deum, et potentem colet, vel se ut deum potentem honorari faciet. Quæ deinceps apud Danielem sequuntur, rectè ut mihi videtur, Hieronymus contrà Porphyrium demonstrat non adimpleta in Antiocho, eaque ità declarat, ut ejus expositioni ferè nihil addi posse videam, donec illam rerum eventus patefaciat.

CAPUT VI.

Proferuntur nonnulla alia ex variis libris testimonia.

Sed concludamus, nonnulla alia coacervando testimonia, quæ delibemus, vel insinuemus potiùs, quàm attingamus. Gen. cap. 3, transitum agnosco in illâ maledictione serpentis, cujus aliqua in verum serpentem, qui diaboli vehiculum erat cadunt, alia in dæmonem tantùm in eo animali latentem, qualia sunt illa : *Inimicitias ponam inter semen tuum, et semen illius, insidiaberis calcaneo, et ipsa conteret caput tuum.* In illo Num. 24 : *Et erit Idumæa*

possessio ejus, quod illi populo cui benedicebat Balaam, nunquàm obtigit, jam pridem ex hâc ratione interpretatus est M. meus Luysius Legionensis, ac perobscuram vaticinationem Abdiæ. Videatur etiam Nyssenus lib. de adventu Domini in carne adv. Jud. col. 5, sed et Zachariæ cap. 2 et 3, ex hâc ratione explanari debet. Cùm enim eo loco Hierusalem aut templum reædificanda prædicaret per Esdram, et in Hierusalem terrestris ædificatione Ecclesiæ ædificium intuens, quædam vaticinatur de felicitate Ecclesiæ, et ejus felici progressu. Quæ propriè hierosolymitanæ urbi nequaquàm hactenùs accidêre. Quod necessariò dicendum est, nisi in Judæorum errorem incidere velit aliquis, qui illa sibi in urbe hierosolymitanâ iterùm ædificandâ, et Judæorum populis illùc iterùm in mundi fine magnâ cum felicitate et rerum abundantiâ reducendis, implenda persuadent. Nam licèt demus urbem Hierusalem fore propè mundi finem florentissimam, fortèque regiam Antichristi, uti et suprà diximus, et ex Apocalypsi Joannis videtur colligi, cùm in eâ urbe occidendos dicat duos illos prophetas, in quâ Dominus eorum, id est Christus, crucifixus est, et civitatem magnam appellet, tamen eam esse felicissimam Davidicæ urbis instaurationem et templi exstructionem, quam sacræ litteræ magno verborum pondere, et elegantiâ promittunt, hoc est, felicitatem ejus urbis et Judæorum sub Antichristo, esse ea charismatum dona, eam pacem, opulentiamque sacris vaticinationibus contentam, amens est, qui ità credere in animum inducat suum. Burgensis porrò 1 part. scrutinii, dist. 4, cap. 5 et 4, de Ecclesiâ illâ Ezechielis de templo interpretatur. Nec verò quia divus Paulus 2 ad Thessal. Antichristum in templo Dei sessurum dicit, ideò de templo hierosolymitano feliciter exstruendo intelligi necesse est, cùm ille locus variè et intelligi, et explanari possit, ut dicemus alibi. Nec si Christus apud Lucam scriptum reliquit, Hierusalem calcandam, donec impleantur tempora nationum, denuò ædificandam à Judæis, ut felicem exitum vaticinationes inveniant, colligi potest. Nam ibi Hierusalem gentem Judæorum significat, in quâ cæcitas ex parte contigit, *donec intraret gentium plenitudo,* ut inquit Paulus.

Deniquè transitum latere censeo in illis quæ dicta sunt ad Davidem, 2 Reg. cap. 7 : « Cùm« que completi fuerint dies tui, et dormieris « cum patribus tuis, suscitabo semen tuum « post te, quod egredietur de utero tuo, et « firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum « nomini meo, et stabiliam thronum regni « ejus usquè in sempiternum. Ego ero illi in « patrem, et ipse erit mihi in filium, qui si « iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virgâ « virorum, et in plagis filiorum hominum; « misericordiam autem meam non auferam ab « eo, sicut abstuli à Saüle, quem amovi à facie « meâ, etc. » De Salomone eo loco sermo est, illudque de ædificando templo satis indicat, et in Salomone de Christo, de quo ad litteram illa : *Et stabiliam thronum regni ejus. Et ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Neque enim hæc impleta unquàm in Salomone, nec in ejus temporaneo regno. Undè et ad Christum retulit Gregorius Nyssenus loco suprà citato. In his autem quæ sequuntur : Qui si iniquè aliquid gesserit, redit ad Solomonem, et ejus semen. Quæ explicandi ratio si admittatur, ut jure admitti debet, facilè cohærebunt nonnulla, quæ in libris Regum et Psalmorum hâc super re sibi adversari videntur. Nam 3. Reg. cap. 6, dictum est : *Si ambulaveris in præceptis meis, et judicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea, firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad David patrem tuum.* Ex quibus videtur colligi, quòd promissio facta Davidi de eo, quòd potestas regia in illius posteritate mansura semper erat, fuit sub conditione, scilicet si ipsi posteri in pietate, et veri Dei cultu permansissent. Idem videtur colligi Psalm. 31 : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filii tui testamentum meum,* etc. At contrarium constat ex isto 2 Reg. cap. 7, jam citato ab illis : *Qui si peccaverit in plagis hominum,* etc. Ubi, ne qua dubitatio oriretur, an factæ promissioni subesset aliqua conditio, eam expressè excludit. Psalmo quoque 88, apertè dicitur : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, visitabo in virgâ iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo; semel juravi in sancto meo, si David, mentiar.* Hæc sanè quæ videntur pugnantia, juxtà dictam interpretationem facilè conciliari possunt. Dicimus namque in promissione illâ Davidi factâ duo illi pollicitum Deum, unum regnum super gentem Judæorum perpetuò in ejus posteritate mansurum, idque in illis, firmabo regnum ejus, et ipse ædificabit, etc. Alterum fore ut ejus posteritas, id est, unus ex posteris esset Christus, cujus regnum spirituale futurum esset æternum, illis scilicet : Et stabiliam thronum ejus usquè in sempiternum : *Ego ero illi in patrem,* etc. Quæ quoniam eodem orationis

filo similibus verbis in eodem contextu promissa sunt, difficile fuit illa distinguere. Itaque præter Davidem ipsum et paucos alios, qui prophetico spiritu adducti inclusam in illâ promissione prophetiam de Christo intellexerunt, nemo Judæorum ea ritè distinxit. Ex quo error ille natus, et in vulgus emanavit, fore ut Messias temporale regnum habiturus esset, sicut David, Salomon, aliique ejus posteri habuerunt. Hæc cùm ità se habeant, planum est quod ad primam attinet promissionem, illi conditionem subesse, scilicet si posteri Dei cultores fuissent, ut rerum eventus comprobavit. Nam quia graviter deliquerunt, regnum id in nepote Davidis valdè diminutum ac posteà eversis Hierosolymis à Chaldæis omninò sublatum fuit à familiâ Davidis. Nam post Zorobabelem neminem ex illius posteris regnum illius gentis obtinuisse legimus. Ad hanc ergò regni temporalis promissionem pertinent illa ex 3 Reg. et Psalm, 31. Nam ut liquet, de eo temporali regno propriè Deus loquebatur Salomoni. Alia verò ad aliam promissionis partem referenda sunt, quæ sine ullâ subintellectâ conditione facta est, et referri debere facilè ex ipso Psalmo intelligitur. Nam ejus bona pars consumitur in orando Deum, ut Messiam mittere maturet, quemadmodùm David pollicitus fuerat, cujus pollicitationis videbatur oblitus, non solùm regiâ dignitate è domo Davidis sublatâ jam, sed populo Judæorum variis calamitatibus affecto, et ad nihilum penè redacto. Et quò Deum magis provocet ad maturandum, quòque eum fidei datæ admoneat, allegat, imò recitat ipsa promissionis factæ verba, docetque absolutè illam factam fuisse, nullâ conditione adjectâ, ex quâ frustrari posset eventus, is scilicet, de quo agebat, missio Messiæ ex Davidis semine nascituri. Igitur comparatione hujus conditione caruit illa promissio. Noluit enim Deus ut tantum bonum, tàmque hominum saluti necessarium, et ad Dei nomen illustrandum tàm opportunum, ejus exitus ex hominum futurâ pietate penderet, quia si penderet, videbatur futurum, ut nunquàm ad exitum perduceretur. Sed de his hactenùs.

Quaestio secunda.

An rationes, quibus utuntur scriptores novi Testamenti, semper sint efficaces, an verò interdùm tantùm probabiles?

CAPUT PRIMUM.

Ad hujus explicationem præmittuntur nonnulla.

Res cognitione et explicatione dignissima : Utrùm Scriptores novi Testamenti cùm ad aliquid confirmandum rationes adhibent, utantur semper rationibus efficaciter probantibus propositum, an etiam utantur interdùm probabilibus et rhetoricis argumentis. Nonnulla enim argumenta esse videntur in his libris, quorum argumentorum vis et efficacia adeò latet, ut aut à proposito aliena, et prorsùs inefficacia esse videantur, aut planè translatitia, rhetorica argumenta.

Sed ad hujus explicationem operæ pretium erit advertere, scriptores sacros novi Testamenti interdùm vel docere tenenda, vel præcipere facienda nullâ adhibitâ ratione aut argumentatione, quanquàm ea vel vera sint, vel justa confirment. Ad alia verò adhibent rationes, quibus probent ea, aut vera esse aut justa, si studio prosequenda sunt; aut prava, si refutanda, atque fugienda. Utriusque generis varia possent exempla facilè produci, à quibus producendis, quia obvia cuique sunt, supersedebimus. Ex his autem duobus tradendi generibus, vel per simplicem positionem, vel per adhibitionem rationis, primum est magis proprium, magisque decet sacras litteras, quàm secundum. Et quòd magis proprium, liquet, quia, ut docet sanctus Justinus martyr, inter alia in quibus differt sacra doctrina à philosophorum scriptis, hoc est, quòd illi argumentando procedunt et inquirendo, utpotè, qui veritatem ipsam, qualis ipsa est, per se non videant, sed discurrendo inquirant, nihilque dicant, quod non probare nitantur, nec major illis fides habenda est, quàm exigant momenta, et rationes, quas adducunt. At verò sacræ Scripturæ ipsas veritates pervestigatas et defæcatas ponunt, utpotè quæ conscriptæ sint ab eo, cui omnis veritas per se

patet nullo discursu, nullis ambagibus. Quod autem divinam sapientiam deceat, patet ex eâdem causâ. Nam Deo auctori horum scriptorum dicenti par est credere, quamvis nulla adhibeatur ratio. Atque quemadmodùm illius simplici dicto fidem adhibere, ità ipsam decet Scripturam, quæ tenenda aut appetenda sunt, præscribere simpliciter, idque conciliat majorem auctoritatem his libris. Adscribo in hanc rem verba Nysseni lib. de Animâ et Resurrectione col. 15 : « Jam verò dialecticâ quidem « arte per rationum et argumentorum collectricem ac resolutricem scientiam, nostra « quoque dogmata atque decreta confirmare, « quòd hujusmodi species orationis ad demonstrandam veritatem, tùm debilis, tùm suspecta sit, recusabimus ac prætermittemus. « Patet enim omnibus ac liquet, quòd dialectica curiosa subtilitas pares in utramque « partem vires habeat, vel ad eversionem « veritatis, vel ad mendacium indicandum. « Undè etiam ipsam veritatem, ubi hujusmodi « aliquâ adhibitâ arte profertur, sæpenumerò « suspectam habemus, quasi harum artium « subtilitas atque versutia, mentem nostram « seducat et in fraudem impellat, atque à veritate avertat. Sed si quis incompositam et « inconditam atque ab omni velamine, et « amictu nudam admittat orationem, dicemus « ut poterimus, etc. » Hæc Nyssenus. Sed et factum id quoque Dei nostræ utilitatis providentissimi consilio, quo videlicet uberior nobis de Deo benè merendi seges ac materies præberetur, fidei virtutem gnaviter exercendo, et Dei verbis sine ullâ dubitatione, maximâque cum animi submissione, ac religione credendo. Si enim apud Pythagoræ discipulos, ut, inquit Tullius, tantùm opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas, ad omniaque rogati responderent, ipse dixit : *Quantò magis Dei auctoritas arcana rerum cœlestium per vates suos enuntiantis ac dicentis, instar omnium rationum esse debet!* Postremò eâ docendi ac scribendi ratione, id sanè perfectum est, ut quorumdam superbia, contumacia, magisque contentionis quàm veritatis cupida ingenia, et veteris illius academiæ volubilitatis et instabilitatis avida, coercerentur ac reprimerentur. *Pravis enim*, inquit Empedocles apud Clementem Alexandrinum lib. 7 Stromat. cap. 2, *hoc est familiare velle quæ sunt vera vincere, ex eo quòd non credant.* Neque verò hæc sacrarum litterarum vel simplicitas, vel potiùs pravitas, si æstimetur verè, cuiquam philosophorum jure displiceat ; ipsorum namque princeps, sive ut ipsi vocant, Deus philosophiæ, Plato, quàm multa in Timæo de mundi generatione et primâ rerum omnium procreatione, nullis argumentorum firmamentis munita, sed nudâ tantùm oratione simpliciter enarrata, et explicata reliquit? Quòd si adhibet interdùm rationes, id propter nostram infirmitatem facit, quò faciliùs in assensum eorum, quæ docet aut tradit, inducat. Itaque in eo non tàm, quod se deceat, attendit, quàm quod nostra infirmitas efflagitet. Rationes autem et argumenta ea, quibus sua dicta scriptores novi Testamenti confirmare solent, ea aut sumunt ex rebus notis lumine naturali, et communi sensu, hominumque usu, aut more perceptis, aut desumunt ex sacræ Scripturæ testimoniis, et rebus, quæ in eis traduntur et continentur. De hoc argumentorum genere ex testimoniis magna sese offerebat nobis disputandi materies, sed de eo latissimè disserui part. 1, quæst 1, et alio commodiori loco dicam fortassis plura : nunc tantùm de probationibus ex ratione desumptis.

CAPUT II.

Quibusdam extrà controversiam statutis, quæstioni respondetur, et probatur primùm ex Actorum libro.

In quâ re duo inconcussâ fide tenenda sunt. Primum est : Quidquid scriptores sacri novi Testamenti vel docent, ut verum tenendum, vel præcipiunt faciendum ut probum, vel refutandum ut pravum, sive simpliciter id ponant, sive adhibitis rationibus probent, sive rationes adhibitæ efficaces sint, sive tantùm probabiles, ità se habere omni dubitatione remotâ. De hoc nulli licet dubitare catholico, quia contentis in sacris litteris per fidem assentiendum est. Ratio autem assentiendi in fide est, quia prima veritas revelavit. Undè ob id ipsum, et ob id solum, quia prima veritas ea tradit et docet, indubitatâ fide pro veris habenda sunt, sive adhibeantur prætereà rationes ad eorum probationes, sive secùs. Alterum est, rationes quas adducunt sacri scriptores ad aliquid probandum, nunquàm esse aut à proposito alienas, aut ità inefficaces, ut propositum non probent, et ad id ad cujus probationem inducuntur, nihil conferant. Nam ejusmodi rationis inductio, quæ nihil ad propositum argumentum conduceret, esset stulta et otiosa, imò et noxia. Nam homines intelligentes, eâ ratione quàm citissimè alienarentur à præstando assensu his rebus, quas viderent tàm infirmis niti probationibus, venirentque

sacræ litteræ ob eam causam in suspicionem falsitatis, haberentur nihili, et judicarentur meræ nugæ.

Sed, ut hæc certa sint, et indubitata, ità videtur dubium et ambiguum, utrùm ità semper sint efficaces, ut necessariò concludant, et propositum evincant, an aliquandò habeant solùm efficaciam probabilem? Ac primùm non esse rationes semper evidentes et asseri debet, et probari facilè potest, quia interdùm afferuntur ad probanda ea, quæ solâ fide teneri possunt, quorum non potest reddi ratio demonstrans, aut necessariò convincens, sed tantùm probabilis, et congruens, ut docet divus Thomas inter alios, 3 Sentent. dist. 1, quæst. 2. Quæ enim creationis mundi in tempore posset assignari firma, aut necessaria ratio? Undè Paulus ad Hebr.: *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* Deindè, ut dicam ego quod sentio, cùm non æqualis in omnibus certitudo, et necessitas exigenda sit, sed diversa juxtà diversitatem materiæ subjectæ, alia enim in mathematicis, minor in moralibus rebus, aut quæ ex hominum usu, et æstimatione pendent, major verò in argumento desumpto à causis, vel effectibus; minor in eo, quod à simili tantùm petitum est, existimo rationes, quibus sacri scriptores utuntur in eorum, quæ dicunt confirmationem, juxtà naturam materiæ subjectæ, habere semper magnum et certitudinis et necessitatis gradum, nec esse tantùm probabiles, aut tales, ut illis rationibus pensatis circumstantiis omnibus, quæ in rebus ad quas probandas adducuntur, et à quibus argumenta petuntur, pensandæ sunt, possit illis rationibus subesse falsum, aut possit illa ratio tanquàm non evincens rejici, aut illi gratis aliquid concedi, sed est, et dici debet, juxtà propositam argumenti naturam, optima, efficacissima et certa. Scio affirmare nonnullos non semper scriptores novi Testamenti uti rationibus necessariis, aut necessariò convincentibus, sed interdùm probabilibus argumentis, conjecturisque levibus. Ità ex recentibus Gregorius de Valentiâ 1 part. disputat. 1, gener. quæstione octavâ, parte primâ, et Pater Salmeronius in Epist. ad Corinth. 1, disput. 24, affirmant Paulum interdùm topicas et probabiles rationes pro rei, de quâ agitur, ratione producere, nisi illi negotium sit cum hæreticis; tunc enim firmis, solidisque argumentis uti. Et fundamentum habere videtur ejusmodi opinio in Chrysostomo qui Act. 2, levem excusationem judicat, parvique momenti illam Petri, de quâ agemus statim. Quarè non damno, nec enim ineptæ rationes, quamvis tantùm topicæ judicatæ sunt, quia non necessariò convincant, neque assertor oppositæ sententiæ diceret allatas frustrà, neque id posset ostendere contrà scriptores novi Testamenti; sed tantùm non necessariò concludere, probabiliter tâmen adduci necessariò fateri tenerentur. Itaque non condemno sententiam primam, neque noto, unusquisque abundet in sensu suo, dummodò intrà fidei et rationis metam sentiamus omnes. Mihi quod dixi probatur magis, ut convenientiùs sacrarum litterarum majestati, auctoritati, et eorum quæ docent firmitati. Idque antequàm probem inductis testimoniis, hoc brevi et aperto dilemmate convinco. Aut rationi illi, quam adducunt scriptores sacri ad ea, quæ ponunt confirmanda, oppositæ sententiæ assertor respondere posset verè et aptè, ità ut ostenderet intentum eâ non concludi ratione, vel non posset, sed id, quod vult scriptor novi Testamenti, fateri teneretur. Si primùm dicatur, quis non videt injuriam sacris scriptoribus inuri, cùm eas rationes adducant, quæ, quamvis adductæ et prolatæ non essent, à nemine sanæ mentis desiderarentur, cùm apta illis, veraque solutio adhiberi posset? si secundum affirmetur, vinco ergò quod volo, scilicet rationum momenta esse juxtà rei naturam efficacissima, atque certissima.

Ut verò meam sententiam confirmem, in exemplum adducam rationes illas, quas existimavi posse esse tantùm topicas et probabiles conjecturas. Actorum quidem cap. 2, cùm Apostolos plenos Spiritu sancto, musto madidos judicarent fatui homines, nihil cœleste cogitantes, quò hanc depelleret à se, et suis calumniam gravissimam, et Ecclesiæ principibus indignam, quos oportet sobrios esse, non vinolentos, intraturosque in tabernaculum non vinum bibere, aut omne quod inebriare posset, olim in lege, ut observavit Hieronymus: *reprehendanturque graviter, qui mane surgunt ad ebrietatem, et principes, qui mane comedunt;* inquit primus Apostolorum Petrus: *Viri Judæi, et qui habitatis Hierusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia.* Probat non teneri Apostolos ebrietate, quia adhùc erat hora diei tertia, hoc est, juxtà horologia nostra antè prandium nona, in quâ juxtà consuetum vivendi modum, juxtà temperati hominis leges, nondùm studet aliquis calicibus epotandis. Nam mane ad ebrietatem surgere,

neque consuetudo ipsa, et præscripta lex, neque cordati, et temperantiæ studiosi vivendi modus patitur aut permittit. Itaque de temperatis, et religiosis viris, quales isti sunt, et in hâc diei horâ præsumi jure non potest.

At dicet quis: Optimè quidem adducta ratio; attamen, si terminorum inspiciatur natura, non sunt inter se necessariò connexa ista conclusio atque principium: Hora est diei tertia, ergo iste non est ebrius; potuisset enim à communi et temperato bibendi usu recessisse. Quamvis autem prudens, et probabilis tantùm conjectura sit, nullus tamen dicet aut ineptè, aut inutiliter adhiberi. Sed certè, si efficaciter hanc calumniam non depellit argumentum Petri, levis, futilis, et quæ plausu atque sibilis excipi posset, excusatio esset, indignaque ut in re adeò gravi coràm legis doctoribus et prudentibus hominibus adduceretur à Petro. Quare efficax ea censenda est, atque ità probans, ut nullo pacto illi satisfacere posset adversarius. Repeto autem id, quod dicebam suprà, non æqualem in omnibus certitudinem exigendam. Reduco ergò, quò magis vis rationis constet, eam in formam syllogisticam hoc pacto: Lege, moreque majorum receptum est à religiosis Judæis horâ diei tertiâ non prandere, non cibum sumere, non potare aut degustare quidquam; isti sunt viri Judæi, religiosique ac timorati, et est hora diei tantùm tertia; ergò observata est ab illis lex, et consuetudo, atque ideò nondùm sumpsêre prandium, nec ebrii esse possunt. Quid est in hâc ratione quod refelli possit, quod negari, quod rejici verè tanquàm minùs efficax ad propositum evincendum? Minorem syllogismi, quam negare poterat pertinax aliquis, præter anteactæ vitæ rationem, evidenter demonstrant ea, quæ statìm adducit de Joelis vaticinio in ipsis impleto. Major verò apud illos erat indubitata et certa. Hebræis namque non licuisse diebus festis antè horam sextam, hoc est meridiem, prandium sumere, constat ex Josepho in ejus vitâ; quâ horâ (scilicet sextâ) nobis, inquit, legitimum est sabbatis prandere. Et Act. cap. 10, vers. 9, dicitur ascendisse Petrum in superiora, ut oraret circà horam sextam. Hæc autem hora sexta una erat ex solemnioribus orationi deputatis, ut indicat Tertullianus lib. contrà Psych. cap. 80, Cassianus lib. 3, de Instit. Monach. cap. 3, et Cyprianus lib. de Orat. Dominicâ, sub quam horam sumebatur prandium. Atque exindè manâsse arbitror, quòd Justinus, lib. 36, sabbata dixerit jejunio esse à Moyse in omne ævum dicata, et quòd sabbati jejunium, penè proverbio apud gentiles jactatum fuerit, ut constat ex Suetonio in Octavio cap. 76: *Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tàm libenter sabbati jejunium servat, quàm ego hodiè servavi.* Nec verò pugnat cum eo, quod dicitur Judith cap. 7, quòd jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbata, næomenias, et festa domûs Israel; et quòd Hieronymus cap. 15 Isaiæ, Socrates Historiæ eccles. lib. 7, cap. 13, Moyses Ægyptius lib. 3 de temporibus, cap. de sabbato, et cap. de jejunio, docent sabbatis epulis atque otio vacâsse Judæos. Illi namque jejunia sabbatorum dicunt servata inviolabili lege usque ad horam sextam, post quam prandebant. Hi verò sabbatis jejunia negant ad solis occasum usquè producta, qualis aliorum jejuniorum observatio fuit. Sed de his vide Serarium in Judith cap. 8, quæst. 7. Imò et in Evangelicâ lege religiosis et clericis antè sacram horam diei tertiam inire convivia prohibetur, cap. Non liceat, 44 dist. Si hoc ergò erat apud Judæos solemne, atque legitimum, ut antè horam sextam diebus festis jejunia non solverent, isque dies Pentecostes erat solemnitate celebris, Apostolique, quamvis de plebe, viri tamen religiosi, et timorati erant, ut posteà demonstrat necessariò Petrus, quid isti rationi deesse potest, quominùs efficacissimam, et efficacissimè concludentem asseramus? Imò ex nullo alio capite, res si perpendatur benè, posset id quod volebat urgentiùs efficaciùsque concludi. Sed adscribo verba Nicolai 1, ad Consulta Bulgarorum, responso 60, quò magis constet nos verè hujus rationis invictum robur attigisse. « Consulen-
« tibus vobis si liceat absque jejuniorum tem-
« pore, quantulumcumque valdè mane come-
« dere, respondemus, quoniam neminem
« patrum nostrorum antè horam diei tertiam
« manducâsse, nec sancta Ecclesia antè ho-
« ram hanc traditionem sumendi cibum acce-
« pisse recolimus, vel monumentis quibus-
« cumque reperimus; è contrario verò quosdam
« eorum, usquè ad vesperum, alios autem
« usquè ad nonam horam diei, porrò alios
« usquè ad sextam invenimus jejunâsse, nul-
« lum autem mane cibi quantulumcumque
« sumpsisse comperimus; cùm potiùs, væ
« dictum iis, qui manè comedunt, fuisse lege-
« rimus; quamobrem ab isto maledicto vos
« alienos esse desiderantes, hortamur ut antè
« horam diei tertiam nullum omninò corpora-
« lem cibum etiam in ipsis insignibus solem-
« nitatibus omninò sumatis. Nam quæ so-
« lemnitas potest esse Pentecoste sublimior,

« in quâ Spiritus sanctus super Apostolos « descendit, ac per hoc homines meruerunt « in se suscipere Dominum? In istâ nempè « festivitate sancti Apostoli cum aliis non- « nullis, horâ diei tertiâ reperiuntur fuisse « jejuni, cùm repletos Spiritu sancto, et lo- « quentes omnium gentium linguis, quibus- « dam incredulis audientibus et obstupescenti- « bus, et quòd musto essent repleti, ii, qui « simul aderant falsò dicentibus, Petrus Apo- « stolorum princeps responderit dicens : *Non « enim, sicut vos æstimatis, ebrii sunt isti, cùm « sit hora diei tertia.* Ubi notandum, quòd non « solùm Apostoli, sed et omnes, qui cum « ipsis erant, centum viginti viri, super quos « Spiritus sanctus cecidit, horâ diei tertiâ « jejuni reperiantur. Simul etiam notandum, « quòd non dixerit beatus Petrus simpliciter : « *Non sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt;* sed ad- « diderit, *cùm sit hora diei tertia:* ac si paten- « ter diceret : Ipsi liquidò nôstis, quòd non « sit istis consuetudinis antè horam diei ter- « tiam jejunium solvere, quamobrem frustrà « illos ebrios esse putatis. Imitamini itaque « eos, ut Spiritus sanctus, etsi non tardiùs, « saltem horâ tertiâ diei vos jejunos inveniens, « sicut istos vos quoque inspiratione suæ « gratiæ repleat. » Hactenùs Nicolaus pontifex.

CAPUT III.

Idem ostenditur ex 1 Corinth argumentis desumptis.

Sed caput undecimum ex priori ad Corinthios Epistolâ multa nobis suppeditabit exempla. Proponit sibi eo loco Paulus duos abusus circà sacros cœtus qui inter Corinthios invaluerant, emendare, alter quòd viri præter decorum velatis capitibus prophetarent; contrà verò mulieres caput non velatæ in sacro cœtu apparerent: alter abusus circà sacræ Eucharistiæ perceptionem. Multùm enim valet in vitâ hominum illud, quod Græci Πρέπον, Latini decorum vocant, non tantùm ut gratiam quis, aut favorem suis actionibus conciliare valeat, sed ut animos etiam ad honestatem amplectandam assuefaciat. Paulus autem, ut probet mulieres decere, ut orent velato capite, duabus aut tribus utitur rationibus. Prima est : *Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus. Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Hæc videtur prima apostoli ratio. Quatuor hic personas inducit, Deum, Christum, virum, et feminam quamcumque, sive virginem, sive conjugatam; Deum esse caput Christi, Christum hominis, hominem feminæ, feminam verò nullius. Quod, quantùm attinet ad hunc hierarchicum ordinem et gubernationem externam, intelligendum est. Caput ergò Christi symbolicè representabat Deum, caput viri Christum, caput mulieris virum. Inquit ergò Paulus : *Si vir orat capite velato, mulier aperto, ille in suo capite operto deturpat Christum, femina in suo capite aperto deturpat virum;* nam vir et Christus symbolicè in feminæ et viri capitibus designantur.

Sed quæ vis est hujus rationis? Multi laborant multùm in explicando. Quidam Judæorum ritum velle Paulum evellere à Corinthiorum animis existi nant, et etiam gentilium, inter quos viri orantes obnubebant caput. Plautus in Amphit. act. 5, scen. 1 :

> Invocant Deos immortales, ut sibi auxiliumferant,
> Manibus puris, capite operto.

Lucretius lib. 5 :

> Nec pietas ulla est velatum sæpè videri,
> Vertere ad lapidem.

Josephus, lib 7 de Bello, cap. 24 : « Magnâque hominum quiete factâ surrexit, et amictu magnam partem capitis adopertus, solemnia vota celebravit. » Cur autem velato capite, ratio exstat apud Plutarch. quæst. Rom. quæst. 10 et Goropium Becanum lib. 4, de Origin. Antuerp. de quo statim, et 3 Reg. cap 29, de Heliâ dictum est: *Operuit Helias vultum suum pallio.* Verùm Judæi operiebant caput ex istorum sententiâ, ut mysticè caput suum Messiam latere adhùc, nondùm apparere indicarent. Igitur Corinthii caput operientes Judæorum more, gravem injuriam irrogabant Christo, et ejus gloriam jam latè mundo affulgentem, velut in symbolo obscurabant. Quarè jubet orare viros aperto capite. Verùm Judæos et gentes, quamvis orantes, operuisse caput negare non possumus; id tamen non superstitionis, sed venerationis faciebant ergò. De gentibus produco testem Plutarchum in quæst. Rom. quæst. 10, ubi inter alia : « Deos autem « operto capite adoraverunt, vel quòd eâ re « animi demissionem confiterentur, vel potiùs « quòd verentes ne qua vox mali omnis foris « accideret, usque ad aurem vestem attrahunt; « hoc enim eos admodùm vitare ex eo liquet, « quòd ad oraculum consulendum accedentes, « tinnitu æris circumsonantur; aut, ut Cas- « tor tradit, qui romana instituta Pythago- « ricis accommodat, ut ostendant genium, « qui in nobis est, deorum qui extrà sunt « ope indigere, iisque supplicare capita ope-

« riendo, per ambages arguentes animum à « corpore occultari atque tegi. » Ex nostris recentioribusque videas etiam Goropium Becanum lib. 4 de Orig. Antuerp. quo inquit : « Quæ verò causa mihi vera esse videa- « tur inter eas, quæ controversæ sunt « apud eruditos, ob quam diis velato capite « sacra fiant, breviter ostendam. Si unquàm « alibi locum habet, hoc age, certè nusquàm « locum habet magis suum, quàm in sacris. « Qui enim orat et sacrificat, totus in eo esse « debet quod agit, ne in eum quadret: *Hic « labiis me honorat, cor autem procul est à « me*, uti Deus quondàm populum suum re- « prehendit. Jam mens attenta esse non po- « test, dùm aures eam aliò distrahunt. Quo- « circà ne quis sacrificus audiat, quod animum « ejus à sacris avocare possit, caput velat, « togâ superiùs inductâ. Deindè posteri in su- « perstitionem prolapsi verba mali hominis uti « infausta, et sacrorum efficaciam prohibentia, « vitanda censuerunt. Quâ etiam causâ, quod « antè sano consilio fuit institutum, caput con- « tegebant, ne videlicet si quid sinistri audivis- « sent, sacra impedirentur. » Hæc Becanus. Id quod laudabiliter hodiè etiam in multis religionibus observari videmus, eâdemque ratione à Judæis receptum fuisse crediderim. Sed esto id ità esset conari Paulum hanc gentium et Judæorum superstitionem removere à Corinthiorum moribus, quid hoc ad feminam? An apud Judæos agentes feminæ orabant apertis capitibus? Minimè. In luctu quidem et viros operuisse caput, et feminas revelâsse testis est Plutarch. in quæst Rom. *Non aliâ ratione*, inquit, *nisi quia luctûs proprium est, quod insuetum est, assuetum porrò est viris aperto capite, feminas tecto in publicum prodire. Namque apud Græcos, quandò calamitas aliqua est accepta, mulieres tondentur, viri comam submittunt, quòd his tonderi, illis solemne sit comam pr mittere.* Alii deturpare caput sic accipiunt, quia vir operto capite dedecorat Christum, femina aperto virum, quia scilicet rem indecentem facit.

Mihi tamen tota illa textûs series, quæ de capitibus velandis à feminis, aperiendis à viris agit, ad unam tantùm rationem videtur reducenda, quam adhibuit Paulus, suo more, concisè, ut solet multa supplere et subticere. Desumit ergò argumentum, quo probet feminas orare debere velato capite, viros autem nudato, à consuetudine in hunc modum: *Consuetudo est apud prudentes et cordatos recepta, ut viri aperto capite prodeant in publicum cœtum, feminæ velato capite;* velato, inquam, capite, non velatâ facie, quod meretricium apud Hebræos erat. Propositionem istam infrà proponit cùm dicit : *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Hæc est major propositio: Sed hæc non est irrationabilis consuetudo; vos ergò illam debetis sequi, illi esse conformes, et mulier debet orare velato capite, vir autem aperto. Conclusionem reticuit, et minorem; mox totus est in minore probandâ, scilicet non esse illam irrationabilem consuetudinem, sed justam. Hanc verò probat ex dignitate Christi suprà virum, et viri suprà feminam, hoc pacto: *Deus est caput Christi, Christus viri, vir feminæ. Caput enim*, inquit Clemens Alexandrinus lib. 4 stromatum cap. 4, *est id quod principatum obtinet. Sic est autem Dominus viri caput, mulieris autem vir; vir est dominus uxoris, ut qui sit imago et gloria Dei.* Undè, ut dixit idem, *quævis mulier pudica est serva viri; quæ non est autem pudica, eum, qui unà versatur, superat amentiâ.* Ergò vir coràm Christo caput aperiat, ut nudari solet à minoribus coràm majoribus in reverentiæ et honoris signum; mulier verò operiat in submissionis symbolum. Neque enim uterque sexus eodem modo exhibet honorem suo capiti, sed vir aperiendo majorem honorat, mulier operiendo virum superiorem agnoscit, in cujus præsentiâ illa apparere non debet, sicut luna soli conjuncta non lucet, ut dicebat Plutarchus. Aliàs si vir operit, deturpat caput suum, eo facto reverentiam suo capiti Christo adimit, sicut qui coràm majori non assurgeret, non caput detegeret. Femina verò caput ostentans deturpat caput suum, scilicet virum, dùm re superiorem illum esse negat, seque coràm illo modestiæ et submissionis signa exhibere debere: aliàs, inquit Paulus statim, *idem est ac si tonderetur*, quod tamen turpe mulieri est, esset enim se velle virum profiteri, et tacitè incusare naturam, quòd non virum ipsam et dominum atque caput effinxerit, quòd prolixiores capillos dederit, quibus modestiæ et submissionis ergà virum admoneretur. Exstat in hanc rem Canon. 17, concilii Gangrensis sub Sylvestro primo, circà annum 324, in hæc verba: *Si quæ mulier propter divinum cultum, ut æstimat, crines attondeat, quos ei Deus ad subjectionis materiam tribuit, ut quæ subjectionis præceptum dissolvat, sit anathema.* Et habetur capite quæcumque mulier, dist. 30. Redit statim Paulus (solet enim aliquandò digredi à præcipuâ ratione, ut diximus quæst. 1, exposit. cap. 1, et observavit pater Salmeron.

tom. 17, qui est in Epist. ad Rom. lib. 1, disput. 6), redit itaque Paulus statim ad dignitatem hominis comprobandam, ratione cujus debet submissionem femina. Hanc autem dignitatem viri suprà feminam confirmat potiùs, quàm dignitatem Christi suprà virum, quia hæc nota erat, illa autem minùs fortassis certa propter innatum femineæ fragilitati ambitionis ingenium. Illam ergò confirmat, dicens : *Vir quidem non debet velare caput, quia imago Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro, etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Quasi diceret apertiùs: Vir debet coràm Deo non velare caput, quia illi debet honorem, cùm ad ejus imaginem effectus sit, atque ideò major et prior : femina autem velet in submissionis symbolum, quia major vir, cùm ea imago et gloria viri sit, quod attinet ad hanc externam gubernationem reipublicæ. Quòd autem sit quædam veluti imago viri, ac proindè ad ejus nutum vivere teneatur, et ad illius imperium, et rectos mores conformare se, ut consonet cum exemplari imago, indè perspicietis quòd non vir ex muliere, sed è contrà mulier ex viro. Ex quo datur intelligi, neque virum propter feminam, sed feminam viri causâ, hoc est in adjutorium et communem vitæ societatem procreatam fuisse. Nec verò nostræ ordinationi sententiæ Pauli repugnat, imò favet expositio Isidori Pelusiotæ lib. 3, Epist. 95: « Si enim anima ad Dei imaginem condita est, « procul dubio mulieris quoque anima. Quor« sùm itaque dixit Paulus : *Vir non debet ve« lato esse capite, est enim imago et gloria « Dei, mulier autem gloria viri est.* Nam cùm « mulieris anima immortalis atque interitùs « expers sit, quemadmodùm et viri anima, « quid tandem affertur, quamobrem Paulus « cum distinctione quâdam istud dixerit? Quòd « si adversùs hæc Moysem adversùs Paulum « armantes, illud protulerint : *Faciamus homi« nem ad imaginem, et similitudinem nostram,* « maximè quidem illud dicere licet, singulare « esse dictum istud, ac non de utroque enun« tiatum esse. Verùm hoc tamen minimè esse « dicemus. At si, id quod deinceps sequi« tur, produxerint, et imperent, jam no« bis hæc verba suffragabuntur. Hinc enim « perspicuè demonstratur divinæ imaginis « decus in imperio tanquàm certâ notâ insig« niri. Quòd si quærant quid causæ fuerit « Paulo, cur virum divinam imaginem, mulie« rem autem viri imaginem esse pronuntiavit, « illud respondebimus, quòd primùm quidem « pari honoris gradu mulier erat, atque divino « beneficio imperii jus obtinebat. Postquàm « autem lapsa est, imminutum ac mutilatum « est ipsius imperium, ac sub viri potestatem « redacta est. Honoris æqualitatem non tulisti : « inferiorem gradum accipe. *Ad virum erit « conversio tua, et ipse dominabitur tui.* Ita« que liber quidem ille, qui à mundi effectione « nomen ducit, mulieris antè peccatum impe« rium declarat, apostolicum autem oraculum « subjectionem eam, quæ peccatum consecuta « est. » Hæc Isidorus Pelusiota. Ac ne quis vir ex istâ ratione Pauli nimiam et insolentem sibi arrogaret dignitatem, ac persuaderet sibi feminam instar vilissimi mancipii haberi posse, Paulus, remisso paulisper probationum calore, orationem temperat, inquiens : *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino,* etc. Aliam quoque rationem velut parenthesim interserit, quâ expediat mulieres velare caput propter Angelos, hoc nomine vel intelligens sacerdotes altari ministrantes, qui comâ femineâ, cujus, ut dixi quæstione præcedenti, maxima vis est in alliciendo, facilè irretiri, et à sanctitate ac puritate deturbari possent; vel etiam Angelos dicit invisibiles spiritus, qui sacrificanti sacerdoti assistunt; in reverentiam itaque custodum Angelorum vult velari, indecens enim habitus est in feminâ ostentatio comæ. Denique oportere velare probat ratione desumptâ ex naturâ ipsâ, vel ipsos judices compellans, inquiens : *Vos ipsi judicate, decet mulierem velatam orare Deum ?* Consulite naturam, illa vos rectâ ad hujus rei cognitionem deducet viâ. Feminæ prolixiorem dedit comam, viro minimè, nec sine causâ : ut admoneret istas velo indigere quod submissionem significet, virum verò capite cooperto Deo reverentiam exhibiturum, illumque decere, ut tanquàm caput femineum exstet et emineat inter omnes.

Addo ut coronidem verba Basilii lib. de verâ virginit. pag. mihi 531, col. 2, in fine, ubi et harum rationum seriem et vim attingit, et secundæ rationis novum alium depromit sensum. Inquit itaque : « Igitur, si nihil est opertum, quod non reveletur, propter omnes quas prædixi rationes, virgo et cùm sola est, suimet, ne peccet, curam sollicitam habebit. Nec modò hominum vitabit obtutus, verùm longè digniùs, suos, Angelorumque ubique cuncta spectantium verebitur. Idcircò enim debet, inquit, mulier potestatem in capite habere propter Angelos. Non decet virginem etiam cùm sola domi est, ideò quòd nullus adsit hominum, passim licen-

terque nudari. Multùm enim habet illecebræ, (ut idem sæpiùs replicem) multùmque roboris natura feminea ad omne, quod sit masculini generis, contrà se attrahendum. Nec verò idcircò solùm oportet se observare sollicitè, ac dæmonum fraudes, quæ nobis jugiter insidiantur, habere suspectas, sed et propter verendos omnibus Angelos, potestatem, inquit, habere debet. Vir enim cùm angelicæ quodammodò sit dignitatis, nudo capite cognatæ confidens naturæ cernatur. Mulier verò, cùm per naturam viro longè inferior sit, potestatem habeat in capite. Atque ex eo quòd potestatem habere dignoscitur, subjectionem suam, quæ præstantiori subest, honestissimè præferat : Ideò, inquit, natura ipsa crinibus jam tunc à principio mulieris caput operuit, eo ipso admonens non decere mulierem, non modò ullum membrorum cæterorum, verùm ne caput quidem temerè, indifferenterque nudare. Et quoniam solæ absentibus viris id attentare consueverunt, ideò dignitatem aliam præstantiorem viris adjecit, dicens : *Propter Angelos*, qui et ubique præsentes sunt, et omnia, quæ geruntur, inspiciunt. Revereatur ergò omnis mulier, sed virgo inprimis, Angelos, etiam cùm domi sola nullis viris arbitris residet. » Hactenùs divinus magnusque Basilius.

Videte quantùm nobis negotii facesserit Paulina ratio, et tamen haud scio, an ejus difficultatem penitùs exhauserimus. Sed, ut id quod volumus, colligamus, compendio illam redigamus in concisiorem formam. Consuetudo est in Ecclesiâ feminas velare caput, viros aperire. Est rationabilis et justa : ergò à nobis observanda. Major ex facto constat, minorem probat. Quivis coràm suo superiore ac capite honoris notam æquum est exhibere. Christus viro, vir feminâ superior et caput est : ergò decet virum Christo, feminam viro cultum et honorem deferre. Majorem subticet, ut sæpè; minorem probat inferiùs, cùm inquit virum non esse ex muliere, neque propter mulierem, sed è contrà ; undè et sicut vir imago Dei est, ità et femina imago viri. Consequentiam autem evolvens ait rursùs : Sed vir aperiendo caput, honorem exhibet, et alium se majorem profitetur ; mulier velando se submittit viro. Igitur ille detecto, hæc velato debet orare in Ecclesiâ ; aliàs si ordo pervertatur iste, erit deturpare caput suum, hoc est, negare cultum debitum, et velle tonderi et decalvari, quod alienum est à feminæ naturâ et conditione. Secunda ratio desumitur ab inconvenienti. Magnum est periculum in ostentandâ comâ ; periclitantur vel ipsi Angeli, id est, sacerdotes altari ministrantes, vel ipsi concionantes, et annuntiantes bona : ergò ad vitandum periculum velari debet femina. Denique probat ex auctoris omnium fine : Deus et natura nihil faciunt frustrà, sed ex fine aliquo. Feminis prolixiorem comam dedit, viro negavit ; ergò ex aliquo fine, ergò ut operiret femina caput. Atque hunc esse naturæ finem vel ex eo constat, quia naturæ tacito sensu ignominiosum judicat femina, si privetur comâ. Ex his liquidò colligitur non usum Paulum argumentatione tantùm topicâ, atque probabili, sed necessariâ, quantùm subjectæ materiæ natura patitur, certissimâ et efficacissimâ. Quid enim in quâvis istarum rationum reperies, quod non ejusmodi sit ? Consideremus breviter et suspensâ manu unamquamque. Argumentum à consuetudine desumptum efficacissimum est, cùm illa vim legis obtineat ; et quòd ad Ecclesiæ consuetudinem attinet, tanti apud pium quemque ponderis esse debet, ut quamvis nec Scripturarum testimonia exstarent, nec sanctorum scripta, illa sola sufficiat, ut optimè lib. 3 contrà hæres. cap. 3, et aliis in locis testatum reliquit Irenæus. Itaque ab hâc parte validissimum telum contorquet Paulus. Sed videamus quò probet esse rationabilem et justam consuetudinem, quia superiores honorare æquum. Hoc autem signo vir Christum, et femina virum superiorem agnoscit : aliàs, si feminæ liceret non hoc signo suum caput virum agnoscere, idem esset ac velle tonderi, quod tanquàm absurdum manifestum infert. Quid etiam in hâc ratione quòd non necessariò concludat, cùm majorem ostendat naturæ lumen, minorem verò apud homines recepta consuetudo ? Sed et secunda ratio, quæ ab inconvenienti desumitur, quàm efficax timorato cuique, qui vel proximi scandalum vitare, vel coràm sanctis Angelis se honestè gerere tenetur! Quantam quoque vim habeat tertia ratio desumpta ex tacito naturæ sensu quis non videt ? cùm in isto tacito consensu naturæ, et ad divinitatem probandam, et ad animi immortalitatem præsagiendam non parùm momenti esse judicaverint semper sapientissimi quique.

CAPUT IV.

Examinatur efficacia rationis, quæ est apud Jacobum 2.

Sed quoniam nullam ex rationibus, quas sacri scriptores adducunt, diximus alienam esse à proposito, age proferamus nonnullas, quæ ve videntur omninò inefficaces, et ab eo, de quo

agebatur, alienæ, aut saltem difficilem explicationem habent. Omitto illam quâ utitur in Actis, ut probet Deum non longè abesse ab unoquoque nostrùm, quoniam in ipso vivimus, movemur et sumus, quam 1 part., quæstione 3, examinavi latissimè, ostendique esse efficacem atque formalem consequentiam, vindicavi à recentiorum calumniis, et sanctorum Patrum testimoniis ostendi communem eorum sensum fuisse ibi ex operatione collegisse Paulum immensitatem Dei, et de illo rursùs agam part. 2 Variarum Disput.

Profero ergò imprimis ad explicandum rationem illam, quâ utitur Jacobus, ut evincat fidem sine operibus, sine recto voluntatis affectu nequaquàm ad justitiam et salutem sufficere. Inquit cap. 2 : *Tu credis, quia unus est Deus. Benè facis. Dæmones credunt et contremiscunt.* Itaque videtur argumentari Jacobus isto pacto: Dæmones credunt vel trementes, et tamen non justificantur. Ergò, quòd tantùm credas Deum esse unum, non est ad justificationem obtinendam satis. Quæ ratio, si qua alia, in Jacobo difficilis est, nam vel ex eâ sequitur fidem infusam inesse dæmonibus, qualem nobis in baptismate infundit Deus, vel inane, imò omninò extrà rem esse argumentum Jacobi. Quòd sequantur ista duo sic ostendo: Vel cùm dicit Jacobus dæmones credere, credendi verbo intelligit actum fidei infusæ vel adquisitæ. Si infusæ, efficaciter quidem probat non reddi nos justos solâ fide : attamen sequitur donum infusæ fidei in dæmonibus permanere adhùc. Quod si verum esset, non solùm falsi, et majori notâ digni essent theologi nostri, dùm fidei ordinis divini donum in dæmonibus exstare adhùc constantissimè negant, nonnullis iisque non magni nominis exceptis. Quòd si credendi verbo in dæmonibus intelligit Jacobus actum fidei humanæ et adquisitæ, inepta videtur esse ratio. Quid ad rem ? dicet adversarius. Quorsùm, ô Jacobe, fidem meam cum fide dæmoniorum comparas ? Quid illi actui credendi commune cum meo ? Fides mea donum quoddam est divinum ac divinitùs infusum; fides verò dæmonum habitus quidam longè inferioris ordinis quantùm divina distant ab humanis. Quid ergò mirum si dæmonum fidei nulla, nostræ verò maxima justificandi vis insit? Ut recta, ô Jacobe, et juxtà dialecticæ regulas tua sit comparatio, et argumentum ab exemplo sumptum vim habeat, inter similes rationes versetur necesse est; non autem similis fides adquisita divinæ, nec ejusdem cum illâ rationis. Non ergò quoad vim justificandi comparari possunt inter se, aut conferri. Et hujus rationis debile robur ostendo magis ex efficaciâ rationis, quam subdit statim. Probat Abrahami exemplo fidem ad justitiam non valere, quia Abrahami justificatio minimè fidei tantùm, sed fidei et operibus tribui debet. Efficax sanè argumentum, quia fides Abrahami cum nostrâ par est, et ejusdem rationis. Undè si in illo vim justum efficiendi non haberet, nisi accederent opera, nec nos sine operibus justos reddet. Pari ergò ratione, ut efficax esset argumentum à dæmonum exemplo, et ejusdem rationis esse deberet et fides illorum et nostra. Quòd si non est, ut communis theologorum affirmat sententia, extrà rem videtur esse Jacobi argumentatio. Vereor, ne dùm nimis urgeo Jacobi argumentum, illius auctoritatem et pondus videar elevare. Sed ideò animo facio, quò magis veritas elucescat : disputationes enim, ut inquit Tullius, nihil aliud agunt, quàm elicere id quod verum sit, vel quod ad veritatem quàm proximè accedat.

Hunc nodum alii aliâ ratione dissolvere conantur, sed meo judicio arctioribus nodis se implicant et astringunt, dùm ab isto se expedire contendunt. Quidam de fide adquisitâ dæmonum loqui Jacobum, nec esse efficax argumentum planè fatentur, sed similitudinis et exempli loco inductum. Temerè sanè, nisi valdè fallor; nam si semel demus esse argumentum etiam petitum ab exemplo fidei adquisitæ dæmonum, non solùm inefficax, sed ridiculum, et extrà rem esset argumentum Jacobi, ut suprà evidenter ostendimus. Adde licèt in aliis minoribus probandis uti scriptores sacros levibus conjecturis, probabilibus rationibus, utcumque ferri posset, attamen quandò contrà hæreticos agunt, firmas adduci rationes, et quæ dissolvi sine absurditate non possint, fatendum est, ne irrisione digna faciamus divinorum auctorum scripta. Alii rationem istis verbis inesse negant, succumbentes argumenti ponderi ; sed sicut inter arguendum aliqua concessa ab adversariis accipimus et laudamus; ità, inquit Jacobus, *credis quia unus est Deus ?* rectè certè : veritas enim ista, vel ipsis dæmonibus trementibus in confesso est. Non omninò malè. Sed neque isti placent, quia video Augustinum quoties in hujus testimonii explicationem incidit, velut argumentum à Jacobo factum usurpare. Undè fidem sine operibus fidem dæmoniorum appellavit non semel. Libro de gratiâ et libero arbitrio, capite septimo in fine, cùm ageret de fide quæ per dilectionem operatur, inquit : « Ipsa est fides

quæ fideles Dei separat ab immundis dæmonibus, et ipsi, sicut dicit Apostolus Jacobus, credunt et contremiscunt, sed non benè operantur. Non ergò habent istam fidem, ex quâ justus vivit, id est, quæ per dilectionem operatur, ut reddat ei Deus vitam æternam secundùm opera ejus.» Vide etiam libro de fide et operibus cap. 14, et in fragmentis fragm. 7.

Expono ergò vim hujus rationis uno verbo: Propositum Jacobo ostendere sine voluntate bonâ nemini evenire justitiam, quamvis credat. Id probat duobus exemplis, unum à dæmonibus petit: dæmones credunt et contremiscunt, hoc est, dæmones tantùm habent fidem, et non opera, et tamen eos in suâ obstinatione et iniquitate perseverare nemo nescit. Ergò fides sine operibus non justificat. Itaque non eo probat, quòd dæmones habeant hanc vel illam fidem; sic enim vix ostendi posset rationis efficacia, sed quòd, sive hanc, sive illam, sive adquisitam, sive infusam habeant, sine voluntate bonâ est, quod indicat illo verbo, *et contremiscunt*. Undè plenè diceretur: Dæmones credunt tantùm, et non operantur. Subticet verò alteram partem antecedentis: et tamen iniquitate pleni sunt. Posteà verò secundo exemplo probat operibus cum fide conjunctis parari justitiam. In quo non intelligamus urgere Jacobum, quòd Abrahami fides fuerit supernaturalis, vel naturalis entitatis, cùm hoc ad fidei dogmata minimè pertineat, sed quòd operibus etiam studuit. Itaque non ex qualitate fidei, sed ex defectu, aut appositione operum argumentum ducit.

CAPUT V.

Alia ratio Pauli 1 Corinth. cap. 15 discutitur.

Sed vocat nos alia ratio, quâ utitur Paulus 1 Corinth. cap. 15, ubi resurrectionem corporum futuram variè stabilire conatur, nunc è resurrectione Christi capitis nostri, nunc aliis rationibus, inter quas et istam profert: *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? Ut quid et baptizantur pro illis?* Quasi dicat: Si non est resurrectio mortuorum, frustrà pro mortuis nonnulli baptizantur. In varias expositiones impulit loci difficultas, et Patres et interpretes; perstringam breviter singulas. Quidam baptizari pro mortuis ità intelligunt, quia baptizandi symbolum Apostolorum recitabant, in quo est articulus resurrectionis mortuorum. Placuit Theophilacto et Chrysostomo tom. 4, homil. 38; sed dura certè interpretatio: eodem modo pro Trinitate baptizari dicerentur, quia et hujus etiam atque aliorum articulorum protestatio in symbolo. Alii sic: Ut quid, qui baptisma suscipiunt pro mortuis, hoc est, pro peccatis animæ delendis, vel morti obnoxiis nostris corporibus? Ità Chrysostomus etiam in hunc locum. Displicuit hæc expositio Cajetano, quia non rectè pro mortuis, id est, pro peccatis, quis baptizari dicetur; nam peccata non mortua, sed mors animæ dicuntur, et quòd baptizari pro illis, esset baptizari, non in detestationem, sed in favorem illorum, sicut et pro aliquo agere, id est, in favorem illius; et quod esset homonymia et æquivocatio in voce mortui in eâdem periodo; sensus enim esset: Ut quid baptizantur pro mortuis, id est peccatis, si mortui, id est peccata, non resurgunt? Alii verò: Ut quid, qui baptizantur pro mortuis, id est pro Christo? Nam in nostro baptismo ejus repræsentatur mors et resurrectio. Sed insolens, et dura locutio pluribus, impugnata à Salmerone disputatione 24, in hanc Epistolam. Alii notare hoc loco Paulum superstitiosam suo tempore introductam consuetudinem apud Corinthios, nimirùm quòd viventes baptizarentur, morientium loco, quò illis, qui jam abierant, baptisma prodesset. Quàm multis hæc arrisit expositio! Sequuntur Ambrosius, Tertullianus, dùm hic non catholicos, sed hæreticos notari docet, de Resurrect. carnis cap. 48, et ex recentioribus Erasmus, aliique complures. Sed et rejicitur à Salmerone loco citato, quia credibile non est errorem illum in tantâ veritatis luce viguisse Apostolorum tempore in Ecclesiâ. Mirum quoque si ità fuit inveteratus mos, non agnitum à veteribus Patribus, cùm tamen Chrysostomus et Theophilactus hanc fabulam irrideant. Deniquè hæresim hanc longa post tempora invectam fuisse in Ecclesiam ibidem multis confirmat. Alii putant à consuetudine veteris Testamenti Paulum argumentum ducere: nam inter sacrificia mortuorum erant baptismata, cùm quis immundus contactu morticinii, antequàm lavari posset et expiari, in pietate tamen decessisset, alius abluebatur pro eo. Tribuitur hæc explicatio Ephrem Syro, sed nescio quod illa unius pro alio ablutio fundamentum habeat in sacrâ Scripturâ; legem certè de eo latam ostendi non potest, sicut quòd neque unus pro alio circumcideretur, aut Sacramentum susciperet. Alii baptizandi verbum sumunt pro pati, quod non infrequens est in sacris litteris, ut constat Lucæ cap. 12, Matthæi cap. 10, et in illo, *baptismo habeo baptizari*. Dicunt ergò: Si non est resurrectio mortuorum, ut quid alii patiuntur, id est, se

castigant jejuniis et oblationibus, mortuorum causâ, et ut animæ defunctorum expientur? Nam ex immortalitate animæ rectè colligi resurrectionem mortuorum dicemus posteà. Hanc repudiatis omnibus superioribus amplectitur Salmeron loco citato, et Emmanuel Sa in hunc locum Pauli. Displicet mihi, quia impropriè interpretatur verbum baptizandi, cùm propriè explanari possit. Alii : Ut quid baptizantur pro mortuis, id est, ipso baptismo resurrectionem mortuorum profitentes, scilicet in aquam mersi, velut in sepulcrum, et indè velut exsuscitati emergentes? Sic Emmanuel Sa. Dura certè, nec nisi vi adhibitâ, congruit verbis Pauli.

Sed heus tu, qui rejecisti omnes, quam nobis affers probabiliorem expositionem? Offero duas, si cui displicuerint, probabiliorem afferat, et amplectar libenter. Prima : Ut quid baptizantur pro mortuis? Supplenda oratio isto pacto : Ut quid baptizantur qui jam habentur pro mortuis? ac si diceret : Si non speratur ex mortuis resurrectio, cur qui jamjam morti sunt proximi, tanto animi conatu baptismum exigunt? Inutilis esset conatus iste, atque contentio. Itaque sicut statim argumentum sumit à periculis, quibus se quotidiè exponit pro annuntiandâ resurrectionis veritate, procurandâ fidelium salute, defendendâ atque propagandâ Christi gloriâ, cùm inquit : *Utquid nos periclitamur in omni horâ?* Existimare autem à viris prudentibus, tot pericula suscipi sine magnâ causâ, prudentia atque ratio non permittit. Itaque ex contentione, quâ baptismalem aquam efflagitabant nonnulli jamjam morituri, quamque non sine magnâ spe immortalitatis exigi à cordatis viris credi potest, argumentatur Paulus. Auctorem hujus expositionis laudo Epiphanium hæres. 28, qui eam paucis indicavit, quâ inquit : *Cæterùm alii hoc rectè dictum interpretantes dicunt, quod morti vicini, si fuerint in pietatis doctrinâ instructi, ostendent, quòd qui mortuus est, etiam resurget, et ob id indiget remissione peccatorum per lavacrum.*

Produco aliam quæ mihi planior, simplicior videtur et apertior, an etiam verior vestrum erit judicium. Ablui solita defunctorum corpora antequàm vel inferrentur sepulcro, vel igni traderentur, vetus fuit olim, et recepta consuetudo, tàm apud Ethnicos, quàm Christianos. De Ethnicis probant ista, Apuleius lib. 8 Metamorph. : tùm properè familiares miseræ Charites accuratissimè corpus ablutum munitâ sepulturâ ibidem perpetuam conjugem dedêre. Ennius :

Tarquini corpus bona femina lavit et unxit.

Virgil. 6 :

Corpusque lavant frigentis et ungunt.

Asconius in divinat. : Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum mortuorum. Rationem reddit Cornelius Celsus in præfat. lib. 1, de re medicâ, Plinius, et ex eo Servius Æneid. 6, quod plerumque putetur exclusus vitalis spiritus, qui calidæ aquæ ablutione, veluti sopitus excitatur. De Christianis hæc quæ subjiciam, Dionys. Alexandr. in epist. ad fratres, quæ exstat apud Eusebium lib. 7, cap. 27, agens de charitate Christianorum flagrante pestilentiâ, ait : *Qui etiam sanctorum corpora manibus erectis, supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lavare accuratè, et linteo funebri involvere non gravati sunt.* Act. cap. 9 : *Quam* (scilicet Tabitham) *cùm lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.* Sidonius Apollin. lib. 3, epist. 3 : *Quibus nec ablutis vestimenta, nec unctis sepulcra tribuebant.* Tertull. in Apologetico cap. 42, Gregor. homil. 39, lib. 3, Dialog. cap. 17, et lib. 4, cap. 16, et cap. 27, Beda de exequiis sancti Guthberti, quem refert Amalaricus de divinis Officiis lib. 4, cap. 41, Gregorius Turon. histor. lib. 2, cap. 5, et lib. 4, cap. 5. et lib. de glor. confess. cap. 17, 42, et 104. Consulat lector de hâc re Durantium de ritibus Eccl. lib. 1, cap. 73, et Lorinum in Act. cap. 9, in illa verba, quæ suprà posuimus, et Guillelm. Durandum in rationali divin. lib. 7, cap. 35, num. 36, et Petrum Belet de mortuorum officio. Haud dubiè, quia firma est apud Christianos omnes resurrectionis spes, defunctorum habita cura pia et religiosa, ut testatur Petr. Gregor. in Syntag. juris lib. 2, cap. 13, et Lorinus Act. cap. 9, sicut et ex eâdem origo sepulcrorum orta. Ab hâc ergò consuetudine fidelium ducit argumentum Paulus nec ignobile, explicans ejus consuetudinis ecclesiasticæ finem et mysterium isto sensu : Si non est resurrectio mortuorum, si corpora in cineres et favillas abibunt tantùm, cur ergò fideles cadavera abluentes, et ipsi baptizantur pro mortuis, id est, mortuorum abluendorum causâ? Si enim ea corpora resurrectura minimè credunt, quid oportebat ablui? Parùm certè referebat pura aut immunda terræ commendari. Antiquis autem maxima pœna fœdatum mori aut sepeliri, ut Hieronymus Oleaster colligit ex Levit. cap 20. Ea ergò cadaverum

ablutio, quæ et apud gentes, et apud Catholicos in usu, Catholicis scientibus, gentibus mysterii ignaris, protestatio quædam resurrectionis est. Aliàs cur abluerentur cadavera, nulla superesset ratio. Ut quid ergò qui baptizantur pro mortuis? ac si diceretur hispanicè : *Para que se mojan por ocasion de los muertos, ô por lavar los muertos, sino ha de resucitar aquel cuerpo?*

Sed reperio aliam expositionem optimam etiam apud Isidorium Pelusiotam lib. 1, epist. 221, desumptam ex fine baptismi, quo abluitur immediatè corpus, sicut et infrà argumentatur ex fine laborum, quos patiebantur. Inquit itaque : *Si mortui omninò non resurgunt, ecquid etiam nonnulli pro ipsis baptizantur?* ait divinus Apostolus, *atque corporis naturam tàm præclarè cum animæ integritate comparamus?* Hæc enim finis expers est, et immortalis, illud corruptioni ac mutationi subjectum. Pro corporibus itaque naturà mortuis et extinctis baptizamur, ea in immortalitatem, ac statum à corruptione alienum mutari credentes. Atque horum verborum hæc sententia est : *Omninò*, inquit, *si corpora nostra ad vitam minimè redeunt, quid afferri potest quamobrem, cùm baptizamur, ea in statum corruptionis atque interitûs expertem mutari credamus?* Hæc Isidorus.

CAPUT VI.

Alia ratio Pauli ad Romanos cap. 4, enodatur.

Paulus ad Romanos cap. 4, ad probandum Abrahamum non ex operibus, sed ex fide justificatum esse, nonnulla adducit argumenta, quæ nostro indigent examine; ea enim nullo modo, nec probaliter videntur propositum concludere. Nam primùm dicit : *Si ergò Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam sed non apud Deum.* Ubi ut liquet, argumentatur ducendo ad inconveniens, quod sequeretur, quòd haberet gloriam, sed non apud Deum, si ex operibus justificatus esset. Quæ ratio omninò videtur inefficax propter duplicem causam. Prima, quia consequentia nulla est, non enim consequitur : justificatus est ex operibus. Ergò non habet gloriam apud Deum. Imò contrà videtur sequi, quòd si alicujus tàm præstans et excellens virtus esset, ut per sua bona opera, suoque, ut ità dicam, marte justitiam assecutus fuisset, is in magnâ gratiâ, pretio, et gloriâ à Deo habendus esset. Deindè, quia quamvis sequeretur, quòd quid justificatur ex operibus, non habet gloriam, laudem et gloriationem apud Deum, tamen id non videtur habere inconveniens, quarè negandum sit Abrahamum ex operibus justificari.

Ad hoc, ut respondeam, aliorum commentationibus omissis, suppono primùm opera, quibus negat justificari Paulus, esse opera, vel à lege, vel à ratione præscripta, quæ quis viribus eliceret, non verò à Christi fidei spiritu, hoc est à gratiâ, et auxilio per Christum profecta. His enim negat unquàm aliquem justificatum, neque justiorem effectum. Quoniam hoc illi erat certamen cum Judæis, et gentilibus constitutum, idque erat illi probandum adversùs illos. Nam alii dicebant se juxtà præscriptum rationis vivendo sine Christi spiritu, solâ legis notitiâ, justos effici, et ex consequenti, non egere fide, et religione Christi ad justificationem; alii verò præscripta à veteri lege ritè observando. Contrà utrosque statuit nullum opus non à spiritu fidei Christi profectum, quamvis rationi aut legi conforme, quemquam justificare, verùm etiam si quis ex impossibili (nam re ipsâ fieri non potest); ergò si quis per suas vires, omnia ea, quæ ratio præcipit, aut quæ lex præscribit, obiret sine fide et gratiâ Christi, profuissetque, et assecutus fuisset omnem partem justitiæ suo marte, illi quidem ex justitiâ, sed non ex misericordiâ et benignitate Dei gratis, illi justitia et gratia infunderetur. Nam opera ex nostris viribus præcedentia enervant rationem doni atque gratiæ, ut ostenditur secundâ parte variarum Disputationum, neque in eo ob id quòd talis esset, laudaretur, et celebraretur Dei benignitas, et misericordia, ejusque summa et excellens in humanum genus benevolentia. Sanctis autem viris et justis hoc est antiquum, ut nunquàm de se, aut suis viribus, sed de Dei ergà ipsos misericordiâ et benignitate glorientur; eamque unam ducant pro summâ suâ laude, quòd sint vasa misericordiæ, et non quòd ipsi effecerint, sed quòd Deus in illis benignè fecerit, id laudandum et prædicandum putant, dicuntque omnes, *quoniam laus mea tu es.* Et : *ego in Domino gloriabor.*

Hæc cum rectè statuta sint, jam facilè constare potest Pauli conclusionem illam optimam esse, in nulloque peccare. Nam cùm dicit : *Habet gloriationem, sed non apud Deum*, non significat non laudari à Deo, qui suis viribus omnem justitiæ partem assequeretur, si evenire posset ut aliquis talis existeret (qui enim, qui bonus esset, placere Deo non posset?); sed significat talem non habere gloriam secundùm Deum, id est, non posse jactare,

aut prædicare divinam ergà se benevolentiam, et misericordiam magnam exstitisse, ut exponit Chrysostomus, neque posse gloriari de eo, quòd illi Deus præclara dona gratiæ et justitiæ gratis infuderit, animumque suum ex pravo non solùm rectum, sed etiam divinæ naturæ participem fecerit, et ad altius atque excellentius vivendi genus evexerit, quod facit in his, qui ex spiritu fidei per Christum justificantur. Nam qui suis viribus ac virtute (id si fieri posset) in officio versatur, ut demus aliquid efficere, id tantùm assequitur, ut in opere rectitudinem servet, et in animo habitum ad rectè operandum adquirat, eaque est illius tota justitia actus rectus, et habitus adquisitus ad rectè operandum, deque his bonis jactare se potest, et laudem sibi vindicare. At qui ex fide et charitate Christi justus efficitur, multò excellentiora et majora dona habet sibi à Deo per Christum collata, quibus non solùm rectus efficitur, sed planè divinus, Deique filius, et in se inhabitantem Spiritum sanctum, jusque ad hæreditatem cœlestem, bonaque illa omnem quæ sensum superant, consequenda ; exstatque in illo magnum Dei benignitatis documentum, videtque se à Deo diligi, idque gratis magnâ Dei benignitate ; quæ res omnes et laudabiles et prædicabiles sunt, valentque ad gloriationem et laudem, multò magis, quàm illa quæ is assecutus fuisset, qui suis viribus semper in officio permaneret, aut officio satisfaceret. Deque his bonis gloriari, hoc est, Dei misericordiam in se prædicare, habere gloriam apud Deum vocat Paulus. Et ità rectissimè infert, quòd si Abraham ex suis operibus, id est, ex suis actionibus honestis, quæ suis viribus obiisset, habuisset justitiam, ea justitia præter quàm quòd imperfecta esset, et multis modis maculosa, laudem illi conciliaret studiosi et industrii, sed non divini et filii Dei, et à Deo misericorditer et indulgenter habiti, et in eo sua industria, non autem divina, et excellens pietas prædicaretur. Quod esse maximum inconveniens sequitur, quia est contrà id, quod sancti omnes atque justi in se agnoscunt et dicunt, ut ex citatis locis sacræ Scripturæ liquet. Itaque in illâ oratione et sententiâ Pauli inest ellypsis quædam, aut potiùs reticentia. Erit autem integra ejus oratio : Si Abraham ex operibus justificatus est, habet laudem quamdam ex parte, id est, industrii et officiosi, sed non ad Deum, id est, non à Deo indulgenter habiti, et misericorditer justificati, et divinis bonis, ex Dei benignitate affecti et cumulati, prædicareque poterit suam industriam, non verò Dei ergà se clementiam et largitatem, quod alienum esse ab Abraham, et omnibus viris justis sacra Scriptura docet, ipseque Abraham dicens : *Minor sum cunctis miserationibus tuis.*

Hoc concluso transit ad aliud argumentum, quod examinemus etiam oportet, nam sequitur. Quid dicit Scriptura ? *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Et infert : *Operanti merces non imputatur ei secundùm gratiam, sed secundùm debitum, non operanti verò, credenti tamen in eum qui justificat impium, fides reputatur ei in justitiam.* Quorum verborum ista est conclusio : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, sed operanti merces non imputatur secundùm gratiam, sed credenti. Igitur non ex operibus, sed ex justitiâ fidem assecutus est. Quâ conclusione nihil aptè concludere videtur, sed nec terminis utitur, ex quibus rectè aliquid colligat, quin potiùs utitur quatuor terminis. Ad hæc ex proposito testimonio non rectè videtur colligi, et quasi subsumit operanti mercedem non imputari secundùm gratiam, quasi dictum in illo fuisset, quòd Abraham credenti secundùm gratiam, vel gratis justitia attributa sit, quod tamen non dicitur neque expressè, ut patet, neque in virtute. Nam nullum verbum eorum, quæ in illo testimonio sunt, significat aut innuit gratis Abrahamo justitiam fuisse collatam. Nam neque ex eo quòd credenti data dicitur, sequitur quod gratis fuerit data, neque ex eo quòd imputatum illi dicitur ad justitiam, etiam imputandi verbum gratuitatem collationis significat, neque verò ipsum nomen justitia gratuiti doni rationem in suâ notione includit, nam et quæ ex meritis datur justitia, justitia planè et dicitur, et est.

Verùm respondendum est Paulum rectè ducere rationem ex illo testimonio, et syllogistice, et efficaciter intentum concludere, totaque argumenti vis in imputandi aut reputandi verbi significatione, atque ratione consistit. Reputandi namque aut imputandi verbo Hebræi etiam utuntur in hâc significatione, nam habet alias plures. Cùmque imputare aliquem alicui aliquid dicunt, innuunt fieri magis ex voluntate, et arbitrio imputantis, quàm ex merito ejus cui imputatur, non tàm ex debito, quàm ex arbitratu. Itaque eo utuntur, cùm tàm aliquid alicui ab aliquo tribuitur, non suo merito, quàm alterius arbitratu tribui significari volunt. Undè divus Paulus in eo quod in

citato testimonio Moyses dixit : *Et reputatum est illi ad justitiam*, intellexit significari gratiâ et clementiâ Dei Abraham ob fidem justificatum non certè Abrahæ opera, aut merita intellexit. In quo significavit quòd Abraham justus habitus fuerit, non tàm meriti illius, quàm divinæ benignitatis munus fuisse, itaque interpretatus est. Quâ majori positâ rectè subjecit. *Sed operanti merces non ex gratiâ datur.* Rectissimè conclusit. Ergò Abraham non ex operibus justificatus est, quanquàm conclusionem non planè expressit, sed lectori intelligendam ut rem planam, et quæ ex adhibitis propositionibus colligebatur, facilè permisit. Ratio illa quâ usus est Christus ad sui corporis veritatem comprobandam Lucæ ultimo, et Joannis cap. 20. *Palpate et videte*, examinatur à nobis secundâ variarum disputationum parte. Atque hæc hactenùs.

Quæstio tertia.

An apud homines sacra Scriptura reperiatur, et ea sit quæ in vulgatâ editione continetur (1)?

CAPUT PRIMUM.

Quid asseri possit de Vulgatâ sine periculo Tridentini decreti?

Editionem vulgatam considerare possumus, vel ut à latino interprete elaboratam, vel ut ab aliis posteà scriptoribus in varios codices, et in hos quos habemus præ manibus correctionis Clementis VIII, propagatam : et de illâ utroque modo spectatâ explicare est animus an sacra Scriptura in vulgatâ editione reperiatur. Id est, primùm an auctor Vulgatæ aliquo in loco vel falsam posuerit sententiam, vel certè intentam ab Spiritu sancto sententiam in eo loco non expresserit in suâ interpretatione. Secundùm, an licèt auctor Vulgatæ rectè assecutus omnia fuerit, ex scriptoris tamen vitio vera sacra Scriptura, in his, quos præ manibus habemus, non contineatur codicibus. Sic enim exactè manebit explicatum, quod proponebamus initio, scilicet an apud homines sit sacra Scriptura, eaque contineatur editione vulgatâ. Sunt autem istæ duæ quæstiones valdè inter se diversæ, et in quibus diversimodè ferri sententia potest, ut ex decisione constabit. Primam absolvemus priùs, et posteriùs agemus de secundâ.

In prioris autem difficultatis initio supponamus auctorem editionis vulgatæ magnâ ex parte esse Hieronymum, quamvis nonnulla retenta sint ex antiquâ editione Latinâ, quæ antè Hieronymum erat in usu, de quo videri potest Cardinalis Bellarminus tomo primo controversiâ primâ Generali lib. 2, cap. 9, ubi totam rem hanc explicat distinctè.

Sed quò magis perspicuum sit id, de quo quæritur, primo loco adverti debet, quod quamvis secundùm exactam nominis rationem, et significationem, et formaliter loquendo, interpretem ponere aliquid alienum à mente ejus, cujus in aliam linguam scripta interpretatur, sit efficere falsam interpretationem ut sic. Nam illa propriè est falsa interpretatio, quæ, quod interpretatur, non assequitur, aut ab eo dissentit, tametsi Latinis vocibus aut nominibus utamur. Fieri potest ut interpres, qui ex unâ in aliam linguam aliqua scripta convertit, aliquo in loco eorum non assequatur Scriptoris sensum, et diversum ab eo alium sensum ponat, qui tamen sensus veram omninò sententiam contineat, quamvis non eam, quam auctor eorum scriptorum intendebat eo loco. Quo casu interpres ipse formaliter loquendo erit falsus, sententia tamen, quam posuit, ipsa per se vera. Ob id igitur juxtà hanc nominis explicationem, duo in propositâ quæstione involvuntur. Unum an interpres Vulgatæ posuerit aliquo in loco sententiam aliquam non solùm discordantem ab originali, et ab eo, quod posuit in eo Spiritus sanctus, ejus

(1) Quanquam multa de Vulgatâ superiùs dicta sint, Basilium Poncium de eâdem litteraliter referendum existimavimus. Nonnullas enim et quidem magni momenti cum titulis propè similibus differentias sedulus lector deprehendet. Vir raro acumine ingenii non minùs quàm doctrinâ conspicuus, quasdam scripturarum sacrarum difficultates meliùs aut saltem lucidiùs et novo sub respectu aliquotiès pertractavit.

præcipuus auctor, sed etiam ipsam secundùm se falsam sententiam. Alterum est, ut omnes, quas posuit, sententias, sint veræ ipsæ secundùm se, an aliqua earum ab Spiritûs sancti sententiâ in originali diversa sit et opposita sententia.

Prætereà advertendum est, quod quæritur, utrùm sincera Vulgata contineat aliquam sententiam falsam, posse intelligi primò de sententiis, quæ ad fidei dogmata atque morum informationem spectant, vel simpliciter de omnibus sententiis, quæ in totâ Vulgatâ continentur, etiamsi levioris momenti sint. Item notari debet, ut interpretatio vera, id est, verè originali respondens dicatur, non esse necesse ut singulis verbis originalis singula interpretis verba respondeant, id est, verbum verbo reddi, sed ut sensus sensui consonet, sententiæque sententiis. Posse autem sententiam consonare, quamvis in verbis aliquibus sit discrepantia, ità ut verba aliqua ab interprete posita sint significatione diversâ ab eo, quod in originali significatur. Cujus ratio est, quia sententia orationis non ex singulorum verborum significatis per se solùm, sed ex communi vocum connexione constat. De quo videndus Hieronymus in Epistolâ ad Pammachium de optimo genere interpretandi, et Canus lib. 12, de Locis.

His positis, ut quid in hâc re dicendum sit, juxtà catholica principia definiamus, tanquàm basim et fundamentum præmittamus definitionem concilii Tridentini, ut illam præ oculis habentes tanquàm fidissimam helicen, rectâ procedamus viâ. Igitur sessione 4, hæc habet: *Insuper eadem sacrosancta synodus, considerans non parùm utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authenticâ habenda sit, innotescat,* statuit et declarat, *ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesiâ ipsâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus, pro authenticâ habeatur, et ut eam nemo rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Hæc Concilium.

Juxtà hanc ergò Patrum sanctæ Tridentinæ synodi decisionem inprimis non constat latinum interpretem, quisquis ille fuerit, afflatum fuisse spiritu prophetico, ut nonnulli nimiùm scrupulosi contendunt, sed illum non fuisse prophetam, seu eo illustratum lumine, dùm sacra Biblia vertit, asseri sine ullo periculo et temeritate posse. Id quod docuit olim Magister meus Luysius Legionensis in disput. De vulgatâ editione quæst. conclus. 7; sensit etiam posteà cardinalis Bellarminus tomo 1, controversiâ 1 generali, lib. 2, cap 11, et Sebastianus Perez, episcopus Oxomensis in regulis. SS. regulâ 4, et M. Banes 1 part., quest. 1, art. 4, dub 4, in fine, qui omnes post Tridentinam synodum scripsêre, videoque communi sensu receptum inter Catholicos. Et quidem in decreto Tridentinæ synodi nullum vel levissimum fundamentum est, undè hic propheticus spiritus interpretis latini colligi possit. Quarè donec aliud Ecclesia dicat, id teneamus.

Deindè ex hâc Tridentinæ synodi decisione non efficitur interpretem latinum vulgatum ità vertisse, ut non potuerint aliqua meliùs, clariùs et distinctiùs, converti. In hoc video omnes sacræ Scripturæ recentiores interpretes convenire; dùm enim singulos sacros libros explicant, multa insinuant, quæ licèt à latino interprete versa rectè sint (nihil enim ille perperàm, ut dicam posteà), illustrant tamen magis aliis versionibus, et explanant. Ità etiam sensit Canus libro secundo de locis Theologicis, qui fatetur, quædam esse obscuriùs, neque satis significanter conversa in vulgatâ editione, et Lindanus de optimo genere interpretandi, libro secundo, capitulo primo, decimo, undecimo, duodecimo: et Sebastianus Perez, regulâ quartâ, Bellarminus, libro secundo, citato capitulo undecimo, Jodocus Tiletanus, in Apologiâ Tridentini concilii, Genebrardus in præfatione ad Psalmorum interpretationem, Thomas Stapletonius in demonstratione principiorum fidei doctrinalium lib. 11, cap. 12, in principio, habetque, ut dixi, communis usus interpretum, docuitque olim Legionensis de Vulgatâ quæstione 2, conclus. 6. Nec obscurè indicatur in præfatione ad Biblia Clementis 8, ab illis: *Tùm deniquè quia sacræ Congregationi amplissimorum cardinalium,* etc. Multa sunt, quæ ex sacris libris in hujus sententiæ confirmationem adduci possent; proferam tamen nonnulla ex Legionensi Luysio loco citato, quibus, licèt omnia benè et fideliter, ut dicam posteà, versa sint ab interprete latino, meliùs tamen aut apertiùs et distinctiùs potuisse verti convincatur. Imprimis Genesis capitulo primo vulgata editio vertit: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* At verò vox hebræa propriè significat *confovebat,* quod testatur Hieronymus in quæstion. hebraicis, et Basilius Hexameron homiliâ secundâ. Deindè Proverb. cap 13, Vulgatus habet: *Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit,* significantiùs verti posset: Qui diligit illum maturè, id est, ab ipsâ primâ pueritiâ. Item

Proverbiorum capite tertio, vulgata editio vertit : *Et cum simplicibus sermocinatio ejus.* Aptiùs tamen vertisset, nec minùs benè cum antecedentibus cohæreret, si diceret : Et cum simplicibus secretum ejus. Sermocinatio enim etiam inter minores haberi solet, et interdùm de levioribus rebus : cæterùm secretum pertinet solùm ad intima et arcana. Docet autem Sapiens illo loco Deum abditissima consilia cordis sui et suas arcanas cogitationes solere communicare simplicibus hominibus, quibus familiariùs utitur, juxtà illud Matthæi capite undecimo : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis.* Item Proverbiorum ultimo Vulgata habet : *Mulierem fortem quis inveniet?* quo loco vertisset significantiùs mulierem industriam, et rei familiaris studiosam. Nam secundùm proprietatem sermonis hebraici, fortes vocantur homines industrii, minimè desides, sed potiùs in agendâ re familiari vigilantes atque strenui. Undè Proverbiorum capite decimo, dicitur : *Manus remissa egestatem operatur, manus autem fortium divitias parat.* Fortium, inquit, id est, in re suâ vigilantium; et capite undecimo : *Robusti autem obtinent divitias,* id est, industrii et patientes laboris. Item in Psalmo : *Ecce nunc benedicite Domino,* Vulgatus habet : *Etenim non potuerunt mihi;* clariùs diceret : Etenim non prævaluerunt mihi, vel superaverunt me. Item Psalmo 77 : *Non est creditus cum Deo spiritus ejus,* apertiùs et distinctiùs dici posset: Non fuit fidelis Deo spiritus ejus. Et in eodem Psalmo : *Sanctificium* aliquantulùm obscurè positum pro *templo.* Item Psalmo 91 : *Benè patientes erunt, ut annuntient,* obscurè ponitur, apertiùs diceretur : Corpore sani valentesque erunt, qui inter alia, quibus afficiuntur bona, etiam in ipsâ senectute, cùm cæteri homines morbis et ætate contabescunt, ipsi sunt sano et vegeto corpore et valenti, adeò ut possint aliis prædicare Dei justitiam, et æquitatem. Item Psalm. 138, habet Vulgata : *Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris,* obscurè positum videtur, pro : Si ab oriente in occidens evolavero. Item Psalmo 109, illud : *Tecum principium in die virtutis tuæ,* significantiùs verteretur voce principatûs aut imperii, ex divi Hieronymi testimonio. Et Psalmo 39 : *Mensurabiles posuisti dies meos,* significantiùs exprimi posset vis vocis originalis; significat enim vox originalis mensuram, omnium brevissimam, scilicet *quatuor digitorum.* Undè significantiùs vertisset ; Ecce dies meos definivisti *palmatim,* id est brevissimos, et minimâ omnium mensurâ comprehensos. Item Psalm. 33, illa Vulgatæ : *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum,* accommodatiùs ad vim vocis dici potuisset : Angelus Domini castra sua collocabit circùm timentes Deum, quòd scilicet illos omnibus viribus atque ope defendet. Item ad Rom. cap. 3, Vulgatus habet : *Propter remissionem præcedentium delictorum,* significantiori tamen et illustriori sensu verti posset: Propter languorem, vel dissolutionem præcedentium peccatorum, ut Chrysostomus, et Theophilactus docuerunt. Vox enim græca, quâ Paulus utitur illo in loco, significat quidem remissionem et relaxationem, sed non illam, quam intelligimus, cùm dicimus peccata esse remissa et condonata; peccatorum enim remissio et condonatio appellatur in sacrâ Scripturâ aphesis, sed illa vox significat remissionem, quam intelligimus, cùm dicimus membra corporis atque vires esse remissas atque laxatas languore. Quæ hujus vocis significatio valdè quadrat cum sententiâ, quam intendebat Paulus eo loco. Erat namque illi propositum probare omnes homines peccavisse, et ob id egere Dei gratiâ, eam autem gratiam conferri per Christum, et ex consequenti, quia omnes erant peccatores, omnibus esse necessarium in Christum credere, ut copulati cum illo, per spiritum fidei participes fierint meritorum atque justitiæ. Quæ cùm exposuisset, statim adjecit : *Justificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius propter remissionem,* id est, propter languorem, atque tabem, quam in mundum induxerunt peccata præcedentia et præterita, hoc est, ideò proposuit illum propitiatorem, quia peccatis præteritorum temporum omne humanum genus languidum erat et dissolutum, et quâdam dirâ tabe confectum. Item 1 Corinth. cap. 10, Vulgatus habet : *Unus panis, unum corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus ;* sine ullâ autem æquivocatione, sed distinctiùs verteretur, ut et fatetur Canus : Quoniam unus panis, unum corpus multi esse debemus, quia omnes de uno pane participamus. Illo enim loco divus Paulus adhortatur homines ad veritatem et concordiam animorum, ad quod probandum assumit omnes fideles conficere unum corpus, et rerum naturam non permittere, ut unius corporis membra inter se dissiderent. Probat autem nos esse unum corpus isto pacto : Cùm *edimus cœlestem panem de mensâ Domini, effici-*

mur participes corporis Christi, et subsumit statim : *Sed ille est unus panis, ergò sumus unum corpus.* Consequentiam autem probat : Nam omnes de uno pane participamus. Omitto illa ex Isaiæ cap. 19, ubi Vulgata habet : *Caput et caudam incurvantem et refrænantem,* quæ tamen ipse Hieronymus aliter verti potuisse congruentiùs affirmat. Illa etiam Zachariæ cap. 11, ubi pro statuario aptiùs vertendum figulus, idem docet Hieronymus. Illa quoque Canticorum 6, *sicut cortex mali punici,* ubi instituto conformiùs dici potuisset, fragmen mali punici, quo etiam sensu interpres eamdem vocem vertit ejusdem libri capite quarto. His adde testimonia aliqua, quæ citant Apostoli in novo Testamento ex veteri, quæ quidem apertiùs ponuntur ab scriptoribus novi Testamenti, quàm à veteris Testamenti interprete suis locis translata sunt. Quale est illud ad Hebræos decimo ex Psalmo 39 : *Corpus autem adaptâsti mihi,* quod Petrus primâ Epistolâ, capite secundo, ex Isaiæ cap. 28, citat : *Qui crediderit, non confundetur,* pro quo Vulgatus posuerat, *non festinet;* hispanè, *no se correra.* Alia etiam apud Canum atque Lindanum videri possunt. Quamvis igitur Tridentina synodus Vulgatam in disputationibus, sermonibus et aliis authenticam habendam definierit, et nullo prætextu rejiciendam, non quidem definit ità conversa omnia, ut meliùs, clariùs et distinctiùs, significantiùs verti non potuerint, neque enim, hoc est illam rejicere. Sicuti opera Dei non semper fuisse meliora ex his, quæ potest in lucem proferre, certissimum est, et tamen non ideò, quæ fecit, rejicimus, quia meliora fieri potuisse asseveramus; sic quamvis rectè Vulgatus omnia, ut dicam posteà, non tamen rectiùs omnia, sed aliqua, etsi benè translata, meliùs verti potuerunt.

Tertiò ex Tridentinæ synodi decreto non colligitur, quòd cùm in hebræo, aut græco verba multiplicis significationis sunt, ità ut in varias interpretationes trahi possint, et Vulgatus latinus interpres ex illis significationibus unam eligit dimissis aliis, non, inquam, sequitur ex definitione Tridentinâ eas, quas Vulgatus omisit, esse negligendas, aut esse pravas, vel rejiciendas interpretationes. Est tamen inter has interpretationes magnum præ oculis habendum discrimen quòd eam interpretationem, quam expressit Vulgatus interpres, veram esse, et ab Spiritu sancto intentam sine dubio tenendum est, cùm illâ Ecclesiæ definitione probata sit, ut dicam posteà; at alias interpretationes, si et catholicum sensum habent, et antecedentibus et sequentibus non repugnant, probabiliter tantùm credimus ab Spiritu sancto, qui multa uno verbo solet comprehendere, intentas esse eo loco. Itaque quamvis ea, quam omisit interpres, nobis forsan videatur cum antecedentibus et sequentibus quadrare meliùs, aut efficaciùs concludere, attamen eam, quam secutus interpres, bonam saltem, et aptam illi loco et rei certâ fide credimus esse intentam ab Spiritu sancto. De eo discrimine nulli, quantùm ego judico, licet dubitare catholico, asseruitque Luysius Legionensis in Prælectione theologicâ super Psalm. 67. Illud verò primum in disput. de Vulgatâ quæst. 2, conclus. 3, et tenet communis interpretum sensus, dùm varias originalium verborum interpretationes proferunt, et suo honore delato vulgatæ interpretationi, alias secundo loco ponunt, nec rejiciunt. Sed rem hanc nonnullis illustremus exemplis, quæ attulit Legionensis illâ quæstione citatâ, et Concil. (neque enim ea quæ tanti viri fuerint dissimulabo, licèt locupletata reddo). Genes. cap. 2, ubi habet Vulgatus : *Plantaverat autem Dominus paradisum voluptatis à principio,* vox hebræa *Edem,* quæ latinæ *principio,* subest, interdùm refertur, vel ad tempus, vel ad locum, qui præcessit, et ità significat duo, vel exordium temporis, vel plagam orientalem. Undè locus iste potest dupliciter verti, primò ut Vulgatus habet, *à principio,* alio modo ut vertunt Septuaginta, *ad orientem.* Nec verò ineptus est hic secundus sensus, cùm, ut ex sanctis plerique tradunt, paradisus ille consitus fuerit ad orientalem plagam. Primus etiam ille sensus, ut refert Hieronymus in quæst. hebraicis, quamvis immeritò, fuit tamen nonnullis occasio errandi, existimandique paradisum antè cœlum et terram fuisse à Deo consitum. Item Psalm. 42, in Vulgatâ legitur : *Et recordatus sum, et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Ubi vox hebraica, quæ subest latinæ, tabernaculo, significat tabernaculum, sive catervam hominum, et pro admirabilis ponitur vox hebræa, quæ significat etiam tacere, ut fit in stupore, et significat ambulare paulatim, ut fit in pompâ. Divus Hieronymus, secutus priorem significationem, vertit : *Quoniam transibo ad tabernaculum, tacebo cum eis usquè ad domum Dei.* At verò Septuaginta ad eamdem significationem respicientes : *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis,* ut alii corrigendum existimârunt : *Admirabor usquè ad domum*

Dei. Cæterùm alii interpretes sequentes aliam significationem, vertunt non ineptè, nec inconcinnè : *Et recordatus sum, quoniam transibam olìm in catervâ, et quòd paulatìm incedebam cum eis usquè ad domum Dei.* Quæ significatio rectè etiam quadrat cum isto loco. David enim, cùm fugiens filium Absalon procul esset à domo Dei, in illo Psalmo exponit quanto desiderio flagraret illius, sicque exoritur : *Quemadmodùm desiderat cervus*, etc. Et quoniam, cùm caremus desideratâ re, statìm recordamur ejus temporis, cùm eâ potiti sumus, ideò statìm subjecit ea, quæ continentur in illo versu, scilicet se non solùm torqueri desiderio domum Dei videndi, sed etiam graviter angi recordatione ejus temporis, cùm dies festos Deo celebrabat, et stipatus magnâ hominum catervâ, cum cantu et lætitiâ ad domum Dei veniebat.

Item Cant. 1, quod Vulgata habet : *Meliora sunt ubera tua vino,* potest etiam congruè verti : Meliores sunt amores tui vino. Nam vox hebræa utrumque significat, et illi loco etiam quadrat, si vertamus amores. Loquitur enim sponsa cum sponso, cujus amplexus desiderat, subjicitque causam sui amoris, et ardentissimi desiderii, quoniam, scilicet amore illius tanquàm ebria ferebatur. Similiter etiam Prov. cap. 7, quo loco auctor Vulgatæ vertit : *Veni, inebriemur uberibus,* rectè etiam poni potuisset juxtà significationem aliam : Veni, inebriemur amore. Sunt enim verba meretricis juvenem ad se vocantis, et invitantis propositâ spe ingentis gaudii, et voluptatis futuræ, quam explicat amoris et ebrietatis nomine.

Item Proverb. cap. 10, Vulgatus habet : *Qui autem depravat vias suas, manifestus erit.* Ubi in hebræo vox significat, ex notatione Lyrani, et manifestum esse, et conteri. Primum expressit Vulgatus, et ideò indubitatum et certum, sed tamen intento etiam convenienter verti posset : conteretur. Nam præcessit : Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter; qui autem depravat vias suas, conteretur : id est, qui sequitur iter rectum, non cadet; qui autem ingreditur vias, et itinera obliqua et fragosa, necesse est ut offendat, et corruat, et conteratur.

Item Psalm. 85, vulgatus habet : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum,* ubi recentiores interpretes secuti divum Hieronymum vertunt : Unitum, vel unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum; et, ut Lyranus docuit, vox hebræa utramque significationem admittit. Et quidem non malè cohæret etiam lectio, quam omisit Vulgatus, scilicet ut postulet David cor suum uniri, ut timeat Deum, qui ex toto corde, ex totâ animâ, et omnibus viribus, et amandus, et timendus præcipitur.

Item Cant. 6, vulgata editio habet : *Comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus.* Est autem illo loco ea verborum hebraicorum ratio, ut non solùm possit verti eo modo, quo Vulgata vertit, sed etiam eo, quo transtulerunt alii, scilicet : Comæ capitis tui sicut purpura, rex ligatus in canalibus. Quæ versio, quamvis Vulgatæ sensus indubiâ fide credendus sit Spiritûs sancti esse, ut jam dixi, elegantem etiam et facilem sententiam continet. In priori enim parte sponsus commendat capillos sponsæ ex colore, nam dicit : Capilli capitis tui sicut purpura; sicut enim in occiduis regionibus flavi crines habentur pulchri, in orientalibus habentur in pretio capilli, vel colore nigro, vel purpureo. In eo autem quod sequitur : *Rex ligatus in canalibus*, figura poetica, sicut fieri solet in amatoriis carminibus, vehementissimè exaggerat capillorum pulchritudinem. Adeò, inquit, pulchri sunt et speciosi, *ut rex, id est, sponsus illis capillis illigatus, atque implicatus sit.* Vocat autem capillos canales, similitudine ductâ ab aquâ, quæ cùm per canales decurrit, crispatur, sicut capilli copiosi atque longi per humeros effusi atque undantes crispantur. Atque hæc juxtà verborum sonum. Nam juxtà altiorem sensum capilli capitis, nihil aliud sunt, quàm cogitationes, quæ sunt sicut purpura, quoniam charitate flagrant, et in illis cogitationibus rex ligatus est, quoniam illis vehementer gaudet, juxtà illud Proverbiorum cap. 8 : *Eruditis intersum cogitationibus.*

Prætereà Cant. 6, editio vulgata habet : *Pulchra est amica mea et suavis.* Nomen autem hebræum, cujus loco posuit interpres suavis, quod est *Thirsa,* duo significat. Est enim et nomen proprium cujusdam urbis, quâ pro urbe regiâ usi sunt reges Israel antè conditam Samariam, et prætereà significat suavem atque dulcem. Undè qui secuti primam significationem, verterunt : *Pulchra est amica mea, sicut Thirsa,* non incongruè verterunt, sequitur enim statìm : Et decora sicut Hierusalem. Juxtà quam versionem congruè etiam intelligitur sponsus comparare Ecclesiam multitudine fidelium abundantem, duabus civitatibus ex omnibus, quæ erant in terrâ Palæstinorum, non solùm populosissimis, sed etiam pulcherrimis, tùm magnificentiâ ædificiorum, tùm etiam situ; utraque enim erat regia, una regum Israel, altera regum Juda, et utraque sita in edito et excelso loco.

Quartò etiam consequenti ratiocinatione fit, etiam stante Tridentinâ definitione, verè item affirmari posse, quòd quamvis ea, quæ ad fidei dogmata atque mysteria religionis christianæ confirmanda, et mores instituendos pertinent, sufficientissimè expresserit ex hebræo latinus interpres vulgatus, nonnulla tamen alia testimonia in sacris litteris reperiuntur, quæ ob multiplicem significationem, multas etiam interpretationes admittunt, et in his præter illam, quam expresserit Vulgatus, quamque certâ fide credimus intentam ab Spiritu sancto, omissa etiam germana expressè continet aliquod nostræ religionis mysterium, quæ, si illam secutus fuisset interpres, efficacissimè ad aliqua nostræ religionis mysteria confirmanda prodesset, aliàs tamen sufficientissimè expressa, cùm eo ipso credendum esset firmâ fide ab Spiritu sancto intentam, attamen quia omissa, quamvis germana etiam interpretatio sit, probabiliter tantùm inducitur ad ea mysteria confirmanda. Qui in præcedenti propositione convenerit, ab istâ resilire non potest, docuitque illam expressè Luysius Legionensis quæstione citatâ conclusione 4. Et illam facilè persuadebimus, si nonnullis illustremus exemplis. Inprimis ex illo Job. cap. 19, incarnationis mysterium clarè asseritur, si quomodò etiam verti potest, ex hebræo vertatur: *Scio quòd Redemptor meus vivit*, quia Deus est, eâ vitâ, quâ apud patrem vivit semper, *eumque in novissimo die de terrâ surrecturum*. Nam tempus Christi adventûs novissimum appellatur in sacris, ut constat ex illo Joannis: *Filii, novissima hora hæc est*. Itaque novissimo, hoc est, sui adventûs tempore, surrecturum de terrâ, id est, humanâ carne indutum nasciturum, sicque addit: *Et in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum*. Ex quo obiter infero nostrâ ætate scriptorem quemdam pravè et ignoranter ex hoc Jobi loco collegisse hebraicos codices de industriâ ab Hebræis et Rabbinis esse corruptos, quòd testimonium apertum de resurrectione mortuorum nobis eripere voluerint. Nam is locus in hebræo tempore Hieronymi erat incorruptus; itaque ille vertit: *Et in novissimo die de terrâ surrecturus sum*, posteà ab Hebræis industriâ eo modo, quo nunc habet, corruptus est. Dico igitur ex hoc loco id minimè colligi, scriptoremque illum pertinaciâ cæcum in eo valdè decipi. Quod cùm dico, non disputo modò, an hebræi codices corrupti sint, necne. Nam pro certo habeo tantâ temporis diuturnitate, tantâ exemplorum copiâ aliis ex aliis transcriptis, tantâ similitudine quorumdam hebraicorum elementorum, tantâ apicum tenuitate et minutie, aliquibus in locis à verâ et germanâ Scripturâ, injuriâ temporis, et scriptorum incuriâ esse mutatos. Nec etiam disputo utrùm de industriâ à Judæis corrupti fuerint. Nam quamvis id factum fuisse ad sua usque tempora constantissimè negent divus Hieronymus in sextum caput Isaiæ, et divus Augustinus lib. 11 de Civitate Dei, et nostris temporibus non pauci, et affirmaverint et affirment, inter quos Dominicus Bannes primâ parte, quæstione primâ, articulo octavo, dubio quarto, in solutione ad confirmationem quinti argumenti, tamen de eo ego modò non disputo, neque in eo meum ego nunc judicium interpono; dicam alio loco quid sentiam, et quidquid illud fuerit, ostendam luce meridianâ clariùs; hoc tantùm dico modò, quamvis hebræi codices de industriâ à Judæis essent corrupti, tamen id ex mutatione hujus loci, et imperitissimè et stultissimè colligi. Idque probo tribus rationibus. Prima, quia causa corrumpendi suos codices Judæis ea sola est, ut nobis adimant ea testimonia, aut obscurent, quibus eas partes fidei nostræ, quas illi negant, probamus. Sed resurrectionis articulum illi non negant universi, similiterque ut nos fatentur futurum esse ut homines mortui resurgant in seculi fine. Ergò nulla causa erat, quare de industriâ id testimonium hoc loco mutare et corrumpere vellent. Secunda ratio est, quia etsi articulum resurrectionis illi negarent, tamen is ex nostro loco, ut in hebraico se habet modo, probari potest. Nam statim sequitur: Et postquàm cutim meam perfregerint, hæ, scilicet pestes, sive tabes, sive hi, inquam, vermes, scilicet mea ipsa cutis, et caro resurget, repetendo scilicet à communi superius verbum. Quibus verbis satis apertè de futurâ suâ post mortem resurrectione vaticinatur. Tertia ratio est, quia non solùm illa hebræa resurrectionis articulum probant, sed etiam confirmant, quod illi minimè confiteri volunt, Christum et Deum et hominem esse, atque adeò incarnationis œconomiam elegantissimè nobis insinuant. Non est autem verisimile ità verba mutâsse, ut ex his ipsi magis possent erroris convinci. Quòd autem illo testimonio, ut ex hebræo etiam verti potest duplex natura, et assumptæ humanitatis œconomia significetur, intelligi potest ex duobus. Primò quòd eumdem dicit tunc vivere, et posteà novissimo tempore oriturum. In quo planè significatur duplex illius

natura, divina, quâ ex totâ æternitate vivit; humana, quæ tempore novissimo orta est. Secundò intelligitur ex eâ voce, quæ in hebræo illi voci latinæ, Redemptor, respondet. Nam quod interpres, Redemptor vertit, hebraicè est *Goel;* Goel porrò à Goal deductum nomen, utcumque redemptorem significat, sed eum, qui affinitatis jure atque titulo aliquid manu asserit et in libertatem vindicat, ut liquet Ruth. cap. 3, et Levit. cap. 25. Ergò quod Job dicit, hoc est, scio quòd qui affinitatis jure et cognationis me redempturus, et in libertatem à peccato, et dæmonum tyrannide asserturus est, vivit et in cœlis nunc, et in novissimo tempore membris indutus meis, mihique homo similis in terrâ apparebit. Item quod ultimo loco addit: *Et in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum, pro Deo,* est in hebræo, *Elohim,* quod est *judex*, Deoque id nomen adscribitur ad declarandum illum judicem. Dicit ergò se in carne suâ, postquàm à morte resurrexerit, visurum non utcumque Deum, sed Deum judicem suum. In quo clarè ostendit, atque prædicit, non solùm futuram esse corporum resurrectionem, sed etiam resurgentem futurum judicem. Itaque quamvis de sensu, quem expressit Vulgata, dubitare non possumus, quin illud Spiritus sanctus intenderit, attamen vox hebræa sine punctis accepta, quomodò à principio fuerat, anceps est, et vel resurgere, vel facere surgere significat, ex quo et verti potest cum Hieronymo : De terrâ surrecturus sum, vel excitabit me, et cum aliis, ipse surget; lectio ab interprete omissa confirmat etiam incarnationis, et resurrectionis mortuorum mysterium, illud tamen primum mysterium, quia non expressit Vulgatus, probabiliter tantùm.

Neque ex hoc loco solùm mysteria fidei nostræ ex hebraico Scripturæ textu ad varias interpretationes ancipiti, valdè confirmantur, sed quod divus Hieronymus in epistolâ quâdam ad Marcellam apertè profitetur, et Burgensis, vir sine dubio doctissimus, in Psalmo 72 testificatus est, etiam multis aliis in locis, è quibus nonnulla nunc proferam. Psalmo secundo, quo loco Vulgatus, *apprehendite disciplinam,* ex hebræo, verti etiam potuit, *adorate,* aut *osculamini filium.* In quo Christi divinitas, et in omnem creaturam, quâ homo est, potestas significatur. Sed et indicemus etiam in isto loco mysterium Eucharistiæ, qui ob vocis hebraicæ multiplicem significationem exprimi etiam potuisset, quod indicavit Triumphus Christi contrà Judæos tit. 12, § 2 principaliter; subjicio verba, licèt non nimis polita, erudita sanè.

Secundò principaliter prophetatum est Sacramentum corporis Christi sub specie panis Psalmo 2: *Osculamini filium ne quandò irascatur, et pereatis de viâ justâ,* juxtà litteram hebraicam, et quam communiter dicunt Hebræi secundùm Nicolaum Burgensem, et Jacobum Fabrum in dicto Psalmo, et Raymundum in cap. 18, dist. 3, sui pugionis. Ut applicem istam auctoritatem, præmitto unum suppositum, quòd Psalmus iste loquitur de Christo secundùm Catholicos et Hebræos, ut dixi in titulo 2, et quòd verba illa in dicto Psalmo scripta, *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*, sunt de Christo secundùm Hebræos, et de isto filio Dei, quem Deus dicit se genuisse, sunt scripta illa verba, quæ in principio retuli, id est: *Osculamini filium*, juxtà quamdam traditionem Hebræorum, quam allego tit. 2. Secundum præmitto suppositum, quòd ubi nos habemus: *Apprehendite disciplinam, ne quandò irascatur Dominus et pereatis de viâ*, littera hebraica est, sicut in principio retuli, et etiam quod *ly* Dominus, non est in hebræo, ità quòd verbum irascatur, refertur ad filium, ut patet intuenti litteram, quam in principio dixi. Tertium præmitto suppositum, quòd ubi nos habemus, *apprehendite,* licèt Hebræi legant, *osculamini,* et benè, tamen est ibi quædam dictio hebraica, scilicet *Nassaque,* quæ licèt frequenter significet osculamini, tamen significat etiam adorate, et apprehendite, secundùm Nicolaum ibi, et Raymundum, ubi suprà secundùm primam legunt communiter Judæi, secundùm secundam transtulit Hieronymus, secundùm tertiam transtulerunt septuaginta Interpretes. Et Hieronymus in epistolâ 39, dicit quòd secundùm significatum, osculamini et adorate, potest legi. Quartum præmitto suppositum, quòd ubi nos habemus disciplinam, in hebræo est quædam dictio, id est *Bar,* quæ in hoc loco secundùm Hebræos significat *filium,* et benè, secundùm Nicolaum, et secundùm Hieronymum in dictâ epistolâ. Quintum præmitto suppositum quòd dictio, *Bar*, aliàs in hebræo significat *triticum,* ut dicit Raymundus in dicto cap. 18, et colligitur ex victoriâ contrà Judæos in cap. 21, dùm allegat Psalm. 71, ut et probatur Genesis cap. 41. Tanta fuit abundantia tritici *ly,* tritici in Hebræo habetur *Bar,* ità quòd est ibi littera : tanta fuit abundantia *Bar*. Significat etiam purè hæc dictio *Bar,*

ut dicit hic Nicolaus, et ità transtulit Hieronymus.

His suppositis quid est dicere: *Adorate, osculamini, apprehendite Bar,* id est *filium triticum*, nisi quòd quotidiè impletur in Sacramento corporis Christi, ubi ipsum filium Dei adoramus, osculamur, et posteà apprehendimus, seu recipimus sub specie tritici. Confirmo hoc mirabile mysterium in hâc prophetià insinuatum, quia quemadmodùm in Sacramento altaris est corpus Christi sub specie panis, tamen ibi non est panis, sed corpus Christi. Sicut in hâc auctoritate illa dictio *Bar,* licèt de suî naturâ significet *triticum,* sicut et *filium*, ut dicunt Hebræi, ut et constat ex verbis, quæ immediatè sequuntur, scilicet, ne quandò irascatur, et pereatis de viâ. Non enim hæc possunt intelligi de pane, qui non irascitur, sed de filio, ut tacitè denotaret propheta, quod *ly, Bar,* insinuabat filium adorandum sub specie *Bar,* id est tritici, et propter hoc Deus voluit ut scriberetur in hoc passu filius sub dictione *Bar,* ut intelligeremus, quòd hic filius sub specie tritici erat adorandus, osculandus et apprehendendus. Et quia puro corde erat recipiendus Christus filius Dei in dicto Sacramento, juxtà illud Apostoli 1 Corinth. cap 11 : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, qui enim manducat indignè, judicium sibi manducat;* sonat enim littera *Bar,* non solùm *filium* et *triticum*, sed etiam *purè*, ut sic adoremus, osculemur, et recipiamus filium Dei purè sub specie tritici. Et est mirabilis auctoritas sic declarata, quæ sola sufficere debet ad convertendos Hebræos. Hactenùs in eo libro.

Item Psalmo 72, quo loco nos habemus : *Antè solem permanet nomen ejus,* ex hebræo etiam ad verbum verti potest : *Antè solem filiabitur nomen ejus,* id enim, ut rectè docet Burgensis in eo loco, significat etiam vox hebræa, quæ hoc loco ponitur, scilicet *Inon.* Quibus verbis satis apertè confirmatur æterna Christi generatio, ejusque divina natura. Jam quòd eodem Psalmo, pro eo quod Vulgatus habet, erit firmamentum in terrâ, ex hebræo etiam verti potest, quemadmodùm etiam transtulit Hieronymus, erit memorabile triticum, aut ut alii, placentula panis, quis non videt ad Eucharistiæ Sacramentum aptissimè posse referri, et ex hâc à Vulgato omissâ interpretatione, et eo ipso non ità certâ, confirmari etiam posse? Itaque Paraphrastes chaldaicus hoc loco vertit : Erit placentula panis in capitibus sacerdotum, quo nihil dici potuit ad id mysterium comprobandum apertius. Quem locum etiam optimè considerat, et variis Hebræorum glossis, à quibus vel ignorantibus, vel invitis hæc veritas exorta est, ut dicit idem quem retuli Triumphus Christi, tit. 12, § 5 principaliter.

Item Psalmo 70, quo loco legimus : *In te confirmatus sum ex utero,* ex hebræo etiam verti potest : Tibi adglutinatus sum ex utero, nam verbum *Samac* adglutinare est, et duas res diversas ità unire et inserere, ut unum ex utrâque quod fieri possit efficiatur, hispanè *enxamblar*, quo nihil dici poterit quod ad unionem hypostaticam Verbi cum humanâ Christi naturâ significandâ perindè valeret. Adde ex Psalmo 131, illa : *Viduam ejus benedicens benedicam*, pro quo ex hebræo etiam verti potest, viaticum ejus, de quo testimonio multa in eo, quem dixi, libro eodem titulo, § 8 principaliter. Innumera alia sunt, sed hæc attigisse sit satis.

CAPUT II.

Quid non possit asseri de vulgatâ latinâ editione, stante definitione Tridentinâ, distinctè proponitur.

Explicuimus hactenùs, et nî fallor, apertè demonstravimus, quæ asseri possint de vulgatâ editione et variis hebraici textûs interpretationibus, illæsâ definitione concilii Tridentini. Restat explicemus deinceps, quæ sint ea quæ sine periculo fidei negari non possunt latinæ editioni vulgatæ.

Inprimis igitur affirmandum est Vulgatam, quod attinet ad eas sententias, quæ ad dogmata fidei, et morum instructionem pertinent, pro verâ et infallibili Scripturâ, ipsique Scripturæ originali verè consentienti habendam esse. Constat manifestè ex Tridentinâ suprà positâ definitione. Præcipit enim ut eam ad disputationes, et controversias, et conciones adhibeamus, eâque utamur, neque rejiciamus ullo modo. Igitur si in his rebus quæ ad dogmatum definitionem pertinent aliquid falsi continet ea editio, concilium cùm eâ uti, illique stare nobis præcipit, in perniciosum et noxium errorem fideles induxisset, quod dici non potest. Atque id maximè vox illa authentica indicare videtur ex sententiâ cardinalis Bellarmini, ut colligi potest ex lib. 2 de verbo Dei, cap. 10, argum. 1, et cap. 11, § nam vulgata editio : *Certos,* inquit, *nos reddere voluit in his præsertim, quæ ad fidem et mores pertinent, multa esse in hâc versione interpretum errata*, in idemque inclinat Judocus Tiletanus in Apologiâ

pro synodi Tridentinæ decretis ad sess. 4, Joannes Driedo lib. 2, de Scripturis ecclesiasticis, cap. 2, Vega, lib. 6 in Trident. cap. 15, et in hâc conveniunt Catholici omnes, sine controversiâ ad minùs in quæ ad fidem pertinent et mores nihil erroris esse apud Vulgatum.

Deindè asserendum sine dubio est, non solùm in his quæ ad dogmata pertinent, sed etiam in cæteris omnibus, quæ in Vulgatâ docentur, nullam sententiam contineri, quæ non ipsa per se vera sit. Probatur apertè ea eâdem decisione concilii. Quia si falsum aliquid contineret etiam in rebus minoribus, concilium, dùm eâ unâ nos uti vult, quod ex se est, in errorem, licèt non perniciosum, et in assensum falsi induxisset, quod etiam sine absurditate maximâ dici non potest. Nam licèt in levioribus rebus, neque ad fidei veritatem, morumve doctrinam pertinentibus, error aliquis apud fideles posset esse, ut communi doctorum virorum sententiâ traditur, tamen ut inductu conciliorum et eorum decretorum in ejusmodi errores fideles incidant, nemo prudens concesserit fieri posse, certè perabsurdum videtur, nulloque modo dicendum.

Deniquè meo judicio affirmari debet, juxtà Tridentini decretum, non solùm omnia, quæ continentur in Vulgatâ, vera ipsa esse, sed verè et germanè Scripturæ originali conformia, fideliterque quod ad sententiam attinet, ab interprete reddita, ità ut nec in levissima aliquâ re lapsus fuerit, vel ignorantiâ, vel incuriâ, sed omnia quantumvis minima rectè conversa, quod ad sententiam, inquam. Sæpè enim quæ in fonte propriè in Vulgato explicata, metaphoricè aut ab adjunctis, et per tropum, et etiam è contra. Hanc etiam assertionem pono ex mente Luysii Legionensis, si attentè ea quæstio de Vulgatâ consideretur, et ea quæ ex ipso retulimus hactenùs. Estque communis nostro seculo sententia, quam docuit Cantapetrensis lib. 1 Hypotyposeon, cap. 4. Quarè non probo sententiam M. Cani lib. 2, de locis cap. 16, qui sine tergiversatione fatetur latinum interpretem aliquandò falsum esse, quia aliquandò ex corrupto codice vertit. Eâdem quoque ratione rejiciendi omnes alii quotque errata licèt levia fatentur in sincerâ Vulgata ex interpretis vitio sive ignorantiâ sive incuriâ. Nullum nominare volo, sed ità in genere censuisse sufficiat.

Probari solet hæc sententia multis rationibus, quæ tamen parùm roboris et efficaciæ habent. Primò ergò quidam probant, quia si editio vulgata in aliquo discordaret ab eo, quod Spiritus sanctus per prophetas et per Apostolos revelavit, sequeretur quòd Ecclesia latina, quæ per mille annos hâc editione usa est, non habuit veram Scripturam, sed pro verâ Scripturâ habuit commenta atque somnia latini interpretis, quod nullo modo videtur esse concedendum, sed hoc facillimè diluitur; negatur enim sequela, nam ut Ecclesia dicatur habere veram Scripturam sacram (quod jam dicebamus suprà), non est necessarium, ut illam habeat latinè, vel græcè, in hoc aut in illo codice vel linguâ. Est enim in Ecclesiæ corde vera Scriptura, quandoquidem eam vim habet, quâ quoties et de totâ Scripturâ sacrâ, et singulis ejus partibus judicium ferre necessarium fuerit, judicare et ferre sententiam infallibilem possit, ut jam explicatum suprà: quarè ex eo quòd interpres latinus in aliquibus levissimis à veritate discessisset, sensum originalis non expressisset, non fieret caruisse Ecclesiam sanctorum, tùm quia longè major pars fideliter versa est, tùm quia habet Spiritûs sancti assistentiam, quâ cùm opus fuerit, veram Scripturam à falsâ queat discernere.

Secundò probant, quia summi pontifices atque concilia ab Ecclesiæ principio, et post tempora Hieronymi, definiebant quæstiones fidei, et convincebant errores hæreticorum, juxtà ea quæ inveniebant expressa in editione vulgatâ. Ergò si editio vulgata non per omnia exprimit sensum Spiritûs sancti, potuit Ecclesia errare atque decipi in doctrinâ morum et fidei tenendo tanquàm certum de fide id quod ab Spiritu sancto revelatum non erat, quo nihil absurdius dici potest. Sed neque hæc ratio est alicujus momenti, tùm quia ex eâ tantùm efficitur in eis, quæ pertinent ad nostræ religionis dogmata, et mores informandos nullum errorem esse, non tamen efficitur in levioribus aliis, quæ neque ad mores nec fidei mysteria pertinent, lapsum interpretem aliquandò fuisse, tùm quia negatur facilè argumenti consequentia, Ecclesiam videlicet posse errare utendo hâc editione. Illud enim pertinebat ad Spiritûs sancti assistentiam, ut ad statuendum aliquid de fide in rebus dubiis, non uteretur nisi illis testimoniis, in quibus verè erat expressus sensus Spiritûs sancti. Undè consequenter dicendum, quòd omnia illa testimonia desumpta ex vulgatâ editione, quibus pontifices atque con-

cilia latina potissimùm constituunt atque definiunt quæstiones fidei, ea testimonia verè exprimunt sensum Spiritûs sancti, neque discordant à vero et sincero originali græco vel hebræo, etsi alicubi discordant à græcis vel hebraicis codicibus; in tali casu censendum est græcos, vel hebræos codices esse corruptos, aut librariorum incuriâ, aut aliâ de causâ. Atque ex harum duarum solutione rationum facile est plures alias ejusdem farinæ dissolvere, quæ ab assertoribus hujus sententiæ multiplicantur sine fructu. Dissolvit etiam sufficienter Joannes Driedo, lib. 2 cit. cap. 1.

Potissima ergò hujus sententiæ probatio desumenda est tantùm ex Tridentini concilii decreto. Quod ut inducam, præmitto concilium, non tantùm exhortatum esse, vel monuisse, ut editio latina vulgata retineretur, sed verè eo decreto definitionem contineri, quâ statuit authenticam esse vulgatam editionem, et ità nullo prætextu rejiciendam. Quarè non rectè quidam recentiores non contineri definitionem decreto isto negârunt, quia concilium abstinuit à verbo anathematis. Neque enim concilia cùm doctrinam non redigunt in Canones, semper dicunt anathema, ut in aliis Tridentini sessionibus facilè videri potest. Sed adverto etiam non novam de hoc esse definitionem concilii, sed antiquo Ecclesiæ usu vulgatam editionem sinceram, et à mendis librariorum, et transcribentium purgatam (de eâ enim sermonem esse nullus dubitare potest) ut authenticam receptam, ut constat ex Augustino lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 15, et lib. 18 de Civit., cap. 43, et Epist. 10, ad Hieron. Greg., lib. 20 Moral. cap. 24, Isidoro, lib. 6 Etymolog. cap. 5, lib. 1, de divinis Officiis cap. 12, Rabano, lib. 2 de Instit. Cleric. cap. 54, et ex his qui deinceps secuti sunt, Anselmo, Bernardo, Ruperto, Aymone, Hugone, Ricardo, et aliis, qui hanc solam editionem de cæteris explanandam susceperunt. Quarè præceptum latum à concilio est de eo quod Ecclesiæ antiquus usus approbaverat. Undè dicitur in eo decreto: statuit et declarat, quasi etiam antè concilium verum semper, et pro certo habitum fuerit Vulgatam latinam sinceram esse authenticam, et ideò non rejiciendam. His ergò præmissis, nostra sententia in hâc parte facilè probatur. Nam idem concilium eam authenticam interpretationem esse definit. At authentica interpretatio, si rectè ejus vim vocis inspicimus, non est nisi ea quæ quod ad sententiam attinet fidelis sit, et consonet cum originali Scripturâ ea quam interpretatur. Pone enim vulgatum interpretem errâsse in nonnullis vocibus explicandis, numquid tu authenticam dices, quæ mendis non caret? At concilium absolutè sine distinctione ullâ rerum gravium, vel levium, authenticam esse definit. Et urgeo magis verba concilii, ut ex his colligam decretum illud etiam de minutissimis intelligendum. Affirmat nullo prætextu in publicis disputationibus, lectionibus concionibus, rejiciendam. Itaque lectionem vulgatam, si ea vera lectio vulgati sit, objectam rejicere nequaquàm licet. Demus ergò (quod exempli causâ dictum sit) disputari an Jonas consederit *sub hederâ*, ut Vulgatus habet, vel *sub cucurbitâ*. Alter dicat vocem hebræam, quæ illi loco subest tantùm significare cucurbitam, objiciat contrarius Vulgatum, qui hederam vertit, licebitne rejicere eam interpretationem vulgatam? Sanè si verbum hebræum non significat hederam, quidni liceret? Concilium enim nec potuit, nec debuit præcipere, ut interpretationem falsam non rejiceremus, ut notum est. At ut nullo prætextu rejiciatur cavet. Sentit ergò neque etiam in minimis ab originali sincero deviâsse. Atque idem judicium est si disputatio incideret de cujuslibet vocis significatione; tu hanc esse asseras, ego aliam: tu tuam defendas et comprobes versione Vulgati, qui in eo sensu quem tu affirmas expressit; poterone respondere tibi errâsse in eo interpretem? Si possum ergò, jam rejicio editionem vulgatam in eâ disputatione, cùm tamen nullo prætextu rejiciendam statuat concilium. Adhibeamus aliud exemplum, quo ista veritas perspiciatur magis. Dicit Moyses Genesis cap. 1, dùm flumina irrigantia paradisum enumerat: Nomen uni *Phison*, ipse est qui circuit omnem terram, *Hevilath*, ubi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est, ibi invenitur bdelium et lapis onychinus; indicia hæc sunt quibus quæ sit terra *Hevilath* rectè et sine errore cognoscere possimus. Finge tibi nos in ejus terræ inquisitione laborare, et ut ego illi terræ et regioni quam veram existimârim *Hevilath*, hæc omnia accommodarem, dicere hebraica quæ expressit Vulgatus nominibus auri, bdelii, et lapidis onychini significare tantùm adamantem, margaritam, sapphyrum, quæ quia in eâ, quam ego vocarem *Hevilath*, reperiuntur, eò trahere sacrum textum vellem. At tu cùm regionem habeas, in quâ aurum optimum, bdelium, et lapis onychinus

reperiantur, contendas has esse germanas hebraicarum vocum significationes; licebitne mihi in his minutis, videlicet in nominibus arborum vel animalium explicandis, Vulgatum rejicere? si licet, jam contrà decisionem concilii agitur; si non licet, ergò vera et fidelis est etiam in levibus his interpretatio. Nam si in re falsâ et infidelis esset, cur illam rejicere non possemus? Fateor hoc argumentum tantam apud me vim semper habuisse, ut donec aliud Ecclesia definierit, in hâc sententiâ animus lubentissimè conquiescat. Ad hæc, si nihil est, quod in sententiâ dissonat, in editione vulgatâ, verè à nobis statutum est illam per omnes sententias cum vero originali concordare. At nihil dissonat, constabitque id ità esse, et aptè omnia et ex fide reddita esse, si examinaverimus singula quæ dissonare putantur, id quod præstabimus capitibus sequentibus, antequàm de vulgatis codicibus, quod ad transcribentes attinet, feramus judicium. Hæc etiam confirmantur infrà capite ultimo.

Ex his quæ in hoc capite dicta sunt facilè colligitur hebraicos et græcos codices non eam habere approbationem Ecclesiæ, quam habet Vulgata latina; licèt in eo decreto non contulerit concilium latina cum græcis, nec hebræis. Ex quo etiam fit quotiescumque latina discordaverint à græcis et hebræis, ità ut in concordiam redigi non possint, quod non semel accidit ut dicam alio loco (si talis locus Vulgatæ transcribentis vitio corruptus non est, sed germanus atque sincerus) standum Vulgatæ latinæ potiùs, quàm hebræo codici vel græco, et potiùs hebræa, et græca ex latinâ Vulgatâ corrigenda esse, quàm è contrà; judicandumque mendum obrepsisse vel incuriâ transcribentis, vel aliâ causâ in hebræis et græcis, quàm in latinis, ut insinuat cardinalis Bellarminus lib. 2, de verbo Dei, cap. 11, in solut. 2 argumenti, et expressè docuit Legionensis de Vulgatâ, quæst. 2, conclus. ultimâ. Hæc omnia ex dictis consequenti ratiocinatione deducuntur. Quia cùm definitum à concilio sit vulgatam antiquam versionem esse authenticam, id est, omnia in illâ aptè et fideliter ac sine ullo vitio reddita esse (quamvis non sit definitum, ità aptè redditam, ut aptiùs, clariùs et distinctiùs verti non potuerint) planum consequenter est ex concilii mente Vulgatum expressisse sententiam ab Spiritu sancto intentam in originali. Si ergò accidat nunc vocem aliquam in originali reperiri, quæ nunquam admittat interpretationem, quæ apud latinum sincerum est, judicandum quidem hebræum codicem vitio affectum in eâ parte. Aliàs si ille germanus esset, jam Vulgatus in eo loco non attigisset Spiritûs sancti intentam in originali sententiam, quod falsum est, et contrà concilium. Optimè quidem in eâ præfatione ad Biblia Clementis VIII, correcta dicitur, facilè fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex hebræis et græcis latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quàm ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortassè tàm longo tempore identidem describendo minùs puri atque integri evaserunt. Hæc ibi.

Nec verò hinc licet colligere reprobare nos inspectionem fontium; eam enim magnam vim habere ad illustrandum id quod obscuriùs et minùs clarè interpres vertit, ut dicebam capite præcedenti, facilè concedo, et nemo doctus negaverit. Aio tamen inspectionis fontium non tantam esse nunc necessitatem, quanta olim fuit, quia nunc una est certa et authentica utriusque Testamenti versio, non solùm longo usu recepta, et magnâ ex parte à doctissimo linguarum sancto Hieronymo translata, sed etiam disertè ab Ecclesiâ in concilio generali approbata. Olim enim propter diversitates interpretum (dicebat Augustinus lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, cap. 11), illarum linguarum cognitio fuit necessaria, cùm latinorum interpretum nullus esset numerus. Nunc eâ varietate cessante (neque enim hæreticos interpretes voco, sed eos qui in Ecclesiâ, et in fide Ecclesiæ interpretati sunt), cessat quoque recurrendi ad fontes tanta necessitas. Ad illustrandam quidem et explanandam magis interpretationem Vulgati laudabile id studium esse non abnuo; sed id affirmo constanter, contrà regulam fidei, hoc est, vulgatam interpretationem ab Ecclesiâ probatam et ut authenticam judicatam fons sonare mihi, aut sapere non potest, nec debet Non quòd verus sincerusque primæ linguæ textus falsus esse possit, sed quia minùs mihi certus est, qui circumfertur, cùm omni vel corruptione, vel varietate liberum esse non constet, imò non esse liberum certissimis sit argumentis deprehensum. Quarè pro magno beneficio singularique Dei providentiâ ergà suam Ecclesiam judicandum est, quod nobis eâ definitione contulit synodus Tridentina, cùm jam dijudicaverit, nosque certos reddiderit in omnibus de sententiâ quam Spiritus sanctus intenderit. Nam etsi nunc uterque

textus græcus et hebræus totusque fons incorruptus haberetur, pro multiplici nihilominùs vocum significatione, pro vario etiam doctissimorum interpretum judicio circà textûs intelligentiam, nihil certum, stabile haberemus de sensu, quem voluisset Spiritus exprimere, nisi Ecclesiæ auctoritas nos certos redderet, ut præstitisse videmus, scilicet dùm vulgatam latinam editionem authenticam definivit. Neque obstat quòd Hieronymus non semel versionem à se factam emendaverit, quæ correctiones nunc non exstant in editione latinâ. Probavit enim Ecclesia, quæ ille minùs benè versa judicabat, atque ideò credere tenemur illa sufficienter exprimere sententiam quam Spiritus sanctus intendebat.

CAPUT III.

Nonnullæ objectiones contrà ea, quæ in capite præcedenti.

Quò magis constet vera esse quæ capite præcedenti tertio loco à nobis affirmata sunt, nonnullis objectionibus ea ferè omnia comprehendam, quæ in latinâ editione ab originali dissonare putantur, ità ut nullus omninò relinquatur nodus vindice dignus, aut certè paucissimi, quique facili negotio rescindi possint. Omittam autem ea, quæ cardinalis Bellarminus affert et dissolvit, quia illa vel nullo diluente concidunt, et ex ignorantiâ et malitiâ tantùm hæreticorum objecta sunt. Sed fecit ille pro suscepto munere hereticis respondendi, et illos debellandi optimè; si enim prætermitti viderent eorum objecta, quamvis lanugine leviora, tragœdias excitarent. Primum ergò argumentum est hujusmodi : Ezech. cap. 26 et 27, quibus de eversione urbis Tyri agitur, vertit Vulgatus : *Non invenieris ultrà in sempiternum, et non ædificaberis ultrà in perpetuum*, cùm tantùm in hebraico exemplari et in versione 70, sint ejusmodi voces quæ interdùm ponuntur pro definiti spatii tempore, interdùm pro æternitate ; itaque interdùm pro ratione rei de quâ agitur, significant unum seculum, interdùm æternum aut longissimum tempus. Et tamen illo loco pro seculo ponitur, et definito temporis spatio, septuaginta scilicet annorum. Nam, ut constat Isaiæ cap. 26, Tyrus reædificata est, septuagesimo anno, postquàm à Nabuchodonosor eversa est. Erat igitur vertendum : Non ædificaberis in seculum. Ergò cùm Interpres vulgatus in sempiternum vertit, ambiguæ vocis significatione deceptus, remque ipsam, de quâ agebatur, parùm attendens, falsam sententiam posuit. Nam, ut dixi, ex testimonio Isaiæ constat septuagesimo post anno iterùm reædificatam, magnâ civium copiâ, navigationibus, eamque urbem floruisse. Verùm ad id respondetur dupliciter. Primò, ut divus Hieronymus in eo loco videtur dicere, prædici non ædificandam in sempiternum, quoniam quamvis iterùm reædificata septuagesimo post eversionem anno fuerit, pristinum tamen statum non recuperavit. Non enim aliis populis imperârunt deinceps Tyrii, suisve aut legibus aut regibus usi sunt, sed aliorum ditioni paruerunt, Persarum primò, deindè Græcorum imperio subjecti. Vel secundò, quæ mihi ratio magis placet, dico vocem hanc æternum aut sempiternum, usu Ecclesiæ scriptorum, eorumque qui ex hebræo, aut græco sermone verterunt sacras litteras, sæpè poni non pro infinito temporis spatio, sed pro longo aliquo, aut benè magno tempore. Itaque non semper æternum, sed aliquandò significat diuturnum tempus, quemadmodùm et ipsum hebræum Golam, cujus loco redditur. Cujus rei exempla passìm obvia tùm in sacris litteris, tùm in scriptoribus ecclesiasticis. Divus certè Augustinus tom. 4, quæst. 31, super Genesim, et tom. 5, lib. 16, de Civitate Dei, cap. 26, et tom. 6, lib. contrà Priscil. et Orig. cap, 5 et 6, in eâdem de vocis *æternum* significatione et usu sententiâ est, probatque Exodi cap. 21 : *Serviet in perpetuum*, id est, usquè ad annum Genes. cap. 17, Jubilæi : *Dabo tibi terram Chanaam in possessionem æternam*, id est, longissimæ durationis. Et ibidem : *Eritque pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum*, cùm tamen de circumcisione sermo sit, quæ umbra disparuit veniente luce, id est, Christo. Et illud Horatii quod adducitur ibi ab Augustino :

Serviet æternùm, qui parvo nesciet uti.

Id est, serviet per multa temporis curricula. Et Genesis cap. 6 : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, id est tàm longo tempore, quàm eorum parentes vivere permisi. Vide alia plura testimonia apud Joannem Ferdinandum è Societate Jesu tom. 1, Thesauri Sanctorum, verbo *æternitas*.

Secundò objicitur, quia Psalmo 43, Vulgata habet : *Et declinâsti semitas nostras à viâ tuâ*. Ubi nihil dico de eo, quod videtur dicere Deum illi populo auctorem fuisse ut declinaret à viâ ipsius; nam ejusmodi forma loquendi familiaris est sacris litteris, eâque significant nihil aliud,

quàm permisisse Deum illa fieri. Sed dico istud, quod verba ritè intellecta significant, scilicet declinâsse illos Dei permissu à viis rectis falsum omninò esse, et à Vulgatâ præter fidem originalis Scripturæ positum, in quâ sic legitur : *Nec declinaverunt à semitis tuis viæ nostræ.* Atque hanc esse veram Psalmi sententiam eam quam posuit David, illam autem, quæ habetur in Vulgatâ esse falsam, probatur primò ex eo ipso Psalmo, atque adeò ex priori ejus versûs parte, quæ sic habet : *Nec obliti sumus te, et iniquè non egimus in Testamento tuo, et non recessit retrò cor nostrum.* Quæ si vera sunt, ut sunt certè vera, verèque à Davide dicta, nullo modo potest esse verum, quod statim Vulgata subjecit : *Et declinâsti, vel tuo permissu declinaverunt semitæ nostræ à viâ tuâ.* Quî enim potest esse utrinque verum, ut declinaverint à viâ Dei, et nihil iniquè egerint adversùs illius Testamentum? Item secundò, quia is Psalmus totus scribitur ex personâ primitivæ Ecclesiæ variis persecutoribus vexatæ, ut liquet ex eo versu illius Psalmi : *Propter te mortificamur totâ die*, etc., quem versum Paulus ad Romanos cap. 8, ut de Ecclesiâ dictum interpretatur. Atqui constat Ecclesiam primitivam sanctissimè fidem Christi et probatos à Christo mores coluisse, innumerabilesque ex illâ exstitisse, qui corporis periculo eam fidem sunt professi. Falsum igitur planè videtur, neque in illam Ecclesiam cadere potest, ut declinâsse semitas suas à viâ Domini dicatur.

Sed respondetur primò, Vulgatam hoc loco verbo è verbo ductam esse ab exemplari hebræo, in quo item sine negatione hoc hemistichium habetur, diciturque planè : *Et declinâsti gressus nostros à semitâ tuâ*, sed utrobique ex superiori hemistichio à communi negationem debere repeti hoc modo : *Et non recessit retrò cor nostrum et declinâsti*, id est, repetitâ negatione à communi : *Et non declinâsti*, id est, *non permisisti ut declinarent.* Itaque planè et ad sensum verè vertit Hieronymus in germanâ, quam ille edidit ex hebræo Psalmorum versione : *Nec declinâsti, gressus nostros à viâ tuâ.* Est autem non infrequens in sacris litteris, ut initio clausulæ posita negatio in singulis ejus partibus et articulis subintelligatur poni. Exempla vide apud Luysium Legionensem in illud Pauli ad Galat. : *Sed et Titus qui mecum est*, etc. De eoque plura nos in nostrâ ad sacras litteras Isagoge. Vel secundò dico, semitæ Dei aut in semitis Dei ambulare, in sacris litteris significare non solùm honestæ vitæ institutum, sed etiam vitæ felicis statum, et Dei suos protegentis præsidium, ut ambulare in viâ Dei sit, non solùm honestè, sed tranquillè et feliciter vivere, juxtà illud Psalmi : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Quo sensu hoc loco existimo dictum esse : Et declinâsti semitas nostras à viâ tuâ, hoc est, tuo nos præsidio nudâsti, pœnisque gravibus subjecisti. Hæc enim habent acrem querelam, in quam omnis superior oratio intertexta est, et in quam superior tendebat oratio. Idcircò enim suam ergà Deum curam commemoravit, dixitque : *Et non recessit retrò cor nostrum*, etc., ut quasi telum sic deinceps contorqueret vehementiùs in Deum, de quo queritur hisce verbis : *Et declinâsti semitas nostras à viâ tuâ*, id est : Et tamen quamvis optimè de te meritos, tuarumque legum obsequentissimos, à semitâ tuâ, à favore tuo, à præsidio expulsos nos hostium telis objecisti, in hostium, qui nos suppliciis atque morte afficerent, potestatem pervenire sivisti. Itaque sequitur in eamdem sententiam : *Humiliâsti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.*

Tertiò, Danielis cap. 11, Interpres vulgatus posuit : *Et cessare faciet principem opprobrii sui, et opprobrium ejus convertet in eum;* loquitur autem textus de Antiocho Magno, qui cùm socios P. R. invasisset, à Romanis, duce Scipione Africano, victus et regno magnâ ex parte spoliatus, intrà Taurum regnare est jussus. Igitur non Antiochus fecit cessare principem, id est, Scipionem ab opprobrio, id est à bello, quod ipsi ferebat, sed potiùs ipse Antiochus à Scipione cessare et desistere coactus est, ab injuriâ, quâ afficiebat populum romanum, socios illius invadens, vertitque in ipsum Antiochum opprobrium, cùm illum non solùm ut abstineret ab injuriâ fecerit, sed etiam magnâ ex parte regno mulctaverit. Et ità in textu hebræo verè et aptè ad ea quæ evenerunt legitur : *Vertetque se ad insulas et capiet, et princeps compescet ejus probra*, Africanus scilicet. Igitur et ab originali diversè, et ad rei veritatem et prophetiam falsò posuit vulgatus Interpres : *Et cessare faciet principem opprobrii sui.*

Respondetur omnem istum locum planiùs et distinctiùs potuisse verti, sed tamen non ità esse conversum, ut à vero Prophetæ sensu, veràque ejus loci sententiâ abhorreat, sed, rectè si intelligatur, ad eumdem sensum. Nam quod legitur, *cessare faciet*, non Antiochus intelligendus est, sed Africanus. Is igitur cessare faciet, quemnam?—Quem? *Principem opprobrii sui*, id est Antiochum, quem principem op-

probrii sui verè et aptè nominat, quia sociis P. R. per injuriam contrà fœdus violatis, ipse sibi auctor fuit acceptæ à Scipione ignominiæ et calamitatis; itaque illud verbum, *cessare faciet*, non adsciscit suppositum ex superiori oratione aliquod, sed ipsum secum affert subintelligendum, quod hebræo sermoni familiare est. Ut lib. 2 Reg. cap. 3, in hebræo ad verbum : *Et Saüli concubina nomine Respha, filia Haia, et dixit ad Abner: Quare ingressus es*, etc. Dixit scilicet Isboseth, cujus tamen nullâ superiori oratione facta erat mentio.

Quartò, Numerorum ultimo vertit Interpres : *Omnes viri sument uxores de tribu et cognatione suâ, et omnes feminæ*, etc., quod et ab originali est alienum et re ipsâ falsum. Nil enim tale præcipit Moyses, aut per Moysem Dominus. Quòd discordet ab originali probatur. Et primò prior hujus sententiæ atque præcepti pars ea quæ ad viros pertinet, longè aliter in hebræo habetur. Non enim ibi dicitur, ut singuli viri ducant uxores ex suâ quisque tribu, sed ut singuli adhæreant, id est, permaneant in eâ hæreditate, quæ tribui suæ contigit, et ità etiam Septuaginta verterunt. In quo valdè deceptus est Canus, qui lib. 2, cap. 14, affirmat veterem interpretem in eo secutum Septuaginta. Septuaginta ad verbum sic : *Quoniam quilibet in hæreditate tribûs paternæ adhærebit*. Posterior verò pars quæ ad feminas spectat, in hebræo sic habet : *Et omnis filia hæres hæreditatis ad aliquam tribum pertinentis contribuli suo mbat*. Et Septuaginta similiter : *Et omnis filia propinqua hæreditatis suæ, vel aditura hæreditatem*, etc. Quod longè diversum est ab eo, quod Vulgata habet. Nam hoc præceptum ad eas feminas solùm pertinet, ad quas ob defectum fratrum hæreditas paterna pervenerat, quales fuerunt filiæ Zalphat, quibus certè præceptum ut nubant contribulibus, ne si alterius tribûs viris nuberent, cum prole, quæ in tribu patris, id est mariti, censenda erat, hæreditas materna è suâ tribu ad aliam tribum transferretur. Illud verò præceptum Vulgatæ omnes feminas in universum comprehendit. Quòd autem re ipsâ falsum illud, neque unquàm à Moyse præceptum, ut nulla omninò femina nisi tribuli suo nuberet, evidentibus exemplis sit manifestum. De Moyse et Aaron Exodi cap. 6, ac Joiadâ 2 Paralip. cap. 22, de Michol Davidi nuptâ, quæ tamen erat ex tribu Benjamin, Saülis filiâ. Præterquàm quòd nulla ratio erat, ut id universis feminis citrà delectum interdiceretur, ut liquet.

Respondetur quod ad primum attinet, scilicet Vulgatum in priori parte sententiæ, quæ ad viros spectat, non respondere hebraicæ veritati, hebraicè et ad verbum sic haberi : *Quoniam singuli in hæreditate tribûs paternæ adhærebunt filiorum Israel*. Adhærere autem quod dicitur, potest intelligi vel hæreditati, vel uxori, cujus quamvis nomen reticeatur, rectè potest intelligi, cùm ad matrimonia lex spectet. Et certè hærere quisque in hæreditate paternâ, hoc est, permanere illâ in familiâ et tribu non posset, si suo arbitratu quisque cujusvis tribûs feminas in matrimonium duceret sine delectu. Itaque sententiam et scopum legis spectans vetus interpres, eo quòd hebraicè legitur, singuli, id est, viri filiorum Israel in hæreditate paternâ hærebunt, non malè posuit, singuli vel omnes uxores de suâ tribu ducent. Eò enim ferebatur lex, ut delectu in uxore ducendâ, sua cuique tribui, atque familiæ conservaretur hæreditas.

Quod verò attinet ad secundam testimonii partem, quæ de feminis agit, lis nobis est cum Osiandro, qui credit testimonium istud fictum esse, neque usquàm in hebraicâ veritate reperiri. Id quod probat his argumentis : « Primò, non esse probabile Moysem ausum « fuisse eam legem ferre, quam constabat per « totum vitæ curriculum ipsum neglexisse. « Secundò, quod de filiabus Salphaad lege « latâ sancitum sit, id sine causâ ad reliquas « omnes feminas in universum extendi. Tertiò, « Judicum 21, legi filios Israel lugentes exci- « dium tribûs Benjamin, eo quòd omnes fe- « minæ illius tribûs interfectæ erant, affir- « mâsse tamen se non daturos Benjaminitis « filias suas in uxores, et hujus rei causam « prætexuisse, non quòd lege divinâ prohibe- « rentur id facere, sed quia constricti essent « juramento et maledictione, quâ dixerant : « *Maledictus, qui dederit de filiabus suis uxorem* « *Benjamin.* »

Hæc ille pro se adducit : quæ quidem non sunt ejusmodi, quibus homo mediocriter vel pius vel prudens adduci debuisset, ut discederet à veteri et contestatâ majorum sententiâ. Nam cùm testimonium istud ex libro Numerorum, cui sæpè sancti Patres innituntur, his verbis in editione vulgatâ scriptum sit quibus nihil fingi potuit manifestius, nimirùm, omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione suâ, et cunctæ feminæ de eâdem tribu maritos accipiant, nullâ ratione licuit Osiandro affirmare præceptum hoc de ducendâ uxore ex eâdem tribu, adulterinum esse et subditicium, neque in veritate hebraicâ reperiri. Tanta enim est

vulgatæ editionis auctoritas, ut nemo sine impietatis suspicione illius testimonia possit rejicere, et ad veritatem hebraicam provocare. Sed finge aliquid erroris subesse in vulgatâ editione, utrùmne septuaginta Interpretes in eodem errore ignorantiâque fuerunt? At illorum editioni Vulgata mirè convenit in hâc parte; sic enim habent : *Atque omnis filia ex unâ aliquâ familiarum Israel, cui paterna hæreditas proximè competat, gentili suo nubat.* Quòd autem ad hebraicam veritatem provocat Osiander, tantùm abest, ut illâ adjuvetur, ut revincatur nullâ re magis. Nam verba hebraica, quantumvis scrupulosiùs vertas, eum habent sensum, ut omnis filia, ad quam hæreditas paterna devenerit ex tribubus Israel, nubat uni ex tribulibus patris sui. Qui sensus tàm apertè convenit cum editione vulgatâ, ut nullâ ratione potuerit Osiander affirmare, testimonium illud nusquàm reperiri in sacrâ Scripturâ. Quod autem ille pro se affert de Moyse, non est quod facessat negotium, quandoquidem multò antè illius legis promulgationem, uxorem ille duxerat, quam noluit posteà dimittere, intelligens fortassè, et in spiritu prævidens illam Christi sententiam : Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet, præsertim quandò Moyses nullam terræ promissæ partem in hæreditatem acceperit; hoc autem præceptum constitutum sit, ne hæreditas ex unâ tribu in aliam transferretur.

Nec verò secundum quo ille utitur argumentum, aliquod momentum habet. Non enim sequitur quia filiabus Salphaad de eo quod sibi liceret privatim quærentibus, lex illa à Deo lata sit, idcircò in universum non fuisse datam. Illæ enim suo facto legislatorem quasi admonuerunt, quid in pari casu et similibus controversiis facto opus esset, suâ ut lege sanciret. Itaque occasione acceptâ ex illarum quæstione, ratio matrimoniorum contrahendorum in universum constituta est. Quod probari potest, tùm ex eo quòd postquàm illis responsum est, statim generalis sententia subjicitur : *Et cunctæ filiæ Israel suis tribulibus nubant;* tùm quia translatio hæreditatis ex unâ in aliam tribum, cujus impediendæ causâ Deus illam legem tulit, ea nisi lex omnibus lata esset, nihil impeditur.

In tertio autem argumento dissolvendo major ambiguitas et sententiarum varietas est. Sunt enim qui dicant non prohibere Dominum omnibus mulieribus Israelitis, ne nubant viris tribûs alienæ, sed illis duntaxat ad quas hæreditas paterna devenerat. Idque manifestum esse dicunt, primò quia sancita est lex illa in causâ filiarum Salphaad, ad quas, cùm fratres non haberent, spectabat hæreditas paterna; deindè quia apertè hoc ipsum significant verba illa, quæ in hebræo codice habentur : *Omnis filia possidens hæreditatem.* Quòd si aliquandò vir Israelita ducere vellet uxorem tribûs alienæ indotatam, nullo præcepto legis prohibebatur. Quarè Judicum cap. 21, cùm Benjaminitæ virgines quascumque sibi oblatas etiam indotatas libenter accepturi essent in uxores, reliquæ interim tribus non prætexunt legem Dei, quominùs filias suas illis nuptui darent, sed juramentum, quo prohibebantur.

Sed mihi legem istam de matrimonio, nisi inter homines ejusdem tribûs non contrahendo, cujus ferendæ ratio latissimè patet, intrà tàm angustos terminos concludi, nullâ ratione probatur. Nam quæ res Deum impulit ut mulier ad quam hæreditas paterna jam devenerat, nollet nisi gentili suo nubere, ne scilicet agri undecim tribuum permiscerentur; eadem cogebat ut ne illis licere vellet, ad quas si minùs pervenerat, at aliquandò pervenire posset hæreditas. At nulli non poterat propter varios fortunæ casus, aut fratrum in orbitate decessum, aut nepotum funera. Consentaneum ergò est ejusmodi inter diversas familias connubia, omnibus ex æquo interdicta fuisse. Itaque non sine causâ septuaginta Interpretes hoc loco scripsêre proximæ et propinquæ hæreditati, ut intelligeretur non tantùm eas feminas quæ paternam hæreditatem adivissent, sed illas etiam, quibus jus esset adeundi, hoc est, sine ullâ exceptione universas hâc lege concludi ad quas devolvi poterat hæreditas. Quòd autem in hebræo codice filia possidens hæreditatem legitur, idem est ac si filia hæres legeretur, quemadmodùm explicat chaldaicus Paraphastes : *Et omnis,* inquit, *filia hæres possessionis.*

Id verò, ut sit hæres, in utrâque editione cùm additur, duo vel tria genera feminarum intelligi nolunt atque excludunt. Primum earum, quæ pertinerent ad familiam Levi, cui nulla prædia attributa erant, cùm enim cujus rei hæres esset, non habebat, libera potestas erat, cui vellent nubendi. Deindè et aliarum tribuum feminæ, quas parentes sui suscepissent, aut ex concubinis, aut non ex primæ classis uxoribus. Nam fuisse apud Hebræos uxorum duo genera constat ex veterum monumentis. Unum quod solemni quodam ritu ac cæremoniis ducebatur, è quibus suscepti filii hæredes ex asse erant, eæque uxores vocabantur. Alterum legitimum et ipsum, sed secundæ atque inferioris notæ,

sine illis cæremoniis atque ritu ductum; quæ dicebantur concubinæ, quarumque filii in partem hæreditatis paternæ non veniebant : qualis fuit Cæthura, de quâ in Genesi dicitur quòd fuit concubina Abrahæ, et quòd filiis ejus moriens, munera, id est legata quædam dedit, non autem ipsos participes hæreditatis fecit cum Isaac filio, quem ex Sarâ legitimâ et primariâ suâ uxore susceperat. Excluduntur denique filiæ ex adulterio susceptæ, quoniam etiam à jure hæreditatis consequendæ excludebantur. Ergò viri illi tribûs Benjamin, qui soli ex prælio remanserant, cæteris omnibus contribulibus ad unum cæsis, libenter ad stirpem generis conservandam matrimonia contraxissent cum feminis Judæis vel è Leviticâ tribu ortis, vel ex concubinis et secundæ classis uxoribus susceptis, vel spuriis. Sed eis ne nuberent impedimento erat, non quidem legis ullius auctoritas, sed jurisjurandi, quo se reliquæ tribus adstrinxerant, cujusque causam obtendebant, fides atque religio. Atque ex his ea quæ in oppositum adducebamus initio facilè diluuntur. Quintò objicitur : Exodi cap. 34, vertit Vulgatus : *Stetit Moyses cum eo invocans nomen Domini, quo transeunte coràm eo, ait : Dominator, Domine Deus, miserator et clemens, patiens et multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia,* etc. Quibus et sequentibus verbis apertè significatur illa verba *miserator et clemens,* à Moyse, Deum cùm vidisset, esse prolata, quibus illi misericordiæ et clementiæ laudem tribuit. Itaque Lyranus et ferè omnes latini interpretes accipiunt ut à Moyse prolata. At hæc sententia et ab originali aliena est, et re ipsâ falsa : non enim Moyses illa protulit, sed Deus ipse de sese illa prædicavit audiente Moyse, eique illis verbis ingenium suum, quoque animo ergà homines affectus esset, notum fecit. Quòd ab originali id sit alienum patet, quia habet ad verbum sic : *Et transivit Dominus antè faciem illius,* et clarâ voce dixit, seu inclamavit, ipse scilicet Dominus ; itàque et Septuaginta et Paraphrasis chaldæa verterunt. Quod autem sit re ipsâ falsum probatur, primò, quia capite antecedenti postulante Moyse à Deo, atque dicente : *Ostende mihi gloriam tuam,* dixit Deus : *Ego ostendam tibi omne bonum, et vocabo in nomine Domini coràm te.* Pollicitus ergò se suam illi gloriam ostensurum nomenque suum, id est, ingenii atque bonitatis suæ coràm illo vocaturum, id est illi dicturum. Quod autem ibi est pollicitus hic præstitit. Non igitur hic ipse vocatus est à Moyse Dominator, Domine Deus, etc., sed ipse se talem esse Moyse audienti clarâ voce testatus est. Secundò id liquet apertè ex Numerorum cap. 14, ubi Moyses orans Deum ut ignosceret populo non annuenti terram promissionis adire hostium metu, hujus quam à Deo hoc loco didicerat clementiæ divinæ magnitudinis ipsum Deum admonet, itaque dicit : *Magnificetur ergò fortitudo Domini sicut jurâsti dicens Dominus : patiens, multæ misericordiæ, auferens iniquitatem,* etc. Ubi ferè eadem illa Deo tribuit Moyses, dicens ipsum de se illa dixisse olim sibi, talemque se ergà homines futurum pollicitum, et quasi consignatis tabellis cum illo ageret, verba quæ ab illo audierat, illi allegat, et ut re ostendat se talem esse precatur, qualem se esse professus est. Tertiò, in Psalmo 102, hæc eadem veritas apertè declaratur. Nam cùm dixisset : Notas fecit Moysi vias suas, ut doceret, quas illi vias notas fecisset Deus, intulit statim : *Miserator et misericors,* nimirùm eadem illa, quæ hic de Deo dicuntur. Igitur manifestò docet Psalmographus hæc verba, *miserator et misericors,* Deo de se prædicante Moysem didicisse, non verò Moysem Deo tribuisse illa, hocque ipsum, scilicet esse miseratorem et misericordem, appellat *vias Dei,* scilicet ingenium et institutum Dei ergà homines phrasi hebraicâ. Quo etiam nomine viarum, nisi fallor, et ipse Moyses eadem appellavit paulò antè, scilicet Exodi cap. 33, cùm ad Deum agens, dixit : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Nam in hebræo est, viam tuam, et vetusti etiam Vulgatæ codices manuscripti eo loco viam, non faciem habent. A quo non petiit, ut nonnulli volunt, se ut ostenderet viam quâ populo per desertum esset pergendum, id enim si peteret, potiùs viam meam dixisset, quàm tuam, sed sine dubio petiit, se ut Deus doceret id quod hoc capite dicitur obtinuisse, scilicet institutum suum et ingenium, et quo animo ergà homines, eorumque salutem esset : aut certè quâ ratione perducturus ad exitum esset humani generis peccato ac morti addicti ac mancipati liberationem atque salutem. Quod tamen in hoc capite, hâcque, quam diximus, Dei oratione illi est ostensum, mysteriumque Jesu Nazareni hominum servatoris patefactum, quæ illi oratio hoc mysterium clarè patefecit, et illi qui eam auribus à Deo hausit, cùm magno pollebat lumine, aperta et perspicua satis fuit ; nobis verò, qui eam scriptam legimus, neque id lumen habemus, obscura aliquantùm est, sed non adeò, ut hujus veritatis atque mysterii in his verbis inclusum lumen

non aliquà foràs emicet, radiosve emittat ex sese, ad eorum qui ista legunt oculos, modò animum adhibeant, fideles satis claros. Nec enim mysterio vacat, quòd cùm maximè magnitudinem suæ clementiæ commendare velit Deus et, ut dicam, effectum ultimum suæ bonitatis ostendere, quod illis verbis declaravit: Servans misericordiam in mille generationes, nam anteà simpliciter se misericordem et miseratorem fore dixerat. Itaque in hâc summâ vi, summoque effectu suæ misericordiæ declarando, non sine causâ, cùm apud Hebræos plura verba sint, quæ servare, et custodire significant, ex omnibus *Nazar* verbum potissimùm elegit; itaque dixit et scripsit *Nasor*, id est servans misericordiam; ab illo enim verbo Nazareni Jesu Christi cognomen, Nazarethque urbis, in quâ altus et educatus est, nomen planè dicitur: per hoc illuminatis mentibus, qualis Moysi mens erat, apertè; cæteris non obscurè indicans, se futurum aliquandò *Nazer*, Nazarenum, inquam, hominum servatorem, cùm factus et ipse homo esset, eamque misericordiam, cujus, vel in quâ *Nazer*, ipse sit, in mille generationes duraturam, id est futuram sempiternam. Nam redemptionis humanæ opus, salusque ea, quæ per Christum humano generi parta est, æterna, neque ullis temporis voluminibus finienda salus est. Non enim illa, ut cætera, quæ à Deo accipimus bona, reliquiæ ejus in nos miserationis, tempore exstinguitur. Itaque quod priùs dixit, se miseratorem esse, ad beneficium creationis retulit, ad id spectans beneficium, dixit, quod creatione nobis contulit. Idem *Raham* verbo usus est, ex quo *Richem* ducitur, id est vulva, sic dicta, quia sinu suo, amplexus fœtum ipsumque fovens gignit. Porrò quod addit, Misericors, ad ea bona retulit, quæ vel universo humano generi confert, spectantia ad vitæ hominum usum, quibus vita hæc nostra ducitur et propagatur; vel propriè contulit in Judæos, eos à durâ servitute eruens, doctrinis sanctis erudiens, per deserta loca ducens, in terram promissionis inducens. At hoc ultimum Nazer, misericordiam, quæ ad beneficium redemptionis spectat, quia in eo de suâ summâ clementiâ futurâ, et liberandis à peccatis hominibus, et ad æternam felicitatem perducendis, per Jesum Nazarenum significavit, meritò addidit, in mille generationes. Illa enim priora simul cum hâc vitâ exstinguuntur; hoc autem sempiternum bonum est.

Respondetur tamen verum esse illa verba à Deo dicta esse, neque contrarium colligi ex vulgatæ editionis textu, si rectè intelligatur. Itaque qui aliud colligunt, suâ ipsorum sententiâ falsi sunt, non à Vulgatâ in errorem inducti. Nam cùm dicitur: Quo transeunte coràm eo, ait: non necesse est, ut Moysem locutum esse intelligamus, cùm per rectam et usitatam sacrarum litterarum rationem liceat interpretari Dominum esse qui ait, de quo eodem dictum est: quo transeunte. Nam verba sine expresso nomine à fronte posito, cùm id adsciscunt ex superiori oratione, non semper quod in recto, sæpè quod in obliquo præcessit adsciscunt, ut ex illo suprà citato ex 2 Regum liquet, et ex illo Pauli Act. cap. 20: *In quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Quisnam acquisivit? Spiritus sanctus?—Minimè, sed Dei filius, cujus esse Ecclesia dicitur. Igitur illud: acquisivit sanguine suo, Dei scilicet filius, cujus Ecclesia esse dicitur, cujus nomen in obliquo præcessit; non Spiritus sanctus, de quo in recto.

Sed dicet aliquis: Si vulgatus Interpres hæc, ut sunt, etiam intellexit verba Dei esse, eique attribuit illa, quomodò vertit, *qui visitas?* dicendum potiùs esset, qui visito. Nonnulli fortassè dicent verè positum esse à Vulgato: qui visito; sciolos autem aliquos, quia putaverunt à Moyse ista proferri, mutâsse: qui visitas. Sed ego has sacrorum librorum correctiones ex transcribentium vitio post Vulgatam à Clemente VIII correctam, nonnisi cum quâdam moderatione admisero, quam posteà dicam. Quarè respondeo id non obstare quominùs verba hæc ità dici intelligantur per mutationem personæ, quæ figura usitatissima est in sacris litteris; quæ de eâdem re, tùm in primâ, tùm in secunda, tùm in tertiâ personâ in eâdem oratione loquuntur. Quam regulam tradidit inter alios Augustinus in Psalmum 44. Exempla obiter hæc sunt Canticorum 1: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt verba tua vino.* Genesis 49: *Ad prædam, fili mi, ascendisti; incurvavit se, et accubuit ut leo.* Isaiæ cap. 52: *Peccavimus ei, et noluerunt in viis ejus ambulare.* Et Psalmo 80: *Et comedere fecit eum de adipe frumenti, et de petrâ melle saturabo te.* Imò et inferiùs in eodem capite Exodi similem loquendi formam reperies. De seipso enim loquens Deus, inquit: *Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator,* nosque hispano sermone cum aliis sermocinantes eo modo loqui solemus sæpissimè. Quid? Non infrequens aut insolens est in sacris litteris, ut ipsi qui loquuntur, ità loquantur, ac si de aliis loquerentur, quod multis è sacris testimoniis prolatis probat Martinez Cantapetrensis libro nono Hypotyposeon à regulâ 29.

Sexto, Proverbiorum cap. 18, Vulgata habet: *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Atqui in hebræo non solùm diverso, sed et contrario sensu legitur: *Frater offensus à fratre,* aut *perfidiâ desertus, magis quàm civitas fortis,* aut, ut alii vertunt, eodem tamen sensu, *frater rebellans in fratrem* scilicet, *magis quàm civitas fortis.* Quo non significatur fidum habere unumquemque in fratre suo præsidium, ut Vulgata exposuit, sed contrà potiùs, magnum à fratre cuilibet impendere malum, et ubi discordia inter fratres incidit, implacabili odio ferri eos in se invicem.

Ad hoc nonnulli fortassè dicent, Hieronymum legisse pro *niphsangh, bepesangh,* id est ad verbum: in rebellione, hoc est in jurgio, ut sit sensus: Frater in jurgio fortior urbe, in jurgio, inquam, id est cùm quis cum altero jurgatur et digladiatur, frater occurrens, illique suppetias ferens pro mille viris est. Quem sensum Hieronymus verè et aptè expressit, dicens: *Frater qui adjuvatur à fratre.* At ego hebraici textûs lectionem mutari nolo; sed eâ retentâ Hieronymum rectiùs et veriùs, quàm novos interpretes vertisse contendo. Nam *nipsangh* participium passivum est à *passagh,* quod rebellare, et perfidè in altum insurgere, significat: ergò *niphsagh,* is certè adversùs quem alius insurgit, et *ach nipsagh,* non erit frater rebellans et insurgens, sed potiùs frater ejus, aut ei, in quem alius insurgit, ut *niphsagh* sit positum pro *lenipsagh.* Undè verbum è verbo: *Frater,* inquit, *ejus, in quem alius insurgit, ei pro urbe munitissimâ est,* id est, habet in fratre promptius et firmius auxilium, quod expressit Hieronymus. Atin hunc sensum potiùs vertenda esse hebræa *ach, niphsagh,* non de fratre, qui insurgit, aut in quem insurgit frater, sed ejus, in quem insurgitur, frater potiùs, quique ab hoste impetitur, subjecta similitudo demonstrat. Nam si fratrem à fratre læsum, ejusque iratum et infestum animum intellexisset, quàm acerbum sit odium, quàmque implacabile cùm docere voluisset Salomon, leonem, urbem, tigrim in similitudinem adduceret, non conferret urbi forti atque munitæ, non vectibus, non repagulis, quibus obserantur fores, compararet. Illa enim adversùs hostium irruptiones valent: itaque fraterno præsidio rectè conferantur. Si autem de acerbitate odii, nihil in illis est, quod ad similitudinem trahi possit, aut ex quo similitudo ducatur aliqua, nisi ea nimis dura, et à longè petita.

Septima objectio. Ecclesiastes cap. 10, Vulgatus vertit. *Pretiosior sapientia, parvaque gloria ad tempus stultitia,* non solùm diverso ab exemplari sensu, sed, ut videtur inepto. Nam quis nesciat sapientiam magnâ cum gloriâ, hoc est, honore et laude conjunctam, præstare stultitiæ vel parvæ vel magnæ? Nam utraque potest accipi illo verbo, ad tempus, quod ex suo addens interpres posuit, ut sit, ad tempus magnum vel parvum. Porrò dissidere ab hebraicâ veritate constat, nam ea sic ad verbum: Pretiosior sapientia et gloria stultitiâ parvâ, licet fœtet. Est enim similitudo, quamvis tacita particula similitudinis, itaque ait: *Sicut muscæ mortis,* id est mortuæ, quamvis paucæ, unguentum aromatarii, id est alioqui odoratum fœtidum reddunt, sic vir quamvis sapientiâ et gloriâ excellens, uno stultè facto malè audire solet, juxtà illud Jacobi: *Qui offendit in uno factus est omnium reus.*

Sed ut respondeamus primo loco, vulgata lectio suæ integritati restituenda est. Nam quod ex MS. liquet, quodque retinuit editio correcta Clementis VIII, legendum est: Pretiosior est sapientiâ et gloriâ, parva et ad tempus stultitia, quæ est vera vulgata lectio in hoc loco. Secundò dico: Qui his verbis præferri sapientiam et gloriam parvæ stultitiæ intelligunt, non rectè intelligunt: contrà potiùs parva ad tempus stultitia sapientiæ et gloriæ præfertur, idque sine dubio intellexit hoc loco, et hebraicè dici, et eam sententiam latinè exprimere voluit Hieronymus. Itaque illud: sapientia et gloria, ablativi casus sunt, non nominandi, quod ità esse liquet ex hebræo. Quod etiam ità esse illud: ad tempus, quod Hieronymus addit sententiæ illustrandæ causâ, satis declarat. Stultitiam ad tempus, id est in tempore laudari, et sapientiæ gloriosæ præferri. Tertiò dico his verbis hoc modo intellectis optimè reddi hebræa. Nam quamvis illa verti possint commodè, quomodò à nobis versa sunt, et à novis interpretibus vertuntur; tamen nemo hebraicè doctus negavit, ità ad verbum aptè reddi, vertique posse: *Pretiosa præ* sapientiâ atque gloriâ stultitia parva, quo sensu, ut declaratum est, vertit Hieronymus: *Pretiosa est sapientia et gloria, parva, et ad tempus stultitia.* Neque obstat huic interpretationi, quòd in hebræo, stultitia, multitudinis numero dicatur, et pretiosa singulari, *Jacar,* ex quo videntur inter se non conjungi, sed adjectivum pretiosa cum sapientiâ copulandum. Id, inquam, nihil obest. Nam Hebræos in loquendo horum numerorum concordantiam, nec adjectivi et substantivi, nec suppositi et verbi, tàm religiosè non observare, nemo est, qui vel primis labiis hebræa degustaverit, qui ignoret, ejusque passim in sacris litteris occur-

runt exempla. Quartò dico, hanc versionem, quam cum hebræo textu convenire ostensum est, etiam continere veram et aptam sententiam dignamque sapiente. Nam quod dicit: *Pretiosior est sapientiâ et gloriâ, parva et ad tempus stultitia*, primò intelligi potest de stultitiâ, tempore et loco adhibitâ alterius periculi vitandi, vel rei alicujus magnæ causâ, ut de Davide legitur, qui stultitiam simulavit, ut periculum effugeret, et reverà consecutus est, quod virtute, sive viribus tunc non assequeretur, quæ magna reverà sapientia fuit. Quo etiam modo divus Paulus de se scribebat factum esse stultum stultis, ut omnes lucrifaceret. A quo non abhorret illud Lyrici:

Misce stultitiam consiliis brevem,
Dulce est desipere in loco.

Potestque hic versus cum superiore conjungi, ut est in hebræo, itàque deduci, ut sit similitudo per contrarium hoc sensu: Muscæ parvæ morientes optimum unguentum fœtidum reddunt; at parva et loco usurpata stultitia, ità præstat sapientiæ, ut perfectiorem faciat. Secundò potest intelligi loqui de sapientiâ arroganti et curiosâ, de quâ superiùs præceperat: *Ne sis multùm sapiens.* Idque intelligi dictum potest, et ex adjunctâ gloriâ, ut sapientia et gloria sit sapientia gloriosa, et ostentatrix suî, et ea quæ inflat, ut Paulus dicit, non ædificat; cui sanè præstat parva stultitia, hoc est, indocta et modesta simplicitas. Tertiò, juxtà aliorum intelligentiam, sapientia hîc et gloria ea est, de quâ Paulus ubi suprà: Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, id est, sapientiam et gloriam mundanam ex philosophiæ cognitione, divitiis nobilitatam confudit parvâ stultitiâ vulgi judicio, scilicet Evangelii doctrinâ ac prædicatione. Sic ab eodem Paulo dictum: *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*, quæ parva, vel propter humilitatem, quâ docet, vel propter simplicitatem verborum, quibus tradita est, stultitia quodammodò visa apud judicium humanum talis habetur. Hæc autem stultitia præstat sapientiæ, quia, ut Paulus sæpissimè, quod stultum est sapientius est apud homines.

Ultimò dico, quod habet Vulgata, rectè si intelligatur, sensu non differre, ab eo quod novi interpretes ex hebræo vertunt. Nam quod stultitia parva pretiosior dicitur, non necesse est, ut intelligatur melior aut præstantior, sed aut potentior aut gravior, aut efficacior. Nam et verbum ipsum hebræum utrumque, pretiosum et grave significat. Est igitur parva stultitia, quàm sapientiâ pretiosior ad maculam homini, atque dignitati hominis inferendam. Ut quemadmodùm in odorifero unguento, muscæ mortuæ, quamvis paucæ, plus possunt ad fœtidum odorem reddendum, quàm unguenti bonitas possit ad emittendum odorem, vincitur parvâ re omnis illa fragrantia; sic sæpè accidere, ut parvis peccatis, atque lapsibus, hominis, quamvis sapientis atque gloriosi, fama maculetur. Ut cùm ab eo, qui multa sapienter gessit, et in magnâ sapientiæ gloriâ apud homines fuerit, stultè aliquid, id est pravè, aut turpiter commissum fuerit, brevi vitæ momento fructu sapientis et justificatæ vitæ amisso, et gloriæ ac bonæ famæ tanquàm obscurato lumine, non tàm illi valet ad laudem superior rectè et sapienter acta vita, quàm ad infamiam, stultè posteà quod fecit.

Octava objectio, 3 Reg. cap. 21, legitur in Vulgatâ sic: *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum aves cœli:* quibus verbis manifestè significatur fore, ut Achab post mortem non mandaretur sepulturæ. At hoc et falsum per se est, et ab originali sententiâ diversum. Quòd sit falsum liquet ex capite vigesimo secundo ejusdem libri, in quo sepultus in Samariâ apertè dicitur. Quòd sit ab originali diversum liquet hebraicè scientibus, nam ad verbum sic habet: *Qui natus fuerit ex Achabit*, id est familia scilicet, quo significatur non ipsum non sepeliendum, sed ejus liberos et familiares, quod et evenit.

Ad hoc aliqui fortassè dicent, id vaticinium comminatorium fuisse, posteàque, in mitiorem sententiam commutatum à Deo esse, eo quòd Achab his auditis pœnitentiam egisset, ut in fine hujus capitis dicitur. Sed huic obstat, quòd Deus pœnitentiâ Achab non est inductus, ut sententiam in illum latam mutaret, sed ut eam prorogaret, quæ erat executioni mandanda, ut liquet ex eodem capite. Quarè verius est dicere in Vulgatâ illud, Achab, dativi casûs esse, atque dicere; si mortuus fuerit Achab, id est Achabo, aliquis filius vel familiaris, hoc est, ex familiâ Achabi aliquis, quomodò etiam verterunt Septuaginta dicentes: τὸν τεχνέκοτα τοῦ Αχαϐ. Nam in nomine patris proprio subaudiri solere nomen filii, vel alicujus posteri, non est insuetum in sacrâ Scripturâ, ut jam dicebamus suprà, capite quinto. Imò ex hâc phrasi judicat Luysius Legionensis interpretandum esse, quod libro primo Paralipomenon capite vigesimo quarto dicitur: *Abimelech erat princeps sacerdotum, simul cum Sadoch sacerdote.* Nam Abi-

melech illo in loco debet accipi in sensu genitivi, et debet subaudiri filius, ut sit sensus, quòd filius Abimelech, scilicet Abiathar simul cum Sadoch principatum habebant inter sacerdotes. Nam, quemadmodùm constat ex plurimis locis libri primi atque secundi Regum, Davide regnante Abiathar filius Abimelech simul cum Sadoch fuerunt principes inter sacerdotes, quorum alter, scilicet Sadoch, secutus est partem Salomonis post mortem Davidis; alter verò, scilicet Abiathar, secutus est partem Adoniæ. Et eodem modo in eodem capite vigesimo quarto, et in capite decimo octavo ejusdem libri, et in capite octavo secundi libri Regum, cùm in istis locis legitur Abimelech, filius Abiathar, non est sensus, quòd Abimelechus fuit filius Abiathari, sed è contrà potiùs quòd Abiathar fuit filius Abimelech, et sic illud nomen Abimelech in omnibus istis locis est casùs genitivi. Nam, quæ in illo loco Abulensis comminiscitur, nullo modo possunt cum historiæ veritate constare. Dicit enim Abiathar habuisse filium nomine Abimelechum, sicut et avus nominatus est, et istum filium Abiathari fuisse summum sacerdotem, simul cum patre et Sadoch. Hæc tamen falsa esse facilè probatur ex eo quod habetur libro tertio Regum capite secundo, Salomonem post Davidis mortem privâsse Abiatharum summo sacerdotio, eò quòd secutus fuerat partem Adoniæ, additurque in illo loco fuisse factum, ut adimpleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. Hic autem sermo fuit, ut constat ex libro primo Regum capite secundo, futurum esse, ut propter peccata filiorum Heli dignitas summi sacerdotii è domo Heli aliò transferretur; quod tunc demùm est perfectum, cùm Abiathar qui familiâ Heli ducebat originem, successeratque ei in summo sacerdotio, eâ dignitate spoliatus per Salomonem est, ut dicitur in libro tertio Regum capite citato. Igitur si Abiathar habebat filium summum sacerdotem, quamvis ipse privatus fuisset summo sacerdotio, non propterea vaticinium impletum diceretur, nec sacerdotali dignitate domus Heli privata esset, siquidem illa in Abiathari filio residebat. Ac de his satis; nam in antecedentibus et sequentibus nonnulla explicuimus et explicabimus, quibus constat Vulgatum nec falsam posuisse sententiam, nec ab originali sincero diversam, quod ad sensum saltem attinet, ut dictum est. Transeamus ad judicium de interpretationis latinæ ex scriptoribus, qui in varios codices transcripsère ferendum, ut omninò res ista explicata maneat.

CAPUT IV.

An Scriptura sacra in Vulgatæ codicibus, qui circumferuntur, verè contineatur?

Hoc solum superest explicandum, ut susceptam de auctoritate Vulgatæ disputationem ad exitum perducamus. In quo, ut feramus judicium Sedi Apostolicæ, quæ unica est visibilis in fide et moribus norma, conforme, præmitto, quod ad hanc rem attinet, in concilio Tridentino, sessione quartâ, in decreto de editione et usu sacrorum librorum hæc tantùm haberi: *Decernit et statuit, ut posthàc sacra Scriptura, potissimùm verò hæc ipsa vetus et vulgata editio quàm emendatissimè imprimatur.* In præfatione verò ad vulgata Biblia correcta per Clementem VIII, hæc habentur: « Accipe igitur, christiane « lector, eodem Clemente summo pontifice an- « nuente, ex Vaticanâ typographiâ veterem ac « vulgatam sacræ Scripturæ editionem, quantâ « fieri potuit diligentiâ castigatam. Quam qui- « dem, sicut omnibus numeris absolutam pro « humanâ imbecillitate affirmare difficile est, « ità cæteris omnibus, quæ ad hanc usquè diem « prodierunt, emendatiorem, purioremque esse « minimè dubitandum. At verò quamvis in hâc « Bibliorum recognitione in codicibus MSS. he- « bræis, græcisque fontibus, ac ipsis veterum « Patrum commentariis conferendis non me- « diocre studium adhibitum fuerit; in hâc ta- « men pervulgatâ lectione, sicut nonnulla « consultò mutata, ità etiam alia, quæ immu- « tanda videbantur, consultò immutata relicta « sunt: tùm quòd ità faciendum esse ad offen- « sionem populorum vitandam sanctus Hiero- « nymus non semel admonuit; tùm quòd facilè « fieri posse credendum est, ut majores nostri, « qui ex hebræis et græcis latina fecerunt, « copiam meliorum et emendatiorum librorum « habuerint, quàm hi, qui post illorum ætatem « ad nos pervenerunt, qui fortassè tàm longo « tempore identidem describendo, minùs puri, « atque integri evaserunt; tùm denique, quia « sacræ Congregationi amplissimorum cardi- « nalium, aliisque eruditissimis viris, ad hoc « opus à Sede Apostolicâ delectis propositum « non fuit novam aliquam editionem cudere, vel « antiquum interpretem illâ ex parte corrigere, « vel emendare; sed ipsam veterem et vulgatam « editionem à mendis veterum librariorum, « necnon à pravarum emendationum erroribus « repurgatam suæ pristinæ integritati ac puri- « tati, quoad ejus fieri poterit, restituere, eaque « restituta, ut quàm emendatissimè imprimere- « tur, juxtà concilii œcumenici decretum, pro

« viribus operam dare. » Hæc in eâ præfatione.

His præmissis, quæ, dùm judicemus, spectare debemus, imprimis antè editionem Bibliorum correctam per Clementem VIII, certum erat multa vitia transcribentium incuriâ in illis codicibus reperiri; et ità, quamvis absolutè dici non posset in illis non reperiri sacram Scripturam, cùm majori sine dubio ex parte esset incorrupta Vulgati latina et vetus interpretatio, attamen cum limitatione verè dici potuit in illis locis, in quibus transcribentium culpâ vitium inerat, non contineri sacram Scripturam. Quid enim isto certius, cùm mendum transcribentis et librarii non possit sine injuriâ catholicæ fidei sacra Scriptura nuncupari? Id negare non potuerunt, qui Vulgatæ auctoritatem illæsam defendere olim voluerunt, Canus lib. 2 de locis cap. 15, Lindanus de optimo genere interpretandi, Sixtus Senensis, Bartholomæus Medina, quos refert, et sequitur magister Banez, loco citato. Idem etiam asseruit magister Luysius Legionensis quæst. 2 de Vulgatâ, conclusione 1, ejusque propositionis veritatem, quam, qui posteà amplexati sunt, et litteris prodiderunt, duram judicabant, cùm audiebant in aliquibus locis codices vulgatæ editionis, qui circumferebantur, non continere veram vulgatam latini interpretis editionem, ejus, inquam, propositionis veritatem rei exitus comprobavit. Nam omnia testimonia, quibus ille suam propositionem firmabat, in quibus inesse mendum librarii ostendebat, correcta nunc sunt in editione Vulgatæ per Clementem VIII, eodem prorsùs modo, quo ille judicavit corrigenda. Nam è lib. 2 Reg. cap. 8, sublata illa: De quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo et mare æneum et columnas et altare; quæ ex margine irrepsisse in textum affirmabat Legionensis. Ex lib. 4. Reg. cap. 11, in illo: Athalia regnavit super terram septem annis, nunc rejecta illa pars, *septem annis;* et Job cap. 19, certè correctum Celte, et Job cap. 7: Sicut servus desiderat umbram, correctum *servus;* et Psalmo 26, pro *voluntatem*, emendatum *voluptatem;* et Psalmo 106, pro *contentio*, correctum *contemptio;* et Sapientiæ secundo, pro *condemnat*, correctum *condemnare;* et Psalmo 105, *interfecta est terra*, emendatum *infecta;* et Isaiæ cap. 15, pro *vitulam consternantem*, correctum *conternantem;* et Proverb. cap. 5, sublatum: *Da pauperibus;* et in eodem capite, pro *exultatio*, positum *exaltatio;* et multa alia, quæ longum esset recensere.

Verùm an post Vulgatæ editionem correctam per Clementem VIII, affirmari etiam possit, adhùc, aliqua errata non quidem sacri scriptoris et interpretis, sed librarii, vel transcribentis superfuisse, dubitare quis posset? Et quidem, quamvis hæc Clementis VIII purior longè sit atque correctior, attamen aliqua forsan ex his, quæ vitio librariorum irrepserant, remansisse corrigenda, colligi potest ex his, quæ in eâdem præfatione dicuntur: tùm quia id non audet pro humanâ imbecillitate affirmare; tùm etiam, quia, inquit, *aliqua quæ immutanda videbantur immutata relicta, ad evitandam offensionem populorum.* Inquiro enim, an ea quæ ità relicta sunt, sint germana atque sincera lectio latini Vulgati, an secùs? Si primum dicatur, quo pacto illa mutanda videbantur? In id enim incubuêre summi pontifices, ut vetus latina interpretatio suæ sinceritati atque nitori restitueretur. Si secundum, ergò aliqua consultò relicta sunt immutata, ex his quæ vitio librariorum irrepserant. Non de his quæ posuit interpres, illa verba dici non possunt, cùm nihil in eâ versione sit pravè, aut perperàm dictum, ut probatum est. Addendum tamen, idque sæpiùs propter rudiores aliquos, aut malignos in hoc invidioso argumento repetendum, quamvis nullo pacto nec error sacri scriptoris, id est, qui Spiritu sancto sententias, singulaque verba dictante, librum aliquem sacræ Scripturæ conscripsit, asseri possit à catholico: imò nec etiam tribui queat error interpreti latino Vulgato, cùm interpretationem latinam vulgatam, etiam quoad omnia levissima, approbatam à concilio Tridentino suprà ostenderimus, et errorem attribui posse illis, qui ex uno codice latino in alium latinum transcribebant editionem vulgatam latinam, constet etiam ex Tridentino, cùm præcipiat ut quàm correcta imprimatur vetus editio vulgata, et ex præfatione ad Biblia; post eam tamen puriorem editionem Clementis VIII, non licet quomodocumque asserere errorem librarii, insignisque temeritas esset, si in eis quisque pro libito vellet corrigere, quæ existimaret et librariorum et transcribentium ex uno in alium codicem, vitia: sed id cum maturo judicio præstare debet catholicus interpres, judicareque correctam esse à librariorum mendis Vulgatam, nisi inspectis veterum Patrum monumentis, omnibusque consideratis, evidens fiat verbum, aut sententiam supposititiam esse: et tunc prudens interpres, nec suum judicium interponat, sed an eo loco mendum librarii remanserit post puriorem hanc Clementis editionem, Sedi Apostolicæ, cujus est de sacrâ Scripturâ, et singulis ejus partibus ferre judicium, definiendum relinquat.

Hoc ego, quod aliis, præbeo consilium, am-

plexus, proponam, non quidem aliquid definiens sed Apostolicæ Romanæ Sedis judicium exoptans, nonnulla ex his, quæ postquàm Biblia correcta per Clementem VIII evolvi, adhùc videntur corrigenda superesse, quæ quidem, ut sæpè dixi, nec sacri scriptoris, nec latinæ Vulgatæ sinceræ vitia sunt, nihil enim ab illis erratum, sed transcribentium identidem ex uno codice in alium. Inprimis reperio nonnulla testimonia ex sacrâ Scripturâ prolata, et quod magis est, ad fidei dogmata comprobanda, quibus olim pontifices, et concilia utebantur, quæ tamen in hâc correctâ per Clementem VIII non continentur aut saltem non eo sensu et tenore verborum, in quo vis et efficacia testimonii consistit: sed ità adhùc in hâc castigatione reperiuntur, ut illis ad ea dogmata comprobanda, quæ istis testimoniis productis firmari voluerunt pontifices, nequaquàm uti possis. Alexander Papa qui ad Sedem assumptus anno Domini 121, epistolâ 2 Decretali, ut confirmaret ex sacris mysterium Trinitatis personarum cum unitate essentiæ, hæc habet inter alia: *Si Trinitas non est, quarè in Exodo* (capite trigesimo quarto) *dictum est tertiò: Domine, Domine, Domine, miserator et misericors? Si unitas non est, quarè, dùm tertiò Domine diceret, posteà singulariter miserator dixit, et non miseratores, ut plures ostenderet, intimavit?* Et tamen in hâc editione correctâ Clementis VIII, tantùm semel dictum est, Dominator, Domine, Deus misericors. Idem in eâdem epistolâ: *Si Trinitas non est, cur Isaias cap.* 37, *denuò dixit: Dominus, Deus Sabaoth, Deus Israel, qui sedes super Cherubim? Si unitas non est, cur, qui sedes, dixit, non qui sedetis, adstruxit?* et tamen in Vulgatâ Clementis tantùm habetur: *Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super Cherubim.* Item in eâdem epistolâ: *Si Trinitas non est, quarè Elias loquendo in oratione* (3 Reg. cap. 18.) *Domine, Domine, Deus Israel, ostende, quia tu es Deus meus, dixit? Si unitas non est, quarè ostende posuit, et non ostendite?* Et tamen in Vulgatâ correctâ: *Domine, Deus Abraham, Isaac et Israel, ostende, quia tu es Deus Israel;* itaque bis tantùm ponitur. Item in eâdem epistolâ: *Si Trinitas non est, cur Mardocheus orando: Domine, Domine, Deus omnipotens, omnia in potestate tuâ sunt, dixit? Si unitas non est, quarè in tuâ posuit, et non in vestrâ signavit?* Nunc autem habetur: *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tuâ cuncta sunt posita.* Item in eâdem epistolâ: *Si Trinitas non est, cur etiam Judith orando dixit,* cap. 9: *Domine, Domine Deus omnium virtutum, respice in orationem meam? Si unitas non est, quarè respice, et non respicite, designavit?* In hâc Vulgatâ correctâ tantùm reperitur, *Domine Deus.* Item in eâdem epistolâ: *Si Trinitas non est, quarè in Apocalypsi scriptum est: Domine Deus, et spiritus prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis? Si unitas non est, cur cùm Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum nominâsset, misit, dixit, et non miserunt, sub prætaxato trium personarum et nominum numero introduxit?* Quòd si quis de ejus epistolæ veritate dubitet, is sciat pleraque ejus haberi apud Decretum Gratiani, capite si quandoque 15, quæst. 6, et capite relatum est 11, quæst. 1, et capite hi qui episcopus 3, quæst. 4, et capite si quis ergà 2, quæst. 7, et in Decretis Sixti II et Julii Papæ, et apud Yvonem, lib. 4 suorum Decretorum; et, quod ad hanc partem attinet, in quâ sanctissimæ Trinitatis mysterium confirmat testimoniis sacræ Scripturæ eisdem verbis posteà inserta esse suæ primâ epistolæ Decretali à Benedicto I, qui post annum quingentesimum à Christo nato Ecclesiæ navem gubernavit. Id autem in omnibus testimoniis expendit pontifex, quòd tertiò factâ mentione Dei, vel Domini, substantivum, vel verbum singulare subjiciatur.

Concilium quoque Milevitanum II, sub Innocentio I, et ab eodem confirmatum epist. 25, in rescripto ad idem concilium canone 7, ut probent Patres, omnes homines pro se ipsis dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, quia ipsi etiam peccatores sunt, quamvis aliàs justi, atque sancti, adducitur inter alia ad convincendum esse peccatores omnes ex cap. 37 Job, istud testimonium: *In manu omnis hominis, signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam.* Et tamen in Vulgatâ adhùc legitur opera sua, cùm tamen illi verbo, infirmitatem suam nitatur et insistat concilium, ac ex eo colligat. Omitto in concilio Africano can. 59, ut ostendatur quo pacto nos debeamus gerere adversùs inimicum, ex Isaiæ cap. 66, adduci testimoninm, cujus nullum verbum reperitur in hâc editione correctâ.

Præter hæc, propono quod Esther cap. 3, etiam in hâc editione correctâ, dicitur: *Missa est sors in urnam,* quæ hebraicè dicitur *Phur.* Quod tamen falsum videtur, et ab originali scripturâ diversum. Falsum esse constat, quia sive illud, quæ, referatur ad *urnam*, ad *sortem*, quorum vocabula præcessêre, neutrum illorum hebraicè vocatur *Phur*, quod hebraicè vel minùs quàm mediocriter scientibus manifestissimum est. Quinimò *Phur* ipsum non est nomen hebræum, sed chaldæum, *sortem* significans, quæ *sors* hebraicè *goral* dicitur, non *phur*. Alienum

porrò, et diversum ab originali scripturâ liquet. Nam in illo ad verbum sic : *Mittere fecit Phur,* quæ est *Goral.* Nam quoniam hebraicè scribens, neque hebraicâ scripturâ usus, chaldaicum *Phur* statim scriptor interpretatus est hebraico : itaque dixit *Phur,* quæ est *Goral,* id est, quæ significat chaldaicè, idem quod *Goral* hebraicè, et quod latinè *sors.* Hæc est hujus loci difficultas, interpretis autem incuriâ erratum eum non esse, mihi tàm certum est, quàm quod certissimum; videat tamen Sedes Apostolica, an dici verè possit, locum istum scriptorum transcribentium incuriâ depravatum esse: credendum enim non videtur lapsum hunc tàm puerilem posse esse Hieronymi, quem, quamvis separemus approbationem Ecclesiæ, virum doctissimum in re tàm facili atque apertâ in eo labi potuisse videtur incredibile. Proponam igitur tria, exspectans in eis judicium Ecclesiæ. Primùm quomodò Hieronymum vertisse credi possit; deindè quomodò librarii in errorem inducti eam lectionem posuerint; ultimò ità vertisse latinum. Vertisse igitur, ut opinor, videtur isto pacto : *Missa est phur in urnam,* quæ hebraicè dicitur *sors.* Hæc hebraici textûs ignari qui legerunt, cùm optimè essent ab interprete posita, cumque *sors* latinum nomen sit non hebraicum, putârunt vitio scriptorum inversum esse, visumque est illis falsum esse *phur* hebraicè dici *sortem,* cùm tamen Hieronymus cùm *phur* posuit, significare idem, quod hebraicè *sors,* intelligi voluit non ipsum *sors* latinum, sed quod huic voci in textu hebraico, quem interpretabatur, respondebat, nempè *goral,* quod latinè vertunt *sortem.* Itaque illi hebraica ignorantes, neque quod secutus fuisset Hieronymus percipientes, cùmque viderent *sors* latinum nomen esse, *phur* autem peregrinum, putârunt vitio et errore inversum esse, debereque legi : *Missa est sors in urnam,* quæ hebraicè dicitur *phur.* Videat etiam Sedes Apostolica an efficaciter probetur eo modo, quo diximus, vertisse Hieronymum, eamque esse germanam lectionem ex cap. 9, ubi sic : *Et misit phur,* quod nostrâ linguâ vertitur in *sortem.* Nostram enim linguam cum dicit, hebræam intelligit, reddit enim latinè illud hebraicum *he agoral,* loquiturque non ex suâ, sed ex sacri scriptoris, sive is Mardochæus fuerit, sive quis alius, personâ.

Ad hæc 3 Reg. cap. 16, in hâc editione correctâ legitur de Baasâ, rege Israelis: *Ob hanc causam occidit eum,* hoc est, *Jehu filium Anani Prophetam.* In quo apertè dicitur Jehu filium Anani Prophetam occisum fuisse à Baasâ rege, eò quòd adversùs se prophetaverit. At hoc judicet summus pontifex an verè dici possit additum esse, et ex notis irrepsisse in textum ; tùm quia in exemplari hebræo solùm dicitur, et quia occidit eum, quod et referri potest et verè refertur ad filium Jeroboam, quem Baasa occiderat; tùm etiam quia Jehu iste, filius Anani Prophetæ, lib. 2 Paralip., cap. 19, scribitur *locutus fuisse cum Josaphat, rege Juda, quo anno mortuus est Achab, rex Israel.* Achab autem regnavit post mortuum Baasa, quartus in Israel, ut liquet ex historiâ Regum. Lapsum istum Hieronymo, sicut latino interpreti tribui non posse certissimum est, ejus enim interpretatio latina germana, atque sincera, authentica est. An verò librarii culpâ erratum in eo sit et corrigendum, vel inter ea numerandum, quæ immutanda videbantur, ad evitandam tamen offensionem populorum immutata relicta sunt illi curæ, qui suprà nos curat.

Deniquè (ut nonnulla alia omittam) propono etiam, an illud quod est in Act. cap. 7, in oratione Stephani, *quod emit à filiis Hemor, filii Sichem,* quibus dici videtur Hemor fuisse filium Sichem, corrigi debeat, non ut vitium scriptoris sacri, aut latini interpretis ex græco vertentis, qui in nullâ vel minimâ re lapsi sunt, sed tanquàm vitium alicujus ex uno codice in alium transcribentis, delendaque vox filii ; tùm quia græca tantùm habent : *emit à Hemor Sichem,* ut possit subintelligi nomen patris ; tùm etiam, quia in omnibus aliis SS. locis in quibus de eâ historiâ mentio est, semper Hemor dicitur esse pater Sichem, ut liquet ex Genesis cap, 33, et Josue ultimo ; tùm deniquè, quia tempestate Hieronymi ea vox, filii, deerat in latino textu, quod ex illius epistolâ ad Pammachium de optimo genere interpretandi constare potest. Sat scio aliquos respondere Hemor et fuisse filium Sichem, et patrem Hemor appellatum etiam Sichem ; primum dici in Genesi et Josue ; secundùm in Actis. Sed desideravi semper authenticum aliquod quòd verisimilis ea solutio redderetur, testimonium, cùm nec ex græco id colligi possit, neque ex latinis vetustis veteris Vulgatæ, quæ erat tempore Hieronymi. An autem ea conveniens concordiæ ratio sit, Ecclesiæ judicium exspecto.

Sed quid tu dices de illis locis, in quibus variæ existebant lectiones, non quidem ex vitio librariorum ortæ, sed ex multiplici primæ vocis significatione, variisque ejus interpretationibus profectæ, quæ à Clemente VIII rejectæ sunt, statutumque, ut nullæ nôtæ, nullæ variæ lectiones, imprimantur unà cum sacro

textu deinceps? Ego quidem sic existimo antequàm hæc Vulgata Clementis VIII correcta prodiret, in illis locis, ubi varia erat lectio, varia, inquam, ut dicebam, non ob librarii incuriam (hujusmodi enim lectiones semper rejectæ et rejiciendæ judicatæ sunt), sed ob varias interpretationes vocis primæ, et originalis, quarum unam alii Patres amplexabantur, alii aliam, sanè sine periculo fidei dici potuit, non absolutè, sed in illis tantùm locis, in quibus de verâ Interpretis latini vulgati lectione non constabat, hoc est, non constabat quam illarum posuisset eo loco latinus vulgatus Interpres, non teneri recipere pro authenticâ, certâque secundùm fidem, lectionem, quæ illis vulgatis codicibus eo tempore circumferebatur. Id quod olim sensit Canus, lib. 2 de locis cap. 14, in solutione ad quoddam argumentum, Luysius Legionensis, disput. de Vulgatâ, quæst. 2, conclus. 5. Idque evidenter probatur, tùm quia, ut omnibus indubitatum est, Tridentina synodus authenticam esse definivit sacram, et canonicam vulgatam editionem, cum omnibus partibus suis, sinceram atque germanam, et quæ verè esset vulgata vetus latina editio, non autem ea definivit authentica, quæ ex aliis interpretationibus ascita variæ lectionis causâ erant. Cùmque non explicatum fuerit eo tempore in illis locis, in quibus variæ lectiones reperiebantur, qualis illarum esset, quam verè posuit latinus Vulgatus, aut quæ fuerit sinceræ antiquæ Vulgatæ lectio, consequenter indefinitum remansit, quæ esset in illis locis lectio authentica. Tùm manifestissimè constat facto ipso, quia in his romanis per Clementem VIII correctionibus, sæpè ea lectio quæ anteà erat in textu, dimissa, et alia electa, non quia semper ea, quæ dimittitur, sit librarii vitium, sed quia ea, quæ eligitur, erat Vulgatæ veteris sincera et germana lectio. Hæc enim editio Clementis VIII, ut in præfatione dicitur, nullâ ex parte Vulgatam antiquam sinceram correxit, vel emendavit, sed ipsam veterem Vulgatam latinam pristino suo nitori, quoad fieri potuit, restituit.

At verò post editionem Clementis VIII, in quâ variæ lectiones à corporis Bibliorum exclusæ sunt, ego existimo in his locis, quorum anteà erat varia lectio, eam quam Clemens VIII elegit, judicandam deinceps, ut authenticam germanam, atque sinceram veteris vulgatæ editionis lectionem in his locis, in quibus non remansit aliquod librarii vitium, juxtà ea quæ suprà dicebam in hoc capite, et ex consequenti dubitandum non esse sensum, quem illa reddit, recipiendum ut à Spiritu sancto intentum, et de hoc nulli deinceps licere dubitare catholico. Itaque quamvis illæ variæ lectiones, quæ ex multiplici originalis vocis significatione ortum habuerant, sensumque catholicum continebant, et cum antecedentibus et sequentibus aptabantur, non sint rejectæ tanquàm falsæ, et alienæ à sensu Spiritûs sancti, et doctrinâ catholicâ, attamen firmiter credendum est eam lectionem, quæ retenta est, esse authenticam, sacram, canonicam, et à Spiritu sancto intentam sententiam exprimere, quod tamen de aliis lectionibus omissis, nonnisi probabiliter affirmare possumus, ut dicebam suprà. Et idem judicium esto de aliis interpretationibus, quæ quidem licèt, si cohæreant cum originali, rejiciendæ non sint, tamen in numerum, cum Vulgatâ Clementis poni non possunt Hæc enim authentica, his exceptis, in quibus aliquis error librarii remansit, si fortè remansit aliquis. At verò nulla alia interpretatio est authentica, nec nisi privati doctoris auctoritatem habebit, quarè ea quæ Montanus edidit in Testamento novo diversa à Vulgatæ correctæ lectione, præterquàm quòd antè hanc editionem Clementis, non constabat omni ex parte de verâ vulgatâ sinceràque editione; adhùc tamen post Clementem, si aliàs catholicum sensum habent, nec ab originalis vocis significatione diversum, censurâ dignæ non sunt, sed ut privati tantùm doctoris diligentia haberi debet, cum vulgatâ Clementis editione nequaquàm comparanda. Id quidem, quantùm ego judico, manifestè demonstratur hoc pacto. Inprimis in eâ præfatione dicitur in hâc editione Clementis, nihil non canonicum, nihil extraneum, nihil adscititium apponere visum esse, et statim sigillatim enumerans, quæ eam ob causam, quia videlicet non canonica, sed extranea et ascititia erant, rejecisset, retulit librum tertium, et quartum Esdræ, orationem Regis Manasse, concordantias marginales, notas, varias lectiones, præfationes, aut argumenta ad librariorum initium. Ergò illæ variæ lectiones dimissæ, non sunt sacræ neque canonicæ, sed extraneæ à sacro textu et Vulgati veteri interpretatione, et adscititiæ : ergò illa, quam retinuit Clemens VIII, sacra est, atque canonica, et ex consequenti, quam veluti sacræ Scripturæ partem venerari debemus. Id etiam demonstratur ulteriùs ex Decreto Tridentinæ synodi, adjunctâ diligentiâ Clementis VIII, quia synodus Tridentina, quamvis non definierit qualis esset vera, et sincera lectio veteris vulgatæ editionis, definivit tamen veterem vulga-

tam editionem cum omnibus suis partibus, quævis illæ fuissent et sint, sacram, canonicam, et authenticam esse. Ergò ubicumque constiterit alicujus loci veram, et germanam lectionem esse veteris Vulgatæ, illam ut sacram, canonicam, et authenticam amplecti debemus. At ex diligentiâ Clementis VIII constat, quæ sit vera et sincera veteris Vulgatæ lectio in illis locis, in quibus variæ lectiones exstiterunt. Ergò lectionem illam eorum locorum retentam à Clemente amplecti debemus, ut sacram et canonicam, et authenticam. Dicit enim ipse, nihil in eâ editione apponere voluisse non sacrum, atque canonicum, quod intelligendum semper, ut etiam de Tridentinâ synodo dicebam de iis, quæ incorruptam latini interpretis editionem continent, non de his, in quibus fortè remanserit librarii, et transcribentium vitiosa lectio.

Sed prætereà exponendo aliter concilii Tridentini Decretum pro hâc parte, dicit enim : *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt, et in veteri vulgatâ latinâ editione habentur, pro sacris et canonicis susceperit,* etc. Itaque eas omnes partes ut sacras et canonicas recipi vult, quamvis minimas, et leves, ut declaravit Congregatio cardinalium (cujus quamvis definire non est, tamen illius illustrissimæ Congregationis est sensum definitionis concilii explicare) prout in Ecclesiâ legi consueverunt, et habentur in editione veteri vulgatâ latinâ. Ubi expende non dictum à concilio, prout nunc solent legi in Ecclesiâ, sed prout consueverunt, eo indicans, se quamlibet partem sacræ Scripturæ, quæ olim, cùm germana atque sincera exstabat latina editio in Ecclesiâ legi consuevit, sacram et canonicam definire. Atque ut hunc esse sensum explicaret, adjecit : Et in veteri vulgatâ latinâ editione habentur. At per Clementis VIII correctionem constat, quid in veteri Vulgatâ, omni ferè ex parte contineretur, et jam deinceps aliis lectionibus exclusis ista, quæ retinet, leguntur in Ecclesiâ catholicâ, et legi consuevisse convincitur, quandò vetus editio suo nitori restituta per Clementem VIII ea retinet. Igitur asserendum est lectionem hanc retentam esse sacram, canonicam et authenticam. Pars enim est sacræ Scripturæ, quæ in Ecclesiâ legi consuevit, et quæ habetur in veteri editione vulgatâ latinâ. Explico hujus argumenti vim alio pacto hoc syllogismo. Quælibet pars sacrorum librorum, prout in Ecclesiâ legi consuevit, et prout habetur in veteri vulgatâ latinâ editione, pro sacrâ atque canonicâ habenda est, sed hæc lectio, verbi gratiâ : *Ipsa conteret caput tuum*, Genesis tertio, quæ retenta est à Clemente VIII, et in Ecclesiâ legi consuevit, et est in veteri vulgatâ latinâ editione germana atque sincera. Ergò hæc lectio habenda est pro sacrâ atque canonicâ. Antecedens, pro majori de fide est ex Tridentinâ synodo, sessione quartâ; pro minori verò certum est, et clarum ex facto ipso Clementis VIII, et ex usu Ecclesiæ quotidiano. Quamvis enim idem Clemens in eâ præfatione dicat pro humanâ imbecillitate difficile esse affirmare editionem hanc correctam, esse omnibus numeris absolutam, id est, germanam omninò, sinceramque latinam veterem editionem vulgatam, sine ullo prorsùs vitio, non interpretis, sed transcribentium et librariorum, affirmat tamen minimè dubitandum esse emendatiorem, purioremque esse omnibus, ac proindè minimè dubitandum relinquit in illis locis, in quibus unâ rejectâ lectione, quamvis catholici sensûs, convenientisque etiam cum primâ voce originali, aliam amplexus est, illam esse veram, sinceramque latinæ editionis veteris vulgatæ lectionem, eamque in illâ veteri latinâ haberi; aliàs non esset purior et emendatior hæc, quæ prodiit. Quo constante, restat ex Tridentini Decreto amplectendam pro canonicâ. Videat autem lector, in quo certitudinis gradu sit conclusio istius argumenti, quandò major est de fide, minor verò evidens ex testimonio Clementis in eâ præfatione, ex facto ipso, ex usu Ecclesiæ, in quâ eo modo legi consuevit. Ad minùs profectò tàm certa hæc conclusio est, ut sine insignis temeritatis notâ oppositum dici non possit, quamvis alii existiment conclusionem deductam ex unâ de fide, et alterâ evidenti, per bonam et legitimam consequentiam, esse etiam de fide. Atque his quæ modò diximus, magis confirmata manent ea, quæ de autoritate veteris Vulgatæ germanæ et sinceræ, etiam in minimis, supràdicebamus.

Atque ex his etiam constat post editionem correctam Clementis VIII, nullâ ratione concedi deberi, nec posse (quamvis anteà forsan sine periculo fidei dici potuisset), in his correctis codicibus reperiri aliquod verbum non sacrum (nisi fortè sit ex his, quæ pro humanâ imbecillitate incorrecta remanserunt, ut jam sæpè dictum est). Exempli gratiâ : Non potest dici in capite primo Job esse verbum non sacrum, illud, labiis suis, vel : *Sit nomen Domini benedictum*, quia Tridentinum pro sacrâ et canonicâ haberi vult, quamcumque partem, quæ

et in Ecclesiâ catholicâ legi consuevit, et in veteri vulgatâ latinâ editione habetur. At verba illa et leguntur in Ecclesiâ, feriâ secundâ post Dominicam primam octobris, et habentur in veteri latinâ vulgatâ editione, quam suo nitori restituisse se dicit Clemens VIII. Ergò verba illa recipienda sunt pro sacris et canonicis. Et idem argumentum de aliis fieri potest. Itaque jam non tantùm certi sumus de auctoritate Vulgatæ veteris indefinitè, id est, omnes illius partes sacras, canonicas, et authenticas esse, quæcumque illæ sint, sed in particulari certi jam sumus, post diligentiam Clementis VIII, hanc, quæ in ejus codicibus reperitur, esse veterem latinam editionem vulgatam, atque adeò istam in particulari esse sacram, canonicam et authenticam, nisi in his quæ forsan incorrecta remanserint, ex librariorum, quæ irrepserant vitiis, ut superiùs dicebam.

Ut ergò redigam in compendium, quæ multis à me in totâ hâc disputatione dicta sunt, sacram Scripturam inter homines reperiri assero, illamque omni falsitate vacare, id enim necessarium effici, ex eo quòd sacra est, cujus occasione multa difficilia, et quæ secum pugnare videbantur, testimonia explicuimus. Deindè hanc Scripturam sacram reperiri in veteri latinâ editione vulgatâ, in quâ non solùm quod ad dogmata fidei, et morum instructionem attinet, nihil erratum est interpretis vitio, incuriâ aut negligentiâ (sive is sit Hieronymus, sive quivis alius, sive ex pluribus collecta editio, probata et recepta ab Ecclesiâ), neque sententia aliqua posita ab interprete, quæ falsa per se sit, sed neque etiam in levissimo aliquo lapsus est interpres, sed omnia fideliter, rectè, saltem quoad sententiam, nihil perperàm, aut pravè, quod ex Tridentini Decreto colligebamus non obscurè; quamvis commodiùs, aptiùs, clariùs, meliùs atque distinctiùs verti potuerint nonnulla; prætereà scriptorum, et identidem transcribentium vitio nonnulla in codices vulgatæ editionis antè Clementem VIII, irrepsisse menda, quæ sacra Scriptura non erant, à quibus expurgata est hæc editio correcta, in quâ non remansisse vitia forsan numero pauca, ex his, in quibus à transcribentibus, et librariis erratum est, difficilè pro humanâ fragilitate affirmari non potest. Insinuavimus nos nonnulla, quæ Sedi Apostolicæ et definienda relinquimus, nos interìm de illis nihil judicantes, affirmamus tamen nunquàm in dubium vocandam lectionem vulgatam Clementis VIII, tanquàm librariorum vitio corruptam, sine maturo judicio, magno fundamento, sacræ Scripturæ testimoniis, et veterum Patrum monumentis inspectis, et ne tunc affirmandum vitium esse, sed dubitando et inquirendo Sedi Apostolicæ proponendum esse. Id enim decet maximè virum catholicum imitatorem ejus, qui dixit: *Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde.* Tandem quod ad varias lectiones attinet, quamvis antè hanc editionem Clementis VIII, non erat certum secundùm fidem esse sinceram Vulgatæ lectionem eam, quam habebant illi codices, qui tunc circumferebantur, nunc tamen eam, quam elegit Clemens VIII, esse recipiendam pro sacrâ, canonicâ et authenticâ, cùm illa sit, quæ legi in Ecclesiâ consuevit, et habetur in legitimâ veteri editione latinâ vulgatâ, licèt aliæ variæ lectiones omissæ, nec damnatæ sint, sed de illis probabiliter tantùm asseri possit intentas ab Spiritu sancto sententias exprimere, si tamen illæ et catholicum sensum reddant, et variæ vocis originali significationi respondeant, et cum antecedentibus et consequentibus cohærentes reperiantur. Dixi quæ in invidioso satis argumento mihi videntur vera, et catholicæ doctrinæ, et ecclesiasticæ definitioni consentanea, sub Romanæ tamen Sedis censurâ, quæ unica est in rebus fidei et morum visibilis norma. Atque de his hactenùs.

MARCELLII VITA.

Henricus Marcellius, natione Belga, patriâ Summorensis, in diœcesi Sylvæducis, anno seculi decimi quinti 93, accessit ad Societatem Jesu, et quatuor vota solemnia professus est. Mathesim et philosophiam Mogontiæ docuit, undè ejectus bello Suecico, Rhemis in Galliâ docuit theologiam moralem. Redux in Germaniam, theologiam professus est Molshemii et Bambergæ, doctor ejusdem renuntiatus. Vir apprimè religiosus et Instituti sui regularum perfectus observator fuit. Pietati addictus, duorum episcoporum Bambergiensium confessor fuit. In ætate efflætâ, cùm, deficientibus naturæ viribus, in gravem languorem incidisset, convocatis domesticis, altâ voce et generoso animo, veniam ab omnibus demissè petiit, si quâ in re quempiam offendisset; et mox, sacramentis ultimis ritè præmunitus, spiritum Deo reddidit Bambergæ, die 25 april., anno 1664. Edidit, dùm Rhemis doceret : *Armamentarium scientificum; Protestationem christianam,* germanicè et latinè; *Dissertationem apologeticam, Canones explicandæ sacræ Scripturæ; Dissertationem de augustissimo corporis et sanguinis dominici Sacramento; Sapientiam pacificam filiorum Dei et de mediis exaltandi Ecclesiam catholicam; De justificatione christianâ dissertationem; Artem disputandi; Dissertationem theologico-politicam de optimâ formâ regiminis; Commentarium in librum Josue; Artem diù vivendi, et Arborem vitæ; Enchiridion militiæ christianæ, et Theologiam Scripturæ divinæ,* quam sæpè typis mandatam, denuò ipsi mandamus.

THEOLOGIA SCRIPTURÆ DIVINÆ,

Auctore R. P. HENRICO MARCELLIO.

Opus in quo, solis scripturarum textibus, demonstratur adversùs Protestantes cujuscumque generis, omnia dogmatica et moralia à Catholicis admissa, Scripturis sacris pariter admitti.

Editio commodiore atque ad hæc tempora opportuniore methodo digesta, in gratiam theologorum, concionatorum et omnium fidei ac pietatis christianæ amantium.

PROOEMIUM AUCTORIS.

Vera omnis Theologia versatur circà Deum optimum maximum; considerari autem Deus potest, vel ut est in se, vel prout se habet extrà se, sive respectu creaturarum: in se spectari potest duobus modis: priore, prout est unus in essentiâ; posteriori, quatenùs est trinus in personis. Extrà se tribus modis: primò, quatenùs est creator sive effector rerum omnium. Secundò, quatenùs humani generis peccato perditi est reparator. Tertiò, quatenùs est finis ultimus, ad quem per certa ab ipso præscripta media debemus pervenire. Et quidem Magister Sententiarum opus suum, quo totam hanc doctrinam complectitur, eleganter distinxit in quatuor volumina, velut in quatuor Paradisi flumina, quæ hortum Ecclesiæ irrigant copiosè, ut inquit interpres illius Henricus de Vrimaria; in primo agit de Creatore, in secundo, de opere creationis, in tertio, de opere recreationis, quod gessit in proprià personâ; in quarto, de recreationis opere, quod hodièque gerit in Ecclesiâ mediante signo, verbo Dei videlicet et Sacramentis; tandem concludit omnia in opere ultimæ retributionis. Hæc ab ipso concinnata Theologia sententiarum titulo prænotatur; quia sententias antiquorum Patrum de catholicæ fidei veritate hinc indè collectas summatim comprehendit, ut habet prologus. Magistrum secutus S. Thomas, summam suam theologicam dividit in tres partes. In primâ agit de Deo, et attributis divinis, de Sanctissimâ Trinitate, de creatione mundi, ac speciatim de Angelis, et primis nostris parentibus. Secundam in duas subdividit: in priore disputat de beatitudine, de actibus humanis, de lege et gratiâ, de virtutibus et vitiis generatim: in posteriori de his et illis tùm theologicis tùm cardinalibus speciatim. In tertiâ deniquè de Incarnatione, de Sacramentis, et de quatuor novissimis, quamvis hanc morte præventus non absolverit. In hâc summâ Ecclesiæ catholicæ doctrinam universam, et quidquid in veterum Patrum monumentis visum est dignum observatu, quidquid etiam vel olim vel suo tempore vocatum fuit ab Hæreticis in controversiam, id omne, ut eruditè, solidè et dilucidè, ita piè ac fideliter explicat. Horum imitatione, Dionysius Petavius, Theophilus, Raynaudus, et alii recentiores ediderunt Theologiam, è SS. Patrum antiquitate suâ probatis monimentis tanquàm ex augustis fontibus liquidè et incorruptè deductam. Verùm quia plerique hujus ævi acatholici SS. Patrum neglectis testimoniis Scripturam urgent, et quia hoc tempore vigent controversiæ nobilissimæ de canonicis sacræ Paginæ libris, de Traditionibus, de Ecclesiâ, de summo Pontifice, de Conciliis, de Ministris Ecclesiæ veris et falsis, de justificatione christianâ, et aliæ complures, quas S. Thomas, Magister Sententiarum, et alii antiquiores theologi vel non attigerunt, vel breviter tantùm aut obiter, prout occasio solvendæ alicujus objectionis ferebat; operæ pretium erit Theologiam ex ipsis divinæ Scripturæ documentis conficere eamque secundùm naturæ et doctrinæ ordinem eâ methodo disponere, quam

hactenùs præstantissimi quique SS. litterarum interpretes et theologi scholastici, morales, polemici, ascetici vel monstrârunt, vel observârunt. Primo igitur loco afferam, quæ naturam rei propositæ ac quidditatem declarant, eaque inter se pronuntiata sacra conjungam, quæ vel ejusdem doctrinæ sunt, vel à se mutuò quoad interpretationem dependent, habitâ ratione sensûs tùm litteralis, tùm etiam mystici, et quidem multiplicis, ut indaganti perspicuum fiet; constat enim sententiam eamdem diverso consideratam modo ad diversos posse titulos referri. Tùm progressio fiet ad proprietates et attributa, et subindè ad effectus et fructus multiplices in animo et corpore, in bonis externis, in amicis et posteris; succedent etiam antitheses, in materiâ præsertìm virtutum ac vitiorum, ubi de his agitur, atque ad illarum studium, et horum fugam tùm adhortationes, tùm etiam jaculatoriæ orationes, ut non modò rei veritas utcumque intelligatur; sed amplo quodam ac splendido modo lectoris objiciatur animo, idoneaque sit, tùm ad illuminandum intellectum, tùm etiam ad concitandum in voluntate pietatis affectum, præsertìm si cœlestium mysteriorum et christianarum virtutum quæ his libris proponuntur attentâ contemplatione mens identidem in Deum assurgere, ipsumque venerari et amare condiscat. Hoc etenim modo considerata theologia potens est cultores suos non solùm doctos et acutos ad disputandum, sed etiam sapientes et sanctos, rebusque humanis reddere superiores : rerum namque divinarum et eloquiorum Domini seria meditatio suprema omnis sanctitatis regula est. *Nòsse te consummata justitia est, et scire justitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis*, inquit Sapiens, cap. 15, v. 3, et quid aliud Christus ipse insinuat his verbis : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*, Joan 17, v. 3, nisi hanc cognitionem esse normam omnis rectitudinis, quâ infallibiliter ad æternæ vitæ gloriam perveniunt? Hinc et Apostolus toties ardentibus votis obsecrat et excitat fideles, ut crescant in scientiâ Dei, Rom. 15, v. 13; 1 Corinth. 1, v. 5; Ephes. 3, v. 19, et alibi. Nec alio fine tàm seriò inculcatur Abrahamo : *Ambula coràm me, et esto perfectus*, Gen. 17, v. 1, nisi ut palàm fiat, per assiduam divinæ præsentiæ, ac divinarum perfectionum contemplationem, plenam vitæ perfectionem obtineri. His accedit efficacia eloquiorum Domini; de quâ Propheta Regius : *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo*, Psalm. 116, v. 103, et rursùs : *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti*, ibidem v. 72; et: *In viâ testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis*, ibidem v. 14. Etenim Apostolo teste : *Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usquè ad divisionem animæ et spiritûs, compagum quoque et medullarum*, Hebr. 4, v. 12. Nam etsi complures S. Scripturæ interpretes verba hæc intelligant de æterno Filio Dei, qui dicitur λόγος, id est Verbum, vel Sermo mentis et conceptûs paterni, et penetrabilior est omni gladio ancipiti, dùm acutissimè penetrat omnium corda et cogitationes, et pervidet ac discernit omnes motus tàm naturæ, quàm gratiæ, ut nulla eum, quantumvis in corde abscondita, latere possit cogitata iniquitas; rectè tamen intelliguntur etiam de sacris oraculis omnipotentis Dei. His enim admirabilis quædam vis inest et energia, tùm ad hominum percellendos, atque permonendos animos, juxtà illud : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras?* Hierem. 23, v. 29, tùm etiam ad fructus Spiritûs sancti uberrimos, in fidelium cordibus proferendos, juxtà istud : *Quomodò enim descendit imber et nix de cœlo, et illùc ultrà non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam et germinare eam facit, et dat semen seminanti, et panem comedenti; sic erit verbum meum, quod progreditur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud*, Isa. 15, v. 10. Nostri sermones, nisi gratia divina accedat, rarò feraces sunt, ut plurimùm autem infructuosi ac steriles; imò cum divinis collati, sunt quasi paleæ leves et inanes : *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* Hier. 23, v. 29. Non nostris igitur, sed Dei verbis doctrinam sacram tùm scholasticam et polemicam, tùm etiam moralem et asceticam pertractare animus est; ut infirmitas nostra divinâ ipsius virtute perficiatur; et quemadmodùm in pulpitis atque exedris publicè, ità et in piorum animis privatìm uniuscujusque utilitati consulatur. Quem etiam in finem visum fuit ordinem lectori commodiorem instituere, ac totum opus in quatuor libros partiri, quorum primus erit de Deo uno et Trino, rerum creatarum omnium auctore, et de harum singulis universìm, de præcipuis etiam speciatìm; secundus de fine ultimo, et mediis eum obtinendi, atque de impedimentis generatìm; tertius de mediis et impedimentis, sive de virtutibus et vitiis speciatìm; quartus de præcipuis hujus ævi controversiis, qui partìm respondebit methodo Bellarmini, partìm etiam libro quarto Magistri Sententiarum; uti tres priores respondent ferè primæ parti, et priori ac posteriori secundæ S. Thomæ. Singuli porrò libri in suas partes principales, partes in capita, hæc in paragraphos distinguentur; dispositio singulorum uniuscujusque præfatione declarabitur.

LIBER PRIMUS.

DE DEO UNO ET TRINO,

RERUM CREATARUM OMNIUM AUCTORE, ET DE HARUM PRÆCIPUIS UNIVERSIM AC SPECIATIM.

Doctrina sacra primum agit de essentiâ et existentiâ divinâ; tùm de attributis divinis negativis et affirmativis quæ conveniunt Deo, quatenùs unus est in essentiâ; deindè de sanctissimâ Trinitate, sive de Deo, quatenùs est trinus in personis; tùm de creaturis, ac nominatim de angelis et hominibus : quibus annectenda videntur testimonia sacræ paginæ de Christo Jesu redemptore nostro, vero Deo et homine, *qui est primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa, et ipse est antè omnes, et omnia in ipso constant, ut sit ipse in omnibus primatum tenens. Coloss.* 1, 15; deniquè de sanctissimâ virgine Maria, ejus benedictâ matre, angelorum pariter hominumque reginâ.

Pars prima.

DE DEO ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

CAPUT PRIMUM.

Dei nomina sacris litteris expressa.

Dixit Deus ad Moysen : *Ego sum qui sum;* ait : Sic dices filiis Israel : *Qui est,* misit me ad vos. Dixitque iterùm Deus ad Moysen : Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob misit me ad vos, hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. *Exod.* 3, 14. — Nomen meum Adonai. *Exod.* 6, 4. — Omnipotens nomen ejus. *Exod.* 15, 3. — Noli adorare deum alienum, Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator. *Exod.* 34, 14. — Redemptor noster Dominus exercituum, nomen illius Sanctus Israel. *Isa.* 47, 4. — Scient quia nomen mihi Dominus. *Jer.* 16, 21. — Dominus nomen ejus. *Amos*, 5, 8. — Non confunditur vocari Deus. *Heb.* 11, 16.(1)

CAPUT II.

Esse et existere Dei.

Ego sum qui sum, dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. *Exod.* 3, 11. — Ego Ego sum. *Jer.* 7, 11. — Si ille non est, quis ergo est? *Job*, 24, 2. — A seculo tu es. *Psal.* 92, 2. — Et est antè ævum, *Eccl.* 1, 1. — Antequàm Abraham fieret, ego sum. *Joan.* 4, 38. — Credere oportet accedentem ad Deum quia est. *Heb.* 11, 6.—Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. *Ps.* 52, 1.

CAPUT III.

Deus simplex et incorporeus.

Spiritus est Deus. *Joan.* 4, 24. — Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. 1 *Joan.* 1, 5 — Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ei ponetis? *Isa.* 10, 18. — Non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominum divinum esse simile. *Act.* 17, 29. — Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. *Rom.* 1, 22.

CAPUT IV.

Unitas Dei.

Deus noster Deus unus est. *Deut.* 6, 4. — Videte quòd ego sim solus, et non sit alius Deus præter me; ego occidam, et ego vivere faciam : percutiam, et ego sanabo; et non est

(1) Alia ab attributis desumpta assignata sunt suis locis.

qui de manu mea possit eruere. *Deut.* 32, 39. — Incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt. *Sap.* 16, 21. — Antè me non est formatus Deus, et post me non erit. *Isa* 43, 10. — Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus. *Isa.* 44, 6. — Ego sum Dominus, et non est ampliùs, extrà me non est Deus. *Isa.* 45, 5. — Et gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. *Isa.* 62· 9. — Ego autem Dominus Deus tuus ex terrâ Ægypti : et Deum absque me nescies, et salvator non est præter me. *Oseæ*, 13, 4.— Quis Deus præter Dominum? *Psal.* 7, 22. — Non est alius Deus quàm tu. *Sap.* 17, 13. — Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium. *Ephes.* 4, 5.

CAPUT V.

Veritas et vita Dei.

Deus autem Deus verus est. *Jer.* 10, 10. — Deus fidelis et absque ullâ iniquitate. *Deut.* 32, 4. — Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur; dixit ergò et non faciet? locutus est et non implebit? *Num.* 23, 19. — Paveant Deum Danielis, ipse enim est Deus vivens. *Dan.* 6, 26. — Speramus in Deum vivum. 1, *Tim.* 4, 10. — In manus Dei viventis. *Hebr.* 10, 31. — In ipso vita erat. *Joan.* 14, 6. — Ego sum vita, veritas et vita. *Joan.* 1, 3. (*Vide infrà de fide, verbo* Veritas prima; *et hic, cap.* 10, Immutabilitas Dei.

CAPUT VI.

Bonitas Dei.

Nemo bonus nisi solus Deus. *Luc.* 18, 19. — Quàm bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! *Psal.* 72, 1. — Bonus es tu. *Psal.* 118, 68. — Bonus est Dominus sperantibus in eum animæ quærenti illum. *Thren.* 3, 25. — Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves? *Job*, 10, 3. — Numquid Deus supplantat judicium, aut omnipotens subvertit quod justum est? *Job*, 8, 3. — Non dixeris : Per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris. Non dicas : Ille me inplanavit ; non enim necessarii sunt ei homines impii : omne execramentum erroris odit Dominus, et non erit amabile timentibus eum. *Eccl.* 15, 11. — Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur ; Deus enim intentator malorum est; ipse enim neminem tentat. *Jac.* 1, 13, — Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris : quarè non respicis super magna agentes, et taces, devorante impio justiorem se. *Hab.* 1, 13. — Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere : Operatus es iniquitatem? *Job*, 36, 23. — Unus est bonus Deus. *Matth.* 19, 17.

CAPUT VII.

Perfectio Dei omnium rerum creatarum perfectiones continens eminentiâ singulari.

Magnus Dominus et laudabilis nimis. *Ps.* 144, 3. — Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi? *Ps.* 34, 10. — Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversùs eum. *Baruch.* 3, 36. — Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es ; quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo ; quoniam judicia tua manifesta sunt. *Apoc.* 15, 4. — Non est sanctus ut est Dominus ; neque enim est alius extrà te, et non est fortis sicut Deus noster. 1, *Reg.* 2, 2. — Domine, Deus omnium creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus bonus es rex, solus præstans, solus justus et omnipotens et æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos et sanctificâsti eos. 2 *Mach.* 1, 24.—Beatus et solus potens, qui solus habet immortalitatem. 1 *Tim.* 6, 16. — Ego ostendam omne bonum tibi. *Exod.* 33, 19. — Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? *Ps.* 93, 9. — In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. *Eccl.* 24, 25. —Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus; si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus. *Isa.* 66, 9. — In ipso vita erat. *Joan.* 1, 3. — Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. *Matth.* 5, 48.

CAPUT VIII.

Infinitas Dei.

Magnitudinis ejus non est finis. *Ps.* 144, 3. — Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus. *Baruch.* 3, 25. — Ecce Deus excelsus in fortitudine suâ, et nullus similis ei in legislatoribus. *Job*, 36, 22. — Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ, reputatæ sunt; ecce insulæ quasi pulvis exiguus, et Libanus non sufficiet ad succedendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum; omnes gentes quasi non sint, sic sunt coràm eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. *Isa.* 11, 15. — Tanquàm momentum stateræ, sic est antè te orbis terrarum, et tanquàm gutta roris antelucani quæ

descendit in terram. *Sap.* 11, 23. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. *Ps.* 16, 15.

CAPUT IX.

Immensitas Dei.

Non erit fuga eis, et non salvabitur ex eis qui fugerit : si descenderint usquè ad infernum, indè manus mea educet eos ; et si ascenderint usquè in cœlum, indè detraham eos : et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, indè scrutans auferam eos ; et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti et mordebit eos ; et si abierint in captivitatem coràm inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos : et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum. *Amos* 9, 2. — Putas-ne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? dicit Dominus ; numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus. *Jer.* 23, 23. — Quò ibo à Spiritu tuo, et quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illìc es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illùc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, et nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus ità et lumen ejus ; quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. *Ps.* 138, 7. — Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? *Isa.* 66, 1. — Non longè est ab unoquoque nostrùm : in ipso enim vivimus, movemur et sumus. *Act.* 17, 28. — Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. *Sap.* 1, 7. — Plena est omnis terra gloriâ ejus. *Isa.* 6, 3.— Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usquè ad omnipotentem perfectum invenies? excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et undè cognosces? longior terrâ mensura ejus, et latior mari. *Job.* 11, 7. — An-non cogitas quòd Deus excelsior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur? *Job.* 22, 12. — Si cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi. 3 *Reg.* 8, 27. — Ambula coràm me et esto perfectus. *Gen.* 17, 1. — Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear. *Ps.* 15, 17.

CAPUT X.

Immutabilitas, veracitas et fidelitas Dei.

Initio tu, Domine, terram fundàsti, et opera manuum tuarum sunt cœli ; ipsi peribunt, tu autem permanes ; et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. *Ps.* 101, 26. — Quid tu vides, Jeremia? et dixi : virgam vigilantem ego video; et dixit Dominus ad me : benè vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud. *Jer.* 1, 11. — Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, *Matth.* 24, 35. — In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. *Heb.* 6, 17. — Et scies quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes. *Deut.* 7, 9. — Qui accepit ejus testimonium signavit, quia Deus verax est; quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. *Joan.* 3, 33. — Porrò triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur : neque enim homo est ut agat pœnitentiam. 1. *Regum,* 15, 29. — Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. *Rom.* 3, 4. — Si negaverimus, et ille negabit nos. Si non credimus, ille fidelis permanet : negare seipsum non potest. 2 *Tim.* 2, 12. — Fidelis est qui vocavit nos, qui etiam faciet. 1 *Thess.* 5, 24. — Fidelis Dominus est qui confirmabit nos et custodiet à malo. 2 *Thess.* 3, 3. — Omne datum optimum et omne donum perfectum, desursùm descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. *Jac.* 1, 17. — Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur : dixit ergo et non faciet? locutus est et non implebit? *Num.* 23, 19.— Ego Dominus, et non mutor. *Malac.* 3, 6.

CAPUT XI.

Æternitas Dei.

Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet nec laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. *Isa.* 40, 28. — Priusquàm montes fierent, aut formaretur terra et orbis, à seculo et usque in seculum tu es Deus. *Ps.*

89, 2. — In generationem et generationem anni tui. *Ps.* 101, 25. — Dominus regnabit in æternum et ultrà. *Exod.* 15, 18. — Numerus annorum ejus inæstimabilis. *Job* 36, 26. — Hæc dicit excelsus et sublimis, habitans æternitatem. *Isa.* 57, 15. — Misericordia Dei ab æterno. *Ps.* 102, 17. — Potestas ejus potestas æterna. *Dan.* 7, 14. — Ab æterno ordinata sum. *Prov.* 8, 23. — In æternum, Domine, verbum tuum. *Ps.* 118, 142.

CAPUT XII.

Incomprehensibilitas Dei.

Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? *Sap.* 9, 13. — Difficile æstimamus quæ in terrâ sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? *Sap.* 9, 16. — Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere : operatus es iniquitatem? Memento quòd ignores opus ejus de quo cecinerunt viri : omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul; ecce Deus magnus vincens scientiam nostram, numerus annorum ejus inæstimabilis. *Job* 36, 23. — Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies. *Job* 11, 7. — Quàm desiderabilia omnia opera ejus, et tanquàm scintilla, quæ est considerare. *Eccl.* 42, 23. — Qui perficit primus scire ipsam, et infirmior non investigabit eam; à mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium ejus ab abysso magnâ. *Eccl.* 24, 38. — Quomodò ignoras quæ sit via spiritûs et quâ ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. *Eccl.* 11, 5. — Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus, et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum ejus magnitudinem intueri? *Job* 26, 14. — Arenam maris et pluviæ guttas, et dies seculi quis dinumeravit? altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est? sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit? disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata? et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Unus est creator omnipotens et rex potens et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit et dinumeravit et mensus est. *Eccl.* 1, 2. — O altitudo divitiarum, sapientiæ et scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? *Rom.* 11, 33. — Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum ejus. *Jer.* 32, 19. — Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; cui honor et imperium sempiternum. Amen. 1 *Tim.* 6, 16. — Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quandò autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. 1 *Cor.* 13, 9.

CAPUT XIII.

Ineffabilitas Dei.

Magna sunt enim judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua, propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt. *Sap.* 17, 1. — Quis sufficit enarrare opera illius? quis enim investigabit magnalia ejus? virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei : cùm consummaverit homo, tunc incipiet; et cùm quieverit, operabitur. *Eccl.* 18, 2. — Ab aquilone aurum venit, et ad Deum formidolosa laudatio; dignè eum invenire non possumus; magnus fortitudine et judicio et justitiâ, et enarrari non potest; ideò timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. *Job* 37, 22.

CAPUT XIV.

Cognoscitur Deus in hâc vitâ ex effectis creatis.

Quod notum est Dei, manifestum est in iis; Deus enim iis manifestavit; invisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ità ut sint inexcusabiles. *Rom.* 1, 19. — De his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt : sciant quantò his dominator eorum speciosior est; speciei

enim generator omnia constituit ut, si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab iis quoniam qui hæc fecit fortior est illis, à magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. *Sap.* 13, 1. — Si tantùm potuerunt scire ut possent æstimare seculum, quomodò hujus Dominum non faciliùs invenerunt? *Sap.* 13, 9. — Nosse Deum consummata justitia est, et scire justitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis. *Sap.* 15, 3. — Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei. 1. *Cor.* 2, 14.

CAPUT XV.

Visio beatifica.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth.* 5, 8. — Angeli in cœlis eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. *Matth.* 18, 10. — Qui diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. *Joan.* 14, 21. — Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex Patre, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. 1 *Cor.* 13, 12. — Scimus quoniam cùm apparuerit similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est. 1. *Joan.* 3, 2. — Servi ejus servient illi, et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus illorum. *Apoc.* 22, 4. — Hæc est vita æterna : ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. *Joan.* 17, 3.

CAPUT XVI.

Scientia Dei, quâ et se comprehendit et omnia alia, creata, creabilia.

Domine, qui habes omnem scientiam. *Esth.* 14, 14. — Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos judicat? *Job* 21, 22. — Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est et non potero ad eam. *Ps.* 130, 6. — Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ità quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. 1 *Cor.* 2, 11. — Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 1. *Cor.* 2, 10. — Oculi Domini contemplantur universam terram. 2 *Paralip.* 16, 9. — Si dixeris : Vires non suppetunt; qui inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxtà opera sua. *Prov.* 24, 12. — Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus ad quem nobis sermo. *Hebr.* 4, 13. — Major est Deus corde nostro, et novit omnia. 1 *Joan.* 3, 20. — Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. *Ps.* 33, 16. — Scrutans corda et renes Deus. *Psal.* 7, 10. — Pravum est cor hominum et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes : qui do uniquique juxtà viam suam, et juxtà fructum adinventionum suarum. *Jer.* 17, 9, 10. — Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes ejus : ventura interrogate me inter filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi. *Isa.* 45, 11. — Priusquàm te formarem in utero, novi te; et antequàm exires de vulvâ, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te. *Jer.* 1, 5. — Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nôsti omnia antequàm fiant. *Dan.* 13, 42. — Et si multitudinem scientiæ desiderat quis : scit præterita, et de futuris æstimat; scit versutias sermonum et dissolutiones argumentorum, signa et monstra scit antequàm fiant, et eventus temporum et seculorum. *Sap.* 8, 8. — Ego scio quòd non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, nisi per manum validam. *Exod.* 3, 19. — Scio cogitationes ejus, quæ facturus sit hodiè, antequàm introducam eum in terram quam ei pollicitus sum. *Deut.* 31, 21. — Non est occultatum os meum à te, quòd fecisti in occulto, et substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur; dies formabuntur, et nemo in eis. *Psal.* 138, 15, 16. — Ipse fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cœlo sunt respicit. *Job* 28, 24. — Abyssum et cor hominum investigat, et in astutiâ eorum excogitavit; cognovit enim Dominus omnem scientiam et inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum; non præterit eum omnis cogitatus, et non abscondit se ab illo ullus sermo. *Eccl.* 42, 18, 19, 20. — Multa sapientia Dei et fortis in potentiâ, videns omnes sine intermissione; oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. *Eccl.* 15, 19, 20. — Viæ illorum coràm ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis illius : in unam quamcumque gentem præposuit rectorem; et pars Dei Israel facta est manifesta, et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei, et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum; non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. *Eccl.* 17, 13, 14, 15, 16, 17. — Opera omnis carnis coràm illo, et non est quicquam absconditum ab oculis ejus; à seculo usquè in

seculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus. *Eccl.* 30, 24, 25. — Oculi ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat; non sunt tenebræ et non est umbra mortis ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. *Job* 34, 21, 22. — Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus. *Psal.* 146, 4, 5. — Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? cum quo iniit consilium et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum scientiam, et viam prudentiæ ostendit illi? quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel : abscondita est via mea à Domino, et à Deo meo judicium meum transivit ? Numquid nescis aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. *Isa.* 40, 13, 14, 24, 25. — Ecce scriptum est coràm me : non tacebo, sed reddam et retribuam in sinum eorum. *Isa.* 65, 6. — Quia oculi mei super omnes vias eorum, non sunt absconditæ à facie meâ, et non fuit occulta iniquitas eorum ab oculis meis. *Jer.* 16, 17. — Ego scio Ephraïm, et Israel non est absconditus à me, quia nunc fornicatus est Ephraïm, contaminatus est Israel. *Oseæ* 5, 3. — Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. *Prov.* 5, 11. — In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. *Prov.* 15, 3. — Infernus et perditio coràm Domino, quantò magis corda filiorum hominum! *Prov.* 15, 11. — Omnes viæ hominis patent oculis ejus, spirituum ponderator est Dominus. *Prov.* 16, 2. — Ecce in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis, verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus. *Job* 16, 20, 21.

CAPUT XVII.

Verba impiorum negantium à Deo cognosci omnia, ut peccent liberiùs; et piorum, quos à peccatis avertit Deus omnia videns.

Et dicis : quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat, nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circà cardines cœli perambulat. Numquid semitam seculorum custodire cupis, quam calcârunt viri iniqui? *Job* 22, 13, 14, 15. — Non dicas : à Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur? in populo magno non agnoscar : quæ est enim anima mea in tam immensâ creaturâ? Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur; montes simul et colles, et fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur; et in omnibus his insensatum est cor, et omne cor intelligitur ab illo. *Eccl.* 16, 16, 17, 18, 19, 20. — Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam et dicens : quis me videt? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me; quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus ejus; quoniam expellit à se timorem Dei, hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum; et non cognovit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequàm crearentur, omnia sunt cognita, sic et post perfectum respicit omnia. *Eccl.* 23, 25, 26, 27, 28, 29. — Væ! qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : quis videt nos, et quis novit nos? Perversa est hæc vestra cogitatio, quasi si lutum contrà figulum cogitet, et dicat opus factori suo : non fecisti me; et figmentum dicat fictori suo : non intelligis. *Isa.* 29, 15, 16. — Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine; quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem omnipotens de excelsis? nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat? *Job* 31, 1, 2, 4. — Beatus vir qui in sapientiâ morabitur, et in justitiâ meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. *Eccl.* 14, 22. — Domine, probâsti me et cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam; mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam; quò ibo à Spiritu tuo, et quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illùc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. *Psal.* 138, 1, 6, 7, 8.

CAPUT XVIII.

Voluntas Dei efficacissima.

Nolite timere : nùm Dei possumus resistere voluntati? *Gen.* 50, 19. — Voluntati ejus quis resistit? *Rom.* 9, 19. — Dixit Deus : fiat lux; et facta est lux. *Gen.* 1, 3. — Deus autem

noster in cœlo, omnia quæcumque voluit fecit. *Psal.* 113, 11. — Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. *Psal.* 148, 5. — Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. *Hebr.* 11, 3. — Subest tibi, cùm volueris, posse. *Sap.* 12, 18.

CAPUT XIX.

Deus vult malum pœnæ.

Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. *Deut.* 32, 23. — Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas à Deo sunt. *Eccl.* 11, 14. — Ego Dominus, et non est alter formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc. *Isa.* 44, 7. — Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit. *Amos.* 3, 6. — Dominus ignoravit; quis est iste qui dixit : ut fieret Domino non jubente? Ex ore altissimi non egredientur nec mala nec bona; quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. *Thren.* 3, 37, 38, 39.

CAPUT XX.

Malum culpæ nullo modo vult Deus.

Deus fidelis et absque ullâ iniquitate, justus et rectus. *Deut.* 32, 4. — Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? absit, alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? *Rom.* 3, 5, 6. — Mendacium fugies, insontem et justum non occides, quia aversor impium. *Exod.* 23, 7. — Usquè dùm non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona; Deus enim illorum odit iniquitatem. *Judith* 5, 21. — Mane astabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit juxtà te malignus, neque permanebunt injusti antè oculos tuos; odisti omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium. *Psal.* 5, 5, 6, 7. — Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Ps.* 44, 8. — Abominatio est Domino via impii; qui sequitur justitiam, diligitur ab eo. *Prov.* 15, 9. — Similiter autem odio sunt Deo impius et impietas ejus. *Sap.* 14, 9.

CAPUT XXI.

Deus liberè vult omne bonum extrà se.

Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur; si enim Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum. *Eccl.* 39, 7, 8. — Prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. *Ephes.* 1, 11. — Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; quia non defecerunt miserationes ejus. *Thren.* 3, 22.

CAPUT XXII.

Voluntas Dei antecedens, et consequens conditionata; illa mutatur aliquandò, hæc nunquàm.

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum adversùs eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut ei facerem; et subitò loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei. *Jer.* 18, 8, 9, 10. — Quis scit si convertatur et ignorat Deus, et revertatur à furore iræ suæ, et non peribimus? et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de viâ suâ malâ et misertus est Deus super malitiâ quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit. *Jonæ* 3, 9, 10. — Nonne vidisti humilitatem Achab coràm me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus. 3. *Regum*, 21, 29. — Juravit Dominus exercituum, dicens : Si non, ut putavi, ità erit, et quomodò mente tractavi, sic eveniet hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, et hæc est manus extenta super universas gentes. Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta, et quis avertet eam? *Isa.* 14, 24, 26, 27. — Ab initio ego ipse, et non est qui de manu meâ eruat; operabor, et quis avertet illud? *Isa.* 43, 15. — Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. *Isa.* 46, 10. — Nunc itaque dico vobis : discedite ab hominibus istis, et sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne fortè et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi. *Act.* 5, 38, 39. — Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum. Consilium autem Domini in æternum manet; cogitationes cordis ejus in generatione et generationem. *Psal.* 32, 10, 11.

CAPUT XXIII.

Omnipotentia Dei.

Ego Deus omnipotens, ambula coràm me et esto perfectus. *Gen.* 17, 1. — Domine rex omnipotens, in ditione enim tuâ cuncta sunt posita et non est qui possit tuæ resistere volun-

tati. *Esther* 13, 9. — In verbo ejus stetit aqua sicut congeries, et in sermone oris illius sunt exceptoria aquarum; quoniam in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute ipsius. *Eccl.* 39, 22, 23. — Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contrà Dominum : equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit. *Prov.* 21, 30, 31. — Multi tyranni sederunt in throno, et insuspicabilis portavit diadema; multi potentes oppressi sunt validè, et gloriosi traditi in manus alterorum. *Eccl.* 11, 5, 6. — Adonaï Domine, magnus es tu, et præclarus in virtute tuâ, quem nemo superare potest. Tibi serviat omnis creatura tua; quia dixisti, et facta sunt; misisti Spiritum tuum, et creata sunt : et non est, qui resistat voci tuæ. *Judith* 16, 16, 17. — Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur; montes simul et colles, et fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur. *Eccl.* 16, 18, 19. — In Judicio Dei opera illius, ab initio et ab institutione ipsorum distinxit partes illorum, et initia eorum in gentibus suis; ornavit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, et non destiterunt ab operibus suis; unus quisque proximum sibi non angustiabit usquè in æternum. *Eccl.* 16, 26, 27. — Qui vivit in æternùm creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, et manet invictus rex in æternùm. *Eccl.* 18, 1. — Ipse solus est, et nemo potest avertere cogitationem, et anima ejus, quodcumque voluit, hoc fecit. *Job.* 23, 13. — Multùm valere tibi soli supererat semper; et virtuti brachii tui quis resistet? Quoniam tanquàm momentum stateræ, sic est antè te orbis terrarum, et tanquàm gutta roris antelucani quæ descendit in terram. *Sap.* 11, 22. — Subest tibi, cùm volueris, posse. *Sap.* 12, 18. — Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis et reducis; sed tuam manum effugere impossibile est. *Sap.* 16, 13, 15. — Quis dicit tibi : quid fecisti? aut quis stabit contrà judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti? *Sap.* 12, 12. — Deus cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. *Job* 9, 13. — Si subverterit omnia vel in unum coarctaverit, quis contradicit ei? vel quis dicere ei potest : cur ità facis? *Job* 11, 10. — Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem; balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum. *Job* 12, 17. — Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ; qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum; qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint, judices terræ velut inane fecit. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc; qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat; præ multitudine fortitudinis, et roboris virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit. *Isa.* 40, 22, 26. — Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum; irrita faciens signa divinorum, et hariolos in furorem vertens; convertens sapientes retrorsùm, et scientiam illorum stultam faciens; suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens. Qui dico Jesusalem : habitaberis; et civitatibus Juda : ædificabimini, et deserta ejus suscitabo. Qui dico profundo : desolare, et flumina tua arefaciam; qui dico Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis; qui dico Jerusalem : ædificaberis, et templo fundaberis. *Isa.* 44, 24.

CAPUT XXIV.

Justitia Dei.

Justus Dominus et justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. *Psal.* 10, 7. — Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. *Psal.* 118, 17. — Justitia tua, justitia in æternùm. *Psal.* 118, 142. — Reddet unicuique secundum opera ejus : iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem, qui sunt ex contentione et non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. *Rom.* 2, 6, 7, 8. — Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut reddat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2 *Cor.* 5, 10. — Cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex, non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. 2 *Tim.* 4, 8. — Viri cordati, audite me : absit à Deo impietas, et ab omnipotente iniquitas, opus enim hominis reddet ei, et juxtà vias singulorum reddet eis; verè enim Deus non condemnabit frustrà, nec omnipotens subvertet judicium. *Job* 34, 10. — Nonne, si benè egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? *Gen.* 4, 7. — Date, et dabitur vobis; mensuram bo-

nam et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum; eâdem quippè mensurâ, quâ mensi fueritis, r metietur vobis. *Luc.* 6, 38. — In die bonâ fruere bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contrà eum justas quærimonias. *Eccl.* 7, 15. — Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit. *Eccl.* 12, 14. — In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam acceptus est illi. *Act.* 10, 34. — Qui non accipit personas principum, non cognovit tyrannum: cur disceptaret contrà pauperem? opus enim manuum ejus sunt universi. *Job* 34, 19. — Non subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est ei cura de omnibus. *Sap.* 6, 8. — Fugite à facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse judicium. *Job*, 19, 29. — *De justitiâ vindicativâ Dei actum est titulo* de Justitiâ, *cap.* 31 *et sequentibus, uti et de aliis hùc etiam spectantibus.*

CAPUT XXV.

Misericordia Dei.

Ego sum Dominus Deus tuus, faciens misericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea. *Exod.* 20, 6. — Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax. *Ex.* 34, 6. — Misericordiâ Domini plena est terra. *Psal.* 32, 5. — Quia liberabit pauperem à potente, et pauperem cui non erat adjutor. *Psal.* 71, 12. — Secundum magnitudinem ipsius, sic et misericordia cum ipso est. *Eccl.* 2, 33. — Melior est misericordia tua super vitas. *Psal.* 62, 4. — Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. *Psal.* 144, 9. — Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pænitentiam reverti. 2 *Petr.* 3, 9. — Sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum.

CAPUT XXVI.

Causæ cur nostrî misereatur Deus.

Quomodò miseretur pater filiorum, miseratus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum; recordatus est quoniam pulvis sumus: homo sicut fœnum, dies ejus tanquàm flos agri sic efflorebit. *Psal.* 102, 13. — Hæc dicit Dominus Deus: non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas intrâstis. *Ezech.* 36, 22. — Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis; confundimini et erubescite super viis vestris, domus Israel. *Ezech.* 36, 32. — Quàm magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se! nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. Quid lucidius sole? et hic deficiet; aut quid nequius quàm quod excogitavit caro et sanguis? et hoc arguetur. Virtutem altudinis cœli ipse conspicit, et omnes homines terra et cinis. *Eccl.* 17, 28. — Quid est homo et quæ est gratia illius? et quid est bonum aut nequam illius? numerus dierum hominum ut multùm centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputati sunt, et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. Propter hoc patiens est Deus in illis, affundit super eos misericordiam suam. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, et cognovit subversionem eorum quoniam nequam est: idcò adimplevit propitiationem suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis. *Eccl.* 18, 7, 8, 9, 10, 11.

CAPUT XXVII.

Misericordia Dei et justitia simul.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. *Psal.* 100, 1. — Universæ viæ Domini misericordia et veritas. *Psal.* 24, 10. — Misericordia et ira est cum illo: potens exoratio, et effundens iram; secundum misericordiam suam sic correptio illius hominem secundum opera sua judicat. Non effugiet in rapinâ peccator, et non retardabit sufferentia misericordiam facientis. *Eccl.* 16, 12. — Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Habac.* 3, 2. — Superexaltat autem misericordia judicium. *Jac.* 2, 13. — Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus: ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. *Psal.* 29, 6. — Sicut in monte divisionum stabit Dominus: sicut in valle, quæ in Gabaon irascetur, ut faciat opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo. *Isa.* 28, 21. — Quia non repellet in sempiternum Dominus: quia si abjecit, et miserebitur. Secundum multitudinem miserationum suarum; non enim humiliavit ex corde suo et abjecit filios hominum. *Thren.* 3, 31. — Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. *Isa.* 1, 24.

CAPUT XXVIII.

In præsumentes de misericordiâ Dei.

Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? altissimus enim est patiens redditor. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim et ira ab illo citò proximant, et in peccatores respicit ira illius. *Eccl.* 5, 4, 6, 7, — Etenim quia non profertur cito contrà malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. *Eccl.* 8, 11.—*Vide infrà, verbo* Desperatio et Præsumptio.

CAPUT XXIX.

Amor Dei ergà omnes, etiam peccatores.

Misereris omnium quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam; diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. *Sap.* 11, 24. — Parcis omnibus quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. *Sap.* 11, 27 — O quàm bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus! ideòque eos, qui exerrant, partibus corripis; et de quibus peccant admones et alloqueris: ut relictâ malitiâ credant in te, Domine. *Sap.* 12, 1. — Ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus tuis parcere facis. *Sap.* 12, 16. — Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. 1 *Joan.* 3, 1. — In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris: in hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii; quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. 1. *Joan* 4, 9. — Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3, 19.

CAPUT XXX.

Amat Deus peccatores non quà peccatores, sed quà homines Christi sanguine redemptos, iisque peccata condonat.

In charitate perpetuâ dilexi te; ideo attraxi te miserans. *Hier.* 31, 3. — Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia aversus est furor meus ab eis. *Oseæ* 19, 5. — Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. *Isa* 43, 25. — Propter nomen meum longè faciam furorem meum; propter me, propter me faciam ut non blasphemer. *Isa.* 48, 9. — Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentiâ. *Luc.* 15, 7.

CAPUT XXXI.

Dominus omnibus hominibus vult æternam beatitudinem.

Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. 1 *Tim.* 2, 4. — Hæc est voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die; hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. *Joan.* 6, 39. — Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: Usquequò, parvuli, diligitis infantiam? et stulti ea quæ sunt sibi noxia diligent? et imprudentes odibunt scientiam? *Prov.* 1, 20. — Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesiâ, et in Christo Jesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen. *Ephes.* 3, 20. — Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. 1 *Cor.* 5, 19. — *Vide plura, verbo* Christus, *cap.* 2.

CAPUT XXXII.

Providentia Dei ergà omnes.

Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est illi cura de omnibus. *Sap.* 6, 8. — Affingit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. *Sap.* 8, 1. — Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. *Psal.* 148, 8. — Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes. *Psal.* 35, 6. — Qui præcipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo. *Job.* 9, 7. — Præceptum posuit et non præteribit. *Psal.* 148, 6. — Nonne duo passeres asse vænerunt; et unus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro? *Matth.* 10, 29. — Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis? *Matth.* 6, 26. — Considerate lilia agri quomodò crescunt: non laborant, neque nent. Si autem fœnum agri, quod hodiè est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei. *Matth.* 6, 28. — Non

est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus. *Sap.* 12, 13. — Tua autem providentia gubernat. *Sap.* 14, 3.

CAPUT XXXIII.

In negantes providentiam Dei.

Visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis: non faciet benè Dominus, et non faciet malè. *Sopho.* 1, 12. — Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestis, et dixistis: In quo eum fecimus laborare? in eo, quòd dicitis: omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certè, ubi est Deus judicii? *Malach.* 2, 17. — Dixistis: vanus est qui servit Deo: et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coràm Domino exercituum? Ergò nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. *Malach.* 3, 14. — Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coràm Angelo: non est providentia; ne fortè iratus Deus contrà sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. *Eccl.* 5, 5, — Certè vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubilis sui; dicunt enim: non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. Ergò et ego faciam in furore, non parcet oculus meus nec miserebor; et cùm clamaverint ad aures meas voce magnà, non exaudiam eos. *Ezech.* 8, 12. — Iniquitas domûs Israel et Juda magna est nimis valdè, et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione; dixerunt enim: dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. Igitur et meus non parcet oculus neque miserebor, viam eorum super caput eorum reddam. *Ezech.* 9, 9.—Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: non requiret; vides quoniam tu laborem et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas. *Psal.* 9, 13.

CAPUT XXXIV.

Electio, prædestinatio, vocatio generatim.

Elegit nos in ipso antè constitutionem mundi. *Ephes.* 1, 4.—Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei. *Ephes.* 1, 5. — Loquimur Dei sapientiam, quam prædestinavit Deus antè secula. 1 *Cor.* 2, 7. — Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. *Matth.* 25, 34. — Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. *Rom.* 8, 29. — Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit. *Rom.* 8, 30. — Multi vocati, pauci verò electi. *Matth.* 20, 16.

CAPUT XXXV.

Electionem ad gloriam fieri ex merâ Dei misericordiâ et liberalitate, adeòque priorem esse prædestinatione.

Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. *Act.* 13, 8. — Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare nobis regnum. *Luc.* 12, 22. — Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus; placita enim erat Deo anima illius. *Sap.* 4, 14. — Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. *Rom.* 8, 18. — Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies. *Matth.* 24, 22. *Et paulò post:* Pseudoprophetæ dabunt signa magna, ità ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. *Ibid.* 24. — Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. *Rom.* 9, 16. — Si autem gratia jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia. *Rom.* 11, 6. — Non vos me elegistis, sed ego elegi vos ut eatis et fructum afferatis. *Joan.* 15, 16. — Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna. *Rom.* 6, 23. — Cùm nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. *Rom.* 9, 11 *ubi et subdit:* — An-non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? *Ibid.* 21. — Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid glorieris quasi non acceperis? 1 *Cor.* 4, 7.

CAPUT XXXVI.

Retributionem præmii juxtà ordinem executionis fieri intuitu meritorum.

Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim et dedistis mihi manducare, etc. *Matth.* 25, 34. — Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum. 1. *Cor.* 2, 9. — Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. *Coloss.* 3, 23.— Si autem filii et hæredes, hæredes

quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut et conglorificemur. *Rom.* 8, 17. — Bonum certamen certavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex 2. *Tim.* 4, 8. — *Vide plura*, *verbo* Meritum, *verbo* Arbitrium liberum, *verbo* Gratia *et verbo* Acceptio personarum. *Vide etiam hìc suprà, cap.* 31.

CAPUT XXXVII.

Specialis amor Dei ergà fideles, prædestinatos et justos.

In die illâ vinea meri cantabit ei : ego Dominus, qui servo eam, repentè propinabo ei; ne fortè visitetur contrà eam, nocte et die servo eam. Indignatio non est mihi; quis dabit me spinam et veprem in prælio? gradiar super eam, succendam eam pariter? an potiùs tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi? *Isa.* 27, 2. — Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. *Isa.* 40, 11.— Audite me, domus Jacob, et omne residuum domûs Israel : qui portamini à meo utero, qui gestamini à meâ vulvâ, usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo : ego feci et ego feram, ego portabo et salvabo. *Isa.* 46, 3. — Si filius honorabilis mihi Ephraïm, si puer delicatus, quia ex quo sum locutus de ipso, adhùc recordabor ejus : idcircò conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor ejus, ait Dominus. *Hier.* 31, 20. — Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter, servans semitas justitiæ, et vias sanctorum custodiens. *Prov.* 2, 7. — Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloriâ ero in medio ejus. *Zach.* 2, 5. — Aliquotiès usquè ad mortem periclitatus sum horum causâ, et liberatus sum gratiâ Dei. Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur; spes enim illorum in salvantem eos, et oculi Dei in diligentes se. *Eccl.* 34, 13. — Si non est offensio populi hujus coràm Deo suo, non poterimus resistere illis; quoniam Deus illorum defendet illos, et erimus opprobrium universæ terræ. *Judith,* 5, 25. — Ubicumque ingressi sunt sine arcu et sagittâ, et absque scuto et gladio, Deus eorum pro eis pugnavit et vicit; et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quandò recessit à cultu Domini Dei sui. *Judith* 5, 16. — Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! *Ps.* 72, 1. — Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum. *Psal.* 33, 15, 16. — Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum suam malignis, donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo. Qui oderunt te induentur confusione, et tabernaculum impiorum non subsistet. *Job.* 8, 20 — *Vide verbo* Justitia.

CAPUT XXXVIII.

Prædestinationis certitudo.

Oves meæ vocem meam audiunt, et non peribunt in æternùm, et non rapiet eas quisquam de manu meâ. *Joan.* 10, 27. — Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : cognovit Dominus qui sunt ejus. 2 *Tim.* 2, 19. — Ut ostenderet divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. *Rom.* 9. 23. — Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. *Rom.* 8, 35, 36. — Certus enim sum quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Ibid.* 38. —*Vide verbo* Fiducia justorum, *et verbo* Impiorum præsumptio.

CAPUT XXXIX.

Liber vitæ.

Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Luc* 10, 20. — Recedentes à te in terrâ scribentur. *Hier.* 17, 13. — Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. *Psal.* 68, 29. — Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur. *Psal.* 138, 15. — Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro quem scripsisti. *Exod.* 32, 32. — Qui peccaverit, delebo eum de libro meo. *Ibid.* — Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis. *Rom.* 9, 3.

CAPUT XL.

Reprobationis positivæ causæ et effectus.

Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. *Sap.* 1, 13. — Nolo mortem peccatoris, sed ut magìs convertatur et vivat. *Ezech.* 18, 32. — Perditio tua, Israel, tantummodò in me auxilium tuum. *Oseæ* 13, 9. — Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potiùs quàm creatori : propterea tradidit illos Deus in passione ignominiæ. *Rom.* 1, 25. — Sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum. *Ibid.* 16. — Eo quod charitatem veritatis non receperunt

ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris. 2 *Thess.* 2, 10. — Durâ cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. *Act.* 7, 51. — Vocavi, et renuistis. *Prov.* 1, 24. — Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! *Matth.* 23, 37. — Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Psal.* 94, 8. — Ira et indignatio in omnem animam hominis operantis malum. *Rom.* 2, 9. — Discedite à me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. *Matth.* 25, 41.

CAPUT XLI.

Reprobationis negativæ causæ et effectus.

Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors. *Rom.* 5, 12. — Per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi. *Rom.* 5, 19. — Cùm nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex voluntate dictum est ei : quia major serviet minori; sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. *Rom.* 9, 11. — Cujus vult miseretur, et quem vult indurat. *Ibid.* 18. — An non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? *Ibid.* 21. — Deus in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. *Act.* 14, 15. — Fracti sunt rami propter incredulitatem. *Rom.* 2, 20. — Deus non odit Esaü hominem, sed Esaü peccatorem. *S. August. lib.* 1, *ad Simplicia*, 9, 2. — Quibus Deus misericordiam non impertitur, ut non impertiatur merentur. *S. August. epist.* 105; *vide suprà, cap.* 35.

CAPUT XLII.

Numerus electorum exiguus quidem respectu omnium reproborum, nihilominùs absolutè magnus.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. *Matth.* 20, 16. — Lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui ambulant per eam. *Matth.* 7, 13. — Quàm angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! *Matth.* 7, 14. — Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare et non poterunt. *Luc.* 13, 24. — Nescitis quòd ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt; sed unus accipit bravium? 1 *Cor.* 9, 24. — Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet : et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. 1 *Cor.* 9, 25. — Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel. *Isa.* 17, 6. — In die illâ erit Dominus exercituum corona gloriæ et sertum exultationis residuo populi sui. *Isa.* 28, 5. — Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum. 1 *Regum* 25, 29. — Domine, à paucis de terrâ divide eos. *Psal.* 26, 14. — Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit. *Amos* 9, 6. — Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* 12, 32. — Ab oriente portæ tres, et ab occasu portæ tres. *Apoc.* 21, 13. — Venient ab oriente, et occidente, et aquilone, et austro, et accumbent in regno Dei. *Luc.* 13, 29. — Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis, et linguis stantes antè thronum, et in conspectu agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. *Apoc.* 7, 9. — Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam. *Hebr.* 12, 22. — Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. *Dan.* 7, 10. — Numquid est numerus militum ejus? et super quem non urget lumen illius? *Job.* 25, 3. — Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini. *Psal.* 121, 4.

Pars ij.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

De hoc mysterio scripsit magister sententiarum cum scholasticis *in* 1 *dist.* II. S. Thomas 1, *p. q.* 27 *et sequentibus.* De eodem etiam S. Augustinus edidit libros quindecim; S. Hilarius, duodecim; Richardus Victorinus, sex; Boetius, duo. Scripturæ divinæ documenta, quibus mysterium hoc declaratur, ad sequentia capita congruè videntur posse revocari.

CAPUT PRIMUM.

Trinitas Personarum in unitate naturæ.

Dixit Deus : faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. *Gen.* 1, 26. — Et dixit Deus : ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. *Gen.* 3, 22. — Dixit Dominus : venite, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum. *Gen.* 11, 7. — Apparuit Dominus Abrahæ in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei. Cùmque elevâsset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, etc. *Gen.* 18, 1. — Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo. *Gen.* 19, 24. — Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Psal.* 32, 6. — Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus ; et metuant eum omnes fines terræ. *Psal.* 66, 8. — Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloriâ ejus. *Isa.* 6, 3. — Dicit Dominus : salvabo eos in Domino Deo suo. *Oseæ* 1, 7. — Dixit Dominus ad Satan : increpet Dominus in te, Satan, et increpet Dominus in te. *Zach.* 3, 2. — Et aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matth.* 3, 16; *Marc.* 1, 10; *Luc.* 3, 22. — Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. *Matth.* 28, 19. — Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideòque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. *Luc.* 1, 35. — Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. *Joan.* 14, 15. — Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. *Joan.* 15, 26. — Dextera igitur Dei exaltatus Jesus, et promissione Spiritûs sancti acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis. *Act.* 2, 33. — Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Spiritûs sancti sit cum omnibus vobis. 2 *Cor.* 13, 13. — Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. *Galat.* 4, 6. — Habemus accessum ad Patrem per Filium in uno Spiritu. *Ephes.* 2, 18. — Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrâ nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari, per Spiritum ejus in interiore homine. *Ephes.* 3, 14. — Electis secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritûs, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi. 1 *Petr.* 1, 2. — In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis : quoniam de Spiritu suo dedit nobis, et nos videmus et testificamur; quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi. 1 *Joan.* 4, 13. — Et Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt. 1 *Joan.* 5, 6. — In Spiritu sancto orantes vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi. *Judæ* 1, 20.

CAPUT II.

Pater est verus Deus.

Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. *Joan.* 20, 17. — Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. *Joan.* 17, 3. — Et Verbum erat apud Deum. *Joan.* 1, 1. — *Vide plura, verbo* Unitas Dei, *part.* 1, *cap.* 4; *et hìc, cap.* 2, *numero* 12 *et sequentibus.*

CAPUT III.

Filius verus est Deus, æterno patri consubstantialis.

Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te. *Psal.* 2, 7. — Dixit Dominus Domino meo : sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum ; ex utero antè Luciferum genui te. *Psal.* 109, 1, 2, 4. — Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen Emmanuel. *Isa.* 9, 14. — Parvulus natus est nobis, et filius natus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. *Isa.* 9, 6. — Deus ipse veniet et salvabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. *Isa.* 35, 4. — Hæc dicit Dominus: labor Ægypti et negotiatio Æthyopiæ, et Sabaïm viri sublimes ad te transibunt et tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent, et te adorabunt teque deprecabuntur ; tantùm in te est Deus et non est absque te Deus. Verò tu es Deus absconditus, Deus Israel et salvator. *Isa.* 45, 14 *et seq.* — Ecce dies veniunt, dicit dominus, et suscitabo David germen justum; hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus justus noster. *Jer.* 23, 5. —Hic est deus noster, et non æstimabitur alius adversùs eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. *Baruch* 3, 36. — Baptizatus Jesus confestim ascendit de aquâ. Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se; et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matth.* 3, 16. — Petrus dixit : Tu es Christus filius Dei vivi. *Matth.* 16, 16. — In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. *Joan.* 1, 1. — Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, *Joan.* 3, 16.— Judæi quærebant Christum interficere, quia non solùm solvebat sabbathum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. *Joan.* 5, 18. — Antequàm Abraham fieret, ego sum. *Joan.* 8, 58. — Ego et Pater unum sumus. *Joan.* 10, 30. — Creditis in Deum, et in me credite. *Joan.* 14, 1. — Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. *Joan.* 16, 15. —Thomas dixit Christo : Dominus meus et Deus meus. *Joan.* 20, 29. —Vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Act.* 20, 28. — Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. *Rom.* 9, 5. — Non ab homine accepi Evangelium neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. *Galat.* 1, 12. — Christus, cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. *Philip.* 2. 6. — In ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est antè omnes, et omnia in ipso constant. *Coloss.* 1, 16. — Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus : cui enim dixit aliquandò angelorum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te ? *Hebr.* 1, 3, 5. — In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam pro nobis posuit. 1. *Joan.* 3, 16. — Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. Et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna. 1 *Joan.* 5, 7, 20. — Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem. *Apoc.* 4, 8, 11,—Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, et rex regum. *Apoc.* 17, 14.

CAPUT IV.

Spiritus sanctus verus Deus est, Patri et filio consubstantialis.

Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam, dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel, dominator hominum. 2 *Reg.* 23, 2. — Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. *Matth.*

28, 19. Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto ? non es mentitus hominibus, sed Deo. *Act.* 5, 3 et 4. — Nescitis quia templum Dei estis ? et Spiritus Dei habitat in vobis; si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 1. *Cor.* 3, 16. — An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est? glorificate et portate Deum in corpore vestro. 1 *Cor.* 6, 19 et 20. — Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. 2 *Petr.* 1, 21. — Multifariàm multisque modis olim loquens Deus in prophetis. *Heb.* 1, 1. — Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. *Act.* 10,28.

CAPUT V.

Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit.

Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, qui à Patre procedit. *Joan.* 15, 26. — Ille (Spiritus sanctus) me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. *Joan.* 16, 14. — Insufflavit (Jesus) et dicit eis: accipite Spiritum sanctum. *Joan.* 20, 22. — Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Rom.* 8, 8. — Omnia quæ habet Pater mea sunt. *Joan.* 16, 14. (*Exceptâ paternitate, ut exponit S. Augustinus. Pater autem habet potentiam spirandi ; ergò et Filius.*) — *Vide plura capite sequenti.*

CAPUT VI.

Æqualitas, missio et operatio Personarum.

Quæcunque Pater facit, hæc et Filius similiter faciet. *Joan.* 5, 19. — Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. *Galat.* 4, 4.—Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? 1 *Cor.* 3, 10. — Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. *Joan.* 7, 16. — Cùm tradent vos, nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini: non enim estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. *Matt.* 10, 19, 20. — Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. *Rom.* 8, 16. — Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis ; et non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium ; et sicut docuit vos, manete in eo. 1 *Joan.* 2, 27. — Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum. Et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent , et præcepta mea custodiant , faciantque ea, ut sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. *Ezech.* 2, 19 , 20. Et erit post hæc : effundam Spiritum meum super omnem carnem , et prophetabunt filii vestri , et filiæ vestræ , senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. *Joel* 2, 28, 29. — Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. 1 *Cor.* 12, 4. — Fructus Spiritus est : charitas, gaudium, pax , patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Gal.* 5, 22, 23. — Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini. *Isa.* 11, 2, 3.

Pars iij.

DE DEO, UT CAUSA EFFICIENS EST OMNIUM CREATURARUM, ET DE HARUM PRÆCIPUIS UNIVERSIM AC SPECIATIM.

Allata hactenùs sacræ paginæ documenta sunt de Deo, quatenùs unus est in essentiâ, et trinus in personis. Adducenda deinceps sunt de Deo, quatenùs est autor et gubernator creaturarum omnium ac generis humani redemptor; simul etiam de ipsis creaturis, quarum aliæ spirituales sunt, ut angeli; aliæ corporales, ut opera pleraque sex dierum; aliæ mixtæ, et spiritu et corpore, ut homines.

CAPUT PRIMUM.

Deus ut creator.

In principio creavit Deus cœlum et terram. *Gen.* 1, 1. Fiat lux. *Ibid.* 3, *et reliqua sex dierum opera descripta ibidem, usque ad versum* 39. — Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valdè bona. *Gen.* 1, 31. — Cuncta fecit bona in tempore suo. *Eccl.* 3, 2. — Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. *Joan.* 1, 3. — Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt. *Act.* 4, 24. — Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. *Rom.* 11, 36. — Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repentè præcipitas me? Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. *Job.* 10, 8, 9. — Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus; Dominus exercituum nomen meum. *Isa.* 51, 15. — Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum; lunam et stellas, quæ tu fundâsti. *Ps.* 8, 4. — Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum; qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis cervorum invocantibus eum. *Ps.* 146, 8, 9. — Pater meus usque modò operatur, et ego operor. *Joan.* 5, 17. — Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *Jacob.* 1, 17.

CAPUT II.

Opera Dei perfecta et summâ sapientiâ condita.

Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum; non possumus eis quidquam addere, nec auferre iis; quæ fecit Deus, ut timeatur. *Eccl.* 3, 14. — Non est minuere, neque adjicere, neque invenire magnalia Dei. *Eccl.* 18, 50. — Omnia in mensurâ, et numero, et pondere disposuisti. *Sap.* 11, 21. — Dominus sapientiâ fundavit terram, cœlos prudentiâ stabilivit. Sapientiâ illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt. *Prov.* 3, 19, 20. — Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientiâ fecisti; impleta est terra possessione tuâ. *Ps.* 103, 24. — Omnis sapientia à Domino Deo est, et fuit cum illo semper, et est antè ævum. Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, et numeravit, et dimensus est. *Eccl.* 11, 4, 9.

CAPUT III.

Deus ut gubernator et conservator rerum omnium.

Solvat manum suam, et succidat me. *Job.* 6, 9. — Hoc, quod continet omnia, scientiam habet vobis. *Sap.* 1, 7. — Quomodò posset aliquid permanere nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset conservaretur? *Sap.* 11, 26. — In ipso vivimus, et movemur, et sumus. *Act.* 17. — Omnia in ipso constant. *Coloss.* 1, 17. — Portans omnia verbo virtutis suæ. *Heb.* 1, 3. — Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. *Ps.* 126, 2. — Fornacem custodiens in operibus ardoris: tripliciter sol exurens montes radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis obcœcat oculos. *Eccl.* 43, 4. — Ordinatione tuâ perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi. *Psal.* 138, 91.

CAPUT IV.

Deus ut cooperator et adjutor.

Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed omnis nostra sufficientia ex Deo est. 2 *Cor.* 3, 5. — Sine me nihil potestis facere. *Joan.* 15, 25. — Deus est qui operatur in vobis velle et perficere. *Phil.* 2, 13. — Deus noster refugium et virtus, adjutor tribulationibus. *Psal.* 45, 1. — Deus adjutor noster in æternum. *Ps.* 41, 9.

CAPUT V.

Deus ut salvator et redemptor.

Deus, in nomine tuo salvum me fac. *Ps.* 51, 1. — Nam et ipse Deus meus, et salvator meus. *Ps.* 61, 3. — Ecce Deus salvator meus. *Isa.* 12, 2. — Deus ipse veniet et salvabit nos. *Isa.* 36, 7. Verè in Domino Deo nostra salus. *Jerem.* 3, 23. — *Vide plura verbo* Christus, et *verbo* Gratia.

CAPUT VI.

Angelorum productio, natura, et functio.

In ipso condita sunt universa in cœlis et terrâ, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes. *Coloss.* 1, 16. — Tu signaculum similitudinis plenus sapientiâ et decore. *Ezech.* 28, 12. — In nocte illâ venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. 4 *Reg.* 19, 35. — Cùm invenit Agar angelus Domini, dixit ad illam: Agar, ancilla Saraï, undè venis? et quò vadis? Quæ respondit: à facie Saraï dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei ange-

lus Domini : revertere ad dominam tuam, et humilia te sub manu illius; multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine. *Gen.* 17, 7. — Protinùs aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in viâ, evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. *Num.* 22, 31. — Cùm autem esset Josue in agro urbis Jericho, vidit virum stantem contrà se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : noster es, an adversariorum ? Qui respondit : nequaquam, sed sum princeps exercitûs Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait : quid Dominus meus loquitur ad servum suum ? *Josue* 5, 13. — Benedicite Domino, omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. *Psal.* 102, 20. — Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. *Ps.* 103, 4. — Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. *Ps.* 148, 2. — Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. *Dan.* 7, 10. — Ego sum Raphael, angelus unus ex septem qui adstamus antè Dominum. Cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. Tempus est ergò ut revertar ad eum qui me misit. Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultrà eum videre non potuerunt. *Tob.* 12, 15, 18, 19 et 21.— Mense sexto missus et angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph. *Luc.* 1, 26. — Ecce angelus Domini stetit juxtà pastores, et charitas Dei circumfulsit illos, et dixit illis angelus : Ecce, evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodiè salvator. Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum et dicentium : gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis ! *Luc.* 2, 9. — Ad quem autem angelorum dixit aliquandò : sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ? Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis? *Heb.* 1, 13. — Accessistis ad multorum millium angelorum frequentiam. *Heb.* 12, 22. — Profectus est Christus in cœlum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus. 1 *Pet.* 3, 22. — Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, etseniorum; et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magnâ: dignus est Agnus, etc. *Apoc.* 5, 11.

CAPUT VII.

Hierarchia angelorum.

Collocavit Deus antè paradisum voluptatis cherubim et flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. *Gen.* 3, 24. — Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri; duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum ! *Isa.* 6, 1. — Michael, unus de principibus primis, venit in adjutorium meum. *Dan.* 10, 13. — Deus Pater suscitavit Christum à mortuis, constituens ad dexteram suam in cœlestibus suprà omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. *Ephes.* 1, 20. — In ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt. *Coloss.* 1, 16. — Profectus in cœlum, subjectis tibi angelis, et potestatibus et virtutibus. 1 *Petr.* 3, 22. — Cùm Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, etc. *Judæ*, 9.

CAPUT VIII.

Angeli Deo obediunt, homines custodiunt, dæmones pellunt.

Benedicite Domino omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus; ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. *Ps.* 102, 20 et 21. — Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi, euntes et revertentes, et non transibit super eos ultrà exactor. *Zach.* 9, 8. — Præcedet te angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum. *Exod.* 23, 23.—Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. *Ps.* 33, 8. — Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. *Ps.* 90, 11 et 12. — Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; angeli enim eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.

Matt. 10, 10. — Angelus meus vobiscum est. *Baruch.* 6, 6 — Angelus ejus est. *Act.* 12, 15. — Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis. *Hebr.* 1, 14. — Et factum est prælium magnum in cœlo : Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone, et draco pugnabat; et angeli ejus non valuerunt, neque locus inventus est eorum ampliùs in cœlo; et projectus est draco, ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. *Apoc.* 12, 7, 8, 9, 10. — Eccè ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in viâ, et introducat in locum quem præparavi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes; quia non dimittet cùm peccaveris, et est nomen meum in illo. Quòd si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. *Exod.* 23, 20, 21, 22.

CAPUT IX.

Invocantur licitè et honorantur.

Eccè vir luctabatur cum Jacob usque mane, dixitque ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. *Gen.* 32, 24. — Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum. *Gen.* 48, 16. — Protinùs aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in viâ, evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. *Num.* 22, 31. — Cùm esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contrà se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquàm, sed sum princeps exercitûs Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim in quo stas sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum. *Josue* 5, 13, 14 et 15. — Porrò Angelus Domini stabat juxtà aream Ornam Jebusæi. Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cœlum et terram, et evaginatum gladium in manibus ejus; et versum contrà Jerusalem. Et ceciderunt tanquàm majores natu, vestiti ciliciis, proni in terram. 1 *Paralip.* 21, 16 et 17. — Voca ergò, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere. *Job.* 5, 1. — Jacob in utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine suà directus est cum angelo; et invaluit ad angelum, et confortatus est, flevit, et rogavit eum : in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum. *Oseæ* 12, 3. — Respondit angelus Domini, et dixit : Domine exercituum, usquequò tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. *Zach.* 1, 12. — Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes. *Tob.* 10, 11. — Dixit angelus ad Tobiam : Quandò orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob.* 12, 12. — Gaudium erit coràm angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Luc.* 15, 10. — Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ. Et alius angelus venit, et stetit antè altare habens thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est antè thronum Dei; et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coràm Deo. *Apoc.* 8, 2, 3, 4.

CAPUT X.

Angelorum malorum peccatum et pœnæ.

Ipse est principium viarum Dei. *Job,* 40, 14. — In deliciis paradisi Dei fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum. *Ezech.* 28, 13. — Traxit secum tertiam partem stellarum. *Apoc.* 12, 4. — Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. 2 *Petr.* 2, 4. — Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed deseruerunt suum domicilium, in judicium magni dici vinculis æternis sub caligine reservavit. *Judæ,* 6. — Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. *Luc.* 10, 18. — Quomodò cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. *Isa.* 14, 12. — Eccè qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. *Job,* 4. 18. — Diabolus, qui seducebat illos, missus est in stagnum ignis et sulphuris. *Apoc.* 20, 9.

CAPUT XI.

Sunt superbi, invidi, impuri, mendaces.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. *Matth.* 4, 9. — Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ. *Job,* 41, 25. — Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt

ex parte illius. *Sap.* 2, 24. — Deprecabantur eum spiritus dicentes : Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. *Marc.* 5, 12. — Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, etc. *Matth.* 12, 43. — Sub umbrâ dormit in secreto calami, et in locis humentibus. *Job.* 40, 16. — Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo : cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. *Joan.* 8, 44. — Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus, et dixit Dominus : Decipies et prævalebis; egredere et fac ità. 3 *Reg.* 22, 22. — Duxit illum (Christum) diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa; tu ergò si adoraveris coràm me, erunt tua omnia. *Luc.* 4, v. 5, 6, 7. — Numquid Job frustrà timet Deum? nonnè tu vallàsti eum ac domum ejus universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti et possessio ejus crevit in terrâ? sed extende paululùm manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Cui (Deo scilicet) respondens Satan ait : pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro animâ suâ. *Job.* 1, 10, 11. — Nequaquàm moriemini : scit enim Deus quòd in quâcumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri ; et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. *Gen.* 3, v. 4, 5.

CAPUT XII.

Nocent Ecclesiæ, ejusque filiis fidelibus, quoad possunt.

Draco stetit antè mulierem quæ erat paritura, ut, cum peperisset, filium ejus devoraret. *Apoc.* 12, 4. — Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet, et postquàm vidit draco quòd projectus esset in terram, persecutus est mulierem quæ peperit masculum. *Apoc.* 12, 12. — Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam, tanquàm flumen, ut eam faceret trahi à flumine. *Ibid.* 12, 15. — Ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem. 2 *Tim.* 2, 26. — Et iratus est draco in mulierem, et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata ejus et habent testimonium Jesu Christi *Apoc.* 12, 17. — Adversarius vester diabolus tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem devoret. 1 *Petr.* 5, 8. — Dæmon Christum de tribus tentat, de gulâ, superbiâ et avaritiâ, seu cupidate rerum terrenarum. *Matth.* 4. — Diabolus misit in cor Judæ ut traderet Christum. *Joan.* 13, 2. — Eccè missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem. *Apoc.* 2, 10. — Volumus venire ad vos : ego quidem Paulus, et semel, et iterùm, sed impedivit nos Satanas. 1 *Thess.* 2, 18. — Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritu sancto, et fraudare de pretio agri? *Act.* 5, 3. — Venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. *Luc*, 8, 12. — Cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ità ut nemo posset transire per viam illam. *Matth.* 8, 28. — Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum, stantem coràm angelo Domini : et Satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei. *Zach.* 3, 1. — Circuivi terram, et perambulavi eam. *Job.* 1, 7. — Egressus Satan à facie Domini percussit Job ulcere pessimo, à plantâ pedis usquè ad verticem ejus, qui testâ saniem radebat, sedens in sterquilinio. *Job.* 2, 7, 8. — Consurrexit Satan contrà Israel, et concitavit David, ut numeraret Israel. 1 *Paralip.* 21, 1. — Eccè Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. *Luc.* 22, 31. — Et vos cùm essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquandò ambulàstis, secundum seculum mundi hujus, Spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. *Ephes.* 2, 1, 2. — Serpens dicit ad mulierem : Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? *Gen.* 3, 1.

CAPUT XIII.

Infidelium conversionem impediunt, decipiunt specie boni et veri; quantumvis potentes sunt, non tamen nocere possunt, nisi Deo permittente.

Quòd si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum : in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2 *Cor.* 4, 3, 4. — Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. 2. *Corinth.* 11, 14. — Si filius Dei es, mitte te deorsùm ; scriptum est enim quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. *Matt.* 4, 6. — Eccè equus

niger; et qui sedebat super illum habebat stateram in manu suâ. *Apoc.* 6, 5. — Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. *Job,* 14, 24. — Tu commovisti me adversùs eum, ut affligerem eum frustrà. *Job*, 2, 3. — Et dixit Dominus ad Satan : Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Dominus in te, qui elegit Hierusalem. Numquid non iste fortis est erutus de igne? *Zach.* 3, 2. — Vinum et oleum ne læseris. *Apoc.* 6, 6. — Animam illius serva. *Job,* 2, 6. — Dixit Dominus ad Satan : Ecce, universa quæ habet, in manu tuâ sunt; tantùm in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à facie Domini. *Job*, 1, 12.— Extende paululùm manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. *Job*, 1, 11. — Erat ibi grex porcorum multorum pascentium in monte : et rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi; permisit eis. *Luc.* 8, 32. — Rogabant illum ne imperaret illis, ut in abyssum irent. *Luc.* 8, 33.

CAPUT XIV.

Signa edunt, et seducunt multos, per se, et suos ministros. Instrumenta Dei sunt, ad impios puniendos.

Cujus est adventus secundùm operationem Satanæ in omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus, ut in omni seductione iniquitatis, in iis, qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. 2 *Thess.* 2, 9, 10. — Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ità ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. *Matth.* 24, 24. — Dedit illi draco virtutem et potestatem magnam. *Apoc.* 13, 2. — Feceruntque similiter venefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes tàm in hominibus quàm in jumentis. *Exod.* 8, 18. — Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, in furore suo confirmaverunt tormenta sua; in tempore consummationis effundent virtutem, et furorem ejus qui fecit illos placabunt. *Eccl.* 39, 33, 34. — Audio quia tradita est septem viris, et mortui sunt; sed et hoc audivi quia dæmonium occidit illos. *Tob.* 6, 14. — Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem et iram et tribulationem, immissiones per angelos malos. *Psal.* 77, 54.

CAPUT XV.

Hominis productio, et natura quoad corpus.

Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ. *Gen.* 2, 7. — Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis et cinis. *Gen.* 18, 27. — Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repentè præcipitas me? memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. *Job*, 10, 8, 9. — Recordatus est quia caro sunt; spiritus vadens et non rediens. *Psal.* 77, 39. — Væ qui contradicit fictori suo! testa de samiis terræ; numquid dicit lutum figulo : Quid facis, et opus tuum absque manibus est? *Isa.* 41, 6, 7, 8. — Vox dicentis : Clama; et dixi : Quid clamabo? omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum et cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo; verè fœnum est populus, exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, verbum autem Domini nostri manet in æternum. *Isa.* 60, 6, 7, 8. — Nonnè sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulàsti? pelle et carnibus vestìsti me, ossibus et nervis compegisti me. *Job,* 10, 11. — Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2 *Cor.* 5, 1. — Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. 2 *Cor.* 4, 7. — Eccè vos estis ex nihilo. *Isa.* 41, 42. — Quid superbit terra et cinis? *Eccl.* 10, 9. — Ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut fœnum dies ejus, tanquàm flos agri sic efflorebit. *Psal.* 102, 14, 15. — Contrà folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam et stipulam siccam persequeris. *Job*, 13, 25.

CAPUT XVI.

Fragilitas hominis et mortalitas quantùm attinet ad corpus.

Quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquàm in eodem statu permanet. *Job,* 14, 2. — Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat; vespere decidat, induret et arescat. *Psal.* 89, 9.—Unus introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. *Sap.* 7, 6.—Nec omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. *Eccl.* 17, 29.—Deus creavit de terrâ hominem, et secundùm imaginem suam fecit illum. Et iterùm convertit illum in ipsam, et secundùm se vestivit illum virtute,

Eccl. 17, 1, 2. — Omnia quæ de terrâ sunt in terram convertentur : sic impii à maledicto in perditionem. *Eccl.* 41, 13. — Quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tineâ? *Job*, 4, 19. — Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur. *Job*, 34, 15.— In sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de quâ sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris. *Gen.* 3, 19. — Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet ampliùs locum suum. *Psal.* 102, 16. — Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur à tineâ. *Job*, 13, 12.

CAPUT XVII.

Immortalitas hominis ac dignitas quoad animam.

Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori. Et æstimata est afflictio exitus illorum, et quod à nobis est iter, exterminium ; illi autem sunt in pace. Et si coràm hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. *Sap.* 3, 1, 2, 3, 4 — Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. *Matth.* 10, 28. — Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. *Gen.* 1, 26. — Hæc cogitaverunt et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum, et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraveruut justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. *Sap.* 2, 21, 22.— Quid prodest homini mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ ? *Matth.* 16, 26.

CAPUT XVIII.

Status hominis antè et post lapsum.

Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum : creavit enim, ut essent omnia. Et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terrâ. Justitia enim perpetua est, et immortalis. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam ; et existimantes illam amicam defluxerunt, et sponsiones posuerunt ad illam : quoniam digni sunt qui sint ex parte illius. *Sap.* 1, 13, 14, 15, 16. — Deus creavit hominem exterminabilem et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. *Sap.* 2, 23.—Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. *Sap.* 2, 24, 25. — Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. *Eccl.* 8, 8. — Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. *Job*, 30, 23. — Omnes morimur et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur ; nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitùs pereat qui abjectus est. 2 *Reg.* 14, 14. -- Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. *Hebr.* 9, 27. — Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam : melior est canis vivus leone mortuo. *Eccl.* 9, 4. — Quis est homo qui vivet et non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi. *Ps.* 88, 49. — Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. *Job*, 14, 5. — Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur : et hominem ergò similiter perdes. *Job*, 14, 18, 19.

CAPUT XIX.

Variæ hominis miseriæ quoad corpus et animam.

Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. *Job*, 5, 7. — Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies ejus. *Job*, 7, 1. — Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. *Job*, 14, 1. — Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit : et hoc nonne vanitas est ? *Eccl.* 2, 23. — Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, usquè in diem sepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, et timores cordis, adinventio exspectationis, et dies finitionis, à residente super sedem gloriosam usquè ad humiliatum in terrâ et cinere. *Eccl.* 40, 1, 2, 3.

CAPUT XX.

Hominis ignorantia.

Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio : quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio. *Eccl.* 8, 6, 7. — Ignorat homo quid antè se fuerit, et quid post se futurum sit quis ei poterit indicare ? *Eccl.* 10, 14. — Quomodò ignoras quæ sit via spiritûs, et quâ ratione compingantur ossa in ventre prægnantis ; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. *Eccl.*

11, 5. — Cogitationes mortalium timidæ, incertæ providentiæ nostræ. *Sap.* 9, 14. — Vidi casum in omnibus. *Eccl.* 9, 11.

CAPUT XXI.

Infirmitas ad bonum, ad malum propensio.

Nec omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. Quid lucidius sole? et hic deficiet; aut quid nequius quàm quæ excogitavit caro et sanguis? et hoc arguetur. Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit, et omnes homines terra et cinis. *Eccl.* 17, 29, 30, 31. — Videns Deus quòd multa malitia esset hominum in terrâ, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terrâ. *Gen.* 6, 5. — Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ: non igitur ultrà percutiam omnem animam viventem sicut feci. *Gen.* 8, 21. — Scio quia non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum: nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. *Rom.* 7, 18, 19. — Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem in lege peccati, quæ est in membris meis. *Rom.* 7, 23. — Mente servio legi Dei; carne autem legi peccati. *Rom.* 7, 25.

CAPUT XXII.

Quantulus sit homo respectu Dei.

Verè scio quòd ità sit, cò quòd non justificetur homo compositus Deo: si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille; si repentè interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: Cur ità facis? Deus cujus iræ resistere nemo potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergò sum ego ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? *Job*, 9, 2, 3, 12, 14. — Numquid Deo potest comparari homo, etiam cùm perfectæ fuerit scientiæ? *Job*, 22, 2. — Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus? quantò magis homo putredo et filius hominis vermis! *Job*, 25, 45. — Vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei. *Sap.* 13.

Pars iv.

MESSIAS, SIVE CHRISTUS, HUMANI GENERIS REPARATOR.

Infinita propemodùm sunt sacræ paginæ testimonia de Christo, mundi salvatore; ipse enim universæ Scripturæ finis et scopus est, Deus pariter atque homo *primogenitus omnis creaturæ*. *Coloss.* 1, 15. Venturus fuisset, ex multorum sententiâ, etiamsi Adam non peccâsset. Notitiæ igitur Divinitatis conjungenda est cognitio humanitatis Christi: ipsa enim est speculum omnis sanctitatis, in quo clarissimè relucet omnis perfectio, quæ ex consideratione Divinitatis et perfectionum divinarum colligi potest. Non omnia tamen encomia ipsius adduci hìc possunt; paucula tantùm, eaque selectiora, juxtà servatam hactenùs methodum afferentur. Reliqua differentur in locum opportuniorem. Tota Domini nostri vita ordinatè descripta videri potest in summâ Evangeliorum.

CAPUT PRIMUM.

Promissus orbi Messias.

Benedicentur in semine tuo omnes gentes. *Gen.* 22, 18. — Benedicentur in semine tuo cunctæ tribus terræ. *Gen.* 28, 14. — Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. *Gen.* 49, 10. — De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Ps.* 131, 11. — David propheta cùm esset, et sciret quia jurejurando jurâsset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, etc. *Act.* 2, 30. — Leo de tribu Judâ, radix David. *Apoc.* 5, 5. — Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem. *Rom.* 1, 3.

CAPUT II.

Incarnatio Christi prædicta à prophetis, et desiderata.

Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Isa.* 7, 14. —

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. *Gen.* 3, 13. — Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum. *Jerem.* 31, 22. — Descende sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram, *Ps.* 71, 6.— Utinàm disrumperes cœlos, et descenderes! *Isa.* 64, 1. — Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet salvatorem. *Isa.* 45, 8. — Osculetur me osculo oris sui. *Cant.* 1, 1. — Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te ? *Cant.* 8, 5. — Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. *Ps.* 84, 7.

CAPUT III.

Adventus Christi in carne passibili.

Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret : et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio. *Luc.* 2, 6. — Et Verbum caro factum est. *Joan.* 1, 14. — Qui factus est ex semine David secundùm carnem. *Rom.* 1, 3. — At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. *Gal.* 4, 4. — Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. *Philip.* 2, 6. — Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. 1 *Timoth.* 2, 5. — Quia ergò pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium. Nusquàm angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit, undè debuit per omnia fratribus similari. *Hebr.* 2, 14, 16. — Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. 1. *Petr.* 3, 18. — Christo igitur passo in carne. 1 *Petr.* 4, 1. — Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. *Joan.* 4, 2. — Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carne. 2 *Joan.* 1, 7.

CAPUT IV.

Christus est primogenitus, caput et princeps omnium creaturarum.

Est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. *Coloss.* 1, 15. — Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs et potestatis. *Coloss.* 2, 10. — Ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam. *Ephes.* 1, 22. — Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imò qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8, 34. — Crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus. *Ephes.* 4, 15. — Christus caput Ecclesiæ : ipse salvator corporis ejus. *Ephes.* 5, 23. — Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium. *Coloss.* 1, 18.

CAPUT V.

Christus etiam quà homo, fuit rex potentissimus et fortissimus.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. *Ps.* 2, 6. — Gratia vobis et pax à Jesu Christo, qui est princeps regum terræ. *Apoc.* 1, 5. — Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. *Apoc.* 19, 16. — Omnia mihi tradita sunt à patre meo. *Matth.* 11, 27. — Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. *Matth.* 28, 18. — Dedisti ei potestatem omnis carnis. *Joan.* 17, 2. — Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. *Joan.* 3, 35. — Omnia subjecit sub pedibus ejus. *Ephes.* 1, 21. — Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet, si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. *Luc.* 11, 21, 22. — Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. *Ps.* 44, 4. — Sagittæ tuæ acutæ : populi sub te cadent in corda inimicorum regis. *Psal.* 44, 7. — Quis suscitavit ab oriente justum, vocavit eum, ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus gentes et reges obtinebit; dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam, arcus ejus. *Isa.* 41, 2.

CAPUT VI.

Christi charitas, gratia, scientia, pulchritudo.

Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. *Joan.* 3, 34. — Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis. *Joan.* 1, 14. — Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. *Cant.* 2, 3. — Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. *Ephes.* 3, 19. — Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. 2 *Cor.* 5, 21. — Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. 1 *Petr.* 2, 22. — Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra

tolleret, et peccatum in eo non est. 1 *Joan.* 3, 5. — Et scient omnes ecclesiæ quia sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrùm secundùm opera sua. *Apoc.* 2, 23. Nunc scimus quia scis omnia, et non est opus tibi ut quis te interroget : in hoc credimus, quia à Deo existi. *Joan.* 16, 30. — Domine, tu omnia nôsti, tu scis quia amo te. *Joan.* 21, 17. — Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobriè et justè et piè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi. *Tit.* 2, 11, 12, 13. — Speciosus formâ præ filiis hominum. *Psal.* 44, 3. — Diffusa est gratia in labiis tuis. *Psal.* 44, 3. — Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius. *Luc.* 4, 22. — Nunquàm sic locutus est homo sicut hic homo. *Joan.* 7, 46. — Guttur illius suavissimum. *Cant.* 5, 16.

CAPUT VII.

Christi paupertas voluntaria.

Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Matth.* 8, 20. — Expectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis, quarè quasi colonus futurus es in terrâ, et quasi viator declinans ad manendum? quarè futurus es velut vir vagus, ut fortis, qui non potest salvare. *Jer.* 14, 9. — Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. 2 *Cor.* 8, 9. — Pauper sum ego, et in laboribus à juventute meâ, exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus. *Psal.* 87, 16. — Non erat ei locus in diversorio. *Luc.* 2, 7.

CAPUT VIII.

Christus sacerdos, pontifex et mediator Dei et hominum.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. *Psal.* 109, 4. — Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus tu es, ego hodiè genui te. *Hebr.* 5, 5. — Hinc apparuit Christus D. Joanni vestitus podere. *Apoc.* 1, 13. — Talem habemus pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister; omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur, undè necesse est hunc habere quod offerat. *Hebr.* 8, 3. — Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. *Ephes.* 5, 2. — Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1 *Tit.* 2, 5. — Omnia autem ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum. 2 *Cor.* 5, 18. — Ideò novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis. *Hebr.* 9, 10. — Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. *Hebr.* 9, 28.

CAPUT IX.

Passionis amor, et obedientia Christi consummata.

Baptismo habeo baptizari : et quomodò coarctor usquè dùm perficiatur? *Luc.* 12, 50. — Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus. *Joan.* 4, 34. — Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum. *Matth.* 20, 22. — Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ. *Hebr.* 12, 2. — Ut quid enim Christus, cùm adhuc essemus infirmi, secundùm tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. *Rom.* 5, v. 6, 7, 8. — Et quidem cùm esset filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam, et consummatus. *Hebr.* 5, 8. *Vide infr. cap.* 11, 3. — Decebat eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare; qui enim sanctificat, et qui sanctificantur ex uno omnes; propter quam causam non confunditur fratres eos vocare. *Hebr.* 2, 10, 11. — Quia ergò pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destruere eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. *Hebr.* 14, 15. — Undè debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum ut repropitiaret delicta populi : in eo enim in quo passus est ipse et tentatur potens est eis qui tentantur auxiliari. *Hebr.* 2, 17, 18. — Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium,

terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris. *Philip.* 2, 8, 9, 10, 11.

CAPUT X.

Victoria crucis ac triumphus.

Expolians principatus et potestates traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso. *Coloss.* 2, 15. — Cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus; antè faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus antè pedes ejus. *Habac.* 3, v. 4, 5.—Et ego, si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum. *Joan.* 12, 32. — Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam : quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. 1 *Cor.* 23, 24, 25. — Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super numerum ejus. *Isa.* 9, 6. — Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructum ejus. *Cant.* 7, v. 8.—Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur; in scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est : et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. *Isa.* 53, 10, 11, 12. — Christo igitur passo in cruce, et vos eâdem cogitatione armamini; quia qui passus est in carne, desiit à peccatis, ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. 1. *Petr.* 4, 1, 2. — De plenitudine ejus omnes accepimus. *Joan.* 1, 16.

CAPUT XI.

Meritum et satisfactio Christi, atque omnium hominum redemptio.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum frumentum adfert. *Joan.* 12, 24. — Ego, si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. *Joan.* 12, 32. — Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causâ salutis æternæ. *Hebr.* 7, 27. — Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. *Rom.* 3, 24. — Habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis. *Ephes.* 1, 7. — Pro omnibus mortuus est Christus. 2 *Cor.* 6, 15. — Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1 *Tim.* 2, 6. — Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. 1. *Joan.* 2, 2. — Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos. *Ps.* 106, 2. — Apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio. *Ps.* 129, 7. — Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. 2 *Cor.* 5, 19. — In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, et remissionem peccatorum. *Coloss.* 1, 14. — In ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. *Coloss.* 1, 19 et 20. — Delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso. *Coloss.* 2, 14, 15.

CAPUT XII.

Sanguine suo Christus peccatores redemit, et peccata abluit gratis.

Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquandò eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. *Ephes.* 2, 13, 14, 15, 16. — Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi ignis immaculati Christi et incontaminati. 1 *Petr.* 1, 19. — Christus per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ. *Hebr.* 9, 12. — Hæc dicit Dominus : Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. *Isa.* 5, 2, 3. — Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. *Isa.* 44, 25. — Pro nihilo salvos facies illos. *Ps.* 55, 6. Et vos cùm mortui essetis delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit

cum illo, donans vobis omnia delicta. *Coloss.* 2, 13.

CAPUT XIII.

Christus constitutus à Deo judex vivorum et mortuorum.

Ego sum A et O, principium et finis, dicit Dominus qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens. *Apoc.* 1, 8. — Omnes stabimus antè tribunal Christi, scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. *Rom.* 14, 10, 11. — Omnes manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5, 10. — Præcepit nobis prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est à Deo judex vivorum et mortuorum. *Act.* 10, 42. — Statuit diem in quâ judicaturus est orbem, in æquitate, in viro in quo statuit : fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. *Act.* 17, 31. — Judicium sedit, et libri aperti sunt. *Dan.* 7, 10. — Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, et usquè ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum. Et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient ; potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur. *Dan.* 7, 13, 14. — Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ et majestate. *Matth.* 24, 30. — Dico vobis : A modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. *Matth.* 26, 64. — Neque pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio. *Joan.* 5, 22.

CAPUT XIV.

Christi orbem judicaturi sententiæ nemo poterit resistere.

De ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat. *Apoc.* 1, 16; 19, 15. — Et posuit os meum quasi gladium acutum. *Isa.* 49, 2. — Reges eos in virgâ ferreâ et tanquàm vas figuli confringes eos. *Psal.* 2, 9. — Tu terribilis es, et quis resistet tibi? ex tunc ira tua. *Psal.* 75, 8. — Quis est iste pastor qui resistat vultui meo? *Jer.* 50, 44. — Omne quod voluerit faciet, et sermo illius plenus potestate est. Nec dicere ei potest quisquam : Quarè ità facis? *Eccl.* 8, 3, 4. — Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta, et quis avertat eam? *Isa.* 14, 27. — Vae desiderantibus diem Domini! ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ et non lux. Quomodò si fugiat vir à facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum et innitatur manu super parietem, et mordeat eum coluber. *Amos.* 5, 18, 19. — Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longè venientis? Ad cujus confugientis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram? *Isa.* 10, 3. — Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. *Job.* 9, 13.

CAPUT XV.

Jaculatoriæ laudantis Christum et amantis.

O splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris, portansque omnia verbo virtutis tuæ, purgationem peccatorum faciens, sedens ad dexteram majestatis in excelsis, tantò melior angelis effectus quantò differentius præ illis nomen hæreditâsti. *Hebr.* 1, 3. — O flos campi, ô lilium convallium! sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. *Cant.* 2, 13. — Pulchriores sunt oculi tui vino, et dentes tui lacte candidiores. *Gen.* 49, 11. — Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum. *Cant.* 5, 10. — O speciose forma præ filiis hominum! diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Ps.* 44, 3. — O imago Dei invisibilis, primogenite omnis creaturæ, in quo condita sunt universa in cœlis et in terrâ! O caput corporis Ecclesiæ, ô principium, ô primogenite ex mortuis, in omnibus primatum tenens, in quo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et pacificare per sanguinem crucis tuæ, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt! *Coloss.* 1, 15, 16. — Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. *Joan.* 6, 68. — Quis me separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom.* 6, 35, 36, 37. — Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quòd venisti, Jesu Christe, in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. 1 *Tim.* 1, 15.

CAPUT XVI.

Jaculatoriæ desiderantis ut regnum et gloria Christi propagentnr.

O quandò fiet regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in secula seculorum! *Apoc.* 11, 15. — Quandò erit salus et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus! *Apoc.* 12, 10.—Utinàm dominetur à mari usquè ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum! Coràm illo procidant Æthiopes, et inimici ejus terram lingant; reges Tharsis et Insulæ munera offerant; reges Arabum et Saba dona adducant. Et adorent eum omnes reges terræ, omnes gentes serviant ei. *Ps.* 77, 8, 9. — In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in glorià est Dei Patris. *Philip.* 2, 10.

Pars v.

MARIA VIRGO DEIPARA.

Quamvis complura ex Cantico canticorum et aliis veteris Testamenti libris in laudem beatissimæ Christi matris semper virginis Mariæ afferri solita testimonia à magnis auctoribus ad sponsam Christi Ecclesiam referantur, tamen ab ipsà Ecclesià clariùs ad princeps Ecclesiæ membrum, virginem Deiparam, accommodantur: imò quædam eorum ad aliam personam vix, ne ad Ecclesiam totam quidem, nisi ad beatissimam virginem Mariam possunt applicari. Nihil ergò moramur Lutherum et alios novatores adversùs Ecclesiam, quòd beatæ virgini ista accommodet, verbis contumeliosis insurgentem.

CAPUT PRIMUM.

Conceptio et nativitas immaculata B. virginis Deiparæ.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. *Cant.* 4, 7. — Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *Cant.* 2, 3. — Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. *Gen.* 3, 15. — Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. *Apoc.* 12, 1. — Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens? *Cant.* 6, 9. — O pulcherrima inter mulieres! *Cant.* 1, 8. — O pulcherrima mulierum! *Cant.* 5, 9. — Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! *Cant.* 4, 1. — Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem. *Cant.* 6, 3.

CAPUT II.

Deipara fuit virgo antè partum, quamvis desponsata viro.

Missus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph. *Luc.* 1 26. — Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. *Luc.* 1, 35. — Veni, Auster, et perfla hortum meum, et fluent aromata illius. *Cant.* 4, 16. — Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem. *Cant.* 1, 4. — Inventa est in utero habens de Spiritu sancto. *Matth.* 1, 18. — Quod in eà natum est, de Spiritu sancto est. *Matth.* 1, 20. — Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum. *Matth.* 1, 25. — Creavit Dominus novum super terram: fœmina circumdabit virum. *Jer.* 31, 22. — Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere. *Gal.* 4, 4.

CAPUT III.

Fuit etiam virgo in partu.

Tu es qui extraxisti me de ventre. *Ps.* 21, 10. — Eccè virgo concipiet et pariet filium. *Isa.* 7, 14. — Eccè tu pulchra es, amica mea; eccè tu pulchra es. *Cant.* 1, 15. — Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: pulchriora sunt ubera tua vino. *Cant.* 4, 10. — Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. *Cant.* 1, 9. — Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. *Cant.* 4,12. — Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. *Cant.* 7, 2.

CAPUT IV.

Deipara permansit virgo post partum.

Porta hæc clausa erit, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. *Ezech.* 44, 2; 46, 2, 12. — Quomodò fiet istud? quoniam virum non cognosco. *Luc.* 1, 34. — Eccè mater tua, eccè filius tuus. *Joan.* 19, 27. *(Quibus verbis matrem virginem virgini commendavit.)* — Una est columba mea. *Cant.* 6, 8. — En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel. *Cant.* 3, 7. — Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens? pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. *Cant.* 6, 9. — Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? *Cant.* 3, 6.

CAPUT V.

Fuit mater Christi Domini, veri Dei et hominis.

Erat mater Jesu ibi. *Joan.* 2, 1. — Undè hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? *Luc.* 1, 43. — Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. *Eccl.* 2, 4. — Simon dixit ad Mariam matrem ejus. *Luc.* 2, 34. — Accipe puerum et matrem ejus. *Matth.* 2, 13. — Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. *Luc.* 1, 35. — Eccè virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. *Matth.* 1, 23.

CAPUT VI.

Gratia excellens ac virtutes heroicæ virginis matris.

Sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. *Cant.* 6, v. 7, 8. — Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. *Ps.* 86, 1. — Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in virtute montium. *Isa.* 2, 2. — Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat. *Eccl.* 1, 7. — In plenitudine sanctorum detentio mea. *Eccl.* 24, 16. — Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. *Prov.* 31, 20. — Caput tuum ut Carmelus. *Cant.* 7, 5. — Ave, gratiâ plena. *Luc.* 1, 28. — Spiritus sanctus superveniet in te. *Luc.* 1, 35. — Fecit mihi magna qui potens est. *Luc.* 1, 49.

CAPUT VII.

Deiparæ virtutes sigillatim.

Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. *Luc.* 1, 45. — Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth. *Luc.* 1, 39. — Deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. *Joan.* 2, 3. — Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. *Luc.* 2, 42. — Ascendit Joseph in Bethleem, ut profiteretur cum Mariâ. *Luc.* 2, 4. — Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysis, tulerunt Jesum in Jerusalem. *Luc.* 2, 22. — Magnificat anima mea Dominum. *Luc.* 1, 46. — Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis. *Cant.* 4, 13. — Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. *Cant.* 6, 3. — Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! *Cant.* 7, 1. — Collum tuum sicut turris eburnea. *Cant.* 7, 3. — Statura tua assimilata est palmæ. *Cant.* 7, 7. — Eccè ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Luc.* 1, 38. — Erat mater Jesu ibi. *Joan.* 2, 1. — Stabat juxtà crucem Jesu mater ejus. *Joan.* 19, 25. — Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta, etc. *Apoc.* 12, 1. — In capite ejus corona stellarum duodecim. *Apoc.* 12, 1. — Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. *Eccl.* 24, 24. — Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion, etc. *Eccl.* 24, 17. — Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intùs in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. *Ps.* 44, 11, 15.

LIBER II.

DE FINE ULTIMO, ET MEDIIS EUM OBTINENDI.

Superiore libro sacræ Paginæ testimonia allata sunt : de Deo, quatenùs est unus in essentiâ, et trinus in personis; quatenùs est auctor omnium creaturarum; de Christo item Deo pariter ac homine, ac de sanctissimâ ipsius matre. Secundo hoc libro adducenda Scripturæ divinæ documenta sunt de Deo sub aliâ consideratione, quatenùs est finis ultimus et suprema beatitudo ad quam creati sumus; de mediis item quibus finem illum assequimur, et de impedimentis quibus ab ejusdem consecutione retardamur : illa sunt bona opera, in quibus exercendis dirigimur per legem, et juvamur per gratiam. Hæc verò sunt peccata, quibus admittendis deficimus à lege et gratiam Dei repellimus; quamobrem de utrâque hâc, priusquàm de illis sacræ Paginæ documenta proponantur. Omnis autem à libero hominis arbitrio procedens actio ex termino et fine, tanquàm principio suo perficitur : cùm igitur finis ultimus, sive humanæ, sive angelicæ vitæ, sit Deus, rectè atque ordine D. Thomas disputaturus de actibus humanis orditur à disputatione de fine; in sequentibus de beatitudine formali et objectivâ controversiam omnem persequitur.

Pars prima.

FINIS NOSTER ULTIMUS ET BEATITUDO.

CAPUT PRIMUM.

Finis ultimus rerum omnium Deus.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum. *Prov.* 16, 4. — Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit et ostendit ei? *Isa.* 40, 13. — Quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. *Rom.* 11, 34, 35, 36. — Ego sum A et O, principium et finis, dicit Dominus. *Apoc.* 1, 8. — Ego sum Dominus Deus vester. *Levit.* 18, 2. — Quoniam Dominus ipse est Deus ; nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. *Ps.* 99, 34. — *Vide plura, parte tertiâ, cap.* 1, 2, 3, *titulo* Deus ut creator et gubernator.

CAPUT II.

Beatitudo objectiva Deus est, non res ulla creata.

Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. *Gen.* 15, 1. — Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? defecit caro mea et cor meum. Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72, 25, 26. — Mihi adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. *Ps.* 72, 28. — Vanitas vanitatum et omnia vanitas. *Eccl.* 1, 2. — Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. 1 *Joan.* 2, 15. — Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in eâ. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usquè in finem. *Eccl.* 3, 10, 11. — Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone, non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. *Eccl.* 1,8. — Intellexi quòd omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole, et quantò plùs laboraverit ad quærendum, tantò minùs inveniat ; etiamsi dixerit sapiens se nôsse, non poterit reperire. *Eccl.* 8, 17. — Dedi cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque ac stultitiam ; et agnovi quòd in his quoque esset labor et afflictio spiritûs, eò quòd in multâ sapientiâ multa sit indignatio, et qui addit scientiam addit et laborem. *Eccl.* 1, 17, 18.

CAPUT III.

Formalis beatitudo in intellectu.

Regem in decore suo videbunt oculi ejus. cernent terram de longè. *Isa.* 33, 17. — Per

vicos ejus alleluia cantabitur. *Tob.* 13, 22. — Post hæc audivi vocem quasi tubarum multarum in cœlo, dicentium : Alleluia, salus et gloria et virtus Deo nostro est. *Apoc.* 19, 1. — Exaltationes Dei in faucibus eorum. *Ps.* 149, 6. — Beati qui habitant in domo tuà, Domine! in secula seculorum laudabunt te. *Ps.* 83, 52. — Ostende mihi faciem tuam, ut sciam te. *Exod.* 33, 13. — Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. *Ps.* 35, 10. — Gratiam et gloriam dabit Dominus. *Ps.* 83, 12. — Gratia Dei vita æterna. *Rom.* 6, 23. — Quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei. 1 *Cor.* 2, 11. — Claritas Dei illuminabit illam. *Apoc.* 21, 23. — Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis. *Joan.* 10, 27. — Ostende nobis Patrem et sufficit nobis. *Joan.* 14, 8. — Transiens ministrabit illis. *Luc.* 12, 37. — *Vide suprà, verbo* Visio beatifica.

CAPUT IV.

Gaudium beatorum in voluntate.

Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Matth.* 25, 21. — Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel. *Luc.* 22, 29, 30. — Iterùm videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Joan.* 16, 22. — Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. *Rom.* 14, 17. — Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Ps.* 35, 9. — Notas mihi fecisti vias vitæ ; adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dexterâ tuâ usquè in finem. *Ps.* 15, 11. — Sicut lætantium omnium habitatio est in te. *Ps.* 86, 7. — Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. *Isa.* 35, 6. — Quomodò si cui mater blandiatur, ità ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini ; videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt : et cognoscetur manus domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. *Isa.* 66, 13, 14. — Exultabunt sancti in glorià, lætabuntur in cubilibus suis. *Ps.* 149, 5 — Lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. *Isa.* 35, 10. — Gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo : quia ecce ego creo Jerusalem exultationem, et populum ejus gaudium. *Isa.* 65, 18. — Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis et lætitiæ cordis, sicut qui pergit cum tibiâ ut intret in montem Domini ad fortem Israel. Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus in tympanis et citharis. *Isa.* 30, 29, 32.

CAPUT V.

Gloriosi corporis dotes.

Fulgebunt justi, et tanquàm scintillæ in arundineto discurrent. *Sap.* 3, 7. — Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. *Matth.* 13, 43. — Seminatur in corruptione, surget in incorruptione ; seminatur in ignobilitate, surget in glorià ; seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est et spiritale. 1 *Cor.* 15, 42, 43, 44. — Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan.* 12, 3. — Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem quâ etiam possit subjicere sibi omnia. *Philip.* 3, 20, 21. — Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. 1 *Cor.* 15, 53. — Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. *Isa.* 40, 31. — Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ et sanitas in pennis ejus, et egrediemini et salietis sicut vituli de armento. *Malach.* 4, 2. — In terrâ suâ duplicia possidebunt. *Isa.* 61, 7.

CAPUT VI.

Beati omnes futuri sunt reges.

Regnabunt in secula seculorum. *Apoc.* 22, 5. — Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5, 3. — Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5, 10. — Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. *Matth.* 25, 34. — Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3, 21. — Si sustinebimus et conregnabimus. 2 *Tim.* 2, 12. — Ego Joannes, frater vester, et particeps in tribulatione et regno. *Apoc.* 1, 9. — Deus elegit pauperes in hoc

mundo, divites in fide et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. *Jacob.* 2, 5.

CAPUT VII.

Potestas, honor et gloria beatorum.

Beatus ille servus quem, cùm venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis quoniàm super omnia bona constituet eum. *Matth.* 24, 46, 47. — Beati servi illi quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis quòd præcinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. *Luc.* 12, 37. — Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die judex; non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. 1 *Tim.* 4, 7, 8. — Cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. 1. *Petr.* 5, 4. — Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Jacob.* 1, 12. — Æquales angelis sunt et filii Dei sunt, cùm sint filii resurrectionis. *Luc.* 20, 36. — Quia illìc sederunt sedes in judicio, sedes super Domum David. *Ps.* 121, 5.

CAPUT VIII.

Splendor et decor patriæ cœlestis.

Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus; ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur. *Tob.* 13, 21, 22. —Erat structura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa verò civitas aurum mundum, simile vitro mundo. *Apoc.* 21, 18. — Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. *Apoc.* 21, 19. — Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, et singulæ portæ erant ex singulis margaritis; platea civitatis aurum mundum tanquàm vitrum perlucidum. *Apoc.* 21, 21. — Afferent gloriam et honorem gentium in illam. *Apoc.* 21, 26.— Simile est regnum cœlorum thesauro. *Matth.* 13, 44. — Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas; inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. *Matth.* 13, 45, 46.

CAPUT IX.

Magnitudo et multitudo bonorum cœlestium.

Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2 *Cor.* 5, 1. — Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. 2 *Cor.* 4, 17, 18. — Oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquàm transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur. *Isa.* 33, 20. — Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream. *Apoc.* 12, 15. — Expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus. *Hebr.* 11, 10.— Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis qui sperant in te in conspectu filiorum hominum. *Ps.* 30, 20. — Oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. 1 *Cor.* 2, 9.

CAPUT X.

Præmii diversitas pro diversitate laboris.

Retribuit mihi Dominus secundùm justitiam meam, et secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi. *Ps.* 17, 21. — Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5, 29. — Merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5, 12. — Reddet unicuique juxtà opera sua. *Rom.* 2, 6. — Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. 1 *Cor.* 3, 8. — In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Joan.* 14, 2. — Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum; stella enim à stellâ differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. 1 *Cor.* 15, 14. — Qui parcè seminat, parcè et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. 2 *Cor.* 9, 6. — Qui minor autem est in regno cœlorum, major est illo. *Matth.* 11, 2. — Sedere ad dextram vel sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. *Matth.* 20, 23. — Dabo eis in domo meâ, et in muris meis locum, et nomen melius à filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. *Isa.* 56, 5. — Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terrâ. *Apoc.* 14, 3. — *Vide plura, lib.* 4, *p.* 6. *c.* 20 *et* 21.

CAPUT XI.

Satietas sine fastidio vitæ perennis.

Erit in die illâ : stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte ; et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur. *Joel.* 3, 18. — Relinquitur sabbatismus populo Dei. *Hebr.* 4, 9. — Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. *Ps.* 86, 3. — Benedixit filiis tuis in te. *Ps.* 147, 2. — Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua. *Ps.* 102, 5. — Satiabor cùm apparuerit gloria tua. *Ps.* 16, 15. — Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. *Joan.* 14, 8. Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Eccè tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis ; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. *Apoc.* 21, 23. — Melior est dies una in atriis tuis super millia. *Ps.* 83, 11. — Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Matth.* 19, 29.

CAPUT XII.

Puritas cœlestis gaudii absque omnis tristitiæ admixtione.

Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. *Ps.* 90, 10.— Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultrà non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt. *Apoc.* 21, 4. — Non esurient neque sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. *Apoc.* 7, 16, 17. — Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati, super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes; præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ, quia Dominus locutus est. *Isa.* 25, 7, 8. — Fugiet dolor et gemitus. *Isa.* 35, 10.— Exultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo; et non audietur in eo ultrà vox fletûs et vox clamoris. *Isa.* 65, 19. — Non audietur ultrà iniquitas in terrâ tuâ ; vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te ; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultrà sol tuus, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebitur dies luctûs tui. *Isa.* 60, 18, 19, 20. — Jam hiems transiit, imber abiit et recessit. *Cant.* 2, 11.

CAPUT XIII.

Securitas sine anxietate.

Portæ ejus non claudentur per diem, nox enim non erit illic. *Apoc.* 21, 25. — Messui myrrham cum aromatibus meis. *Cant.* 5, 1. — Et aperientur portæ tuæ jugiter; die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. *Isa.* 60, 11. — Iste in excelsis habitabit : munimenta saxorum sublimitas ejus ; panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. *Isa.* 33, 16. — Ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, et habebat murum magnum et altum. *Apoc.* 21, 11, 12. — Et civitas in quadro posita est. *Apoc.* 21, 16. — Ipsa civitas aurum mundum. *Apoc.* 21, 18. — Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloriâ ero in medio ejus. *Zach.* 2, 5. — Quoniàm confortavit seras portarum tuarum. *Ps.* 147, 2. — Qui posuit fines tuos pacem. *Ps.* 147, 3. — Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foràs non egredietur ampliùs, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, et nomen meum novum. *Apoc.* 3, 12.

CAPUT XIV.

Via certa vitæ æternæ obtinendæ.

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam sine quâ nemo videbit Deum. *Hebr.* 12, 14. — Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Act.* 14, 21. — Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Matth.* 19, 17. — Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Matth.* 10, 39. — Nescitis quòd ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis. 1 *Cor.* 9, 24. — Ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini. 1. *Petr.* 2, 5. — Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas. *Ps.* 121, 3. — Exi citò in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos ac claudos introduc hùc. *Luc.* 14, 21. — Et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. *Apoc.* 21, 22. — Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scri-

barum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. *Matth.* 5, 21. — Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7, 21. — Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Rom.* 8, 13. — Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis ; hæc enim facientes non peccabitis aliquandò. 2 *Petr.* 1, 20.

CAPUT XV.

Et laboris præmium est, et non absque gratiâ confertur.

Qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam. *Joan.* 4, 36. — Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. *Sap.* 5, 16. — Eccè venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua. *Apoc.* 22, 12. — Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus. Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite. *Coloss.* 3, 23, 24. — Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. *Apoc.* 21, 6. — Existimo quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom.* 8, 18. — Venite, emite absque argento et absque ullà commutatione vinum et lac. *Isa.* 55, 1. — Qui sitit veniat, et qui vult accipiat aquam vitæ gratis. *Apoc.* 22, 17.

CAPUT XVI.

Non obtinetur in hâc vitâ, nec absque pugnâ.

Non videbit me homo et vivet. *Exod.* 33, 20. — Ingrediemur in requiem, qui credidimus. *Hebr.* 4, 3. — Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. *Job.* 14, 1. — Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem ; nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum. 1 *Cor.* 13, 12. — Dùm sumus in corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus et non per speciem), audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum. Et ideò contendimus sive absentes sive præsentes placere illi. 2 *Cor.* 5. v. 6, 7, 8. — Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. 2 *Tim.* 2, 5. — Militia est vita hominis super terram, et sicut mercenarii dies ejus. *Job.* 7, 1. — Non habemus hìc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Hebr.* 13, v. 14.—Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem, conservatam in cœlis vobis. 1 *Petr.* 1, v. 3, 4.

CAPUT XVII.

Sed post feliciter terminatum hujus vitæ agonem.

Hodiè mecum eris in paradiso. *Luc.* 23, 43. — Eccè video cœlos apertos. *Act.* 7, 55. — Domine Jesu, suscipe spiritum meum. *Act.* 7, 59. — Ascendens in altum captivam duxit captivitatem. *Ephes.* 4, 8. — Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. *Philip.* 1, 23. — Significante Spiritu sancto nondùm propalatam esse sanctorum viam, adhùc priore tabernaculo habente statum. *Hebr.* 9, 8. — Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et Spiritus justorum perfectorum. *Hebr.* 12, 22, 23. — Et datæ illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent adhùc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. *Apoc.* 6, 11.

CAPUT XVIII.

Certantibus legitimè et vincentibus promissa.

Filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam daturus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo. *Tob.* 2, 8. — Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. *Apoc.* 2, 7. — Esto fidelis usquè ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 2, 10. — Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum quod nemo scit, nisi qui accipit. *Apoc.* 2, 17. — Beati mortui qui in Domino moriuntur. A modò jam dicit Spiritus ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14, 13. — Qui vicerit et custodierit usquè in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringentur ; sicut et ego accepi à Patre meo, et dabo illi stellam matutinam. *Apoc.* 2, 26, 27, 28. — Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coràm patre meo et coràm angelis ejus. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Apoc. 3, 5, 21. — Qui vicerit possidebit hæc, et ero illi Deus et ille erit mihi filius. *Apoc.* 21, 7. — Quos justificavit, illos et glorificavit. *Rom.* 8, 30. — Afferent gloriam et honorem gentium in illam. *Apoc.* 21, 26. — Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. *Isa.* 60, 21.

CAPUT XIX.

Non timidis, incredulis, improbis.

Timidis et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. *Apoc.* 21, 8, 27. — Foris canes et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. *Apoc.* 22, 15. — Non adjicient ultrà, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. *Isa.* 52, 1. — Erit Jerusalem sancta, et alieni non transibunt per eam ampliùs. *Joel*, 3, 17. — Amice, quomodò hùc intrâsti non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. *Matth.* 22, 12, 13. — Novissimè veniunt et reliquæ virgines dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait : Amen dico vobis, nescio vos. *Matth.* 25, 11, 12. — Nescio vos undè sitis ; discedite à me omnes operarii iniquitatis. *Luc.* 13, 27. — Exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium. *Matt.* 13, 49, 50.

CAPUT XX.

Desiderium patriæ cœlestis.

Si oblitus fuero tuî, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tuî, si non posuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. *Ps.* 136, 5, 6. — Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. *Ps.* 30, 13. — Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram ? *Ps.* 72, 25.— Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus dùm recordaremur Sion. *Ps.* 136, 1. — Nostra conversatio in cœlis est. *Philip.* 3, 20. — Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. *Cant.* 8, 13. — Juxtà fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes et salutantes et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de quâ exierunt, habebant utique tempus revertendi ; nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. *Hebr.* 11, 13, 14. — Infelix ego homo : quis me liberabit de corpore mortis hujus ? *Rom.* 7, 24. — Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo ; me expectant justi donec retribuas mihi. *Ps.* 141, 8. — In terrâ desertâ, inviâ et inaquosâ, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam. *Ps.* 72, 3. — Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis ; cantabo et psalmum dicam Domino. *Ps.* 26, 11.

CAPUT XXI.

Jaculatoriæ gloriam cœlestem ardenter optantis.

O quandò dabitur lugentibus corona pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris ! *Isa.* 61, 3. — Unam petii à domo, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini et visitem templum ejus. *Ps.* 26, 7, 8. — Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum ; quandò veniam et apparebo antè faciem Dei? *Ps.* 41, 1, 2. — Quis dabit mihi pennas, sicut colombæ, et volabo et requiescam ? *Ps.* 54, 6. — Quis deducet me in civitatem munitam ? *Ps.* 59, 10. — Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, ostende mihi faciem tuam. *Exod.* 33, 13. — Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. *Ps.* 38, 1. — Beati qui habitant in domo tuâ, Domine ! in secula seculorum laudabunt te. *Ps.* 83, 5. — Melior est dies una in atriis tuis super millia. *Ps.* 82, 11. — Heu ! mihi, quia incolatus meus prolongatus est ; multùm incola fuit anima mea. *Ps.* 119, 5. — Defecit in salutare tuum anima mea. *Ps.* 118, 81.

Pars ij.

LIBERUM ARBITRIUM, ATQUE ACTUS HUMANI BONI AC MALI.

Arbitrium liberum est intellectualis substantiæ potestas, omnibus positis requisitis agendi vel non agendi, vel agendi oppositum. Diciturque facultas rationis et voluntatis, quia homo suorum actuum dominus est per intellectum et voluntatem, ut rectè Magister Sententiarum, *lib.* 2, *dist.* 24; et D. Thom. 1, 2, *q.* 1, *a.* 1. Quamvis enim libertas nostra in voluntate sit, tanquàm in subjecto, à ratione tamen, sive ab intellectu, tanquàm à radice dependet, quia huic convenit actus arbitrandi, sive judicandi id quod à voluntate eligitur vel respuitur. Est autem duplex libertas: altera contradictionis, sive quoad exercitium; altera verò contrarietatis, sive quoad specificationem.

CAPUT PRIMUM.

Liberi arbitrii usus ad bonum et malum, virtutem et vitium.

Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. *Eccl.* 15, 14. — Adjecit mandata et præcepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te. *Ibid.* 15 et 16. — Apposuit tibi ignem et aquam, ad quod volueris porrige manum tuam. *Ibid.* 18. — Antè hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi. *Ibid.* 18. — Considera quòd hodiè in conspectu tuo proposuerim vitam et bonum, et è contrario mortem et malum, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus et custodias mandata illius. *Deut.* 30, 15. — Testes hodiè invoco cœlum et terram, quòd proposuerim vobis hodiè vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergò vitam, ut vivas tu et semen tuum, et diligas Dominum Deum, et obedias voci ejus. *Deut.* 30, 19. — Sin autem malum vobis videatur ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodiè quod placet. *Josue*, 24, 15. — Nonnè, si benè egeris, recipies? sin autem malè statim in foribus peccatum aderit; sed subter te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. *Gen.* 4, 7. — Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis suæ. 1 *Cor.* 7, 37. — Sine consilio tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. *Philemon.* 14. — Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos. *Isa.* 1, 19. — In arbitrio viri erit sive faciat, sive non faciat. *Num.* 30, 14. — Quia vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cùm vobis id quod timebatis advenerit. *Prov.* 1, 24, 25, 26. — Quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? *Matth.* 23, 37.

CAPUT II.

Exhortatio ad bonorum operum exercitium.

Seminate vobis in justitiâ, et metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale; tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit, qui docebit vos justitiam. *Oseæ* 10, 12. — Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris. *Zach.* 8, 16, 17. — Posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat. *Joan.* 15, 16. — Quæ seminaverit homo, hæc et metet; quoniam qui seminat in carne suâ, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergò dùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. *Gal.* 6, 8, 9, 10. — Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquandò. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, et salvatoris Jesu Christi. 2 *Petr.* 1, 10, 11.

CAPUT. III.

Honestorum operum præceptum.

Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergò arbor quæ non facit fructum bonum

excidetur et in ignem mittetur. *Matth.* 3, 10. — Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7, 21. — Omnem palmitem in se non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat, *Joan.* 15, 2. — Fidelis sermo est, et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo : hæc sunt bona et utilia hominibus. *Tit.* 3, 8. — Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater et soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides; si non habeat opera, mortua est in semetipsâ. *Jac.* 2, 14, 15, 16, 17.

CAPUT IV.

Honestati externæ jungenda honestas et pietas interna.

Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum; holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perversè, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. *Isa.* 1, 11, 16, 17. — Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat. *Isa.* 66, 2, 3. — Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocaustomata et vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ? Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat à te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich.* 6, 6, 7, 8. — Loquere ad omnem populum terræ et ad sacerdotes, dicens : Cùm jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunâstis mihi? et cùm comedistis et bibistis, numquid non vobis comedistis et bibistis? Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo, et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari, et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. *Zach.* 7, 5, 6, 9, 10.

CAPUT V.

In eos qui rectè agere negligunt, solo religionis nomine gloriantes.

Ego repletus sum fortitudine Spiritûs Domini, judicio et virtute, ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum. Audite hoc, principes domûs Jacob, et judices domûs Israel, qui abominamini judicium et omnia recta pervertitis. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecuniâ divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes : Numquid non Dominus in medio nostrûm? Non venient super nos mala. Propter hoc, causâ vestrî, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum. *Mich.* 3, 8, 9, 10, 11, 12. — Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si benè direxeritis vias vestras et studia vestra, si feceritis judicium inter virum et proximum ejus, habitabo vobiscum in loco isto, in terrâ quam dedi patribus vestris à seculo et usquè in seculum. — Eccè vos confiditis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis : furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post deos alienos quos ignoratis. Et venistis, et stetistis coràm me in domo hâc in quâ invocatum est nomen meum, et dixistis : Liberati sumus eò quòd fecerimus omnes abominationes istas. *Hier.* 7, 8, 9, 10. — Facite fructum dignum pœnitentiæ, et ne velitis dicere intrà vos : Patrem habemus Abraham; dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Matth.* 3, 8, 9. — Audite hæc, domus Jacob, qui vocamini nomine Israel et de aquis Juda existis; qui juratis in nomine Domini, et Dei Israel recordamini non in veritate neque in justitiâ. De civitate enim sanctâ vocati sunt, et super Deum Israel constabiliti sunt; Dominus exercituum nomen ejus. *Isa.* 48, 1, 2.

CAPUT VI.

Honestè operandi captanda occasio, et opportunitas expectanda.

Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud; et si utrumque simul, meliùs erit. *Eccl.* 11, 6. — Operamini opus vestrum antè tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. *Eccl.* 51. 38. — Venit nox quandò nemo potest operari. *Joan.* 9, 4. — Negotiamini dùm venio. *Luc.* 19, 13. — Adhùc modicum lumen in vobis est. Ambulate dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. *Joan.* 12, 35, 36. — Videte, fratres, quomodò cautè ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Ephes.* 5, 15, 16. — Omni negotio tempus est et opportunitas, et multa hominis afflictio. *Eccl.* 8, 6. — Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. *Eccl.* 3, 1.

CAPUT VII.

Fructus bonorum operum et malorum.

Qui operatur terram suam satiabitur panibus, qui autem sectatur otium stultissimus est. *Prov.* 12, 11. — Impius facit opus instabile, seminanti autem justitiam merces fidelis. *Prov.* 11, 18. — Dicite justo quoniam benè, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. *Isa.* 3, 10. — Opus hominis reddet ei, et juxtà vias singulorum restituet eis. *Job.* 34, 11. — Reddet unicuique secundùm opera ejus : iis quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, iram et indignationem. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm et Græci; gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primùm et Græco : non enim est acceptio personarum apud Deum. *Rom.* 2, 6, 7, 8, 9, 10, 11.

CAPUT VIII.

Opera omnia rectà ad Dei gloriam intentione perficienda.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquàm ex virtute quam administrat Deus : ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in secula seculorum. Amen. 1 *Petr.* 4, 11. — Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1 *Cor.* 10, 31. — Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia facite in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. *Coloss.* 13, 17. — Lucerna corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergò lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt! *Matth.* 6, 22, 23. — Nihil erat in templo quod non auro tegeretur. 3 *Reg.* 6, 22. — Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. *Ps.* 117, 1. — Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. *Joan.* 6, 27. — Vulnerâsti cor meum, soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum. *Cant.* 4, 9.

CAPUT IX.

Puritas intentionis et cordis accepta Deo.

Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. *Prov.* 4, 23. — Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes et disciplinam labia tua conservent. *Prov.* 5, 1, 2. — Verbum nequam immutabit cor; ex quo quatuor partes oriuntur : bonum et malum, vita et mors; et dominatrix illorum est assidua lingua. *Eccl.* 37, 21. — Præbe, fili mi, cor tuum mihi; et oculi tui vias meas custodiant. *Prov.* 23, 26. — Abominatio Domini cogitationes malæ, et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo. *Prov.* 25, 26. — Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi; etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. 1 *Cor.* 5, 7, 8. — Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. *Eccl.* 9, 8. — Habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. *Apoc.* 3, 4.

CAPUT X.

Intentio obliqua, Deo ingrata, omnem auferet fructum operum.

Væ peccatori terram ingredienti duabus viis! *Eccl.* 2, 14. — Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei; sacrificia eorum quasi panis lugentium; omnes qui comedunt

eum contaminabuntur, quia panis eorum; animæ ipsorum non intrabunt in domum Domini. *Oseæ* 9, 4. — Ventum seminabunt et turbinem metent. *Oseæ* 6, 2. — Receperunt mercedem suam. *Matth.* 6, 2. — Germen non faciet farinam; quod etsi fecerit, alieni comedent eam. *Oseæ* 8, 8. — Amen, amen, dico vobis : quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducâstis ex panibus et saturati estis. *Joan.* 6, 26.

CAPUT XI.

Hypocrisis varii actus.

Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cùm loqueretur pauper judicium. *Isa.* 32, 7, — Acuerunt linguam suam sicut serpentes; venenum aspidum sub labiis eorum. *Ps.* 139, 4. — Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur; et in iracundiâ terræ loquentes, dolos cogitabant, et dilataverunt super me os suum, dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri. *Ps.* 34, 20, 21. — Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. *Ps.* 13, 3. — Dicunt et non faciunt; alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria sua et magnificant fimbrias. Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ ! quia clauditis regnum cœlorum antè homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ! quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc ampliùs accipietis judicium. Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ! quia decimatis mentam, et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis : judicium et misericordiam et fidem : hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ ! Quia mundatis quod de foris est calicis et paropsidis, intùs autem pleni estis rapinâ et immunditiâ. Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis et paropsidis, ut fiat id quod de foris est mundum. *Matth.* 23, 4, 5, 14, 23, 24, 25, 26. — Generatio quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota à sordibus suis. *Prov.* 30, 12. — Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo. Et est justus qui se nimiùm submittit à multâ humilitate. Et est qui inclinat faciem suam et fingit se non videre quod ignoratum est; et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. *Eccl.* 19, 24, 25. — Qui dicunt : Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es, isti fumus erunt in furore meo, ignis totâ die ardens. *Isa.* 65, 5. — Abscondunt odium labia mendacia. *Prov.* 10, 18.

CAPUT XII.

Varii hypocrisis effectus.

Qui annuit oculo, dabit dolorem. *Prov.* 10, 10. — Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est in ore suo, pacem cum amico suo loquitur, et occultè ponit ei insidias. Numquid super his non visitabo? dicit Dominus, aut in gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea? *Hier.* 9, 8, 9. — Dividet eum partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus et stridor dentium. *Matth.* 24, 51. — Lingua fallax non amat veritatem, et os lubricum operatur ruinam. *Prov.* 26, 28. — Cor ingrediens duas vias non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. *Eccl.* 3, 3, 28. — Qui quærit legem replebitur ab eâ; et qui insidiosè agit, scandalizabitur in eâ. *Eccl.* 32, 19. — Spes hypocritæ peribit. Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia ejus. Innitetur super domum suam, et non stabit; fulciet eam et non consurget. *Job.* 8, 13, 14, 15. — Congregatio hypocritæ sterilis. *Job.* 15, 34. — Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usquè ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur; et qui eum viderant, dicent : Ubi est? velut somnium avolans non invenietur; transiet sicut visio nocturna. *Job.* 20, 4, 5, 6, 7, 8. — Animæ dolosæ errant in peccatis. *Prov.* 23, 13. — Quæ est spes hypocritæ, si avarè rapiat, et non liberet Deus animam ejus? Numquid audiet Deus clamorem ejus, cùm venerit super eum angustia? aut poterit in omnipotente delectari, aut invocare Deum omni tempore? *Job.* 27, 8, 9, 10.

CAPUT XIII.

Hypocrisis tandem detegitur.

Si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. *Eccl.* 19, 25. — Nihil est opertum quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur. *Matth.* 10, 26. — Qui operit odium fraudulenter revelabitur malitia ejus in concilio. *Prov.*

26, 26. — Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus. *Job.* 20, 15. — Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter; qui autem depravat vias suas, manifestus erit. *Prov.* 10, 9. — Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo. *Eccl.* 19, 26, 27.

CAPUT XIV.

Hypocritas detestatur Deus.

Abominabile Domino cor pravum, et voluntas ejus in iis qui simpliciter ambulant. *Prov.* 11, 20. — Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. *Sap.* 1, 5. — Non veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. *Job.* 13, 16. — Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cùm vincti fuerint. *Job.* 36, 13. — Vos estis qui justificatis vos coràm hominibus; Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est abominatio est antè Deum. *Luc.* 16, 15. — Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. *Joan.* 4, 24. — Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis. Ideò eccè ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo; peribit enim sapientia à sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur. *Isa.* 29, 13, 14.

CAPUT XV.

Vetatur hypocrisis, puritas cordis ac sinceritas commendantur.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simultationes, et invidias, et omnes detractiones. 1 *Petr.* 2, 11. — Emundate manus, peccatores; et purificate corda, duplices animo. *Jac.* 4, 8. — Ne sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis: attende in illis, ne fortè cadas, et adducas animæ tuæ inhonorationem, et revelet Deus absconsa tua, et in medio Synagogæ elidat te. Quoniam accessisti malignè ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallaciâ. *Eccl.* 1, 36, 37, 38, 39, 40. — Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. *Sap.* 1, 1.

CAPUT XVI.

Deo nihil accedit intrinsecùs ex actibus nostris, sive boni fuerint, sive mali.

Si sapiens fueris, tibimetipsi eris; si autem illusor, solus portabis malum. *Prov.* 9, 12. — Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contrà eum? Porrò si justè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tuâ accipiet? Homini, qui similis tuî est, nocebit impietas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. *Job.* 35, 6, 7, 8, 9. — Quid est homo aut quæ est gratia illius? et quid est bonum aut quid nequam illius? *Eccl.* 18, 7. — Quid prodest Deo si justus fueris? aut quid ei confert si immaculata fuerit via tua? *Job.* 22, 3. — Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. *Luc.* 17, 10. — Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? *Rom.* 2, 35. — Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. *Cant.* 2, 10. — Cujus adjutores? numquid imbecillis? Et sustentas brachium ejus qui non est fortis. Cui dedisti consilium? forsitan illi qui non habet sapientiam, et prudentiam tuam ostendisti plurimam. *Job.* 26, 2, 3.

CAPUT XVII.

Potest alios in aliorum locum substituere.

Et ne velitis dicere intrà vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Matth.* 3, 9. — Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensurâ est et non numerabitur, et erit in loco ubì dicitur eis: Non populus meus vos. Dicitur eis: Filii Dei viventis; et congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum et ascendent de terrâ, quia magnus dies Israel. *Oseæ* 1, 10, 11. — Auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. *Matth.* 21, 43. — Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergò ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis vocate ad nuptias. *Matth.* 22, 8, 9. — Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. *Apoc.* 3, 11. Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Novit enim opera eorum; et idcircò inducet noctem, et conterentur. *Job.* 34, 24.

Pars iij.

LEX EXTERNA ET INTERNA.

Allatis sacræ Paginæ testimoniis de actibus humanis ad Dei gloriam rectâ intentione dirigendis, congruum videtur ut agatur de lege divinâ sincero corde excipiendâ. Posse enim judicare de bonitate et malitiâ actuum humanorum, unum è præcipuis Theologiæ muniis est; modus autem judicandi est lex, primò quidem divina, tùm etiam humana, ac denique legibus externis conformata conscientia, quæ lex interna dicitur. Omnis enim illa actio humana bona est, cui nulla deest conditio à legibus requisita; mala autem, in quâ reperitur aliqua prævaricatio. Denique ex occasione subnectentur aliquot de passionibus quas subindè Apostolus legis nomine compellat, quæ ad proximè declarandam gratiæ necessitatem congruè præmittuntur.

CAPUT PRIMUM.

Deus legislator supremus.

Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos. *Isa.* 33, 22. — Dabit illi Christo salvatori nostro Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. *Luc.* 1, 33. — Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illâ. Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. *Rom.* 13, 1, 2, 3, 5.

Plura de his vide verbo Obedientia.

CAPUT II.

Legis christianæ summa et scopus.

Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis; hæc est enim lex et prophetæ. *Matth.* 7, 12. — Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo legis ergò est dilectio. *Rom.* 13, 10. — Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Gal.* 5, 14. — Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *Gal.* 6, 2. — Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta. 1, *Tim.* 1, 5. — Lex sapientis fons vitæ, ut declinet à ruinâ mortis. *Prov.* 13, 14. — Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. *Eccl.* 12, 13.

CAPUT III.

Lex Dei facilis et suavis, audientem instruit et perficit observantem.

Jugum meum suave est, et onus meum leve. *Matth.* 11, 30. — Hæc est charitas Dei, et mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt. 1 *Joan.* 5. 3. — Sine mendacio consummabitur verbum legis, et sapientia ore fidelis complanabitur. *Eccl.* 34, 8. — Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ· *Prov.* 6, 23. —Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. *Ps.* 118, 130. — Qui custodit legem filius sapiens est. *Prov.* 20, 7. — Hæc est vestra sapientia, et intellectus coràm populis, ut audientes universi præcepta hæc dicant: En populus sapiens, et intelligens gens magna. *Deut.* 4, 6.

CAPUT IV.

Effectus varii et fructus observatæ legis.

Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago. *Prov.* 13, 15. — Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. *Eccl.* 15, 16. — Qui timet Dominum excipiet doctrinam ejus, et qui vigilaverint ad illum invenient benedictionem. Qui quærit legem, replebitur ab eâ et qui insidiosè agit scandalizabitur in eâ. *Eccl.* 32, 18, 19. — Homo qui sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis. *Eccl.* 33, 3. — Qui servat filium comedet fructum ejus, et qui custos est Domini sui gloriabitur. *Prov.* 27, 18. — Verbum custodiens filius extrà perditionem erit. *Prov.* 29, 27. — Custoditio legum consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo. *Sap.* 6, 19, 20. —

Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11, 29. — Agnoscent, qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quàm timor Dei, et nihil dulcius quàm respicere in mandatis Domini. Gloria magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo. *Eccl.* 23, 37, 38. — Qui custodit justitiam continebit sensum ejus, consummatio timoris Dei sapientia et sensus. *Eccl.* 21, 12, 13. — Qui conservat legem multiplicat oblationem; sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate, et propitiationem litare sacrificii super justitias, et deprecatio pro peccatis recedere ab injustitiâ. *Eccl.* 35, 1, 2, 3.

CAPUT V.

Monita ad audiendam, meditandam et memoriâ continuâ recolendam Dei legem.

Inclina aurem tuam et audi verba sapientum; appone autem cor ad doctrinam meam. Quæ pulchra erit tibi, cùm servaveris eam in ventre tuo, et redundabit in labiis tuis. *Prov.* 22, 17, 18. — Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, et aures tuæ ad verba scientiæ. *Prov.* 33, 12. — Cogitatum tuum habe in præceptis Dei et in mandatis illius maximè assiduus esto; et ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. *Eccl.* 6, 37. — Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodiè in corde tuo. *Deut.* 6, 7. — Ligabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque et movebuntur inter oculos tuos; scribes ea in limine et ostiis domûs tuæ. *Deut.* 6, 8, 9. — Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus et inter oculos vestros collocate. Scribes ea super postes et januas domûs tuæ. *Deut.* 11, 18, 26. — Narrabis verba hæc filiis tuis. *Deut.* 6, 7. — Docete filios vestros ut illa meditentur, quandò sederis in domo tuâ, et ambulaveris in viâ, et accubueris atque surrexeris. *Deut.* 11, 19.

CAPUT VI.

Exhortationes ad observationem legis, additis etiam variis promissis.

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum et annos vitæ et pacem apponent tibi. Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui; et invenies gratiam et disciplinam bonam coràm Deo et hominibus. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: custodi legem et consilium, et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in viâ tuâ, et pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis; quiesces et suavis erit somnus tuus; ne paveas repentino timore et irruentes tibi potentias impiorum; Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris. *Prov.* 3, 1, 2, 3, 4, 21, 22, 23, 24, 25, 26. — Audite, filii, disciplinam patris, et attendite ut sciatis prudentiam. Donum bonum tribuam vobis: legem meam ne derelinquatis, nam ego filius fui patris mei, tenellus et unigenitus coràm matre meâ, et docebat me atque dicebat: Suscipiat cor tuum verba mea, custodi præcepta mea et vives. Posside sapientiam, posside prudentiam, ne obliviscaris neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam et custodiet te, dilige eam et conservabit te. *Prov.* 4, 1, 2, 3, 4, 5, 6. — Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam. Ne recedant ab oculis tuis; custodi ea in medio cordis tui, vita enim sunt invenientibus ea, et universæ carni sanitas. *Prov.* 4, 20, 21, 22. — Conserva, fili, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo. Cùm ambulaveris gradiantur tecum; cùm dormieris custodiant te, et evigilans loquere cum eis. *Prov.* 6, 20, 21, 22. — Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Fili, serva mandata mea et vives; et legem quasi pupillam oculi. Liga eam in digitis tuis, scribe eam in tabulis cordis tui. *Prov.* 7, 1, 2, 3. — Nunc ergò, filii, æmulatores estote legis, et date animas pro testamento patrum vestrorum, et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen æternum. Vos ergò, filii, confortamini et viriliter agite in lege, quia in ipsâ gloriosi eritis. 1 *Mach.* 2, 50, 51. — Acquiesce ei et habeto pacem, et per hanc habebis fructus optimos. Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde tuo. *Job.* 22, 21, 22. — Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in lassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram et venite ad me, audite; et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. *Isa.* 55, 2, 3. — Utinàm attendisses mandata mea! facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris. *Isa.* 48, 18. — Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. — *Matth.* 19, 17. — Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. *Matth.* 17, 5. — Estote factores verbi, et non audito-

res tantùm, fallentes vosmetipsos, quia si quis est auditor verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se et abiit, et statìm oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in eâ, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. *Jac.* 1, 22, 23, 24, 25.

CAPUT VII.

Neglectus legis causa ruinæ et supplicii sempiterni.

Omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. *Matth.* 7, 26. 27. — Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua. *Eccl.* 27, 4. — Terra infecta est ab habitatoribus suis, quia trangressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram; et peccabunt habitatores ejus, ideòque insanient cultores ejus et relinquentur homines pauci. *Isa.* 24, 5, 6. — In flammâ ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesus Christi. 2 *Thess.* 1, 8.

CAPUT VIII.

Consuetudinis vis in bonum et malum.

Proverbium est : Adolescens juxtà viam suam, et jam cùm senuerit, non recedet ab eâ. *Prov.* 22, 6. — Bonum est viro cùm portaverit jugum ab adolescentiâ suâ, sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se. *Thren.* 3, 27, 28. — Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ suæ, et cum eo in pulvere dormient. *Job.* 20, 11. — Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. *Ephes.* 4, 19. — Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum! *Isa.* 5, 18.

CAPUT IX.

Legis internæ, sive conscientiæ vis in bonum et malum.

Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus accipiemus ab eo : quia mandata ejus custodimus, et quæ sunt placita coràm eo facimus. 1 *Joan.* 3, 21, 22. — Omnes dies pauperis mali; secura mens, quasi juge convivium. *Prov.* 15, 15. — Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conversati sumus in hoc mundo abundantiùs autem ad vos. 2 *Cor.* 1, 12.—In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hoc est enim conservatio mandatorum. *Eccl.* 32, 27. — Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumnâ meâ, dùm configitur spina. *Ps.* 31, 4. — Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæva perturbata conscientia. *Sap.* 17, 10, 11. — Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat; ipsi ergò erant sibi graviores tenebris. *Sap.* 17, 20. — Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia et opprobrium. *Prov.* 18, 3. — Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur. *Sap.* 11, 17. — Ponam Babylonem in possessionem erinacii. *Isa.* 14. — Impii quasi mare fervens quod quiescere non potest. *Isa.* 57, 20.

CAPUT X.

Affectuum animi vis in bonum et malum.

Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. *Eccl.* 13, 31. — Cor gaudens exhilarat faciem; in mœrore animi dejicitur spiritus. *Prov.* 15, 13. — Nequitia mulieris immutat faciem ejus et obcæcat vultum suum, tanquàm ursus, et quasi saccum ostendit in medio proximorum ejus. *Eccl.* 25, 24. — Vir impius procaciter obfirmat vultum suum; qui autem rectus est corrigit viam suam. *Prov.* 21, 27. — Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ità vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *Prov.* 21, 29. — Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. *Prov.* 16, 32. — Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat. *Eccl.* 23, 22. — Vita carnium sanitas cordis; putredo ossium invidia. *Prov.* 14, 30.

CAPUT XI.

Jaculatoriæ optantis ac statuentis Dei legem servare.

Utinàm dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! *Ps.* 118, 5. — Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque. *Ps.* 118, 8.—Et custodiam legem tuam semper, in seculum et in seculum seculi. *Ps.* 118, 44. — Dixi custodire legem tuam.

Ps. 118, 57. — In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificâsti me. *Ps.* 118, 93. — Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ. *Ps.* 118, 106. —Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. *Ps.* 118, 60.

CAPUT XII.

Potentis lumen et gratiam intelligendi legem Dei et servandi.

In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis. *Ps.* 118, 10. — Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas. *Ps.* 118, 12. — Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. *Ps.* 118, 35, 36. — Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar. *Ps.* 118, 80. — Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tuâ. *Ps.* 118, 18. —Incola ego sum in terrâ, non abscondas à me mandata tua. *Ps.* 118, 19. — Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. *Ps.* 118, 25. — Æquitas testimonia tua in æternum; intellectum da mihi et vivam. *Ps.* 118, 144. — Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis. *Ps.* 118, 27. — Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. *Ps.* 118, 34. — Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me; da mihi intellectum, ut discam mandata tua. *Ps.* 118, 73. — Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas. *Ps.* 118, 35.

CAPUT XIII.

Desiderantis perpetuam divinæ legis observantiam.

Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. *Ps.* 118, 38. — Gressus meos dirige, secundùm eloquium tuum, et non dominetur meî omnis injustitia. *Ps.* 118, 133. — Illumina oculos meos ne unquàm obdormiam in morte, ne quandò dicat inimicus meus: Prævalui adversùs eum. *Ps.* 12, 5. — Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. *Ps.* 118, 20. — Legem pone mihi viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper. *Ps.* 118, 33.

CAPUT XIV.

Indicantis legem Dei facilem, suavem, utilem.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in viâ peregrinationis meæ. *Ps.* 118, 54. — Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo! *Ps.* 118, 103. — Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt. *Ps.* 118, 111. — Quomodò dilexi legem tuam, Domine! totâ die meditatio mea est. *Ps.* 118, 97. — Judicia tua jucunda. *Ps.* 118, 111. — Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. *Ps.* 118, 72. — Dilexi mandata tua super aurum et topazium. *Ps.* 118, 127.

CAPUT XV.

Profitentis se legem Dei servâsse, non obstante mortis periculo.

Anima mea in manibus meis semper, et legem tuam non sum oblitus. *Ps.* 118, 109. — Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus. *Ps.* 118, 51. — Superbi iniquè agebant usquequaque, à lege autem tuâ non declinavi. *Ps.* 118, 51. — Me expectaverunt peccatores ut perderent me; testimonia tua intellexi. *Ps.* 118, 95. — Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis non erravi. *Ps.* 118, 110.

CAPUT XVI.

Bona sua opera humiliter Deo repræsentantis.

Obsecro, Domine, (inquit Ezechias rex), memento, quæso, quomodò ambulaverim coràm te in veritate et in corde perfecto, et quod placitum est coràm te fecerim. *4 Reg.* 20, 3. — Memento meî, Deus meus, inquit Nehemias, in bonum secundùm omnia quæ feci populo huic. *2 Esd.* 5, 19. — Memento meî, Deus meus, pro hoc, et ne deleas miserationes meas, quasi feci in domo Dei mei et in cæremoniis ejus. *2 Esd.* 13, 14. — Dixi quoque levitis ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas et sanctificandum diem sabbati: et pro hoc ergò memento meî, Deus meus, et parce mihi secundùm multitudinem miserationum tuarum. *2 Esd.* 13, 22. — Tu scis, Domine, quia nunquàm concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ. Nunquàm cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui; virum autem cum timore tuo, non cum libidine meâ, consensi suscipere. *Tob.* 3, 16, 17, 18.

Pars IV.

GRATIA ACTUALIS ET HABITUALIS.

Gratia sumitur tùm pro benevolentiâ quâ Deus ab æterno nos dilexit, tùm etiam pro gratuito dono quod Deus nobis confert in tempore, vi æternæ dilectionis. Prior pertinet at titulum de prædestinatione; de posteriore potissimùm hoc loco sacræ Paginæ testimonia proponentur, ac primò quidem de donis gratiæ actualis; deindè verò de gratiâ habituali quæ dicitur gratum faciens et sanctificans. Doctrina specialis de christianâ justificatione commodiùs differetur ad calcem *Tractatûs de Sacramentis*.

CAPUT PRIMUM.

Gratia excitans et adjuvans.

Qui nos liberavit et vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu antè tempora secularia. 2 *Tim.* 1, 9. — Eccè sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum et cœnabo cum eo et ipse mecum. *Apoc.* 3, 20. — Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8, 26. — Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. *Rom.* 8, 14. — Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bonâ voluntate. *Phil.* 2, 13. — Quid habes quod non accepisti? 1 *Cor.* 4, 7. — Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. *Joan.* 6. 44. —

CAPUT II.

Gratia sufficiens et efficax.

Domine, quid me vis facere? *Act.* 9, 6. — Inventus sum à non quærentibus me; palàm apparui iis qui me non interrogabant. *Rom.* 10, 20.—Sed non omnes obediunt Evangelio; Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? *Rom.* 10, 16. — Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter. *Ps.* 54, 5, 6. — Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum. *Zach.* 1, 3.—Propterea expectat Dominus ut misereatur vestrî. *Isa.* 30, 18. — Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. *Isa.* 1, 19. — Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14, 23.

CAPUT III.

Auxilia gratiæ sufficientia dantur omnibus adultis.

Super quem non surget lumen illius? *Job.* 25, 9. — Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris. *Prov.* 3, 26.—Numerus dierum hominum ut multùm centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt; et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. Propter hoc patiens est Deus in illis, et effundit super eos misericordiam. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, et cognovit subversionem eorum quoniam nequam est. Ideò adimplevit propitiationem suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis. *Eccl.* 18, 8, 9, 10, 11. — Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Joan.* 1, 9. — In hunc laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum qui est salvator omnium hominum maximè fidelium. 1 *Tim.* 4, 10. — In præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas; et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitiâ corda nostra. *Act.* 14, 15, 16. — Invisibilia ipsius à creaturâ mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ità ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. *Rom.* 1, 20, 21. — Omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; unus enim est Deus, unus et mediator Dei et hominum homo, Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1 *Tim.* 2, 4, 5, 6.

CAPUT IV.

Nullus peccator, quantumvis gravis, destituitur prorsùs in hâc vitâ auxiliis ad salutem necessariis.

Dixit Sion : Dereliquit me Dominus, oblitus est mei Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. *Isa.* 49, 14, 15. — Vulgò dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eâ duxerit virum alterum, numquid revertetur ad illam ultrà? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa ? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis ; in viis sedebas expectans eos, quasi latro in solitudine ; et polluisti terram in fornicationibus tuis et in malitiis tuis. *Hier.* 3, 1, 2.—Tu ergò, fili hominis, dic ad domum Israel : Sic locuti estis dicentes : Iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus; quomodò ergò vivere poterimus ? Dic ad eos : Vivo ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ et vivat. Convertimini à viis vestris pessimis, et quarè moriemini, domus Israel ? *Ezech.* 33, 10, 11.—Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. *Matth.* 1, 28. — Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant ; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2 *Petr.* 3, 9. — An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Rom.* 2. 4. — Hoc pro certo habet omnis qui te colit quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur ; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; et si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis. *Tob.* 3, 21, 22. — Videte, fratres, ne fortè sit, in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis discedens à Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies donec hodiè cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati. *Hebr.* 3, 12, 13. — Convertimini sicut in profundum recesseratis, filii Israel. *Isa.* 31, 6.

CAPUT V.

Omnibus quidem sufficientia dantur gratiæ auxilia, non tamen omnibus æqualia.

Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. *Ps.* 147, 20. — Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. *Matth.* 11, 21. — Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis; ità, Pater, quoniam sic fuit placitum antè te. *Matth.* 11, 25, 26.—Vobis datum est nôsse mysteria regni cœlorum; illis autem non est datum. *Matth.* 13, 11. —Cujus vult miseretur, et quem vult indurat. *Rom.* 9, 18.

CAPUT VI.

Gratiæ necessitas ad fidem, spem et charitatem atque alia opera supernaturalia.

Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. 1 *Cor.* 12, 3. — Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 2 *Cor.* 3, 5. — Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. *Matth.* 16, 17. — Nemo novit filium, nisi Pater ; neque Patrem quis novit, nisi filius, et cui voluerit filius revelare. *Matth.* 11, 27. — Gratiâ estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis ; Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Ephes.* 8, 9. —Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. *Joan.* 6, 29. — Propterea dixi vobis : quia nemo potest venire ad me, nisi ei datum fuerit à Patre meo. *Joan.* 6, 66. — Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me. *Hier.* 32, 40. — Postquàm convertisti me, egi pœnitentiam, et postquàm ostendisti mihi, percussi femur meum. *Hier.* 31, 19. — Ergò et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. *Act.* 11, 18.— Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Rom.* 11, 4. — Charitas ex Deo est. 1 *Joan.* 4, 7. — Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. *Rom.* 5, 5.—Fructus spiritûs est charitas. *Gal.* 5, 22. — Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam et salvi erimus. *Ps.* 29, 8. — Converte nos, Domine, ad te et convertemur. *Thren.* 5, 21. Converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus. *Jer.* 31, 18. — Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. *Joan.* 6, 44. —Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bonâ voluntate. *Phil.* 2, 13.

CAPUT VII.

Gratiâ cooperante servari possunt divinæ legis præcepta, et caveri peccata omnia mortalia.

Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestrî ; et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum; et Spiritum meum ponam in medio vestrî, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini. *Ezech.* 36, 26, 27. — Sine me nihil potestis facere. *Joan.* 15, 5. — Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coràm illo; per legem enim cognitio peccati. *Rom.* 3, 20. — Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrige manum tuam; antè hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi. *Eccl.* 15, 16, 17, 18. —Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodiè non suprà te est, neque procul positum, neque in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrùm valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus? Sed juxtà te est sermo valdè in ore tuo et in corde tuo ut facias illum. *Deut.* 30, 11, 12, 14. — Si diligitis me, mandata mea servate. *Joan.* 14, 15. — Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. *Joan.* 14, 21. — Hæc est charitas Dei ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt. *Joan.* 5, 3.

CAPUT VIII.

Secundùm legem tamen ordinariam non ità servantur præcepta, ut vitentur omnia peccata venialia.

Non est homo qui non peccet. 3 *Reg.* 8, 46. — Nemo mundus à sorde. *Job* 14, 4.—Septies enim cadet justus et resurget. *Prov.* 24, 16. — Non est homo justus in terrâ qui faciat bonum et non peccet. *Eccl.* 7, 21. — Dimitte nobis debita nostra. *Matth.* 6, 12. — Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1 *Joan.* 1, 8. — In multis offendimus omnes. *Jacob.* 3, 2. — Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati *Rom.* 7, 23.

CAPUT IX.

Sine actualibus gratiæ auxiliis homo non potest longo tempore perseverare in amicitiâ Dei, et præcepta servare.

Quis consurget mihi adversùs malignantes? aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitatem? Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitâsset in inferno anima mea. Si dicebam : Motus est pes meus, misericordia tua Domine, adjuvabat me. *Ps.* 93, 16, 17, 18. — Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. *Ps.* 126, 1. — Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. — *Ps.* 126, 2. — Adjutor meus esto ; ne derelinquas me neque despicias me, Deus salutaris meus. *Ps.* 26, 9. — Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? *Cant.* 8, 5. —Scio, Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. *Hier.* 10, 23. — Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. *Matth.* 26, 41. — Sic orabitis: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen. *Matth.* 6, 9, 13. — Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos; non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. *Joan.* 17, 11, 15. — Simon, Simon, eccè Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquandò conversus confirma fratres tuos. *Luc.* 22, 31, 32. — Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. 2 *Cor.* 4, 7.

CAPUT X.

Justus, auxiliante Deo, perseverare in gratiâ potest usquè ad mortem.

Manete in me, et ego in vobis; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. *Joan.* 15, 4. — Manete in dilectione meâ; si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. *Joan.* 15, 9, 10. — Vide bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin et tu excideris. *Rom.* 11, 22. — Esto fidelis usquè ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 2, 10. — State in fide. 1 *Cor.* 16. — Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet ; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. 1 *Joan.* 3, 9. — Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus; qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris. 2 *Cor.* 1, 21, 22.

CAPUT XI.

Causa gratiæ efficiens Deus est.

Gratiam et gloriam dabit Dominus. *Ps.* 83, 11. — Gratiâ Dei sum id quod sum. 1 *Cor.* 15, 10. — Qui bonus est hauriet gratiam à Domino. *Prov.* 12, 2. — Gratia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. *Rom.* 1, 7. — Humilibus dat gratiam. *Jacob.* 4, 6. — Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. 1 *Petr.* 5, 10. — Credenti in eum qui justificat impium. *Rom.* 4, 5. — Juxtà est qui justificat me : quis contradicet mihi? *Isa.* 50, 8. — Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonnè tu, qui solus es? *Job.* 14, 4. — Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. *Isa.* 43, 25. — Deus noster Deus salvos faciendi, et Domini Domini exitus mortis. *Ps.* 67, 21. — Domini est salus. *Ps.* 3, 9. — Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator. *Isa.* 43, 11. — Deum absque me nescies, et salvator non est præter me. *Oseæ* 13, 14.

CAPUT XII.

Causa meritoria gratiæ est Christus, finalis, ultima Deus.

Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificavit nos in dilecto filio suo. *Ephes.* 1, 5, 6, — Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. *Ephes.* 1, 13, 14. — Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo. *Ephes* 1, 3. — De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. *Joan.* 1, 16, 17. — Si unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. *Rom.* 5, 17. — Gloriâ Domini plenum est opus ejus. *Eccl.* 42, 16.

CAPUT XIII.

Causa dispositiva gratiæ sanctificantis sunt actus fidei, spei, charitatis, et aliarum virtutum.

Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. *Rom.* 3, 24, 25. — Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundùm propositum gratiæ Dei. *Rom.* 4, 5. — Sine fide impossibile est placere Deo. *Hebr.* 11, 6. — Spe salvi facti sumus. *Rom.* 8, 24. — Omnis qui habet spem in eo sanctificat se, sicut et ille sanctus est. *Joan.* 3, 3. — Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est non poterit justificari *Eccl.* 1, 27. — Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vitâ vivet et non morietur. *Ezech.* 18, 21. — Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. *Luc.* 13, 3. — Qui diligit me, diligetur à Patre meo. *Joan.* 14, 21. — Ipse Pater amat vos, quia vos me amâstis, et credidistis quia ego à Deo exivi. *Joan.* 14, 27. — Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit, manet in morte. 1 *Joan.* 3, 14.

CAPUT XIV.

Non omnes æquali studio gratiæ, sive actuali, sive habituali, cooperantur, uti neque hæc est æqualis in omnibus.

Numquid considerâsti servum tuum Job, quòd non sit ei similis in terrâ, homo simplex, et rectus ac timens Deum, et recedens à malo? *Job.* 1, 8. — Amen dico vobis : Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ; qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. *Matth.* 11, 11. — Non erat vir de filiis Israel melior illo. 1 *Reg.* 9, 2. — Nos ipsi primitias Spiritûs habentes. *Rom.* 8, 23. — Unicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. *Ephes.* 4, 7. — Tanquàm parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondùm enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhùc enim carnales estis. 1 *Cor.* 3. 2. — In magnâ domo non solùm sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. 2 *Tim.* 2, 20. — Abundantiùs illis omnibus laboravi non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1 *Cor.* 15, 10.

CAPUT XV.

Nemo secundùm legem Dei ordinariam certò scit, certitudine fidei, se esse in gratiâ.

Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam; si justificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem os-

tendero, pravum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ. *Job.* 9, 11, 20, 21.— Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. *Ps.* 18, 13.— Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi. *Ps.* 50, 8. — Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrùm amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti; sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, ità et ille qui verum dejerat. *Eccl.* 9, 1, 2. — De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. *Eccl.* 5, 5. — Pravum est cor omnium et inscrutabile : quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes, qui do unicuique juxtà viam suam et juxtà fructum adinventionum suarum. *Hier.* 17, 9, 10. — Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi : et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet delictis tuis. *Dan.* 4, 24. — Neque me ipsum judico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me Dominus est; itaque nolite antè tempus judicare quoadusquè veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique à Deo. 1 *Cor.* 4, 4, 5. — Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem. *Prov.* 14, 12. — Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus. *Prov.* 21, 2. — Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. *Rom.* 10, 2, 3. — Si quis existimat se aliquid esse cùm nil sit, ipse se seducit. *Galat.* 6, 3.

CAPUT XVI.

Possumus tamen habere certitudinem moralem nos esse filios et amicos Dei.

Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. 1 *Joan.* 5, 21. — Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam. *Ps.* 72, 28. — Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam, et secundùm puritatem manuum mearum, retribuet mihi, quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo. *Ps.* 17, 21, 22. — Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum. *Ps.* 117, 15. —Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. *Exod.* 32, 32. — Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *Job.* 13, 155. — Erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usquè in sempiternum. *Isa.* 32, 17. — Fructus Spiritûs est charitas, gaudium, pax. *Galat.* 5, 22. — Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei. *Galat.* 6, 16. — Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate. 1 *Joan.* 4, 18. — Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. *Apoc.* 2, 17.— Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Joan.* 1, 13. — Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei; non enim accepistis Spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba Pater; ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei. *Rom.* 8, 14, 15, 16. — Si quis diligit me, Pater meus diliget eum. *Joan.* 14, 23. — Qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2, 14. — *Vide verbo* Fiducia Justorum, *titulo* de Justificatione.

CAPUT XVII.

Gratia dat esse quoddam divinum vitam animæ, et alios producit illustres effectus ac fructus.

Maxima èt pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 2 *Petr.* 1, 4. — Si qua ergò in Christo nova creatura : vetera transierunt, eccè facta sunt omnia nova. 2 *Cor.* 5, 17, — In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. *Galat.* 6, 13. — Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum, salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ illius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. *Tit.* 3, 5, 6, 7. — Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14, 23. — Qui servat mandata ejus in illo manet, et ipse in eo; et in hoc scimus quoniam manet in no-

bis de Spiritu quem dedit nobis. 1 *Joan.* 3, 24. —Deus charitas est : qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo. 1 *Joan.* 4, 16. — An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestrî. 1 *Cor.* 6, 19.— Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. *Rom.* 6, 11. — Exhibete vos Deo, tanquàm ex mortuis viventes. *Rom.* 6, 13. — Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbrâ tuâ vivemus in gentibus. *Thren.* 4, 20.

CAPUT XVIII.

Gratia non tegit duntaxat, sed verè aufert et delet peccata.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis ; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. *Isa.* 1, 16, 18.—Revertetur et miserebitur nostrî, deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. *Micheæ* 7, 19. — Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. *Ps.* 50, 3. — Nihil ergò nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant. *Rom.* 13, 1. — Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1 *Cor.* 6, 11. — *Vide plura verbo* Justificatio, 1 et 2.

CAPUT XIX.

Gratia non destruit naturam, sed ægram peccato sanat ac perficit.

Ego dixi : Domine, miserere meî ; sana animam meam, quia peccavi tibi. *Ps.* 40, 5. — Sana me, et sanabor ; salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es. *Hier.* 17, 14. — Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. *Matth.* 9, 12. — Non veni vocare justos, sed peccatores. *Matth.* 9, 13. — Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? *Joan.* 7, 23. — Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. *Isa.* 6, 10. — *Vide plura verbo* Justificatio.

CAPUT XX.

Gratia est semen gloriæ, principium meriti et causa.

Gratia Dei vita æterna. *Rom.* 6, 23. — De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ. *Joan.* 1, 16. — Si filii et hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Rom.* 8, 17. — Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ità ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1 *Cor.* 13, 3. — Manete in me et ego in vobis; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. *Joan.* 15, 4, 5.— Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salutaris salientis in vitam æternam. *Joan.* 4, 14. — *Plura vide verbo* Meritum.

CAPUT XXI.

Exhortatio ad utendum gratiâ, et ad eam studiosè conservandum.

Adjuvantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2 *Cor.* 6, 1. — Justificati ergò ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum. *Rom.* 5, 1. — State, et nolite iterùm jugo servitutis contineri. *Galat.* 5, 1. — Optimum est gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. *Hebr.* 13, 9.—Salus animæ in sanctitate justitiæ, et melior est omni auro et argento, et corpus validum quàm census immensus. *Eccl.* 30, 15. — Beati qui lavant stolas suas: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. *Apoc.* 32, 14. — Beatus qui vigilat et custodivit vestimenta sua, ne nudus ambulet et videant turpitudinem ejus. *Apoc.* 26, 15. — Beati mortui qui in Domino moriuntur : à modò jam dicit Spiritus: Ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14, 13. — Si venerit in secundâ vigiliâ, et in tertiâ vigiliâ venerit, et ità invenerit, beati sunt servi illi. *Luc.* 12, 30.

CAPUT XXII.

Exhortationes ad crescendum in gratiâ.

Qui justus est justificetur adhùc, et sanctus sanctificetur adhùc. *Apoc.* 22, 11. — Ne verearis usquè ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum. *Eccl.* 18, 22. — Justorum semita quasi lux splendens procedit,

et crescit usquè ad perfectam diem. *Prov.* 4, 18. — Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. *Ps.* 83, 6, 7, 8. — Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. *Philip.* 3, 13. — Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. *Ephes.* 4, 15. — Sicut modò geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis in salutem. 1 *Petr.* 2, 2. — Crescite in gratiâ et cognitione Domini nostri et salvatoris Jesu Christi; ipsi gloria et nunc et in diem æternitatis. Amen. 2 *Petr.* 3, 18. — Quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ità et nos in novitate vitæ ambulemus. *Rom.* 6, 4. — Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocatis estis. *Ephes.* 4, 1. — Ambulate in dilectione. *Ephes.* 5, 2.

CAPUT XXIII.

Jaculatoriæ postulantis Dei gratiam, ejusque necessitatem ac fructum agnoscentis.

Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cant.* 1, 4. — Deus converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. (*Quod ipsum ter hic magno affectu repetit.*) *Ps.* 89, 4. — Domine, da mihi hanc aquam quâ non sitiam in æternum. Da mihi aquam quæ fiat in me fons aquæ salientis in vitam æternam. *Joan.* 4, 15, 16. — Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. *Prov.* 25, 4. — Avertisti faciem tuam à me, et factus sum conturbatus. *Ps.* 29, 9. — Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitâsset in inferno anima mea. *Ps.* 93, 17. — Domine, eduxisti ab inferno animam meam, salvâsti me à descendentibus in lacum. *Ps.* 29, 3. — In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. *Ps.* 59, 14.

Pars v.

VIRTUS, VITIUM, PECCATUM GENERATIM.

Quæcumque de sapientiâ et de justitiâ generatim accepta afferuntur sacræ Paginæ testimonia, de virtute etiam intelligi possunt : sapientia enim, utì et prudentia, in sacris litteris ordinariè sumitur pro scientiâ sanctorum, quâ Deus rectè cognoscitur, et piè colitur fide, spe, charitate, cæterarumque virtutum exercitio, juxtà illud : *Scientia sanctorum prudentia. Prov.* 9, 10. Ità et justitia accipitur pro charitate et gratiâ, adeòque pro virtutum omnium aggregatione, quomodò, *Luc.* 1, 6, Zacharias et Elizabeth dicuntur *ambo justi,* id est Deo accepti, ejusque gratiâ ornati. Pauca igitur de virtute hìc referentur; reliqua vide verbo *Sapientia, Justitia, Gratia.* Idem certâ proportione servabitur quoad vitium et peccatum generatim; speciales enim singulorum rationes differentur in locum opportuniorem.

CAPUT PRIMUM.

Virtutis encomium et fructus multiplex.

Disce ubì sit prudentia, ubì sit virtus, ubì sit intellectus, ut scias simul ubì sit longiturnitas vitæ et victûs, ubì sit lumen oculorum et pax. *Baruch* 3, 14. — Qui me audierit absque terrore requiescet, abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato. *Prov.* 1, 33. — Nunc liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam : stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu, Domino nostro. *Rom.* 6, 23. — Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. *Joan.* 8, 51. — Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubì sum ego, illìc et minister meus erit; si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 22, 26. — Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. *Ps.* 83, 8. — Probata aùtem virtus corrupit insipientes. *Sap.* 1, 3. — Virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere, in malignitate autem nostrâ consumpti sumus. *Sap.* 5, 13. — Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. *Eccl.* 44, 6.

CAPUT II.

Exhortationes ad studium virtutum.

Da et accipe, et justifica animam tuam; antè objectum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum. *Eccl.* 14, 16, 17. — Posside sapientiam, quia auro melior est; et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. *Prov.* 56, 16. — Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. *Joan.* 6, 27. — De cætero, fratres quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. *Philip.* 4, 8. — In fide omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles. 1 *Petr.* 3, 8. — Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestrâ virtutem, in virtute autem scientiam, in scientiâ autem abstinentiam, in abstinentiâ autem patientiam, in patientiâ autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. 2 *Petr.* 1, 5, 6. — Ne declines ad dexteram neque ad sinistram. *Prov.* 4, 27. — Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo. Sic et doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cùm inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit. *Prov.* 24, 13, 14. — Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in ævum. *Eccl.* 41, 16. — Servite Domino in veritate, et inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi; et filiis vestris mandate ut faciant justitias et eleemòsynas, ut sint memores Dei et benedicant eum in omni tempore et in totâ virtute suâ. *Tob.* 14, 17.

CAPUT III.

Quis sit perfectæ virtutis.

Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est, et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. 1 *Joan.* 2, 5. — Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. 1 *Joan.* 4, 12. — In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est et nos sumus in hoc mundo. 1 *Joan.* 4, 17. — Virum de mille unum reperi. *Eccl.* 7, 29. — Non quòd jam acceperim aut perfectus sim, sequor autem si quomodò comprehendam, in quo et comprehensus sum à Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. *Philip.* 3, 13, 12, 14. — Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate. 1 *Joan.* 4 18.

CAPUT IV.

Exhortationes ad perfectionem.

Ambula coràm me, et esto perfectus. *Gen.* 27, 1. — Perfectus eris et absque maculâ cum Domino Deo tuo. *Deut.* 18, 18. — Timete Dominum et servite ei perfecto corde atque verissimo. *Josue*, 24, 14. — Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. *Matth.* 5, 88. — *Vide suprà* 2.

CAPUT V.

Timor Domini ad sapientiam et virtutem perfectam primus gradus est.

Initium sapientiæ timor Domini, et cum fidelibus in vulvâ congregatus est; cum electis feminis graditur, et cum justis fidelibus agnoscitur. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, ut plenitudo à fructibus illius. Radix sapientiæ est timere Dominum, et rami ejus longævi. In thesauris sapientiæ intellectus, et scientiæ religiositas; execratio autem peccatoribus sapientia. *Eccl.* 1, 16, 20, 25, 26. — Da locum timor Altissimi, quoniam omnis sapientia timor Dei, et in illâ timere Deum, et in omni sapientiâ dispositio legis. *Eccl.* 19, 18. — Timor Domini principium sapientiæ. *Prov.* 1, 7. — Timor Domini disciplina sapientiæ. *Prov.* 15, 33. — In timore Domini esto totâ die, quia habebis spem in novissimo die, et præstolatio tua non auferetur. *Prov.* 23, 18. — In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes. *Prov.* 14, 26. — Timor Domini gloria, et gloriatio et lætitia et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium in longitudinem dierum. Timor Domini expellit peccatum. *Eccl.* 1, 11, 12, 27. — Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius, et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei, et qui diligunt illum explebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usquè ad inspectionem illius. *Eccl.* 2, 18, 19, 20, 21. — Qui

timet Dominum nihil trepidabit et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. *Eccl.* 34, 16. — Timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum. *Eccl.* 40, 28. — Agnoscent, qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quàm timor Dei, et nihil dulcius quàm respicere in mandatis Domini. *Eccl.* 23, 37. — Timor Domini initium dilectionis ejus, fidei autem initium agglutinandum est ei. *Eccl.* 25, 16.

CAPUT VI.

Alia timoris Domini effecta.

Finem loquendi pariter audiamus : Deum time et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. *Eccl.* 12, 13. — Timenti Dominum benè erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus et receptacula à thesauris illius. *Eccl.* 1, 13, 20, 21. — Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit et liberabit à malis. *Eccl.* 33, 1. — Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur; spes enim illorum in salvantem illos, et oculi Dei in diligentes se. *Eccl.* 34, 14, 15. — Non est in timore Domini minoratio, et non est in eo inquirere adjutorium. *Eccl.* 40, 27. — Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. *Ps.* 33, 10. — Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei; qui tenet illum, cui assimilabitur? *Eccl.* 25, 15. — Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruinâ mortis. *Prov.* 14, 27. — Beatus homo qui semper est pavidus; qui verò mentis est duræ, corruet in malum. *Prov.* 28, 14. — Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. *Ps.* 111, 1.

CAPUT VII.

Fructus timoris Domini.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. *Ps.* 33, 8. — Qui timent te, magni erunt apud te per omnia. *Judith* 10, 19. — Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in seculum seculi. *Ps.* 111, 3. — Quàm magnus qui invenit sapientiam et scientiam, sed non est super timentem Dominum. Timor Domini super omnia se superposuit. *Eccl.* 25, 13, 14. — Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, et gloria, et vita. *Prov.* 22, 4. — Potens in terrâ erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Ps.* 111, 2. — Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua. *Eccl.* 27, 4. — Hæc sunt præcepta, ut timeas Dominum Deum tuum et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. *Deut.* 6, 12.

CAPUT VIII.

Etiam justo lapsus in peccatum metuendus.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1 *Cor.* 10, 12. — Tu fide stas : noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11, 10. — Homo sapiens in omnibus metuat, et in diebus delictorum attendat ab inertiâ. *Eccl.* 18, 27. — Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. *Job.* 31, 23. — Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum qui potest et corpus et animam perdere in gehennam. *Matth.* 10, 28. — Quis non timebit te, ô rex gentium? tuum est enim decus inter cuntos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tuî. *Hier.* 10, 7. — Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? 1 *Petr.* 4, 18.

CAPUT IX.

Jaculatoriæ petentis timorem Dei et virtutis studium.

Confige timore tuo carnes meas ; à judiciis enim tuis timui. *Ps.* 118, 20. — Timorem tuum doce me. *Ps.* 33, 12. — Fac ut serviam tibi in timore, et exultem tibi cum tremore. *Ps.* 2, 11. — Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. *Ps.* 86, 17. — Possideam, mi Domine, virtutem quia auro melior est, et acquiram eam quia pretiosior est argento. *Prov.* 16, 16. — Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. *Ps.* 118, 66. — Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. *Ps.* 70, 9. — Esto mihi, Domine, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani. *Eccl.* 34, 19. — *Vide Gladium Spiritûs, verbo* Timor salutaris.

CAPUT X.

Vitia quàm noxia, et quâ ratione extirpanda.

Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient. *Job.* 20, 11. — Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. *Gal.* 5, 24. — Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquita-

tem; ità nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem; cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. *Rom.* 6, 19, 20. — Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. *Rom.* 12, 1. — Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. *Col.* 3, 5. — Non veni pacem mittere, sed gladium. *Matth.* 10, 34. — Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1 *Cor.* 9, 27. — Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 2 *Cor.* 4, 10.

CAPUT XI.

Exhortatio ad extirpanda vitia et domandas passiones.

Post concupiscentias tuas non eas, et à voluntate tuâ avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. *Eccl.* 18, 30, 31. — Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis. *Deut.* 10, 16. — Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem, ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum. *Hier.* 4, 5. — Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Matt.* 5, 29. — Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Qui amat animam suam perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joan.* 12, 24, 25. — Fidelis sermo, nam si commortui sumus, convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos. 2 *Tim.* 2, 11, 12. — Qui delicatè à pueritiâ nutrit servum suum, posteà sentiet eum contumacem. *Prov.* 29, 21. — Dissolve collegationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. *Isa.* 58, 6. — Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest. *Isa.* 58, 9.

CAPUT XII.

Peccatum est aversio à Deo, et conversio ad creaturas est inane et nihil.

Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis quia elongaverunt à me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? *Hier.* 2, 5. — Dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. *Hier.* 2, 13. — Qui lætamini in nihilo. *Amos.* 6, 14. — Sine ipso factum est nihil. *Joan.* 1, 3. — Confidunt in nihilo et loquuntur vanitates. *Isa.* 59, 4. — Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur. Et vivificaverunt animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. *Ezechiel.* 13, 19. — Iste et pro buccellâ panis deserit veritatem. *Prov.* 28, 21. — Gratis venumdati estis, et gratis redimemini. *Isa.* 52, 3. — Verterunt ad me tergum et non faciem, et in tempore afflictionis suæ dicent: Surge et libera nos. *Hier.* 2, 27. — Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus. *Hier.* 2, 29.

CAPUT XIII.

Peccata sunt sordes, immunditiæ, tenebræ, execrationes, abominationes, etc.

Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio, quoniam cœpit abire post sordes. *Oseæ* 5, 2. — Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus. *Deut.* 32, 5. — Propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessimâ. *Mich.* 2, 10. — Et Jesus, sacerdos magnus, quasi totius populi peccata portans, indutus erat vestibus sordidis. *Zach.* 3, 3. — Atque Jesus servator noster consputus fuit, et indignè habitus, ut hisce sordibus peccatorum nostrorum sordes ablueret. *Matt.* 26, 67. — In menstruis suis invenient eam. *Jerem.* 2, 24, — Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit, de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris. *Isa.* 4, 4. — Nox præcessit, dies autem appropinquavit; abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamus arma lucis. *Rom.* 13, 12. — Eratis aliquandò tenebræ. *Ephes.* 5, 8. — Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. *Ephes.* 5, 11. — Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. 1 *Joan.* 1, 6. — Revertere ad Dominum, et avertere ab in-

justitiâ tuâ, et nimis odito execrationem. *Eccl.* 17, 23. — De execratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione; in viâ consummationis, et non erunt. *Ps.* 58, 13. — Quandò ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium. *Deut.* 18, 9. — Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. *Deut.* 32, 16. — Spes illorum abominatio animæ. *Job.* 11, 20. — Quasi à facie colubri fuge peccata; et si accesseris ad illa, suscipient te dentes leonis, dentes ejus interficientes animam hominum, quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. *Eccl.* 21, 2, 3, 4.

CAPUT XIV.

Peccatum et corpori et animo est calamitosum.

Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt; qui comederit de ovis eorum, morietur; et quod confotum est, erumpet in regulum. *Isa.* 59. 4, 5. — Ut iniquè agerent, laboraverunt. *Hier.* 9, 5. — Peccatores persequitur malum. *Prov.* 13, 21.— Qui seminat iniquitatem, metet mala, et virgâ iræ suæ consummabitur. *Prov.* 22, 8. — Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te; scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem meî apud te, dicit Dominus Deus exercituum. *Hier.* 2, 19. — Plagâ inimici percussi te, castigatione crudeli; propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. *Hier.* 30, 14.— Noli facere mala et non te apprehendent, discede ab iniquo, et deficient mala abs te. Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. *Eccl.* 7, 1, 2, 3. — Plùs fecit quàm potuit, idcircò pericrunt. *Jer.* 48, 36. — Qui perversis graditur viis, concidet semel. *Prov.* 28, 18. — In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera; et justi ruinas eorum videbunt. *Prov.* 29, 16. — Prævaricationes in consummatione tabescant. *Eccl.* 40, 14. — Super peccatores septuplum : ad hæc mors, sanguis, contentio, et romphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagella. *Eccl.* 40, 8, 9. — Anima nequam disperdet qui se habet, et in gaudium inimicis dat illum, et deducet in sortem impiorum. *Eccl.* 6, 4. — Lassati sumus in viâ iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. *Sap.* 5, 7. — Nihil in terrâ sine causâ fit, et de humo non oritur dolor. *Job.* 5, 6. — Nunc verò reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem, undè et abstuli omnia spolia aurea et argentea quæ erant in eâ, et misi auferre habitantes Judæam sine causâ. Cognovi ergò quia propterea invenerunt me mala ista : et eccè pereo tristitiâ magnâ in terrâ alienâ. 1 *Machab.* 6, 12, 13. — Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit. *Prov.* 16, 27.

CAPUT. XV.

Labores et conatus omnes irritos reddit.

Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis : opera eorum, opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum. *Isa.* 59. 6. — Ventum seminabunt, et turbinem metent, culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam; quod et si fecerit, alieni comedent eam. *Oseæ* 8 7. — Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : totâ die mendacium et vastitatem multiplicat, etc. *Oseæ* 12, 1. — Non salvabit impietas impium. *Eccl.* 8, 8. — Impius facit opus instabile; seminanti autem justitiam merces fidelis. *Prov.* 11, 18. — Idcircò pro eo quòd diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis; vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. Quia cognovi multa scelera vestra et fortia peccata vestra : hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in portâ. *Amos.* 5, 11, 12. — Sapientiam et disciplinam qui abjicit infelix est, et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum. *Sap.* 3, 11.

CAPUT XVI.

Pœnas ærumnasque accersit temporales ac sempiternas.

Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usquè ad nihilum. 2 *Reg.* 23, 6, 7. — Eccè dies veniet succensa quasi caminus; et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula; et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. *Malach.* 4, 1. — Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini Dei altissimi; et si nati fueritis, in maledictione nascemini; si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. *Eccl.* 41, 11, 12. — Quæ seminaverit homo, hæc et metet: quo-

niam qui seminat in carne suâ, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in Spiritu, et de Spiritu metet vitam æternam. *Gal.* 6, 7, 8. — Si quis in me non manserit, mittetur foràs sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. *Joan.* 15, 6. — Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem. *Jac.* 1, 15. — Timidis autem et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda. *Apoc.* 21, 8. — Comedent fructus vitæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. *Prov.* 1, 32. — Vir qui erraverit à viâ doctrinæ, et in cœtu gigantum commorabitur. *Prov.* 21, 16. — Eccè vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis : de manu meâ factum est hoc vobis; in doloribus dormietis. *Isa.* 50, 11.

CAPUT XVII.

Animam donis supernaturalibus spoliat, maculat, inficit; dæmonis potestati, mortique perpetuæ subjicit.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto. *Luc.* 10, 30. — Si laveris te intrò, et multiplicaveris tibi herbam burith, maculata es in iniquitate tuâ coràm me, dicit Dominus. *Jer.* 2, 22. — An parùm vobis est, quòd peccâstis in Beelphegor, et usquè in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet? Multique de populo corruerunt. *Josue* 2, 2, 17. — Dedisti maculam in gloriâ tuâ. *Eccl.* 4, 7. — Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. *Ephes.* 5, 27. — Si averterit se justus à justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem, secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. *Ezech.* 18, 24. — Et ponam illum in manu eorum qui te humiliaverunt, et dixerunt animæ tuæ : Incurvare ut transeamus. Et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus. *Isa.* 51, 23. — Ne quandò resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. 1 *Tim.* 2, 26. — Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestris vultis facere. *Joan.* 8, 44. — O plene omni dolo et fallaciâ, fili diaboli! *Act.* 18, 10. — Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. *Tob.* 12, 10. — Homo per malitiam occidit animam suam. *Sap.* 16, 14. — Scio opera tua, quia nomen habes, quòd vivas, et mortuus es. *Apoc.* 3, 1. — Omnes qui me oderunt diligunt mortem. *Prov.* 8, 36.

CAPUT XVIII.

Intellectui cæcitatem, ignorantiam, amentiam conciliat.

Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. *Isa.* 6, 9, 10. — Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. Quis cæcus nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venumdatus est? et quis cæcus, nisi servus Domini? *Isa.* 42, 18, 19. — Viam pacis nescierunt, et non est judicium in gressibus eorum. Semitæ eorum incurvatæ sunt eis : omnis, qui calcat in eis, ignorat pacem. *Isa.* 59, 8. — Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus; impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. *Isa.* 19, 10. — Stultus populus meus me non cognovit : filii insipientes sunt et vecordes; sapientes sunt ut faciant mala, benè autem facere nescierunt. *Hier.* 4, 22. — Educ foràs populum cæcum et oculos habentem; surdum, et aures ei sunt. *Isa.* 43, 8. — Audi, popule stulte, qui non habes cor : qui habentes oculos non videtis; et aures, et non auditis. *Hier.* 5, 21. — Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis. Scitote, Israel, stultum Prophetam, insanum virum spiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ et multitudinem amentiæ. *Oseæ* 9, 7. — Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. *Soph.* 1, 17. — Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit, sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. *Oseæ* 7, 9. — Et factus est Ephraim sicut columba seducta non habens cor; Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt. *Oseæ* 7, 11. — Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipiens eorum; dicentes enim se sese sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,

et volucrum et quadrupedum et serpentium. *Rom.* 1, 21, 22, 23. — Cui loquar? et quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum audire non possunt : ecce verbum Domini factum est in opprobrium, et non suscipient illud. *Hier.* 6, 10. — Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. *Rom.* 1, 28. — Qui dicit se nôsse eum et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. 1 *Joan.* 2, 4. — Omnis qui in eo manet non peccat; et omnis qui peccat non vidit nec cognovit eum. 1 *Joan.* 3, 6. — Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem. *Prov.* 14, 12. — Possidebunt parvuli stultitiam, et expectabunt astuti scientiam. *Prov.* 14, 21. — Ne impiè agas multùm, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. *Eccl.* 7, 18. — Hæc cogitaverunt et erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum, et nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. *Sap.* 2, 21, 22. — Palpabunt quasi in tenebris et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios. *Job.* 12, 25. — Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? *Deut.* 32, 6. — Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. *Sap.* 5, 4.

CAPUT XIX.

Voluntatem à summo bono avocat, atque in malo obdurat.

Diligit Dominus filios Israel, et ipsi diligunt vinacia uvarum. *Oseæ* 3, 1. — Usquequò, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam? *Prov.* 1, 22. — Stupor et mirabilia facta sunt in terrâ : Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis; populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo ejus? *Jer.* 5, 30, 31. — Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. *Oseæ* 9, 10. — Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. *Ps.* 72, 23. — Et gloriati sunt qui oderunt te in mendacio solemnitatis tuæ. *Ps.* 73, 4. — Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum. *Jer.* 17, 1. — Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua : non est qui judicet judicium tuum ad alligandum; curationum utilitas non est tibi. *Jer.* 30, 12, 13. — Durâ cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ità et vos. *Act.* 7, 51. — Ascende in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Ægypti : frustrà multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. *Jer.* 46, 11. — Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. *Isa.* 48, 4.

CAPUT XX.

Timorem gignit et angustiam.

Fortitudo simplicis via Domini, et pavor his qui operantur malum. *Prov.* 10, 29. — Gaudium justo est facere judicium, et pavor operantibus iniquitatem. *Prov.* 21, 15. — Fugit impius, nemine persequente; justus autem quasi leo confidens absque terrore erit. *Prov.* 28, 1. — Frequenter præoccupant pessima redarguente conscientiâ; cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæva perturbata conscientia. *Sap.* 17, 10, 11. — Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes ejus. *Job.* 18, 11. — Dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium; terrebit eos sonitus folii volantis, et ità fugient quasi gladium : cadent nullo persequente. *Levit.* 29, 36. — Sonitus terroris semper in auribus illius, et cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. *Job.* 15, 22. — Cùm se moverit ad quærendum panem, novit quòd paratus sit in manu ejus tenebrarum dies. *Job.* 15, 23. — Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium. *Job.* 15, 24. — Detraxit fortes in fortitudine suâ; et cùm steterit, non credet vitæ suæ. *Job.* 24, 22. — Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore ubi non erat timor. *Ps.* 13, 5.

CAPUT XXI.

Pudorem adfert et impudentiam.

Quem ergò fructum tunc habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. *Rom.* 6, 21. — Impius confundit et confundetur. *Prov.* 13, 5. — Quomodò confunditur fur, quandò deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi et reges eorum, principes et sacerdotes et prophetæ eorum, *Jer.* 2, 26. — Confundentur enim ab idolis quibus sacrificaverunt; et erubescetis super hortis quos elegeratis, cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aquâ. *Isa.* 1, 29 30. — Agnitio vultûs eorum

respondet eis, et peccatum suum, quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt : væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. *Isa.* 3, 9. — Domus Israel attritâ fronte et duro corde. *Ezech.* 3, 8. — Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. *Jer.* 3, 3. — Vir impius procaciter obfirmat vultum suum; qui autem rectus est, corrigit viam suam. *Prov.* 21, 29. — Confusi sunt, quia abominationem fecerunt, quin potiùs confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt; quamobrem cadent inter ruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. *Jer.* 6, 15.

CAPUT XXII.

In tristitiam desinit ac desperationem.

Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam? *Prov.* 5, 12, 13. — In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, in quâ nunc sum, qui jucundus eram et dilectus in potestate meâ! Nunc verò reminiscor malorum quæ feci. 1 *Mach.* 6, 11, 12. — Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquàm umbra, et tanquàm nuncius præcurrens. *Sap.* 5, 8, 9. — Quarè iratus es, et cur concidit facies tua? Nonnè si benè egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit. *Gen.* 4, 6, 7. — Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum. *Rom.* 2, 9. — Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo cytharæ. Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam. *Isa.* 24, 8, 9. — Major est iniquitas mea quàm ut veniam merear. *Gen.* 4, 13. — Desperavi, nequaquàm faciam; adamavi quippè alienos, et post eos ambulabo. *Jer.* 2, 25. — Desperavimus : post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis mali faciemus. *Jer.* 18, 12. — Factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari. *Jerem.* 15, 18.

CAPUT XXIII.

Vires animi et corporis enervat.

Erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat. *Isa.* 1, 31. — Stupa collecta Synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. *Eccl.* 21, 10. — Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit, sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. *Oseæ* 7, 9. — Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Jerusalem et à Judâ validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquæ, fortem et virum bellatorem, principem super quinquaginta. Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. *Isa.* 1, 2, 3, 4. — Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmâsti super me manum tuam. *Ps.* 37, 3. — Non est sanitas in carne meâ à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. *Ps.* 37, 4. — Remitte mihi, ut refrigerer priusquàm abeam, et ampliùs non ero. *Ps.* 38, 14. — Ego dixi : Domine, miserere meî; sana animam meam, quia peccavi. *Ps.* 40, 5. — Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcessere facit. *Job.* 33, 19. — Abominabilis ei fit in vitâ suâ panis, et animæ illius cibus antè desiderabilis. *Job.* 33, 20. — Tabescet caro ejus, et ossa quæ tecta fuerant nudabuntur. *Job.* 33, 21. — Appropinquavit corruptioni anima ejus et vita illius mortiferis. *Job.* 33, 22. — Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Joan.* 5, 14.

CAPUT XXIV.

Vitam abbreviat, mortem accelerat.

Impii de terrâ perdentur, et qui iniquè agunt auferentur ex eâ. *Prov.* 2, 22. — Quasi tempestas transiens non erit impius : justus autem quasi fundamentum sempiternum. *Prov.* 10, 25. — Timor Domini apponet dies; et anni impiorum breviabuntur. *Prov.* 12, 7. — Verte impios, et non erunt; domus autem justorum permanebit. *Prov.* 12, 7. — Vidi impium superexaltatum, et elevatum super cedros Libani. *Ps.* 36, 35. — Et transivi, et ecce non erat, quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. *Ps.* 36, 36. — Ne impiè agas multùm, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. *Eccl.* 7, 18. — Video quia iniquitas finem dabit ei. *Tob.* 14, 13. — Tanquàm fœnum velociter arescent; et quemadmodùm olera herbarum citò decident. *Ps.* 36, 2. — Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem : expulsi sunt, nec potuerunt stare. *Ps.* 35, 13. — Stipendia peccati mors. *Rom.* 6, 23. — Finis illorum mors. *Rom.* 6, 21. — Si secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Rom.* 8, 13. — Clementia præparat vitam, et sectatio malorum mortem. *Prov.* 12, 28. — In semitâ justitiæ vita; iter autem devium ducit ad mor-

tem. *Prov.* 22, 28. — Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5, 12.

CAPUT XXV.

Famam, honorem, gloriam destruit.

Memoria justi cum laudibus : et nomen impiorum putrescet. *Prov.* 10, 6. — Nec memor ero nominum eorum per labia mea. *Ps.* 15, 5. — Sunt quorum non est memoria : perierunt quasi qui non fuerint; et nati sunt quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis. *Eccl.* 44, 9. — Memoria illius pereat de terrâ, et non celebretur nomen ejus in plateis. *Job.* 18, 17. — Nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri : quoniàm consignata est, et nemo revertitur. *Sap.* 2, 4, 5. — Dedisti maculam in gloriâ tuâ. *Eccl.* 47, 22. — Gloriam sapientes possidebunt : stultorum exaltatio ignominia. *Prov.* 3, 35. — Quis honorificabit exhonorantem animam suam ? *Eccl.* 10, 32. — Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat. *Ps.* 14, 5 — Si ascenderit usquè ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit. *Job.* 20, 6. — Quasi sterquilinium in fine perdetur; et qui eum viderant, dicent : Ubi est ? *Job.* 20, 7. — Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna. *Job.* 20, 8. — Oculus qui eum viderat non videbit, neque ultrà intuebitur eum locus suus. *Job.* 20, 9.

CAPUT XXVI.

Fortunæ bona dilapidat.

Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni; regionem vestram coràm vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili, et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vineâ, et sicut tugurium in cucumerario. *Isa.* 1, 7, 8, 9. — Ruit Jerusalem, et Judas concidit : quia lingua eorum, et adinventiones eorum contrà Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. *Isa.* 3, 8. — Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc. *Isa.* 24, 3. — Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis, et gravabit eam iniquitas suà, et corruet, et non adjiciet ut resurgat. *Isa.*, 24, 19, 20. — Numquid servus est Israel, aut vernaculus? Quarè ergò factus est in prædam ? Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam ; posuerunt terram ejus in solitudinem ; civitates ejus exustæ sunt, et non est qui habitet in eis. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam ? *Jer.* 2, 14, 15, 16, 17. — Dicite gentibus : Eccè auditum est in Jerusalem custodes venire de terrâ longinquâ, et dare super civitates Juda vocem suam. Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro : quia me ad iram provocaverunt, dicit Dominus. Viæ tuæ et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi : ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum. *Jer.* 4, 16, 17, 18. — Cùm annuntiaveris populo huic omnia verba hæc, et dixerint tibi : Quarè locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra ? et quod peccatum nostrum ? Dices ad eos : Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus, et abierunt post deos alienos, et servierunt. Sed et vos pejus operati estis quàm patres vestri : eccè enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat. Et ejiciam vos de terrâ hàc in terram quam ignoratis vos. *Jer.* 16, 10, 11, 12, 13. — Quid est, Israel, quòd in terrâ inimicorum es ? Inveterâsti in terrâ alienâ, coinquinatus es cum mortuis; deputatus es cum descendentibus in infernum. Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in viâ Dei ambulâsses, habitâsses utique in pace sempiternâ. *Baruch* 3, 10, 11, 12, 13. — Eccè dies, eccè venit : egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia, iniquitas surrexit in virgâ impietatis, non ex eis, et non ex populo, neque ex sonitu eorum : et non erit requies in eis. *Ezech.* 7, 10, 11. — Et respondebit arrogantia Israel in facie ejus; et Israel et Ephraim ruent in iniquitate suâ, ruet etiam Judas cum eis. *Oseæ* 5, 5. — Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio : quoniam cœpit abire post sordes. *Oseæ* 5, 11. — Non fuit qui insultaret populo isti, nisi quandò recessit à cultu Domini Dei sui. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, et in gladium, et in opprobrium. *Judith* 5, 17, 18. — Usquè dùm non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona : Deus enim illorum odit iniquitatem. *Judith* 5, 21. — Nam et antè hos annos cùm recessissent à viâ quam dederat illis Deus,

ut ambularent in eâ, exterminati sunt præliis à multis nationibus, et plurimi illorum captivi abducti sunt in terram non suam. *Judith* 5, 22. — Nunc ergò, mi Domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, et ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, et subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ. *Judith* 5, 24. — Constat Deum nostrum sic peccatis offensum, ut mandaverit per Prophetas suos ad populum, quòd tradat eum ad Deum pro peccatis suis, et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filii Israel, tremor tuus super ipsos est. *Judith* 11, 8, 9. — Nec poterit Israel stare antè hostes suos, eosque fugiet: quia pollutus est anathemate; non ero ultrà vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est. *Jos.* 7, 12. — Alienatus mente Antiochus, non considerabat quòd, propter peccata habitantium civitatem, modicùm Deus fuerat iratus: propter quod et accidit circà locum despectio; alioquì nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus missus ad exspoliandum ærarium, etiam hic statim adveniens flagellatus, et repulsus utique fuisset ab audaciâ. 2 *Mach.* 5, 17, 18. — Invenerunt sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, à quibus lex prohibet Judæos: omnibus ergò manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. 2 *Mach.* 1, 40. — Væ eis, quoniam recesserunt à me: vastabuntur, quia prævaricati sunt in me; et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contrà me mendacia. *Oseæ* 7, 13. — Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. *Oseæ* 8, 3. — Cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes et non saturaberis: et humiliatio tua in medio tuî; et apprehendes, et non salvabis, et quos salvaveris, in gladium dabo. Tu seminabis et non metes; tu calcabis olivam et non ungeris oleo, et mustum, et non bibes vinum. *Mich.* 6, 13, 14. — Justitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum. *Prov.* 14, 34. — Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias et injurias, et contumelias et diversos dolos. *Eccl.* 10, 8.

CAPUT XXVII.

Sobolem et posteritatem exstirpat.

Non erit semen ejus neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus. *Job.* 18, 19. — Da eis, Domine; quid dabis eis? da eis vulvam sine liberis et ubera arentia. *Oseæ* 9, 14. — Percussus est Ephraim: radix eorum exsiccata est, fructum nequaquàm facient. *Oseæ* 9, 16. — Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultrà in Judà. *Jer.* 22, 30. — Ephraim quasi avis avolavit gloria eorum à partu, et ab utero, et à conceptu. *Oseæ* 9, 11. — Ramos ejus arefaciet flamma, et auferetur spiritu oris sui. *Job.* 15, 30. — Semen impiorum peribit. *Ps.* 36, 28. — Reliquiæ impiorum interibunt. *Ps.* 36, 38. — Congregatio hypocritæ sterilis. *Job.* 15, 34. — Consumat brachia illius primogenita mors. *Job* 18, 13. — Quòd etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus. *Oseæ* 9, 12. — Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus. *Isa* 14, 22. — Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, et radices immundæ super cacumen petræ sonant. *Eccl.* 40, 41. — Quòd etsi genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. *Oseæ* 9, 16.

CAPUT XXVIII.

Odit Deus non impium modò, et impietatem ejus, sed et ipsius munera, sacrificia, festa.

Similiter autem odio sunt Deo impius, et impietas ejus. *Sap.* 14, 9. — Odisti omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium. *Ps.* 5, 6. — Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. *Ps.* 5, 7. — Incipiam te evomere ex ore meo. *Apoc.* 3, 16. — Victimæ impiorum abominabiles Domino; vota justorum placabilia. *Prov.* 15, 8. — Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. *Prov.* 21, 27. — Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum; nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. *Eccl.* 34, 23. — Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus; plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri; calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. *Isa.* 1, 11, 13, 14. — Odi et projeci festivitates vestras: et capiam odorem cœtuum vestrorum: quòd si obtuleris mihi holocaustomata, et munera vestra non suscipiam: aufer à me tumultum carminum tuorum, et can-

tica lyræ tuæ non audiam. *Amos.* 5, 21, 22, 33.

CAPUT XXIX.

Improperat Deus collata in peccatorem beneficia.

Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu. *Ps.* 54, 13. 14, 15. — Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est : Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. *Isa.* 1, 2, 3. — Ego plantavi te, vineam electam, omne semen verum : quomodò ergò conversa es mihi in pravum, vinea aliena? *Jer.* 2, 21. — Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? et non dixerunt : Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terrâ Ægypti, qui traduxit nos per desertum? Induxit vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus et optima illius; et ingressi contaminâstis terram meam, et hæreditatem meam posuistis in abominationem. *Jer.* 2, 5, 6, 7. — Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas. *Isa.* 65, 2. — Vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui me aspiceret; despexistis omne consilium meum, etc. *Prov.* 1, 24.

CAPUT XXX.

Exhortatur Deus ad deponenda peccata.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perversè, discite benefacere; quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. *Isa.* 1, 16, 17. — Lava à malitiâ cor tuum, Jerusalem, ut salva fias : usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? *Jer.* 4, 14. — Et nunc quid tibi vis in viâ Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum viâ Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? *Hier.* 11, 18. — Quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum, ac sordes abominationi habebis, quia anathema est. *Deut.* 7, 26. — Tu reliquisti me, dicit Dominus : retrorsùm abiisti; et extendam manum meam super te, et interficiam te; laboravi rogans. *Jer.* 15, 6. — Prævaluerunt sermones Jonadab, filii Rechab, quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum : et non biberunt usquè ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui; ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens et loquens, et non obedistis mihi. *Jer.* 35, 14. — Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel. *Isa.* 31, 6. — Ergò saltem amodò voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. *Jer.* 3, 4. — Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam à vobis : quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum. *Jer.* 3, 12. — Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur à viis suis et vivat? *Ezech.* 18, 23.— Usquequò, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam : en proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea. *Prov.* 1, 22, 23. — Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum : et quarè moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini et vivite. *Ezech.* 28, 30, 31, 32. — Confundimini et erubescite super viis vestris, domus Israel. *Ezech.* 36, 32. — Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. *Matth.* 11, 28. — Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Matth.* 11, 29, 30. — O, ô fugite de terrâ Aquilonis! dicit Dominus; ô Sion! fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. *Zach.* 2, 6, 7.

CAPUT XXXI.

Pollicetur Deus pœnitentibus misericordiam, gratiam, atque alia corporis et animi dona.

Et percutiam cum eis fœdus in die illâ cum bestiâ agri et cum volucre cœli, et cum reptili terræ; et arcum, et gladium, et bellum conteram de terrâ; et dormire eos faciam fiducialiter, et sponsabo te mihi in justitiâ et judicio, et in misericordiâ, et in miserationibus : et sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus. Et erit in die illâ : Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, et vinum et oleum; et hæc exaudient Israel. Et seminabo eam mihi in terrâ, et miserebor ejus quæ fuit absque misericordiâ, et dicam non populo meo : Populus meus es tu. Et ipse dicet : Deus meus es tu. *Oseæ* 2, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24. — Propter hoc eccè ego lactabo eam, et du-

cam eam in solitudinem; et loquar ad cor ejus. *Oseæ* 2, 14. — Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanè; quia aversus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani. Quis sapiens, et intelliget ista? Intelligens, et sciet hæc? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis; prævaricatores verò corruent in eis. *Oseæ* 14, 5, 6, 9, 10. — Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus; confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei. Eccè confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversùm te: erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt tibi. Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel. *Isa.* 14, 10, 11, 14, 15. — Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. *Isa.* 42, 3.

CAPUT XXXII.

Aliæ ad maturam conversionem exhortationes.

Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. *Eccl.* 5, 8, 9. — Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. *Eccl.* 5, 4. — Ne adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas: Miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo citò proximant, et in peccatores respicit ira illius. *Eccl.* 5, 7. — Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus; nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13, 11, 12, 13, 14. — Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 2 *Cor.* 5, 19, 20. — Has ergò habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2 *Cor.* 7, 1. — Surge, qui dormis, et exurge à mortuis, et illuminabit te Christus. *Ephes.* 5, 14. — Convertere ad Dominum, et relinque peccatà tua; precare antè faciem Domini, et minue offendicula. Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitiâ tuâ, et nimis odito execrationem; et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis et orationis Altissimi Dei. *Eccl.* 17, 21, 22, 23, 24. — Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensûs sui: tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. *Ephes.* 4, 17, 18, 19.

CAPUT XXXIII.

Vox peccatoris proponentis redire ad Deum et peccatum suum agnoscentis.

Vadam et revertar ad virum meum priorem, qnia benè mihi erat, tunc magis quàm nunc. *Oseæ* 2, 7. — In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in cœlum et coràm te; jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15, 17, 18, 19. — Dominus Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantùm in te recordamur nominis tui. *Isa.* 26, 13. — Peccavi valdè in hoc facto; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis. 2 *Reg.* 24, 10. — Deus meus, confundor, et erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usquè ad cœlum. 1 *Esdræ*, 9, 6. — Peccavi, et verè deliqui, et ut eram dignus, non recepi. *Job.* 33, 24.

CAPUT XXXIV.

Jaculatoriæ dolentis de admissis peccatis.

Peccavi, quid faciam tibi, ô custos hominum? *Job.* 7, 20. — Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contrà me est semper. *Ps.* 50, 5. — Peccavimus cum patribus nostris; injustè egimus, iniquitatem fecimus. *Ps.* 105, 6. — Iniquitates meæ diviserunt inter me, et Deum meum, et peccata mea absconderunt faciem ejus à me, ne exaudiret: manus enim meæ pollutæ sunt sanguine, et digiti mei iniquitate. Labia mea locuta sunt

mendacium, et lingua mea iniquitatem fatur. *Isa.* 59, 2, 3. — Multiplicatæ sunt infirmitates meæ coràm te, et peccata mea responderunt mihi, quia scelera mea mecum, et iniquitates meas cognovi : peccare et mentiri contrà Dominum, et aversus sum, ut irem post tergum Domini, ut loquerer calumniam et transgressionem; concepi, et locutus sum de corde verba mendacii. *Isa.* 59, 12. — Duo mala feci, Deus meus; te dereliqui, fontem aquæ vivæ, et fodi mihi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. *Hier.* 2, 13. — Scio iniquitatem meam, quia in Dominum Deum prævaricatus sum et dispersi vias meas alienis, sub omni ligno frondoso, et vocem tuam non audivi. *Hier.* 3, 13. — Quomodò si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsi te, Deus meus. *Hier.* 3, 20. — Pater, peccavi in cœlum et coràm te, jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15, 19. — Quid feci ? vox sanguinis fratris mei (Christi) clamat ad te, Domine, de terrâ. *Gen.* 4, 10.—Peccavi Domino, transfer, Domine, peccatum meum. 2 *Reg.* 12, 13. — Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui : agnosco enim servus tuus peccatum meum. 2 *Reg.* 19, 19, 20.

LIBER III.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS AC CARDINALIBUS VITIISQUE OPPOSITIS.

Allata libro secundo divina Eloquia sunt de mediis assequendi finem nostrum ultimum, qui est suprema nostra beatitudo, et de impedimentis ab ejusdem consecutione nos retardantibus, sive de virtutibus et vitiis, ac peccatis in genere. Nunc, ut majore cum distinctione procedam, agendum hoc libro speciatim de virtutibus theologicis, fide, spe, charitate; de cardinalibus item, prudentiâ, justitiâ, temperantiâ, fortitudine, et omnibus hic annexis. Deniquè de vitiis ac peccatis oppositis secundùm doctrinæ ordinem posterioribus, uti superioris libri proœmio pluribus declaratum est. Erit igitur tractatus hic veluti quidam gladius Spiritûs è sacro divinarum Scripturarum armamentario depromptus, ad regna subvertenda vitiorum, et virtutum omnium christianarum imperium stabiliendum. Cujus nomenclationis ratio pluribus declarabitur proœmio et introductione libri quarti sequentis.

Pars prima.

FIDES DIVINA, ET VITIA OPPOSITA.

De virtute fidei disserunt scholastici cum Magistro in tertium librum sententiarum, distinctione 23, et duabus sequentibus. Et cum divo Thomâ, *secundâ secundæ, à quæstione* 1 *usquè ad* 16 *inclusivè* de eàdem prolixè agunt qui hujus temporis controversias pertractant, præsertìm in materiâ de fide justificante, ut Bellarminus, Valentia, Michael Medina, Stapletonus, Albertus Pighius et alii. Porrò fides christiana primum non dignitate quidem, sed generatione et ordine locum obtinet inter virtutes theologicas, quas principium et finem fidelium divus Ephrem vocat. Tria fundamenta, quibus Christi templum et christiana omnis structura consurgit, Clemens Alexandrinus, *lib.* 5 *Stromatum.* Tria, quibus omnis scientia et prophetia militat, magnus Augustinus, *lib.* 1 *de Doctrinâ christianâ, cap.* 37. Tria deniquè, per quæ perducimur ad similitudinem creatricis Trinitatis, Rupertus, *lib.* 6 *de Glorificatione Trinitatis, cap.* 19, appellat. Varia fidei acceptio videri potest apud theologos. Fidei opponitur incredulitas, cujus præcipuæ species sunt hæresis et apostasia. Blasphemia, quam aliqui his addunt, propriè repugnat laudi Dei. De quâ infrà, *par.* 6, *c.* 30.

CAPUT PRIMUM.

Fides orthodoxa non nititur persuasione humanâ.

Prædicatio nostra non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei. 1 *ad Cor.* 2, 4. — Notum vobis facio Evangelium, quod evangelizatum est à me, quoniam non est secundùm hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per relationem Jesu Christi. *Ad Gal.* 1, 12. — Cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei. *Ad Thess.* 2, 13. — Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. 1 *Joan.* 5, 9.

CAPUT II.

Sed auctoritate purè divinâ.

Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. *Matth.* 16, 17. — Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. *Joan.* 12, 44. — Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, Patris. *Joan.* 7, 16. — Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrinâ utrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. *Joan.* 7, 17. — Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. 2 *Joan.* 5, 10. *Vide plura,* c. 5.

CAPUT III.

Revelatio universalis et particularis, immediata et mediata.

Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *Marc.* 16, 15. — Fides vestra annuntiatur in universo mundo. *Ad Rom.* 1, 8. — Oportebat prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. *Luc. ult.* 47. — Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. *Gen.* 15, 6. Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ. *Act.* 1, 8. —Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1 *ad Cor.* 13, 12. — Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Joan.* 1, 9. — Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. 1 *Tim.* 2, 4.

CAPUT IV.

Veritas prima.

Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. *Rom.* 3, 4. — Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum fortissimum solatium habeamus. *Heb.* 6, 18. — Deus fidelis et absque ullâ iniquitate. *Deut.* 32, 4. — Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. *Matth.* 24, 35. — Det vobis Deus Spiritum sapientiæ, et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis vestræ, et quæ divitiæ, gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus. *Ad Ephes.* 1, 17.

CAPUT V.

Fidei natura, firmitas, certitudo.

Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. *Heb.* 11, 1. — Hanc vocem audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto, et habemus firmiorem propheticum sermonem; cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. 1 *Pet.* 1, 18, 19. — Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterùm dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. *Gal.* 1, 8, 9. — Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum Dei. 2 *ad Thess.* 2, 13. — Deum nemo vidit unquàm; unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. *Joan.* 1, 18. — Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. *Psal.* 92, 5. — Contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus et Spiritûs sancti distributionibus secundùm suam voluntatem. *Heb.* 2, 4. — Gratiâ estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est. *Ephes.* 2, 8. — Sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus. *Oseæ* 2, 20.

CAPUT VI.

Unitas, necessitas, utilitas.

Unus Dominus, una fides, unum baptisma. *Ephes.* 8, 4, 5. — In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. *Gal.* 5, 6. —Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. *Heb.* 11, 6. — Non est in alio aliquo salus; ne-

que enim aliud est nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Act.* 4, 12. — Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestrî faciens in orationibus meis ; ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis in agnitionem ejus ; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ, gloriæ, hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus. *Ephes.* 1, 16, 17, 18, 19. — Beatissimus Israel, quia quæ Deo placent manifesta sunt vobis. *Baruch* 4, 4. — Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. *Ps.* 147, 9. — Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei. *Ephes.* 2, 19. — Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine ; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. *Ad Colos.* 1, 12, 13, 14. — Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verùmtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. *Philip.* 3, 7, 8. — Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi, et transibit. *Matt.* 17, 19.

CAPUT VII.

Fides viva et mortua.

Justus in fide suâ vivet. *Habac.* 2, 4. — Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. *Rom.* 5, 1. — Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes qui credunt in eum ; non enim est distinctio. *Rom.* 3, 22. — Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. *Act.* 10, 43. — Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16, 16. — Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. *Joan.* 1, 12. — Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3, 16. — Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet ; et qui credit in me, non sitiet unquàm ; amen, amen, dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. *Joan.* 6, 35, 47. — Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit à morte in vitam. *Joan.* 5. 24. — Qui credit Deo, attendit mandatis ; et qui confidit illi, non minorabitur. *Eccl.* 32, 28. — Sed dicit quis : Tu fidem habes, et ego habeo opera ; ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ostendam tibi ex operibus fidem meam. *Jac.* 2, 18. — Quid prodest, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater et soror nudi sunt, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis : Ite in pace, calefacimini et saturamini ; non dederitis autem quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides ; si non habeat opera, mortua est in semetipsâ. *Jac.* 2, 14, 15, 16, 17. — Multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagogâ non ejicerentur : dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. *Joan.* 12, 42. — Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Matt.* 19, 17.

CAPUT VIII.

Exhortatio ad vitam fide dignam, et ad perseverantiam in fide.

Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis. *Ephes.* 4, 1. — Tantùm dignè Evangelio Christi conversamini, ut sive cùm venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes collaborantes fidei Evangelii. — Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientiâ Dei. *Coloss.* 1, 10. — Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Prov.* 22, 28. — State in fide. 1 *Cor.* 16, 13. — Hæc dicit Dominus : State super vias et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in eâ ; et invenietis refrigerium animabus vestris. *Jer.* 6, 16. — O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, antè quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? *Gal.* 3, 1. — State, et nolite iterùm jugo servitutis contineri. *Gal.* 5, 1. — Currebatis benè : quis vos impedivit veritati non obedire? *Gal.* 5, 7. — Jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris. *Ephes.* 4, 14. — Doctrinis variis et

peregrinis nolite abduci. *Heb.* 13, 9. — Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. 2 *Pet.* 1, 10.

CAPUT IX.

Confessio fidei externa et interna.

Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ, et Patris, et sanctorum angelorum, *Luc.* 9, 26. — Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. *Rom.* 10, 10. — Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagogâ non ejicerentur : dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. *Joan.* 12, 42, 43. — Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos; jam enim conspiraverunt Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extrà Synagogam fieret. *Joan.* 9, 22. — Filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquàm mutant ab eo. *Tob.* 11, 18. — Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. *Rom.* 1, 5. — Per fidem enim ambulamus. 2 *Cor.* 5, 7. — Supercrescit fides vestra, et abundat charitas vestra uniuscujusque vestrùm in invicem. 2 *Thess.* 1, 3. — In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *Ephes.* 6, 16. — Qui me negaverit coràm hominibus, negabo et eum coràm Patre meo qui est in cœlis. *Matt.* 10, 32. — Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. *Act.* 5, 19.

CAPUT X.

Magnæ fidei exempla.

Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. *Gen.* 15, 6. — Expectate hìc cum asino; ego autem et puer illùc usquè properantes, postquàm adoraverimus, revertemur ad vos. *Gen.* 22, 5. — Intrantes domum, invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus; et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. *Matth.* 2, 11. — Dicebat intrà se : Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero. *Matth.* 9, 21. — Dicit eis Jesus : Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei : Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens : Secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum, et comminatus est illis Jesus, dicens : Videte ne quis sciat. *Matth.* 9, 28, 29, 30. — Rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent : et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. *Matth.* 14, 36. — O mulier! magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illâ horâ. *Matth.* 15, 28. — Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. *Luc.* 1, 45. — Videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth.* 9, 2. — Fides tua te salvam fecit : vade in pace. *Luc.* 7, 50.

CAPUT XI.

Orationes jaculatoriæ ad excitandam et augendam fidem.

Domine, adauge nobis fidem. *Luc.* 17, 5. — Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. *Marc.* 9, 24. — Da mihi, Domine, fidem sicut granum sinapis. *Luc.* 17, 6. — Credo videre bona Domini in terrâ viventium. *Ps.* 26, 13. — Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. 2 *Tim.* 1, 12.

CAPUT XII.

Incredulitas.

Qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso; justus autem in fide suâ vivet. *Habac.* 2, 4. — Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei; qui credit in filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. *Joan.* 3, 18, 36. — Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. *Joan.* 3, 24.

CAPUT XIII.

Impedimenta fidei et adjumenta.

Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? *Joan.* 5, 4. — Optimum est gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. *Heb.* 13, 9. — Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloriâ. *Prov.* 25, 27. — Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus evomas illud. *Prov.* 25, 16. — Habens fidem, et conscientiam bonam, quam quidam repellentes circà fidem naufragaverunt. 1 *ad Tim.* 1, 19. — Propter incredulitatem fracti sunt; tu autem fide stas, noli altùm sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergò bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem Dei,

si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris. *Rom.* 11, 20, 21, 22.

CAPUT XIV.

Incredulitatis exempla.

Dixit autem Eliseus : Cràs modius similæ uno statere erit. Respondens autem unus de ducibus, ait : Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait : Videbis oculis tuis, et indè non comedes. 4 *Reg.* 7, 1, 2. — Dixit Zacharias ad Angelum : Undè hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis; et respondens Angelus, dixit ei : Eccè eris tacens et non poteris loqui usquè in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. *Luc.* 1, 20. — Non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum. *Matth.* 13, 58. — Continuò Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi : Modicæ fidei, quarè dubitâsti? *Matth.* 14, 31. — Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus. *Joan.* 20, 27, 28.

CAPUT XV.

Apostasia à fide.

Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. *Prov.* 27, 8. — Sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. *Epist. Jud.* 13. — Salva animam tuam, et noli respicere post tergum, nec stes in omni circà regione, sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. Respiciensque uxor Loth post se, versa est in statuam salis. *Gen.* 19, 17, 26. — Memor esto undè excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac; sin autem venio tibi, movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. *Apoc.* 2, 5. — Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. *Heb.* 6, 4, 5, 6. — Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii. *Heb.* 10, 26, 27.

CAPUT XVI.

Hæreticorum tituli proprii ac præcipui.

Falsi prophetæ et lupi rapaces. *Matth.* 7, 15, et *Act.* 20, 29. — Fures et latrones. *Joan.* 10, 8. — Lupi, pardi, leones, ursi, aspides, reguli. *Isa.* 11, 6, 7, 8. — Canes reversi ad vomitum, sues lotæ in volutabro luti. 2 *Pet.* 11, 22. — Illusores. 2 *Pet.* 3, 3. — Pseudoprophetæ et magistri mendaces. 2 *Pet.* 2, 1.— Antichristi. 1 *Joan.* 11, 18. — Canes et mali operarii. *Philipp.* 3, 2. — Vulpes, quæ demoliuntur vineas. *Cant.* 11, 15. — Similes sunt vulpibus Samsonis. *Judic.* 15, 4. — Ministri Satanæ. 2 *Cor.* 11, 15. — Zizania. *Matth.* 13, 26. — Heresis per antonomasiam vocatur delictum, *ad Tit.* 3, 10.

CAPUT XVII.

Hæreses natæ ex vitâ vitiosâ, et justè à Deo permissæ.

Quemadmodùm Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ità et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circà fidem. 2 *Tim.* 3, 8. — Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis. 1 *Joan.* 11, 19. — In novissimis temporibus discedent quidam à fide. 1 *Tim.* 4, 1. — Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant in vobis. 1 *Cor.* 11, 19.

CAPUT XVIII.

Hæreticorum ignorantia, superbia, pertinacia et alia vitia.

Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circà quæstiones et pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. 1 *ad Tim.* 6, 3, 4, 5. — Hoc autem scito quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa. Et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi et voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2 *Tim.* 3, 1, 2, 3, 4, 5,

— Ejusmodi pseudo-apostoli sunt operarii subdoli transfigurantes se in apostolos Christi, et non mirum : ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergò magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ ; quorum finis erit secundùm opera ipsorum. 2 *Cor.* 11, 13, 14, 15. — Hujusmodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. *Rom.* 11, 18. — Ex his sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis. 2 *ad Tim.* 3, 6. — Cauteriatam habentes suam conscientiam. 1 *ad Tim.* 4, 2. — Quibus judicium, jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, etc. 2 *Pet.* 2, 4.

CAPUT XIX.

Hæretici fugiendi et puniendi.

Hæreticum hominem post unam vel secundam correptionem devita ; sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus. *Ad Tit.* 3, 10, 11. — Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. *Matth.* 7, 15. — Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt ; et declinate ab illis. *Rom.* 16, 17. — Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis ; qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis. 2 *Joan. Epist.* 10, 11. — Videte canes, videte malos operarios. *Philip.* 3, 2. — Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo : ex decreto judicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel. *Deut.* 17, 12. — Propheta qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. *Deut.* 18, 20.

CAPUT XX.

Fuerunt jam indè à temporibus Apostolorum.

Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circà fidem naufragaverunt : ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. 1 *ad Tim.* 1, 19. — Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse factam. 2 *ad Tim.* 11, 18. — Filioli, novissima hora est ; et sicut audistis quia Antichristus venit, nunc antichristi multi facti sunt, undè scimus quia novissima hora est, etc. *Suprà*, 100, 17, *n.* 2. — Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carne : hic est seductor et antichristus. 2 *Joan.* 7. — Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt ad hoc judicium impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. *Judæ* 4 et 5.

CAPUT XXI.

Orationes jaculatoriæ adversùs hæreses et hæreticos.

Duo rogavi te, ne deneges mihi antequàm moriar : vanitatem et verba mendacia longè fac à me. *Prov.* 30, 7, 8. — Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento. *Ps.* 67, 33. — *Vide librum Axiomatum, verbo* Fides divina et humana, *et passim superiùs.*

Pars ij.

SPES THEOLOGICA, ET VITIA OPPOSITA.

Spes est expectatio certa beatitudinis ex Dei gratiâ et nostris meritis. Ità communiter definiunt theologi cum Magistro, *libro* 3 *Sententiarum*, *distinct.* 26. Nomine spei aliquandò signabitur passio appetitùs sensitivi, de quâ in libro Axiomatum, titulo de Passionibus ; aliàs affectio voluntatis, vel naturalis, vel infusa et supernaturalis, et hæc dicitur spes christiana, quæ quatuor modis accipitur : nam aliquandò sumitur pro ipsâ re quam speramus, ut *ad Titum* 2, *vers.* 13 ; *Rom.* 2, *vers.* 24. Interdùm de illo dicitur in quem speramus, ut *Psal.* 90, *vers.* 9 ; verùm communiùs pro actu, vel habitu, quo speramus : pro actu quidem, ad *Rom.* 8, *vers.* 24 ; pro habitu verò *Job.* 19, *vers.* 27 ; *Cor.* 13,

vers. 13; ut ex allegandis mox S. Paginæ testimoniis constabit, atque hoc tertio modo. Spes actualis dicitur expectatio beatitudinis in clarâ Dei visione, et fruitione perfectâ consistentis, quant doquidem hoc est primarium objectum spei ad quod reliqua sperata referuntur, ut rectè doce S. *Thomas*, *secundâ secundæ*, *quæst.* 17, *art.* 2, *ad secundum.* Spei opponitur desperatio et præsumptio.

CAPUT PRIMUM.

Varia spei acceptio.

Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc. 1 *Cor.* 13, 13. — Reposita est hæc spes mea in sinu meo. *Job.* 19, 2. — Spe salvi facti sumus. *Rom.* 8, 24. — Tu es, Domine, spes mea. *Ps.* 90, 9. — Expectantes beatam spem. *ad Titum*, 2, 13. — Spes, quæ videtur, non est spes. *Rom.* 8, 24.

CAPUT II.

Fructus sperantis in Deo.

Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittit in die tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se in veritate. *Eccl.* 2, 11, 12, 13. — Spera in Domino et fac bonitatem, et pasceris in divitiis ejus. *Ps.* 36, 3. — Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient, *Isa.* 40, 31. — Cum clamaveris liberent te congregati tui, et omnes eos auferet ventus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet meî, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum. *Isa.* 27, 13. — Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: et non timebit, cùm venerit æstus; et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec desinet aliquandò facere fructum. *Jer.* 17, 7, 8. — Eruens liberabo te, et gladio non cades; sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. *Jer.* 39, 18. — Qui timet hominem citò corruet; qui sperat in Domino sublevabitur. *Prov.* 29, 25. — Qui credit Deo attendit mandatis; et qui confidit in illo non minorabitur. *Eccl.* 32, 28. — Ità cogitate per generationem et generationem; quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur. 1 *Mach.* 2, 61. — Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis ejus. *Sap.* 3, 9. — Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum. *Ps.* 124, 1. — Ego in misericordiâ tuâ speravi: exultabit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi. *Ps.* 12, 6. — In te speraverunt patres nostri; speraverunt et liberâsti eos: ad te clamaverunt et salvi facti sunt; in te speraverunt et non sunt confusi. *Ps.* 21, 5, 6. — Sperant in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. *Ps.* 9, 11. — Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido: non erubescam, neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te, non confundentur. *Ps.* 24, 1, 2. — Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas. *Ps.* 39, 5.

CAPUT III.

Exhortationes ad spem in Deo figendam.

Et nunc hæc dicit Dominus: Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu; cùm transieris per aquas tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, quia ego Dominus Deus tuus sanctus salvator tuus. *Isa.* 43, 1, 2, 3. — et nunc audi, Jacob, serve meus, et Israel, quem ego elegi: hæc dicit Dominus faciens et formans te ab utero auxiliator tuus: Noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi. *Isa.* 44, 1, 2. — Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi tui qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum? *Isa.* 50, 10. — Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et non innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* 3, 5. — Ne sis incredibilis timori Dei, et ne accesseris ad eum duplici corde. *Eccl.* 1, 36. — Crede Deo, et recuperabit te; et dirige viam tuam, et spera in illum; serva timorem illius, et in illo veterasce. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus, et non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi; et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. *Eccl.* 2, 6, 7, 8, 9, 10. — Viriliter agite et confortamini; nolite timere,

nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem quæ est cum eo: multò enim plures nobiscum sunt quàm cum illo. Cum illo enim est brachium carneum; nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus hujuscemodi verbis Ezechiæ, regis Juda. 2 *Paral.* 32, 7, 8, 9. — Succincti lumbos, mentis vestræ sobrii, perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in revelationem Jesu Christi. 1 *Pet.* 1, 13. — Sperate in eo, omnis congregatio populi; effundite coràm illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum. *Ps.* 61, 9.

CAPUT IV.

Spes firma justorum, impiorum vana fiducia.

Spes impii tanquàm lanugo est quæ à vento tollitur, et tanquàm spuma gracilis quæ à procellâ dispergitur, et tanquàm fumus qui à vento diffusus est, et tanquàm memoria hospitis unius diei prætereuntis. *Sap.* 5, 15. — Expectatio justorum lætitia; spes autem impiorum peribit. *Prov.* 10, 28. — Oculi impiorum deficient, et effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio animæ. *Job.* 11, 20. — Desiderium justorum omne bonum est, præstolatio impiorum furor. *Prov.* 11, 23. — Numquid virere potest scipus absque humore? aut crescere carectum sine aquâ? Cùm adhùc sit in flore, nec carpatur manu, antè omnes herbas crescit. Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit; non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia ejus: innitetur super domum suam, et non stabit; fulciet eam, et non consurget. *Job.* 8, 11, 12, 13, 14, 15. — Vana spes, et mendacium viro insensato: et somnia extollunt imprudentes. *Eccl.* 34, 1.

CAPUT V.

Damna et supplicia eorum qui in alio sperant quàm in Deo.

Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et à Domino recedit cor ejus; erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in civitate, in deserto, in terrâ salsuginis et inhabitabili. *Jer.* 17, 5, 6. — In tempore illo venit Hanani propheta ad Asa, regem Juda, et dixit ei: Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcircò evasit Syriæ regis exercitus de manu tuâ. Nonnè Æthiopes et Libyes multò plures erant, quadragis et equitibus et multitudine nimiâ, quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tuâ? Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et fortitudinem præbent his qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti, et propter hoc ex præsenti tempore adversùs te bella consurgent. 2 *Paral.* 16, 7, 8, 9. — Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium et non ex me; et ordiremini telam, et non per Spiritum meum; ut adderetis peccatum super peccatum; qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogâstis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbrâ Ægypti; et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam; erant enim in Tani principes tui, et nuncii tui usquè ad Ilanes pervenerunt. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit: non fuerunt in auxilium, et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium. *Isa.* 30, 1, 2, 3, 4, 5. — Ægyptus frustrà et vanè auxiliabitur; ideò clamavi super hoc: Superbia tantùm est, quiesce. Nequaquàm, sed ad equos fugiemus: ideò fugietis, et super veloces ascendemus; ideò velociores erunt qui persequentur vos. Mille homines à facie terroris unius; et à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis, in vertice montis, et quasi signum super collem. *Isa.* 30, 7, 16, 17. — Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt, et cùm profecti fuerint, expandam super eos rete meum: quasi volucrem cœli detraham eos, cædam eos secundùm auditionem cœtûs eorum. *Oseæ* 7, 11, 12. — Oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delubra; et Judas multiplicavit urbes munitas, et mittam ignem in civitates ejus, et devorabit ædes illius. *Oseæ* 8, 14. — Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Israel. *Amos.* 6, 1. — Subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquæ inundabunt. *Isa.* 48, 17. — Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocumque pertransierit, tollet vos, quoniam mane diluculo pertransibit in die et in nocte. *Isa.* 28, 18, 19.

CAPUT VI.

Dissuadetur spes in seipso, et in alio quàm in Deo.

Qui bonus est hauriet gratiam à Domino; qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit. *Prov.* 12, 2. — Ne sequaris in fortitudine tuâ concupiscentiam cordis tui; et ne dixeris:

Quomodò potui, aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. *Eccl.* 5, 2, 3. — Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini est. *Jer.* 7, 4. — Nolite sperare in iniquitate. *Psal.* 61, 11. — Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. *Ps.* 145, 2. — Exibit Spiritus ejus, et revertetur in terram suam, in illâ die peribunt omnes cogitationes eorum. *Ibid.* 3. — Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus: spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. *Ibid.* 4.

CAPUT VII.

Exempla spei et fiduciæ in Deo.

Nolite timere, state et videte magnalia Domini quæ facturus est hodiè: Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquàm ultrà videbitis usquè in sempiternum. *Exod.* 14, 13. — Terra quam circuivimus valdè bona est; si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem. Nolite rebelles esse contrà Dominum, neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ità eos possumus devorare: recessit ab eis omne præsidium, Dominus nobiscum est, nolite metuere. *Num.* 14, 7, 8, 9. — Et ait David: Dominus, qui eripuit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistæi hujus. 1 *Reg.* 17, 37. — Dixit autem David ad Philistæum: Tu venis ad me cum gladio et hastâ, et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel: quibus exprobrâsti hodiè, et dabit te Dominus in manu meâ, et percutiam te, et auferam caput tuum à te, et dabo cadavera castrorum Philistini hodiè volatilibus cœli et bestiis terræ, ut sciat omnis terra quia est Deus in Israel. *Ibid.* 45, 46. — Machabæus semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo affuturum, et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cœlo, et nunc sperarent ab omnipotente sibi affuturam victoriam. 2 *Mach.* 15, 7, 8. — Liberabo te in die illâ, ait Dominus, et non traderis in manus virorum quos tu formidas; sed eruens liberabo te, et gladio non cades. Sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. *Jer.* 39, 17, 18.

CAPUT VIII.

Jaculatoriæ sperantis in Deo.

Dominus mecum est quasi bellator fortis, idcircò qui persequuntur me cadent, et infirmi erunt; confundentur vehementer. *Jer.* 20, 11. — Bonus es, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te; pars mea, Domine, dixit anima mea, propterea expectabo te. *Thren.* 3, 24, 25. — Bonum est præstolari cum silentio salutare tuum, Domine, quia non repelles in sempiternum. *Thren.* 3, 26. — Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *Job.* 13, 26. — Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Ps.* 12, 4. — Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. *Ps.* 3, 34. — Non timebo millia populi circumdantis me; exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus. *Ps.* 3, 7. — Spera in Domino, quoniam adhùc confitebor illi salutare vultûs mei, et Deus meus. *Ps.* 61, 7. — Suscipe me secundùm eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione meâ. *Ps.* 118, 116. — Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere. *Ps.* 118, 32. — Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. *Ps.* 117, 6, 7, 8, 9. — In te, Domine, speravi, non confundar in æternum; in justitiâ tuâ libera me. *Ps.* 70, 2. — Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo, ut ambuletis in spe et virtute Spiritûs sancti. *Rom.* 14, 13. — Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Ps.* 22, 4.

CAPUT IX.

Desperationis acerbi fructus, timoris Domini effectus salutaris.

Fili, in tuâ infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te. *Eccl.* 38, 9. — Desperavimus; post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. *Jerem.* 18, 12. — Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. *Ephes.* 4, 19. — Dixisti: Desperavi; nequaquàm faciam; adamavi quippè alienos, et post eos ambulabo. *Jer.* 2, 25. — Si desperaveris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua. *Prov.* 24, 10. — Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris au-

tem tantùm, sed etiam pro totius mundi. 1 *Joan.* 2, 12. — Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordiâ ejus. *Ps.* 146, 11. — *Vide gladium Spiritûs, Controversiarum, lib. 4, parte* 7, *cap.* 6, 7, 8. — *Verbo* Timor salutaris, *verbo* Fiducia justorum, et *verbo* Præsumptio. *Vide etiam librum Axiomatum, verbo* Spes, et *verbo* Desperatio.

Pars iij.

CHARITAS ET VITIA OPPOSITA.

Charitas propriè dicta est virtus forma et regina virtutum reliquarum. Illius et vitiorum oppositorum actus præcipui sunt amor benevolentiæ, quo amamus Deum propter se, et proximum propter Deum. Huic opponitur odium Dei et proximi. Deindè, gaudium de bono Dei et proximi, atque his annexa consolatio spiritalis, quibus opponitur acedia, quæ est tristitia de bono Dei, et invidia, quæ est de bono proximi. Tertiò, pax et concordia, quibus opponuntur discordia, contentio, schisma, bellum, rixa, seditio. Denique, misericordia, beneficentia, eleemosyna, et speciatìm correctio fraterna, cui opponitur scandalum : sicut enim illa retrahit à peccato, ità hoc præbet peccandi occasionem. Ex donis Spiritûs sancti charitati etiam respondet sapientia, cui insipientia opponitur. De singulis S. Paginæ documenta proponentur.

CAPUT PRIMUM.

Charitatis perfectio et præstantia generatìm.

Finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. 1 *Tim.* 1, 5. — Omnis lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Gal.* 5, 14. — Qui diligit proximum, legem implevit : nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces ; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergò legis est dilectio. *Rom.* 13, 8, 9, 10. — Charitas patiens est, benigna est ; charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; omnia credit, omnia sperat, omnia suffert, omnia sustinet. 1 *Cor.* 13, 4, 5, 6, 7. — Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio ; aquæ non poterunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. *Cant.* 8, 6, 7. — Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens ; et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam ; et si habuero omnem fidem, ità ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum ; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ità ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1 *Cor.* 13, 1, 2, 3. — Charitas nunquàm excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. 1 *Cor.* 13, 8. — In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium ; sed fides, quæ per charitatem operatur. *Gal.* 5, 6. — Super omnia autem hæc charitatem habere, quod est vinculum perfectionis. *Coloss.* 3, 14.

CAPUT II.

Charitatis pretium, splendor et decor.

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, ut vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ. *Apoc.* 3, 18. — Omnis gloria ejus filiæ regis ab intùs, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. *Ps.* 44, 14.—Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ? *Luc.* 12, 49.—Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. *Cant.* 8, 7. — longitudo dierum in dexterâ ejus, et in sinistrâ illius divitiæ et gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ, lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus. *Prov.* 3, 16, 17, 18. — Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentiâ. Melior

est acquisitio ejus negotiatione auri et argenti primi et purissimi; fructus ejus pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. *Prov.* 3, 13, 14, 15.

CAPUT III.

Charitas ergà Deum mandatorum executione dignoscitur.

Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo. 1 *Joan.* 4, 16.— Si diligitis me, mandata mea servate. *Joan.* 14, 15. — Hæc est charitas Dei ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non sunt. 1 *Joan.* 5, 3. — Hæc est charitas ut ambulemus secundùm mandata ejus. 2 *Joan.* 6.—Qui diligunt Deum, conservabunt viam illius. *Eccl.* 2, 18.

CAPUT IV.

Ejusdem fructus et alia effecta ac præmia.

Qui manet in me, et ego in eo, hic fert multum fructum, quia sine me nihil potestis facere. *Joan.* 15, 5. — Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. *Joan.* 14, 26. — Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum : et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 23. — Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me, invenient me. *Prov.* 8, 17. Qui diligunt Deum, replebuntur lege ipsius. *Eccl.* 2, 19. — Oculi Dei in diligentes se. *Eccl.* 34, 15. — Dilectio Dei honorabilis sapientia. *Eccl.* 1, 14. — Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab iis, et in oratione dierum exaudietur. *Eccl.* 3, 4. — Dilexit Deum qui fecit illum, et dedit ei contrà inimicos potentiam; semen ejus qui diligit Dominum non corrumpet. *Eccl.* 47, 10, 24.

CAPUT V.

Præceptum ejusdem et pœna non servantis.

Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ, et in totâ mente tuâ : hoc est maximum et primum mandatum. *Matth.* 22, 27, 28. — In omni virtute tuâ dilige eum qui te fecit, et ministros ejus ne derelinquas. *Eccl.* 7, 32. —Omni vitâ tuâ dilige Deum, et invoca illum in salute tuâ. *Eccl.* 13, 18.—Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema Maran Atha. I co. 16, 22. — Si quis in me non manserit, mittetur foràs sicut palmes et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. *Joan.* 15, 6.

CAPUT VI.

Charitas ergà proximum.

Antè omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. 1 *Pet* 4, 8, — Non scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres ; qui non diligit manet in morte. 1 *Joan.* 3, 14. — Omnis qui diligit ex Deo natus est, et cognoscit Deum. 1 *Joan.* 4, 7. — Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. *Ibid.* 12. — In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Joan.* 13, 35. — Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. 1 *Joan.* 2, 10. — In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suadebimus corda nostra. 1 *Joan.* 3, 19 — Diligere proximum tanquàm seipsum, majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis. *Matt.* 12, 33. — Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan.* 15, 13. —In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. 1 *Joan.* 3, 16.

CAPUT VII.

Monita et præcepta illius exercendæ.

Dilectio sine simulatione; charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes. *Rom.* 12, 9. — Alter alterius onera portate : et sic adimplebitis legem Christi. *Gal.* 6, 2. — Obsecro igitur vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine; cum patientiâ supportantes invicem in charitate. *Ephes.* 4, 1, 2. — Estote ergò imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Chistus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. *Ephes.* 5, 1, 2. — Super omnia hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. *Coloss.* 3, 14. — Consideremus invicem in provocationem charitatis et bonorum operum. *Hebr.* 10, 24. — Charitas fraternitatis maneat in vobis. *Hebr.* 13, 1. — Animas vestras castificantes in obedientiâ charitatis, in fraternitatis amore simplici, ex corde invicem diligite attentiùs, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in æternum. 1 *Pet.* 1, 22, 23. —

Fraternitatem diligite. 1 *Pet.* 2, 17. — Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum eam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 1 *Pet.* 4, 10. — Hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. 1 *Joan.* 3, 11. — Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere : unusquisque vestrûm proximo suo placeat, in bonum ad ædificationem, etenim Christus sibi non placuit; propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit nos in honorem Dei. *Rom.* 15. 1, 2, 3, 7. — Omnia vestra in charitate fiant. 1 *Cor.* 6, 13. — De charitate fraternitatis non necesse habemus scribere vobis : ipsi enim vos à Deo didicistis ut diligatis invicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in universâ Macedoniâ; rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis. 1 *Thess.* 4, 9, 10.—Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. *Joan.* 15, 12. — Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. *Joan.* 13, 34.

CAPUT VIII.

Cur proximus et quâ ratione diligendus.

Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. *Rom.* 12, 17. — Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. 1 *Cor.* 10, 17. — In uno spiritu omnes nos in unum baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in uno spiritu potati sumus. 1 *Cor.* 12, 13. — Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina, omnes enim vos unum estis in Christo. *Gal.* 9, 28. — Unum corpus et unus spiritus : sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. *Ephes.* 4, 4, 5, 6. — Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. *Rom.* 13, 18.

CAPUT IX.

Charitas proximi non consistit, uti neque vita, absque charitate Dei.

Si quis dixerit quoniam diligit Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodò potest diligere? et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum. 1 *Joan.* 4, 20, 21. — Qui non diligit manet in morte. 1 *Joan.* 3, 15. — Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum. *Ibid.* 10. — Qui odit fratrem suum in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 1 *Joan.* 2, 11. — Amice, quomodò hùc intrâsti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit; tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. *Matth.* 22, 12, 13. — Novissimè veniunt et reliquæ virgines dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. Et ille respondens ait : Amen dico vobis, nescio vos. *Matth.* 25, 11, 12.

CAPUT X.

Exempla charitatis ergà Deum et Christum Dominum.

Respondit Paulus, et dixit : Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. *Act.* 21, 13. — Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te; dicit ei : Pasce agnos meos. *Joan.* 21, 13. — Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro. *Rom.* 8, 35, 36, 37, 38, 39. — Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. 1 *Cor.* 2, 2. — Quæ mihi fuerant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta; verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. *Philip.* 3, 7, 8.

CAPUT XI.

Exempla charitatis in proximum.

Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti. *Exod.* 32, 31. — Quid (inquit Moyses) æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis

Dominus Spiritum suum? *Num.* 2, 29. — Dixit David ad Dominum, cùm vidisset angelum cædentem populum : Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi : isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contrà me et domum patris mei. 2 *Reg.* 24, 17. — Acceptabilis (Mardochæus scilicet) plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent. *Esther* 10, 3. — Cuncta nòsti, et scis quia non pro superbiâ et contumeliâ et aliquâ gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum; libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem. *Esther* 13, 12, 13. — Vade, et congrega omnes Judæos quos in Susan repereris, et orate pro me : non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus; et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem, contrà legem faciens, non vocata tradensque me morti et periculo. *Esther* 4, 16. — Vos scitis quanta ego et fratres mei, et domus patris mei fecimus pro legibus, et pro sanctis prælia, et angustias quales vidimus : horum gratiâ perierunt fratres mei omnes propter Israel, et relictus sum ego solus. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis; non enim melior sum fratribus meis : vindicabo itaque gentem meam, et sancta, natos quoque nostros et uxores, quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos inimicitiæ gratiâ. *Mach.* 13, 3, 4, 5, 6. — Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem. *Rom.* 9, 3. — Vos scitis quomodò nihil subtraxerim utilium, quominùs annuntiarem vobis, et docerem vos publicè et per domos. *Act.* 20, 20. — Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. *Luc.* 22, 15. — Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. *Joan.* 15, 9. — Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandum vos : id est, simul consolari in vobis per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam; nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpè proposui venire ad vos (et prohibitus sum usquè adhùc) ut aliquem fructum habeam et in vobis. Sicut et in cæteris gentibus, Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum; ità quod in me promptum est, et vobis, qui Romæ estis, evangelizare. *Rom.* 1, 11, 12, 13, 14, 15. — Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem; et factus sum Judæis tanquàm Judæus, ut Judæos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege), ut eos qui sub lege erant lucrifacerem; iis qui sine lege erant, tanquàm sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos : omnia autem facio propter evangelium, ut particeps ejus efficiar. 1 *Cor.* 9, 19, 20, 21, 22, 23.

CAPUT XII.

Jaculatoriæ ad excitandam charitatem ergà Deum et proximum.

Diligam te, Domine fortitudo, Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. *Ps.* 17, 1. — Quid mihi est in cœlo? et à te quid volui super terram? *Ps.* 72, 25. — Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu : placebo Domino in regione vivorum. *Ps.* 114, 7, 8, 9. — Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te, Deus. *Ps.* 41, 1. — Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret. *Joan.* 3, 1. — Diligam te, Domine, ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, ex omnibus viribus meis, et proximum meum sicut meipsum. *Matth.* 22, 38.

CAPUT XIII.

Charitatis actus atque effectus, et primò gaudii justorum encomia.

Fructus Spiritûs est charitas, gaudium, etc. *Gal.* 5, 1. — Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto. *Rom.* 14, 17. — Gaudium Domini est fortitudo nostra. 2 *Esdræ*, 8, 10. — Renuit consolari anima mea, memor tui Dei, et delectatus sum et exercitatus sum, et defecit spiritus meus. *Ps.* 76, 3. — Non est census super censum salutis corporis, et non est oblectamentum super cordis gaudium : jucunditas cordis, hæc est vita hominis et thesaurus sine defectione sanctitatis, et exultatio viri est longævitas. Splendidum cor bonum in epulis est, epulæ enim illius diligenter fiunt. *Eccl.* 30, 16, 23, 27. — Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. *Isa.* 61, 10.

CAPUT XIV.

Cohortationes ad verum gaudium.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitiâ. *Ps.* 67, 4. — Exultate, justi, in Domino : rectos decet collaudatio. *Ps.* 35, 1. — Semper gaudete. 1 *Thess.* 5, 16. — Gaudete in Domino semper; iterùm dico, gaudete. *Philip.* 4, 4. — Spe gaudentes. *Rom.* 12, 12. — Gaudium tibi sit semper. *Tob.* 5, 11.

CAPUT XV.

Gaudium impiorum vanum et reprobum.

Risum putavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustrà deciperis? *Eccl.* 2, 2. — Qui lætantur cùm malefecerint, et exultant in rebus pessimis. *Prov.* 2, 14. — Noli lætari, Israel, noli exultare sicut populi : quia fornicatus es à Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici. *Oseæ* 9, 1. — Miseri estote, et lugete, et plorate; risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. *Jacob.* 4, 9.

CAPUT XVI.

Vera omnis consolatio veri gaudii causa à Deo est.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. 2 *Cor.* 1, 3. — Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. 2 *Cor.* 7, 6. — Mœrentes erigit sospitate. *Tob.* 5, 11. — Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificârunt animam meam. *Ps.* 93, 19. — Bonus Dominus et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. *Nahum.* 1, 7. — Introduxit me in cellam vinariam. *Cant.* 2, 4.

CAPUT XVII.

Et est in Deo.

Sub umbrâ illius quem desideraveram sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo. *Cant.* 2, 3. — Exultate, justi, in Domino : rectos decet collaudatio. *Hs.* 32, 1. — Gaudete in Domino semper; iterùm dico, gaudete. *Phil.* 4, 4. — Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. *Ps.* 83, 3. Quid mihi est in cœlo? et à te quid volui super terram? deficit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72, 25, 26. — Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. *Luc.* 1, 47.

CAPUT XVIII.

Verum omne solatium et gaudium promittitur.

Convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et lætificabo à dolore suo. *Jer.* 31, 13. — Ego, ego ipse consolabor vos. *Isa.* 51, 12. — Vincenti dabo manna absconditum. *Apoc.* 2, 17. — Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis, quomodò si cui mater blandiatur, ità ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. *Isa.* 66, 12, 13. — Eccè ego lactabo eam, in solitudinem, et loquar ad cor ejus. *Oseæ* 2, 14.

CAPUT XIX.

Et datur timentibus ac diligentibus Deum.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti iis, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum; abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. *Ps.* 30, 20, 21. — Convertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiâ. *Ps.* 29, 121. — Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus. *Isa.* 28, 9. — Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo : bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur ampliùs. *Prov.* 31, 6, 7. — Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Matth.* 5, 5.

CAPUT XX.

Fructus divinæ consolationis.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. *Cant.* 5, 6. — Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum. *Hs.* 18, 32. — Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. *Ps.* 85, 11. — Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Ps.* 35, 9.

CAPUT XXI.

Consolatio humana inanis et inconstans.

Consolatores onerosi omnes vos estis. *Job.* 16, 2. — Dixi in corde meo : Vadam et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas. *Eccl.* 2, 1. — Tempus flendi, et tempus ridendi, tempus plangendi, et tempus saltandi. *Eccl.* 3, 4. — Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. *Prov.* 14, 13.

CAPUT XXII.

Jaculatoriæ petentis consolationes cœlestes.

Exultet anima mea in Domino, et delectetur super salutari suo. *Ps.* 34, 9. — Auditui meo

dabis gaudium et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata. *Ps.* 50, 10. — Da siceram mœrenti, et vinum ei qui amaro est animo : bibat et obliviscatur egestatis suæ, et doloris sui non recordetur ampliùs. *Prov.* 31, 6, 7. — Domine cœli, da mihi gaudium pro tædio quod perpessus sum. *Tob.* 7, 20. — Redde mihi lætitiam salutaris tui. *Ps.* 50, 14. — Secundùm multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificant animam meam. *Ps.* 93, 19. — Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundùm eloquium tuum servo tuo. *Ps.* 118, 76. — Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes : Quandò consolaberis me ? *Ps.* 118, 82.

CAPUT XXIII.

Pax et pacis auctor generatim.

Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum. *Rom.* 5, 1. — Parvulus natus est nobis, et vocabitur nomen ejus princeps pacis. *Isa.* 9, 6. — Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne suâ. *Ephes.* 2, 14. — Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usquè in sempiternum, et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulentâ. *Isa.* 32, 17, 18. — Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. *Ps.* 118, 165. — Gratia vobis et pax ab eo qui est. *Apoc.* 1, 4. — Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. *Ps.* 17, 7. — Nominabitur tibi nomen tuum à Deo in sempiternum, pax justitiæ et honor pietatis. *Baruch.* 5, 4. — Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis ; in mundo pressuram habebitis, sed confidite : ego vici mundum. *Joan.* 16, 33. — Pacem relinquo vobis ; non quomodò mundus dat, ego do vobis : non turbetur cor vestrum neque formidet. *Joan.* 14, 27. — Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc.* 2, 14. — Pax vobis : ego sum, nolite timere. *Luc.* 24, 36. — Eccè ego declinabo super eam quasi fluvium pacis. *Isa.* 66, 12. — Dabo pacem in finibus vestris ; dormietis, et non erit qui exterreat ; auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros. *Levit.* 26, 6.

CAPUT XXIV.

Quæ pax nobis necessaria, et quis fructus illius.

Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi : ut sint unum sicut et nos ; non pro eis autem rogo tantùm, sed et pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti. *Joan.* 17, 11, 20, 21. — Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Rom.* 12, 18. — Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth.* 5, 9. — Fructus justitiæ in pace seminatur facientibus pacem. *Jacob.* 3, 7. — Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. *Rom.* 14, 17.

CAPUT XXV.

Variæ ad hanc pacem exhortationes.

Quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus. *Rom.* 14, 16. — Non est dissensionis Deus, sed pacis, sicut et in omnibus ecclesiis sanctorum doceo. 1 *Cor.* 14, 34. — Solliciti servate unitatem spiritûs in vinculo pacis. *Ephes.* 4, 3. — Pacem sequimini in omnibus et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum. *Hebr.* 12, 14. — Juvenilia desideria fuge, sectare verò justitiam, fidem, charitatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. 2 *Tim.* 2, 22. — Qui vult vitam diligere, et dies videre bonos, declinet à malo, et faciat bonum, inquirat pacem et sequatur eam. 1 *Pet.* 3, 10, 11. — Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos, *Marc.* 9, 49. — Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eâdem sententiâ. 1 *Cor.* 1, 10. — Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritûs, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes. *Philip.* 2, 1, 2.

CAPUT XXVI.

Jaculatoriæ ad pacem obtinendam.

Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam. *Ps.* 71, 3. — Oriatur in diebus nostris justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. *Ps.* 71, 7. — Fiat pax in virtute tuâ, et abundantia in turribus tuis. *Ps.* 121, 7. — Pone fines nostros pacem, et adipe frumenti satia nos. *Ps.* 147, 4. — Da pacem, Domine, finibus nostris : dormiamus, et non sit qui exterreat. *Levit.* 26, 6.

CAPUT XXVII.

Concordiæ amabilitas, utilitas, suavitas.

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier

benè sibi consentientes. *Eccl.* 25, 1, 2. — Qui facit concordiam in sublimibus suis, numquid est numerus militum ejus, et super quem non surget lumen ejus? *Job.* 25, 1, 2. — Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas. *Prov.* 30, 27. — Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma; et judicia quasi vectes urbium. *Prov.* 18, 19. — Eccè quàm bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum! *Ps.* 132, 1. — Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus : sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. *Ibid.* 2, 3. — Quoniam illìc mandavit Dominus benedictionem, et vitam usquè in seculum. *Ps.* 132, 4.

CAPUT XXVIII.

Sæpiùs ab Apostolis et seriò christianis commendata.

Si qua ergò consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritûs, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes. *Philip.* 2, 1, 2. — Idipsum invicem sentientes. *Rom.* 12, 16. — Deus sapientiæ, patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundùm Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. *Rom.* 15, 5, 6. — Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ. 1 *Cor.* 1, 10. — In fide omnes unanimes. 1 *Pet.* 3, 8. — Tantùm dignè Evangelio Christi conversamini, ut sive cùm venero et videro vos, sive absens audiam de vobis quia statis in uno spiritu unanimes collaborantes fidei Evangelii. *Philip.* 1, 27.—Obsecro ità vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum omni patientiâ supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis : unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. *Ephes.* 4, 1, 2, 3, 4, 5, 6. — Quod jam rogo et Syntichen deprecor idipsum sapere in Domino. *Philip.* 4, 2. — Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eâdem permaneamus regulâ. *Philip.* 3, 16

CAPUT XXIX.

Illustria concordiæ exempla.

Egressi sunt omnes filii Israel, et pariter congregati, quasi vir unus, de Dan usquè Bersabee, et terra Galaad ad Dominum in Masphâ : omnesque anguli populorum, et cunctæ tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt, quadraginta millia peditum pugnatorum. *Judic.* 20, 1, 2. — Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos, et pastores tuos : fratres enim sumus. *Gen.* 13, 8. — Invasit timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus. 1 *Reg.* 11, 7. — Ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo ; et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis. *Job.* 1, 4. — Omnes etiam qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia. *Act.* 2, 44. — Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat : sed erant illis omnia communia. *Act.* 4, 32. — Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. *Act.* 5, 12. — Jam venerat mensis septimus, et erant filii Israel in civitatibus suis; congregatus est ergò populus, quasi vir unus in Jerusalem. 1 *Esdr.* 3, 1. — Hi omnes (apostoli) erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Mariâ, matre Jesu, et fratribus ejus. *Act.* 1, 14.

CAPUT XXX.

Misericordiæ decora, effecta, præmia.

Misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quàm holocausta. *Oseæ* 6. 6. — Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te, utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Micheæ* 6, 8. — Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5, 7. — Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur. *Ps.* 111, 5. — Superexaltat misericordia judicium. *Jacob.* 2, 13. — Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, et super eos misericordia liberabit. *Eccl.* 40, 24. — Non injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ejus, qui ministrâstis sanctis et ministratis. *Hebr.* 6, 10.

CAPUT XXXI.

Monita et præcepta operum misericordiæ.

Hæc ait Dominus exercituum dicens : Jus-

tum judicium judicate, et misericordiam, et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. *Zach.* 7, 9. — Nonnè oportuit et te miserere tui conservi, sicut et ego tui misertus sum? *Matth.* 18, 33. — Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. *Coloss.* 3, 12. — Erue eos qui ducuntur ad mortem; et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris : Vires non suppetunt; qui inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxtà opera sua. *Prov.* 24, 11, 12. — Mortuo non prohibeas gratiam. *Eccl.* 7, 37. — Mementote vinctorum tanquàm simul vincti, et laborantium tanquàm et ipsi in corpore morantes. *Hebr.* 13, 3. — Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccl.* 7, 39. — Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. *Eccl.* 7, 38. — Libera eum qui injuriam patitur de manu superbi; et non acidè feras in animâ tuâ. *Eccl.* 4, 9. — Recupera proximum secundùm virtutem tuam, et attende tibi ne incidas. *Eccl.* 29, 27.

CAPUT XXXII.

Pœna multiplex eorum qui negligunt misereri.

Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. *Oseæ* 6, 4. — Judicium sine misericordiâ ei qui non fecit misericordiam, superexaltat autem misericordia judicium. *Jacob.* 2, 13. — Fiant contrà Dominum semper, et dispereat de terrâ memoria eorum, pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam; et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare. *Ps.* 118, 15, 16. — Nonnè ergò oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tuî misertus sum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. *Matth.* 18, 33.

CAPUT XXXIII.

Eleemosyna suadetur generatìm.

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos non transvertas à paupere. *Eccl.* 4, 1. — Declina pauperi sine tristitiâ aurem tuam et redde debitum, et responde ei pacifica in mansuetudine. *Eccl.* 4, 8. — Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus. *Hebr.* 13, 16. — Qui parcè seminat parcè et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. 2 *Cor.* 9, 6. — Quomodò potueris, ità esto misericors : si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. *Tob.* 4, 8, 9. — Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium : omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt; hæc verò de penuriâ sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum. *Marc.* 12, 43, 44.

CAPUT XXXIV.

Quibus danda et quomodò.

Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ità enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. *Tob.* 4, 7. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. *Tob.* 4, 7. — Cùm facis eleemosynam, noli tubâ canere antè te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. *Math.* 6, 2, 3, 4. — Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitiâ aut necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus. 2 *Cor.* 9, 7. — Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali : nonnè ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quàm datum. Nonnè eccè verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato. Stultus acriter improperabit, et datus indisciplinati tabescere facit oculos. *Eccl.* 18, 15, 16, 17, 18. — Congregationi pauperum affabilem te facito. *Eccl.* 4, 7. — Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias; et non avertas faciem tuam ab egeno. *Eccl.* 4, 3, 4. — Ne dicas amico tuo : Vade et revertere, et cras dabo tibi, cùm statìm possis dare. *Prov.* 3, 28. — Quemadmodùm promptus est animus voluntatis; ità sit et perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est secundùm id quod habet, accepta est non secundùm id quod habet. 2 *Cor.* 8, 11, 12.

CAPUT XXXV.

Quandò facienda et quamdiù?

Antè mortem benefac amico tuo, et secundùm vires tuas exporrigens da pauperi : antè obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum. *Eccl.* 14, 13, 17. — Mane semina semen tuum, et ves-

pere non cesset manus tua : quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud, et si utrumque simul melius erit. *Eccl.* 11, 6. — Bonum facientes non deficiamus ; tempore enim suo metemus non deficientes; ergò dùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. *Gal.* 6, 9, 10. — Vos autem nolite deficere benefacientes. 2 *Thess.* 3, 13.

CAPUT XXXVI.

Fructus eleemosynæ et alii effectus.

Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele. *Eccl.* 31, 28. — Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur : de panibus enim suis dedit pauperi. *Prov.* 22, 9. — Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum : forsitan ignoscet delictis tuis. *Dan.* 4, 24. — In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. 2 *Cor.* 8, 14. — Qui miseretur pauperis, beatus erit. *Prov.* 14, 21. — Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matth.* 10, 42.

CAPUT XXXVIII.

Specialia corporis et animi affert bona.

Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in seculum permanet. *Eccl.* 40, 17. — Benefac justo, et invenies retributionem magnam, etsi non ab ipso, certè à Domino. *Eccl.* 12, 2. — Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosynâ resistit peccatis; et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam ; meminit ejus in posterum, et in tempore casûs sui inveniet firmamentum. *Eccl.* 3, 33. — Beatus qui intelligit super egenum et pauperem : in die malâ liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum et vivificet in eum, et beatum faciat eum in terrâ, et non tradat eum in animam inimicorum ejus. Dominus opem ferat illi, super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versâsti in infirmitate ejus. *Ps.* 40, 1, 2, 3. — Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam ne dimittas eum vacuum ; perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et magis tibi proderit quàm aurum. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo super actum potentis, et super lanceam adversùs inimicum tuum pugnabit. *Eccl.* 19, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18. — Bona est oratio cum jejunio et eleemosynâ, magis quàm thesauros auri recondere; quoniam eleemosyna à morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam æternam. *Tob.* 12, 8, 9.

CAPUT XXXVIII.

Tollit culpam et pœnam aufert.

Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et eccè omnia munda sunt vobis. *Luc.* 11, 41. — Misericordiâ et veritate redimitur iniquitas, et in timore Dei declinatur à malo. *Prov.* 16, 6. — Redemptio animæ viri, divitiæ suæ; qui autem pauper est increpationem non sustinet. *Prov.* 13, 8. — Eleemosyna patris non erit in oblivione : nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, et in justitiâ ædificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tui, et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. *Eccl.* 3, 15, 16, 17. — Pauperi porrige manum tuam, et perficiatur propitiatio et benedictio tua. *Eccl.* 7, 36.

CAPUT XXXIX.

Opes confert et honores.

Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet. 2 *Cor.* 9, 6. — Qui administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. *Cor.* 2, 9, 10. — Honora Dominum de tuâ substantiâ, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei; et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. *Prov.* 3, 9, 10. — Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur; et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. *Prov.* 11, 24, 25. — Qui dat pauperi non indigebit ; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. *Prov.* 28, 27. — Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. *Eccl.* 44, 10. — Qui calumniatur agentem, exprobrat factori ejus, honorat autem eum qui miseretur pauperis. *Prov.* 14,31.

CAPUT XL.

Variæ ad eleemosynam dandam cohortationes.

Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam; facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quos fur non appropriat, neque tinea corrumpit. *Luc.*

13, 33. — Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc.* 16, 9. — Noli prohibere benefacere eum qui potest; si vales, et ipse benefac. *Prov.* 3, 27. — Deriventur fontes tui foràs, in plateis aquas tuas divide. *Prov.* 5, 16. — Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad collecta dandum. *Eccl.* 4, 36. — Sicut in omnibus abundatis fide, et sermone, et scientiâ, et omni sollicitudine, insuper et charitate vestrâ in eos, ut et in hâc gratiâ abundetis, non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. 2 *Cor.* 8, 7, 8, 9.

CAPUT XLI.

Peccata et pœnæ negantium eleemosynam.

Qui despicit proximum suum peccat; qui autem miseretur pauperis beatus erit. *Prov.* 14, 21. — Si frater aut soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quæ sunt necessaria corpori, quid proderit? *Jacob.* 2, 15, 16. — Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo? 1. *Joan.* 3, 17. — Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat eum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. *Eccl.* 34, 25, 26. — Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram, et non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere; maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum qui fecit eum. *Eccl.* 4, 5, 6. — Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. *Prov.* 21, 23. — Qui offert sacrificium ex substantiâ pauperum quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. *Eccl.* 34, 24.

CAPUT XLII.

Eleemosynariorum exempla.

Tobias quotidiè pergebat per omnem cognationem suam, et consolabatur eos, dividebatque unicuique prout poterat de facultatibus suis. *Tob.* 1, 19. — Post sabbathum debilibus, et orphanis, et viduis diviserunt spolia, et residua ipsi cum suis habuêre. 2 *Mach.* 8, 28. — In Joppe fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas, hæc erat plena operibus bonis, et eleemosynis quas faciebat. *Act.* 9, 36. — Vir quidam erat in Cæsareâ, nomine Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi. *Act.* 10, 1, 2. — Discipuli, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæâ fratribus; quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli. *Act.* 11, 29, 30. — Stans Zachæus dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, de pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum; ait Jesus ad eum : Quia hodiè salus domui huic facta est, eo quòd et ipse filius sit Abrahæ. *Luc.* 19, 8, 9. — Non enim injustus Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrâstis sanctis et ministratis. *Hebr.* 6, 10.

CAPUT XLIII.

Correctio et correptio fraterna præcipitur privata et publica.

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe adhùc tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. *Matth.* 18, 15, 16, 17.— Peccantes coràm omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant. 1 *ad Tim.* 3, 20. — Ne reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo. *Eccl.* 4, 27, 28. — De disciplinâ insensati et fatui, et de senioribus qui judicantur ab adolescentibus : et eris eruditus in omnibus, et probabilis in conspectu omnium vivorum. *Eccl.* 42, 8.

CAPUT XLIV.

Quis corripiendus, à quibus et quomodò?

Vir impius procaciter obfirmat vultum suum, qui autem rectus est corrigit viam suam. *Prov.* 21, 29. — Si colluderis stultum in pillâ quasi prisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus. *Prov.* 7, 22. — Seniorem ne increpaveris; sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, juvenculas ut sorores in omni castitate. 1 *Tim.* 5, 1. — Non incendas carbones peccatorum arguens eos, et ne incendaris flammâ ignis peccatorum illo-

rum. *Eccl.* 8, 13. — Corripiet me justus in misericordiâ, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Ps.* 140, 5. — Cum modestiâ corripientem eos qui resistunt veritati, ne quandò Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. 2 *Tim.* 2, 25, 26. — Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 2 *Thess.* 3, 15.—Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne et tu tenteris. *Gal.* 6, 1.

CAPUT XLV.

Aliæ ad correptionem fraternam exhortationes.

Corripe amicum, ne fortè non intellexerit et dicat: Non feci; aut si fecerit, ne iterùm addat facere. Corripe proximum, ne fortè non dixerit; et si dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum, sæpè enim fit commissio. Et non omni verbo credas. *Eccl.* 19, 14, 15. — Argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ et doctrinâ. — Increpa illos durè, ut sani sint in fide. *Tit.* 1, 13. — Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. *Tit.* 2, 15. — Hos arguite judicantes. *Judæ* 22. — Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos. 1 *Thess.* 5, 14. — Quàm bonum est arguere quàm irasci, et confitentem in oratione non prohibere! *Eccl.* 20. 1.

CAPUT XLVI.

Correptio incauta et vitiosa.

Quarè detraxistis sermonibus veritatis, cùm è vobis nullus sit qui possit arguere me? ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, et inventum verba profertis; super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. *Job.* 6, 25, 26, 27. — Est correptio mendax in irâ contumeliosi; et est judicium, quod non probatur esse bonum; et est tacens, et ipse est prudens. *Eccl.* 19, 28. — Acetum in vitro, qui cantat carmina cordi pessimo. *Prov.* 25, 20. — Corripe proximum antequàm commineris, et da locum timori Altissimi. *Eccl.* 19, 17. — Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit; et qui arguit impium, sibi maculam generat: noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, et diliget te; da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia; doce justum, et festinabit accipere. *Prov.* 9, 7, 8, 9. — Filius sapiens doctrina patris; qui autem illusor est non audit cùm arguitur. *Prov.* 13, 1. — Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? aut quomodò dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo; et eccè trabs est in oculo tuo? hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. *Matth.* 7, 3, 4, 5.

CAPUT XLVII.

Fructus et alii effectus correptionis.

Qui dicunt impio: Justus es, maledicent populi, et detestabuntur eos tribus; qui arguunt eum, laudabuntur, et super ipsos veniet benedictio. *Prov.* 24, 24, 25, 26. — Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de eo, quia opera ejus mala sunt. *Joan.* 7, 7. — Inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis. *Gal.* 4, 16. — Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum. *Prov.* 17, 10. Perversi difficilè corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. *Eccl.* 1, 15. — Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexit. *Eccl.* 7, 14.

CAPUT XLVIII.

Correptio æquo animo ferenda.

Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris; et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. *Eccl.* 21, 6. — Quàm bonum correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum. *Eccl.* 20, 4. — Vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus. *Eccl.* 10, 28. — Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. *Eccl.* 4, 30.

CAPUT XLIX.

Correptionem sustinentis commoda, damna repellentis.

Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti glorificabitur. *Prov.* 13, 18. — Stultus irridet disciplinam patris sui, qui autem custodit increpationes, astutior fiet. *Prov.* 15, 5. — Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur. *Prov.* 15, 31. — Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam, qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. *Prov.* 15, 32. — Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur. *Prov.* 29, 1. — Via vitæ custodienti disciplinam; qui autem increpationes relinquit, errat. *Prov.* 10, 17. — Cui odit correptio-

nem minuetur vita. *Eccl.* 19, 5. — Doctrina mala deserenti viam vitæ : qui increpationes odit morietur. *Prov.* 15, 10. — Peccator homo vitabit correptionem, et secundùm voluntatem suam inveniet comparationem. *Eccl.* 32, 21. — Inauris aurea margaritumque fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem. *Prov.* 25, 12. — Melior est ira risu, quia per tristitiam vultûs corrigitur animus delinquentis : cor sapientum ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi, quia sicuti sonitus spinarum ardentium sub ollâ, sic et risus stulti : sed et hoc vanitas. *Eccl.* 7, 4, 5, 6, 7. — Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. *Prov.* 27, 6.

CAPUT L.

Correptionis fraternæ exempla.

Egressus (Moyses) die altero, conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei qui faciebat injuriam : Quarè percutis proximum tuum? qui respondit : Quis constituit te principem super nos? nùm occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? *Exod.* 2, 13, 14. — Miserunt (Israelitæ) nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent : Cur tantum nefas in vobis repertum est? tradite homines de Gabaâ, qui hoc flagitium perpetrârunt ut moriantur, et auferatur malum de Israel. *Jud.* 20, 12, 13. — Accedens Elias ad omnem populum, ait : Usquequò claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum. Et non respondit ei populus verbum. 3 *Reg.* 18, 21. — Tobias increpat eos, dicens : Nolite ità loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo. *Tob.* 2, 17, 18.—Hæc mandat omnis populus Domini : Quæ est ista transgressio ? cur reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum, et à cultu illius recedentes? *Jos.* 22, 16. — Iratus sum nimis, cùm audissem clamorem eorum secundùm verba hæc, cogitavitque cor meum mecum, et increpavi optimates et magistratus, et dixi eis : Usurasne singuli à fratribus vestris exigitis ? Et congregavi adversùm me concionem magnam. 2 *Esdræ*, 3. 6, 7. — Egi causam adversùs magistratus, et dixi : Quarè derelinquimus domum Dei? 2 *Esdræ*, 13, 11. — Progenies viperarum, quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantiâ enim cordis os loquitur. *Matth.* 12, 34.—Herodes tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem, uxorem fratris sui; dicebat enim ei Joannes : Non licet tibi habere eam. *Matth.* 14, 3, 4. —Prædixi et prædico, ut præsens et nunc absens iis qui antè peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterùm, non arcam. An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? 2 *Cor.* 13, 3. — Tu filius ejus (Nabuchodonosoris), Balthasar, non humiliâsti cor tuum, cùm scires hæc omnia, sed adversùm dominatorem cœli elevatus es, et vasa domûs ejus allata sunt coràm te; et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ, vinum bibistis in eis; deos quoque argenteos, aureos, et æreos, et terreos ligneosque et lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudâsti. Porrò Deum, qui habet statum tuum in manu suâ et omnes vias tuas, non glorificâsti : idcircò ab eo missus est articulus manûs quæ scripsit hoc quod exaratum est. *Dan.* 5, 22, 23, 24. — Respondens alter (latro) increpabat eum (socium suum) dicens : Neque tu times Deum, quòd in eâdem damnatione es? Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus, hic verò nil mali gessit. *Luc.* 23, 40, 41.

CAPUT LI.

Vitia charitati opposita, et primò odium Dei et proximi.

Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. *Prov.* 6, 16. — Nonnè qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? *Ps.* 138, 21. — Oderat Esau Jacob pro benedictione quâ benedixerat ei pater, dixitque in corde suo : Venient dies luctûs patris mei, et occidam Jacob, fratrem meum. *Gen.* 27, 41. — Odio habuerunt corripientem in portâ, et loquentem perfectè abominati sunt. *Amos* 5, 10. — Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. *Matth.* 24, 9. — Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. *Joan.* 15, 18. — Odio habuerunt me gratis. *Ibid.* 25. — qui non diligit, manet in morte ; omnis qui odit fratrem suum, homicida est, et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. 1 *Joan.* 3, 14, 15.—Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usquè adhùc. Qui diligit fratrem suum in lumine manet, et scandalum in eo non est ; qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambu-

lat, et nescit quò eat, quia tenebræ excæcârunt oculos ejus. 1 *Joan.* 2, 9, 11. — *Vide suprà, cap.* 9.

CAPUT LII.

Acediæ damna, pœnæ, exempla.

In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. *Eccli.* 10, 18. — In lapide luteo lapidatus est piger, et omnes loquentur super aspernatione illius; de stercore boum lapidatus est piger; et omnis qui tetigerit eum, excutiet manus. *Eccl.* 22, 1, 2. — Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens : Melior est pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore et afflictione animi. *Eccl.* 4, 5, 6. — Vidisti virum velocem in opere suo? coràm regibus stabit, nec erit antè ignobiles. *Prov.* 22, 29.— Israelitæ tædio mannæ cibique cœlestis, quis (inquiunt) dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, porrique et cæpe et allia : anima nostra arida est; nil aliud respiciunt oculi nostri nisi man. *Num.* 11, 5. — Tædere cœpit populum itineris ac laboris, locutusque contrà Dominum et Mosen, ait : Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes. *Num.* 21, 5, 6.—Jonas fœdâ agitatus tempestate, descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. *Jonæ* 1, 5, 6. — Cùm dormirent homines, venit inimicus ejus, et super seminavit zizania in medio tritici, et abiit. *Matth.* 13, 25. — Dormientes virgines, quarum lampades non fuerant ornatæ antè adventum sponsi, excluduntur ab æternis nuptiis. *Matth.* 25, 13.

CAPUT LIII.

Invidiæ causæ et effecta.

Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. *Sap.* 2, 24, 25. — Parvulum occidit invidia. *Job.* 5, 2. — Neque cùm invidiâ tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. *Sap.* 6, 25. — Quòd si zelum amarum habetis, et sint contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversùs veritatem; non est enim ista sapientia desursùm descendens, sed terrena, animalis, diabolica; ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. *Jacob.* 3, 14, 15, 16. — Quòd si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. *Gal.* 5, 15. — Vita carnium sanitas cordis; putredo ossium invidia. *Prov.* 14, 30. — Vir qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat quòd egestas superveniet ei. *Prov.* 28, 23.

CAPUT LIV.

Exhortationes ad cavendam invidiam.

Sicut in die honestè ambulemus, non in contentione et æmulatione. *Rom.* 13, 13. — Manifesta sunt opera carnis, contentiones, æmulationes, dissensiones, sectæ, invidiæ, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *Gal.* 5, 21. — Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. *Gal.* 5, 26. — Deponentes omnem malitiam, invidiam, etc. 1 *Pet.* 2, 1. — Contemplatus sum omnes labores, et industrias animadverti patere invidiæ proximi : et in hoc ergò vanitas et cura superflua est. *Eccl.* 4, 4.

CAPUT LV.

Exempla invidiæ.

Locupletatus est homo (Isaac) et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est; habuit quoque possessiones ovium, et armentorum et familiæ plurimùm. Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes puteos quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo. *Gen.* 26, 13, 14, 15. — Videntes autem fratres ejus quòd à patre (Joseph) plus cunctis filiis amaretur, oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. *Gen.* 37, 4. — Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste, dixitque : Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt; quid ei superest, nisi solum regnum? Non rectis ergò oculis Saul aspiciebat David à die illâ et deinceps. 1 *Reg.* 18, 8, 9. — Sciebat quòd per invidiam tradidissent eum. *Matth.* 27, 18. — Itâ et Abel passus invidiam. *Gen.* 4, 6. — Joseph, *ibidem*, 37, 8. *David*, 2 *Regum*, 18, 8. *S. Paulus ad Philip.* 1, 15, et alii in Scripturis passìm.

CAPUT LVI.

Discordiæ causæ, effecta, exempla.

Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, et susurrone subtracto, jurgia conquiescent; sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas. *Prov.* 26, 20, 21. — Cùm sit inter vos zelus et contentio, nonnè carnales estis, et secundùm hominem ambulatis? 1 *Cor.* 3, 3. — Jurgati sunt, et

commoti, dixerunt inter gentes : Non addet ultrà, ut habitet in eis. *Thren.* 4, 15. — Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus ; proferentem mendacia, testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias. *Prov.* 6, 16, 19. — Facta est rixa inter pastores gregum Abraham et Loth. *Gen.* 13, 7. — Litigabant Judæi ad invicem, dicentes : Quomodò hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum ? *Joan.* 6, 53. *Vide* Invidia et Contentio.

CAPUT LVII.

Contentionis occasio, damna, pœnæ.

Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem. *Prov.* 29, 9.—Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius. Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contrà te constituat litem tibi ; multos enim perdidit aurum et argentum, et usquè ad cor regum extendit, et convertit. Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem ejus ligna. *Eccl.* 8, 1, 2, 3, 4. — Homo iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam. *Eccl.* 28, 11. —Ne contendas adversùs hominem frustrà, cùm ipse tibi nihil mali fecerit. *Prov.* 3, 30.— Honor est homini qui separat se à contentionibus : omnes autem stulti miscentur contumeliis. *Prov.* 2, 3. — Abstine te à lite, et minues peccata. *Eccl.* 28, 10. — Et ei, qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. *Matth.* 5, 40.—Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. *Prov.* 22, 10.—Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat. *Prov.* 28, 25. —Semper jurgia quærit malus ; angelus autem crudelis mittetur contrà eum. *Prov.* 17, 11.— Labia stulti miscent se rixis, et os ejus jurgia provocat. *Prov.* 13, 6. — Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. *Jac.* 3, 16. — Certamen festinatum incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem ; et lingua testificans adducit mortem. *Eccl.* 28, 13. — Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio. *Prov.* 17, 1. — Homo apostata omni tempore jurgia seminat ; huic extemplò veniet perditio sua ; et subitò conteretur, nec habebit ultrà medicinam. *Prov.* 6, 15.

CAPUT LVIII.

Contentionis prohibitio.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. *Phil.* 2, 3. —Noli contendere verbis : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. 2 *Tim.* 2, 14. — Stultas et sine disciplinâ quæstiones devita, sciens quia generant lites : servum autem Domini non oportet litigare. 2 *Tim.* 2, 23, 24.—Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1 *Cor.* 2, 16. — Frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles ? jam quidem omninò delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos. Quarè non magis injuriam accipitis ? quarè non magis fraudem patimini ? sed vos injuriam facitis, ut fraudatis, et hoc fratribus. 1 *Cor.* 6, 7.

CAPUT LIX.

Rixarum causa, effecta, pœnæ.

Vir iracundus provocat rixas, et qui ad indignandum est facilis, ad peccandum proclivior erit. *Prov.* 29, 22. — Cum iracundo non facias rixam, et cum audace non eas in desertum ; quoniam quasi nihil est antè illum sanguis, et ubi non est adjutorium, elidet te. *Eccl.* 8, 19. — Effusio sanguinis in rixâ superborum, et maledictio illorum auditus gravis. *Eccl.* 27, 16. — Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, et commiscetur rixæ alterius. *Prov.* 26, 17. — *Vide verbo* Discordia, Iracundia.

CAPUT LX.

Bellorum causa peccatum est.

Quis dedit in direptionem Jacob et Israel vastantibus ? nonnè Dominus ipse cui peccavimus ? et noluerunt in viis ejus ambulare, nec audierunt legem ejus, et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, et combussit eum in circuitu, et non cognovit, et succendit eum et non intellexit. *Isa.* 42, 23, 24, 25. — Utinàm attendisses mandata mea : facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris, et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli ejus, non interisset et non fuisset attritum nomen ejus à facie meâ. *Isa.* 48, 18, 19. — Causam viduæ non judicârunt, causam pupilli non dixerunt, et judicium pauperum non judicaverunt : numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea ? *Jer.* 5, 28, 29.

CAPUT LXI.

Finis belli emendatio.

Adhùc paululùm modicumque, et consummabitur indignatio et furor meus super scelus eorum. *Isa.* 10, 25. — Eccè dominator exer-

cituum Dominus confringet laguncula in terrore, et excelsi staturâ succidentur, et sublimes humiliabuntur. *Isa.* 10, 33. — Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium cædentem populos in indignatione plagâ insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. *Isa.* 14, 5, 6, 7. — Animæquior esto populus Dei, memorabilis Israel; venumdati estis gentibus, non in perditionem, sed propter quòd in irâ ad iracundiam provocâstis Dominum, traditi estis adversariis. *Baruch.* 4, 5, 6.

CAPUT LXII.

Animandus ad bellum justum miles.

Si exieris ad bellum contrà hostes tuos, et videris equitatus et currus, et majorem quàm tu habeas adversarii exercitûs multitudinem, non timebis eos : quia Dominus Deus tuus tecum est; appropinquante jam prælio, stabit sacerdos antè aciem, et sic loquetur ad populum : Audi, Israel : vos hodiè contrà inimicos vestros pugnam committitis ; non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos : quia Dominus Deus vester in medio vestrî est, et pro vobis contrà adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. *Deut.* 20, 1, 2, 3, 4. — Viriliter agite et confortamini ; nolite timere nec paveatis ad conspectum eorum, quia Dominus Deus ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet. Et Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum; non dimittet nec derelinquet te : noli timere, nec paveas. *Deut.* 31, 6, 8. — Adhæreatis Domino Deo vestro ; quod fecistis usquè in diem hanc : et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas, et nullus vobis resistere poterit; unus è vobis persequetur hostium mille viros, quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est; hoc tantùm diligentissimè præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum. *Josue* 23, 8, 9, 10, 11. — Dixit David ad nuntium : Hæc dices Joab : Non te frangat ista res; varius enim eventus est belli; nunc hunc, nunc illum consumit gladius ; conforta bellatores tuos adversùs urbem, et destrues eam, et exhortare eos. 2 *Reg.* 2, 23. — Viriliter agite et confortamini; nolite timere nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem quæ est cum eo : multò enim plures nobiscum sunt quàm cum illo; cum illo enim brachium carneum, nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster pugnatque pro nobis. 2 *Paral.* 32, 7, 8.—Hæc dicit Dominus vobis : Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem; non est enim vestra pugna, sed Dei: cràs descendetis contrà eos ; ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, et invenietis illos in summitate torrentis qui est contrà solitudinem Jeruël. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodò confidenter state, et videbitis auxilium Domini super hos, ô Juda et Jerusalem! Nolite timere, nec paveatis; cràs egrediemini contrà eos, et Dominus erit vobiscum. 2 *Paral.* 20, 15, 16, 17. Nolite timere à facie eorum. Domini magni et terribilis mementote, et pugnate pro fratribus vestris, et uxoribus vestris, et domibus vestris. In loco quocumque audietis clangorem tubæ, illùc concurrite ad nos; Deus noster pugnabit pro nobis. 2 *Esdræ*, 4, 14, 20. — Ut viderunt exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Judæ : Quomodò poterimus pauci pugnare contrà multitudinem tantam et tàm fortem, et nos fatigati sumus jejunio hodiè ? Et ait Judas : Facile est multos concludi in manus paucorum ; et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis et in paucis, quoniam non in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superbiâ, ut disperdant nos, et uxores nostras, et filios nostros, et ut spolient nos ; nos verò pugnabimus pro animabus nostris, et legibus nostris: et ipse Dominus conteret eos antè faciem nostram; vos autem ne timueritis eos. 1 *Mach.* 3, 17, 18, 19, 20, 21, 22. — Et ait Judas: Accingimini, et estote filii potentes, et estote parati in mane, ut pugnetis adversùs nationes has quæ convenerunt adversùs nos, disperdere nos, et Sancta nostra ; quoniam meliùs est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ et Sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1 *Mach.* 3, 58, 59, 60. — Et ait Judas viris qui secum erant : Ne timueritis multitudinem eorum, et impetum eorum ne formidetis. Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari Rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo ; et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostrî Dominus, et memor erit Testamenti patrum nostrorum, et conteret exercitum istum antè faciem nostrum hodiè : et scient omnes gentes quia est qui redimet et liberet Israel. 1 *Mach.* 4, 8, 9, 10, 11.

CAPUT LXIII.

Orationes tempore belli, pro victoriâ obtinendâ.

Domine, non est apud te ulla distantia, utrùm in paucis auxilieris, an in pluribus; ad-

juva nos, Deus noster : in te enim et in tuo nomine habentes fiduciam, veniemus contrà hanc multitudinem. 2 *Paral.* 14, 11. — Peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus. Tu, quia pius es, miserere nostrî, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, et noli tradere confitentes te populo qui ignorat te, ut non dicant inter gentes : Ubi est Deus eorum ? *Jud.* 7, 19, 20. —Tu es Deus noster, qui conteris bella ab initio, et Dominus nomen est tibi : erige brachium tuum sicut ab initio, et allide virtutem illorum in virtute tuâ ; cadat virtus eorum in iracundiâ tuâ, qui promittunt se violare Sancta tua. *Judith.* 9, 10, 11. — Et nunc, Domine, rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, et hæreditatem tuam delere; ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi. *Esther* 13, 15.—Mi Domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem? et quid facies magno nomini tuo? *Josue* 7, 8, 9. — Percute dorsa inimicorum nostrorum, et qui oderunt nos non consurgant. *Deut.* 33, 11. — Domine, Deus cœli et terræ, intuere superbiam inimicorum nostrorum, et respice ad nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum; attende, et ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te, et præsumentes de se, et de suâ virtute gloriantes humilias. *Judith.* 6, 15. —Disperge eos in virtute tuâ, et depone eos, protector meus Domine. *Ps.* 38, 12. — Deus meus, pone eos ut rotam, et sicut stipulam antè faciem venti. *Ps.* 82, 14. — Irruat super eos formido, et pavor in magnitudine brachii tui. *Exod.* 15, 16.

CAPUT LXIV.

Scandali malitia et pœna.

Qui decipit justos in viâ malâ, in interitu suo corruet, et simplices possidebunt bona ejus. *Prov.* 28, 10. — Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur. 2 *Reg.* 12, 14. — Qui scandalizaverit unum de pusillis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis! necesse enim est ut veniant scandala. Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit! *Matth.* 18, 6, 7.

CAPUT LXV.

Quantoperè vitârint scandalum Christus, Apostolus, Eleazarus.

Ut non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum : et piscem, qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens da eis pro me et te. *Matth.* 12, 27. — Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. 1 *Cor.* 8, 13. — Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hâc plenitudine quæ ministratur à nobis ; providemus enim bona, non solùm coràm Deo, sed etiam coràm hominibus. 2 *Cor.* 8, 20, 21.— Non enim ætati nostræ, inquit, dignum est fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum eo annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. 2 *Machab.* 6, 24, 25.

CAPUT LXVI.

Monita ad cavendum scandalum activum et passivum.

Non ergò ampliùs nos invicem judicemus ; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas; noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. *Rom.* 14, 13, 15. —Videte ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 1 *Cor.* 8, 9. — Si quis dixerit : Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam; conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Sine offensione estote Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei. Sicut et ego per omnia, omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. 1 *Cor.* 10, 28. — Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2 *Cor.* 6, 3. — Ab omni specie malâ abstinete vos. 1 *Thess.* 5, 22.— Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, propter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. *Rom.* 16, 17. — Cave ne unquàm cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias quæ sint tibi in ruinam. *Levit.* 34, 12.

CAPUT LXVII.

Non curandum scandalum pharisaicum.

Accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? *Matth.* 15, 12. — At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur. *Ibid.* 13. — Sinite illos,

cæci sunt, et duces cæcorum; cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent. *Ibid.* 14.

CAPUT LXVIII.

Donum sapientiæ (quæ, teste S. Thomâ, 2—2. q. 45, respondet charitati) in quo consistat.

Dilectio Dei honorabilis sapientia. *Eccl.* 1, 14. — Plenitudo sapientiæ est timere Deum. *Eccl.* 1, 20. — Consummatio timoris Dei sapientia et sensus. *Eccl.* 21, 13. — Eccè timor Domini ipsa est sapientia, et recedere à malo intelligentia. *Job.* 38, 28. — Initium sapientiæ timor Domini. *Eccl.* 1, 16. — Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia. *Sap.* 6, 18.

CAPUT LXIX.

Auctor sapientiæ Deus.

Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna. *Eccl.* 1, 5. — Ego sapientiæ effudi flumina; ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio; ego quasi fluvii Dioryx, et sicut aquæ ductus exivi de Paradiso. *Eccl.* 24, 40, 41. — Mihi dedit Deus dicere ex sententiâ, et præsumere digna horum quæ mihi dantur; quoniam ipse sapientiæ dux est, et sapientium emendator; in manu enim illius et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia, et disciplina. *Sap.* 7, 15, 16. — Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, et salutis fructum : utraque autem sunt dona Dei. *Eccl.* 22, 23. — Sperabam quòd ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. Sed, ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. *Job.* 32, 7, 8. — Vapor est virtutis Dei, et emanatio est quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideò nihil inquinatum in eam incurrit. *Sap.* 7, 25.

CAPUT LXX.

Sapientiæ qualitates et conditiones variæ.

Quæ desursùm est sapientia, primùm quidem pudica est, deindè pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ et fructibus bonis, judicans sine simulatione. *Jacob.* 3, 17. — Benignus est spiritus sapientiæ. *Sap.* 1, 6. — Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ? abyssus dicit : Non est in me; et mare loquitur : Non est mecum *Job.* 28, 12. — Undè ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viventium; volucres quoque cœli latet; perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus. *Job.* 28, 20, 21, 22. — Radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. *Eccl.* 24, 16. — Scientia sapientis tanquàm inundatio abundabit, et consilium ejus sicut fons vitæ permanet. *Eccl.* 21, 16. — Sapientia doctrinæ secundùm nomen est ejus, et non est multis manifesta, quibus autem cognita est permanet usquè ad conspectum Dei. *Eccl.* 6, 23.

CAPUT LXXI.

Sapientiam acquirendi modus.

Fili, à juventute tuâ, excipe doctrinam, et usquè ad canos invenies sapientiam. *Eccl.* 6, 18. — Cùm adhùc junior essem, priusquàm oberrarem, quæsivi sapientiam palàm in oratione meâ; antè templum postulabam pro illâ, et usquè in novissimis inquiram eam. *Eccl.* 51, 18, 19. — Concupiscite sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam. Clara est, et quæ nunquàm marcessit sapientia, et facilè videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt eam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut his se prior ostendat. *Sap.* 6, 12, 13, 14. — In tentatione ambulat cum eo, et inprimis eligit eum. Timorem, et metum, et probationem adducet super illum, et cruciabit eum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, et credat animæ illius. Et firmabit illum, et iter adducet directum ad eum, et lætificabit illum. Et denudabit absconsa sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam, et intellectum justitiæ. *Eccl.* 4, 18, 19, 20. — Animam meam direxi ad illam, et in agnitione inveni eam. *Eccl.* 51, 27. — In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se à cogitationibus quæ sunt sinè intellectu, et corripietur à superveniente iniquitate. *Sap.* 1, 4, 5. — Per nationes in animas sanctas se transfert. *Sap.* 7, 27. — Optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ. *Sap.* 7, 7. — Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum; adii Dominum, et deprecatus sum illum; et dixi ex totis præcordiis meis, etc. *Sap.* 8, 21. — Manus meas extendi in altum. *Eccl.* 51, 26. — Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens et prophetis vacabit. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis

suis deprecabitur. *Eccl.* 39, 1, 6, 7. — Si sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Dei, et scientiam invenies. *Prov.* 2, 3, 4, 5. — Consiliatus sum enim ut facerem illam. Zelatus sum bonum, et non confundar. Colluctata est anima mea in illâ, et in faciendo eam confirmatus sum. *Eccl.* 51, 24, 25. — Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Ps.* 110, 10.—Filii, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit eam tibi. *Eccl.* 1, 33. — Piè agentibus dedit sapientiam. *Eccl.* 43, 37. — Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maximè assiduus esto, et ipse tibi dabit cor, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. *Eccl.* 6, 37. — Qui timet Dominum, faciet bona; et qui continens est justitiæ, apprehendet eam. *Eccl.* 15, 1. — Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu sapientiam percipiet. *Eccl.* 38, 25.

CAPUT LXXII.

Sapientiæ effecta et signa in animo, corpore, et bonis externis.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ, et innumerabilis honestas per manus illius. Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia et ignorabam quoniam horum omnium mater est. *Sap.* 7, 11. — Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se, et præibit in viâ justitiæ. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt, et quò introibit benedicet Deus. *Eccl.* 4, 12, 14. — Si credideris illi, hæreditabis illam. *Eccl.* 4, 17. — Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur; protegetur sub tegmine illius à fervore, et in gloriâ ejus requiescet. *Eccl.* 14, 26, 27. — Per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, ab initio. *Sap.* 9, 19.—Si sapiens fueris, tibimetipsi eris; si autem illusor, solus portabis malum. *Prov.* 9, 12.

CAPUT LXXIII.

Ejusdem effecta in intellectu et voluntate.

Attingit à fine usquè ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. *Sap.* 8, 1.—Si sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ, tùm intelliges justitiam judicium, æquitatem, et omnem semitam rectam. Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris à viâ malâ, et ab homine qui perversa loquitur. *Prov.* 2, 2, 9, 10, 11, 12. — Manus meas extendi in altum, et insipientiam ejus luxi; animam meam direxi ad illam, et in agnitione inveni eam. Possedi cum ipsâ cor ab initio; propter hoc non derelinquar. *Eccl.* 51, 26, 27, 28. — Cibabit illum pane vitæ et intellectûs, et aquâ sapientiæ salutaris potabit illum, et firmabitur in illo, et non flectetur; in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit eum spiritu sapientiæ et intellectûs, et stolâ gloriæ vestiet eum. *Eccl.* 15, 3, 5. — Si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes : sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam et virtutem, quibus nihil utilius est in vitâ hominibus. *Sap.* 8, 7.

CAPUT LXXIV.

Dulcedinem cordis, quietem, consolationem et constantiam parit.

Intrans in domum meam, conquiescam cum eâ; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus, sed lætitiam et gaudium. *Sap.* 8, 16. — In novissimis invenies requiem in eâ, et convertetur tibi in oblectationem. *Eccl.* 6, 29. — Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus. *Prov.* 3, 17, 18. — Et qui illam diligit, diligit vitam; et qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. *Eccl.* 4, 13. — Obviabit ei quasi mater honorificata, et quasi mulier à virginitate suscipiet eum. *Eccl.* 15, 2. — Et denudabit absconsa sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ. *Eccl.* 4, 21. — In amicitiâ illius delectatio bona. *Sap.* 8, 18. — Lætetur anima vestra in misericordiâ ejus, et non confundemini in laude ipsius. *Eccl.* 51, 37. — Proposui hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. *Sap.* 8, 9. — Et firmabitur in illo et non flectetur, et continebit illum et non confundetur. *Eccl.* 15, 3, 4.

CAPUT LXXV.

Honorem et gloriam conciliat.

Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usquè in seculum non delebitur; non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudem ejus enuntiabit Ecclesia. *Eccl.* 39, 12, 13, 14. — Servo sensato liberi servient. *Eccl.* 10, 28. — Doctrinâ

suâ noscetur vir ; qui autem vanus et excors est, patebit contemptui. *Prov.* 12, 8. — Vir sapiens implebitur benedictionibus, et videntes illum laudabunt. Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum. *Eccl.* 37, 27, 29. — Qui serviunt e obsequentes erunt sancto, et eos qui diligunt eam diliget Deus. Qui audit eam judicabit gentes, et qui intuetur eam permanebit confidens. *Eccl.* 4, 15, 16.—Exaltabit illum apud proximos suos, et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus ; jucunditatem et exultationem thesaurizabit super eum et nomine æterno hæreditabit illum. *Eccl.* 15, 6, 7. — Amicos Dei et prophetas constituit. *Sap.* 7, 27. — Sapientia justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum ; honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. *Sap.* 10, 10.

CAPUT LXXVI.

Bona fortunæ cumulat.

Infinitus thesaurus est hominibus. *Sap.* 7, 14. — Si divitiæ appetuntur in vitâ, quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? *Sap.* 8, 5.—In operibus manuum illius honestas sine defectione. *Ibid.* 18. — Sapientiâ ædificabitur domus, et prudentiâ roborabitur. In doctrinâ replebuntur cellaria, universa substantiâ pretiosâ et pulcherrimâ. *Prov.* 24. 3, 4. — Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in eâ. *Eccl.* 51, 36. — Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ, et justitia, ut ditem diligentes me, et thesauros illorum repleam. *Prov.* 8, 18, 21.

CAPUT LXXVII.

Qui eam repudiat miser est, qui inquirit beatus.

Sapientiam et disciplinam qui abjicit infelix est, et vacua est spes illorum ; et labores sine fructu, et inutilia opera eorum. Mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii illorum ; maledicta creatura eorum. *Sap.* 3, 11, 13. — Si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab eo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. *Sap.* 9, 6. — Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit ; assidentem enim illam foribus suis inveniet. Cogitare ergò de illâ sensus est consummatus ; et qui vigilaverit propter illam citò securus erit, quoniam dignos seipsâ circuit quærens, et in viis ostendit se iis hilariter, et in omni providentiâ occurrit illis, *Sap.* 6, 14, 15, 16, 17. — Quibus apparuerit in visu, diligunt eam in visione, et in agnitione magnalium suorum. *Eccl.* 1, 15.

CAPUT LXXVIII.

Sapiens libenter auditur, prodest verbo, consilio, exemplo.

Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos. *Eccl.* 9 17. — Vir sapiens plebem erudit, et fructus sensûs illius fideles sunt. *Eccl.* 37, 26. — S Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit eum. Et ipse tanquàm imbres emittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino. Ipse palàm faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. *Eccl.* 39, 8, 9, 11. — Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum, et rex sapiens stabilimentum populi est. *Sap.* 6, 26. —Ornamentum aureum prudentis doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. *Eccl.* 21, 24.

CAPUT LXXIX.

Antitheses sapientem inter et insipientem.

Homines stulti non apprehendent eam, et homines sensati obviabunt ei ; homines stulti non videbunt eam, longè enim abest à superbiâ et dolo. Viri mendaces non erunt ejus memores, et viri veraces invenientur in illâ, et successum habebunt usquè ad inspectionem Dei. *Eccl.* 15, 7, 8. — Sapientia callidi est intelligere viam suam, et imprudentia stultorum errans. *Prov.* 14, 8. — Stultitia gaudium stulto, et vir prudens dirigit gressus suos. *Prov.* 15, 21. — Callidus videt malum, et abscondit se ; innocens pertransiit, afflictus est damno. *Prov.* 22, 3. — Vidi quòd tantùm præcederet sapientia stultitiam, quantùm differt lux à tenebris. Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat. *Eccl.* 1, 13, 14. *Vide part.* IV, *cap.* 13.

CAPUT LXXX.

Variæ ad sapientiam cohortationes.

O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum : Intelligite, parvuli, astutiam ; et insipientes, animadvertite. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam; doctrinam magis quàm aurum eligite : melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. *Prov.* 8, 4, 5, 10. — Si quis est parvulus, veniat ad me ; et insipientibus locuta est : Venite ; comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis ; relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ. *Prov.* 9, 4, 5, 6. — Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ. Quid adhùc retardatis ? et quid dicitis in his ? animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum, et locutus sum : Comparate vobis sine argento, et collum ves-

trum subjicite jugo, et suscipiet anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam. *Eccl.* 51, 31, 32, 33, 34.—Dic sapientiæ : Soror mea es. Et voca prudentiam amicam tuam, ut custodiat te à muliere extraneâ, et ab alienâ, quæ verba sua dulcia facit. *Prov.* 7, 4, 5. — Posside sapientiam, quia auro melior est ; et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. *Prov.* 16, 16. — Audi, fili, et accipe consilium intellectûs, et ne abjicias consilium meum ; injice pedem tuum in compedes ejus, et in torques ejus collum tuum : et erunt tibi compedes ejus in protestationem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ. Decor enim vitæ est in illâ, et vincula ejus alligatura salutaris ; stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi. *Eccl.* 6, 24, 25, 29, 30, 31, 32. — Veritatem eme, et noli vendere sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam. *Prov.* 23, 23. — Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum, ut possim exprobranti respondere sermonem. *Prov.* 27, 11. — Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. *Eccl.* 24, 26, 27.

CAPUT LXXXI.

Jaculatoriæ pro impetrandâ sapientiâ.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare à pueris tuis. *Sap.* 9, 4. — Mitte sapientiam de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. *Sap.* 9, 4. — Sensum tuum, ô Domine, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis, et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi placent didicerint homines? Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, à principio. *Sap.* 9, 17, 18, 19. *De* Insipientiâ *vide partis sequentis cap.* 13.

Pars IV.

PRUDENTIA ET VITIA OPPOSITA.

Prudentia, à providendo vel porrò videndo Latinis dicta, primò accipitur generatim pro omni notitiâ veri. Secundò, propriè pro virtute proximè directrice morum, quæ definitur : Habitus agendi vera cum ratione, circà ea quæ homini bona sunt vel mala; hæc dividitur immediatè in personalem, quà quis in singulis actionibus spectat quid agere oporteat, proprium bonum intendens; et in gubernatricem, cujus species sunt : œconomia politica, legislatrix et militaris. Personalis prudentia absolutè et simpliciter prudentia dicitur, gubernatrix non absolutè, sed cùm adjuncto, ut œconomica, civilis, militaris.

Actus prudentiæ sive officia tria numerantur : primum est benè consultare et inquirere media ; secundum benè judicare de mediis inventis; tertium, præcipere sive imperare ut ea quæ judicata sunt perficiantur. De singulis documenta S. Paginæ afferentur; de integrantibus autem prudentiæ partibus, et de subjectivis (ut et aliarum virtutum), distinctus titulus non proponetur; quia quoad rem cum ipsis virtutibus conveniunt, ut etiam partes potentiales prudentiæ, ut benè notat Lessius, *lib.* 1, *de prudentiâ, cap.* 2, *dub.* 3.

Prudentiæ opponitur imprudentia multiplex, ut insipientiæ sapientia, quam non incongruè huic parti immediatè præmissam esse patebit ex sequentibus.

CAPUT PRIMUM.

Adhortatio ad veram prudentiam.

Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10, 16. — Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. *Rom.* 16, 19. — In die bonâ fruere bonis, et malam diem præcave. *Eccl.* 7, 15. — Estote prudentes, et vigilate in orationibus. *Pet.* 4, 7. *Vide dicta de* sapientiâ, *cap.* 80.

CAPUT II.

Fructus et effectus veræ prudentiæ.

Eruditus in verbo reperiet bona, et qui sperat in Deo beatus est. *Prov.* 16, 20. — Sapiens timet, et declinat à malo; stultus transilit et confidit. *Prov.* 14, 16.—Callidus videt malum, et abscondit se ; innocens pertransiit et afflictus est damno. *Prov.* 22, 3. — Frustrà jacitur rete antè oculos pennatorum. *Prov.* 1, 17. —

Quomodò in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. *Prov.* 27, 19. *Vide dicta de* Sapientiâ, *cap.* 72.

CAPUT III.

Prudentia humana incerta et fallax.

Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. *Sap.* 9, 14. — Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus ducunt ad mortem. *Prov.* 14, 12. — Qui confidit in corde suo stultus est; qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur. *Prov.* 28, 26. — Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud te ipsum; time Deum, et recede à malo. *Prov.* 3, 5, 6, 7. — Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. *Rom.* 12, 16. — Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coràm vobismetipsis prudentes! *Isa.* 5, 21.

CAPUT IV.

Damnatur prudentia impiorum.

Non est sapientia nequitiæ disciplina; et non est cogitatus peccatorum prudentia. *Eccl.* 19, 19. — Est nequitia et est ipsa execratio; et insipiens qui minuitur sapientiâ. Melior est homo qui minuitur sapientiâ et deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu et transgreditur legem Altissimi. *Eccl.* 19, 20, 21. — Stultus populus meus me non cognovit: filii insipientes sunt et vecordes; sapientes sunt ut faciant mala, benè autem facere nescierunt. *Jer.* 4, 22. — Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum; scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutiâ eorum. Et iterùm: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. 1 *Cor.* 3, 19, 20. — Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus seculi? Nonnè stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? 1 *Cor.* 1, 19, 20. — Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritûs sentiunt; nam prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritûs vita et pax; quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest; qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. *Rom.* 8, 5, 6, 7, 8. — Fiduciam habuisti in malitiâ tuâ, et dixisti: Non est qui videat me. Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te; veniet super te malum, et nescies ortum ejus. *Isa.* 47, 10, 11.

CAPUT V.

Exempla prudentiæ.

In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo: vidit itaque Saul quòd prudens esset nimis, et cœpit cavere eum. 1 *Reg.* 18, 14, 15. — A principio autem egressionis eorum prudentiùs se gerebat David, quàm omnes servi Saul, et celebre factum est nomen ejus nimis. 1 *Reg.* 18, 30. — Diem constituerunt (Judas et Nicanor) quâ secretò inter se agerent; et singulis sellæ prolatæ sunt et positæ. Præcepit autem Judas armatos esse locis opportunis, ne fortè ab hostibus repentè mali aliquid oriretur; et congruum colloquium fecerunt. 2 *Mach.* 14, 21, 22. — Stupebant omnes qui eum audiebant super prudentiâ et responsis ejus. *Luc.* 2, 47. — Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset; quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt. *Luc.* 16, 8.

CAPUT VI.

Jaculatoriæ orationes pro impetrandâ prudentiâ.

Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua. *Ps.* 42, 3. — Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in viâ tuâ vivifica me. *Ps.* 118. — Quoniam tu illuminas lucernam meam; Domine Deus, illumina tenebras meas. *Ps.* 17. — Dirige me in veritate tuâ, et doce me quia tu es Salvator meus, et te sustinui totâ die. *Ps.* 24. — Proba me, Deus, et scito cor meum; interroga me et cognosce semitas meas, et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in viâ æternâ. *Ps.* 138.

CAPUT VII.

Prudentiæ officia rectè consulere, judicare, exsequi. Consilii causa et effecta.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia. *Prov.* 8, 12, 14. — Vir peritus multos erudivit, et animæ suæ suavis est, et sapiens animæ suæ sapiens, et fructus sensus illius laudabilis. *Eccl.* 37, 22. 25. — Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est audit consilia. *Prov.* 12, 15. — Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ; astutus omnia agit cum consilio; qui autem fatuus est, aperit stultitiam. *Prov.* 13, 10, 16. — Dissipantur cogitationes ubi non est consilium; ubi verò sunt plures con-

siliarii, confirmantur. *Prov.* 15, 22. — Fili, sine consilio nil facias, et post factum non pœnitebis. *Eccl.* 32, 24. — Antè omnia opera verbum verax præcedat te, et antè omnem actum consilium stabile. *Eccl.* 37, 20. — Salus ubi multa consilia. *Prov.* 11, 14. — Aurum et argentum est constitutio pedum, et super utrumque consilium beneplacitum. *Eccl.* 60, 25. — Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur. *Prov.* 27, 9.

CAPUT VIII.

Consilium à quibus petendum.

Scientia sapientis tanquàm inundatio abundabit, et consilium ejus sicut fons vitæ permanet. *Eccl.* 2, 16. — Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque noveris observantem timorem Dei; cujus anima est secundùm animam tuam : qui, cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi. *Eccl.* 37, 15, 16. — Secundùm virtutem tuam cave te à proximo tuo, et cum sapientibus et prudentibus tracta. *Eccl.* 9, 21. — Consilium semper à sapiente perquire. *Tob.* 4, 19. — Et cor boni consilii statue tecum; non est enim tibi aliud pluris illo : anima viri sancti enuntiat aliquandò vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. *Eccl.* 37, 17, 18. — Et in omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. *Eccl.* 37, 19.

CAPUT IX.

Multorum consilium inutile, noxium, fraudulentum.

Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, et à zelantibus et à zelanti te absconde consilium : omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso; à consiliario serva animam tuam, priùs scito quæ sit illius necessitas : et ipse enim animo suo cogitabit, ne fortè mittat sudem in terram, et dicat tibi : Bona est via tua, et stet è contrario videre quid tibi eveniat. *Eccl.* 37, 7, 8, 9, 10, 11. — Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent; coràm extraneo ne facias consilium, nescis enim quid pariet; non omni homini cor tuum manifestes, ne fortè inferat tibi gratiam falsam, et convitietur tibi. *Eccl.* 8, 20, 21, 22. — Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. *Eccl.* 6, 6. — Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt; qui comederit de ovis eorum morietur, et quod confotum est erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum. *Isa.* 59, 5, 6. — Verbum nequam immutabit cor; ex quo partes quatuor oriuntur, bonum et malum, vita et mors. *Eccl.* 37, 21. — Consilia impiorum fraudulenta. *Prov.* 12, 5. — Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. *Prov.* 1, 10. — Qui decipit justos in viâ malâ, in interitu suo corruet; simplices possidebunt bona ejus. *Prov.* 28, 10.

CAPUT X.

Consilium impiorum peribit.

Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant; qui apprehendit sapientes in astutiâ eorum, et consilium pravorum dissipat; per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie. *Job.* 5, 12, 13, 14. — Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus : Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens. *Isa.* 19, 13, 14. — Hæc dicit Dominus Deus : Non stabit et non erit istud. *Isa.* 6, 7. — Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo; et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos. *Isa.* 19. 3. — Congregamini, populi, et vincimini; et audite, universæ procul terræ : Confortamini et vincimini; inite consilium, et dissipabitur; loquimini verbum, et non fiet : quia nobiscum Deus. *Isa.* 8, 9, 10. — Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contrà Dominum. *Prov.* 21, 30.

CAPUT XI.

Dei consilium permanebit.

Juravit Dominus exercituum, dicens : Si non, ut putavi, ità erit, et quomodò mente tractavi, sic eveniet hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, et hæc est manus extenta super universas gentes. Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? et manus ejus extensa, et quis avertet eam? *Isa.* 14, 24, 26, 27. — Ab initio ego ipse, et non est qui de manu meâ eruat; operabor, et quis avertet illud? *Isa.* 43, 15. — Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. *Isa.* 46, 10. — Nunc itaque dico vobis : Discedite ab hominibus istis, et sinite illos; quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus,

dissolvetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne fortè et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem ei. *Act.* 5, 38, 39. — Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum; consilium Domini in æternum manet; cogitationes cordis ejus in generatione et generationem. *Ps.* 32, 10, 11.

CAPUT XII.

Deus et presbyteri consulendi. Consilii neglecti pœnæ.

Pro hoc (id est pro Josue), si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum: ad verbum ejus egredietur, et ingredietur ipse et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo. *Num.* 27, 21. — Clamabitis in die illâ à facie regis vestri, quem elegistis vobis, et non audiet vos Dominus in die illâ, quia petîstis vobis regem. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquàm, rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes, et judicabit nos rex noster, egredietur antè nos, et pugnabit bella nostra pro nobis. 1 *Reg.* 8, 18, 19, 20. — Postquàm obiit Joiada, ingressi sunt principes Juda, et adoraverunt regem, qui delinitus obsequiis eorum, acquievit eis, et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum. 2 *Paral.* 24, 17, 18. — Nolite ascendere; non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coràm inimicis vestris. Amalecites et Chananæus antè vos sunt, quorum gladio corruetis; eò quòd nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis, descenditque Amalecites et Chananæus, qui habitabat in monte, et percutiens eos atque concidens persecutus est eos usquè Horma. *Num.* 14, 42, 43, 44, 45. — Dereliquit (Roboam) consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, et assistebant ei. 3 *Reg.* 12, 8.—Consilium meum, rex, placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. *Dan.* 4, 24.

CAPUT XIII.

Imprudentiæ et insipientiæ effecta, signa, atque alia adjuncta.

Rex insipiens perdet populum suum, et civitates habitabuntur per sensum potentium. *Eccl.* 10, 3. — Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt et reservat in posterum. *Prov.* 29, 11. — Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere. *Eccl.* 10, 15. — Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere: per servum cùm regnaverit, per stultum, cùm saturatus fuerit cibo. *Prov.* 30, 21, 22. — Super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen quàm fatuus? Arenam, et salem, et massam ferri facilius est ferre, quàm hominem imprudentem, et fatuum, et impium. *Eccl.* 22, 17, 18. — Qui priùs respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum. *Prov.* 18, 13. — Stultus quoque si tacuerit sapiens reputabitur, et si compresserit labia sua, intelligens. *Prov.* 17, 28. — Ne respondeas stulto juxtà stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Responde stulto juxtà stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. *Prov.* 26, 4, 5. — Judicium determinat causas, et qui imponit stulto silentium, iras mitigat. *Ibidem*, 10. — Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam, et in fine narrationis dicet: Quis est hic? *Eccl.* 22, 7, 8, 9. — *Vide part.* 3, *cap.* 79.

Pars v.

JUSTITIA ET VITIA OPPOSITA.

Quemadmodùm sapientia dupliciter accipitur, primò pro rectitudine intellectûs generali, ad benè judicandum de omnibus rebus; deindè, strictè pro certo intellectûs habitu, qui, ob singularem suam perfectionem, dicitur sapientia, ità et justitia latè sumitur pro generali rectitudine voluntatis, ut pluribus declaratum est præfatione partis V, libri 2; deindè strictè et propriè, atque ità accepta *justitia est habitus, qui inclinat voluntatem ad constanter et perpetuò tribuendum cuique jus suum*, sive, ut inquit Augustinus, *justitia est virtus quæ sua cuique tribuit* (Lib. 10, de Civitate Dei, cap. 1). Ita-

que justitia, licèt versetur primariò circà solas actiones rectè ad alterum disponendas, nihilominùs tamen versatur etiam circà res ipsas quæ sunt materia actionum; non autem versatur primariò circà passiones moderandas, sicut fortitudo et temperantia, nisi quatenùs istarum passionum moderatio est sæpè medium necessarium ad proprium finem justitiæ consequendum.

Partes justitiæ subjectivæ, sive species ejus sunt justitia commutativa et distributiva. Integrales partes numerantur à S. Thomâ (2-2, q. 79, art. 1) istæ duæ : facere bonum et declinare à malo, ubi bonum non eâ latitudine sumitur quæ omnibus virtutibus competit, quibus universè commune est bonum amplecti et malum declinare; sed pressè, prout bonum alteri est debitum. Itaque facere bonum, ut est pars justitiæ, est æqualitatem servare in illis quæ ad alterum spectant; declinare autem à malo, est æqualitatem eam non corrumpere.

Partes justitiæ potestativæ sunt duplices : vel enim in iis non est debitum legale et rigorosum, sed tantùm morale sive ex decentiâ, cui ex morum honestate satisfieri debet (et hujusmodi partes sunt gratitudo, vindicatio, veritas, affabilitas, liberalitas et æquitas); vel non observatur omninò absolutè æqualitas dati et accepti, sed tantùm secundùm quid (licèt debitum sit verè legale, et majus ac altius quam propriè dictæ justitiæ), ità ut ob ejus excellentiam non possit reddi æqualitas ; hujusmodi partes sunt religio, pietas, observantia et obedientia. Dicuntur autem hæ partes potestativæ, quia deficiunt à verâ ratione justitiæ propriissimè dictæ, in quâ propriè servatur æqualitas, et retinent tantùm similitudinem aliquam illius. Harum omnium vitia opposita suis distinguentur locis, ut omnia et singula clariùs elucescant.

CAPUT PRIMUM.

Encomia et effecta justitiæ universìm ac speciatìm.

Si sequaris justitiam, apprehendes illam, et indues quasi poderem honoris, et habitabis cum eâ, et proteget te in sempiternum, et in die agnitionis invenies firmamentum ; volatilia ad similia conveniunt, et veritas ad eam gentem, quæ illam operatur, revertetur. *Eccl.* 27, 9, 10. — Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum : ideò accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini, quoniam dexterâ suâ teget eos, et brachio sancto suo defendet eos. *Sap.* 5, 16, 17. — In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illâ justus judex, non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. 2 *Tim.* 4, 8. — Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam, justitiam et gloriam. *Prov.* 21, 21. — Fugit impius, nemine persequente; justus autem quasi leo confidens sine terrore erit. *Prov.* 28, 1. — In abundanti justitiâ virtus maxima est; cogitationes autem impiorum eradicabuntur. Domûs justi plurima fortitudo, et in fructibus impii conturbatio. *Prov.* 15, 5, 6. — In memoriâ æternâ erit justus, ab auditione malâ non timebit. *Ps.* 111, 7. — Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum ; clamaverunt justi, et Dominus eos exaudivit, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Ps.* 33, 16, 18.

CAPUT II.

Antitheses variæ inter justum et impium.

Benedictio Domini super caput justi; os autem impiorum operit iniquitas. Memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet; sapiens corde præcepta suscipit, stultus cæditur labiis. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter; qui autem depravat vias suas, manifestus erit ; vena vitæ os justi, et os impiorum operit iniquitatem. *Prov.* 10, 6, 7, 8, 9, 11.—In bonis justorum exultabit civitas, et in perditione impiorum erit laudatio : benedictione justorum exaltabitur civitas, et ore impiorum subvertetur. Desiderium justorum omne bonum est, præstolatio impiorum furor. *Prov.* 21, 10, 11, 23. — Non roborabitur homo ex impietate, et radix justorum non commovebitur. Cogitationes justorum judicia, et consilia impiorum fraudulenta. Verba impiorum insidiantur sanguini; os justorum eos liberabit. Verte impios, et non erunt, domus autem justorum permanebit. *Prov.* 12, 3, 5, 6, 7. — Lux justorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur ; justus comedit et replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis. *Prov.* 13, 9, 25. — Domus impiorum delebitur; tabernacula autem justorum permanebunt. *Prov.* 14, 11. — Longè est Deus ab impiis, et orationes justorum exaudiet. *Prov.* 15, 29. — Facere misericordiam et judicium magis placet Domino quàm victimæ. *Prov.* 21, 3.

CAPUT III.

Injustitia omnis prohibetur à Deo.

Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in

regulâ, in pondere, in mensurâ. *Lev.* 19, 35. — Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec erit in domo tuâ modius major et minor; pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus tibi erit, ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus dederit tibi : abominatur enim Dominus Deus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam. *Deut.* 25, 13, 14, 15, 16. — Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum ; non morabitur opus mercenarii tui apud te usquè mane. *Lev.* 19, 13. — Non est bonum damnum inferre justo. *Prov.* 17, 26. — Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usquè ad inferos non placebit impius. *Eccl.* 9, 17. — Maledictus qui transfert terminos proximi sui, et dicet omnis populus : Amen. *Deut.* 27, 17. — Viduam et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari ; et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. *Zach.* 7, 10.

CAPUT IV.

Judicabitur à Deo et punietur.

Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provinciâ, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, et super hoc quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti. — Omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis. *Isa.* 9, 5. — Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. *Job.* 15, 34. — Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias et injurias, et contumelias, et diversos dolos. *Eccl.* 10, 8. — Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme. *Eccl.* 21, 9.

CAPUT V.

Præsertim verò injustitia judicum et aliorum magistratuum.

Principes tui infideles socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum fortis Israel : Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. *Isa.* 1, 29, 34. — Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo! propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet ; abjecerunt enim legem Domini exercituum et eloquium sancti Israel blasphemaverunt. *Isa.* 5, 23, 24. — Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, ut vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent! Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longè venientis? ad cujus confugietis auxilium ? et ubi derelinquetis gloriam vestram? *Isa.* 10, 1, 2, 3. — Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus ; vos enim depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestrâ. Quarè atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ? dicit Dominus Deus exercituum. *Isa.* 3, 14, 15. — Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. *Jer.* 8, 8.

CAPUT VI.

Injuria in judiciis et tribunalibus ac muneribus accipiendis.

Qui convertitis in absinthium judicium, et justitiam in terrâ relinquitis. *Amos* 5, 7. — Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam convertistis in amaritudinem judicium et fructum justitiæ in absinthium. *Amos* 6, 13. — Usquequò judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis ? judicate egeno et pupillo, humilem et pauperem justificate ; erigite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate. *Ps.* 81, 2, 3, 4. — Super tribus sceleribus Israel et super quatuor non convertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant, ut violarent nomen sanctum meum. *Amos* 2, 6, 7. — Non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium, et mutant verba justorum. *Deut.* 16, 19. — Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. *Prov.* 17, 23. — Qui cognoscit in judicio faciem non benè facit : iste et pro buccellâ panis deserit veritatem. *Prov.* 28, 21.

CAPUT VII.

Judicium iniquorum pœnæ.

Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli et viduæ, et dicet omnis populus : Amen. *Deut.* 27, 19. — Inventi in populo meo impii insidiantes quasi aucupes laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo ; ideò magnificati sunt et ditati. Incrassati sunt et

impinguati, et præterierunt sermones meos pessimè. Causam viduæ non vindicârunt, causam pupilli non direxerunt, et judicium pauperum non judicârunt. Numquid super his non visitabo? dicit Dominus, aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? *Jer.* 5, 26, 27, 28, 29. — Judicate mane judicium, et eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum. *Jer.* 21, 12.— Qui dicunt impio : Justus es, maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus. *Prov.* 24, 24. — Qui justificat impium et qui condemnat justum, abominabilis est uterque coràm Domino. *Prov.* 17, 15. — Præbete aures, vos qui continetis multitudines et placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est potestas vobis à Domino, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur, quoniam, cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicâstis, neque custodistis legem justitiæ, neque ambulâstis secundùm Dei voluntatem. Horrendè et citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus ; fortioribus autem fortior instat cruciatio. *Sap.* 6, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

CAPUT VIII.

Virtutes judici necessariæ.

Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet; sed judicabit in justitiâ pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium ; et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. *Isa.* 11, 3, 4, 5. — Judicium gentibus proferet ; non clamabit neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris; calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet ; in veritate educet judicium ; non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium ; et legem ejus insulæ expectabunt. *Isa.* 42, 2, 3, 4. — Provide de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos et centuriones, et quinquagenarios, et decanos. *Exod.* 18, 21, 25. — Justitiâ indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam diligentissimè investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam. *Job.* 29, 14, 15, 16, 17.— In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. *Ps.* 100, 8. — Dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus antè te fuerit tuî similis, nec pòst te surrecturus sit. 3 *Reg.* 3, 12. — Tu dominator virtutis cum tranquillitate judicas, et cum magnâ reverentiâ disponis eos ; subest enim tibi, cùm volueris, posse. *Sap.* 12, 18. — Judices singuli suo nomine quorum non est corruptum cor, qui non sunt aversi à Domino, ut sit memoria eorum in benedictione. *Eccl.* 46, 13. — Vovit justus causam pauperum ; impius ignorat scientiam. *Prov.* 29, 7. — Et nunc, reges, intelligite ; erudimini qui judicatis terram ; servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, ne quandò irascatur Dominus, et pereatis de viâ justâ. *Ps.* 2, 19, 11, 12. — Diligite justitiam qui judicatis terram ; sentite de Domino in bonitate, et in simplici tate cordis quærite illum. *Sap.* 1, 1.

CAPUT IX.

Causa diligenter cognoscenda.

Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris : Vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxtà opera sua. *Prov.* 24, 11, 12. — Judicate mane judicium. *Jer.* 21, 14. — Si difficile et ambiguum judicium apud te conspexeris inter sanguinem et sanguinem, et causam et causam, lepram et non lepram, et judicium intrà portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. *Deut.* 17, 8. — Cùmque diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contrà fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tuî. *Deut.* 19, 18, 19. — Testor coràm Deo et Christo Jesu electis angelis ejus, ut hæc custodias sine præjudicio nihil faciens, in alteram partem declinando. 1 *Tim.* 5, 21. — Priusquàm interroges, ne vituperes quemquam, et cùm interrogaveris, corripe justè. *Eccl.* 11, 7. — Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et

malum; quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum, hunc multum? 3 *Reg.* 3, 9.

CAPUT X.

Præmia boni judicis et fructus.

Labia deosculabitur qui recta verba respondet. *Prov.* 24, 26. — Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. *Eccl.* 10, 1. — Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. *Prov.* 29, 14. — Secundùm judicem populi, sic et ministri ejus; qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in eâ. *Eccl.* 10, 2. — Munera super innocentem non accepit; qui facit hæc, non movebitur in æternum. *Ps.* 14, 5.—Non judices contrà judicem, quoniam quod justum est judicat. *Eccl.* 8, 17.

CAPUT XI.

Variæ cohortationes ad judices.

Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimornm acquiesces sententiæ, ut à vero devies. Pauperis quoque non misereberis in judicio; non declinabis in judicium pauperis. *Exod.* 23, 2, 3, 6.—Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis; non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: justè judica proximo tuo. *Levit.* 19, 15. — Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices quem justum perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis. *Deut*, 25, 1. — Judicium verum judicate, et misericordiam, et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. *Zach.* 7, 9. — Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris. *Zach.* 8, 16. — Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. *Isa.* 1, 17. — In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum; et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quàm mater. *Eccl.* 4, 10, 11. — Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt aperi os tuum; decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem. *Prov.* 31, 8, 9. — Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. *Joan.* 7, 24. — Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, et quodcumque judicaveritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentiâ cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2 *Paral.* 19, 6, 7.

CAPUT XII.

Boni et mali judicis exempla.

Iratus Moyses valdè, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum; tu scis quòd nec asellum quidem unquàm acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. *Num.* 16, 15. — Ibat Samuel per singulos annos circuiens Bethel, et Galgala, et Maspha, et judicabat Israelem in suprà dictis locis. 1 *Reg.* 7, 15, 16. — Loquimini de me coràm Domino, et coràm Christo ejus, utrùm bovem cujusdam tulerim, aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodiè, restituamque vobis. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam. Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversùm vos, et testis Christus ejus in die hâc, quia non inveneritis in manu meâ quippiam. 1 *Reg.* 12, 3, 4, 5. — Constituti sunt de populo duo senes judices in illo anno, de quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus judicibus qui videbantur regere populum. *Dan.* 13, 5.

CAPUT XIII.

Jaculatoriæ judicium divinum petentis ac deprecantis.

Judica me, Domine, secundùm justitiam meam super me. *Ps.* 7, 9. — Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sanctâ; ab homine iniquo et doloso erue me. *Ps.* 62, 1. — Judica me, Domine, quoniam ego in innocentiâ meâ ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor. *Ps.* 25, 1. — Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142, 2. — Surge, Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. *Ps.* 81, 8. — Eccè in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. *Job.* 16, 19.

CAPUT XIV.

Acceptio personarum.

Statera dolosa abominatio est apud Dominum, et pondus æquum voluntas ejus. *Prov.* 11, 1. — Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. *Joan.* 7, 24. — Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candidâ, introierit autem et pauper in sordido

habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste præclarâ, et dixeritis ei : Tu, sede hìc benè; pauperi autem dicatis : Tu, sta illìc, aut : Sede sub scabello pedum meorum, nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum ? *Jac.* 2, 1, 2, 3, 4. — Si personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi trangressores. *Jac.* 2, 9. — Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis : justè judica proximo tuo. *Levit.* 19, 15. — In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam acceptus est illi. *Act.* 10, 34.

CAPUT XV.

Injusta corporis læsio per homicidium et mutilationem.

Cùm esset in agro consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, et interfecit eum. *Gen.* 4, 8. — Quid fecisti ? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. *Gen.* 4, 10. — Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tuâ. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos ; vagus et profugus eris super terram. *Gen.* 11, 12. — Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. *Gen.* 9, 6. — Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. *Apoc.* 13, 10. — Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. *Matth.* 26, 52. — Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, et ipse morietur ; si lapidem jecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur ; si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. *Num.* 35, 16, 17, 18. — Non accipies pretium ab eo qui reus est sanguinis ; statìm et ipse morietur. *Num.* 35, 31.

CAPUT XVI.

Corporis injusta violatio per adulterium et alia peccata luxuriæ, et primò gravitas hujus delicti, atque ad ejus fugam cohortatio.

Non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit ; furatur enim ut esurientem impleat animam : deprehensus quoque reddet septuplum et omnem substantiam domûs suæ tradet ; qui autem adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam. *Prov.* 6, 30, 31, 32. — Sic est mulier omnis relinquens virum suum et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio : primò enim, in lege Altissimi incredibilis fuit ; secundò, in virum suum deliquit ; tertiò, in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi. *Eccl.* 23, 32, 33. — Oculus adulteri observat caliginem, dicens : Non me videbit oculus ; et operiet vultum suum, perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, et sic in tenebris quasi in luce ambulant. *Job* 24, 15, 16, 17. — Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens : Quis me videt ? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me ; quem vereor ? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. *Eccl.* 23, 25, 26. — Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, et præter tuam uxorem nunquàm patiaris crimen scire. *Tob.* 4, 13.

CAPUT XVII.

Pœnæ adulterii communes corpori et animo.

Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant ? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus ? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam. *Prov.* 6, 27, 28, 29. — Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri regnum Dei possidebunt. 1 *Cor.* 6, 9. — Fovea profunda os alienæ : cui iratus est Dominus, incidet in eam. *Prov.* 22, 14. — Hoc nefas est, et iniquitas maxima ; ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. *Job* 13, 11, 12. — Fornicatores et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13, 4. — Maledicta sit pars ejus in terrâ, nec ambulet per viam vinearum. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium et usque ad inferos peccatum illius. Obliviscatur ejus misericordia, dulcedo illius vermes : non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum. *Job* 24, 18, 19, 20. Hic in plateis civitatis vindicabitur, et quasi pullus equinus fugabitur, et ubi non speravit apprehendetur. *Eccl.* 23, 30.

CAPUT XVIII.

Pœnæ in famâ, in honore, in posteris.

Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur. *Prov.* 6, 33. — Erit dedecus omnibus eò quòd non intellexit timorem Domini. *Eccl.* 23, 31. — Filii adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum. Et si celeriùs defuncti fuerint, non

habebunt spem nec in die agnitionis allocutionem; nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes. *Sap.* 3, 16, 17, 18, 19. — Multigena impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Etsi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, à vento commovebuntur, et à nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, et fructus eorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti. Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur testes sunt nequitiæ adversùs parentes in interrogatione suâ. *Sap.* 4, 3, 4, 5, 6. — Filios ejus interficiam in morte. *Apoc.* 2, 25.

CAPUT XIX.

Exempla puniti adulterii.

Judas nurum suum adulteram igni adjudicàt. *Gen.* 38, 24. — Si declinâsti à viro tuo, atque polluta es, et concubuisti cùm altero viro, his maledictionibus subjacebis : Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo suo; putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur; ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, et, utero tumescente, putrescat femur. Et respondebit mulier : Amen, amen. *Num.* 5, 20, 21, 22. — Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tuâ usque in sempiternum, eò quòd despexeris me et tuleris uxorem Uriæ Hethæi ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dominus : Ecce ego suscitabo super te malum de domo tuâ, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus; tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel et in conspectu solis. 1 *Reg.* 12, 9, 10, 11, 12. —*Vide etiam verbo* Luxuria.

CAPUT XX.

Fortunarum damnum injustum, et primò furti ac rapinæ prohibitio.

Non furtum facies. *Exod.* 20, 13. — Qui furabatur jam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat undè tribuat necessitatem patienti. *Ephes.* 4, 28, — Qui cum fure participat, odit animam suam; adjurantem audit, et non indicat. *Prov.* 29, 24. — Qui substrahit aliquid à patre suo et à matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. *Prov.* 28, 24.

CAPUT XXI.

Furti pœnæ et effectus.

Nolite errare, neque fornicarii, neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 1 *Cor.* 6, 9, 10. — Non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis, neque à fornicatione suâ, neque à furtis suis. *Apoc.* 9, 21 — Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi est scriptum, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, et commorabitur in medio domûs ejus et consumet eam, et ligna ejus, et lapides ejus. *Zach.* 5, 3, 4. — Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. *Prov.* 11, 24.

CAPUT XXII.

Oblata ex furto ingrata Deo.

Intulistis de rapinis claudum et languidum, et intulistis munus; numquid suscipiam illud de manu vestrâ ? dicit Dominus. *Malach.* 1, 13. —Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum : dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sanctificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantiâ pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. *Eccl.* 34, 21, 23. — Nolite offerre munera prava, non enim suscipiet ea; et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est, et non est apud eum gloria personæ. *Eccl.* 35, 14, 15.

CAPUT XXIII.

Exempla furti puniti et impediti.

Vidi inter spolia pallium coccineum valdè bonum et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum; et concupiscens abstuli, et abscondi in terrâ contrà medium tabernaculi mei, argentumque fossâ humo operui. *Josue* 7, 21. — Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium et auream regulam, filios quoque et filias ejus, boves et asinos et oves, ipsumque tabernaculum et cunctam supellectilem, et omnis Israel cum eo, duxerunt eos ad vallem Achor, ubi dixit Josue : Quia turbâsti nos, exturbet te Dominus in die hâc. Lapidavitque eum omnis Israel, et cuncta quæ ejus erant igne consumpta sunt. *Josue* 7, 24, 25. — Factum est ut

(Anna) hædum caprarum accipiens detulisset domi, cujus cùm vocem balantis vir ejus audisset, dixit : Videte ne fortè furtivus sit; reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. *Tob.* 2, 20, 21.

CAPUT XXIV.

Doli et fraudis gravis impietas.

Ab intùs de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, dolus, etc. : omnia hæc mala communicant hominem. *Marc.* 7, 21. — Habitatio tua in medio doli; in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. *Jer.* 9, 8. — Quoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Verba oris ejus iniquitas et dolus; noluit intelligere ut benè ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo : adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit. *Ps.* 35, 2, 3, 4.

CAPUT XXV.

Dolus in dolosi caput relabitur.

Qui fodit foveam incidet in eam; qui volvit lapidem revertetur ad eum. *Prov.* 26, 27. — In laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum. *Ps.* 9, 16. — Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit. *Ps.* 7, 66. — Qui decipit justos in viâ malâ in interitu suo corruet, et simplices possidebunt bona ejus. *Prov.* 28, 10. — Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo rete expandit gressibus ejus. *Prov.* 29, 5. — Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber; qui transfert lapides affligetur in eis, et qui scindit ligna vulnerabitur ab eis. *Eccl.* 18, 8, 9. — Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet; et plaga dolosa dolosi dividet vulnera; et qui statuit lapidem proximi, offendet in eo; et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium super ipsum devolvetur, et non agnoscet undè adveniat illi. *Eccl.* 27, 28, 29, 30. — Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. *Ps.* 7, 17. — Qui loquitur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, da illis secundùm opera eorum, et secundùm nequitiam adinventionum ipsorum, secundùm opera manuum eorum tribue iis : redde retributionem eorum ipsis. *Ps.* 27, 3, 4.

CAPUT XXVI.

Dolosus sibi suisque noxius, Deo et hominibus odibilis.

Non inveniet fraudulentus lucrum, et substantia hominis erit auri pretium. *Prov.* 12, 27. — Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. *Eccl.* 10, 8. — Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos; ego autem sperabo in te, Domine. *Ps.* 54, 24. — Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. *Ps.* 5, 7. — Statera dolosa abominatio est apud Deum, et pondus æquum voluntas ejus. *Prov.* 11, 1. — Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino. *Malach.* 1, 14. — Vir versutus odiosus est. *Prov.* 14, 17.

CAPUT XXVII.

Injusta fama et honoris læsio, ac primo detractor cui sit similis.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minùs habet qui occultè detrahit. *Eccli.* 10, 11. — Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. *Ps.* 13, 3. — Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. *Ps.* 63, 4, 5.

CAPUT XXVIII.

Detractionis effecta, damna, pœnæ.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat; qui autem timet præceptum, in pace versabitur. *Prov.* 13, 13. — Cujus os maledictione plenum est, et amaritudine, et dolo, sub linguâ ejus labor et dolor. *Ps.* 9, 29. — Abominatio hominum detractor. *Prov.* 24, 9. — Benignus est spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum à labiis suis, quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor; propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. *Sap.* 1, 6, 8. — A detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. *Sap.* 1, 11. — Time Dominum, fili mi, regem, et cum detractoribus non commisceris, quoniam repentè consurget perditio eorum, et ruinam utriusque quis novit? *Prov.* 24, 21, 22. — Neque fornicarii, neque adulteri, neque maledici regnum Dei possidebunt. 1 *Cor.* 6, 10.

CAPUT XXIX.

Detractio vetita in genere et specie.

Remove à te os pravum, et labia detrahentia sint procul à te. *Prov.* 4, 24. — Nolite detrahere alterutrum, fratres : qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi et judicat legem; si autem judicat legem, non est

factor legis, sed judex. *Jac.* 4, 11.—Deponentes omnem malitiam et omnes detractiones. 1 *Pet.* 2, 1. — Timeo ne fortè contentiones et detractiones sint inter vos. 2 *Cor.* 12, 13. — Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. *Exod.* 22, 28. — Quarè non timuistis detrahere servo meo Moysi? *Num.* 12, 8. — In cogitatione tuâ regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, quia et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam. *Eccl.* 10, 20. — Non accipias faciem adversùs faciem tuam, nec adversùs animam tuam mendacium. *Eccl.* 10, 20.

CAPUT XXX.

Pro detractore orandum, gaudendum de persecutione detrahentis.

Orate pro persequentibus et calumniantibus vos. *Matth.* 5, 44. — Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi; ego autem orabam. *Ps.* 108, 4. — Beati estis cùm maledixerint vobis homines. *Matth.* 5, 11.

CAPUT XXXI.

Detractor puniendus et repellendus, detractio sopienda.

Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire; et ori tuo facito ostia et seras auribus tuis. *Eccl.* 28, 28.—Detrahentem secretè proximo tuo hunc persequebar. *Ps.* 100, 5.— Qui gaudet iniquitate denotabitur, et qui odit correptionem minuetur vitâ, et qui odit loquacitatem extinguit malitiam; qui peccat in animam suam pœnitebit, et qui jucundatur in malitiâ, denotabitur. *Eccl.* 19, 5, 6. — Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. *Prov.* 25, 23. — Melior est ira risu, quia per tristitiam vultûs corrigitur animus delinquentis. *Eccl.* 7, 4. — Ne iteres verbum nequam et durum, et non minoraberis amico, et inimico noli narrare sensum tuum, et si est tibi delictum, noli denudare; audiet enim te, et custodiet te, et quasi defendens peccatum odiet te, et sic aderit tibi semper: audisti verbum adversùs proximum tuum, commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet; à facie verbi parturit fatuus, tanquàm gemitus partûs infantis. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. *Eccl.* 19, 7, 8, 9, 10, 11, 12.

CAPUT XXXII.

Calumnia et falsum testimonium à Deo prohibitum.

Non facies calumniam proximo tuo. *Lev.* 19, 13. — Non suscipies vocem mendacii, neque junges manum tuam, ut cum impio dicas falsum testimonium. *Exod.* 23, 1. — Ne sis testis frustrà contrà proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis. Ne dicas: Quomodò fecit mihi, sic faciam ei, reddam unicuique juxtà opus suum. *Prov.* 24, 28, 29.

CAPUT XXXIII.

Calumniæ effecta, damna, pœnæ.

Sicut avis ad alta transvolans et passer quolibet vadens, sic maledictum frustrà prolatum in quempiam superveniet. *Prov.* 26, 2. — Ne accipias faciem adversùs faciem tuam nec adversùs animam tuam mendacium. *Eccl.* 4, 26. — Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius. *Eccl.* 7, 8. — A tribus timuit cor meum: delaturam civitatis, et collectionem populi, et calumniam mendacem: super mortem omnia gravia. *Eccl.* 26, 5, 6, 7.— Beatus qui tectus à linguâ nequam, qui iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus; jugum enim illius jugum ferreum est, et vinculum illius vinculum æreum est. Mors illius mors nequissima, et utilis potiùs infernus quàm illa. *Eccl.* 28, 23, 24, 25. — Perseverantia illius non permanebit; sed obtinebit vias injustorum, et in flammâ suâ non comburet justos. Qui relinquunt Deum, incident in illam, et exardebit in iis, et non extinguetur, et immittetur in eos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. *Eccl.* 28, 26, 27.—Deus humiliabit calumniatorem. *Ps.* 71, 4.

CAPUT XXXIV.

Effectus et pœnæ testimonii falsi.

Jaculum et gladius et sagitta acuta, homo qui loquitur contrà proximum suum falsum testimonium. *Prov.* 25, 18. — Si steterit testis mendax contrà hominem accusans eum prævaricationis, stabunt ambo quorum causa est, antè Dominum in conspectu sacerdotum et judicum qui fuerint in diebus illis; cùmque diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contrà fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquàm talia audeant facere; non misereberis ejus, sed animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. *Deut.* 19, 16, 17, 18, 19, 20, 21. — Testis falsus non erit impunitus, et qui mendacia loquitur non effugiet. *Prov.* 19, 5.

CAPUT XXXV.

Exempla calumniæ et testimonii falsi dicti et puniti.

Insurrexerunt in me testes iniqui. *Ps.* 26, 18. — Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, et dolos totâ die meditabantur. Ego autem tanquàm surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus. Quia dixi : Nequandò supergaudeant mihi inimici mei, et dùm commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt. *Ps.* 37, 13, 14, 15, 16, 17. — Os peccatoris et os dolosi super me apertum est; locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. *Ps.* 108. 2, 3. — Si patremfamiliâs Beelzebuth vocaverunt, quantò magis domesticos ejus. *Matth.* 10, 25. —Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebuth, principe dæmoniorum. *Matth.* 12, 24.—Undè huic sapientia hæc et virtutes? nonnè hic est fabri filius? nonnè mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et Joseph, et Simon et Judas, et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? undè ergò huic omnia ista? et scandalizabantur in eo. *Matth.* 13, 54, 55, 56. — Principes sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contrà Jesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. *Matth.* 26, 59, 60. — Hæc dicit Dominus : Occidisti insuper et possedisti; et post hæc addes : Hæc dicit Dominus : In hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 3 *Reg.* 21, 19, 21.

CAPUT XXXVI.

Jaculatoriæ calumniam deprecantis.

Feci judicium et justitiam, non tradas calumniantibus me superbis. *Ps.* 118, 121. — Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. *Ps.* 118, 134. — Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certè desuper terram eripias me. *Tob.* 3, 15. — *Vide plura, Ps.* 25, *et hìc cap.* 35, *num.* 2.

CAPUT XXXVII.

Contumeliæ effecta et damna ex parte inferentis.

Elice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. *Prov.* 22, 10.—Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum, et antequàm patiatur contumeliam, judicium deserit. *Prov.* 17, 14. — Abscondunt odium labia mendacia : qui profert contumeliam, insipiens est. *Prov.* 10, 18. — Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. *Eccl.* 23, 20. — Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam. *Eccl.* 21, 5. — Antè ignem camini vapor et fumus ignis inaltatur; sic et antè sanguinem maledicta et contumeliæ et minæ. *Eccl.* 22, 30. — Illusio et improperium superborum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. *Eccl.* 27, 31.

CAPUT XXXVIII.

Effecta et damna ex parte sustinentis.

Prudens gravabitur contumeliâ. *Eccl.* 21, 27. — Pungens oculum deducit lacrymas, et qui pungit cor profert sensum. *Eccl.* 22, 24. — Mittens lapidem in volatilia dejiciet illa, sic et qui convitiatur amico, dissolvit amicitiam. *Eccl.* 22, 25. — Ne contrà faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. *Eccl.* 8, 14.

CAPUT XXXIX.

Contumelia à Deo vetita.

Qui dixerit fratri suo raca, reus erit consilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. *Matth.* 5, 22. — Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 1 *Pet.* 3, 9. — Cùm Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Dominus. Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blasphemant. *Jud.* 1, 9. — Quæ viderunt oculi tui ne proferas in jurgio citò, ne posteà emendare non possis, cùm deshonestaveris amicum tuum. *Prov.* 25, 8. — Si ergò offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum antè altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. *Matth.* 5, 23, 24.

CAPUT XL.

Exempla punitæ contumeliæ.

Cùm ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes : Ascende, calve, ascende, calve; qui cùm respexisset, vidit eos et maledixit eis in nomine Domini, egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis duo et quadraginta pueros. 4 *Reg.* 2, 23, 24. — Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore : repleti

priùs pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est. 1 *Reg.* 2, 4, 5. — Populum ejus adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon, et reversus est David, et omnis exercitus in Jerusalem. 2 *Reg.* 12, 31.—Væ mihi, mater mea! quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ; in universâ terrâ non feneravi, nec feneravit mihi quisque : omnes maledicunt mihi. *Jer.* 25, 10.

CAPUT XLI.

Jaculatoriæ contumeliis avertendis.

Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui; converte opprobrium super caput eorum, et da eos in despectionem in terrâ captivitatis. Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coràm facie tuâ non deleatur, quia irriserunt ædificantes. 2 *Esdræ*, 4, 4, 5. —Ad te, Domine, faciem meam converto; ad te oculos meos dirigo; peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certè desuper terram eripias me; tu scis, Domine, quia nunquàm concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ. *Tob.* 3, 14, 15, 16. — Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me. Obmutui et humiliatus sum, et silui à bonis, et dolor meus renovatus est. Obmutui et non aperui os meum : quoniàm tu fecisti, amove à me plagas tuas. *Ps.* 38, 1, 2, 3, 10.

CAPUT XLII.

Susurrationis effecta, damna, pœnæ.

Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. *Prov.* 26, 22.— Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit et dispersit eos de gente in gentem; civitates muratas destruxit, et domos magnatorum effodit; virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit eas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. *Eccl.* 28, 15, 16, 17, 18, 19, 20. — Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam. *Eccl.* 28, 21, 22. — Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur, et qui cum eo manserit, odiosus erit ; tacitus et sensatus honorabitur. *Eccl.* 21, 31.

CAPUT XLIII.

Susurratio à Deo vetita.

Non appelleris susurro, et linguâ tuâ ne capiaris et confundaris : super furem enim est confusio et pœnitentia, et denotatio pessima super bilinguem; susurratori autem odium et inimicitia et contumelia. *Eccl.* 5, 16, 17. — Non eris criminator et susurro in populo. *Levit.* 19, 16. — Noli fieri pro amico inimicus proximo; improperium enim et contumeliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis. *Eccl.* 6, 1.

Pars vj.

RELIGIO ET RELIQUÆ VIRTUTES JUSTITIÆ ANNEXÆ, IN QUIBUS EST DEBITUM LEGALE.

Religio dupliciter potissimùm accipitur : primò, generatìm pro omni virtutis officio, quo ordinamur ad Deum; ità passìm in Scripturis pro eodem accipiuntur colere Deum et servire Deo : servitus autem est nomen generale ad omnia bona opera quibus Deo obedimus et placemus, ut constat ex *Psal.* 2, 21; *Luc* 2, *Matth.* 6 et aliis. Propriè autem accepta, religio est virtus quæ exhibuit cultum Deo, tanquàm primo rerum omnium principio. Actus ejus præcipui sunt oratio, votum, juramentum, sacramentorum usus, festorum dierum celebratio, ædium sacrarum exstructio, primitiæ, aliæque oblationes decimarum vel aliorum bonorum ad alendos divini cultûs ministros. Peccata his contraria sunt divinationes, auguria, maleficia, blasphemiæ, et alia his similia, de quibus speciatìm suis locis.

CAPUT PRIMUM.

De iis quæ ab homine debentur Deo.

Multa dicemus et deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum ipse est in omnibus. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ejus; glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhùc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate eum quantùm potestis, major enim est omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute; ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum sicut est ab initio? *Eccl.* 43, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35. — Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. *Ps.* 2, 11. — In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. *Prov.* 3, 6. — Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dices : Non mihi placent. *Eccl.* 12, 1.

CAPUT II.

Oratio à Deo præcepta, atque ad ipsam præparatio necessaria.

Qui conservat legem multiplicat orationem; sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. *Eccl.* 35, 1, 2. — Antè orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. *Eccl.* 18, 23. — Volo viros orare in omni loco levantes puras manus sine irâ et disceptatione. 1 *Tim.* 2, 8. — Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8, 26. — Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. *Matth.* 26, 41. — Sic orabitis : Pater noster, qui es in cœlis. *Matth.* 6, 9.

CAPUT III.

Orans Deo conetur esse gratus et acceptus.

Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. *Thren.* 3, 44. — Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coràm eo facimus. 1 *Joan.* 3, 21. — Tu firmâsti cor tuum, et expandisti ad eum manus tuas, si iniquitatem quæ est in manu tuâ abstuleris à te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque maculâ, et eris stabilis, et non timebis. *Job.* 11, 13, 14, 15. — Quæ est spes hypocritæ, si avarè rapiat, et non liberet Deus animam ejus? numquid Deus audiet clamorem ejus, cùm venerit super eum angustia? *Job.* 27, 8, 9. — Scimus quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Joan.* 9, 31. — Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. *Joan.* 15, 7. — Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Prov.* 28, 9. — Qui adorat Deum in oblectatione suscipietur, et deprecatio illius usque ad nubes appropinquabit. *Eccl.* 35, 20. — Longè est Deus ab impiis, et orationes justorum exaudiet. *Prov.* 15, 29. — Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. *Ps.* 65, 18. — Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet. *Ps.* 144, 19.

CAPUT IV.

Fiduciam habeat in Domino.

Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant eum; apparet autem eis qui fidem habent in eum. *Sap.* 1, 1, 2. — Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei; postulet autem in fide, nihil hæsitans, qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento movetur et circumfertur : non ergò existimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. *Jacob.* 1, 5, 6, 7. — Propterea dico vobis : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis. *Marc.* 6, 24.

CAPUT V.

Oratio sit humilis, attenta, assidua.

Nec superbi ab initio placuerunt tibi; sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. *Judith.* 9, 16. — Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet non consolabitur, et non discedet donec Altissimus aspiciat. *Eccl.* 35, 21. — Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant, in synagogis et in angulis platearum stantes, orare ut videantur ab hominibus; amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem, cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio tuo, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. *Matth.* 6, 5, 6. — Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè

est à me. *Matth.* 15, 8. — Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente. 1 *Cor.* 14, 15. — Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. *Joan.* 4, 24. — Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini. *Judith* 4, 12. — Oportet semper orare et non deficere. *Luc.* 18, 1. — Non impediaris orare semper. *Eccl.* 18, 22. — Sine intermissione orate. 1 *Thess.* 5, 17. — Orationi instate, vigilantes in eâ, in gratiarum actione. *Coloss.* 4, 2. — Galeam salutis assumite et gladium spiritûs (quod est verbum Dei), per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instanti et obsecratione pro omnibus sanctis et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiduciâ notum facere mysterium Evangelii. *Ephes.* 6, 17, 18, 19.

CAPUT VI.

Quid petendum in oratione et cujus nomine.

Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio. *Joan.* 14, 13. — Amen, amen dico vobis : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usquè modò non petìstis quidquam in nomine meo petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. *Joan.* 16, 23, 24. — Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos. 1 *Joan.* 5, 14. — Si vos cùm sitis mali nôstis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se! *Luc.* 11, 13.

CAPUT VII.

Oratio fiat omnibus, maximè pro regibus, magistratibus, fratribus.

Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. 1 *Tim.* 2, 1, 2. — Sicut divisiones aquarum, ità cor regis in manu Domini : quocumque voluerit inclinabit illud. *Prov.* 31, 1. — Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat ostium sermonis nobis, ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum), ut manifestem illud ità ut oportet me loqui. *Coloss.* 4, 3, 4. — Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem ; est peccatum ad mortem : non pro illo dico, ut roget quis. 1 *Joan.* 5, 16. — Orate pro invicem ut salvemini ; multùm enim valet deprecatio justi assidua. *Jac.* 5, 16.

CAPUT VIII.

Orandum semper quidem, maximè autem tempore matutino, tristitiæ et adversitatis, ac certis per diem horis.

Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. *Sap.* 16, 28. — Mane adstabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Ps.* 5, 5. — Tristatur aliquis vestrûm ? oret; æquo animo est ? psallat. *Jac.* 5, 13. — Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me. *Ps.* 49, 15. — Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea! *Ps.* 42, 1, 2. — Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. *Ps.* 42, 7. — Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ. *Ps.* 118, 62. — Septies in die laudem tibi dixi, super judicia justitiæ tuæ. *Ibid.* 164. — Quod cùm Daniel comperisset, id est contitutam legem, ingressus est domum suam, et fenestris apertis in cœnaculo suo contrà Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coràm Deo suo, sicut et antè facere consueverat. *Dan.* 6, 10. — Erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Act.* 2, 42. — Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. *Act.* 3, 1. — Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circà horam sextam. *Act.* 10, 9. — Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deum pro eo. *Act.* 12, 5. — Cùm hæc dixisset, positis genibus suis, oravit cum omnibus illis. *Act.* 22, 36.

CAPUT IX.

Cohortationes ad orandum variæ.

Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* 4, 16. — Omni vitâ tuâ dilige Deum, et invoca eum in salute tuâ. *Eccl.* 13, 18. — Deduc quasi torrentem lacrymas per diem ac noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui; consurge; lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor

tuum in conspectu Domini, leva ad eum manus tuas. *Thren.* 2, 18. — Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ. *Prov.* 16, 3. — Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet. *Ps.* 36, 5. — Petite et dabitur vobis; quærite et accipietis; pulsate et aperietur vobis : omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit invenit; et pulsanti aperietur. *Matth.* 7, 7, 8. — Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philip.* 4, 6. — Pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. *Tob.* 4, 20.

CAPUT X.

Orationis effectus primarius impetratio.

Plorans plorabis, miserans miserebitur tuî; ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. *Isa.* 30, 19. — Eritque antequàm clamant, exaudiam ego; adhùc illis loquentibus, ego audiam. *Isa.* 65, 24. — Nec est alia natio tàm grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster : adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deut.* 4, 7. — Quis permansit in mandatis ejus et derelictus est? aut quis invocavit eum et despexit illum? *Eccl.* 2, 12. — Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. *Act.* 10, 4.

CAPUT XI.

Impetrationis impedimenta et adjumenta.

Petitis et non accipitis, eo quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Jac.* 4, 3. — Tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me : eò quòd exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint. *Prov.* 1, 28, 29. — Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. *Prov.* 21, 13. — Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Prov.* 28, 9. — Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. 2 *Mach.* 9, 13. — Clamabitis in die illâ à facie regis vestri quem elegitis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illâ, quia petistis vobis regem. 1 *Reg.* 8, 18. — Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos; et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo : sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. *Micheæ*, 33, 4. — Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere. Quoniam eleemosyna à morte liberat; et ipsa est quæ purgat peccata, et faciet invenire misericordiam et vitam æternam. *Tob.* 12, 8, 9.

CAPUT XII.

Fructus orationis, quælibet corporis et animi bona interna et externa.

Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè est et qui propè, dixit Dominus, et sanavi eum. *Isa.* 57, 19. — Vultus illius non sunt ampliùs in diversa mutati. 1 *Reg.* 1, 18. — Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. *Sophon.* 3, 9. — Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum. *Zach.* 12, 10. — Cùm descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. — *Exod.* 34, 29. — Quandò orabas cum lacrymis et sepeliebas mortuos, derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino, et nunc misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui à dæmonio liberarem. *Tob.* 12, 14. — Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore suâ, eò quòd esset sterilis : qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ. *Gen.* 25, 21. — Si contrà Deum fortis fuisti, quantò magis contrà homines prævalebis! et benedixit ei in eodem loco. *Gen.* 32, 28, 29. — Audito Judæi Nicanoris adventu et conventu nationum, conspersi terrâ rogabant eum qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit. 2 *Mach.* 14, 15. — Judas et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt : manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes prostraverunt non minùs triginta quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati. 2 *Mach.* 15, 26, 27. — Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. *Luc.* 1, 13. — Adstitit mihi hâc nocte angelus Dei, cujus sum ego et cui deservio, dicens : Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere, et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. *Act.* 27, 23, 24. — Cùm orâssent, motus est locus in quo erant congregati : et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiduciâ. *Act.* 4, 31. — Mediâ nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum, et

audiebant eos qui in custodiâ erant. Subitò verò terræ motus factus est magnus, ità ut moverentur fundamenta carceris, et statim aperta sunt omnia ostia, et universorum vincula soluta sunt. *Act.* 16, 25, 26. — Contigit patrem Publii febribus et dysenteriâ vexatum jacere, ad quem Paulus intravit : et cùm orâsset, et imposuisset ei manus, salvavit eum. *Act.* 28, 8.

CAPUT XIII.

Orationes jaculatoriæ pro remissione peccatorum.

Dele, Domine, ut nubem iniquitates meas, et quasi nebulam peccata mea. *Isa.* 44, 22. — Miserere nostrî, Domine, et depone iniquitates nostras, et projice in profundum maris omnia peccata nostra. *Micheæ* 7, 19. — O fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris ! *Zach.* 13, 1. — Lava me à peccatis meis in sanguine tuo. *Apoc.* 1, 6. — Domine, si vis potes me mundare. *Matth.* 8, 3. — Converte, Domine, manum tuam ad me et excoque ad purum scoriam meam, et aufer omne stannum meum. *Isa.* 1, 25. — Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. *Ps.* 24, 11. — Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. *Ps.* 24, 19. — Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ? *Ps.* 129, 3. — Quantùm distat ortus ab occidente, longè fac à nobis iniquitates nostras. *Ps.* 102, 12. — Et nunc, Domine, memor esto meî, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum. *Tob.* 3, 3. — Convertere, Domine, et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. *Ps.* 6, 4. — Remitte mihi ut refrigerer priusquàm abeam, et ampliùs non ero. *Ps.* 38, 14. — Circumdederunt me mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me : complaceat tibi, Domine, ut eruas me; Domine, ad adjuvandum me respice. *Ps.* 29, 13, 47. — Ego dixi : Domine, miserere meî, sana animam meam, quia peccavi tibi. *Ps.* 40, 5. — O sanguis Jesu Christi filii Dei, emunda me ab omni peccato ! 1 *Joan.* 1, 7. — Si sanguis hircorum inquinatos sanctificat ad emundatiotionem carnis, quantò magis sanguis tuus, Christe, qui per Spiritum sanctum temetipsum obtulisti immaculatum Deo, emundabit conscientiam meam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi ! *Hebr.* 9, 13, 14.

CAPUT XIV.

Jaculatoriæ tempore adversitatis.

Attende, Domine, de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo et gloriæ tuæ; ubi est zelus tuus, et fortitudo tua; multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? super me continuerunt se. Tu enim Pater noster, tu Domine Pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum. *Isa.* 63, 15, 16. — Tu, Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum, et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris, Domine, satis, et ne ultrà memineris iniquitatis nostræ, et respice : populus tuus omnes nos. *Isa.* 64, 8, 9. — Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. *Thren.* 1, 9. — Domine, salva nos, perimus. *Matth.* 9, 25. — Domine, salvum me fac. *Matth.* 14, 31. — Domine, adjuva me. *Matth.* 15, 25. — Miserere meî, fili David. *Matth.* 20, 31. — Magister non ad te pertinet, quia perimus ? *Marc.* 4, 38. — Domine, ecce quem amas infirmatur. *Joan.* 11, 3. — Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. *Ps.* 45, 1. — Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tuâ judica me. *Ps.* 53, 1.

CAPUT XV.

Jaculatoriæ petentis orationem suam exaudiri.

Vocem meam audi, ne avertas aurem tuam à singultu meo et clamoribus. *Thren.* 3, 56. — Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio, Deus cœlorum, creator aquarum, et Dominus totius creaturæ, exaudi me miserum deprecantem, et de tuâ misericordiâ præsumentem. *Judith* 9, 16, 17. — Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum; intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus. *Ps.* 5, 1, 2. — Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longè. *Ps.* 64, 6. — Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me. Et ne avertas faciem tuam à puero tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi me. *Ps.* 68, 17, 18. — Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Ps.* 140, 2. — *Similes his aspirationes pro dono fidei, spei, charitatis et aliarum virtutum, assignatæ sunt suis locis.*

CAPUT XVI.

Meditatio ac contemplatio legis et gloriæ divinæ, ac mirabilium Dei operum.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. *Ps.* 118, 148. — Quomodò dilexi legem tuam, Domine! totâ die meditatio mea est. *Ps.* 118, 97. — Levavi oculos meos in montes, undè veniet auxilium mihi. *Ps.* 120, 1. — Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. 2 *Cor.* 4, 18. — Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexit. *Eccl.* 7, 14. — Quia delectâsti me, Domine, in facturâ tuâ, et in operibus manuum tuarum exultabo. *Ps.* 91, 5. — Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor. *Ps.* 76, 12, 13. — Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contemptâ, atque in dextrâ sedis Dei sedet : recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. *Hebr.* 2, 23.

CAPUT XVII.

Necessaria ad hanc quies animi et puritas cordis.

Vacate et videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in terrâ. *Ps.* 45, 10. — Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se. *Thren.* 3, 28. — Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. *Matth.* 6, 6. — Ego dormio, et cor meum vigilat. *Cant.* 5, 4. — Eccè elongavi fugiens, et mansi in solitudine. *Ps.* 54, 8. — Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth.* 5, 8. — Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum. *Hebr.* 12, 14.

CAPUT XVIII.

Effectus et fructus contemplationis rerum divinarum.

Cogitare de illâ sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illam securus erit. *Sap.* 6, 16. — Domine mi, in visione tuâ dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. *Dan.* 10, 16. — Nostra autem conversatio in cœlis est. *Phil.* 3, 20. — Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. *Ps.* 30, 21. — Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquàm à Domini Spiritu. 2 *Cor.* 3, 18. — Ille erat lucerna ardens et lucens. *Joan.* 5, 35. — Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitiâ tuâ exultabunt : miserator et misericors Dominus, patiens et multùm misericors. *Ps.* 144, 7, 8. — Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. *Cant.* 7, 11, 12. — Beatus vir qui in sapientiâ morabitur, et in justitiâ meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. *Eccl.* 14, 22.

CAPUT XIX.

Locus et aliæ circumstantiæ ad meditandum et orandum idoneæ.

Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis et videntis : habitabat enim in terrâ australi, et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ jam die. *Gen.* 24, 62, 63. — Cùm oriretur seditio, et tumultus increscceret, Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, quod postquàm ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini. *Num.* 16, 42, 43. — Cùmque jacerent in terrâ, dixit Moyses ad Aaron : Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, ut roges pro eis; jam enim egressa est ira à Domino, et plaga desævit. Quod cùm fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama, et stans inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. *Num.* 45, 46, 47, 48. — In terrâ desertâ, et inviâ, et inaquosâ, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam. *Ps.* 62, 3. — Et in velamento alarum tuarum exultabo; adhæsit anima mea post te; me suscepit dextera tua. *Ibid.* 8. — Diluculo valdè surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. *Marc.* 1, 35.

Vide suprà, cap. VIII.

CAPUT XX.

Alia præter allata hactenùs et passìm inspersa meditationis et orationis exempla.

In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas; in justificationibus tuis meditabor; non obliviscar sermones tuos. *Ps.* 118, 15, 16.

— Etenim sederunt principes, et adversùm me loquebantur; servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. *Ps.* 118, 23. — Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ. *Ibid.* 24. — Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi. *Ibid.* 47. — Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, et exercebar in justificationibus tuis. *Ibid.* 48. — Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. *Ps.* 70, 15, 16. — Deus, docuisti me à juventute meâ, et usquè in senectam pronuntiabo mirabilia tua, et usquè in senectam et senium. Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est. *Ibid.* 16, 17, 18. — Quia delectâsti me, Domine, in facturâ tuâ, et in operibus manuum tuarum exultabo. *Ps.* 91, 5.

CAPUT XXI.

Juramentum licitum si debitæ conditiones adsint, temerarium omne prohibetur.

Jurabis: Vivit Dominus in veritate, et in judicio et in justitiâ, et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. *Jer.* 4, 2. — Homines per majorem suî jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. *Hebr.* 6, 16. — Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in eâ; nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus assiduè interrogatus à livore non minuitur, sic omnis jurans et nominans in toto à peccato non purgabitur. Vir multùm jurans implebitur iniquitate, et non discedet à domo illius plaga. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit; et si dissimulaverit, delinquit dupliciter; et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius. *Eccl.* 23, 9, 10, 11, 12, 13, 14. — Ego dico vobis non jurare omninò, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester: Est, est, non, non; quod autem his abundantius est, à malo est. *Matth.* 5, 34, 35, 36, 37. — Qui jurat in altari, jurat in eo et in omnibus quæ super illud sunt; et quicumque juraverit in templo, jurat in illo et in eo qui inhabitat in ipso; et qui in cœlo jurat, jurat in throno Dei et in eo qui sedet super eum. *Matth.* 23, 20, 21, 22. — Antè omnia, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum; sed sit sermo vester: Est, est, non, non, ut non sub judicio decidatis. *Jac.* 5, 12.

CAPUT XXII.

Perjurium vetatur et punitur.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim insontem habebit Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà. *Exod.* 20, 7. — Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis, ut vel malè quid faceret, vel benè, et idipsum juramento, vel sermone firmaverit, oblitaque posteà intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato. *Levit.* 5, 4, 5. — Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus. *Levit.* 19, 12. — Qui jurat proximo suo et non decipit, habitabit in tabernaculo tuo. *Ps.* 14, 4. — Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. *Ps.* 23, 3, 4. — Unusquisque malum contrà proximum suum non cogitetis in cordibus vestris, et juramentum mendax ne diligatis; omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. *Zach.* 8, 17. — Dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. *Zach.* 5, 3, 4.

CAPUT XXIII.

Votum solvendum Deo et minimè retractandum.

Cùm votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, servabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propriâ voluntate, et ore tuo locutus es. *Deut.* 23, 21, 22, 23. — Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus offertis munera. *Ps.* 75, 12. — Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris redde; multòque meliùs est non vovere, quàm post votum promissa non reddere. Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coràm angelo: Non est Providentia, ne fortè iratus Deus contrà sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. *Eccl.* 5, 3, 4, 5. — Cùm luxuriatæ fuerint in

Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 1 *Tim.* 5, 11, 12. — Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare. *Prov.* 20, 25.

CAPUT XXIV.

Qui voverint et vota Deo reddiderint.

Vovit Jacob votum, dicens : Si fuerit Deus mecum et custodierit me in viâ per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Gen.* 28, 20, 21, 22. — Israel voto se Domino obligans, ait : Si tradideris populum istum in manu meâ, delebo urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit, subversis urbibus ejus ; et vocavit nomen loci illius Horma id est anathema. *Num.* 21, 2, 3. — Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domûs meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. *Jud.* 11, 30, 31. — Eaque quæ voverat pater suus, et ipse intulit in domum Domini argentum et aurum, vasorumque diversam supellectilem. 2 *Paral.* 15, 18.—Lætatus est populus cùm vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino; sed et David rex lætatus est gaudio magno. 1 *Paral.* 29, 9. — Sed et filii Israel et Juda, qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas boum et ovium, decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo suo; atque universa portantes, fecerunt acervos plurimos. 2 *Paral.* 31, 6. — Timuerunt viri timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota. *Jonæ* 1, 16. — Ego in voce laudis immolabo tibi quæcumque vovi ; reddam pro salute Domino. *Jonæ* 2, 10. — Heliodorus, hostiâ Deo oblatâ, et votis magnis promissis ei qui vivere illi concessit, et Oniæ gratias agens recepto exercitu, repedabat ad regem. 2 *Mach.* 3, 35.

CAPUT XXV.

Decimæ et aliæ oblationes.

Si offeratis cæcum ad immolandum, nonnè malum est? et si offerat is claudum et languidum, nonnè malum est ? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino; quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus. *Malach.* 1, 8, 14. —Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt cuncta. *Num.* 18, 29. — Dedit Abraham Melchisedecho decimas ex omnibus. *Gen.* 14, 20. — Decimas se soluturum vovit Jacob. *Gen.* 28, 22. — *Vide plura, lib. quarto, part.* 6, *cap.* 16 *et* 17.

CAPUT XXVI.

Festorum dierum observatio; licet in iis vivere liberaliùs intrà terminos modestiæ.

Memento diem Sabbathi sanctifices. *Exod.* 20, 8. — Sex diebus facietis opus ; dies septimus, quia Sabbathi requies est, vocabitur sanctus, omne opus non facietis in eo. Sabbathum Domini est in cunctis habitationibus vestris. *Levit.* 23, 3. — Si averteris à Sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris Sabbathum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dùm non facies vias tuas, et non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem : tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui : os enim Domini locutum est. *Isa.* 58, 13, 14. — Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die Sabbathi, nec inferatis per portas Jerusalem. Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die Sabbathi, et si sanctificaveritis diem Sabbathi, ne faciatis in eo omne opus : ingredientur per portas civitatis hujus reges et principes sedentes super solium David, et ascendentes in curribus et equis ipsi et principes eorum, viri Juda et habitatores Jerusalem, et habitabitur civitas hæc in sempiternum. *Jer.* 17, 22, 24, 25. —Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem Sabbathi, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die Sabbathi, succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non extinguetur. *Jer.* 17, 27. — Dixit eis (scilicet Nehemias) : Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi; quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari : gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. 2 *Esdræ*, 8, 10. — Post hæc verò, cùm esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo : Vade et adduc aliquos de tribu nostrâ, timentes Deum, et epulentur nobiscum. *Tob.* 2, 1, 2.

CAPUT XXVII.

Laus Dei commendatur et exigitur quàm maxima; sufficienter Deus laudari non potest.

Florete, flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum, et citharis, et sic dicetis in confessione : Opera Domini universa bona valdè. *Eccl.* 39, 19, 20, 21. — In partes vade seculi sancti cum vivis et dantibus confessionem Deo; non demoreris in errore impiorum, antè mortem confitêre : à mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus ejus; quàm magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se. *Eccl.* 18, 25, 26, 27, 28. — Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei. *Isa.* 62, 6, 7. — Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. *Ephes.* 5, 18, 19. — Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientiâ docentes, et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus vestris Deo. *Coloss.* 3, 16. — Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. *Hebr.* 13, 15. — Tristatur aliquis vestrûm ? oret; æquo animo est? psallat. *Jac.* 5, 13. — Magnus Dominus et laudabilis nimis; terribilis est super omnes deos, *Ps.* 95, 4. — Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus. *Ps.* 105, 2.

CAPUT XXVIII.

Laus proximi in virtute fundata tutissima post mortem.

Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione suâ. *Eccl.* 44, 1. — Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia. *Ibid.* 15. — Verbum sapiens quodcumque audierit, sciens laudabit et ad se adjiciet. *Eccl.* 21, 18. — Antè sermonem non laudes virum : hæc enim tentatio est hominum. *Eccl.* 27, 8. — Antè mortem ne laudes hominem quemquam : quoniam in filiis suis agnoscitur vir. *Eccl.* 11, 30. — Quomodò probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. *Prov.* 27, 21. — Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. *Prov.* 31, 31. — Non laudes virum in specie suâ, neque spernas hominem in visu suo : brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus ejus. *Eccl.* 11, 2, 3.

CAPUT XXIX.

Vitia religioni opposita, divinationes, auguria, auspicia, maleficia à Deo prohibita.

Divinatio erroris, et auguria mendacii, et somnia malefacientium vanitas est. Et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in iis cor tuum. *Eccl.* 34, 5, 6. — Juxtà vias gentium nolite discere, et à signis cœli nolite metuere quæ timent gentes. *Jer.* 10, 2. — Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos : ego Dominus Deus vester. *Levit.* 19, 31. — Nec inveniatur in te qui lustret filium aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. Nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat nec divinos, et quærat à mortuis veritatem : omnia hæc abominabitur Dominus. *Deut.* 18, 10, 11, 12.

CAPUT XXX.

Eorum effecta, incommoda, pœnæ.

Sta cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborâsti ab adolescentiâ tuâ, si fortè quid prosit tibi, aut si possis, fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi : eccè facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos; non liberabunt animam suam de manu flammæ; non sunt prunæ quibus calefiant, nec focus ut sedeant ad eum. *Isa.* 47, 12, 13, 14. — Ego sum Dominus irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens. *Isa.* 44, 25. — Maleficos non patieris vivere. *Exod.* 22, 18. — Anima quæ declinaverit ad magos et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contrà eam, et inficiam eam de medio populi sui. *Lev.* 20, 6. — Projecisti populum tuum domum Jacob, quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim. *Isa.* 2, 6. — Timidis et veneficis pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda. *Apoc.* 21, 8. — Hæc dicit Dominus : Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel à quo posses interro-

gare sermonem, ideò de lectulo super quem ascendisti non descendes; sed morte morieris. *4 Reg.* 1, 16. — Multi ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coràm omnibus, et computatis pretiis eorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. *Act.* 19, 19.

CAPUT XXXI.

Blasphemiæ gravitas, prohibitio, pœna.

Amen dico vobis quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ quibus blasphemaverint : qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum; sed reus erit æterni delicti. *Marc.* 3, 28, 29. — Est et alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Jacob. *Eccl.* 23, 13. — Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. *Lev.* 24, 15, 16. — Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam. *Coloss.* 3, 8.

CAPUT XXXII.

Pietas ergà parentes, honore, obsequio, simulatione aliisque officiis exercenda.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. *Prov.* 1, 8, 9. — Audi patrem tuum, qui genuit te, et ne contemnas, cùm senuerit mater tua. *Prov.* 25, 22. — Judicium patris audite, filii, et sic facite, ut salvi sitis : Deus enim honoravit patrem in filiis, et judicium matris exquirens, firmavit in filios. *Eccl.* 3, 2, 3. — Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. *Ephes.* 6, 1. — Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. *Exod.* 20, 12. — Honora patrem tuum et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis, quomodò et illi tibi. *Eccl.* 7, 29, 30. — Sicut qui thesaurizat, ità et qui honorificat matrem suam : qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiore, et qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi Domino serviet his qui se genuerunt. In opere, et sermone, et omni patientiâ honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio à Deo, et benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta. *Eccl.* 3, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. — Nolite ità loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo. *Tob.* 2, 18. — Filii sanctorum sumus, et non possumus ità conjungi sicut gentes quæ ignorant Deum. *Tob.* 7, 5.

CAPUT XXXIII.

Pietatis exercitæ fructus, pœna neglectæ.

Filius sapiens doctrina patris; qui autem illusor est, non audit cùm arguitur. *Prov.* 13, 1. — Ne glorieris in contumeliâ patris tui; non enim est tibi gloria, sed confusio : gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore. *Eccl.* 3, 12, 13. — Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vitâ illius; et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tuâ; eleemosyna enim patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, et injustitia ædificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tui; et, sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. *Eccl.* 3, 14, 15, 16, 17. — Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris ac matris imperium, et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius iste noster protervus et contumax est; monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis; lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. *Deut.* 21, 18, 19, 20, 21. — Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem, et est à Deo maledictus, qui exasperat matrem! *Eccl.* 3, 18. — Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. *Prov.* 30, 17. — Confusio patris est de filio indisciplinato; filia autem in deminoratione fiet. Filia prudens hæreditas viro suo, nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. Patrem et virum confundit audax, et ab impiis non minorabitur; ab utrisque autem inhonorabitur. *Eccl.* 22, 3, 4, 5. — Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur : patri matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum. *Levit.* 20, 9.

CAPUT XXXIV.

Parentum officia ergà liberos.

Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplinâ et correptione Domini. *Ephes.* 6, 4. — In filiâ non avertente se firma custodiam, ne inventâ occasione utatur se; ab omni irreverentiâ oculorum ejus cave, et ne mireris, si te neglexerit. Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet, et ab omni aquâ bibet, et contrà omnem palum sedebit, et contrà omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat. *Eccl.* 26, 13, 14, 15.— Novem insuspicabilia cordis magnificavi, et decimum dicam in linguâ hominibus : homo qui jucundatur in filiis, vivens et videns subversionem inimicorum suorum. *Eccl.* 25, 9, 10. — Ne jucunderis in filiis impiis si multiplicentur ; nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, et ne respexeris in labores eorum; melior est enim unus timens Deum, quàm mille filii impii, et utile est mori sine filiis quàm relinquere filios impios : ab uno sensato inhabitabitur terra, tribus impiorum deseretur. *Eccl.* 16, 1, 2, 3, 4, 5. — Filio aut mulieri, fratri aut amico, non des potestatem super te in vitâ tuâ, et non dederis alii possessionem tuam, ne fortè pœniteat te, et depreceris pro eis : dùm adhùc superes et aspiras, non immutabit te omnis caro. Meliùs est enim ut filii tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum. *Eccl.* 33, 20, 21, 22. — Filii abominatorum fiunt filii peccatorum, et qui conversantur secùs domos impiorum. Filiorum peccatorum periet hæreditas, et cum semine illorum assiduitas opprobrii : de patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio. *Eccl.* 41, 8, 9, 10.

CAPUT XXXV.

Præponenda quæ Dei sunt affectui parentum ac liberorum.

Si offeratis cæcum ad immolandum, nonnè malum est? Et si offeratis claudum et languidum, nonnè malum est? offer illud duci tuo si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Deo, quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus. *Malach.* 1, 8, 14. — Alius de discipulis ejus ait illi : Domine, permitte me primùm ire et sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi : Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Matth.* 8, 21, 22. — Dixit ei quidam : Eccè mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te ; at ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? et extendens manum in discipulos suos, dixit : Eccè mater mea et fratres mei, quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est. *Matth.* 12, 47, 48, 49, 50. —Dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? eccè pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos : Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? *Luc* 2, 48, 49. — Qui dixerit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos, et nescierunt filios suos : hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt. *Deut.* 33, 9.—Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. *Ps.* 44, 11. — Egredere de terrâ tuâ, et de cognatione tuâ, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi faciamque te in gentem magnam, benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, et eris benedictus. *Gen.* 12, 1, 2.—Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhùc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14, 26.

CAPUT XXXVI.

Status vitæ diligendus et retinendus.

Fili, in vitâ tenta animam tuam, et si fuerit nequam, ne des ei potestatem ; non enim omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omne genus placet. *Eccl.* 37, 30, 31. — Unusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat. 1 *Cor.* 7, 29. — Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce. Ne manseris in operibus peccatorum; confide in Deo, et mane in loco tuo. *Eccl.* 11, 21, 22. — Eccè venio citò, tene quod habes ut nemo accipiat coronam tuam. *Apoc.* 3, 11. — Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. *Prov.* 27, 8.—Quis ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus qui necessarii sunt? Si habeat ad perficiendum, ne posteà quàm posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. *Luc.* 14, 23, 29, 30. — Hæc requies mea in seculum seculi : hìc habitabo, quoniam elegi eam. *Ps.* 131, 14. —

Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. *Joan.* 6, 68.

CAPUT XXXVII.

Religionis et religiosorum commendatio.

Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam. Ego Dominus in tempore ejus subitò faciam istud. *Isa.* 60, 21, 22.—Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. *Ps.* 23, 6. — Filii sapientiæ Ecclesia justorum, et natio illorum obedientia et dilectio. *Eccl.* 3, 1. — Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. *Isa.* 61, 9.

CAPUT XXXVIII.

Vocationis divinæ beneficium.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo. *Ephes.* 1, 3. — Propter quod memores estote quòd aliquandò vos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab eâ, quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, quòd eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo: nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquandò eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. *Ephes.* 2, 11, 12, 13. — Jam non estis hospites et advenæ; sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. *Ephes.* 2, 19, 20. — Vos autem, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, qui aliquandò non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. 1 *Pet.* 2, 9, 18. — Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filii ejus, Jesu Christi Domini nostri. 1 *Cor.* 1, 9. — Gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ. *Coloss.* 1, 12, 13. — Si audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea enim est omnis terra. *Exod.* 19, 5. — Pars Domini populus ejus; Jacob funiculus hæreditatis ejus. *Deut.* 33, 9. — Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi: funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. *Ps.* 15, 5, 6. — Dicant: Qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos à solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Erraverunt in solitudine, in inaquoso; viam civitatis habitaculi non invenerunt. *Ps.* 106, 2, 3, 4. — Invenit eum in terrâ desertâ, in loco horroris, et vastæ solitudinis; circumduxit eum et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui. *Deut.* 32, 10. — Dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant. *Ps.* 104, 44, 45. — Dedi vobis terram in quâ non laborâstis, et urbes quas non ædificâstis, ut habitaretis in eis; vineas et oliveta, quæ non plantâstis. *Jos.* 24, 13. — In hoc est verbum verum, quia alius est qui seminat, alius qui metit: ego misi vos metere quod non laborâstis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introîstis. *Joan.* 4, 37, 38.

CAPUT XXXIX.

Officia boni religiosi et munia honorifica.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. *Matth.* 16, 24. — Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. *Jac.* 1, 26. — Beati qui habitant in domo tuâ, Domine: in secula seculorum laudabunt te. *Ps.* 83, 5. — Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coràm te semper, et audiunt sapientiam tuam. 3 *Reg.* 10, 8.— Quia melior est dies una in atriis tuis super millia; elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. *Ps.* 83, 11.

CAPUT XL.

Cohortatio ad vivendum dignè suâ vocatione.

Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientiâ supportantes invicem in charitate. *Ephes.* 4, 1, 2. — Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete, flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et date canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. *Eccl.* 39, 17, 18, 19. — Posui vos ut eatis, et fructum afferatis: et fructus vester maneat. *Joan.*

15, 16. — Memento patris et matris tuæ; in medio enim magnatorum consistis. *Eccl.* 23, 18. — Attendite ad petram undè excisi estis, ad cavernam laci de quâ excisi estis. Attendite ad Abraham, patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos, quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. *Isa.* 51, 1, 2.

CAPUT XLI.

Degeneres à pio majorum instituto.

Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ, quandò secuta es me in deserto, in terrâ quæ non seminatur. Quid invenerunt in me patres vestri iniquitatis? etc. *Jer.* 2, 2, 5. — Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum; quomodò ergò conversa es mihi in pravum vinea aliena? *Jer.* 2, 21. — Egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus : facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine antè faciem subsequentis. *Thren.* 1, 6. — Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Filii Sion inclyti et amicti auro primo, quomodò reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? *Thren.* 4, 1, 2. — Qui vescebantur voluptuosè interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. *Thren.* 4, 5. — Quid est quòd dilectus meus in domo meâ fecit scelera multa? numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas in quibus gloriata es? *Jer.* 11, 15. — In domo Israel vidi horrendum : ibi fornificationes Ephraim, contaminatus est Israel. *Oseæ* 6, 10. — Judicabit id, quod ex naturâ est præputium legem consummans, te qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es : non enim quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non litterâ, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. *Rom.* 2. 27, 28, 29.

CAPUT XLII.

Apostasia à religione dissuadetur, suadetur reditus.

Salva animam tuam, et noli respicere post tergum tuum, nec stes in omni circà regione, sed in monte salvum te fac, ne et ut simul pereas. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. *Gen.* 19, 17, 26. — Ne descendas in Ægyptum; sed quiesce in terrâ quam dixero tibi. *Gen.* 26, 2. — Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. *Eccl.* 10, 4. — Mane in loco tuo. *Eccl.* 11, 62. — Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei. *Luc.* 9, 22. — Filioli, novissima hora est, et sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt : undè scimus quia novissima hora est. Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. 1 *Joan.* 2, 18, 19. — Memor esto undè excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac; sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. *Apoc.* 2, 5. (*Vide part.* I, *cap.* 15.)

CAPUT XLIII.

Paupertas evangelica laudatur et suadetur.

Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Matth.* 19, 29. — Amen, dico vobis : Nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, et non recipiat multò plura in hoc tempore, et in seculo venturo vitam æternam. *Luc.* 18, 29, 30. — Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ; mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. *Luc.* 16, 22. — Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5, 3. — Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in seculum seculi. *Ps.* 21, 27. — Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. *Matth.* 19, 22.

CAPUT XLIV.

Pauperes evangelici qui fuerint, et quàm commendati; pœna infracti voti paupertatis.

Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Matth.* 8, 20. —Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo. *Matth.* 10, 9, 10. — In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato; discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare. *Matth.* 12. 1. — Responderunt ei : Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces. *Matth.* 14, 17. —

Peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. *Luc.* 2, 7. — In alieno sepulcro sepelitur, sindone et aromatibus ab aliis donatus. *Joan.* 19, 39. — Habebant omnia communia, possessiones et substantias vendebant et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. *Act.* 2, 44, 45. — Gratia magna erat in omnibus illis, neque enim quisquam egens erat inter illos : quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretium eorum quæ vendebant, et ponebant antè pedes apostolorum ; dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. *Act.* 4, 33, 34, 35. — Argentum et aurum non est mihi. *Act.* 3, 6. — Argentum et aurum aut vestem nullius concupivi ; ipsi scitis quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. *Act.* 20, 33. 34. — Ananias cum Sapphirâ uxore, ob pecuniam contrà votum retentam secretò, subitâ morte pereunt. *Act.* 5.

CAPUT XLV.

Castitas commendatur, præsertim evangelica.

O quàm pulchra est casta generatio cum claritate ! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines ; cùm præsens est, imitantur eam ; et desiderant eam, cùm se eduxerit, et in perpetuum coronata, triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. *Sap.* 4, 1, 2. — Incorruptio facit proximum Deo. *Sap.* 6, 20. — In resurrectione neque nubent, neque nubentur ; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22, 30. — Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt ; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus ; et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum ; qui potest capere, capiat. *Matth.* 19, 12.

CAPUT XLVI.

Virginitatis laudes, præmia, consilia.

Et vidi, et eccè Agnus stabat suprà montem Sion ; cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis ; et audivi vocem de cœlo tanquàm vocem aquarum multarum, et tanquàm vocem tonitrui magni, et vocem quam audivi sicut citharædorum citharizantium citharis suis, et cantabant quasi canticum novum antè sedem, et antè quatuor animalia, et seniores, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terrâ. Hi sunt coinquinati, virgines enim sunt : hi sequuntur Agnum quocumquè ierit. Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo et Agno, et in ore eorum non est inventum mendacium : sine maculâ enim sunt antè thronum Dei. *Apoc.* 14, 1, 2, 3, 4, 5. — Dabo eis in domo meâ et in muris meis locum, et nomen melius à filiis et filiabus : nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. *Isa.* 56, 5. — Felix est sterilis et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto ; habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversùs Deum iniquissima ; dabitur enim illi fidei donum electum et sors in templo Dei acceptissima. *Sap.* 3, 13, 14. — Volo omnes vos esse sicut meipsum ; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic ; dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. 1 *Cor.* 7, 7, 8. — De virginibus præceptum Domini non habeo ; consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo ergò hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. 1 *Cor.* 7, 25, 26. *Vide verbis* Continentia, Pudicitia.

CAPUT XLVII.

Obedientia atque observantia exhibenda Deo, prælatis et superioribus omnibus.

Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deum, judicate : non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. *Act.* 4, 19. — Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. *Act.* 5, 29. — Subditi estote Deo ; resistite autem diabolo, et fugiet à vobis. *Jac.* 4, 7. — Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui ; ipsum audite. *Matth.* 17, 5. — Obedite præpositis vestris, et subjacete eis ; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes ; hoc enim non expedit vobis. *Hebr.* 13, 17. — Super cathedram Moysis sederunt scribæ et pharisæi ; omnia ergò quæcumque dixerint vobis servate et facite ; secundùm opera verò eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt. *Matth.* 23, 2, 3. — Qui vos audit me audit ; et qui vos spernit me spernit ; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. *Luc.* 10, 16. — Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi à Deo ; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui

resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac. Et habebis laudem ex illâ; ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. *Rom.* 13, 1, 2, 3, 5. — Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. *Tit.* 3, 1. — Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum : quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei; omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. 1 *Pet.* 2, 13, 14, 15, 16, 17. — Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam dyscolis. 1 *Pet.* 2, 18. — Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bonâ voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus, scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber. *Ephes.* 6, 5, 6, 7, 8.

CAPUT XLVIII.

Obedientiæ perfectio, promptitudo, effectus, fructus.

Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus. *Prov.* 16, 10. — Animas vestras castificantes in obedientiâ charitatis, in fraternitatis amore simplici, ex corde invicem diligite attentiùs. 1 *Pet.* 1, 22. — Populus quem non cognovi servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi. *Ps.* 17, 45. — Vir obediens loquetur victoriam. *Prov.* 21, 28. — Multò melior est obedientia quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali. *Eccl.* 4, 17. — Numquid vult Dominus holocausta, et victimas, et non potiùs ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quàm victimæ, et auscultare magis quàm offerre adipem arietum. 1 *Reg.* 15, 22. — Misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quàm holocausta. *Oseæ* 6, 6. — Qui me audierit, absque terrore requiescet, et abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato. *Prov.* 1, 33. — Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra; inclinate aurem vestram, et venite ad me : audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. *Isa.* 55, 2, 3.

CAPUT XLIX.

Inobedientiæ gravitas et pœna, præmia obedientiæ.

Quasi peccatorum ariolandi est, repugnare; et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere : pro eo ergò quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex. 1 *Reg.* 15, 23. — Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi : non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. 1 *Reg.* 8, 7. — Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis. 1 *Thess.* 4, 8. — Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir : populus enim tuus sicut hi cui contradicunt sacerdoti. *Oseæ* 4, 4. — Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret : despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cùm vobis id quod timebatis advenerit. *Prov.* 1, 24, 25, 26. — En propono in conspectu vestro hodiè benedictionem et maledictionem : benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodiè præcipio vobis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de viâ quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis. *Deut.* 11, 26, 27, 28. — Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis; quòd si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. *Isa.* 1, 19, 20. — Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam? Penè fui in omni malo, in medio Ecclesiæ et Synagogæ. *Prov.* 5, 12, 13, 14.

CAPUT L.

Obedientiæ illustria exempla ex veteri Testamento.

Egredere de terrâ tuâ, et de cognatione tuâ, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi, faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Egressus

est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus. *Gen.* 12, 1, 2, 4. — Tulit autem Ismael filium suum Abraham, et omnes vernaculos domûs suæ, universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domûs suæ, et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsâ die, sicut præceperat ei Deus. Abraham nonaginta et novem erat annorum, quandò circumcidit carnem præputii sui. *Gen.* 17, 23, 24. — Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. Igitur, Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, et Isaac, filium suum, cùmque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. *Gen.* 22, 2, 3, 9, 10. — Responderunt ad Josue, atque dixerunt: Omnia quæ præcepisti nobis faciemus; et quocumquè miseris, ibimus; sicut obedivimus in cunctis Moysi, ità obediemus et tibi: tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur; tu tantùm confortare, et viriliter age. *Jos.* 1, 16, 17, 18. — Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ità præcepit Moyses Josue, et illa universa complevit: non præteriit de universis mandatis nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi. *Josue* 11, 15. — Vocavit Dominus Samuel; qui respondens, ait: Eccè ego. 1 *Reg.* 3, 5. — Vocavit Heli Samuel, et dixit: Samuel, fili mi; qui respondens, ait: Præstò sum. 1 *Reg.* 3, 16. — Ingressus est populus saltum, et apparuit fluens mel; nullusque applicuit manum suam ad os suum, timebat enim populus juramentum. 1 *Reg.* 14, 26. — Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi. *Ps.* 39, 7. — Holocaustum et pro peccato non postulâsti; tunc dixi: Eccè venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. *Ps.* 39, 7, 8, 9. — Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. *Gen.* 22, 16, 17, 18.

CAPUT LI.

Obedientia Christi Domini, B. Virginis, Josephi et aliorum novæ legis sanctorum.

Ascendit et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ, desponsatâ sibi, uxore prægnante. *Luc.* 2, 4. — Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. *Matth.* 2, 14. — Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam, secundùm consuetudinem diei festi. *Luc.* 2, 41, 42. — Descendit cum eis, et et venit Nazareth, et erat subditus illis. *Ibid.* 51. — Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. *Joan.* 5, 30. — Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis: meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus. *Joan.* 4, 32, 34. — Domine, quid me vis facere? *Act.* 9, 6. — Et nunc eccè alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem, quæ in eâ ventura sunt mihi ignorans, nisi quòd Spiritus sanctus mihi per omnes civitates protestatur, dicens: Quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent; sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodò consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu testificari Evangelium gratiæ Dei. *Act.* 20, 22, 23, 24. — Confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico facies. *Ad Philem.* 21. — Humiliavit semetipsum, factus obediens usquè ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris. *Philip.* 2, 8, 9, 10, 11.

Pars vij.

ALIÆ VIRTUTES JUSTITIÆ ANNEXÆ, IN QUIBUS EST DEBITUM SOLUM MORALE.

CAPUT PRIMUM.

Liberalitatis effectus et fructus gloriosi.

Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. *Prov.* 21, 14. — Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Prov.* 28, 16. — Beatus est magis dare quàm accipere. *Act.* 20, 35. — Non apparebis antè conspectum Domini vacuus. Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt; oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Domini. Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Deus. Bono animo redde gloriam Deo, et non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas. Da Altissimo secundùm datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum. Quoniam Dominus retribuens est, et septies tantùm reddet tibi. Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa ; et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. *Eccl.* 35, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15.

CAPUT II.

Ejusdem magnifica exempla.

Egressa est omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysis; obtulerunt mente promptissimâ atque devotâ primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonii. *Exod.* 35, 20, 21. — Artifices venire compulsi, dixerunt Moysi : Plus affert populus quàm necessarium est. Jussit ergò Moyses præconis voce cantari : Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultrà in opera sanctuarii. Sicque cessatum est à muneribus offerendis, eò quòd oblata sufficerent et superabundarent. *Exod.* 36, 4, 5, 6, 7. — Venit David in Siceleg, et misit dona de prædâ senioribus Juda, proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de prædâ hostium Domini. 1 *Reg.* 30, 26. — Partitus est David universæ multitudini Israel tùm viro quàm mulieri singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam, et similem frixam oleo ; et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam. 2 *Reg.* 6, 19. — Cùm venisset David in castra, Sobbi filius, Naas de Rabbath, filiorum Ammon, et Bercellai Galaadites, obtulerunt ei stratoria et tapetia, et vasa fictilia, frumentum et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum cicer, et mel, et butyrum, oves et pingues vitulos, dederuntque David et populo qui cum eo erat, ad vescendum : suspicati enim sunt populum fame et siti fatigari in deserto. 2 *Reg.* 17, 27, 28, 29. — Steterunt viri, et apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis ; cùmque vestivissent eos, et calceâssent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam, quicumque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, et adduxerunt Jericho, civitatem palmarum, ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam. 2 *Paral.* 28, 15. — Dixit ad eam rex : Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. *Esther* 5, 3. *Vide plura, verbo* Eleemosyna.

CAPUT II.

Avaritia quid, quantum et quàm commune peccatum.

Avaritia est idolorum et simulacrorum servitus. *Coloss.* 3, 5, *et Ephes.* 5, 5. — Radix omnium malorum est cupiditas. 1 *Tim.* 6 10. — Avaro nihil scelestius. *Eccl.* 10, 9. — Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vitâ suâ projecit intima sua. *Eccl.* 10, 10. — Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam à summo usque ad novissimum. *Isa.* 56, 11. — A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student, et à prophetâ usque ad sacerdotem, cuncti faciunt dolum. *Jer.* 6, 13.

CAPUT IV.

Avaritiæ pœna, æterna damnatio, maledictio populi, dolores et ærumnæ.

Væ qui conjungitis domum, et agrum agro computatis, usquè ad terminum loci! Numquid

habitabitis vos soli in medio terræ? *Isa.* 5, 8. — Semitæ omnis avari animas possidentium rapiunt. *Prov.* 1, 19. — Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1 *Cor.* 6, 10. — Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium. *Prov.* 11, 26. — Quid proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritûs quâ sub sole cruciatus est? cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit; et hoc nonnè vanitas est? *Eccl.* 11, 22, 23. — Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui; pereunt enim in afflictione pessimâ; generavit filium, qui in summâ egestate erit. *Eccl.* 5, 12, 13. — Miserabilis prorsùs infirmitas, quomodò venit sic revertetur: quid ergò prodest ei quòd laboravit in ventum? cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et in curis multis, et in ærumnâ atque tristitiâ. *Ibid.* 15, 16.

CAPUT V.

Avaritia intellectum excæcat, pervertit voluntatem.

Sed et existimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque, etiam ex malo, acquirere. *Sap.* 15, 12. — Cogitatus præscientiæ avertit sensum, et infirmitas gravis sobriam facit animam. *Eccl.* 31, 2. — Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis. 1 *Tim.* 6, 9, 10. — Qui quærit locupletari, avertit oculum suum. *Eccl.* 27, 1.

CAPUT VI.

Avarus semper desiderat, nunquàm satiatur.

Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis; non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. *Eccl.* 14, 9. — Divites eguerunt et esurierunt; inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. *Ps.* 33, 11. — Omnis labor hominis in ore ejus; sed anima ejus non implebitur. *Eccl.* 6, 7. — Avarus non implebitur pecuniâ. *Eccl.* 5, 9. — Infernus et perditio nunquàm implentur, similiter et oculi hominum insatiabiles. *Prov.* 27. 20. — Sanguifugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer; tria sunt insatiabilia, et quartum nunquàm dicit: Sufficit; infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aquâ; ignis verò nunquàm dicit: Sufficit. *Prov.* 15, 16.

CAPUT VII.

Avarus sibi nequam, sanitatem sibi aufert, et vitam, atque omnia corporis ac animi bona.

Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: vir cui dedit divitias, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo; sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas et miseria magna est. *Eccl.* 6, 1, 2. — Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima ejus non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturâque careat: de hoc ego pronuntio, quòd melior sit illo abortivus; frustrà enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. *Eccl.* 5, 3, 4. — Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis, et hoc ergò vanitas. *Eccl.* 5, 9. — Qui acervat ex animo suo injustè, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius; et si benè fecerit, ignoranter et non volens facit, et in novissimo manifestat malitiam suam. Nequam est oculus lividi, et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. *Ibid.* 14, 4, 5, 6, 7, 8. — Oculus malus ad mala, et non satiabitur pane; sed indigens et in tristitiâ erit super mensam suam. *Eccl.* 14, 10. — Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius aufert somnum. *Eccl.* 31, 12. — Avaritia in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam; non erit fuga eis, fugient, et non salvabitur ex eis qui fugerit. *Amos* 9, 2, 3. — Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam; qui autem odit munera, vivet. *Prov.* 15, 27. — Peccatori dedit Deus afflictionem et curam superfluam, ut addat et congreget, et tradat ei qui placuit Deo; sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis. *Eccl.* 2, 26.

CAPUT VIII.

Liberalis, et suâ sorte contentus animus commendatur.

Sint mores sine avaritiâ contenti præsentibus; ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. *Hebr.* 13, 5. — Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Prov.* 22, 28. — Fornicatio autem et omnis

immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ephes.* 5, 3. — Nonnè meliùs est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est. *Eccl.* 2, 24. — Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat, et fruatur lætitiâ ex labore suo quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ quos dedit ei Deus; et hæc est pars illius. Et omni homini cui dedit Deus divitias atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, et fruatur parte suâ, et lætetur de labore suo; hoc est donum Dei; non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eò quòd Deus occupet deliciis cor ejus. *Eccl.* 5, 17, 18, 19.—Meliùs est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias; sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritûs. *Eccl.* 6, 19.—Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer. *Eccl.* 14, 11.

CAPUT IX.

Avaritiæ vindicatæ exempla.

Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ! quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium. *Matth.* 23, 14. — Quid vultis mihi dare? et ego eum vobis tradam. *Matth.* 26, 15. — Audiebant omnia hæc pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum. *Luc.* 16, 14. — Cùm ejecisset Paulus à quâdam puellâ pythonissâ dæmonem, quæ divinando magnum dominis suis præstabat quæstum, accusatus ab iis fuit cum Silâ, quòd civitatêm turbarent, et religionem illicitam novamque prædicarent. *Act.* 16, 16. — Facta est illo tempore turbatio non minima de viâ Domini: Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum; quos convocans et eos qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio, et videtis et auditis quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire; sed et magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia et orbis colit. His auditis, repleti sunt irâ, et exclamaverunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. *Act.* 19, 23, 24, 25, 26, 27, 28,29. — Petrus dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimâsti pecuniâ possideri. *Act.* 8, 20. — Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, et cogitabat intrà se, dicens: Quid faciam? quia non habeo quò congregem fructus meos; et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, et majora faciam, et illùc congregabo omnia quæ nata sunt mihi et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare; dicit autem ei Deus: Stulte, hâc nocte repetunt animam tuam à te; quæ autem parâsti, cujus erunt? *Luc.* 12, 17, 18, 19, 20.

CAPUT X.

Prodigalitatis et luxûs exempla, effecta, pœnæ.

Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. *Sap.* 2, 7. — Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ maximæ. *Eccl.* 11, 29. — Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. *Luc.* 6, 24, 25. — Qui conturbat domum suam, possidebit ventos; et qui stultus est, serviet sapienti. *Prov.* 11, 29. — Dixit ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me; fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron. *Exod.* 32, 2, 3. *Lucæ cap.* 15, *prolixè describitur prodigi adolescentis profusio. Vide verbo* Modestia.

CAPUT XI.

Gratitudo sive gratiarum actio commendatur.

In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philip.* 4, 6. — Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. *Coloss.* 3, 17. — Abundantes in illo, in gratiarum actione. *Coloss.* 2, 7. — Gratias agere debemus semper Deo, pro vobis, fratres, ità ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrûm invicem. 2 *Thess.* 1, 3. Pax Christi exultet in cordibus vestris, in quâ et vocati estis, in uno corpore, et grati estote. *Coloss.* 3, 15. — Orationi instate, vigilantes in eâ, in gratiarum actione. *Coloss.* 4, 2. — Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate constituti sunt. 1 *Tim.* 2, 1. — Nihil rejiciendum

quod cum gratiarum actione percipitur. 1 *Tim.* 4, 4. — Avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; sed magis gratiarum actio. *Ephes.* 5, 3, 4. — Cantantes et psallentes in cordibus vestris : Domino gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. *Ephes.* 5, 19, 20.

CAPUT XII.

Gratitudinis illustria exempla.

Ædificavit Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. *Gen.* 8, 20. — Apparuit Dominus Abraham, et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc; qui ædificavit ibi altare Domino. *Gen.* 12, 7. — Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. *Gen.* 35, 3. — Ædificavit ibi altare, et appellavit nomen loci illius domus Dei : ibi enim apparuit ei Deus cùm fugeret fratrem suum. *Gen.* 35, 7. — Ille verò erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina, et effundens oleum. *Gen.* 35, 14. — Fugavit Josue Amalec et populum ejus in ore gladii. *Exod.* 17, 13. — Ædificavitque Moyses altare, et vocavit nomen ejus Dominus exaltatio mea. *Ibid.* 15. — Erant cum David septem chori, et victima vituli. Cùmque transcendissent, qui portabant arcam, sex passus, immolabat bovem et ovem, et arietem, et David saltabat totis viribus antè Dominum. 2 *Reg.* 6, 12, 13. — Illi (Judæi) cùm venissent ad Jesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc ei præstes, diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. *Luc.* 7, 4, 5. — Testimonium perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi. *Gal.* 4, 15. — Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui; et abiit, et cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Jesus, et omnes mirabantur. *Marc.* 5, 19, 20. — Jesus, elevatis sursùm oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. *Joan.* 11, 41. — Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. 1 *Cor.* 15, 57.

CAPUT XIII.

Jaculatoriæ gratias agentis pro beneficiis in genere et specie.

Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso antè mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. *Ephes.* 1, 3, 4. — Gratias ago Deo et Patri, qui dignum me fecit in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuit me de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habeo redemptionem et remissionem peccatorum. *Coloss.* 1, 12, 13. — Benedicam Deum cœli, et coràm omnibus viventibus confitebor ei, quia fecit mecum misericordiam suam. *Tob.* 12, 6. — Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua; lætabor et exultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime; in convertendo inimicum meum retrorsùm, infirmabuntur et peribunt à facie tuâ. *Ps.* 9, 1, 2, 3.

CAPUT XIV.

Ingratitudinis effecta.

Ingrati spes tanquàm hybernalis glacies tabescet, et disperiet tanquàm aqua supervacua. *Sap.* 16, 29. — Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. *Prov.* 17, 18. — Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom.* 1, 21, 22. — Hoc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti. 2 *Tim.* 3, 1, 2.

CAPUT XV.

Ingratitudinem peccatoribus exprobrat Deus.

Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergò Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. *Malach.* 1, 6. — Hæccine reddis Domino, popule stulte, e insipiens? numquid non ipse et Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? *Deut.* 32, 6. — Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est : Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me : cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. *Isa.* 1, 2, 3. — Oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, et fundavit terram, et formidâsti jugiter totâ die à facie furoris ejus; qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum; ubi

nunc est furor tribulantis? *Isa.* 51, 13. — Non sunt recordati manùs ejus, die quâ redemit eos de manu tribulantis. *Ps.* 77, 42. — Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terrâ Cham, terribilia in mari Rubro. *Ps.* 105, 21, 22. — Exacerbâstis eum qui fecit vos, Deum æternum, immolantes dæmoniis, et non Deo; obliti enim estis Deum, qui nutrivit vos et contristâstis nutricem vestram Jerusalem. *Baruch* 4, 7, 8. — Vos hodiè projecistis Deum vestrum, qui solus vos salvabit de universis malis vestris et tribulationibus. 1 *Reg.* 10, 19. — Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? *Jer.* 2, 5. — Et non dixerunt : Ubi est Dominus qui ascendere nos fecit de terrâ Ægypti? *Jer.* 2, 6. — Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal. Idcircò convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus. *Oseæ* 2, 8, 9. — Oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delubra; et Judas multiplicavit urbes munitas : mittam ignem in civitates ejus, et devorabit ædes illius. *Oseæ* 8, 14. — Nonnè decem mundati sunt, et novem ubi sunt? non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. *Luc.* 17, 17, 18. — Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? *Joan.* 10, 32.

CAPUT XVI.

Alia ingratitudinis exempla.

Surrexit intereà rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph, et ait ad populum suum : Eccè populus filiorum Israel multus et fortior nobis est; venite sapienter, opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, et, si ingruerit contrà nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terrâ. *Exod.* 18, 9, 10. — Videns populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversùs Aaron, dixit : Surge, fac nobis deos qui nos præcedant; Moysi enim, huic viro qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit; surgentesque mane obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. *Exod.* 32, 1, 6. — Non juxtà beneficia quæ acceperat (Ezechias) retribuit, quia elevatum est cor ejus, et facta est contrà eum ira, et contrà Judam et Jerusalem. 2 *Paral.* 32, 25. — Multi bonitate principum et honore qui in eos collatus est abusi sunt in superbiam; et non solùm subjectos regibus nituntur opprimere; sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipso, qui dederunt, moliuntur insidias. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, et humanitatis in se jura violare; sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. *Esther* 6, 2, 3, 4. — Mentitus est omnia quæcumque dixit, et abalienavit se à Jonathâ, et non retribuit ei secundùm beneficia quæ sibi tribuerat, et vexabat eum valdè. 1 *Mach.* 11, 53.

CAPUT XVII.

Affabilitas sive benignitas commendatur.

Fructus spiritùs est charitas, bonitas, benignitas. *Gal.* 3, 22. — Benignus est spiritus sapientiæ. *Sap.* 1, 6. — Est in sapientiâ spiritus suavis, humanus, benignus. *Sap.* 7, 22. — Nonnè ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quàm datum. *Eccl.* 18, 16. — Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. *Eccl.* 18, 15. — Nonnè eccè verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato. *Eccl.* 18, 17. — Induite vos sicut electi Dei sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem. *Coloss.* 3, 12. — Estote invicem benigni, misericordes. *Ephes.* 4, 32.

CAPUT XVIII.

Linguæ rectus usus, difficilis, utilis, necessarius.

In multis offendimus omnes; si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens etiam freno circumducere totum corpus. *Jac.* 3, 2. — Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in justitiâ delicti. *Eccl.* 14, 1. — Quis est qui non deliquerit in linguâ suâ? *Eccl.* 19, 17. — Antè sermonem non laudes virum; hæc enim tentatio hominum. *Eccl.* 27, 8. — Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis. *Eccl.* 27, 7. — Ex abundantiâ cordis os loquitur : bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala. *Matth.* 12. 34, 35. — De fructu oris viri replebitur venter ejus, et genimina laborum ipsius saturabunt eum : mors et vita in manu linguæ; qui diligunt eam, comedent fructus ejus. *Prov.* 18, 20, 21. — Eccè quantus ignis quàm magnam sylvam incendit! et lingua ignis est universitas iniquitatis. Lingua construitur in membris nostris, quæ

maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehennâ. *Jac.* 3, 5, 6. — Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum, domantur et domita sunt à naturâ humanâ; linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. *Jac.* 3, 7, 8. — Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam. *Prov.* 16, 1.

CAPUT XIX.

Cujus sit loqui, de quibus, et coràm quibus.

Loquere, major natu, decet enim te primum verbum diligenti scientiam. *Eccl.* 32, 4. — In sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi. *Eccl.* 9, 23. — Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam, verbum sanum irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis. *Tit.* 2, 1, 8. — Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. *Cant.* 4, 3. — Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitiâ, et cum muliere de eâ quæ æmulatur; cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multâ operatione : non attendas his in omni consilio. *Eccl.* 37, 12, 13, 14. — Qui despicit amicum suum, indigens corde est; vir autem prudens tacebit. *Prov.* 11, 12. — In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui. *Prov.* 23, 9. — In medio insensatorum serva verbum tempori; in medio autem cogitantium assiduus esto. *Eccl.* 27, 13. — Ubi auditus non est, non effundas sermonem; et importunè noli extolli in sapientiâ tuâ. *Eccl.* 32, 6. — Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris. *Eccl.* 5, 14.

CAPUT XX.

Loquendum prudenter, suaviter, parcè, suo tempore et loco.

Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus, ut sciatis quomodò oporteat vos unicuique respondere. *Coloss.* 4, 6. — Mens justi meditabitur obedientiam; os impiorum redundat malis. *Prov.* 15, 28. — Erunt labia tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut odor malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. *Cant.* 7, 8, 9. — Ori tuo facito ostia et seras; aurum tuum et argentum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos; at attende ne fortè labaris linguâ, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis ad mortem. *Eccl.* 28, 28, 29, 30. — In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. *Prov.* 10, 19. — Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. *Jac.* 1, 19. — Ne respondeas stulto juxtà stultitiam suam, ne efficiaris ei similis : responde stulto juxtà stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. *Prov.* 26, 4, 5. — Est tacens qui invenitur sapiens; et est odibilis qui procax est ad loquendum : est tacens non habens sensum loquelæ; et est tacens sciens tempus apti sermonis. *Eccl.* 20, 5, 6. — Tempus tacendi et tempus loquendi. *Eccl.* 3, 7. — Homo sapiens tacebit usquè ad tempus; lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. *Eccl.* 20, 7.— Ne retineas verbum in tempore salutis; non abscondas sapientiam tuam in decore tuo; in linguâ enim sapientia dignoscitur; et sensus et scientia, et doctrina, in verbo sensati, et firmamentum in operibus justitiæ. *Eccl.* 4, 28, 29. — Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est; et pretiosi spiritus vir eruditus. *Prov.* 17, 27. — Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit eam in tempore suo. *Eccl.* 20, 22. — Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur; et si compresserit labia sua, intelgens. *Prov.* 17, 28.

CAPUT XXI.

Effectus et fructus recti linguæ usûs.

Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *Prov.* 21, 23. — Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens etiam freno circumducere totum corpus; si autem equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, etiam omne corpus eorum circumferimus. *Jac.* 3, 2, 3. — Lætatur homo in sententiâ oris sui, et sermo opportunus est optimus. *Prov.* 15, 23. — Labium veritatis firmum erit in perpetuum; qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii. *Prov.* 12, 19. — Sapiens in verbis producet seipsum, et homo prudens placebit magnatis. *Eccl.* 20, 29. — Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem. *Prov.* 22, 11. — Labia deosculabitur qui recta verba respondet. *Prov.* 24, 26. — Mala aurea in lectis argenteis, qui

loquitur verbum in tempore suo. *Prov.* 25, 11. — Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum. *Eccl.* 10, 12. — Patientiâ lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam. *Prov.* 25, 15. — Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos, et lingua eucharis in bono homine abundat. *Eccl.* 6, 5. — Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium sunt data à pastore uno. *Eccl.* 12, 11. — Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utrâque suavis lingua. *Eccl.* 40, 21. — Lingua sapientium sanitas est. *Prov.* 12, 18. — Qui odit correptionem minuetur vitâ, et qui odit loquacitatem extinguit malitiam. *Eccl.* 19, 5.

CAPUT XXII.

Effecta linguæ incontinentis in animo et corpore quoad se et alios.

Homo acharis, quasi fabula vana in ore indisciplinatorum assidua, erit. *Eccl.* 20, 21. — Os impiorum redundat malis. *Prov.* 15, 28. — Sicut urbs patens et absque murorum abitu, ità vir qui non potest in loquendo cohibibere spiritum suum. *Prov.* 15, 28. — Labia insipientis præcipitabunt eum; initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus. *Eccl.* 10, 12, 13. — Qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet eum corripiens judicium. *Sap.* 1, 8. — Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiæ; lingua autem sapientium sanitas est. *Prov.* 12, 18. — Multi ceciderunt in ore gladii; sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. *Eccl.* 28, 22. — Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit: homo perversus suscitat lites, et verbosus segregat principes; vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam. *Prov.* 16, 27, 28, 29. — Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus. *Prov.* 29, 5. — Musica in luctu importuna narratio. *Eccl.* 22, 6. — Narratio peccantium odiosa, et risus eorum in deliciis peccati. *Eccl.* 27, 14. — Lingua tertia multos commovit, et dispersit eos de gente in gentem; civitates muratas destruxit, et domos magnatorum effodit; virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit eas laboribus suis: qui respicit eam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa. Beatus qui tectus est à linguâ nequam, qui in iracundiam ejus non transivit, qui non attraxit jugum illius, et in vinculis illius non est ligatus. *Eccl.* 28, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 23.

CAPUT XXIII.

Linguæ incontinentia proprium est vitium stultorum.

Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt, et reservat in posterum. *Prov.* 29, 11. — Stultus verba multiplicat. *Eccl.* 10, 14. — Qui multis verbis utitur, lædet animam suam. *Eccl.* 20, 8. — In multis sermonibus invenietur stultitia. *Eccl.* 5, 2. — Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius correctio. *Prov.* 29, 20. — Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri. *Eccl.* 5, 6. — Terribilis est in civitate suâ homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit. *Eccl.* 9, 25. — Est odibilis, qui procax est ad loquendum. *Eccl.* 20, 5. — Ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore suo. *Ibid.* 22. — In multiloquio non deerit peccatum. *Prov.* 10, 19. — Os lubricum operatur ruinas. *Prov.* 26, 28.

CAPUT XXIV.

Linguæ abusus vetatur universìm ac speciatìm.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. *Ephes.* 4, 29. — Qui vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, et labia ejus ne loquantur dolum. 1 *Pet.* 3, 10. — Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum; est enim in illâ verbum peccati. *Eccl.* 28, 17. — Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. *Jac.* 1, 26. — Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coràm Deo; Deus enim in cœlo, et tu super terram; idcircò sint pauci sermones tui; multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia. *Eccli.* 5, 1, 2. — Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et non iteres verbum in oratione tuâ. *Eccl.* 7, 15. — Noli citatus esse in linguâ tuâ, et inutilis, et remissus in operibus tuis. *Eccl.* 4, 34. — Fornicatio et omnis immunditia, aut avaritia, non nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. *Ephes.* 5, 3, 4. — In ipsâ benedi-

cimus Deum et Patrem, et in ipsâ maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, et maledictio; non oportet, fratres mei, hæc ità fieri; numquid fons ex eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque falsa dulcem potest facere aquam. *Jac.* 3, 9, 10, 11, 12.

CAPUT XXV.

Antitheses variæ in verba stulti et prudentis.

Honor et gloria in sermone sensati, lingua verò imprudentis subversio illius. *Eccl.* 5, 15. — Homo sapiens tacebit usquè ad tempus; lascivus autem et impudens non servabunt tempus: sapiens in verbis seipsumamabilem facit; gratiæ autem fatuorum effundentur. *Eccl.* 20, 7, 13. — Narratio fatui quasi sarcina in viâ; nam in labiis sensati invenietur gratia; os prudentis quæritur in Ecclesiâ, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. Tanquàm domus exterminata, sic fatuo sapientia, et scientia insensati inenarrabilia verba; labia imprudentium stulta narrabunt; verba autem prudentium staterâ ponderabuntur: in ore fatuorum cor eorum, et in corde sapientium os illorum. *Eccl.* 21, 19, 20, 21; 28, 29. — De fructu oris sui homo satiabitur bonis; anima autem prævaricatorum iniqua: qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov.* 13, 2, 3. — In ore stulti virga superbiæ; labia autem sapientium custodiunt eos. *Prov.* 14, 3. — Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem: lingua sapientium ornat scientiam; os fatuorum ebullit stultitiam. *Prov.* 15, 1, 2. — Lingua placabilis lignum vitæ; quæ autem immoderata est, conteret spiritum: labia sapientium disseminabunt scientiam; cor stultorum dissimile erit. *Prov.* 15, 47. — *Vide* Contentio, Discordia, Rixa, Blasphemia, Imprudentia.

CAPUT XXVI.

Exempla linguæ sapientis.

Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ. *Ps.* 38, 1. — Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me; obmutui, et humiliatus sum, et silui à bonis. *Ps.* 38, 2. — In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. *Ps.* 118, 13. — Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. *Ps.* 118, 46. — Virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi, Domini nostri, et gratia magna erat in omnibus illis. *Act.* 4, 33.

CAPUT XXVII.

Jaculatoriæ petentis linguæ moderationem suæ et alienæ.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis: non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. *Ps.* 140, 3, 4. — Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? *Eccl.* 22, 33. — Domine, libera animam meam à labiis iniquis et à linguâ dolosâ; quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? *Ps.* 119, 2, 3. — Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. *Ps.* 50, 16. *Vide* Oratio, Laus, Prudentia.

CAPUT XXVIII.

Veritas commendatur, et fidelitas, mendacii fœditas depingitur.

Misericordia et veritas te non deserant; circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui, et invenies gratiam et disciplinam bonam coràm hominibus et Deo. *Prov.* 3, 3, 4. — Abominatio est Domino labia mendacia; qui autem fideliter agunt placent ei. *Prov.* 12, 22. — Proferentem mendacia odit Dominus. *Prov.* 6, 19. — Tres species odivit anima mea, et aggravor valdè animæ illorum: divitem mendacem. *Eccl.* 25, 4. Potior fur quàm assiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hæreditabunt. *Eccl.* 28, 27. — Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, et pater ejus. *Joan.* 8, 44.

CAPUT XXIX.

Damna mendacii et alia effecta.

Suavis est homini panis mendacii, et posteà implebitur os ejus calculo. *Prov.* 20, 17. — Verbum mendax justus detestabitur; impius autem confundit et confundetur. *Prov.* 13, 5. — Testis mendax peribit. *Eccl.* 21, 28. — Os quod mentitur, occidit animam. *Sap.* 1, 11. — Erubescite à præsidente et à potente de mendacio. *Eccl.* 41, 21. — Perdes omnes qui loquuntur mendacium. *Ps.* 5, 7. — Qui loquitur mendacia peribit. *Prov.* 19, 9. — Lapsus falsæ linguæ, quasi in pavimento ca-

denes, sic casus malorum festinanter veniet. *Eccl.* 20, 20. — Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assiduè erit : mores hominum mendacium, sine honore, et confusio eorum cum ipsis sine intermissione. *Eccl.* 20, 26, 28. — Non accipias faciem adversùs faciem tuam, nec adversùs animam tuam mendacium. *Eccl.* 4, 26.

CAPUT XXX.

Veritas præcipitur, mendacium omne prohibetur.

Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. *Ephes.* 4, 25. — Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum. *Coloss.* 3, 9. — Noli velle mentiri omne mendacium. *Eccl.* 7, 14. — Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. *Levit.* 19, 11. — Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes. *Prov.* 10, 4. — Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere; non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te omni homini pro peccato : noli resistere contrà faciem potentis, nec coneris contrà ictum fluvii. *Eccl.* 4, 30, 31, 32. — Voluntas regum labia justa; qui recta loquitur, diligetur. *Prov.* 16, 13. — *Vide* Fraus, Dolus, Calumnia, Contumelia.

CAPUT XXXI.

Justitia vindicativa Dei non effugitur à peccatore.

In synagogâ peccantium exardebit ignis, et in gente incredibili exardebit ira : non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt, confidentes suæ virtuti. *Eccl.* 16, 7, 8. — In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. *Job.* 21, 30. — In leges divinas impiè agere, impunè non cedit. 2 *Mach.* 4, 17. — Stupa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. *Eccl.* 21. 10. — Quocumquè pergere voluissent, manus Domini erat super eos, sicut locutus est, et juravit eis; et vehementer sunt afflicti. *Jud.* 2, 15. — Etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar; sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 2 *Mach.* 6, 26. — Tu, ne existimes tibi impunè futurum quòd contrà Deum pugnare tentaveris. 2 *Mach.* 6, 19.

CAPUT XXXII.

Deus longanimis, tardè quidem, at tandem punit, non absque interveniente misericordiâ.

Iis tanquàm hominibus pepercisti, et misisti antecessores exercitûs tui vespas, ut illos paulatim exterminarent : non quia impotens eras in bello subjicere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare; sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum. *Sap.* 12, 8, 9, 10. — O quàm bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! ideòque eos, qui exerrant, partibus corripis, et de quibus peccant admones, et alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te, Domine. *Sap.* 12, 1, 2. — Ne sequaris in fortitudine tuâ concupiscentiam cordis tui, et ne dixeris : Quomodò potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit; ne dixeris : Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. *Eccl.* 5, 2, 3. 4. — Tacui semper, silui, patiens fui : sicut parturiens loquar, dissipabo et absorbebo simul. *Isa.* 42, 14. — Eccè scriptum est coràm me : Non tacebo, sed reddam, et retribuam in sinum eorum. *Isa.* 55, 6.—Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter exspectat, ut eas, cùm judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat; ità et in nobis statuit ut, peccatis nostris in finem devolutis, ità demùm in nos vindicet : propter quòd nunquàm quidem à nobis misericordiam suam amovet; corripiens verò in adversis populum suum non derelinquit. 2 *Mach.* 6, 13, 14, 15, 16.

CAPUT XXXIII.

Aliter sontes, aliter insontes; iisdem subindè non involvit pœnis.

Anima quæ peccaverit ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii; justitia justi super ipsum erit, et impietas impii erit super eum. *Ezech.* 18, 20. — Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. *Exod.* 32, 33. — Absit à te ut occidas justum cum impio, et rem hanc facias; fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum; qui judicas omnem terram nequa-

quàm facies judicium hoc. *Gen.* 18, 25.—Cùm sis justus, justè omnia disponis : ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum judicas à tuâ virtute. *Sap.* 12, 15. — Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur : juxtà multitudinem adinventionum suarum sic et sustinebit. *Job.* 20, 18. — Reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus. *Judith* 8, 27. — Cùm tentati sunt, et quidem cum misericordiâ disciplinam accipientes, scierunt quemadmodùm cum irâ judicati impii tormenta paterentur : hos quidem tanquàm pater monens probâsti ; illos tanquàm durus rex interrogans condemnâsti. *Sap.* 11, 10, 11, 12. — Visitabo in virgâ iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate meâ. *Ps.* 78, 33, 34. — Plagâ inimici percussi te, castigatione crudeli : propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. *Jer.* 30, 14. — His cessit, qui exterminabat et hæc extimuit, erat enim sola tentatio iræ sufficiens. *Sap.* 18, 25. — Impiis autem usquè in novissimum sine misericordiâ ira supervenit; præsciebat enim et futura illorum. *Sap.* 19, 1.

CAPUT XXXIV.

Peccator iis punitur rebus, quibus deliquit : creaturæ quædam ad ultionem deputatæ.

Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. *Sap.* 11, 17. — Undè et iis qui in vitâ suâ insensatè et injustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta. *Sap.* 12, 23. —Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua, in tempore consummationis effundent virtutem, et furorem ejus qui fecit eos placabunt : ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt; bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et romphæa vindicans in exterminium impios. In mandatis ejus epulabuntur, et super terram in necessitatem præparabuntur, et in temporibus suis non præterient verbum. *Eccl.* 39, 33, 34, 35, 36, 37. — Super peccatores septuplum : ad hæc mors, sanguis, contentio, et romphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagella ; super iniquos creata sunt hæc omnia, et propter illos factus est cataclysmus. *Eccl.* 60, 9, 10. — Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti ? quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli. *Job.* 38, 22, 23.

CAPUT XXXV.

Finis punitionis divinæ, vindicta impiorum, justorum correctio.

In memoriâ sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio. *Sap.* 16, 11. — Cùm feceris judicia tua in terrâ, justitiam dicent habitatores orbis. Misereamur impio, et non discet justitiam ; in terrâ sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini : indulsisti genti, Domine, indulsisti genti; numquid glorificatus es ? Elongâsti omnes terminos terræ, Domine, in angustiâ requisierunt te; in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Is.* 26, 9, 10, 15, 16.— Mille homines à facie terroris unius, et à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis et quasi signum super collem. *Isa.* 30, 17. — Si inimicos servorum tuorum et debitos morti cum tantâ cruciâsti attentione, dans tempus et locum, per quæ possent mutari à malitiâ, cum quantâ diligentiâ judicâsti filios tuos, quorum parentibus juramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum : cùm ergò des nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes, et cùm de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam. *Sap.* 12, 20, 21, 22.

CAPUT XXXVI.

Justitia vindicativa humana, utilis ac necessaria; ejusdem fructus, et pœnæ neglectus; servanda æquitas et modus in omnibus.

Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium. *Prov.* 26, 3. — Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. *Prov.* 25, 4. — Agnoscent qui derelicti sunt quoniam nihil est melius quàm timor Dei, et nihil dulcius quàm respicere in mandatis Domini. *Eccl.* 23, 37. — Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contrà solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. *Num.* 25, 4. — Pestilente flagellato stultus sapientior erit; si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. *Prov.* 19, 25.—Mulctato sapiente sapientior erit parvulus, et si sectetur sapientem, sumet scientiam. *Prov.* 21, 11. Livor vulneris absterget mala, et plagæ in secretioribus ventris. *Prov.* 20, 30. — Quia non profertur citò contrà malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. *Eccl.* 8, 11. — Quia dimisisti virum dignum morte de manu tuâ, erit anima tua pro animâ

ejus, et populus tuus pro populo ejus. 3 *Reg.* 20, 42. — Docuisti populum tuum per talia opera, quoniam oportet esse justum et humanum; et bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. *Sap.* 12, 19. — Noli esse justus multùm, neque sapias plus quàm necesse est, ne obstupescas. *Eccl.* 7, 17.

CAPUT XXXVII.

Exempla punitionis per eadem per quæ quis peccavit.

Fugit Adonibezec, quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum, dixitque Adonibezec : Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensâ meâ ciborum reliquias; sicut feci ità reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est. *Jud.* 1, 6, 7. — Et ait Samuel regi Agag : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua; et in frusta concidit eum Samuel coràm Domino in Galgalis. 1 *Reg.* 15, 33. — Jubente rege, adducti sunt viri illi, qui accusârunt Danielem, et in lacum leonum missi sunt ipsi, et ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt. *Dan.* 6, 24. — Consurrexerunt adversùs duos presbyteros; convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium, feceruntque eis sicut malè egerunt adversùs proximum, ut facerent secundùm leges Moysis, et interfecerunt eos, et salvatus est sanguis innoxius in die illâ. *Dan.* 13, 61, 62. — Accensis animis, Antiochus rex Andronicum purpurâ exutum per totam civitatem jubet circumduci, et in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vitâ privari, Domino condignam illi tribuente mercedem. 2 *Mach.* 4, 38. — Qui multos (Jason scilicet impius) de patriâ suâ expulerat, peregrè petiit Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus, et qui multos insepultos abjecerat, ipse et illamentatus est, et insepultus abjicitur, sepulturâ neque peregrinâ usus, neque patrio sepulcro participans. 2 *Mach.* 5, 9, 10.— Homicida Antiochus, rex blasphemus, pessimè percussus, et ut ipse alios tractaverat, peregrè in montibus miserabili obitu vitâ functus est. 2 *Mach.* 9, 28. — Respondensque rex Assuerus ait : Quis est iste, et cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? dixitque Esther : Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis : En lignum quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos; cui dixit rex : Appendite eum in eo : suspensus est itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo. *Esther,* 7, 5, 6, 9, 10. — Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me : nonnè ergò oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. *Matth.* 18, 32, 33, 34.

Pars viij.

TEMPERANTIA ET VIRTUTES EI ANNEXÆ ATQUE OPPOSITA VITIA.

Temperantia est virtus quæ inclinat ad servandam mediocritatem circà voluptates et dolores, qui gustu et tactu percipiuntur : ità tamen ut frequentiùs in voluptate moderandâ quàm dolore versetur; versatur autem circà dolores, non uti fortitudo, quæ elucet in iis constanter perferendis; sed facit ne temperans nimiùm doleat ob absentiam delectationum. — Temperantiæ generatim opponuntur duo vitia : intemperantia scilicet et stupor. Intemperantia est excessus in fruendis delectationibus gustûs vel tactûs; stupor est talis fuga delectationum, ut nolit quis eis uti, quandò, vel ubi, vel quantùm secundùm rectam rationem oportet.—Partes integrantes temperantiæ sunt duæ : honestas et verecundia; nam officium temperantiæ totum integrant amor decoris temperantiæ et fuga turpitudinis intemperantiæ; ad priorem actum spectat honestas, ad posteriorem verecundia. Sumitur autem hic honestum, non prout virtuti commune est, sed pressè ut in eo elucet peculiare decus temperantiæ. — Partes subjectivæ sive species temperantiæ sunt quatuor : Abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia. —Partes potestativæ temperantiæ sunt sex : Continentia, humilitas, mansuetudo, clementia, modestia morum, et modestia cultûs.

CAPUT PRIMUM.

Natura paucis contenta, temperantia commendata generatim.

Initium vitæ hominis aqua, et panis, et vestimentum, et domus prætegens turpitudinem. *Eccl.* 29, 28. — Initium necessariæ rei vitæ hominis, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum. *Eccl.* 39, 31.—Proposuit Daniel in corde suo ne pollueretur de mensâ regis, neque de vino potûs ejus : et rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur. *Dan.* 1, 8. — Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis in illo, et non senties dolorem ; vigilia, et cholera, et tortura viro infrunito. *Eccl.* 31, 22, 23. — Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate ; si bibas illud moderatè, eris sobrius ; quæ vita est ei qui minuitur vino? quid defraudat vitam ? mors. Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ et cordis vinum moderatè potatum : sanitas est animæ et corpori potus sobrius ; vinum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit ; amaritudo animæ vinum multum potatum. *Ibid.* 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38. — Quandò sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt antè faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo ; si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. *Prov.* 23, 1, 2, 3. —Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam. *Eccl.* 37, 32. — Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregre sine domicilio. *Eccl.* 29, 29. — Melius est vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum saginatum cum odio. *Prov.* 15, 17.—Noli adhùc aquam bibere ; sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates. 1 *Tim.* 5, 23. — Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum : quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. *Eccl.* 2, 3.

CAPUT II.

Præmia temperantiæ et alia effecta.

Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non luxuriam *Eccl.* 10, 17, 19. — Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientiâ, Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum. *Dan.* 1, 17. — Qui abstinens est adjiciet vitam. *Eccl.* 37, 34. — Somnus sanitatis in homine parco, dormiet usquè in mane, et anima illius cum ipso delectabitur. *Eccl.* 31, 24.

CAPUT III.

Intemperantia variis modis nocet animo.

Multi ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus : quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Phil.* 3, 18, 19. — Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam. *Eccl.* 5, 5. — Cùm comederint, et saturati crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis, detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum. *Deut.* 31, 20. — Anima saturata calcabit favum. *Prov.* 27, 7. — Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. *Luc.* 6, 25. — Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa. *Luc.* 21, 34.—Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecùs. *Job.* 20, 14. — Accepto pane ac lentis edulio, comedit et bibit, et abiit, parvi pendens quòd primogenita vendidisset. *Gen.* 25, 34. — Ne quis fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. *Hebr.* 12, 16. — Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. *Rom.* 16, 18.

CAPUT IV.

Nocet et corpori et fortunæ bonis.

Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam ; in multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usquè ad choleram : propter crapulam multi obierunt ; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccl.* 37, 32, 33, 34. — Filius noster iste comessationibus vacat et luxuriæ, atque conviviis ; lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. *Deut.* 20, 20, 21. — Adhùc escæ ipsorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit. *Ps.* 77, 30, 31. — Vigilia, et cholera, et tortura viro infrunito. *Eccl.* 31, 23. — Qui diligit epulas in egestate erit ; qui

amat vinum et pinguia non ditabitur. *Prov.* 21, 17. — Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad convescendum afferunt : quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio. *Prov.* 23, 20, 21. — Operarius ebriosus non locupletabitur, et qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccl.* 19, 1. — Qui suavis est in vini devorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. *Prov.* 12, 11. — Si coactus fueris in edendo multùm, surge è medio et vome, et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem. *Eccl.* 31, 25.

CAPUT V.

Dissuadetur et vetatur ebrietas ac gula.

Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus. *Rom.* 13, 13. — Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Ibid.* 14. — Esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et has destruit; corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. 1 *Cor.* 6, 13. — Noli regibus, ô Samuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas; ne fortè bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. *Prov.* 31, 4, 5. — Mulier ebriosa ira magna, et contumelia et turpitudo ejus non tegetur. *Eccl.* 26, 11. — Neque fornicarii, neque ebriosi, regnum Dei possidebunt. 1 *Cor.* 6, 9, 10. — Ne intuearis vinum quandò flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. *Prov.* 23, 31, 32. — Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa, et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo, et dices : Verberàrunt me, sed non dolui; traxerunt me, ego non sensi : quandò evigilabo, et rursùs vina reperiam. *Prov.* 23, 33, 34, 35. — Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim, et flori decidenti gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes à vino. *Isa.* 28, 1. — Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos ejus, quoniam, in similitudinem arioli et conjectoris, æstimat quod ignorat : Comede et bibe, dicet tibi, et mens illius non est tecum; cibos quos comederas, evomes, et perdes pulchros sermones tuos. *Prov.* 23, 6, 7, 8.

CAPUT VI.

Alia ebrietatis effecta specialia.

Hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt; sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. *Isa.* 28, 7. — Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor. *Oseæ* 4, 12. — Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. *Eccl.* 19, 2. — Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. *Eccl.* 31, 31. — Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens. *Prov.* 20, 1. — Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed replemini Spiritu sancto. *Ephes.* 5, 18. — Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? nonnè his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? *Prov.* 23, 29, 30. — Multos exterminavit vinum. *Eccl.* 31, 30.

CAPUT VII.

Alia monita et præcepta in conviviis servanda.

Viri justi sint tibi convivæ, et in timore Dei sit tibi gloriatio. *Eccl.* 9, 22. — Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo, et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum, et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere; sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superiùs; tunc erit tibi gloria coràm simul discumbentibus. *Luc.* 14, 8, 9, 10. — Diligentes in vino noli provocare : multos enim exterminavit vinum. *Eccl.* 31, 30. — Suprà mensam magnam sedisti, non aperias super illam faucem tuam prior; non dicas sic : Multa sunt, quæ super illam sunt. Memento quoniam malus est oculus nequam : nequius oculo quid creatum est? ideò ab omni facie suâ lacrymabitur, cùm viderit; ne extendas manum tuam prior, et invidiâ contaminatus erubescas; ne comprimaris in convivio : intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso; utere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur, ne cùm manducas multùm, odio habearis. Cessa prior causâ disciplinæ et noli nimius esse, ne fortè offendas. *Eccl.* 31, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21. — In convivio vini non arguas proximum, et non despicias eum in jucunditate ipsius; verba improperii non dicas ei, et non premas eum in repetendo. *Ibid.* 41, 42. — Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini : sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic

numerus musicorum in jucundo et moderato vino. Audi tacens, et pro reverentiâ accedet tibi bona gratia. *Eccl.* 32, 7, 8, 8. — Rectorem te posuerunt, noli extolli; esto in iis quasi unus ex ipsis; curam illorum habe, et sic confide, et omni curâ tuâ explicitâ recumbe, ut læteris ob illos, et ornamentum gratiæ accipias coronam, et dignationem consequaris corrogationis. *Eccl.* 32, 1, 2, 3. — Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio; sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. *Luc.* 14, 12, 13, 14.

CAPUT VIII.

Exempla intemperantiæ.

Noe bibens vinum inebrietatus est. *Gen.* 9, 21. — Verùm hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt. Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ità ut non esset ultrà locus. *Isa.* 28, 7, 8. — Balthasar fecit grande convivium optimatibus suis mille, et unusquisque secundùm suam bibebat ætatem; præcepit ergò jam temulentus ut afferrentur vasa aurea et argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor, pater ejus, de templo quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex et optimates ejus, uxoresque ejus et concubinæ. *Dan.* 5, 1, 2. — Vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum et ad planctum, ad calvitium et ad singulum sacci, et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : comedamus et bibamus, cràs enim moriemur. *Isa.* 22, 12, 13.

CAPUT IX.

Jejunii encomia, effecta, fructus, exempla.

Bona est oratio cum jejunio et eleemosynâ magis quàm thesauros auri recondere; quoniam eleemosyna à morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. *Tob.* 12, 8, 9. — Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. *Joel.* 2, 12. — Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multâ patientiâ, in jejuniis. 2 *Cor.* 6, 4. — Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes; amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam; tu autem cùm jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.* 6, 16, 17, 18. — Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio; humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur. *Ps.* 34, 13. — Ministrantibus illis Domino et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos; tunc jejunantes et orantes, imponentesque illis manus, dimiserunt illos. *Act.* 13, 22. — Cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros et orâssent, cum jejunationibus commendârunt eos Domino, in quem crediderunt. *Act.* 14, 2, 3. — Hoc genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium. *Matth.* 17, 20. — Corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est futuræ. 1 *Tim.* 4, 8. — Rogant me judicia justitiæ; appropinquare Deo volunt : quarè jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescîsti? eccè in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Eccè ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impiè; nolite jejunare sicut usquè ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester : numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? numquid istud vocatis jejunium et diem acceptabilem Domino? Nonnè hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe; frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris; tunc erumpet quasi mane lumen tuum. *Isa.* 58, 2, 3, 4, 5, 6, 7. — Christus jejunavit quadraginta diebus et noctibus. *Matth.* 4, 2. — Hæc (Anna) vidua usquè ad octoginta et quatuor annos, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2, 37. — Habens (Judith) super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbatha et neomenias et festa domûs Israel. *Judith.* 8, 6. — Venit Joannes, neque manducans, neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. *Matth.* 11, 10.

CAPUT X.

Continentiæ et pudicitiæ fructus et exempla.

Eccè Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo suâ; nec quidquam est, quod non in meâ sit potestate vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es : quomodò ergò possum hoc malum facere et peccare in Deum meum? *Gen.* 39, 8, 9. — Fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eò quòd amaveris castitatem, et post virum tuum alterum nescieris : ideò et manus Domini confortavit te, et ideò eris benedicta in æternum. *Judith.* 15, 11. — Tu scis, Domine (ità Sara, uxor Tobiæ junioris), quia nunquàm concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ. *Tob.* 3, 16. — Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum, adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis. *Sap.* 8, 21. — Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Job.* 31, 1. — *Vide verbis* Castitas *et* Virginitas.

CAPUT XI.

Incontinentia vetatur et omnis luxuria.

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum. 1 *Thess.* 4, 3, 4. — Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus; fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13, 4. — Corpus non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. 1 *Cor.* 6, 13. — Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis? absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretreci, unum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne unâ; qui autem adhæret Domino, unus spiritus est : fugite fornicationem; omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extrà corpus est; qui autem fornicatur in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? et non estis vestri; empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro. 1 *Cor.* 6, 15, 16, 17, 18, 19, 20. — Quarè seduceris (fili mi) ab alienâ, et foveris in sinu alterius? *Prov.* 5, 20. — Non mœchaberis. *Exod.* 20, 13. — Non desiderabis uxorem proximi tui. *Exod.* 20, 17. — Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* 5, 28. — Usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? *Jer.* 4, 14.

CAPUT XII.

Luxuriæ tentatio vexat etiam sanctos; superat improvidos et insipientes.

Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satana, qui me colaphizet. 2 *Cor.* 12, 7. — Qui est parvulus declinet ad me; et vecordi locuta est, et ignoravit quòd ibi sint gigantes, et in profundis inferni convivæ ejus : qui enim applicabitur ei descendet ad inferos, nam qui abscesserit ab eâ salvabitur. *Prov.* 9, 16, 18. — De fenestrâ domûs meæ per cancellos prospexi; et video parvulos, considero vecordem juvenem, qui transit per plateam juxtà angulum, et propè viam domûs illius graditur : in obscuro advesperascente die in noctis tenebris et caligine. *Prov.* 7, 6, 7, 8, 9. — Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis verborum protraxit illum; statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi equus lasciviens, et ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus : velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quòd de periculo animæ ejus agitur. *Prov.* 7, 21, 22, 23.

CAPUT XIII.

Nocet animo simul et corpori.

An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 1 *Cor.* 6, 9, 10. — Hoc scitote intelligentes, quòd omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. *Ephes.* 5, 5. — Inclinata est ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius. *Prov.* 2, 18. — Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et vias tuas ad delendos reges. *Prov.* 31, 3. — Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine : quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis? numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus iniquitatem? *Job.* 31, 1, 2, 3. — Ne attendas fallaciæ mulieris; favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta

quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant: per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus et investigabiles. *Prov.* 5, 2, 3, 4, 5, 6. — Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis illius; multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab eâ : viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis. *Prov.* 7, 25, 26.— Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus aliena : insidiatur in viâ, quasi latro, et quos incautos viderit interficit. *Prov.* 23, 27, 28. — Mulier viri pretiosam animam capit. *Prov.* 6, 26.

CAPUT XIV.

Intellectum et voluntatem pervertit.

Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. *Oseæ* 5, 4. — Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ. *Prov.* 2, 19. — Ignis nunquàm dicit : Sufficit. *Prov.* 30, 16. — Pretium scorti vix est unius panis. *Prov.* 6, 26. — Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usquè ad finem. *Eccl.* 33, 24. — Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. *Eccl.* 19, 2. — Verbum sapiens, quodcumque audierit scius, laudabit et ad se adjiciet; audivit luxuriosus et displicebit ei, et projiciet illud post dorsum suum. *Eccl.* 21, 18. — Væ qui lascivitis in stratis vestris; et nihil patiebantur super contritione Joseph. *Amos.* 6, 4, 6.

CAPUT XV.

Sanitatem aufert et vitam ac fortunæ bona.

Qui se jungit fornicariis erit nequam : putredo et vermes hæreditabunt eum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus. *Eccl.* 19, 3. — Eccè mittam eam in lectum, et qui mœchantur cum eâ, in tribulatione maximâ erunt, nisi pœnitentiam ab operibus egerint, et filios ejus interficiam in morte. *Apoc.* 2, 22. — Quòd si verum est, quod objicit, et non est in puellâ inventa virginitas, ejicient eam extrà fores domûs patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, et auferes malum de medio tui. *Deut.* 22, 20, 21. — Qui nutrit scorta, perdet substantiam. *Prov.* 29, 3. — Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hæreditatem tuam. *Eccl.* 9, 9. — Dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriosè. *Luc.* 15, 13.

CAPUT XVI.

Famam pessumdat et honorem.

Erubescite à patre et matre de fornicatione. *Eccl.* 41, 21. — Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, et labores tui in domo alienâ sint, et gemas in novissimis, quandò consumpseris carnes tuas et corpus tuum. *Prov.* 5, 9, 10, 11. — Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne meâ. *Ps.* 37, 8. — Mulier fornicaria quasi stercus in viâ conculcabitur. *Eccl.* 9, 10. — Inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum. *Phil.* 3, 19.— Dedisti maculam in gloriâ tuâ. *Eccl.* 47, 22. — Propterea tradidit eos Deus in passione ignominiæ. *Rom.* 1, 26. — Erubescebant indicare sibi concupiscentiam suam. *Dan.* 13, 11.

CAPUT XVII.

Luxuriæ occasiones vitandæ.

Cùm intrâsset antè faciem ejus, statìm captus est in suis oculis Holofernes. *Judith.* 10, 17. —Surrexit, et ornavit se vestimento suo, et ingressa stetit antè faciem ejus; cor autem Holofernis concussum est : erat enim ardens in concupiscentiâ ejus. *Judith.* 12, 15, 16. — Non cecidit potens eorum à juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi; sed Judith, filia Merari, in specie faciei suæ dissolvit eum. *Judith.* 16, 8. — Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus; pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus; amputavit pugione cervicem ejus. *Ibid.* 11. — Accidit autem quâdam die ut intraret Joseph domum, et operis quippiam absque arbitris faceret, et ea apprehensâ laciniâ vestimenti ejus, diceret : Dormi mecum ; qui relicto in manu ejus pallio, fugit, et egressus est foràs. *Gen.* 39, 11, 12.

CAPUT XVIII.

Exempla punitæ luxuriæ in omnibus vitæ hujus et æternæ bonis.

Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo, et subvertit civitates has et omnem circà regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia. *Gen.* 19, 24, 25. — Dixit Deus : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius cen

tum viginti annorum. *Gen.* 6, 3, 5, 7. — Eccè unus de filiis Israel intravit coràm suis fratribus ad scortum Madianitidem, vidente Joseph et omni turbâ filiorum Israel, qui flebant antè fores tabernaculi; quod cùm vidisset Phinees, filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione ingressus est post virum in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem in locis genitalibus, cessavitque plaga à filiis Israel: et occisi sunt viginti quatuor millia hominum. *Num.* 25, 6, 7, 8. — Ingravatum est bellum contrà filios Benjamin, et non intellexerunt quòd ex omni parte iis instaret interitus : percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in eo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium. *Judic.* 20, 34, 35. — Ruben, primogenitus meus, tu fortitudo mea et principium doloris mei, prior in donis, major in imperio, effusus es sicut aqua; non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculâsti stratum ejus. *Gen.* 49, 3, 4. — Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine usquè ad animantia, à reptili usquè ad volucres cœli. *Gen.* 6, 7. — *Vide etiam verbo* Adulterium.

CAPUT XIX.

Honestas et verecundia laudabilis ac vitiosa.

Pro animâ tuâ nè confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum; et est confusio adducens gloriam et gratiam. *Eccl.* 4, 24, 25. — Reveremini in his quæ procedunt de orè meo, non est enim bonum omnem reverentiam observare, et non omnia omnibus beneplacent in fide. *Eccl.* 41, 19, 20. — Non duplices sermonem auditûs de revelatione sermonis absconditi, et eris verè sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum. *Eccl.* 42, 1. — De mendacio ineruditionis tuæ confundêre. *Eccl.* 4, 30. — Ne accipias personam ut delinquas; de lege Altissimi et testamento, et de judicio testificare impium, et eris eruditus et probabilis in conspectu virorum. *Eccl.* 42, 2, 3, 8. — Ne accipias faciem adversùs faciem tuam, nec adversùs animam tuam mendacium; nec reverearis proximum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis; non abscondas sapientiam tuam in decore suo : in linguâ enim sapientia dignoscitur, et sensus, et scientia, et doctrina in verbo sensati, et firmamentum in operibus justitiæ ; non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundêre; non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te omni homini pro peccato; noli resistere contrà faciem potentis, nec coneris contrà ictum fluvii : pro justitiâ agonizare pro animâ tuâ, et usquè ad mortem certa pro justitiâ, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. *Eccl.* 4, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33. — Est qui perdet animam suam præ confusione, et ab imprudenti personâ perdet eam; personæ autem acceptione perdet se. *Eccl.* 20, 24. — Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis. *Ibid.* 25. — Animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. *Eccl.* 23, 6.

CAPUT XX.

Humilitatis actus.

Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. *Ps.* 21, 7. — Ludam, et vilior fiam plus quàm factus sum; et ero humilis in oculis meis; et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. 2 *Reg.* 6, 22. — Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis et cinis. *Gen.* 18, 27. — Qui post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare. *Matth.* 3, 11. — Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbum et sanabitur puer meus. *Matth.* 8, 8. — Dicite filiæ Sion : Eccè rex tuus venit tibi mansuetus, et sedens super asinum et pullum filium subjugalis. *Matth.* 21, 5. — Procidebant viginti quatuor seniores antè sedentem in throno, et adorabant viventem in secula seculorum, et mittebant coronas suas antè thronum, dicentes : Dignus es. *Apoc.* 4, 10. Pater, peccavi in cœlum et coràm te; jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15, 13, 19. — Novissimè omnium tanquàm abortivo, visus est et mihi; ego enim sum minimus apostolorum, quia non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei; gratiâ autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1 *Cor.* 15, 8, 9, 10. — Utinàm sustineretis modicum quid insipientiæ meæ! sed et supportate me. 2 *Cor.* 2, 1. — Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles. 1 *Cor.* 4, 10. — Tanquàm purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usquè adhùc.

1 *Cor.* 4, 15. — Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. *Ephes.* 3, 8.

CAPUT XXI.

Effectus humilitatis et fructus, orationis exauditio, gratia, et gloria æterna.

Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. *Judith.* 9, 16. — Hæc dicit Excelsus et Sublimis, habitans æternitatem : et sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. *Isa.* 57, 15. — Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5, 3. — Amen, dico vobis : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non introibitis in regnum cœlorum. *Matth.* 18, 3. — Humiles spiritu salvabit. *Ps.* 33, 19. — Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? *Isa.* 66, 2. — Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terrâ? *Ps.* 112, 5. — Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta à longè cognoscit. *Ps.* 137, 7. — Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. 1 *Pet.* 5, 5, et *Jac.* 4, 6.

CAPUT XXII.

Humilitas via est ad exaltationem.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore humilitas. *Prov.* 15, 33. — Gloriam præcedit humilitas. *Prov.* 15, 23. — Humilem spiritu suscipiet gloria. *Prov.* 29, 23. — Qui humiliatus fuerit, erit in gloriâ; et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. *Job.* 22, 29. — Suscitat de pulvere egenum; et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. 1 *Reg.* 2, 6. — Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. *Eccl.* 10, 17. — Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere eum faciet. *Eccl.* 11, 1. — Respexit humilitatem ancillæ suæ : eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Luc.* 1, 48. — Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. *Matth.* 18, 4. — Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. *Luc.* 18, 14.

CAPUT XXIII.

Ad scientiam sanctorum et omnem prosperitatem.

Ubi est humilitas, ibi et sapientia. *Prov.* 11, 2. — Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. *Ps.* 118, 130. — Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelàsti ea parvulis : ità, Pater, quoniam sic fuit placitum antè te. *Matth.* 11, 25, 26. — Finis modestiæ timor Domini : divitiæ et gloria et vita. *Prov.* 22, 4. — Sine modò, sic enim decet nos implere omnem justitiam. *Matth.* 3, 15.

CAPUT XXIV.

Variæ ad humilitatem cohortationes.

Nemo se seducat : si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens : sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. 1 *Cor.* 3, 18. — Nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. *Phil.* 2, 3. — Glorietur dives in humilitate suâ. *Jac.* 1, 9. — Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. *Jac.* 4, 10. — Subditi estote Deo. *Jac.* 4, 7. — Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. *Ibid.* 8. — Adolescentes, subditi estote senioribus; omnes autem invicem humilitatem insinuate : quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1 *Pet.* 5, 5, — Discite à me quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11, 29. — Non alta sapientes, sed humilibus consentientes, nolite esse prudentes apud vosmetipsos. *Rom.* 12, 16. — Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui, cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. *Phil.* 2, 5, 6. — Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis. *Eccl.* 7, 19. — Humiliare Deo, et expecta manus ejus : attende ne seductus in stultitiam humilieris. *Eccl.* 13, 9. — Quantò magnus es, humilia te in omnibus, et coràm Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. *Eccl.* 3, 20, 21. — Cùm vocatus fueris, vade, in novissimo recumbe loco, ut cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superiùs; et tunc erit tibi gloria coràm simul discumbentibus. *Luc.* 14, 10. — Tu fide stas, noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11, 20. — Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ humilitatem. *Coloss.* 3, 12.

CAPUT XXV.

Humilitatis selecta exempla, et orationes jaculatoriæ.

Deus, minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tuâ, quam explevisti servo tuo. *Gen.* 32, 10. — Dixit Moyses ad Deum : Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto? *Exod.* 3, 11. — Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudius tertius, et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum. *Exod.* 4, 10. — Ait David ad Saul : Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis? et ait David : Nùm parùm videtur vobis generum esse regis? ego autem sum vir pauper et tenuis. 1 *Reg.* 18, 18, 23. — Inclinans se David pronus in terram, adoravit : Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris et pulicem unum. 1 *Reg.* 24, 9, 15. — Et ait David : Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? quid feci? aut quod est malum in manu meâ? 1 *Reg.* 26, 18. — Egressus est rex Israel ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus. 1 *Reg.* 26. 20. — Noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David, sed divertit eam in domum Obededom Gethæi. 2 *Reg.* 6, 10. — Ingressus est autem rex David, et sedit coràm Domino, et dixit : Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusquè? sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum. 2 *Reg.* 7, 18, 19. — Jesus, curato paralytico, declinavit à turbâ. *Joan.* 5, 13. — Claritatem ab hominibus non accipio. *Joan.* 5, 41. — Ipse ego Paulus, obsecro vos per mansuetudinem, et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. 2 *Cor.* 10, 1. — Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus; at illa dixit : Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensâ dominorum suorum. *Matth.* 15, 26, 27. — O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ! *Ps.* 115, 6.

CAPUT XXVI.

Superbia Deo et hominibus exosa vetatur universìm.

Odibilis coràm Deo est et hominibus superbia, et execrabilis omnis iniquitas gentium. *Eccl.* 10, 7. — Tres species odivit anima mea, et aggravor valdè animæ eorum, pauperem superbum. *Eccl.* 25, 3, 4. — Audivimus superbiam Moab : superbus est valdè; superbia ejus et arrogantia ejus, et indignatio ejus plus quàm fortitudo ejus. *Isa.* 16, 6. — Superbiam nunquàm in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas; in ipsâ enim initium sumpsit omnis perditio. *Tob.* 4, 14. — Ne sis sapiens apud temetipsum, time Deum, et recede à malo. *Prov.* 3, 7. — Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. *Rom.* 12, 16.

CAPUT XXVII.

Non superbiendum de donis animi, corporis, aut ullis aliis, cùm omnia à Deo sint, et homo sit res vilissima.

Dicis : Fracti sunt rami, ut ego inferar; benè, propter incredulitatem fracti sunt; tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time : si autem Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. *Rom.* 11, 19, 20, 21. — Dico per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. *Rom.* 12, 13. — Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1 *Cor.* 4, 7. — Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit : opus suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantùm gloriam habebit, et non in altero. *Gal.* 6, 3, 4. — Non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, et non glorietur fortis in fortitudine suâ, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nôsse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terrâ : hæc enim placent mihi, ait Dominus. *Jer.* 9, 23, 24. — Non laudes virum in specie suâ, nec spernas hominem in visu suo : brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius. *Eccl.* 11, 2, 3. — In vestitu ne glorieris unquàm, et in die honoris tui ne extollaris; quoniam mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa et abscondita, et invisa opera illius. Multi tyranni sederunt in throno, et insuspicabilis portavit diadema; multi potentes oppressi sunt valdè, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum. *Eccl.* 11, 4, 5. — Numquid gloriabitur securis contrà eum qui secat in eâ, aut exaltabitur serra contrà eum à quo trahitur? quomodò si elevetur virga contrà elevantem se, et exaltatur baculus, qui utique lignum est? *Isa.* 10, 15. — Quid superbit terra et cinis? *Eccl.* 10, 9. — Cùm

morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. *Ibid.* 13.

CAPUT XXVIII.

Superbiæ effecta in animâ simul et corpore.

Væ, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ; optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Israel. *Amos.* 6, 1. — Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes à vino : eccè validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim; et erit flos decidens coronæ exultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum antè maturitatem autumni; quod cùm aspexerit, videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud. *Isa.* 28, 12, 3, 4. — Abominatio Domini est omnis arrogans : etiamsi manus ad manum fuerit, non erit innocens. *Prov.* 16, 5. — Contritionem præcedit superbia, et antè ruinam exaltatur spiritus. *Prov.* 16, 18. — Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in iis, et non intelligetur. *Eccl.* 3, 30. — Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo. *Eccl.* 6, 2, 3. — Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coràm vobismetipsis prudentes. *Isa.* 5, 21. — Juravit Dominus Deus in animâ suâ, dicit Dominus Deus exercituum : Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis; quòd si reliqui fuerint decem viri in domo unâ, et ipsi morientur. *Amos.* 6, 8, 9. — Elevatum est cor tuum in robore tuo : propterea hæc dicit Dominus Deus : Eò quòd elevatum est cor tuum, quasi cor Dei, idcircò eccè ego adducam super te alienos, robustissimos gentium, et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, et polluent decorem tuum, interficient et detrahent te; et morieris in interitu occisorum in corde maris. *Ezech.* 28, 5, 6, 7, 8.

CAPUT XXIX.

Superbiæ effecta in intellectu et voluntate.

Dixisti : Non est qui videat me; sapientia tua et scientia tua hæc decepit te, et dixisti in corde tuo : Ego sum, et præter me non est altera. *Isa.* 47, 10. — Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom.* 1, 21, 22. — Elevatum est cor tuum in decore tuo; in terram projeci te, antè faciem regum dedi te, ut cernerent te. *Ezech.* 28, 17. — In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. *Joan.* 9, 39. — Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis eo spem habebit insipiens. *Prov.* 26, 12. — Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? *Joan.* 5, 44. — Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagogâ non ejicerentur. *Joan.* 12, 42. — Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab illo qui fecit illum recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. *Eccl.* 10, 14, 15. — Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; ubi autem est humilitas, ibi est sapientia. *Prov.* 11, 2. — Inter superbos semper jurgia sunt; qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ. *Prov.* 13, 10. — Exaltatatio oculorum et dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum. *Prov.* 21, 4.

CAPUT XXX.

Superbiæ effecta in famâ, honore, dignitate.

Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum; exaltabitur autem Dominus solus in die illâ. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur. *Isa.* 2, 11, 12. — Dixit Dominus : Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion; et Dominus crinem earum nudabit. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio, et mœrebunt, atque lugebunt portæ ejus et desolatâ in terrâ sedebit. *Isa.* 3, 16, 17, 18, 25, 26. — Eccè dominator Dominus exercituum confringet laguncula in terrore, et excelsi staturâ succidentur, et sublimes humiliabuntur; et subvertentur condensa saltûs ejus ferro, et Libanus cum excelsis cadet. — *Isa.* 10, 33, 34. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam

deduceret universos inclytos terræ. *Isa.* 33, 9. — Incurvavit habitantes in excelso; civitatem sublimem humiliabit. *Isa.* 26, 5. — Propterea hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quòd sublimatus est in altitudine, et dedit summitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor ejus in altitudine suâ, tradidi eum in manus fortissimi gentium; faciens faciet ei : juxtà impietatem ejus ejeci eum. *Ezech.* 31, 10, 11. — Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia; respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo : absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam. *Job.* 40, 6, 7, 8. — Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur. *Job.* 24, 24. — Memoriam superborum perdidit Deus, et relinquit memoriam humilium sensu. *Eccl.* 10, 21. — Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui. *Luc.* 1, 52. — Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, indè detraham te, dicit Dominus. *Abdiæ* 5, 45. — Superbus et arrogans vocatur indoctus qui in irâ operatur superbiam. *Prov.* 21, 24. — Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. *Prov.* 29, 23. — Qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. *Matth.* 23, 12.

CAPUT XXXI.

Superbiæ effectà in bonis fortunæ et in posteris.

Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus ; dixit enim : In fortitudine manùs meæ feci, et in sapientiâ meâ intellexi, et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem, et subtùs gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. *Isa.* 10, 12, 13. 14. — Erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbiâ Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham. *Isa.* 13, 19. — Quid est quòd dilectus meus in domo meâ fecit scelera multa ? numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum ; ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in eâ, et combusta sunt fruteta ejus. *Jer.* 2, 15, 16. — Domum superborum demolietur Dominus, et firmos faciet terminos viduæ. *Prov.* 15, 25. — Ephraim, quasi avis avolavit gloria eorum à partu, et ab utero, et à conceptu; quòd etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus ; sed et væ eis, cùm recessero ab eis. Da eis, Domine ; quid dabis eis? da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. *Oseæ* 9, 11, 12, 14. — Et nunc audi hæc, delicata, et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo : Ego sum, et non est præter me; ampliùs non sedebo vidua et ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subitò in die unâ, sterilitas et viduitas. *Isa.* 47, 8, 9.

CAPUT XXXII.

Superbiæ punitæ exempla.

Eritis sicut dii, scientes bonum et malum. *Gen.* 3, 5. — At ille (Pharao) respondit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus et dimittam Israel ? nescio Dominum, et Israel non dimittam. *Exod.* 5, 2. — Antiochus, mille et octingintis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est ; existimans se præ superbiâ terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum, deducturum, propter mentis elationem. 2 *Mach.* 5, 21.—Dixit alter ad proximum suum : Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni ; habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento et dixerunt : Venite, faciamus nobis civitatem, et turrim, cujus cacumen pertingat ad cœlum, et celebremus nomen nostrum, antequàm dividamur in universas terras. *Gen.* 11, 3, 4. — Porrò Achipotel videns quòd non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque, et abiit in domum suam, et in civitatem suam, et dispositâ domo suâ, suspendio interiit, et sepultus est in sepulcro patris sui. 2 *Reg.* 17, 23. — Non juxtà beneficia quæ acceperat retribuit, quia elevatum est cor ejus ; et facta est contrà eum ira, et contrà Judam et Jerusalem : humiliatusque est posteà, eò quòd exaltatum fuisset cor ejus, tàm ipse quàm habitatores Jerusalem, et idcircò non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. 2 *Paral.* 32, 25, 26. Statuto die, Herodes vestitus regiâ veste sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos ; populus autem acclamabat : Dei voces et non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eò quòd non de-

disset honorem Deo, et consumptus à vermibus expiravit. *Act.* 12, 21, 22, 23.

CAPUT XXXIII.

Orationes superbiam deprecantis.

Non veniat mihi pes superbiæ, ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. *Ps.* 35, 12.—Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. *Eccl.* 23, 5. — Tua est, Domine, magnificentia et victoria, tua sunt omnia, et quæ de manu tuâ accepimus reddimus tibi. 1 *Paral.* 29. —Quis sum ego, Domine, et quæ domus patris mei, ut præstes mihi talia? 2 *Reg.* 7, 18. — Discam à te, Domine, quia mitis es et humilis corde, ut inveniam requiem animæ meæ. *Matth.* 11, 30. — *Vide verbo* Humilitas, *cap.* 10.

CAPUT XXXIV.

Ambitionis et arrogantiæ causa et pœnæ.

Nescitis quid petatis; potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? dicunt ei : Possumus *Matth.* 20, 22. — Charitas non est ambitiosa. 1 *Cor.* 13, 5. — Ignis nunquàm dicit : Sufficit. *Prov.* 30, 16. —Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? *Joan.* 5, 44. — Propter pharisæos non confitebantur, ut è Synagogâ non ejicerentur; dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. *Joan.* 12, 42, 43. — Noli quærere à Deo ducatum, neque à rege cathedram honoris. *Eccl.* 7, 4. — Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tuâ. *Eccl.* 7, 6. — Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron. *Hebr.* 5, 4.—Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. *Matth.* 20, 26, 27. — Qui potestatem sibi sumit injustè, odietur. *Eccl.* 28, 8.

CAPUT XXXV.

Jactantiæ ac præsumptionis effecta, et aliæ circumstantiæ.

Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat; qui verò sperat in Domino, sanabitur. *Prov.* 28, 25. — Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. *Ps.* 11, 4. — Auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, et non adjicies exaltari ampliùs in monte sancto meo. *Sophon.* 3, 11. — Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom.* 1, 13.— Nolite multiplicare loqui, sublimia gloriantes; recedant vetera de ore vestro. 1 *Reg.* 2, 3. —Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. *Prov.* 27, 2. — Pharisæus stans hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri; velut etiam hic publicanus : jejuno bis in sabbatho; decimas do omnium quæ possideo. *Luc.* 18, 11, 12. — Dico vobis : Descendit hic justificatus in domum suam ab illo. *Ibid.* 14.— Respondens Petrus, ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor. *Qui nihilominùs posteà Christum negavit. Matth.* 26, 33.

CAPUT XXXVI.

Mansuetudo suadetur et præcipitur; effectus et fructus habet nobilissimos.

Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne tu et tenteris. *Gal.* 6, 1.—Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth.* 5, 4. — Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. *Prov.* 15, 1. —Discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11 29. — Abjicientes omnem immunditiem et abundantiam malitiæ in mansuetudine, suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. *Jac.* 1, 21. — Admone eos non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. *Tit.* 3. 2. — Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem. 2 *Tim.* 2, 24. —Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine. *Ephes.* 4, 1. — Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. *Eccl.* 3, 19. — Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundùm meritum suum : peccantem in animam suam quis justificabit? et quis honorificabit exhonorantem animam suam? *Eccl.* 10, 31, 32.

CAPUT XXXVII.

Mansuetudinis exempla.

Nolite timere, nùm Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitàstis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos : nolite timere, ego pascam vos et parvulos vestros. *Gen.* 50, 20, 21. — Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terrâ. *Num.* 12, 3. — David

sedens in cathedrâ sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. 2 *Reg.* 23, 8. — Erant appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum, et murmurabant pharisæi et scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. *Luc.* 1, 29. —*Vide verbo* Benignitas, et Justitia vindicativa.

CAPUT XXXVIII.

Iracundiæ fœditas et gravitas.

Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. *Eccl.* 10, 22.—Ira et furor utraque execrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum. *Eccl.* 27, 33.—Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stultire quiescit. *Eccl.* 7, 10.—Secundùm ligna sylvæ, sic ignis exardescit et secundùm virtutem hominis, sic iracundia illius erit, et secundùm substantiam suam, exaltabit iram suam. *Eccl* 28, 12. — Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit; et si exspueris super illam, extinguetur : utraque ex ore proficiscuntur. *Eccl.* 28, 14.—Grave est saxum, et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior; ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, et impetum concitati spiritûs ferre quis poterit ? *Prov.* 27, 3, 4. — Fatuus statim indicat iram suam ; qui autem dissimulat injuriam, callidus est. *Prov.* 12, 16. — Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt et reservat in posterum. *Prov.* 29, 11.

CAPUT XXXIX.

Iracundiæ effecta in animo, corpore, et in alios.

Iracundia animositatis illius, subversio illius est. *Eccl.* 1, 28. — Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior. *Prov.* 29, 32. — Ignis nunquàm dicit : Sufficit. *Prov.* 30, 16. — Supercecidit ignis, et non viderunt solem. *Ps.* 57, 9. — Zelus et iracundia minuunt dies, et antè tempus senectam adducet cogitatus. *Eccl.* 30, 26. — Verè stultum interficit iracundia. *Job.* 5, 2. — Homo iracundus incendit litem, et homo peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam. *Eccl.* 28, 11. — Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est mitigat suscitatas. *Prov.* 15, 18. — Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, et qui vehementer emungit elicit sanguinem, et qui provocat iras producit discordias. *Prov.* 30, 33. — Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas. *Prov.* 26, 21.

CAPUT XL.

Vetatur ira vitiosa.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. *Matth.* 5, 22. — Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia toliatur à vobis, cum omni malitiâ. *Ephes.* 4, 31. — Aufer iram à corde tuo, et amove malitiam à carne tuâ : adolescentia enim et voluptas vana sunt. *Eccl.* 11, 10. — Sit omnis homo tardus ad loquendum, et tardus ad iram : ira enim viri justitiam Dei non operatur. *Jac.* 1, 19, 20. — Irascimini et nolite peccare ; sol non occidat super iracundiam vestram. *Ephes.* 4, 26. — Memorare timorem Domini, et non irascaris proximo tuo : memorare testamentum Altissimi, et despice ignorantiam proximi. *Eccl.* 28, 8, 9.

CAPUT XLI.

Irato blandè respondendum, imponendum silentium aut cedendum.

Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem. *Prov.* 15, 1. — Judicium determinat causas, et qui imponit stultum silentium iras mitigat. *Prov.* 26, 10. — Cùm persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam. *Matth.* 10, 23. — Duxerunt illum usquè ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum; ipse autem transiens per medium illorum ibat. *Luc.* 4, 29, 30. — Tulerunt lapides ut jacerent in eum; Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. *Joan.* 8, 59. — *Vide verba* Contentio, Rixa, discordia.

CAPUT XLII.

Iræ vitiosæ et justæ exempla; divinam iram deprecantis orationes jaculatoriæ.

Paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, et percussit hederam, et exaruit; et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido, et urenti, et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat; et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit : Meliùs est mihi mori quàm vivere; et dixit Dominus ad Jonam : Pustasne benè irasceris tu super hederâ ? et dixit : Benè irascor ego usquè ad mortem. *Jonæ* 4, 7, 8, 9. — Cùm vidisset Moyses Pharaonis duritiem, exivit ab eo iratus nimis. *Exod.* 11, 8, 9. — Et circumspiciens eos cum irâ, contristatus super cæcitate cordis eorum, dixit homini : Extende manum tuam; et extendit, et restituta est manus ei. *Marc.* 3, 5. — Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ

corripias me. *Ps.* 6, 1. — Converte nos, Deus, salutaris nos'er, et averte iram tuam à nobis : numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem? *Ps.* 84, 4, 5.

CAPUT XLIII.

Zelus honoris divini exemplis declaratus.

Cùm appropinquàsset ad castra, vidit vitulum et choros, iratusque valdè projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis; arripiensque vitulum quem fecerant, combussit et contrivit usquè ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel. *Exod.* 32, 19, 20. — Stans in portâ castrorum, ait : Si quis est Domini, jungatur mihi; congregatique sunt ad eum omnes filii Levi, quibus ait : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponat vir gladium super femur suum; ite et redite de portâ usquè ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem suum et amicum et proximum. Feceruntque filii Levi juxtà sermonem Moysis; ceciderunteque in die illâ quasi triginta tria millia hominum, et ait Moyses : Consecràstis manus vestras hodiè Domino, unusquisque in filio, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio. *Exod.* 32, 26, 27, 28, 29. — Mi Domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem? audient Chananæi, et omnes habitatores terræ, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terrâ; et quid facies magno nomini tuo? *Josue* 7, 8, 9. — Et ait Samuel : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua; et in frusta concidit eum Samuel coràm Domino in Galgalis. 1 *Reg.* 15, 33. — Dixit Elias ad eos : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis; quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. 3 *Reg.* 18, 40. — Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel; altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. 3 *Reg.* 19, 14. — Cùm audissem sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens, et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione meâ, et scisso pallio et tunicâ, expandi manus meas ad Dominum Deum meum et dixi. 1 *Esdræ*, 9, 3, 5. — Intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummularium, et cathedras vendentium columbas evertit, et dixit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum. *Matth.* 21, 12, 13. — Cùm vidissent discipuli ejus, Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicamus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos? Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritûs estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. *Luc.* 9, 54, 55, 56.

CAPUT XLIV.

Zeli indiscreti exempla.

Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret; discipuli autem increpabant eos. Jesus verò ait iis : Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum. *Matth.* 19, 13, 14. —Videntes discipuli (tantam unguenti effusionem super caput Christi), indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio hæc? potuit enim istud venumdari multò, et dari pauperibus. *Matth.* 26, 8, 9. — Respondens Joannes, dixit : Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonium, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum; et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere, qui enim non est adversùm vos, pro vobis est. *Luc.* 9, 49, 50. — Concurrebat multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros et vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes; exsurgens autem princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, repleti sunt zelo; et injecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in custodiâ publicâ. *Act.* 5, 16, 17, 18. — Sequenti sabbato penè universa civitas convenit audire verbum Dei; videntes autem turbas Judæi repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ à Paulo dicebantur blasphemantes. *Act.* 13, 44, 45.

CAPUT XLV.

Jaculatoriæ petentis zelum animarum eumque exercentis.

Zelus domûs tuæ comedat me, Domine, *Ps.* 68, 10. — Defectio teneat me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. *Ps.* 118, 53. — Tabescere me faciat zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici tui. *Ps.* 118, 139. — Contere scelestos et peccatores simul, et qui te dereliquerunt consume. *Isa.* 1, 28. — Deficiant peccatores à terrâ et iniqui, ità ut non sint. *Ps.* 130, 35. — Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eo-

rum. *Ps.* 54, 16. — Utinàm abscindantur qui vos conturbant. *Gal.* 5, 12. — Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas nostras. *Cant.* 2, 15. — Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. *Ps.* 67, 3. — Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis. *Ps.* 44, 7. — Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniat. *Ps.* 44, 2.

CAPUT XLVI.

Modestiæ commendatio et fructus; immodestiæ in incessu, aspectu, auditu, vestitu, damna et pœnæ.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. *Phil.* 4, 5. — Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei sensatus; amictus corporis et risus dentium, et ingressus hominis annuntiant de eo. *Eccl.* 14, 26, 27. — Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, gloria, et vita. *Prov.* 22, 4. — Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ; optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel. *Amos.* 6, 1. — In facie sapientis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ. *Prov.* 17, 24. — Stultus à fenestrâ respiciet domum, vir autem eruditus foris stabit. — *Eccl.* 21, 26. — Stultitia hominis auscultare per ostium; et prudens gravabitur contumeliâ. *Eccl.* 21, 27. — pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. *Isa.* 3, 16, 17. — Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. 1 *Tim.* 6, 8. — Eccè qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Matth.* 11, 8. — Homo quidam erat dives, et vestiebatur purpurâ et bysso, et epulabatur quotidiè splendidè; mortuus est dives, et sepultus est in inferno. *Luc.* 16, 19, 22. — Ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum et simulacrorum fecerunt ex eo; propter hoc dedi eis illud in immunditiam, et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud. *Ezech.* 7, 20. — *Vide verbis* Prodigalitas et Luxus.

Pars IX.

FORTITUDO ET VIRTUTES EI ANNEXÆ, ATQUE OPPOSITA VITIA.

Fortitudo accipitur primò pro robore corporis, secundò, pro generali constantiâ, quomodò accepit Ambrosius (lib. I de officiis, cap. 36, ubi *jure*, ait, *ea fortitudo vocatur, quâ unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur*). Tertiò, accipitur strictè pro dono Spiritûs sancti; quartò, pro virtute morali, quæ constituit mediocritatem circà timores et audacias. Et definitur : *Firmitas animi in sustinendis et repellendis iis, in quibus animam regere et statum rationis tenere est difficile.* Hujusmodi sunt pericula et mala mortis, mutilationis, exilii, vinculorum et aliarum calamitatum. — Quatuor vitia opponuntur fortitudini; quia sicut peccatur excessu et defectu timoris, ità etiam excessu et defectu audaciæ; primum vitium est timiditas, sive excessus timoris, quo revocatur; secundum vitium, quod est defectus audendi, et dicitur propriè ignavia. Quartum est audacia sive temeritas, quæ consistit in excessu audendi. — Magnanimitas, magnificentia, patientia et perseverantia sunt partes potestativæ hujus virtutis, quatenùs ipsam virtutem principalem in materiâ secundariâ imitantur; quatenùs verò versantur in materiâ propriâ fortitudinis, ad partes integrantes revocari debent. — Partes subjectivas propriè fortitudo, secundùm S. Thomam, non habet, quia ipsa est species specialissima, cùm versetur circà pericula mortis et alia his similia, quæ omnia sunt ejusdem generis, et si alia sint aliis graviora aut leviora.

CAPUT PRIMUM.

Fortitudo animi exemplis declarata.

Eccè Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, ô rex, liberare : quòd si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti non adoramus. *Dan.* 3, 17, 18. — Melius est mihi (inquit Susanna) absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. *Dan.* 3, 17, 18. — Avertebant eum (Ju-

dam Machabæum) dicentes : Non poterimus, sed liberemus animas nostras modò et revertamur ad fratres nostros, et tunc pugnabimus adversùs eos; nos autem pauci sumus. Et ait Judas : Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis : etsi appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. 1 *Mach.* 9, 9, 10. — Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis : non solùm homines, sed et bestias ferocissimas et muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adjutorem et miserantem super eos Dominum; leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, et equitum mille sexcentos. 2 *Mach.* 2, 9, 10, 11. — Venit Joseph ab Arimathæâ nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei; et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. *Marc.* 15, 43. — *Vide verbis* Fidei confessio, Fiducia, Charitatis exempla.

CAPUT II.

Constantia martyrum, ejusque effecta et præmia.

Iste dicet : Domini ego sum; et ille vocabit in nomine Jacob; et hic scribet manu suâ Domino, et in nomine Israel assimilabitur. *Isa.* 44, 5. — Quid quæris, et quid vis discere à nobis? parati sumus magis mori quàm patrias Dei leges prævaricari. 2 *Mach.* 7, 2. — Ego eccè in manibus vestris sum : facite mihi quod bonum et rectum est in oculis vestris; verumtamen scitote et cognoscite quòd si interfeceritis me, sanguinem innocentem tradetis contrà vosmetipsos, et contrà civitatem istam et habitatores ejus : in veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc. *Jer.* 26, 14, 15. — Vide subtùs altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant; et clamabant voce magnà, dicentes : Usquequò, Domine, sanctus et verus non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ? *Apoc.* 4, 9, 10. — Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. *Isa.* 26, 19. — Omnis quicumque confessus fuerit me coràm hominibus, et filius hominis confitebitur eum coràm angelis Dei; qui autem negaverit me coràm hominibus, negabitur coràm angelis Dei. *Luc.* 12, 8. — Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manebit; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joan.* 12, 24, 25. — Etsi coràm hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est : in paucis vexati sunt, in multis benè disponentur. *Sap.* 3, 4, 5. — Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. *Apoc.* 7, 14.

CAPUT III.

Patientiæ radix, fortitudo et charitas; crescit ea adversis; vero christiano propria et exoptanda.

Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. *Prov.* 16, 32. — Charitas patiens est. 1 *Cor.* 13, 4. — Scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. *Jac.* 1, 3. — Tribulatio patientiam operatur. *Rom.* 5, 3. — Nemo moveatur in tribulationibus istis; ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. 1 *Thess.* 3, 3. — Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 2 *Tim.* 3, 12. — Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat. 1 *Pet.* 4, 12. — Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis, exultantes. Si exprobamini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei; et qui est ejus Spiritus super vos requiescet. Nemo autem vestrùm patiatur ut homicida aut fur, aut maledictus, aut alienorum appetitor; si autem ut christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine, quoniam tempus est ut incipiat judicium à domo Dei : si autem primùm à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? 1 *Pet.* 4, 13, 14, 15, 16, 17.

CAPUT IV.

Pro Christo pati gravia, felicitas magna in imitatione Christi ambienda.

Hæc est gratia, si, propter Dei conscientiam, sustinet quis tristitias, patiens injustè; quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1 *Pet.* 2, 19, 20, 21. — Vobis donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro eo patiamini : idem certamen habentes quale et vidistis in me, et

nunc audistis de me. *Phil.* 1, 29, 30. — Si quid patimini propter justitiam, beati. 1 *Pet.* 3, 14. — Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis; sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt antè vos. *Matt.* 5, 10, 11, 12. — Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. *Hebr.* 11, 24, 25, 26. — Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt; sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. *Joan.* 15, 18, 19, 20, 21. — Exeamus ad eum extrà castra, improperium ejus portantes. *Hebr.* 13, 13. — Christo igitur passo in carne, et vos eâdem cogitatione armamini; quia qui passus est in carne, desiit à peccatis. 1 *Pet.* 4, 1.

CAPUT V.

Patientiæ præmium vita æterna, gaudium animi, sanitas corporis, opes et honores.

Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. *Hebr.* 10, 36. — Si filii et hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur. *Rom.* 8, 17. — Patientia pauperum non peribit in finem. *Ps.* 9, 19. — Usquè in tempus sustinebit patiens, et posteà redditio jucunditatis. *Eccl.* 1, 29. — Quoniam servâsti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab horâ tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terrâ. *Apoc.* 3, 10. — Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientiâ. *Luc.* 8, 15. — In patientiâ vestrâ possidebitis animas. *Luc.* 21, 19. — Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti, et integri in nullo deficientes. *Jac.* 1, 4. — In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi. 1 *Pet.* 1, 6, 7. — Patientia probationem operatur, probatio verò spem: spes autem non confundit. *Rom.* 5, 4, 5. — Addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job duplicia. *Job.* 42, 10. — Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est mitigat suscitatas. *Prov.* 15, 18. — Patientiâ lenietur princeps, et lingua mollis confringit duritiem. *Ibid.* 15. — Doctrina viri per patientiam noscitur, et gloria ejus est iniqua prætergredi. *Prov.* 19, 11. — Fructus Spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia. *Gal.* 5, 22.

CAPUT VI.

Ad patientiam variæ exhortationes.

Deprime cor tuum et sustine; inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectûs, et ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei; conjungêre Deo, et sustine ut crescat in novissimo vita tua: omne quod tibi applicitum fuerit accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tuâ patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. *Eccl.* 2, 2, 3, 4, 5. — Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cùm ab eo corripieris; quem enim diligit Deus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov.* 3, 11, 12. — Ego dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe ei et alteram. *Matt.* 5, 39. — Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes. *Rom.* 12, 12. — Obsecro vos ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum omni patientiâ supportantes invicem in charitate. *Ephes.* 4, 1, 2. — Rogamus autem vos, fratres, patientes estote ad omnes. 1 *Thess.* 5, 14. — Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. *Rom.* 25, 4. — Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. 1 *Tim.* 6, 11. — Ideò et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dextrâ sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui

talem sustinuit adversùs semetipsum à peccatoribus contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondùm enim usquè ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes. *Hebr.* 12, 1, 2, 3, 4. — Patientes estote, fratres, usquè ad adventum Domini; eccè agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum; patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini: eccè judex antè januam assistit; exemplum accipite, fratres, exitûs mali, laboris, et patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini; eccè beatificamus eos qui sustinuerunt; sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est miserator. *Jac.* 5, 7, 8, 9, 10, 11.

CAPUT VII.

Patientiæ illustria exempla et præmia.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. 1 *Reg.* 3, 18. — Dimittite eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei ut malediceret David, et quis est qui audeat dicere: Quarè sic fecerit? dimittite eum, ut maledicat juxtà præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro meledictione hâc die hodiernâ. 2 *Reg.* 16, 10, 12. — Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram adoravit, et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illùc; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ità factum est, sit nomen Domini benedictum. *Job.* 1, 20, 21. — Egressus Satan à facie Domini percussit Job ulcere pessimo, à plantâ pedis usquè ad verticem ejus; qui testâ saniem radebat sedens in sterquilinio. Dixit autem ei uxor sua: Adhùc tu permanes in simplicitate tuâ? benedic Deo et morere; qui ait ad eam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Domini, mala quarè non suscipiamus? in omnibus his non peccavit Job labiis suis. *Job.* 2, 7, 8, 9, 10. — Notam facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit. 2 *Cor.* 8, 1, 2. —Quoniam servâsti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab horâ tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terrâ. *Apoc.* 3, 10. — Dominus benedixit novissimis Job, magis quàm principio ejus, et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga bonum, et mille asinæ; et fuerunt ei septem filii et tres filiæ. Vixit autem Job post hæc centum et quadraginta annis, et vidit filios suos, et filiorum suorum usquè ad quartam generationem. et mortuus est senex et plenus dierum. *Job.* 42, 12, 16.

CAPUT VIII.

Jaculatoriæ postulantis patientiam et se ad illam excitantis.

Da ut non peream propter imminentes tenebras, nec faciem meam operiat caligo. *Job.* 23, 17, 3, 16. — Nonnè Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. *Ps.* 61, 1. — Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. *Ps.* 62, 14. — Benedictus es, Domine; doce me justificationes tuas. *Ps.* 118, 12. — Sederunt principes, et adversùm me loquebantur; servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. *Ps.* 118, 23. — *Vide plura suprà, cap.* 6 *et* 7, *et infrà, cap.* 13 *et* 32.

CAPUT IX.

Impatientiæ pœnæ et alia effecta.

Qui sine timore est non poterit justificari: iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. *Eccl.* 1, 27, 28. — Væ his qui perdiderunt sustinentiam, et dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas: et quid facient, cùm inspicere cœperit Dominus? *Eccl.* 2, 16, 17. — Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo? *Job.* 18, 4. — Impatiens operabitur stultitiam. *Prov.* 14, 17. — Qui impatiens est sustinebit damnum, et cùm rapuerit, aliud apponet. *Prov.* 19, 19. — Illi, qui tentationes non susceperant cum timore Domini, et impatientiam suam, et improperium murmurationis suæ contrà Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore et à serpentibus perierunt. *Judith.* 8, 24. — Eccè docuisti multos, et manus lassas roborâsti; vacillantes confirmârunt sermones tui, et genua trementia confortâsti; nunc autem venit super te plaga, et defecisti, tetigit te et conturbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua et perfectio viarum tuarum? *Job.* 4, 3, 4, 5, 6. — *Vide verbis* Iracundia, Rixa, Discordia, Mansuetudo.

CAPUT X.

Constantia et perseverantia ad salutem necessaria suadetur omnibus.

Homo sanctus in sapientiâ manet sicut sol;

nam stultus sicut luna mutatur. *Eccl.* 27, 12. — Qui perseveraverit usquè in finem, hic salvus erit. *Matth.* 10, 22. — Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei. *Luc.* 9, 62. — Manete in dilectione meâ : si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. *Joan.* 13, 9, 10 — Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles; abundantes in omni opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. 1 *Cor.* 15, 58. — Bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes; ergò dùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. *Gal.* 6, 9, 10. — Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi. *Phil.* 4, 1. — Esto fidelis usquè ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Et qui vicerit et custodierit usquè in finem opera mea, dabo ei potestatem super gentes, et reget eas in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringentur. *Apoc.* 2, 10, 26, 27. — Ecce venio citò, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam : qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et non egredietur ampliùs, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, et nomen meum novum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3, 11, 12, 21. — Fratres, nolite deficere benefacientes. 2 *Thess.* 3, 13. — Cupimus unumquemque vestrûm eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usquè in finem, ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones. *Hebr.* 6, 11, 12. — Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce; ne manseris in operibus peccatorum; confide autem in Deo, et mane in loco tuo. *Eccl.* 11, 21, 22. — In illâ die qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere ea; et qui in agro, similiter non redeat retrò. *Luc.* 17, 31. — Memores estote uxoris Loth. *Luc.* 17, 32. — Cognosce justitias, et judicia Dei, et sta in sorte propositionis et orationis Altissimi. *Eccl.* 17, 24. — Quærite Dominum et confirmamini; quærite faciem ejus semper. *Ps.* 104, 4.

CAPUT XI.

Ad perseverandum in fide adhortationes.

Jam non simus parvuli fluctuantes, et ircumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris. *Ephes.* 4, 14. — Jesus Christus heri et hodiè et ipse in secula; doctrinis variis et peregrinis nolite abduci : optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in iis. *Hebr.* 13, 8, 9. — Vos igitur, fratres, præscientes custodite ne insipientium errore traducti excidatis à propriâ firmitate. 2 *Pet.* 3, 17. — Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestrâ salute, necesse habui scribere vobis, deprecans super certari semel traditæ sanctis fidei. Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate expectantes. *Judæ* 3, 20. — Videte vosmetipsos ne perdatis ea quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit et non permanet in doctrinâ Christi, Deum non habet; qui permanet in doctrinâ, hic et Patrem et Filium habet. 2 *Joan.* 8, 9.

CAPUT XII.

Increpationes eorum qui non perseverant; quibus illi rebus similes sint, et quo pacto deficiant.

Nunc venit super te plaga et defecisti; tetigit te, et conturbatus es. *Job.* 4, 5. — Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini : tanta passi estis sine causâ? si tamen sine causâ. *Gal.* 3, 5. — Currebatis benè, quis vos impedivit veritati non obedire? persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos. *Gal.* 5, 7, 8. — Memor esto undè excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. *Apoc.* 2, 5. — Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva proficiens florem suum. *Job.* 15, 33. — Habitatores earum breviatâ manu contremuerunt et confusi sunt; facti sunt sicut fœnum agri, et gramen pascuæ, et herba tectorum, quæ exaruit antequàm maturesceret. *Isa.* 37, 27. — Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. *Luc.* 15, 30. — Qui spernit modica, paulatìm decidet. *Eccl.* 19, 1. — Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatìm terra consumitur. *Job.* 14, 19.

CAPUT XIII.

Jaculatoriæ postulantis perseverantiam, et hujus exempla.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Ps.* 16, 6. — Ne projicias me à facie tuâ, et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. *Ps.* 50, 12. — Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. *Ps.* 50, 13. — Manda, Deus, virtuti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. *Ps.* 67, 29. — Mane in me et ego in te: sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec ego, nisi in te mansero. *Joan.* 15, 4. — Fac ne sim, bone Jesu, de his qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. *Luc.* 8, 13. — Ne avertas me in humilitatem; et dixisti: Convertimini, filii hominum. *Ps.* 89, 3. — Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. *Job.* 27, 6. — Quis me separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an gladius? *Rom.* 8, 35.

CAPUT XIV.

Inconstantia peccatoris similitudine declaratur.

Præcordia fatui quasi rota carri, et quasi axis versatilis cogitatus illius. *Eccl.* 33, 5. — Homo sanctus in sapientiâ manet, sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur. *Eccl.* 27, 12. — Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. *Prov.* 27, 8. — Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. *Isa.* 57, 20. — Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. *Oseæ* 6, 4. — Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? *Matth.* 11, 7, 8.

CAPUT XV.

Etiam in angelis reperta.

Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. *Job.* 4, 18. — Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit. *Joan.* 8, 44. — Angelos, qui non servârunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. *Judæ* 6. — Quomodò cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. *Isa.* 14, 12.

CAPUT XVI.

Est fructus peccati, à Deo vetatur et punitur.

Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. *Thren.* 1, 8. — Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. *Jac.* 1, 8. — Hæc dicit Dominus populo huic: qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit; nunc recordabitur iniquitatum eorum, et visitabit peccata eorum. *Jer.* 14, 10. — Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam; sic enim omnis peccator probatur in duplici linguâ. Esto firmus in viâ Domini, et in veritate sensûs tui, et scientiâ, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. *Eccl.* 5, 11, 12.

CAPUT XVII.

Inconstantiæ exempla.

Contestamur, inquiunt Bethulienses, hodiè cœlum et terram et Deum patrum nostrorum, qui ulciscitur nos, secundùm peccata nostra, ut jam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernis, et sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis. *Judith* 7, 17. — Citò deseruerunt viam per quam ingressi fuerant patres eorum, et audientes mandata Domini, omnia fecêre contraria; cùmque Dominus judices suscitaret in diebus eorum, flectebatur misericordiâ, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium. Postquàm autem mortuus esset judex, revertebantur, et multò faciebant pejora quàm fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes eos; non dimiserunt adinventiones suas et viam durissimam per quam ambulare consueverant. *Jud.* 2, 17, 18, 19. — Demas reliquit me, diligens hoc seculum, et abiit Thessalonicam. 2 *Tim.* 4, 9.—Alexander ærarius multa mala mihi ostendit; reddet ei Dominus secundùm opera ejus; quem et tu devita, valdè enim restitit verbis nostris. *Ibid.* 13, 14.

CAPUT XVIII.

Tribulationis causa Deus, et cujusque peccata.

Instauras testes duos contrà me, et multiplicas iram tuam adversùm me, et pœnæ militant in me. *Job.* 10, 17. — Ne fortè dicatis: Invenimus sapientiam, Deus projecit eum, non homo. *Job.* 32, 13. — Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas à Deo sunt. *Eccl.* 11, 14. — In die bonâ fruere bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, ità et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contrà eum justas querimonias. *Eccl.* 7, 15. — Noli facere mala, et non te apprehendent; discede ab iniquo, et deficient mala abs te. Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. *Eccl.* 7, 1, 2, 3. — Væ mihi

super contritione meâ, pessimâ plagâ meâ; ego autem dixi : Planè hæc infirmitas mea est, et portabo eam. *Jer.* 10, 19.

CAPUT XIX.

Non omnis tamen tribulatio est propter peccata.

Nonnè dissimulavi? nonnè silui? nonnè quievi? et venit super me indignatio. *Job.* 3, 26. — Utinàm appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in staterâ; quasi arena maris hæc gravior appareret, undè et verba mea dolore sunt plena. *Job.* 6, 2, 3. — In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causâ. *Job.* 9, 17. — Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. *Joan.* 9, 2, 3.

CAPUT XX.

Ad probationem à Deo immittitur, atque ad purgationem et constantiam majorem.

Qui acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. *Job.* 12, 13. — Tentati sunt patres nostri, ut probarentur, si verè colerent Deum suum. *Judith* 8, 21. — Non delebo gentes quas dimisit Josue, et mortuus est, ut in ipsis experiar Israel, utrùm custodiant viam Domini, et ambulent in eâ, sicut custodierunt patres eorum, an non. *Jud.* 2, 21, 22. — Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. *Rom.* 5, 4. — Eccè missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini. *Apoc.* 2, 10. — Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. *Eccl.* 27, 6. — Sicut igne probatur argentum et aurum camino, ità corda probat Dominus. *Prov.* 17, 3. — Cujus ventilabrum in manu suâ, et permundabit aream suam, congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Matth.* 3, 12. — Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plùs afferat. *Joan.* 15, 2. — Obsecro eos qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri : etenim non multo tempore sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statìm ultiones adhibere magni beneficii est indicium; non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eas, cùm dies judicii advenerit, in plenitudine peccatorum puniat; ità et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ità demùm in nos vindicet : propter quod nunquàm quidem à nobis misericordiam suam amovet, corripiens verò in adversis populum suum non derelinquit. 2 *Mach.* 6, 12, 13, 14, 15, 16.

CAPUT XXI.

In eos qui tribulatione non emendantur.

Si contuderis stultum in pilâ, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus. *Prov.* 27, 22. — Multo labore sudatum est, et non exivit de eâ nimia rubigo ejus, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata à sordibus tuis; sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te. *Ezech.* 24, 12, 13. — Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs et ferrum universi corrupti sunt : defecit sufflatorium : in igne consumptum est plumbum, frustrà conflavit conflator; malitiæ enim eorum non sunt consumptæ: argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. *Jer.* 6, 28, 29, 30.—Non contristabit justum quicquid ei acciderit; impii autem replebuntur malo. *Prov.* 12, 21.

CAPUT XXII.

Tribulatio communis bonis et malis; lata patienter Dei amicos constituit.

Unum est quod locutus sum, et innocentem et impium ipse consumit. *Job.* 9, 22. — Et si impius fuero, væ mihi est; et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseriâ : et propter superbiam quasi leænam capies me, reversusque miserabiliter me crucias. *Job.* 10, 15, 16. — Si lotus fuero quasi nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea. *Job.* 9, 30, 31. — Memores esse debent quomodò pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est : sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, e omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. *Judith* 8, 22, 23. — Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 2 *Tim.* 3, 12. — Nonnè hæc oportuit pati Christum, et ità intrare in gloriam suam? *Luc.* 14, 26. — In igne probatur aurum et argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. *Eccl.* 2, 5.

CAPUT XXIII.

Tribulationis et consolationis vicissitudo ad Dei gloriam ordinata.

Visitas eum diluculo, et subitò probas illum.

Job. 7, 18. — Ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt; in sex tribulationibus liberabit te, et in septimâ non tanget te malum; in fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii. *Job.* 5, 18, 19, 20. — Sion in judicio redimetur, et reducent eam in justitiâ. *Isa.* 1, 27.—Eccè tuli de manu tuâ calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ; non adjicies ut bibas eum ultrà: et ponam illum in manu eorum qui te humiliaverunt. *Isa.* 51, 22, 23. — Septies enim cadit justus et resurget; impii autem corruunt in malum. *Prov.* 24, 16. — Ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum; et declinavi ad eum, ut vesceretur. *Oseæ* 2, 4. — Propterea, hæc dicit Dominus: Revertar ad Jerusalem in misericordiis, et domus mea ædificabitur in eâ, ait Dominus exercituum, et perpendiculum extendetur super Jerusalem; adhùc clamor dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhùc affluent civitates meæ bonis, et consolabitur adhùc Dominus Sion, et eliget adhùc Jerusalem. *Zach.* 1, 16, 17. — Noli timere, Sion, non dissolvantur manus tuæ: Dominus Deus tuus in medio tuî fortis ipse salvabit; gaudebit super te in lætitiâ, silebit in dilectione tuâ, exultabit super te in laude. *Sophon.* 3, 16, 17. — Non repellet in sempiternum Dominus; quia, si abjecit, et miserebitur, secundùm multitudinem misericordiarum suarum. *Thren.* 31, 32.—Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *Eccl.* 35, 26.—Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. *Joan.* 11, 4.

CAPUT XXIV.

Promittitur à Deo tribulatio, tanquàm magnum aliquod bonum, et à justis expetitur.

Ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur argentum. *Zach.* 13, 9, — Et tu, noli timere, serve meus Jacob, ait Dominus, quia tecum ego sum, quia ego consumam cunctas gentes, ad quas ejeci te; te verò non consumam, sed castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi. *Jer.* 46, 28. — Ipse quasi ignis constans, et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum; et erunt Domino offerentes sacrificia in justitiâ. *Malach.* 3, 2, 3. — Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in seculo futuro vitam æternam. *Marc.* 10, 29, 90. — Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. *Jer.* 10, 24. — Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum. *Habacuc* 3, 16.

CAPUT XXV.

Tribulatio hujus vitæ exigua, respectu gloriæ secuturæ.

Ità alienatus mente Antiochus, non considerabat quòd propter peccata habitantium civitatem modicùm Deus fuerat iratus: propter quod et accidit circà locum despectio. 2 *Mach.* 5, 17. — In paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos. *Sap.* 3, 5. — Nunc non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valdè. *Job.* 35, 15. — Cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo; oves quoque et boves, et numulariorum effudit æs, et mensas subvertit. *Joan.* 2, 15. — Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque: ipsi gloria et imperium in secula seculorum. 1 *Pet.* 5, 10. — —Existimo quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom.* 8, 18.

Id quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur. 2 *Cor.* 4, 17.

CAPUT XXVI.

Tribulationis superatæ effecta in animo et corpore, intellectu et voluntate.

Beatus homo qui corripitur à Deo; increpationem ergò Domini ne reprobes. *Job.* 5, 17. — Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti. *Rom.* 8, 28. —Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se. *Jac.* 1, 12. — Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlo-

rum. *Matth.* 5, 10.—Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide; et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Act.* 14, 21. — Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris, posteà verò fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ : propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Hebr.* 12, 11, 12, 13. — Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. *Matth.* 10, 38. — Castigàsti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus. *Jer.* 13, 18. — Tantummodò sola vexatio dabit intellectum auditui. *Isa.* 29, 19. — Livor vulneris absterget mala, et plagæ in secretioribus ventris. *Prov.* 20, 30. — Sicut abundant passiones Christi in nobis, ità et per Christum abundat consolatio nostra. Ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes quòd sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. 2 *Cor.* 1, 5, 7. — Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ. 2 *Cor.* 7. 4. — In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus : propter quod non deficimus, sed licèt is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intùs est renovatur de die in diem. 2 *Cor.* 4, 8, 16. — Dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur; libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 2 *Cor.* 12, 9.

CAPUT XXVII.

Tribulatio excitat ad quærendum Deum.

In tribulatione suâ mane consurgent ad me; venite et revertamur ad Dominum. *Oseæ* 6, 1. — Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumnâ meâ, dùm configitur spina. *Ps.* 31, 4. — In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. *Ibid.* 9. — Cùm occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. *Ps.* 77, 34. — Imple facies eorum ignominiâ, et quærent nomen tuum, Domine. *Ps.* 82, 17.

CAPUT XXVIII.

Queritur Deus ne post multas quidem tribulationes ad se reverti peccatores.

Ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris, et non estis reversi ad me, dicit Dominus. *Amos* 4, 6. — Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas suprà petram, et noluerunt reverti. *Jer.* 5, 3. —Dispergam eos ventilabro in portis terræ; interfeci et disperdidi populum meum, et tamen à viis suis non sunt reversi. *Jer.* 15, 7.— Frustrà percussi filios vestros; disciplinam non receperunt, devoravit gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator generatio vestra. *Jer.* 2, 30. — Et non clamaverunt ad me in corde suo; sed ululabant in cubilibus suis, super triticum et vinum ruminabant, recesserunt à me. *Oseæ* 7, 14. — Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, et ejulabunt propter vim brachii tyrrannorum, et non dixit: Ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte, qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos? ibi clamabunt et non exaudiet propter superbiam malorum. *Job.* 35, 9, 10, 11 et 12.

CAPUT XXIX.

Tribulationem qui sustinet honoratur; qui eam respuit, ut insipiens confunditur.

Lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum. *Job.* 12, 5. — Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit; in disciplinâ perseverate, tanquàm filiis offert se Deus : quis enim filius quem non corripit pater? quòd si extrà disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergò adulteri, et non filii estis. *Hebr.* 12, 6, 7, 8. — Quem diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov.* 3, 12. — Ego quos amo arguo et castigo. *Apoc.* 3, 19. — Qui diligit disciplinam diligit scientiam; qui autem odit increpationes, insipiens est. *Prov.* 12, 1.

CAPUT XXX.

Tribulatio excipienda hilari animo, et habenda pro lucro.

In die malorum ne immemor sis bonorum, quoniam facile est coràm Deo in die obitùs retribuere unicuique secundùm vias suas. *Eccl.* 11, 27, 28. — Qui vicerit non lædetur à morte secundâ. *Apoc.* 2, 11. — Si desperaveris, lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua. *Prov.* 24, 10.—Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum; educet me in lucem, videbo justitiam ejus. *Micheæ* 7, 9. — Omne

gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. *Jac.* 6, 1, 2, 3. — Inventi sunt sermones tui; et comedi eos, et factum est verbum tuum in lætitiam, et gaudium cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum. *Jer.* 15, 16. — Si gloriari oportet quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. 2 *Cor.* 11, 30. — Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 2 *Cor.* 12, 9. — Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. *Phil.* 1. 21.

CAPUT XXXI.

Sperandum in Deo, qui juvat et liberat tribulatos.

Omnia possum in eo qui me confortat. *Phil.* 4, 13. — Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione suâ, spes à turbine, umbraculum ab æstu; spiritus enim robustorum, quasi turbo impellens parietem. *Isa.* 25, 4. — Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos; juxtà est Dominus iis qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit: multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodiet Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. *Ps.* 33, 18, 19, 20, 21. — Clamabit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. *Ps.* 90, 15.— Quia adhùc mihi visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur, si moram fecerit; expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. *Hebr.* 2, 3. — Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. *Ps.* 26, 14.

CAPUT XXXII.

Exempla fortiter superatæ tribulationis.

Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostrâ quæ facta est in Asiâ, quoniam suprà modum gravati sumus, suprà virtutem, ità ut tæderet nos etiam vivere; sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. 2 *Cor.* 1, 8, 9. — Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socii taliter conversantium effecti: nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. *Hebr.* 10, 32, 33, 34. — Hanc autem tentationem (cæcitatis scilicet) ideò permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job; nam cùm ab infantiâ suâ semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contrà Deum quòd plaga cæcitatis evenerit ei; sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Nam sicut beato Job insultabant reges, ità isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: Ubi est spes tua pro quâ eleemosynas et sepulturas faciebas? Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ità loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo. *Job.* 2, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18. — In tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cœlo audisti, et secundùm miserationes tuas multas, dedisti eis salvatores qui salvarent eos de manu hostium suorum. 2 *Esdræ*, 9, 27. — Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam; sed dives es, blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ: nihil horum timeas quæ passurus es; eccè missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem: esto fidelis usquè ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 2, 9, 10

CAPUT XXXIII.

Jaculatoriæ confugientis ad Deum in tribulatione, et forti animo eam ferentis.

Domine, fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis. *Jer.* 16, 19. — Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. *Ps.* 22, 4. — Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me. *Ibid.* 5. — Si bona suscipimus de manu Domini, mala quarè non suscipiamus? *Job.* 2, 10. — Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ità factum est: sit nomen Domini benedictum. *Job.* 1, 21. Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. 1 *Reg.* 3, 18. — Ficus non florebit, et non erit germen in vineis; mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum; abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus; ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. *Hebr.* 3, 17. — Placeo mihi in infirmitatibus meis: in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum. 2 *Cor.* 12, 10.

LIBER IV.

DE PRÆCIPUIS HUJUS ÆVI CONTROVERSIIS.

Pars prima.

DE VERBO DEI IN GENERE ET SPECIE.

CAPUT PRIMUM.

Verbum Dei universim.

Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usquè ad divisionem animæ et spiritûs, compagum quoque et medullarum. *Hebr.* 4, 12. — Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras? *Jer.* 23, 29. —Quomodò enim descendit imber et nix de cœlo, et illùc ultrà non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen seminanti, et panem comedenti; sic erit verbum meum, quod progreditur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Isa.* 15, 10. — Quid paleis ad triticum? dicit Dominus *Jer.* 23, 29. — Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. *Ps.* 118, 105.— Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et Lucifer oriatur in cordibus vestris. 2 *Pet.* 1, 19. — Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. 2 *Cor.* 10, 4. 5. — *Singula hæc, uti et sequentia, explicata sunt* Protestationis *cap.* 1.

CAPUT II.

Omne Dei verbum audiendum.

Qui ex Deo est, verbum Dei audit. *Joan.* 8, 47. — Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Luc.* 11, 18. —Non enim auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur. *Rom.* 2, 13. — Meliùs enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim illis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum, sus lota in volutabro luti. 2 *Pet.* 2, 21, 22.—Estote factores verbi et non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos; quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo : consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. *Jac.* 1, 22, 23, 24.

CAPUT III.

Verbum Dei scriptum et non scriptum.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. *Rom.* 15, 4. — Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 2 *Tim.* 3, 16. — Non potest solvi Scriptura. *Joan.* 10, 35. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur. *Num.* 23, 19. — Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. *Matth.* 24, 31. — Fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2 *Thess.* 2, 14. — Laudo vos quòd per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 1 *Cor.* 11, 2. — Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1 *Cor.* 11, 16. — Non retinetis quòd, cùm adhùc essem apud vos, hæc dicebam vobis. 2 *Thess.* 2, 5. — Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore. *Ibid.* 6. — O Timothee! depositum custodivi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ. 1 *Tim.* 6, 20. — Quæ audisti à me per

multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. 2 *Tim.* 2, 2. — Adhùc multa habeo vobis dicere ; sed non potestis portare modò ; cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Joan.* 16, 12.

CAPUT IV.

Altus ac divinus verbi divini sensus.

Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit. 2 *Pet.* 1, 20. (*Hoc et sequentia declarata sunt* Dissertatione de verbis apostolorum principis.) — Non enim voluntate humanâ allata est aliquandò prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. *Ibidem,* 21. — Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii interpretatio sermonum. 1 *Cor.* 12, 8, 10. — Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? *Rom.* 11, 34. — Charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, in quibus sunt quædam difficilia, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas. 2 *Pet.* 3, 14. — Incipiens à Moyse et omnibus prophetis interpretabatur in omnibus Scripturis quæ de seipso erant. *Luc.* 24, 27. — Quomodò possum intelligere, si non aliquis ostenderit mihi? *Act.* 3, 31. — Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. *Luc.* 24, 45. — Vidi in dexterâ sedentis super thronum librum scriptum intùs et foris, signatum sigillis septem. *Apoc.* 5, 1, — Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ! ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. *Luc.* 11, 52.

CAPUT V.

Verbi divini intellectus à fide dependet, et ab observatione divinæ legis.

Nisi credideritis, non intelligetis. *Isa.* 7, 9. — Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrinâ utrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar. *Joan.* 7, 17. — Vobis datum est nôsse mysterium regni Dei ; cæteris autem in parabolis : ut videntes non videant, et audientes non intelligant. *Luc.* 8, 19. — Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi ; à mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. *Ps.* 118, 66, 104. — Impiè agent impii, nec intelligent omnes impii ; porrò docti intelligent. *Dan.* 12, 10. — Quòd si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum ; in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. 1 *Cor.* 4, 3, 4. — Littera occidit ; spiritus autem vivificat. 2 *Cor.* 3, 6. — *Vide Introduct. Dist.* XII, *Can.* VII *et Can.* XXX.

CAPUT VI.

Jaculatoriæ petentis lumen ad intelligendum Dei verbum et servandum.

Revela oculos, et considerabo mirabilia de lege tuâ. *Ps.* 108, 18.—Incola ego sum in terrâ, non abscondas à me mandata tua. *Ps.* 118, 19. — Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. *Ps.* 118, 25. —Æquitas testimonia tua in æternum ; intellectum da mihi et vivam. *Ps.* 118, 144. —Viam justificationum tuarum instruc me, et exercebor in mirabilibus tuis. *Ps.* 118, 27.— Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. *Ibid.* 34. — Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me; da mihi intellectum, ut discam mandata tua. *Ps.* 118, 73. — Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas. *Ibid.* 135.

CAPUT VII.

Judex controversiarum.

Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et judicum intrà portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit in illo tempore, quæresque ab ipsis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. *Deut.* 17, 8. — Congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab iis ubi Christus nasceretur. *Matth.* 2, 4. — Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxtà legem ejus, sequerisque eorum sententiam; non declinabis ad dexteram neque ad sinistram. *Deut.* 17, 10. — Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo iste. *Deut.* 17, 12. — Super cathedram Moysis sederunt scribæ et pharisæi, omnia ergò quæcumque dixerint vobis servate et facite ; secundùm verò opera eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt. *Matth.* 23, 2. — Qui novit Deum audit nos; qui non est ex Deo non audit nos : in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris. *Joan.* 4, 6. — Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. *Matth.* 18, 17. — Quæcumque alligaveritis super

terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Ibid.* 18. — Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. *Luc.* 10, 16. — Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *Matth.* 10, 20.

Pars ij.

DE ECCLESIA UNIVERSIM AC SPECIATIM.

CAPUT PRIMUM.

Ecclesia militans in terrâ.

Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. 1 *Cor.* 1, 9. — Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipsam gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. *Ephes.* 5, 23. — Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. *Act.* 20, 28. — In Ecclesiis benedicam te, Domine. *Ibid.* 12. — Laus Domini in Ecclesiâ sanctorum. *Psal.* 149, 1. — Quid mihi de iis qui foris sunt judicare? 1 *Cor.* 5, 12. — In magnâ domo non solùm sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. 2 *Tim.* 2, 20. — Ut scias quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia. 1 *Tim.* 3, 15. — Multi sunt vocati, pauci verò electi. *Matth.* 22, 14. — Connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. *Act.* 1, 17.

CAPUT II.

Ecclesia visibilis.

Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super omnes colles; fluent ad eum omnes gentes. *Isa.* 2, 2. — Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob. *Ibid.* 3. — De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. *Ibid.* — Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam. *Amos* 1, 12. — Non potest civitas abscondi suprà montem posita. *Matth.* 5, 14. — Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. *Matth.* 5, 15. — Lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. *Philip.* 2, 16. — Illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. *Marc.* 16, *ult.* — Si non audierit illos, dic Ecclesiæ. *Matth.* 18, 17. — Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Matth.* 5, 16.

CAPUT III.

Ecclesia una.

Omnes vos unum estis in Christo Jesu. *Galat.* 3, 28. — Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor. *Joan.* 10, 16. — Unum corpus multi sumus. 1 *Cor.* 10, 17. — Unum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium. *Ephes.* 4, 4, 5, 6. — Non est dissensionis Deus, sed pacis. 1 *Cor.* 14, 23. — Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. *Act.* 4, 32. — Pater sancte, serva nos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. *Joan.* 17, 11. — Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. *Cant.* 6, 8.

CAPUT IV.

Ecclesia sancta et apostolica.

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 1 *Pet.* 2, 9. — Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo ex omni tribu, et linguâ, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes. *Apoc.* 5, 9. — Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. *Ephes.* 5, 25. — Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. *Cant.* 4, 7. — Delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usqu è ad pecus, tàm reptile quàm volucres cœli; remansit autem solus Noe, et qui cum ipso erant in arcâ. *Gen.* 7, 23. — In

novissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus: hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. *Jud.* 6, 18, 19. — Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate. *Ibid.* 20, 21. — Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei. *Ephes.* 2, 18. — Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis. *Hebr.* 12, 22. — Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Jesu. *Ephes.* 2, 20.—Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni. *Apoc.* 21, 14.

CAPUT V.

Ecclesia catholica, seu universalis.

In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur. *Dan.* 2, 44. — Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et ungatur Sanctus sanctorum. *Dan.* 9, 24. — Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo recedent ab eo, et de ore seminis tui, amodò et usquè in æternum. *Isa.* 59, 21. — Fœdus perpetuum feriam cum eis, et scietur in gentibus semen eorum. *Isa.* 61, 8. — Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortùs tui. *Isa.* 60, 3. — Aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur, et regnum quod non servierit tibi peribit. *Ibid.* 11, 12. — Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni. *Ps.* 47, 3. — Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in æternum. *Ibid.* 9. — Disposui testamentum electis meis; juravi David servo meo, usquè in æternum præparabo semen tuum, et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam. *Ps.* 88, 4, 5. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitiâ amodò, et usquè in sempiternum. *Isa.* 9, 7. — Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. *Luc.* 1, 31, 32, 33. — Habet in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium. *Apoc.* 19, 16. — Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. *Matth.* 28, 18. — Euntes ergò, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. *Ibid.* 19. — Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usquè ad consummationem seculi. *Matth.* 28, 20. — Ædificavit domum suam suprà petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat suprà petram. *Matth.* 7, 24, 25.

CAPUT VI.

Ecclesia inexpugnabilis.

Suprà hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. *Matth.* 16, 18.—Ecclesia Dei vivi columna est et firmamentum veritatis. 1 *Tim.* 3, 15.— Non vocaberis ultrà derelicta, et terra tua non vocabitur ampliùs desolata. *Isa.* 62, 4. — Verbum Domini manet in æternum. 1 *Pet.* 1, 25. — Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis. *Joan.* 14, 16. — Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Joan.* 16, 13. — Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. *Ibid.* 11, 12. — Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Ibid.* 13.

CAPUT VII.

Persecutio Antichristi et victoria Ecclesiæ suprema.

Nisi venerit discessio primùm, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis. 2 *Thess.* 2, 3. — Adversabitur et extolletur suprà omne quod dicitur Deus. *Ibid.* 4. — Et negabit quoniam Jesus est Christus. 1 *Joan.* 2, 22.—Tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem, et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos, et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *Matth.* 24, 10, 11, 12.—Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi nec erit,

Matth. 24, 21. — Datum est illi bellum facere cum sanctis et vincere eos, et data est illi potestas in omnem tribum, populum, et linguam, et gentem, et adoraverunt eam omnes inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ. *Apoc.* 13, 7, 8.—Datum est ei ut faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur. *Ibid.* 15. — Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur. *Matth.* 24, 29. — Propter electos breviabuntur dies illi. *Matth.* 24, 22.— Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. *Apoc.* 11, 3. — Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. *Ibid.* 12, 10. — Deindè finis, cùm tradiderit regnum Deo et Patri. 1 *Cor.* 15. 24.—Qui autem perseveraverit usquè in finem, hic salvus erit. *Matth.* 24, 13; *et cap.* 10, 22.

CAPUT VIII.

Primarium caput Ecclesiæ Christus.

Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus. *Ephes.* 1, 22. — Crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. *Ibidem*, 4, 15. — Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem suî, in charitate. *Ephes.* 4, 16. — Vir caput est mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ, ipse salvator corporis sui. *Ephes.* 5, 23. — Vos estis corpus Christi et membra de membro. 1 *Cor.* 12, 27.

CAPUT IX.

Vicarium Ecclesiæ caput sanctus Petrus, atque ejus legitimi successores.

Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Matth.* 16, 18. — Tu es Simon, filius Jonæ, tu vocaberis Cephas. *Joan.* 1, 42. — Simon Joannis, diligis me plùs his? pasce oves meas, pasce agnos meos. *Joan.* 21, 15, 17. — Simon, Simon, eccè Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. *Luc.* 23, 31, 32. — Et tu aliquandò conversus, confirma fratres tuos. *Luc.* 22, 32. — *Vide plura capite sequenti.*

CAPUT X.

Hierarchia ecclesiastica.

Amarias, sacerdos et pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit. 2 *Paral.* 19, 11.—Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga sacerdotes legem. *Aggæi* 2, 12. — Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2, 7. — Pro Josue si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat Dominum; ad verbum ejus ingredietur et egredietur, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo. *Num.* 17, 21. — Non est tui officii, Ozias, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. 2 *Par.* 26, 18. — Divisiones gratiarum sunt idem autem spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. 1 *Cor.* 12, 4, 5, 6. — Quosdam posuit Deus in Ecclesiâ: primùm apostolos, secundò, prophetas, tertiò doctores, deindè virtutes, exindè gratias curationum, opitulationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. *Ibid.* 28. — Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc: primus Simon, qui dicitur Petrus. *Matth.* 10, 2. — Tibi dabo claves regni cœlorum. *Matth.* 16, 18. —Pasce agnos meos, pasce oves meas. *Joan.* 21, 18. — Pascite, qui in vobis est gregem providentes, non coactè sed spontaneè, secundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè. 1 *Pet.* 5, 2. — Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. *Ibid.* 3. — Et cùm apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. *Ibid.* 4. — Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus. *Ibid.* 13.

CAPUT XI.

Potestas legislativa.

Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem animabus vestris reddituri. *Hebr.* 13, 7. — Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. *Joan.* 20, 21. — Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. *Act.* 15, 29. — Perambulabat autem Syriam et Ciliciam præcipiens custodire præcepta apostolorum et seniorum. *Ibid.* 41. — Hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem quam dedit mihi Dominus in ædificationem, et non in destructionem. 2 *Cor.* 13, 10. — Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis? 1 *Cor.* 4, 21. — Ego quidem absens corpore,

præsens verò spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, etc., tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. *Ibid.* 5, 3.

CAPUT XII.

Missi à Deo Ecclesiæ ministri.

Dabo vobis pastores juxtà cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ. *Jer.* 3, 15. — Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. *Matth.* 9, *ultimo.* — Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. *Joan.* 7, 16. — Omnia autem ex Deo qui reconciliavit sibi nos per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis. 2 *Cor.* 5, 10. — Pro Christo legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos. *Ibid.* 20. — Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. 1 *Cor.* 4, 1. — Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. 1 *Cor.* 4, 2. — Væ mihi est, si non evangelizavero. 1 *Cor.* 9, 16. — Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros. *Tit.* 1, 15. *Singula hæc, uti et sequentia, explicantur* Apologiæ *cap.* 3 *toto.*

CAPUT XIII.

Falsa missio sectariorum.

Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. *Matth.* 7, 15. — Quomodò prædicabunt, nisi mittantur? *Rom.* 10, 15. — Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron. *Hebr* 5, 4. — Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est et latro. *Joan.* 10, 1. — A fructibus eorum cognoscetis eos. *Matth.* 7, 16. — Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? *Ibidem.* — Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. *Joan.* 7, 18. — Qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est. *Ibidem.* — Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est; est Pater meus qui glorificavit me. *Joan.* 8, 54. — Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum. *Joan.* 5, 13. — Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. *Joan.* 5, 43. — Non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. *Jer.* 23, 21.

CAPUT XIV.

Ecclesia in purgatorio.

Amen dico tibi: Non exibis indè, donec reddas novissimum quadrantem. *Matth.* 5, 25. — Non intrabit in eam (civitatem Dei) aliquid coinquinatum. *Apoc.* 21, 27. — Ex inferno nulla est redemptio. *Matth.* 25, 41. (Ubi quidem in terminis non habetur; evidenter tamen ex igne et supplicio maledictorum æterno, quorum expressa illic mentio fit, deducitur, ut ex Isaiâ, 66, 24, atque aliis sacræ Paginæ locis.) — Qui autem dixerit contrà Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro seculo. *Matth.* 12, 32. — Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit; si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1 *Cor.* 3, 15. — In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. *Phil.* 2, 10. — Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgant? ut quid et baptizantur pro illis? 1 *Cor.* 15, 29. — Duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerre pro peccatis mortuorum sacrificia. 2 *Mach.* 12, 43. — Benè et religiosè de resurrectione cogitans; nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis. *Ibid.* 44. — Et quia considerabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. *Ibid.* 45. — Sancta igitur et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. *Ibid.* 46. *Vide infrà, part.* IV, *cap.* 25, 26.

CAPUT XV.

Ecclesia triumphans in cœlo.

Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam in cœlis. 2 *Cor.* 5, 1. — Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem *Ephes.* 4, 8. — Qui descendit, inquit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos. *Ephes.* 4, 10. — Dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino. 2 *Cor.* 5, 6. — Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum. *Ibid.* 9. — Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multò magis meliùs; permanere autem in carne, necessarium propter vos. *Phil.* 1, 23. — Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. *Ibid.* — Hi qui amicti sunt stolis albis,

venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni; ideò sunt antè thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte. *Apoc.* 7, 14, 15. — Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Deus autem Deus viventium est, non mortuorum. *Matth.* 22, 32. — Hodiè mecum eris in paradiso. *Luc.* 13, 43.

CAPUT XVI.

Honor et invocatio sanctorum.

Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. *Gen.* 38, 16. — Domine, invadit me. *Job.* 6, 4. — Convertêre ad aliquem sanctorum. *Job.* 5, 1. — Erunt sicut angeli Dei. *Matth.* 22, 30. — Gaudium erit in cœlo coràm angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Luc.* 15, 10. — Ne cesses clamare pro nobis ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. 1 *Reg.* 7, 8. — Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris apud Deum pro me. *Rom.* 15, 30. — Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione, orantes simul et pro nobis. *Coloss.* 4, 3. — Charitas nunquàm excidit. 1 *Cor.* 13, 8. — Dabo autem operam et frequenter habere vos, post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. 2 *Pet.* 1, 15 — Nonnè omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis. *Hebr.* 1, 14.—Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. *Matth.* 18, 10. — Eccè ego mittam angelum meum qui præcedat te et custodiat in viâ, et introducat in locum quem paravi. *Exod.* 23, 20. — Duo Angeli Machabæum medium habentes armis suis circumceptum incolumem conservant, in adversarios autem fulmina et tela jaciunt, ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadunt. 2 *Mach.* 10, 29. — Sum princeps exercitûs Domini et nunc venio. *Josue* 5, 14. — Eccè Michaël, unus de principibus primis, venit in adjutorium meum. *Dan.* 10, 13. — Si steterit Moyses et Samuel coràm me, non est anima mea ad populum istum. *Jer.* 13, 1. — Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multùm orat pro populo et universâ sanctâ civitate Jerusalem. 2 *Mach.* 15, 14. — Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12, 26. — Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Ps.* 138, 16. — Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat. *Ps.* 14, 4.

CAPUT XVII.

Imaginum sacrarum ac reliquiarum usus.

Duos quoque cherubim aureos et productiles facies ex utrâque parte oraculi. *Exod.* 25, 18. — Fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum. 3 *Reg.* 6, 23. — Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Gal.* 6, 44.—Non appropinques hùc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sancta terra est. *Exod.* 3, 5. — Josue verò cecidit pronus in terram coràm arcâ Domini usquè ad vesperam, tàm ipse quàm omnes senes Israel. *Josue* 7, 6. — Erit sepulcrum ejus gloriosum. *Isa.* 10, 11. — Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero: et salva facta est mulier ex illâ horâ. *Matth.* 9, 21. — Et pallio Eliæ percussit aquas, et divisæ sunt hùc atque illùc, et transiit Eliseus 4 *Reg.* 2, 14. — Cadaver cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo. 4 *Reg.* 13, 21. — Ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. *Act.* 5, 16. — Ut super languidos deferrentur à corpore ejus (Pauli), sudaria, et semicinctia; et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. *Act.* 19, 12.

CAPUT XVIII.

Jaculatoriæ orationes adversùs persecutores militantis Ecclesiæ.

Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. *Ps.* 73, 2. — Usquequò, Deus, improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem? *Ps* 73, 2. — Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. *Ps.* 78, 1. — Deus virtutum, convertêre, respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam, et perfice eam quam plantavit dextera tua. *Ps.* 79, 15. — Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris, Deus; quoniam eccè inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput. *Ps.* 82, 1, 2. — Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento. *Ps.* 66, 33. — Contere brachium peccatoris et maligni, Domine; à paucis de terrâ divide eos in vitâ eorum. *Ps.* 9, 39. — Deficiant peccatores à terrâ, et iniqui ità ut non sint. *Ps.* 103, 35. — Utinàm abscindantur, qui vos conturbant! *Gal.* 5, 12. *Vide plura, lib. tertio, part.*

VIII, *cap.* 48. Hisce de verbo Dei, et Ecclesiâ catholicâ sacræ Paginæ testimoniis, superiore editione subnexa fuerunt alia de fide orthodoxâ Scripturæ documenta, quæ nunc ad libri tertii initium relata sunt, doctrinæ ordine sic postulante : sequitur ergò.

Pars iij.

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

CAPUT PRIMUM.

Sacramentum fidei sive baptismus.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritûs sancti. *Matth.* 28, 19. — Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. *Joan.* 3, 5. — Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizantur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? *Act.* 10, 46. — Mundans eum lavacro aquæ in verbo vitæ. *Ephes.* 5, 25. — Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, *Marc.* 16, 16. — Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod et vos similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ interrogatio in Deum. 1 *Pet.* 3, 22. — Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum. *Act.* 2, 39. — Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè. *Tit.* 3, 5.

CAPUT II.

Confirmatio.

Cùm audiissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondùm enim in quemquam illorum venerat; sed baptizanti tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. *Act.* 8, 14, 15, 16, 17. — Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos. *Ibid.* 19, 6. — Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. *Joan.* 14, 16. — Effundam super omnem carnem de Spiritu meo. *Act.* 2, 15. — Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. *Joan.* 7, 39.

CAPUT III.

Sancta eucharistia.

Cænantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum. *Matth.* 26, 26. (*Eadem habentur Marci* 14, 32.) — Similiter et calicem postquàm cænavit, dicens : Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. 1 *Cor.* 2, 25. — Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. *Joan.* 6, 56. — Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se. *Ps.* 110, 4. — Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. 1 *Cor.* 2, 25. — Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. 1 *Cor.* 10, 17. — Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio sanguinis Christi est? 1 *Cor.* 10, 16.

CAPUT IV.

Veritas eucharistica descripta figuratè.

Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquàm potest accedentes salvos facere. *Hebr.* 10, 1. — Omnia in figurâ contingebant illis. 1 *Cor.* 11. — Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt. 1 *Cor.* 10, 3. — Angelorum escâ nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem. *Sap.* 16, 20. — Produxit Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi. *Gen.* 2, 9. — Erit agnus absque maculâ, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel, et edent carnes et azymos panes. — *Exod.* 12, 5, 6, 8. — Pascha nostrum

immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. 1 *Cor.* 5, 7, 8. — Hic est panis qui de cœlo descendit, non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt : qui manducat hunc panem vivet in æternum. *Joan.* 6, 58. — Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. *Ibid.* 32.

CAPUT V.

Asserta propheticè.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam. *Prov.* 9, 1. — Venite, et comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. *Ibid.* 5. — Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me. *Ps.* 22, 6. — Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. *Ps.* 115, 4. — Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Ps.* 22, 4. — Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. *Isa.* 25, 6. — Impinguâsti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quàm præclarus est! *Ps.* 22, 7. — Quid enim est bonum ejus, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines? *Zach.* 9, 17.

CAPUT VI.

A Christo promissa.

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. *Joan.* 6, 54. — Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Ibid.* 35. — Ego sum panis vitæ : qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquàm. *Joan.* — 6, 35. Qui bibit ex hâc aquâ sitiet iterùm; qui autem bibit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. *Joan.* 4, 13. — Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. *Joan.* 6, 52. — Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. *Ibidem,* 55. — Non sicut manducaverunt patres vestri manna. *Ibid.* 58. —Nunc dixi vobis, priusquàm fiat, ut cùm factum fuerit credatis. *Joan.* 14, 29. — *Hæc, et omnia quæ sequuntur, explicata sunt* Dissertatione sex libris distinctâ de augustissimo corporis et sanguinis Dominici sacramento.

CAPUT VII.

A Christo instituta.

Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. *Luc.* 22, 19. — Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. 1 *Cor.* 2, 24. (In græco est τὸ κλῶμενον, id est, quod frangitur.) — Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur. *Luc.* 22, 20. (Græcus textus sic habet : τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχεόμενον, id est, hoc poculum novum Testamentum est, in meo sanguine, quod pro vobis effunditur.) — *Vide plura, cap.* 3.

CAPUT VIII.

Usu ipso ab Apostolo demonstrata.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini. 1 *Cor.* 11, 27. — Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et calice bibat. *Ibid.* 28. — Qui enim manducat, et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. *Ibid.* 29. — Ideò inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. 1 *Cor.* 2, 30. — Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur à Domino. *Ibidem.*

CAPUT IX.

Christus sub quâlibet specie totus.

Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. *Rom.* 6, 9. — Quod enim mortuum est, peccato mortuum semel; quod autem vivit, vivit Deo. *Ibid.* 10. — Omnis spiritus, qui solvit Christum, ex Deo non est, et hic est Antichristus. 1 *Joan.* 4, 3. — Divisus est Christus? 1 *Cor.* 1, 13. — Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. *Joan.* 6, 57. — Qui manducat me, et ipse vivet propter me. *Ibidem.* — Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. *Ibid.* 51.

CAPUT X.

Fructus idem.

Collegerunt alii plus, alii minùs, et mensi sunt ad mensuram Gomor; nec qui plus collegerat habuit ampliùs, nec qui minùs paraverat reperit minùs, sed singuli juxtà id quod edere poterant congregaverunt. *Exod.* 16, 17. — Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. *Joan.* 6. 51. — Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt : qui manducat panem hunc vivet in æternum.

Ibid. 59. — Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Matth.* 5, 6. — Ego sum panis vitæ : qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquàm. *Joan.* 6, 27.

CAPUT XI.

Sufficit alterutra species.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. *Joan.* 6, 52. — Qui manducat hunc panem vivet in æternum. *Ibid.* 51. — Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. 1 *Cor.* 2, 25. — Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini. *Ibid.* 27.

CAPUT XII.

Exemplo Christi et apostolorum.

Et factum est, cùm recumberet cum eis, accepit panem et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis, et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum. *Luc.* 24, 30. — Erant autem perseverantes in doctrinâ apostolorum et communicatione fractionis panis. *Act.* 2, 42. — Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus. 1 *Cor.* 10, 18. — Unà autem sabbati, cùm convenissemus ad frangendum panem. *Act.* 20, 7.

CAPUT XIII.

Et usu atque auctoritate Ecclesiæ.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. 1 *Cor.* 4, 1. — Cætera cùm venero, disponam. 1 *Cor.* 2, 4. — Cùm venerit Paracletus, quem mittet Pater nomine meo, docebit vos omnem veritatem. *Joan.* 16, 13. — Ecclesia Dei vivi columna est et firmamentum veritatis. 1 *Tim.* 3, 5.

CAPUT XIV.

Sacrificium Christi cruentum.

Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. *Ephes.* 5, 2. — Appellatus à Deo pontifex juxtà ordinem Melchisedech. *Hebr.* 5, 10. — Pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate. *Joan.* 17, 19. — Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam : nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. *Joan.* 10, 17, 18. — Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contemptâ. *Hebr.* 12, 2. — Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ. *Hebr.* 5, 7. — Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis. *Ibid.* 9.

CAPUT XV.

Incruentum Missæ sacrificium descriptum figuratè.

Immolabit agnum universa multitudo filiorum Israel, et edent carnes et azymos panes. *Exod.* 12, 8. — Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. *Ps.* 19, 4. — Et ampliùs adhùc manifestum est, si secundùm similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos. *Hebr.* 7, 15. — At verò Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi), benedixit ei, et ait : Benedictus Abraham Deo excelso, et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. *Gen.* 14, 18.

CAPUT XVI.

Assertum propheticè.

Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usquè ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 1, 11. — In illâ die erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et cognoscent Ægyptii Dominum, et colent eum in hostiis et muneribus. *Isa.* 19, 19. — Vos autem, sacerdotes Domini, vocabimini : ministri Dei nostri, dicetur vobis. *Isa.* 61, 6. — Et assumam ex eis sacerdotes et levitas, dicit Dominus, quia sicut cœli novi et terra nova, quæ ego stare facio coràm me, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. *Isa. ult.* 21, 22. — Polluent sanctuarium fortitudinis, et auferent juge sacrificium, et dabunt abominationem in desolationem. *Dan.* 11, 31. — Robur datum est ei contrà juge sacrificium propter peccata. *Ibid.* 12.

CAPUT XVII.

A Christo promissum et institutum.

Venit hora, quandò neque in monte hoc, neque Hierosolymis, adorabitis Patrem. *Joan.* 4, 21. — Venit hora, et nunc est, quandò veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate. *Ibid.* 23. — Hoc facite in meam commemora-

tionem. *Luc.* 22, 19; *et* 1 *Cor.* 11, 24. — Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. *Luc.* 22, 19. — Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. 1 *Cor.* 11, 24. — Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. *Luc.* 22, 20.

CAPUT XVIII.

Usu ipso firmatum.

Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum. 1 *Cor.* 10, 20. — Videte, Israel, secundùm carnem : nonnè qui edunt hostias, participes sunt altaris? 1 *Cor.* 10, 18. — Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, non Deo; nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. *Ibid.* 19. — Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. *Hebr.* 13, 10. — Ministrantibus illis Domino et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. *Act.* 13, 2.

CAPUT XIX.

Cæremoniæ probatæ.

Omnia ad ædificationem fiant. 1 *Cor.* 14, 26. — Omnia autem honestè et secundùm ordinem fiant in vobis. *Ibid.* 40. — Quæ et didicistis, et accepistis, et audîstis, et vidistis in me, hæc agite. *Phil.* 4, 9. — De cætero, fratres, quæcumque pudica, quæcumque justa, sancta, amabilia, bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. *Ibid.* 8. — Etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus quæ in Christo est fidei vestræ. *Coloss.* 2, 5.

CAPUT XX.

Latria Christo debita.

Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies. *Matth.* 4, 10; *et Deut.* 6, 13. — Cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei. *Hebr.* 1, 6. — Procidentes adoraverunt eum. *Matth.* 2, 11. — Procidens adoravit eum. *Joan.* 9, 38. — Et eccè Jesus occurrit illis dicens : Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. *Matth.* 28, 9. — Videntes eum adoraverunt; quidam autem dubitaverunt. *Ibid.* 17. — Convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. *Ps.* 21, 29. — Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. *Ps.* 98, 5.

CAPUT XXI.

Theophoria et aliæ processiones licitæ.

Vocavit Josue sacerdotes, et dixit ad eos : Tollite arcam fœderis, et septem alii sacerdotes, septem Jubilæorum buccinas, et incedant antè arcam Domini. Ad populum quoque ait : Ite, et circuite civitatem armati, præcedentes arcam Domini. *Josue* 6, 6. — Congregavit David omnes electos ex Israel triginta millia, ut adducerent arcam Dei; cùmque tulissent eam de domo Abinadab, Ahio præcedebat arcam. David autem et omnis Israel ludebant coràm Domino in omnibus liguis fabrefactis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis. 2 *Reg.* 6, 1. — Venerunt cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam sacerdotes, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa sanctuarii, et ferebant eam sacerdotes et levitæ. 3 *Reg.* 8, 4. — Rex Salomon, et omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo antè arcam, et immolabant oves et boves absque æstimatione et numero. *Ibid.* 5. — Intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum subter alas cherubim; siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam. 3 *Reg.* 8, 6, 7. — Habitavit arca Domini in domo Obededom, et benedixit Dominus Obededom et omnem domum ejus. 2 *Reg.* 6, 11. — Nuntiatum est regi David quòd benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus, propter arcam Dei, dixitque David : Ibo et reducam arcam cum benedictione in domum meam. *Ibid.* 12. — Christus Jesus pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. *Act.* 10, 38. — Dicite filiæ Sion : Eccè rex tuus venit tibi mansuetus. *Matth.* 21, 5. — Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in viâ; alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in viâ. *Ibid.* 8. — Turbæ autem, quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini! *Ibid.* 9. — Ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum; secuti sunt autem illum et discipuli. *Luc.* 22, 39.

CAPUT XXII.

Pœnitentiæ sacramentum.

Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum

et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. *Matth.* 16, 19.— Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* 20, 22. — Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. *Joan.* 20, 21. — Dedit nobis Deus mysterium reconciliationis. 2 *Cor.* 5, 18. — *Vide plura, cap.* 23, 24, 65.

CAPUT XXIII.

Contritio et Dei dilectio.

Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estisad pœnitentiam. 2 *Cor.* 7, 9. — Contristati estis secundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis; quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; seculi autem tristitia mortem operatur. *Ibid.* — Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiem tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. *Rom.* 2, 3. — Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. *Ps.* 50, 19. — Deus, propitius esto mihi peccatori. *Luc.* 18, 13.— Dico vobis : Descendit hic justificatus in domum suam; quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. *Ibid.* 14. — Qui diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. *Joan.* 14, 21. — Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Ibid.* 23. — Ego diligentes me diligo. *Prov.* 8.

CAPUT XXIV.

Confessio.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus ut remittat peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1 *Joan.* 1, 9. — Confitemini ergò alterutrum peccata vestra. *Jac.* 5, 16. — Ite, ostendite vos sacerdotibus. *Luc.* 17, 13. — Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? nonnè de iis, qui intùs sunt, vos judicatis? 1 *Cor.* 5, 12. — Multi credentium veniebant confitentes actus suos. *Act.* 19, 48. — *Vide plura, cap.* 22.

CAPUT XXV.

Satisfactio post remissam culpam.

Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ suæ. *Gen.* 3, 17. — In sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram de quâ sumptus es. *Ibid.* 19. — Quia prævaricati estis contrà me, et non sanctificàstis me inter filios Israel, etc., videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel. *Deut.* 32, 51. — Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris ; verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, per verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur. 2 *Reg.* 12, 14.— Non intrabitis in terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem. *Num.* 14, 30. — Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit. 1 *Cor.* 5, 3.— Peccata eleemosynis redime, et iniquitatem tuam misericordiis pauperum. *Dan.* 4, 24. — Misericordiâ et veritate redimitur iniquitas. *Prov.* 16, 6. — Facite fructus dignos pœnitentiæ. *Luc.* 3, 8; *et Matth.* 3, 8. — Eccè enim hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. 2 *Cor.* 7, 11. — Ninivitæ prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis à majore ad minorem, et vidit Deus opera eorum; quia conversi sunt de viâ suâ malâ, et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret, et non fecit. *Jonæ* 3, 5, 10.

CAPUT XXVI.

Satisfactio unius pro alio atque indulgentia.

Gaudeo in passionibus, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. *Coloss.* 1, 24. — Si tamen compatimur, ut et conglorificemur. *Rom.* 8, 17. — Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, ut ex multorum personis, ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis. 2 *Cor* 1, 1. — Cui autem aliquid donâstis, et ego : nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in personâ Christi. 2 *Cor.* 2, 10. — Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Matth.* 18, 18.

CAPUT XXVII.

Unctio sacra.

Exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant. *Marc.* 6, 13. — Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ; et ora-

tio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei. *Jac.* 5, 14.

CAPUT XXVIII.

Sacer ordo.

Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. 1 *Tim.* 4, 14. — Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum. 2 *Tim.* 1, 6. — Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et oràssent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino. *Act.* 14, 22. — Hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22, 19. — Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. 1 *Tim.* 5, 22.

CAPUT XXIX.

Continentia ministrorum Ecclesiæ.

Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus. *Lev.* 21, 6. — Incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideò sancti erunt. *Ibid.* — Mundamini, qui fertis vasa Domini. *Isa.* 52, 11. — Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum sanctificentur. *Exod.* 19, 22. — Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum; si mundi sint pueri, maximè à mulieribus. 1 *Reg.* 21, 4. — Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. 2 *Tim.* 2, 3. — Ut ei placeat cui se probavit. *Ibid.* — Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, et divisus est. 1 *Cor.* 7, 32. — Ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento, Dominum obsecrandum *Ibid.* 35. — Oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : hospitalem, benignum, sobrium, sanctum, continentem. *Tit.* 1, 7. — Volo omnes vos esse sicut me ipsum. 1 *Cor.* 7, 7.

CAPUT XXX.

Matrimonium.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesiâ. *Ephes.* 5, 32. — Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam suam. *Ibid.* 25. — Salvabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate. 1 *Tim.* 2, 15. — Unusquisque proprium donum habet ex Deo unus quidem sic, alius verò sic. *Cor.* 7, 7.

CAPUT XXXI.

Firmum et insolubile.

Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. *Marc.* 10, 11. Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur. *Luc.* 16, 18. — Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. *Rom.* 7, 2. — Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. *Ibid.* 3. — Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat. 1 *Cor.* 7, 10. — Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet. *Matth.* 19, 6; *et Marc.* 10, 9. — Quòd si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi. 1 *Cor.* 7, 15.

Pars IV.

DE PECCATORUM DISTINCTIONE ET CAUSA.

CAPUT PRIMUM.

Peccatum mortale.

Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1 *Cor.* 6, 9. — Timidis autem et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idolatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagni ardente igne, et sulphure, quod est mors secunda. *Apoc.* 21, 8. — Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. *Rom.* 8, 13. — Peccatum cùm consummatum fuerit, generat, mortem. *Jac.* 1, 15. — Omnis fornicator, aut avarus, aut immundus, non habet hære-

ditatem in regno Christi et Dei. *Ephes.* 5, 5. —Anima quæ peccaverit ipsa morietur. *Ezech.* 18, 4.

CAPUT II.

Peccatum veniale.

In multis offendimus omnes. *Jac.* 3, 2. — Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. 1 *Joan.* 1, 8. — Septies enim cadet justus et resurget. *Prov.* 24, 16. — Justus pro delictis suis deprecabitur. *Eccl.* 39, 7. — Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit consilio; qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennæ ignis. *Matth.* 5, 22. —Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam..., salvus erit: sic quasi per ignem. 1 *Cor.* 3, 12. — Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras? *Luc.* 6, 41. — Qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccl.* 19, 1.

CAPUT III.

Deus non est auctor peccati.

Mane adstabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Ps.* 5, 5. — Odisti omnes qui operantur iniquitatem. *Ibid.* 7. — Odio est Deo impius et impietas ejus. *Sap.* 14, 9. — Mundi sunt oculi tui ne videant malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. *Abac.* 1, 13. — Ædificaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. *Jer.* 19, 5. — Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1 *Thess.* 4, 3. — Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. *Jac.* 1, 13. — Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. *Sap.* 2, 24; *et Rom.* 5, 12. — Ipse est rex super omnes filios superbiæ. *Job.* 41, 25. — Illi verò captivi ad ipsius detinentur voluntatem. 2 *Tim.* 2, 26. — Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. *Ps.* 144, 13.

CAPUT IV.

Peccatum ex ignorantiâ, passione et malitiâ.

Si cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. 1 *Cor.* 2, 8. — Æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. *Rom.* 10, 3. — Venit hora ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Joan.* 16, 2. — Blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 1 *Tim.* 1, 13. — Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus. *Jac.* 1, 14. — Qui quasi de industriâ recesserunt à Deo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt. *Job.* 34, 27.

CAPUT V.

Peccatum originale.

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ità in omnes homines mors pertransiit; in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5, 12. — Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. *Rom.* 5, 19. — Eramus et nos filii iræ sicut cæteri; Deus autem qui dives est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, cùm essemus mortui peccato, justificavit nos in Christo. *Ephes.* 2, 3. — Eccè enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. *Ps.* 50, 6. — Omnes peccaverunt, et egent gratiâ Dei. *Rom.* 3, 22.

CAPUT VI.

Peccatum habituale.

Usquè in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet. *Josue* 22, 17. — Multi publicani et peccatores discumbebant cum Jesu. *Matth.* 9, 10. — Non veni vocare justos, sed peccatores. *Ibid.* 13. — Mulier quæ erat in civitate peccatrix. *Luc.* 7, 37. — Beatus dives qui inventus est sine maculâ. *Eccl.* 31, 8. — Maculata es in iniquitate tuâ coràm me, dicit Dominus. *Jer.* 2, 22. — Qui sordidus est, sordescat adhùc. *Apoc.* 22, 11. — Quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. *Matth.* 15, 11. — *Vide lib. secundo, part.* V, *cap.* 2 *et seq.*

Pars v.

DE CHRISTIANA JUSTIFICATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Vera peccati remissio et sublatio.

Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. *Ezech.* 36, 25. — Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. *Ps.* 5, 8. — Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1 *Cor.* 6, 11. — Quantùm distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. *Ps.* 102, 12. — Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. *Micheæ* 7, 19. — Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi. *Joan.* 1, 29. — Convertimini, ut deleantur peccata vestra. *Act.* 3, 19. — Ablue peccata tua. *Act.* 22, 16. — Et peccatorum purgationem faciens. *Hebr.* 1, 3. — Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. *Hebr.* 9, 25. — In hoc enim apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. 1 *Joan.* 3, 9. — *Hæc et sequentia explicantur dissertatione quadripartità de* Justificatione.

CAPUT II.

Vera justificatio.

Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. *Rom.* 3, 24. — Non sicut delictum ità et donum, sed ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia *Rom.* 5, 15, 20. — Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. *Rom.* 4, 25. — Cùm mortui essetis in delictis, convivificavit vos cum illo, donans vobis omnia delicta. *Coloss.* 2, 13. — Quasi modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite. 1 *Pet.* 2, 2.

CAPUT III.

Et interna sanctificatio.

Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Rom.* 5, 6. — Utquid enim Christus, cùm adhùc infirmi essemus secundùm tempus, pro impiis mortuus est? *Ibid.* 6. — In die quâ alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit. *Isa.* 30, 26. — Confirmat nos, qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris. 2 *Cor.* 1, 21, 22. — Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. *Tit.* 3, 6. — Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ipsius manet in eo. 1 *Joan.* 3, 9. — Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra. *Gal.* 4, 6. — Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitiâ, et sanctitate veritatis. *Ephes.* 4, 23. — Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. *Rom.* 5, 17. — Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Rom.* 8, 29. — Sicut portavimus imaginem hominis terreni, portemus et imaginem Christi. 1 *Cor.* 15, 49. — *Vide plura, lib. secundo, part.* IV, *cap.* 17 *et seq.*

CAPUT IV.

Per fidem, spem et charitatem.

Habemus accessum per fidem in gratiam istam, in quâ stamus. *Rom.* 5, 2. — Qui sperat in Domino sanabitur. *Prov.* 28, 25. — Spe salvi facti sumus. *Rom.* 8, 24. — Qui habet hanc spem, sanctificat se. 1 *Joan.* 3, 3. — Si habuero omnem fidem, ità ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. 1 *Cor.* 11, 2. — Nunc autem manent tria hæc: fides, spes, charitas; major autem horum charitas. *Ibid.* 13. — Gratias agimus Deo, audientes fidem vestram in Christo Jesus, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes propter spem quæ reposita est vobis in cœlis. *Coloss.* 1, 4.

— Charitas operit multitudinem peccatorum. 1 *Pet.* 4, 8. — Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multùm, *Luc.* 7, 47. — Qui non diligit, manet in morte. 1 *Joan.* 3, 14. — *Vide lib. tertio, part.* 1, 2, 3.

CAPUT V.

Pœnitentiam atque alia opera.

Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. *Matth.* 3, 2. — Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, ait Dominus. *Zach.* 1, 3. — Convertimini de viis vestris malis et de cogitationibus vestris pessimis. *Ibid.* 4. — Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrùm in remissionem peccatorum. *Act.* 2, 38. — Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. *Luc.* 13, 3. — Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est non poterit justificari. *Eccl.* 1, 27. — Cum metu et tremore salutem vestram operamini. *Phil.* 2, 12. — Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. 2 *Cor.* 7, 10. — Videtis quòd ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm. *Jac.* 11, 24. — Si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum? *Ibid.* 14. — Sic et fides, si non habet opera, mortua est in semetipsâ. *Ibid.* 17. — Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ità et fides sine operibus mortua est. *Ibid.* 26. — Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7, 21.

CAPUT VI.

Timor salutaris.

Sunt justi et sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo utrùm amore aut odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. *Eccl.* 9, 1. — Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui enim judicat me, Dominus est. 1 *Cor.* 4, 4. — Itaque nolite antè tempus judicare quoadusquè veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique à Domino. 1 *Cor.* 4, 5. — Mihi pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico. *Ibid.* 3. — Fracti sunt rami propter incredulitatem; tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. *Rom.* 11, 20, 21. — Qui existimat se stare, videat ne cadat. 1 *Cor.* 10, 21. — Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. *Ibid.* 9, 27. — Contendite intrare per angustam portam. *Luc.* 13, 24. — Lata via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. *Matth.* 7, 13. — Verebar omnia opera mea, sciens quoniam non parceres delinquenti. *Job.* 9, 28.

CAPUT VII.

Fiducia certa justorum.

Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei. *Rom.* 8, 16. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. *Rom.* 8, 35 *et seq.* — Certus enim sum quia neque mors, neque vita, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. *Ibid.* 38. — Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. 2 *Cor.* 1, 12. — Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, qua induit me vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. *Isa.* 61, 10. — Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! *Ps.* 30, 20. — Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. *Ps.* 118, 165.

CAPUT VIII.

Inanis impiorum præsumptio.

Spes impii tanquàm lanugo est, quæ à vento tollitur; et tanquàm spuma gracilis, quæ à procellâ dispergitur; et tanquàm fumus, qui à vento diffusus est, et tanquàm memoria hospitis unius diei prætereuntis. *Sap.* 5, 15. — Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei antè oculos eorum. *Ps.* 13, 3. — Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi, qui ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. *Job.* 21, 12. — Quis scit si convertatur et ignoscat Deus? *Jonæ* 3, 9. — Pœnitentiam age, et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Act.* 8, 22. — *Vide lib. tertio, part.* 2, *cap.* 1 *et seq.*

Pars vj.

DE CHRISTIANORUM OPERUM PERFECTIONE, MERITO, PRÆCEPTO.

CAPUT PRIMUM.

Operum bonorum integritas.

Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam, et secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi. *Ps.* 17, 21. — Quia custodivi manus Domini, n c impiè gessi à Deo meo. *Ibid.* 24. — Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate meâ. *Ibid.* 26. — Custodiam legem tuam semper, et in seculum seculi. *Ps.* 118, 44. — Ab omni viâ malâ prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua. *Ibid.* 101. — *Hæc, et omnia quæ sequuntur, declarata sunt dissertatione bipartitâ de* Justificatione.

CAPUT II.

Et perfectio.

Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera bona vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Matth.* 5, 16. — Estote ergò perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est. *Ibid. ult.* — Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. *Joan.* 6, 27. — Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quo detrectant de vobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. 1 *Pet.* 2, 12. — Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. *Act.* 10, 34.

CAPUT III.

Non naturalis tantùm sed et supernaturalis.

In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper. *Act.* 24, 16. — Sine offensione estote Judæis et gentibus et Ecclesiæ Dei, sicut ego per omnia omnibus placeo. 1 *Cor.* 10, 32. — Nulli dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2 *Cor.* 6, 3. — Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. *Ephes.* 2, 10. — Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum benè agere, divites fieri in bonis operibus, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam. 1 *Tim.* 6, 18, 19.

CAPUT IV.

Absque peccati omnis permixtione.

Quæ participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? 2 *Cor.* 6, 14. — Omnis qui in Deo manet non peccat, et omnis qui peccat, non vidit eum. 1 *Joan.* 3, 6. — In omnibus his non peccavit Job labiis suis. *Job.* 1, 22. — Vir simplex et rectus et recedens à malo, et adhùc retinens innocentiam. *Job.* 2, 3. — Hæc passus sum absque iniquitate manùs meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces. *Job.* 16, 18. — Si nupserit virgo, non peccavit. 1 *Cor.* 7, 28.

CAPUT V.

Meritum bonorum operum gloria cœlestis.

Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non sit inanis in Domino. 1 *Cor.* 15, 58. — Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrâstis sanctis. *Hebr.* 6, 10. — Nolite itaque amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem. *Hebr.* 10, 35. — Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex. 2 *Tim.* 4, 8. — Nescitis quòd ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite ut comprehendatis. 1 *Cor.* 9, 24. — Filius hominis venturus est in gloriâ Patris sui, et reddet unicuique secundùm opera sua. *Matth.* 16, 27. — Thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei qui reddet unicuique secundùm opera ejus. *Rom.* 2, 5. — Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. *Apoc.* 3, 5. — Si volens hoc ago, mercedem habeo; sin autem invitus, dispensatio mihi credita est. 1 *Cor.* 9, 17. — Manete in

me, et ego in vobis : sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. *Joan.* 15, 4. — Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 2 *Cor.* 6, 2.

CAPUT VI.

Gratiæ et prosperitatis augmentum.

Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. *Prov.* 4, 18. — Qui nocet, noceat adhùc; et qui in sordibus est, sordescat adhùc; et qui justus est, justificetur adhùc; et sanctus, sanctificetur adhùc. *Apoc.* 22, 11. —Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Rom.* 6, 19. — Non impediaris orare semper, et ne verearis ad mortem usque justificari. *Eccl.* 18, 22. — Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. *Ps.* 33, 9. — Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. 1 *Tim.* 4, 8. — Omnis qui reliquerit domum, aut agrum, etc., centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Matth.* 19, 28. — *Vide lib. secundo, part.* II, *cap.* 2 *et seq.*

CAPUT VII.

Qui Deum diligit, Deo obedit.

Si diligitis me, mandata mea servate. *Joan.* 14, 15.—Qui habet mandata mea et servat ea, hic est qui diligit me. *Joan.* 14, 21. — Si quis diligit me, sermonem meum servabit. *Ibid.* 23. — Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. *Joan.* 15, 10. — Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *Ibid.* 15. — Ego sum vitis, vos palmites; omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plùs afferat. *Ibid.* 2, 3.

CAPUT VIII.

Et mandata ejus custodit.

Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. 1 *Joan.* 5, 3. — Dilectio custodia legum illius est. *Sap.* 6, 19. — Deum time et mandata ejus serva : hoc est enim omnis homo. *Eccl.* 12, 13. — Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7, 21. — Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me. *Joan.* 4, 34. — Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. *Matth.* 5, 20. — Christus consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. *Hebr.* 5, 9. — In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. 1 *Joan.* 2, 3. — Qui dicit se nòsse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est. *Ibid.* 4. — Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. *Ibid.* 6. — Plenitudo legis est dilectio. *Rom.* 13, 10.

CAPUT IX.

Deus seriò vult servari sua mandata.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Matth.* 19, 17. — Tu mandàsti mandata tua custodiri nimis. *Ps.* 118, 4. — Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui : ideò nequaquàm regnum tuum ultrà consurget. 1 *Reg.* 13, 13. — Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus illis qui diligunt eum. 1 *Cor.* 2, 9. — Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Matth.* 11, 28. — Filius honorat patrem suum, servus dominum suum; si ergò Pater ego sum, ubi est honor meus, et si ego Dominus, ubi timor meus? *Malach.* 1, 6. — Fili, serva mandata mea, et vives. *Prov.* 7, 2. — Hoc fac, et vives. *Luc.* 10, 28. — Deus reddet unicuique secundùm opera ejus : iis quidem, qui, secundùm patientiam, boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, ira et indignatio. *Rom.* 2, 6. — Auferam à vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum, et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis. *Ezech.* 36, 27. — In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. *Ps.* 39, 8. — Non vos me eligistis, sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. *Joan.* 15, 16.

CAPUT X.

Libertas filiorum Dei non pugnat cum subjectione filiali.

Vos in libertatem vocati estis; tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis. *Gal.* 5, 16. — Quasi liberi, non quasi velamen malitiæ habentes libertatem, sed sicut servi Dei. 1 *Pet.* 2, 16. — Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. 2 *Cor.* 3, 17. — Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ; nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *Rom.* 6, 20, 21. — Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit. *Joan.* 6, 38. — Nonnè Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum : nam et ipse Deus meus salutaris meus, susceptor meus; non movebor ampliùs. *Ps.* 61, 1, 2. — Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. *Ps.* 118, 103. — In viâ testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. *Ibid.* 14.

CAPUT XI.

Mandata Dei possibilia.

Custodi legem atque consilium; erit vita animæ tuæ et gratia faucibus tuis. *Prov.* 3, 22. — Non est similis inventus illi in gloriâ, qui conservavit legem Excelsi, et in tentatione inventus est fidelis : ideò jujerando dedit illi gloriam in gente suâ. *Eccl.* 44, 21, 22. — Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. 3 *Reg.* 14, 8. — Erant ambo justi antè Deum incedentes in omnibus mandatis et justificationibus sine querelâ. *Luc.* 1, 6. — Omnia hæc custodivi à juventute meâ. *Matth.* 19, 20. — Memento, quæso, quomodò ambulaverim coràm te in veritate et in corde perfecto. *Isa.* 38, 3. — Jugum meum suave est, et onus meum leve. *Matth.* 11, 30. — Hæc est charitas Dei ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt. 1 *Joan.* 5, 3. — Omnia possum in eo qui me confortat. *Phil.* 4, 13. — *Vide lib. secundo, part.* II, *cap* 9 *et seq.*

CAPUT XII.

Libertas necessaria ad rationem peccati.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* 6, 12.—Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus. *Jac.* 1, 14. — Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum. *Ibid.* 15.—Fili, peccâsti, non adjicias iterùm. *Eccl.* 21, 1. — Post concupiscentias tuas non eas. *Eccl.* 18, 30. — Eccè sanus factus es, jam noli peccare. *Joan.* 5, 14. — Evigilate justi, et nolite peccare. 1 *Cor.* 15, 34. — Voluntariè peccantibus nobis. *Hebr.* 10, 26. — *Vide lib. secundo part.*, II, *cap.* 1.

CAPUT XIII.

Præcepti charitas, non amittitur per lapsus leves.

Qui diligit proximum, legem implevit. *Rom.* 13, 8.— Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit manet in morte. 1 *Joan.* 3, 13. — Qui servat verbum ejus verè, in hoc charitas Dei perfecta est. 1 *Joan.* 2, 5. — Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus. *Phil.* 3, 15. — Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei. *Rom.* 8, 39. — Septies cadet justus et resurget. *Prov.* 24, 16. — Impii autem corruent in malum. *Ibid.*— *Vide lib. tertio, part.* III, *cap.* 3.

CAPUT XIV.

Oratio, benedictio iterata et assidua.

Oportet semper orare, et non deficere. *Luc.* 18, 1. — Septies in die laudem dixi tibi. *Ps.* 118, 146.—Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. *Marc.* 14, 38. — Christus iterùm abiens oravit eumdem sermonem tertiò. *Marc.* 14, 36, 39; *Matth.* 25, 40, 44. — Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. 1 *Tim.* 4, 4, 5. —Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis. *Marc.* 11, 14.— *Vide lib. tertio, part.* VI, *cap.* 2 *et seq.*

CAPUT XV.

Jejunium, ciborum delectus.

Panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum. *Dan.* 10, 3. — Vir sive mulier cùm fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, à vino et omni quod inebriare potest abstineant. *Num.* 6, 2. Bona est oratio cum jejunio et eleemosynâ, magis quàm thesauros auri recondere. *Job.* 12, 8. — Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. *Rom.* 2, 1. — Venit Joannes neque manducans neque bibens.

Matth. 9, 18. — Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu et planctu. *Joel.* 2, 12. — Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi, erit domui Juda in gaudium et solemnitates præclaras. *Zach.* 8, 19.—Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim faciem suam, ut videantur hominibus jejunare. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam; tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava. *Matth.* 16, 6.—Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiù cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab iis sponsus, et tunc jejunabunt. *Matth.* 9, 15. — Si esca fratrem meum scandalizat, non manducabo carnes in æternum. 1 *Cor.* 8, 13. — Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultrà imponere vobis oneris quàm ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, etc.—*Pet.* 15, 28.

CAPUT XVI.

Votum, religio, et alia supererogationis opera.

Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio. *Eccl.* 5, 3. — Vovete et reddite Domino Deo vestro. *Ps.* 75, 12. — Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt, 1. *Tim.* 5, 12.—Præceptum Domini non habeo, consilium autem do. 1 *Cor.* 7, 25.—Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. *Matth.* 19, 21. — Eccè nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergò erit nobis? *Matth.* 19, 27. — Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut parentes, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Marc.* 10, 29. — Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum, etc. Qui potest capere, capiat. *Matth.* 19, 11, 12. — Vota mea reddam in conspectu timentium eum. *Ps.* 21, 26. — Vulpes foveas habent, volucres cœli nidos; filius hominis non habet ubi caput suum reclinet. *Matth.* 8, 20. — Volo omnes esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic. 1 *Cor.* 7, 7. — Omnes qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia: possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus prout cuique opus erat. *Act.* 2, 44. — Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Matth.* 16, 24. — Bonum est mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet; nam et si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: quæ est ergò merces mea? ut, Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium. 1 *Cor.* 9, 17, 18. — Religio munda et immaculata est visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc seculo. *Jac.* 1, 27. — *Vide lib. tertio, part.* VI, *cap.* 23 *et* 27.

CAPUT XVII.

Eleemosynæ consilium, præceptum, præmium.

Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. *Prov.* 21, 13. — Quod superest, date eleemosynam, et eccè omnia munda sunt vobis. *Luc.* 11, 41. — Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1 *Cor.* 13, 3, 43. — Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. *Eccl.* 29, 15. — Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc.* 16, 9. — Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5, 7. — Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. *Tob.* 4, 7. — Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, et si sitiverit, potum da illi. *Rom.* 12, 20. — Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò Dei charitas manet in eo? 1 *Joan.* 3, 17. — *Vide lib. tertio, part.* III, *cap.* 33 *et seq.*

CAPUT XVIII.

Christus ut Agnus fidem urget.

Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. *Joan.* 3, 17. — Qui credit in eum non judicatur. *Ibid.* 18. — Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi. *Joan.* 1, 19.—Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. *Matth.* 1, 21.— Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et revelationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Tit.* 3, 5, 6. —Ut justificati gratiâ ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. *Ibid.* 9.

CAPUT XIX.

Ut judex requirit opera.

Ipse est qui constitutus est à Deo judex vivo-

rum et mortuorum. *Act.* 10, 42. —Nolite antè tempus judicare, quoadusquè veniat Dominus; qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et revelabit occulta cordium, et tunc erit laus unicuique à Deo. 1 *Cor.* 4, 4, 5.—Deus nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate. *Act.* 17, 30. — Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. *Joan.* 5, 22.—Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent : qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ ; qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii. *Joan.* 5, 22. — Cùm autem venerit filius hominis in majestate suâ, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ , et congregabuntur ad eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. *Matth.* 25, 31. — Ambula in viis cordis tui, et intuitu oculorum tuorum, et scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium. *Eccl.* 11, 9. —*Vide plura lib. primo, part.* IV, *cap.* 13 *et* 14.

CAPUT XX.

Impiorum multiplex pœna æterna.

Discedite à me, maledicti, in ignem æternum : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere, etc. *Matth.* 25, 41. — Eos qui faciunt iniquitatem, mittent in caminum ignis ; ibi erit fletus et stridor dentium, *Matth.* 13, 42. —Mittentur in stagnum ignis et sulphuris, ubi cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. *Apoc.* 20, 10. — Quantùm glorificavit se et in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum et luctum. *Apoc.* 18, 7. — *Vide plura, lib. tertio, part.* VII, *cap.* 31 *et seq.*

CAPUT XXI.

Justorum diversa gloria sempiterna.

Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab initio mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere, etc. *Matth.* 25, 34. — In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Joan.* 14. 2. — Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum; stella enim à stellâ differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum. 1 *Cor.* 15. 41. — Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. *Matth.* 13 , 43. — Secundùm multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. *Ps.* 93 , 15. — Reddet unicuique secundùm opera ejus. *Rom.* 2, 6. — *Vide suprà, hujus partis cap.* 1, *num.* 1 ; *cap.* IX, *num.* 9; *et lib. secundo, part.* I, *cap.* X *et seq. usquè ad* XXI, *ubi referuntur orationes jaculatoriæ felicem exitum et æternam gloriam desiderantis.*

EPILOGUS.

Singula hæc controversiarum capita universìm iis etiam confirmantur sacræ Paginæ documentis, quibus Ecclesiæ catholicæ infallibilitas, et perpetua ipsi à Christo Jesu promissa assistentia, adstruitur ; adeòque ex solis his probè perceptis et creditis quæstiones omnes, nos inter et acatholicos in materiâ religionis moveri solitæ, nullo negotio dissolvuntur ; cùm enim certissimis sacrarum Litterarum testimoniis constet veram Dei *Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis*, quæ ob promissam Spiritûs sancti assistentiam perpetuam, in negotio fidei et materiâ salutis, nec cadere nec errare possit, factâ semel demonstratione authenticâ quænam sit vera Christi Ecclesia, tollitur consequenter difficultas omnis disquisitionum de fide particularium. Nemo, siquidem sanæ mentis est, qui non facilè intelligat *permanendum esse in viis antiquis* (uti *Jer.* 6, 16, dicitur), et eum Scripturæ sensum, eamque in omnibus dubiis occurrentibus sententiam sequendam esse, quam vera, catholica et apostolica Ecclesia, quæ errare non potest, semper tenuit, et nunc tenet ac sequitur; non verò ambulandas esse semitas novas, quas acatholici electione proprià et privato ducti spiritu ingrediuntur; harum enim absque dubio unaquæque *est via quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem*, ut inquit Sapiens (*Prov.* 16, 25). Faxit igitur Deus ut ad infallibilia hæc divinæ Scripturæ documenta, quibus omnes hujus temporis controversiæ secundùm universalis Ecclesiæ

interpretationem deciduntur, adversarii nostri tandem oculos aperiant, advertantque fieri nullâ ratione posse ut Ecclesia ipsos in errorem inducat; cùm non magis error et mendacium cum veritate possint consistere, quàm cum luce meridianâ densæ noctis tenebræ; Ecclesiam autem veritatis increatæ Spiritus, qui nec fallere nec falli potest, omnem doceat veritatem ex infallibili promissione Christi. E contrario autem graviter peccare eos, qui sese ipsi, mille erroribus obnoxii, Ecclesiæ universalis judices constituunt, dùm Ecclesiam et concilia Ecclesiæ generalia falli non posse, si sequantur Scripturam; si non sequantur, posse falli asserunt (hoc enim asserendo, si non apertè et explicitè, saltem occultè et implicitè, usurpant sibi officium judicis suprà Ecclesiam et concilia). Quis enim ex eorum sententiâ in hâc vitâ judicabit utrùm Ecclesia et concilia in decidendis controversiis sequantur legitimum sacræ Scripturæ sensum, necne, nisi ipsi soli suo judicio? Nam si Ecclesia sequatur illum sanctæ Paginæ sensum, quem sequuntur ipsi, judicabunt eam non falli; si non sequatur, judicabunt falli: adeòque eò res redibit, ut omnes censeantur errare qui ab ipsis dissentiunt; non errare autem qui consentiunt: quæ profectò non solùm arrogantia est indignissima, verùm etiam injuria blasphema in Spiritum sanctum et Christum Dominum redundans. Si enim hic verè promisit, uti testatur Scriptura, quòd Spiritu sancto assistere Ecclesiæ velit, et inducere in omnem veritatem usquè in consummationem seculi, ecquis non videt calumniam impingi ipsi Christo promittenti, et Spiritui sancto non assistenti Ecclesiæ suæ universali, sed iabi permittenti in errores fœdissimos? Profectò nec verè in Spiritum sanctum, nec in Christum redemptorem nostrum credunt, sed proprio suo judicio errorum omnium et hereseon fonti turpiter adhærent, qui hoc asserunt. Quin potiùs, et credant fideliter, et Christo Domino Ecclesiam audiendam esse præcipienti obediant simpliciter, ut, quod tantoperè omnes optant boni, omnium qui christiano censentur nomine, una sit fides mentium et pietas actionum.

ARGUMENTUM MATERIARUM

PRO

MEDITATIONIBUS, EXHORTATIONIBUS, CONCIONIBUS.

Sapienter olìm magnus Aurelius Augustinus dixit: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Declarat autem hoc dicto orationis non necessitatem modò, sed dignitatem etiam atque efficaciam; quia illius beneficio, tanquàm per medium excellentissimum, componitur ordinaturque vita nostra, et pervincuntur difficultates omnes, quæ in virtutum stadio currentibus sese objiciunt. Quamobrem et Apostolus panopliam militis christiani, sive omnimodam armaturam (cap. 6) ad Ephesios traditam, ità concludit: *Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantiâ* (ibidem, 18). Oratio autem mentalis (de quâ hoc loco potissimè sermo) est exercitatio internarum animæ facultatum, intellectûs, memoriæ ac voluntatis, circà Deum et fidei christianæ mysteria, cum internâ ad Deum collocutione. Illius ergò materia est quidquid divinitùs revelatum et toto hoc opere in certa capita digestum est. Congruè autem distinguitur tripliciter, juxtà triplicem eorum, qui in meditationem solent incumbere, conditionem. Ili enim vel peccatores sunt, sed resipiscere cupiunt; vel tirones, qui vitia et prioris vitæ affectus inordinatos rectæ rationi subjicere desiderant; undè et purgativam viam ingrediuntur, sic dictam quòd ejus scopus sit animam à peccatis, vitiis, ac pravis propensionibus purificare, ut est Jacobi (cap. 4, 8). Alii, his superatis difficultatibus, profectui in virtutibus, et cœlestium rerum ampliori obtinendo lumini intendunt; undè et viam illuminativam tenere dicuntur, quòd ejus scopus sit mentem variarum virtutum splendore illuminare, ut est Ps. 33, 6. Alii denique ulteriùs divinâ opitulante gratiâ progressi, ad familiarem pertingunt cum Deo conjunctionem, per viam quæ dicitur unitiva, juxtà doctrinam Apostoli (1 Cor. 6, 17).

Viæ purgativæ congruunt meditationes de vitiis et peccatis, et horum pœnis à Deo constitutis,

de passionibus et affectibus inordinatis, de fine ultimo et aliis eò pertinentibus, de justificatione christianâ et mediis ad ipsam requisitis. Viæ illuminativæ conveniunt meditationes de vitâ et virtutibus Christi, beatissimæ virginis Deiparæ, et aliorum sanctorum; de virtutum moralium ac theologicarum naturâ, proprietatibus, effectis; de sacramentis ad eas disponentibus, et reliquis exercitiis spiritualibus. Ad viam unitivam spectant meditationes de Deo uno et trino, de attributis et perfectionibus divinis, de angelis, de beatitudine formali et objectivâ, aliisque fidei christianæ mysteriis, quorum contemplatione non solùm illuminatur intellectus, sed et in voluntate concitatur veræ pietatis affectus, uti pluribus in hujus operis præfatione est declaratum.

Quamvis autem in deligendâ meditationum materiâ ordinem jam propositum ordinariè servare expediat, non tamen necesse est ità illi se quemlibet astringere, ut non liceat subindè eum mutare. Nam et perfecti, proficientes et tirones, pro suâ necessitate, juvari possunt ex quâlibet meditatione; et ea est varietas ingeniorum, ut quidam à suppliciis minùs percellantur ad detestanda peccata, magis autem ex consideratione divini amoris; et contrà, alii gustum et profectum hauriunt, si infantiæ Christi mysteria considerent; alii, si dominicæ passionis; alii, si alia contemplentur fidei mysteria: adeòque omnes hoc in opere è divinis Litteris invenire possunt suo palato et profectui spirituali consentanea, quàm plurima accuratè secundùm naturæ ac doctrinæ ordinem distincta.

Possunt etiam singulæ sacræ Paginæ sententiæ, imò et singulæ ejusdem sententiæ voces, meditationi materiam subministrare, si in iis considerandis tamdiù inhæreatur, quamdiù gustus aliquis aut utilitas spiritualis percipitur. Aliàs è diversis documentis contexi possunt singulæ partes meditationis: ut si de sanctitate christianâ instituere meditationem placeat, præludii loco considerare licet quomodò Angeli in cœlo et sancti clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus* (Isa. 6, 3). Punctum primum esse potest: Sanctitas est propria nota Ecclesiæ et fidelium Christi militum: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (1 Pet. 2, 9). Punctum secundum: Sanctitas hæc excolenda in cogitationibus: *Quales vos esse oportet in sanctis cogitationibus, et pietatibus expectantes, et properantes in adventum diei Domini* (2 Pet. 3, 11). Punctum tertium: Exercenda etiam in sermone: *Non licet nos ità loqui, quia filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo* (Tob. 2, 5). Punctum quartum: Excolenda deniquè in omni opere: *Secundùm eum, qui vocavit vos, sanctum, et vos in omni conversatione sancti sitis; quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum* (1 Pet. 1, 15). Ità Christus doctrinam de sanctitate et perfectione christianâ (Matth. 5) traditam concludit his verbis: *Estote ergò vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est* (Ibid. 48).

Quia autem meditationes ordinariè clauduntur ardentibus ad Deum colloquiis, post uniuscujusque virtutis insignioris, aut divinæ perfectionis explicatam hoc opere è sacris Litteris naturam, proprietates, præmia, effecta, et alia, quæ singula sub meditationem cadere possunt, subnexæ etiam sunt orationes jaculatoriæ ex iisdem divinis libris petitæ, tanquàm formulæ convenientissimæ, quibus expedit illius aut virtutis aut perfectionis imitationem à Deo postulare. Omni enim dubio procul, sancto Spiritui gratissimæ eæ preces accidunt, iisdem constantes sententiis ac verbis quorum ipse auctor est ac doctor. Neque his minùs afficitur qui orat, neque minore, quàm ex aliis, consolatione ac cœlesti oblectatione completur, quippè *dulcia* sunt piorum *faucibus eloquia* illius, *super mel et favum*, uti Ps. 118, 103, dicitur.

Quòd si cuipiam à publicis negotiis et curis non tantùm temporis supersit, ut rerum divinarum meditationi multùm immorari queat, licebit saltem his orationibus identidem uti; nam vel exiguo tempore harum aspirationum, ut et aliorum eloquiorum Domini ad mentem facta applicatio, si non statim initio, frequenti tamen repetitione vehementer potest animum accendere adeòque universim, uti ignoratio Dei et rerum divinarum neglectus, fons est iniquitatis ac vitiorum omnium, juxtà illud: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usquè ad unum* (Ps. 13, 1, 2). Ità è contrario cognitio Dei, ac rerum cœlestium sæpiùs ad mentem facta applicatio, adducit ad omnem piè sanctèque vivendi perfectionem ac sanctitatem, juxtà illud: *Hæc est vita æterna*, id est via ad vitam æternam, ejusque quasi principium et inchoatio, *ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* (Joan. 17, 3). Hoc sensu sacra Scriptura rectè dicitur in se *habere vitam æternam* (Joan. 5, 39), quia media sublimia continet, quibus ad eam in præsenti vitâ delibandam, in futurâ autem plenè possidendam, pervenitur.

Concionum materia et exhortationum eadem est quæ meditationum ; proprium enim concionatoris munus est fidei christianæ mysteria populo explicare, bona docere, mala dedocere, infirmitates animi aperire, ac medicinam præscribere, ex cœlesti illâ officinâ apothecariâ omnibus pharmacorum generibus ad morbos animi depellendos, et sanitatem restituendam, conservandam, confirmandam instructissimâ. Expedit autem imprimis ut summâ fide et reverentiâ concionator referat divini Codicis verba, tanquàm ipsissimas Dei ad nos litteras, eodemque quoad fieri potest ordine quo ab interprete posita sunt, atque ab universali Ecclesiâ recepta ; ut, seriâ meditatione præviâ, eumdem conetur in se formare spiritum, affectumque concitare, qui sacræ Paginæ verbis ab ipso pro concione referendis continetur : sic enim eumdem in auditorum suorum animos faciliori viâ transfundere poterit ; ut denique vita doctrinæ respondeat, et dicere illi cum Apostolo liceat : *Pro Christo legatione funginur, tanquàm Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo ; reconciliamini Deo* (2 Cor. 5, 20) ; ut ne sit *velut æs sonans et cymbalum tinniens* (1 Cor. 13, 1), nec alterâ manu videatur per concionem ad virtutes impellere, alterâ verò, vitâ videlicet imperfectâ, ab illis retrahere ; illâ pharmacum porrigere, hâc verò venenum propinare.

Uti meditationum et exhortationum, ità etiam concionum rectè triplex materia constituitur, pro triplici viâ purgativâ, illuminativâ, unitivâ, juxtà illud sancti Dionysii : *Hierarchiæ ordo postulat ut alii purgent, alii purgentur ; alii illuminentur, alii illuminent ; alii perficiantur, alii perficiant* (Cœlestis Hierarchiæ, cap. 3). Nam ut ibidem docet, sicut Angelorum tria officia sunt, homines illuminare, purgare, perficere, ità viri apostolici hæc tria faciunt, quasi angeli quidam terrestres, et homines angelici, qui et idcircò singularis in cœlo claritatis laureâ donabuntur, juxtà illud : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (cap. 12, 3, 4).

Ea autem oratori sacro potissimùm tenenda via est, ut erutâ ex Evangelio doctrinâ universali, tùm ad detegendos errores et hæreses, tùm ad alia peccata arguenda gradus fiat, multa simul, pro occasione materiæ, recensendo et breviter perstringendo vitia, doctrinam fidei defendendo, ac virtutum studia promovendo ; sermonem autem pro captu audientium attemperando, ut dicere cum Apostolo liceat : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos ; omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar* (1 Cor. 9, 22, 23). Ità et idem Apostolus monet Timotheum ut prædicet verbum Dei, instet opportunè, importunè arguat, obsecret, increpet, in omni patientiâ et doctrinâ (2 Tim. 4, 3). Materiam eidem subministrat his verbis : *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (2 Tim. 3, 16, 17). Non dicit Apostolus solam Scripturam reddere hominem perfectum ; alioquin enim superflua essent sacramenta, supervacanea oratio, et alia christianarum virtutum exercitia ; sed utilem esse ad perfectionem omnem vel declarandam vel etiam obtinendam, si præter naturam, proprietates, effectus, et alias circumstantias, expendantur ex sacrâ Scripturâ allata hoc opere exempla virtutum et vitiorum, atque ad illarum studium ac horum fugam singulis subnexæ cohortationes, adjunctis etiam à Deo constitutis præmiis ac pœnis.

INDEX

RERUM QUÆ IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

Columnâ.

BONFRERII VITA. 1

JACOBI BONFRERII IN TOTAM SCRIPTURAM SACRAM PRÆLOQUIA. 5

Caput primum. De Dei verbo in genere. *Ibid.*
Cap. II. De Dei verbo in particulari. 6
Cap. III. De Scripturâ sacrâ et Libris Canonicis. 9
Sectio I. Quid dicatur Scriptura sacra? *Ibid.*
Sectio II. Qui Libri Canonici? 10
Sectio III. Cur et undè canonici hi Libri appellati; cur Authentici dicti? *Ibid.*
Sectio IV. Qui Libri in genere Apocryphi habendi? 11
Sectio V. An idem sit Canonicum et Authenticum? *Ibid.*
Sectio VI. De Hebræorum Canone. 12
Sectio VII. Scripturarum Canonem non uno tempore, sed successivè esse factum. 14
Sectio VIII. Possitne liber Apocryphus fieri Canonicus? 15
Caput IV. De Libris Canonicis de quorum Canonicâ auctoritate aliquandò dubitatum est. *Ibid.*
Sectio I. De Libris Canonicis quos rejecerunt hæretici. *Ibid.*
Sectio II. De Scripturis de quarum Canonicâ auctoritate dubitârunt Catholici. 16
Sectio III. De Libro Esther. 17
Sectio IV. De Libro Tobiæ et Judith. 18
Sectio V. De Sapientiâ et Ecclesiastico. 19
Sectio VI. De Baruch. 21
Sectio VII. De Libris Machabæorum. *Ibid.*
Sectio VIII. De Epistolâ ad Hebræos. 22
Sectio IX. De Epist. Jacobi, Judæ, secundâ Petri, secundâ et tertiâ Joannis. *Ibid.*
Sectio X. De Apocalypsi Joannis. 23
Sectio XI. De partibus quibusdam Danielis. 24
Sectio XII. De Marci capite ultimo. 25
Sectio XIII. De sudore Christi sanguinis, angelique confortantis apparitione apud Lucam. 26
Sectio XIV. De muliere adulterâ apud Joannem. *Ibid.*
Sectio XV. Notanda de his Scripturis in universum. 27
Caput V. De Scripturis Apocryphis de quibus aliquandò dubitatum fuit, essentne in numero Scripturarum divinarum habendæ. 32
Sectio I. De his Scripturis in genere. *Ibid.*
Sectio II. De tertio et quarto Libro Esdræ. *Ibid.*
Sectio III. De tertio et quarto Machabæorum Libro. 35
Sectio IV. De oratione Manassæ. 36
Sectio V. De Libri Job quibusdam appendiculis. 37
Sectio VI. De Psalterii Appendiculâ. 39

Col.

Sectio VII. De Præfatiunculâ præfixâ Threnis Jeremiæ. *Ibid.*
Sectio VIII. De novi Testamenti Libris Apocryphis, et inprimis de Libro qui dictus est Pastor. 41
Sectio IX. De Canonibus Apostolorum. 43
Sectio X. De Epistolis Clementis et libris Constitutionum. 44
Sectio XI. De Evangelio secundùm Hebræos. *Ibid.*
Caput VI. De sacris Scripturis, si quæ sint quæ perierunt? *Ibid.*
Sectio I. Quæ argumenta probent nullas periisse? *Ibid.*
Sectio II. Probabilius esse aliquas hujusmodi Scripturas; et quænam illæ sint in particulari? 45
Sectio III. Quænam ex jam nominatis Scripturis possint esse dubiæ? 47
Sectio IV. De libris jam nominatis, qui possint videri iidem cum libris illis quos in nostris Bibliis habemus? 48
Sectio V. fuisse ex his Scripturis aliquas saltem divinas. 50
Sectio VI. Cur Deus hos libros perire permiserit? 51
Sectio VII. Responsio ad argumenta initio posita. 53
Sectio VIII. An Esdras ex memoriâ Scripturæ sacræ libros deperditos restituerit? 56
Caput VII. De auctoribus librorum sacræ Scripturæ, seu scriptoribus Hagiographis. 58
Sectio I. De libris Scripturæ qui certos habent scriptores. *Ibid.*
Sectio II. De libris de quorum scriptoribus aliquid probabiliter constitui possit. 62
Sectio III. De libris qui incertos habent scriptores. *Ibid.*
Sectio IV. De Scriptore Psalterii. 65
Sectio V. Quo tempore et loco Moyses Genesim cæterosque Pentateuchi libros conscripserit? 72
Sectio VI. Quo tempore scripti libri Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdræ? 75
Sectio VII. Quo tempore Libri Tobiæ, Judith, Esther conscripti sint? 78
Sectio VIII. Quo tempore Liber Job scriptus et Psalterium? 88
Sectio IX. Quo tempore Proverbiorum Liber, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus conscripti sint? 91
Sectio X. Quo tempore Isaias, Jeremias, Threni, Baruch, Ezechiel, Daniel scripti sint? 98
Sectio XI. Quo tempore duodecim Pro-

Col.

phetæ minores, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, suas Prophetias conscripserint? 103
Sectio XII. Quo tempore scripti sint Machabæorum libri? 114
Sectio XIII. Quo tempore et loco Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, et Acta Apostolorum conscripta sint? 115
Sectio XIV. Quo tempore et loco scriptæ quatuordecim Pauli Epistolæ? 119
Sectio XV. De tempore et loco scriptionis Epistolarum Catholicarum, Jacobi, Petri, Joannis, Judæ et Apocalypseos. 126
Caput VIII. De modo quo se Deus cum hisce Scriptoribus Hagiographis habuit. 134
Sectio I. De triplici modo quo se cum his habere potest Spiritus sanctus. *Ibid.*
Sectio II. Quomodò Deus antecedenter se habeat in sacrorum Librorum scriptione? *Ibid.*
Sectio III. Quomodò et quandò se concomitanter habeat Spiritus sanctus in sacrorum Librorum scriptione? 135
Sectio IV. Discrimen primum inter duos hosce modos. 136
Sectio V. Discrimen alterum duorum istorum modorum. 137
Sectio VI. Discrimen tertium duorum istorum modorum. 138
Sectio VII. Quomodò se consequenter habere possit Spiritus sanctus in Librorum scriptione? 141
Caput IX. De obscuritate Scripturæ sacræ. *Ibid.*
Sectio I. Hæretici quid sentiant? *Ibid.*
Sectio II. Scripturam esse obscuram. 142
Sectio III. Digressio de fide nostri ævi hæreticorum in tractandâ Scripturâ sacrâ. 146
Sectio IV. De causis obscuritatis Scripturæ sacræ. 148
Sectio V. Cur Spiritus sanctus voluerit Scripturas esse obscuras? 150
Sectio VI. Quæ adferenda ei quem studium Scripturæ delectat? 152
Sectio VII. Non esse parem ubique scripturæ obscuritatem. 154
Sectio VIII. Scripturam sacram non sufficere ad terminandas omnes lites quæ in rebus fidei vel ex Scripturæ interpretatione oriri possunt, aliumque controversiarum judicem esse necessarium. 155
Sectio IX. Sintne omnes admittendi ad Scripturæ sacræ lectionem? 158
Sectio X. De iis quæ hæretici abjiciunt. *Ibid.*
Caput X. De stylo Scripturæ; cujus modi sit, eloquens, an simplex, an rusticus? 159
Sectio I. De versione nostrâ contrà hæreticos. *Ibid.*
Sectio II. De textu Hebraico et Græco, ejusque eloquentiâ. 164
Sectio III. Undè nascatur dictionis inæqualitas in Scripturâ? *Ibid.*
Caput XI. De sacræ Scripturæ effectis. 165
Caput XII. De idiomate quo primùm scripti Libri Canonici. 170

Col.

Sectio I. Hebraicâ Græcâque linguâ ferè totam Scripturam primò conscriptam fuisse. *Ibid.*
Sectio II. Qui libri veteris Testamenti Hebraicâ linguâ fuerint conscripti? *Ibid.*
Sectio III. Quid Hebraicæ linguæ nomine intelligi hic debeat? 171
Sectio IV. Qui veteris Testamenti libri aliâ quàm Hebraicâ linguâ scripti sint? 173
Sectio V. Quâ linguâ conscripti sint novi Testamenti libri? 174
Caput XIII. De Hebræo Textu, sincerusne sit, an corruptus, et consequenter, quam auctoritatem apud nos habere debeat. 175
Sectio I. Opiniones de ejus vel corruptione vel incorruptione. *Ibid*
Sectio II. Menda in Hebræo Textu à librariis admissa, et horum causa, quàmque in illa proclivis lapsus. 176
Sectio III. Hebræum Textum malitiosè in nonnullis depravatum. 178
Sectio IV. Loca Scripturæ à Judæis depravata. 180
Sectio V. Quæ auctoritas sit Hebraici Textûs, quæve ejus utilitates? 182
Caput XIV. De Græco Textu novi Testamenti, quæ illius debeat esse apud nos auctoritas? 186
Caput XV. De nostrâ Versione Vulgatâ, ejus auctore, de auctoritate quam apud nos habere debeat. 188
Sectio I. De Versionis auctore universim *Ibid.*
Sectio II. Versionis nostræ Vulgatæ qui libri in particulari sint S. Hieronymi interpretis, qui aliorum? 190
Sectio III. Quam auctoritatem habere debeat Vulgata hæc editio? 193
Sectio IV. Hæreticorum objecta contrà editionem nostram, et ad ea responsiones. 199
Caput XVI. De editione Septuaginta interpretum. 200
Sectio I. Quandò et quâ occasione facta Versio Interpretum Septuaginta? *Ibid.*
Sectio II. Quos libros Septuaginta Interpretes verterint? 202
Sectio III. De modo quo Versionem suam confecerunt Septuaginta, deque separatis eorum cellulis. 203
Sectio IV. De auctoritate hujus Versionis. 204
Sectio V. Sitne authentica Septuaginta Interpretum Versio? 207
Sectio VI. Errârintne aliquandò Septuaginta? 212
Sectio VII. Cur Ecclesia, relictâ Septuaginta Interpretum Versione, Hieronymi Versionem amplexa est? 229
Sectio VIII. De Græcis editionibus Septuaginta Interpretum quæ hoc tempore supersunt, deque eorum in Latinum Versionibus. 231
Sectio IX. De Origenis Tetraplis, Hexaplis, Octaplis. 232
Caput XVII. De aliis Græcis ex Hebræo Versionibus. 233
Sectio I. Harum Versionum auctores, et tempora quibus interpretati sunt. *Ibid.*
Sectio II. De geminis Aquilæ et Symmachi Versionibus, deque harum et Theodotionis Versionum quoad modum

Col.

interpretandi differentiâ. 235
Sectio III. De auctoritate harum trium Versionum. 236
Sectio IV. De auctoritate quintæ et sextæ Editionis. 239
Caput XVIII. De Latinis ex Hebræo recentiorum Editionibus. *Ibid.*
Sectio I. De Santis Pagnini Editione. *Ibid.*
Sectio II. De alterâ Editione quæ Vatablo adscripta fuit. 241
Caput XIX. De Chaldaicâ Paraphrasi et Syriacâ novi Testamenti Versione. 242
Sectio I. Quis auctor Chaldaicæ Paraphrasis, quæve illius auctoritas? *Ibid.*
Sectio II. De Syriacæ Editionis novi Testamenti auctore, Latino interprete, auctoritate, utilitate. 243
Caput XX. De sacræ Scripturæ interpretatione ejusque variis Sensibus. 244
Sectio I. Quotuplex in Scripturâ sit sensus? 245
Sectio II. Quid sit Sensus Litteralis, quid Mysticus? 247
Sectio III. Quomodò Sensus Litteralis, quomodò Mysticus eruatur? 250
Sectio IV. An Mysticus Sensus etiam ad probandum vim habeat? 258
Sectio V. Utrùm ejusdem loci sint aliquandò plures Sensus Litterales? 262
Sectio VI. Debueritne Scriptor Hagiographus omnes hos Sensus, seu Litterales, seu Mysticos, vidisse et intendisse? 266
Sectio VII. An habeat etiam in Scripturâ locum Sensus Accommodatitius? 268
Caput XXI. De Cabalâ et interpretatione Cabalisticâ; eane sit probanda? 269
Sectio I. Quid sit Cabala et quotuplex? *Ibid.*
Sectio II. De primo genere Cabalæ, quæ est antiquorum antè Christum. 270
Sectio III. De secundo genere Cabalæ. 277
Sectio IV. De tertio Cabalæ genere. 286
Regulæ vel Canones ad totius sacræ Scripturæ intelligentiam perutiles. 287
VALTONI VITA. 301
VALTONI PROLEGOMENA. 303
Caput primum. De præcipuis Bibliorum Editionibus. *Ibid.*
Caput II. De Bibliorum Versionibus. 320
Caput III. De variis in Scripturâ Lectionibus. 326
Caput IV. De Masorâ, Keri et Ketib, Lectionibus variis, Orientalium et Occidentalium, Ben Ascher et Ben Naphtali, et de Cabalâ. 331
Caput V. De Versionibus Græcis, præcipuè 72 Seniorum. 369
Caput VI. De Vulgatâ Latinâ Versione. 458
Caput VII. De Samaritanis, eorum Pentateucho ejusque Versionibus. 472
Caput VIII. De linguâ Chaldaicâ et Targumin, sive paraphrasibus in hâc linguâ scriptis. 507
Caput IX. De linguâ Syriacâ et Scripturæ Versionibus Syriacis. 528
Caput X. De linguâ Arabicâ et Scripturæ Versionibus Arabicis. 555
Caput XI. De linguâ Æthiopicâ et Scripturæ Versione Æthiopicâ. 565
Caput XII. De linguâ Persicâ et Scripturæ Versionibus Persicis. 580
RENALDOTI VITA. 587

Col.

DE SCRIPTURÆ VERSIONIBUS QUÆ APUD ORIENTALES IN USU SUNT DISSERTATIO. 589
De Versionibus Arabicis sacræ Scripturæ, Renaldoti dissertatio. 652
De sacræ Scripturæ Versionibus Arabicis secundùm Græcam 70 Interpretum, Renaldoti Dissertatio. 671
De Scripturæ sacræ Libris et variis eorum Versionibus Orientalibus, Renaldoti Dissertatio. 701
De Versionibus Judaicis. 704
De Christianis Versionibus. 708
De Syriacis. *Ibid.*
De Copticis. 709
De Arabicis. 712
De Æthiopicis. 715
De Persicis. 716
De Librorum Sacrorum antiquitate et authentiâ, Renaldoti Dissertatio. 717
MARIANÆ VITA. 735
JOANNIS MARIANÆ PRO EDITIONE VULGATA DISSERTATIO. 737
Caput primum. Disputationis scopus. *Ibid.*
Caput II. Plures exstitêre Editiones Vulgatæ. 739
Caput III. Quibus linguis Libri sacri sint scripti? 743
Caput IV. De auctoribus sacrorum librorum. 745
Caput V. De citationibus Apostolorum et Evangelistarum. 750
Caput VI. An aliquid sensu humano sit in sacris Litteris positum? 755
Caput VII. Hebraicos Codices esse vitiatos. 762
Caput VIII. Marianæ Epistola ad Nicolaum Sanderum. 771
Caput IX. Nemini licere privatâ auctoritate Hebraicos divinæ Scripturæ Codices castigare. 779
Caput X. De Massoreth, Punctis et Hebraicis dictionariis. 781
Caput XI. De Paraphrasi Chaldaicâ, sive Targo. 785
Caput XII. De Editione Syriacâ. 791
Caput XIII. Septuaginta Interpretes prophetarum officio functos. 796
Caput XIV. Septuaginta Interpretes an legem modò sint interpretati? 799
Caput XV. Codices Græcos, ex Septuaginta purâ interpretatione non esse. 802
Caput XVI. Græcos Codices esse vitiatos. 807
Caput XVII. Græcos Codices novi Testamenti olim variâsse. 811
Caput XVIII. Editio Latina Vulgata eadem Hieronymi est. 817
Caput XIX. Psalmos Editionis Vulgatæ Hieronimi interpretatione non esse. 826
Caput XX. De Editionis Vulgatæ auctoritate. 829
Caput XXI. Quatenùs Editio Vulgata recipi debeat? 832
Caput XXII. An Latinus Interpres fuerit propheta? 845
Caput XXIII. Alterius partis argumenta. 848
Caput XXIV. Ratio castigandi Codicis Editionis Vulgatæ. 855
Caput XXV. De novis Versionibus. 858
Caput XXVI. De Rabbinorum libris. 866
DIVI HIERONYMI VITA. 877

SANCTI HIERONYMI EPISTOLÆ CRITICÆ, SIVE QUÆ AD EXPLANATIONEM VETERIS TESTAMENTI PERTINENT, JUXTA EDITIONEM BENEDICTINAM. 879
Damasi papæ epistola ad Hieronymum presbyterum. *Ibid.*
Epist. Hieron. ad Damasum. *Ibid.*
Epist. Hieron. ad Evangelium presbyterum. 890
Epist. Hieron. ad Fabioliam : de veste sacerdotali. 894
Epist. Hieron. ad Fabiolam : de XLII mansionibus Israelitarum in deserto. 908
Epist. Hieron. ad Dardanum : de Terrâ Promissionis. 932
Epist. Hieron. ad Marcellam : de Ephod et Theraphim. 940
Epist. Hieron. ad Rufinum presbyterum : de jurgio duarum meretricum et judicio Salomonis. 945
Epist. Hieron. de Salomone et Achaz. 948
Epist. Hieron. ad Marcellam : de commentariis Rheticii in Canticum Canticorum. 951
Epist. Hieron. ad Sunniam et Fretellam. 953
Epist. Hieron. sive explanatio psalmi XLIV ad Principam virginem. 976
Epist Hieron. ad Cyprianum presbyterum. 992
Epist. Hieron. ad Marcellam : de decem nominibus Dei. 1005
Epist. Hieron. ad eamdem Marcellam : de quibusdam hebræis nominibus. 1006
Epist. Hieron. ad eamdem Marcellam : de voce *Diapsalma*. 1007
Epist. Hieron. ad Paulam : de alphabeto hebraico *psalmi* CXVIII. 1009
Epist. Hieron. ad Marcellam : de aliquot locis *psalmi* CXXVI. 1012
HIERONYMI PROLOGUS GALEATUS. 1016
Hieronymus Paulino. 1018
PONCII BASILII VITA. 1029
BASILII PONCII QUÆSTIONES EXPOSITIVÆ, ID EST, DE SCRIPTURA SACRA EXPONENDA. 1031
Quæstio prima : utrùm sacri vates, cùm de aliquâ re agunt, quæ typus est, ad eam digrediantur, cujus est typus, eodem orationis filo? *Ibid.*
Caput primum. Ejus, quod quæritur, sensus aperitur, nonnullis rejectis. *Ibid.*
Caput II. Explosâ sententiâ negante, affirmans probatur auctoritate Patrum et Doctorum. 1037
Caput III. Idem tribus ex libro *Psalmorum* productis testimoniis comprobatur. 1041
Caput IV. Ex Isaiâ nonnulla proferuntur ad idem comprobandum. 1048
Caput V. E Daniele affertur aliud testimonium. 1055
Caput VI. Proferuntur nonnulla alia ex variis libris testimonia. 1060
QUÆSTIO SECUNDA. 1065
An rationes quibus utuntur Scriptores novi Testamenti semper sint efficaces, an verò interdùm tantùm probabiles? *Ibid.*
Caput primum. Ad hujus explicationem præmittuntur nonnulla. *Ibid.*
Caput II. Quibusdam extrà controversiam statutis quæstioni respondetur, et probatur primùm ex Actorum libro, 1066

Col.

Caput III. Idem ostenditur ex 1 Corinth. argumentis desumptis. 1072
Caput IV. Examinatur efficacia rationis quæ est apud Jacobum. 1078
Caput V. Alia ratio Pauli, 1 Corinth. cap. 15, discutitur. 1082
Caput VI. Alia ratio Pauli, ad Romanos, cap. 4, enodatur. 1086
Quæstio tertia. An apud homines sacra Scriptura reperiatur, et ea sit quæ in Vulgatâ editione continetur? 1089
Caput primum. Quid asseri possit de Vulgatâ sine periculo Tridentini decreti? *Ibid.*
Caput II. Quid non possit asseri de Vulgatâ Latinâ editione, stante definitione Tridentinâ, distinctè proponitur. 1105
Caput III. Nonnullæ objectiones contrà ea quæ in præcedenti. 1111
Caput IV. An Scriptura sacra in Vulgatæ codicibus, qui circumferuntur, verè contineatur? 1128
THEOLOGIA SCRIPTURÆ DIVINÆ. 1141
MARCELLII VITA. *Ibid.*
Prooemium auctoris. 1145
LIBER PRIMUS. DE DEO UNO ET TRINO, RERUM CREATARUM AUCTORE, ET DE HARUM PRÆCIPUIS UNIVERSIM AC SPECIATIM. 1147
PARS PRIMA. DE DEO UT EST UNUS IN ESSENTIA, ET DE ATTRIBUTIS DIVINIS. *Ibid.*
CAP. I. Dei nomina sacris litteris expressa. *Ibid.*
II. Esse et existere Dei. *Ibid.*
III. Deus simplex et incorporeus. 1148
IV. Unitas Dei. *Ibid.*
V. Veritas et vita Dei. 1149
VI. Bonitas Dei. *Ibid.*
VII. Perfectio Dei omnium rerum creatarum perfectiones continens eminentiâ singulari. 1150
VIII. Infinitas Dei. *Ibid.*
IX. Immensitas Dei. 1151
X. Immutabilitas Dei. 1152
XI. Æternitas Dei. *Ibid.*
XII. Incomprehensibilitas Dei. 1153
XIII. Ineffabilitas Dei. 1154
XIV. Cognoscitur Deus in hâc vitâ ex effectis creatis. *Ibid.*
XV. Visio beatifica. 1155
XVI. Scientia Dei, quâ se comprehendit, et omnia alia creata, creanda, creabilia. *Ibid.*
XVII. Verba impiorum negantium à Deo cognosci omnia, ut peccent liberiùs, et piorum quos à peccatis avertit Deus omnia videns. 1157
XVIII. Voluntas Dei efficacissima. 1158
XIX. Deus vult malum pœnæ. 1159
XX. Malum culpæ nullo modo vult Deus. *Ibid.*
XXI. Deus liberè vult omne bonum extrà se. *Ibid.*
XXII. Voluntas Dei antecedens et consequens, conditionata et absoluta; illa mutatur aliquandò, hæc nunquàm. 1160
XXIII. Omnipotentia Dei. *Ibid.*
XXIV. Justitia Dei. 1162
XXV. Misericordia Dei. 1163
XXVI. Causæ cur nostri misereatur Deus. *Ibid.*
XXVII. Misericordia Dei et justitia simul. 1164
XXVIII. In præsumentes de misericordiâ Dei. 1165

Col.

XXIX. Amor Dei ergà omnes, etiam peccatores. 1165
XXX. Amat Deus peccatores, non quia peccatores, sed quia homines Christi sanguine redemptos, iisque peccata condonat. *Ibid.*
XXXI. Deus omnibus hominibus vult æternam beatitudinem. 1166
XXXII. Providentia Dei ergà omnes. *Ibid.*
XXXIII. In negantes providentiam Dei. 1167
XXXIV. Electio, prædestinatio, vocatio generatim. *Ibid.*
XXXV. Electionem ad gloriam fieri ex merâ Dei misericordiâ et liberalitate, adeòque priorem esse prædestinatione. 1168
XXXVI. Retributionem præmii juxtà ordinem executionis fieri intuitu meritorum. *Ibid.*
XXXVII. Specialis amor Dei ergà fideles, prædestinatos et justos. 1169
XXXVIII. Prædestinationis certitudo. 1170
XXXIX. Liber vitæ. *Ibid.*
XL. Reprobationis positivæ causæ et effectus. *Ibid.*
XLI. Reprobationis negativæ causæ et effectus. 1171
XLII. Numerus electorum exiguus quidem respectu omnium reproborum, nihilominùs absolutè magnus. *Ibid.*
PARS II. DE SANCTISSIMA TRINITATE. 1173
CAP. I. Trinitas Personarum in unitate naturæ. *Ibid.*
II. Pater est verus Deus. 1173
III. Filius verus est Deus, æterno Patri consubstantialis. *Ibid.*
IV. Spiritus sanctus verus Deus est, Patri et Filio consubstantialis. 1176
V. Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit. 1177
VI. Æqualitas, missio, operatio Personarum. *Ibid.*
PARS III. DE DEO UT CAUSA EFFICIENS EST OMNIUM CREATURARUM, ET DE HARUM PRÆCIPUIS UNIVERSIM AC SPECIATIM. *Ibid.*
CAP. I. Deus ut creator. 1179
II. Opera Dei perfecta et summâ sapientiâ condita. *Ibid.*
III. Deus ut gubernator et conservator rerum omnium. 1180
IV. Deus ut cooperator et adjutor. *Ibid.*
V. Deus ut salvator et redemptor. *Ibid.*
VI. Angelorum productio, natura, functio. *Ibid.*
VII. Angelorum hierarchia. 1182
VIII. Angeli Deo obediunt, homines custodiunt, dæmones pellunt. *Ibid.*
IX. Invocantur licitè et honorantur. 1183
X. Angelorum malorum peccatum et pœna. 1184
XI. Sunt superbi, invidi, impuri, mendaces. *Ibid.*
XII. Nocent Ecclesiæ, ejusque filiis fidelibus, quoad possunt. 1185
XIII. Infidelium conversionem impediunt, decipiunt specie boni et veri: quantumvis potentes sint, non tamen nocere possunt, nisi Deo permittente. 1186
XIV. Signa edunt et seducunt multos per se et suos ministros; instrumenta Dei sunt ad impios puniendos. 1187
XV. Hominis productio, et natura quoad corpus. 1188
XVI. Fragilitas hominis et mortalitas, quantùm attinet ad corpus. *Ibid.*
XVII. Immortalitas hominis ac dignitas quoad animam. 1189
XVIII. Status hominis antè et post lapsum. *Ibid.*
XIX. Variæ hominis miseriæ quoad corpus et animam. 1190
XX. Hominis ignorantia. *Ibid.*
XXI. Infirmitas ad bonum, ad malum propensio. 1191
XXII. Quantulus sit homo respectu Dei. 1192
PARS IV. MESSIAS SIVE CHRISTUS PRIMOGENITUS OMNIS CREATURÆ, HUMANI GENERIS REDEMPTOR. 1191
CAP. I. Promissus orbi Messias. *Ibid.*
II. Incarnatio Christi prædicta à prophetis et desiderata. 1192
III. Adventus Christi in carne pasibili. 1193
IV. Christus est primogenitus, caput et princeps omnium creaturarum. *Ibid.*
V. Christus etiam, quâ homo, fuit rex potentissimus et fortissimus. 1194
VI. Christi charitas, gratia, scientia, pulchritudo. *Ibid.*
VII. Christi paupertas voluntaria. 1195
VIII. Christus sacerdos, pontifex et mediator Dei et hominum. *Ibid.*
IX. Passionis amor, et obedientia Christi consummata. 1196
X. Victoria crucis ac triumphus. 1197
XI. Meritum et satisfactio Christi atque omnium hominum redemptio. *Ibid.*
XII. Sanguine suo Christus peccatores redimit, et peccata abluit gratis. 1198
XIII. Christus constitutus à Deo judex vivorum et mortuorum. 1199
XIV. Christi orbem judicaturi sententiæ nemo poterit resistere. *Ibid.*
XV. Jaculatoriæ laudantis Christum et amantis. 1200
XVI. Jaculatoriæ desiderantis ut regnum et gloria Christi propagentur. 1201
PARS V. MARIA VIRGO DEIPARA. *Ibid.*
CAP. I. Conceptio et nativitas immaculata B. Virginis Deiparæ. *Ibid.*
II. Deipara fuit virgo antè partum, quamvis desponsata viro. *Ibid.*
III. Fuit etiam virgo in partu. 1202
IV. Deipara permansit virgo post partum. 1203
V. Fuit mater Christi Domini, veri Dei et hominis. *Ibid.*
VI. Gratia excellens ac virtutes heroicæ Virginis Matris. *Ibid.*
VII. Deiparæ virtutes sigillatim. 1204
LIBER II. DE FINE ULTIMO ET MEDIIS EUM OBTINENDI. 1205
PARS I. FINIS NOSTER ULTIMUS ET BEATITUDO. *Ibid.*
CAP. I. Finis ultimus rerum omnium Deus. *Ibid.*
II. Beatitudo objectiva Deus est, non res ulla creata. *Ibid.*
III. Formalis beatitudo in intellectu. 1206
IV. Gaudium beatorum in voluntate. 1207
V. Gloriosi corporis dotes. 1208
VI. Beati omnes futuri sunt reges. *Ibid.*
VII. Potestas, honor et gloria beatorum. 1209
VIII. Splendor et decor patriæ cœlestis. *Ibid.*
IX. Magnitudo et multitudo bonorum cœ-

Col.
lestium. *Ibid.*
X. Præmii diversitas pro diversitate laboris. 1210
XI. Satietas sine fastidio vitæ perennis. 1211
XII. Puritas cœlestis gaudii absque ullâ tristitiæ admixtione. *Ibid.*
XIII. Securitas sine anxietate. 1212
XIV. Via certa vitæ æternæ obtinendæ. *Ibid.*
XV. Et laboris præmium est, et non absque gratiâ confertur. 1213
XVI. Non obtinetur in hâc vitâ nec absque pugnâ. *Ibid.*
XVII. Sed post terminatum feliciter hujus vitæ agonem. 1214
XVIII. Certantibus legitimè et vincentibus promissa. *Ibid.*
XIX. Non timidis, incredulis, improbis. 1215
XX. Desiderium patriæ celestis. *Ibid.*
XXI. Jaculatoriæ gloriam cœlestem ardenter optantis. 1216
PARS II. LIBERUM ARBITRIUM ATQUE ACTUS HUMANI BONI AC MALI. 1217
CAP. I. Liberi arbitrii usus ad bonum ac malum, virtutem et vitium. *Ibid.*
II. Exhortatio ad honestorum operum exercitium. 1218
III. Honestorum operum præceptum. *Ibid.*
IV. Honestati externæ jungenda honestas et pietas interna. 1219
V. In eos qui rectè agere negligunt, solo religionis nomine gloriantes. 1220
VI. Honestè operandi captanda occasio et opportunitas exspectanda. 1221
VII. Fructus bonorum operum et malorum. *Ibid.*
VIII. Opera omnia rectâ ad Dei gloriam intentione perficienda, *Ibid.*
IX. Puritas intentionis et cordis accepta Deo. 1222
X. Intentio obliqua, Deo ingrata, omnem aufert fructum operum. *Ibid.*
XI. Hypocrisis varii actus. 1223
XII. Varii hypocrisis effectus. 1224
XIII. Hypocrisis tandem detegitur. *Ibid.*
XIV. Hypocritas detestatur Deus. 1225
XV. Vetatur hypocrisis, puritas cordis ac sinceritas commendatur. *Ibid.*
XVI. Deo nihil accedit intrinsecè ex actibus nostris, sive boni fuerint sive mali. 1226
XVII. Potest alios in aliorum locum substituere. *Ibid.*
PARS III. LEX EXTERNA ET INTERNA. 1227
CAP. I. Deus legislator supremus. *Ibid.*
II. Legis christianæ summa et scopus. *Ibid.*
III. Lex Dei facilis et suavis audientem instruit et perficit observantem. 1228
IV. Effecta varia et fructus observatæ legis. *Ibid.*
V. Monita ad audiendam, meditandam, et memoriâ continuâ recolendam Dei legem. 1229
VI. Exhortationes ad observationem legis additis etiam variis promissis. *Ibid.*
VII. Neglectus legis causa ruinæ ac supplicii sempiterni. 1231
VIII. Consuetudinis vis in bonum et malum. *Ibid.*
IX. Legis internæ sive conscientiæ vis in bonum et malum, *Ibid.*
X. Affectuum animi vis in bonum et malum. 1232

Col.
XI. Jaculatoriæ optantis ac statuentis Dei legem servare. *Ibid.*
XII. Petentis lumen et gratiam intelligendi legem Dei et servandi. 1233
XIII. Desiderantis perpetuam legis observantiam. *Ibid.*
XIV. Judicantis legem Dei facilem, suavem, utilem. *Ibid.*
XV. Profitentis se legem Dei servâsse, non obstante mortis periculo. 1234
XVI. Bona sua opera humiliter Deo repræsentantis. *Ibid.*
PARS IV. GRATIA ACTUALIS ET HABITUALIS. 1235
CAP. I. Gratia excitans et adjuvans. *Ibid.*
II. Gratia sufficiens et efficax. *Ibid.*
III. Auxilia gratiæ sufficientia dantur adultis omnibus. 1236
IV. Nullus peccator quantumvis gravis destituitur prorsùs in hâc vitâ auxiliis ad salutem necessariis. 1237
V. Omnibus quidem sufficientia dantur gratiæ auxilia, non tamen omnibus æqualia. 1238
VI. Gratiæ necessitas ad fidem, spem, charitatem, atque alia opera supernaturalia. *Ibid.*
VII. Gratiâ cooperante servari possunt divinæ legis præcepta, et caveri peccata venialia. 1239
VIII. Secundùm legem tamen ordinariam, non ità servantur præcepta, ut vitentur omnia peccata venialia. *Ibid.*
IX. Sine actualibus gratiæ auxiliis homo non potest longo tempore persevare in amicitiâ Dei, et præcepta servare. *Ibid.*
X. Justus auxiliante Deo perseverare in gratiâ potest usquè ad mortem. 1240
XI. Causa gratiæ efficiens est Deus. 1241
XII. Causa meritoria gratiæ est Christus, finalis ultima Deus. *Ibid.*
XIII. Causa dispositiva gratiæ sanctificantis sunt actus fidei, spei, charitatis et aliarum virtutum. *Ibid.*
XIV. Non omnes æquali studio gratiæ sive actuali sive habituali cooperantur, uti nec hæc est æqualis in omnibus. 1242
XV. Nemo secundùm legem Dei ordinariam certò scit certitudine fidei se esse in gratiâ, *Ibid.*
XVI. Possumus tamen habere certitudinem moralem nos esse filios et amicos Dei. 1243
XVII. Gratia dat esse quoddam divinum; vitam animæ, et alios producit illustres effectus ac fructus. 1244
XVIII. Gratia non tegit duntaxat, sed verè aufert ac delet peccata. 1245
XIX. Gratia non destruit naturam, sed ægram peccato sanat ac perficit. *Ibid.*
XX. Gratia est semen gloriæ, principium meriti et causa. 1246
XXI. Exhortatio ad utendum gratiâ, et ad eam studiosè conservandam. *Ibid.*
XXII. Exhortationes ad crescendum in gratiâ. *Ibid.*
XXIII. Jaculatoriæ postulantis Dei gratiam, ejusque necessitatem ac fructum agnoscentis. 1248
PARS V. VIRTUS, VITIUM, PECCATUM GENERATIM. 1247
CAP. I. Virtutis encomium et fructus

Col.
multiplex. 1247
II. Exhortationes ad studium virtutum. 1249
III. Quis sit perfectæ virtutis. *Ibid.*
IV. Exhortationes ad perfectionem. 1250
V. Timor Domini ad sapientiam et virtutem perfectam primus gradus est. *Ibid.*
VI. Alia timoris Domini effecta. 1251
VII. Fructus timoris Domini. *Ibid.*
VIII. Etiam justo lapsus in peccatum metuendus. 1252
IX. Jaculatoriæ petentis timorem Dei, et virtutis studium. *Ibid.*
X. Vitia quàm noxia, et quâ ratione extirpanda. *Ibid.*
XI. Exhortatio ad extirpanda vitia, et domandas passiones. 1253
XII. Peccatum est aversio à Deo, et conversio ad creaturas; est inane et nihil. 1254
XIII. Peccata sunt sordes, immunditiæ, tenebræ, execrationes et abominationes. *Ibid.*
XIV. Peccatum est corpori et animo calamitosum. 1255
XV. Labores et conatus omnes irritos reddit. 1256
XVI. Pœnas ærumnasque accersit temporales ac sempiternas. *Ibid.*
XVII. Animam donis supernaturalibus spoliat, maculat, inficit; dæmonis potestati, mortique perpetuæ subjicit. 1257
XVIII. Intellectui cæcitatem, ignorantiam, amentiam conciliat. 1258
XIX. Voluntatem à summo bono avocat, atque in malo obdurat. 1259
XX. Timorem gignit et angustiam. 1260
XXI. Pudorem affert et impudentiam. *Ibid.*
XXII. In tristitiam desinit ac desperationem. 1261
XXIII. Vires animi ac corporis enervat. *Ibid.*
XXIV. Vitam abreviat, mortem accelerat. 1262
XXV. Famam, honorem, gloriam destruit. 1263
XXVI. Fortunæ bona dilapidat. *Ibid.*
XXVII. Sobolem et posteritatem eradicat. 1265
XXVIII. Odit Deus non impium modò, et impietatem ejus, sed et ipsius munera, sacrificia, festa. 1266
XXIX. Improperat Deus collata in peccatorem beneficia. 1267
XXX. Exhortatur Deus ad deponenda peccata. *Ibid.*
XXXI. Pollicetur Deus pœnitentibus misericordiam, gratiam, ac alia corporis, ac animi dona. 1268
XXXII. Aliæ ad maturam conversionem exhortationes. 1269
XXXIII. Vox peccatoris proponentis redire ad Deum, et peccatum suum agnoscentis. 1270
XXXIV. Jaculatoriæ dolentis de admissis peccatis. *Ibid.*
LIBER III. DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, AC CARDINALIBUS, VITIISQUE OPPOSITIS. 1271
PARS I. FIDES DIVINA ET VITIA OPPOSITA. *Ibid.*
CAP. I. Fides orthodoxa non nititur persuasione humanâ. 1275
II. Sed auctoritate purè divinâ. *Ibid.*
III. Revelatio universalis et particularis, immediata et mediata. *Ibid.*
IV. Veritas prima. *Ibid.*
V. Fidei natura, firmitas, certitudo. 1274

Col.
VI. Unitas, necessitas, utilitas. *Ibid.*
VII. Fides viva et mortua. 1275
VIII. Exhortatio ad vitam fide dignam, et ad perseverantiam in fide. 1276
IX. Confessio fidei externa et interna. 1277
X. Magnæ fidei exempla. *Ibid.*
XI. Orationes jaculatoriæ ad excitandam et augendam fidem. 1278
XII. Incredulitas. *Ibid.*
XIII. Impedimenta fidei et adjumenta. *Ibid.*
XIV. Incredulitatis exempla. 1279
XV. Apostasia à fide. *Ibid.*
XVI. Hæreticorum tituli proprii ac præcipui. 1280
XVII. Hæreses natæ ex vitâ vitiosâ, et justè à Deo permissæ. *Ibid.*
XVIII. Hæreticorum ignorantia, superbia, pertinacia, et alia vitia. *Ibid.*
XIX. Hæretici fugiendi ac puniendi. 1281
XX. Fuerunt jam inde à temporibus apostolorum. 1282
XXI. Orationes jaculatoriæ adversùs hæreses et hæreticos. *Ibid.*
PARS II. SPES THEOLOGICA ET VITIA OPPOSITA. 1281
CAP. I. Varia spei acceptio. 1283
II. Fructus sperantis in Deo. *Ibid.*
III. Exhortationes ad spem in Deo figendam. 1284
IV. Spes firma justorum, impiorum vana fiducia. 1285
V. Damna et supplicia eorum qui in alio sperant quàm in Deo. *Ibid.*
VI. Dissuadetur spes in seipso et in alio quàm in Deo. 1286
VII. Exempla spei et fiduciæ in Deo. 1287
VIII. Jaculatoriæ sperantis in Deo. *Ibid.*
IX. Desperationis acerbi fructus; timoris Domini effectus salutaris. 1288
PARS III. CHARITAS ET VITIA OPPOSITA. 1289
CAP. I. Charitatis perfectio, et præstantia generatim. *Ibid.*
II. Charitatis pretium, splendor et decor. 1290
III. Charitas ergà Deum mandatorum executione dignoscitur. 1291
IV. Ejusdem fructus et alia effecta ac præmia. *Ibid.*
V. Præceptum ejusdem et pœna non servantis. *Ibid.*
VI. Charitas ergà Deum mandatorum executione dignoscitur, 1292
VII. Monita et præcepta illius exercendæ. *Ibid.*
VIII. Cur proximus et quâ ratione diligendus? 1293
X. Charitas proximi non consistit, uti neque vita, absque charitate Dei. *Ibid.*
X. Exempla charitatis ergà Deum et Christum Dominum. 1294
XI. Exempla charitatis in proximum. *Ibid.*
XII. Jaculatoriæ ad excitandam charitatem ergà Deum et proximum. 1296
XIII. Charitatis actus, atque effectus, et primò gaudii justorum encomia. *Ibid.*
XIV. Cohortationes ad verum gaudium. 1297
XV. Gaudium impiorum vanum et reprobum. *Ibid.*
XVI. Vera omnis consolatio veri gaudii causa à Deo est. *Ibid.*
XVII. Et est in Deo. *Ibid.*
XVIII. Verum omne solatium et gaudium

Col.
promittitur. *Ibid.*
XIX. Et datur timentibus ac diligentibus Deum. 1298
XX. Fructus divinæ consolationis. *Ibid.*
XXI. Consolatio humana inanis et inconstans. *Ibid.*
XXII. Jaculatoriæ petentis consolationes cœlestes. *Ibid.*
XXIII. Pax et pacis auctor generatim. 1299
XXIV. Quæ pax nobis necessaria, et quis fructus illius? *Ibid.*
XXV. Variæ ad hanc pacem exhortationes. 1300
XXVI. Jaculatoriæ ad pacem obtinendam. *Ibid.*
XXVII. Concordiæ amabilitas, utilitas, suavitas. *Ibid.*
XXVIII. Sæpiùs ab apostolo et seriò christianis commendata. 1301
XXIX. Illustria concordiæ exempla. 1302
XXX. Misericordiæ decora, effecta, præmia. *Ibid.*
XXXI. Monita et præcepta operum misericordiæ. *Ibid.*
XXXII. Pœna multiplex eorum qui negligunt misereri. 1303
XXXIII. Eleemosyna suadetur generatim. *Ibid.*
XXXIV. Quibus danda et quomodò? 1304
XXXV. Quandò facienda et quamdiu? *Ibid.*
XXXVI. Fructus eleemosynæ et alii effectus. 1305
XXXVII. Specialia corporis et animi affert bona. *Ibid.*
XXXVIII. Tollit culpam, et pœnam aufert. 1306
XXXIX. Opes confert et honores. *Ibid.*
XL. Variæ ad eleemosynam dandam cohortationes. *Ibid.*
XLI. Peccata et pœnæ negantium eleemosynam. 1307
XLII. Eleemosynariorum exempla. *Ibid.*
XLIII. Correctio et correptio fraterna præcipitur privata et publica. 1308
XLIV. Quis corripiendus, à quibus et quomodò? *Ibid.*
XLV. Aliæ ad correptionem fraternam exhortationes. 1309
XLVI. Correptio incauta et vitiosa. *Ibid.*
XLVII. Fructus et alii effectus correptionis. 1310
XLVIII. Correptio æquo animo ferenda. *Ibid.*
XLIX. Correptionem sustinentis commoda, damna repellentis. *Ibid.*
L. Correptionis fraternæ exempla. 1311
LI. Vitia charitati opposita, et primò odium Dei ac proximi. 1312
LII. Acediæ damna, pœnæ, exempla. 1313
LIII. Invidiæ causæ et effecta. *Ibid.*
LIV. Exhortationes ad cavendam invidiam. 1314
LV. Exempla invidiæ. *Ibid.*
LVI. Discordiæ causæ, effecta, exempla. *Ibid.*
LVII. Contentionis occasio, damna, pœnæ. 1315
LVIII. Contentionis prohibitio. *Ibid.*
LIX. Rixarum causa, effecta, pœnæ. 1316
LX. Bellorum causa peccatum est. *Ibid.*
LXI. Finis belli emendatio. *Ibid.*
LXII. Animandus ad bellum justum miles. 1317
LXIII. Orationes tempore belli pro victoriâ obtinendâ. 1318

Col.
LXIV. Scandali malitia et pœna. 1319
LXV. Quantoperè vitarint scandalum Christus, Apostolus, Eleazarus? *Ibid.*
LXVI. Monita ad cavendum scandalum activum et passivum. 1320
LXVII. Non curandum scandalum Pharisaicum. *Ibid.*
LXVIII. Donum sapientiæ (quæ, teste S. Thoma, 2-2. q. 45, respondet charitati) in quo consistat? 1321
LXIX. Auctor sapientiæ Deus. *Ibid.*
LXX. Sapientiæ qualitates et conditiones variæ. *Ibid.*
LXXI. Sapientiam acquirendi modus. 1322
LXXII. Sapientiæ effecta et signa in animo, corpore, et bonis externis. 1323
LXXIII. Ejusdem effecta in intellectu et voluntate. *Ibid.*
LXXIV. Dulcedinem cordis, quietem, consolationem et constantiam parit. 1324
LXXV. Honorem et gloriam conciliat. *Ibid.*
LXXVI. Bona fortunæ cumulat. 1325
LXXVII. Qui eam repudiat miser est, qui inquirit beatus. *Ibid.*
LXXVIII. Sapiens libenter auditur, prodest verbo, consilio, exemplo. 1326
LXXIX. Antitheses sapientem inter et insipientem. *Ibid.*
LXXX. Variæ ad sapientiam cohortationes. *Ibid.*
LXXXI. Jaculatoriæ pro impetrandâ sapientiâ. 1328
PARS IV. PRUDENTIA ET VITIA OPPOSITA. 1327
CAP. I. Adhortatio ad veram prudentiam. *Ibid.*
II. Fructus et effectus veræ prudentiæ. 1328
III. Prudentia humana incerta et fallax. 1329
IV. Damnatur prudentia impiorum. *Ibid.*
V. Exempla prudentiæ. 1330
VI. Jaculatoriæ orationes pro impetrandâ prudentiâ. *Ibid.*
VII. Prudentiæ officia rectè consulere, judicare, exsequi : consilii causæ et effecta. *Ibid.*
VIII. Consilium à quibus petendum. 1331
IX. Multorum consilium inutile, noxium, fraudulentum. *Ibid.*
X. Consilium impiorum peribit. 1332
XI. Dei consilium permanebit. *Ibid.*
XII. Deus et presbyteri consulendi : consilii neglecti pœna. 1333
XIII. Imprudentiæ et insipientiæ effecta, signa atque alia adjuncta. 1334
PARS V. JUSTITIA ET VITIA OPPOSITA. 1335
CAP. I. Encomia et effecta justitiæ universim ac speciatim. 1335
II. Antitheses variæ inter justum et impium. 1336
III. Injustitia omnis prohibetur à Deo. *Ibid.*
IV. Judicabitur à Deo et punietur. 1337
V. Præsertim verò injustitia judicum et aliorum magistratuum. *Ibid.*
VI. Injuria in judiciis et tribunalibus, ac muneribus accipiendis. 1338
VII. Judicum iniquorum pœnæ. *Ibid.*
VIII. Virtutes judici necessariæ. 1339
IX. Causa diligenter cognoscenda. 1340
X. Præmia boni judicis et fructus. 1341
XI. Variæ cohortationes ad judices. *Ibid.*
XII. Boni et mali judicis exempla. 1342
XIII. Jaculatoriæ judicium divinum petentis ac deprecantis. *Ibid.*

Col

XIV. Acceptio personarum. 1342
XV. Injusta corporis læsio per homicidium et mutilationem. 1343
XVI. Corporis injusta violatio per adulterium et alia peccata luxuriæ, et primo gravitas hujus delicti, atque ad ejus fugam cohortatio. *Ibid.*
XVII. Pœnæ adulterii communes corpori et animo. 1344
XVIII. Pœnæ in famâ, honore, et in posteris. *Ibid.*
XIX. Exempla puniti adulterii. 1345
XX. Fortunarum damnum injustum, et primò furti ac rapinæ prohibitio. *Ibid.*
XXI. Furti pœnæ et effectus. 1346
XXII. Oblata ex furto ingrata Deo. *Ibid.*
XXIII. Exempla furti puniti et impediti. *Ibid.*
XXIV. Doli et fraudis gravis impietas. 1347
XXV. Dolus in dolosi caput relabitur. *Ibid.*
XXVI. Dolosus sibi suisque noxius, Deo et hominibus odibilis. *Ibid.*
XXVII. Injusta famæ et honoris læsio, ac primò detractor cui sit similis. 1348
XXVIII. Detractionis effecta, damna, pœnæ. *Ibid.*
XXIX. Detractio vetita in genere et specie. *Ibid.*
XXX. Pro detractore orandum, gaudendum de persecutione detrahentis. 1349
XXXI. Detractor puniendus et repellendus, detractio sopienda. *Ibid.*
XXXII. Calumnia et falsum testimonium à Deo prohibitum. *Ibid.*
XXXIII. Calumniæ effecta, damna, pœnæ. 1350
XXXIV. Effectus et pœnæ testimonii falsi. *Ibid.*
XXXV. Exempla calumniæ et testimonii falsi dicti et puniti. 1351
XXXVI. Jaculatoriæ calumniam deprecantis. *Ibid.*
XXXVII. Contumeliæ causæ effecta et damna ex parte inferentis. *Ibid.*
XXXVIII. Effecta et damna ex parte sustinentis. 1352
XXXIX. Contumelia à Deo vetita. *Ibid.*
XL. Exempla punitæ contumeliæ. *Ibid.*
XLI. Jaculatoriæ contumeliis avertendis. 1353
XLII. Susurrationis effecta, damna, pœnæ. 1354
XLIII. Susurratio à Deo vetita. *Ibid.*
PARS VI. RELIGIO ET RELIQUÆ VIRTUTES JUSTITIÆ ANNEXÆ, IN QUIBUS EST DEBITUM LEGALE. 1355
CAP. I. De iis quæ ab homine debentur Deo. 1355
II. Oratio à Deo præcepta, atque ad ipsam præparatio necessaria. *Ibid.*
III. Orans Deo conetur esse gratus. *Ibid.*
IV. Fiduciam habeat in Domino. 1356
V. Oratio sit humilis, attenta, assidua. *Ibid.*
VI. Quid petendum in oratione, et cujus nomine? 1357
VII. Oratio fiat pro omnibus, maximè pro regibus, magistratibus, fratribus. *Ibid.*
VIII. Orandum semper quidem; maximè autem tempore matutino, tristitiæ et adversitatis, ac certis per diem horis. 1358
IX. Cohortationes ad orandum variæ. *Ibid.*
X. Orationis effectus primarius impetratio. 1359
XI. Impetrationis impedimenta et adjumenta. *Ibid.*

Col.

XII. Fructus orationis quælibet corporis et animi bona interna et externa. 1360
XIII. Orationes jaculatoriæ pro remissione peccatorum. 1361
XIV. Jaculatoriæ tempore adversitatis. 1362
XV. Jaculatoriæ petentis orationem suam exaudiri. *Ibid.*
XVI. Meditatio et contemplatio legis, et gloriæ divinæ ac mirabilium Dei operum. 1363
XVII. Necessaria ad hanc quies animi, et puritas cordis. *Ibid.*
XVIII. Effectus et fructus contemplationis rerum divinarum. *Ibid.*
XIX. Locus et aliæ circumstantiæ ad meditandum et orandum idoneæ. 1364
XX. Alia præter allata hactenùs et passim inspersa meditationis et orationis exempla. *Ibid.*
XXI. Juramentum licitum, si debitæ conditiones adsint, temerarium omne prohibetur. 1365
XXII. Perjurium vetatur et punitur 1366
XXIII. Votum solvendum Deo et minimè retractandum. *Ibid.*
XXIV. Qui voverint et vota Deo reddiderint. 1367
XXV. Decimæ et aliæ oblationes. *Ibid.*
XXVI. Festorum dierum observatio: licet in iis vivere liberaliùs intrà terminos modestiæ. 1368
XXVII. Laus Dei commendatur, et exigitur quàm maxima: sufficienter Deus laudari non potest. 1369
XXVIII. Laus proximi in virtute fundata tutissima post mortem. *Ibid.*
XXIX. Vitia religioni opposita, divinationes, auguria, auspicia, maleficia à Deo prohibita. 1370
XXX. Eorum effecta, incommoda, pœnæ.
XXXI. Blasphemiæ gravitas, prohibitio, pœnæ. 1371
XXXII. Pietas ergà parentes, honore, obsequio, imitatione, aliisque officiis exercenda. *Ibid.*
XXXIII. Pietatis exercitæ fructus, pœna neglectæ. 1372
XXXIV. Parentum officia ergà liberos. 1373
XXXV. Præponenda, quæ Dei sunt, affectui parentum ac liberorum. *Ibid.*
XXXVI. Status vitæ diligendus ac retinendus. 1374
XXXVII. Religionis ac religiosorum commendatio. 1375
XXXVIII. Vocationis divinæ beneficium. *Ibid.*
XXXIX. Officia boni religiosi, et munia honorifica. 1376
XL. Cohortatio ad vivendum dignè suâ vocatione. *Ibid.*
XLI. Degeneres à pio majorum instituto. 1377
XLII. Apostasia à religione dissuadetur, suadetur reditus. *Ibid.*
XLIII. Paupertas evangelica laudatur ac suadetur. 1378
XLIV. Pauperes evangelici, qui fuerint et quàm commendati; pœna infracti voti paupertatis? *Ibid.*
XLV. Castitas commendatur præsertim evangelica. 1379
XLVI. Virginitatis laudes, præmia, con-

Col.
silia. *Ibid.*
XLVII. Obedientia atque observantia exhibenda Deo, prælatis et superioribus omnibus. 1380
XLVIII. Obedientiæ perfectio, promptitudo, effectus, fructus. 1381
XLIX. Inobedientiæ gravitas, et pœna, præmia obedientiæ. 1382
L. Obedientiæ illustria exempla ex veteri Testamento. *Ibid.*
LI. Obedientia Christi Domini, B. Virginis, Josephi, et aliorum novæ legis sanctorum. 1384
PARS VII. ALIÆ VIRTUTES JUSTITIÆ ANNEXÆ, IN QUIBUS EST DEBITUM SOLUM MORALE. 1385
CAP. I. Liberalitatis effectus et fructus gloriosi. *Ibid.*
II. Ejusdem magnifica exempla. *Ibid.*
III. Avaritia quid, quantum, et quàm commune peccatum. 1386
IV. Avaritiæ pœna æterna damnatio, maledictio populi, dolores et ærumnæ. *Ibid.*
V. Avaritia intellectum excæcat, pervertit voluntatem. 1387
VI. Avarus semper desiderat, satiatur nunquàm. *Ibid.*
VII. Avarus sibi nequam, sanitatem sibi aufert et vitam, atque omnia corporis ac animi bona. 1388
VIII. Liberalis et suâ sorte contentus animus commendatur. *Ibid.*
IX. Avaritiæ vindicatæ exempla. 1389
X. Prodigalitatis et luxûs exempla, effecta, pœnæ. 1390
XI. Gratitudo sive gratiarum actio commendatur. *Ibid.*
XII. Gratitudinis illustria exempla. 1391
XIII. Jaculatoriæ gratias agentis pro beneficiis in genere et specie. *Ibid.*
XIV. Ingratitudinis effecta. 1392
XV. Ingratitudinem exprobrat Deus peccatoribus. *Ibid.*
XVI. Alia ingratitudinis exempla. 1393
XVII. Affabilitas sive benignitas commendatur. 1394
XVIII. Linguæ rectus usus difficilis, utilis, necessarius. *Ibid.*
XIX. Cujus sit loqui, de quibus et coràm quibus. 1395
XX. Loquendum prudenter, suaviter, parcè, suo tempore et loco. *Ibid.*
XXI. Effectus et fructus recti linguæ usûs. 1396
XXII. Effecta linguæ incontinentis in animo et corpore, quoad se et alios. 1397
XXIII. Linguæ incontinentia proprium est vitium stultorum. 1398
XXIV. Linguæ abusus vetatur universim ac speciatim. *Ibid.*
XXV. Antitheses variæ in verba stulti et prudentis. 1399
XXVI. Exempla linguæ sapientis. *Ibid.*
XXVII. Jaculatoriæ petentis linguæ moderationem suæ et alienæ. 1400
XXVIII. Veritas commendatur et fidelitas: mendacii fœditas depingitur. *Ibid.*
XXIX. Damna mendacii et alia effecta. *Ibid.*
XXX. Veritas præcipitur, mendacium omne vetatur. 1401
XXXI. Justitia vindicativa Dei non effugitur à peccatore. *Ibid.*
XXXII. Deus longanimis, tardè quidem, at tandem punit, non sine interveniente misericordiâ. 1402
XXXIII. Aliter sontes, aliter insontes; iisdem subindè non involvit pœnis. *Ibid.*
XXXIV. Peccator iis punitur rebus quibus deliquit; creaturæ quædam ad ultionem deputatæ. 1403
XXXV. Finis punitionis divinæ vindicta impiorum, justorum correctio. 1404
XXXVI. Justitia vindicativa humana utilis ac necessaria: ejusdem fructus, et pœna neglectûs: servanda æquitas et modus in omnibus. *Ibid.*
XXXVIII. Exempla punitionis per eadem, per quæ quis peccavit. 1405
PARS VIII. TEMPERANTIA ET VIRTUTES EI ANNEXÆ, ATQUE OPPOSITA VITIA. *Ibid.*
CAP. I. Natura paucis contenta: temperantia commendata generatim. 1407
II. Præmia temperantiæ et alia effecta. *Ibid.*
III. Intemperantia variis modis nocet animo. 1408
IV. Nocet et corpori et fortunæ bonis. *Ibid.*
V. Dissuadetur et vetatur ebrietas et gula. 1409
VI. Alia ebrietatis effecta specialia, *Ibid.*
VII. Alia monita et præcepta in conviviis servanda. 1410
VIII. Exempla intemperantiæ. 1412
IX. Jejunii encomia, effecta, fructus, exempla. *Ibid.*
X. Continentiæ et pudicitiæ fructus et exempla. 1413
XI. Incontinentia vetatur, et omnis luxuria. *Ibid.*
XII. Luxuriæ tentatio vexat etiam sanctos, superat improvidos et insipientes. 1414
XIII. Nocet animo simul et corpori. *Ibid.*
XIV. Intellectum et voluntatem pervertit. 1415
XV. Sanitatem aufert et vitam ac fortunæ bona. *Ibid.*
XVI. Famam pessumdat et honorem. 1416
XVII. Luxuriæ occasiones vitandæ. *Ibid.*
XVIII. Exempla punitæ luxuriæ in omnibus hujus et æternæ vitæ bonis. *Ibid.*
XIX. Honestas et verecundia laudabilis ac vitiosa. 1417
XX. Humilitatis actus. 1418
XXI. Effectus humilitatis et fructus orationis exauditio, gratia, et gloria æterna. 1419
XXII. Humilitas via est ad exaltationem. *Ibid.*
XXIII. Ad scientiam sanctorum et omnem prosperitatem. *Ibid.*
XXIV. Variæ ad humilitatem cohortationes. 1420
XXV. Humilitatis selecta exempla, et orationes jaculatoriæ. 1421
XXVI. Superbia Deo et hominibus exosa vetatur universim. *Ibid.*
XXVII. Non superbiendum de donis animi, corporis, aut ullis aliis, cùm omnia à Deo sint, et homo sit res vilissima. 1422
XXVIII. Superbiæ effecta in animâ simul et corpore. 1423
XXIX. Superbiæ effecta in intellectu et voluntate. *Ibid.*
XXX. Superbiæ effecta in famâ, honore,

Col.
dignitate. 1424
XXXI. Superbiæ effecta in bonis fortunæ et posteris. 1425
XXXII. Superbiæ punitæ exempla. 1426
XXXIII. Orationes superbiam deprecantis. 1427
XXXIV. Ambitionis et arrogantiæ causæ et pœnæ. *Ibid.*
XXXV. Jactantiæ ac præsumptionis effecta et aliæ circumstantiæ. *Ibid.*
XXXVI. Mansuetudo suadetur et præcipitur, effectus et fructus habet nobilissimos. 1428
XXXVII. Mansuetudinis exempla. *Ibid.*
XXXVIII. Iracundiæ fœditas et gravitas. 1429
XXXIX. Iracundiæ effecta in animo, corpore, et in alios. *Ibid.*
XL. Vetatur ira vitiosa. 1430
XLI. Irato blandè respondendum, imponendum silentium aut cedendum. *Ibid.*
XLII. Iræ vitiosæ et justæ exempla; divinam iram deprecantis orationes jaculatoriæ. *Ibid.*
XLIII. Zelus honoris divini exemplis declaratus. 1431
XLIV. Zeli indiscreti exempla. 1432
XLV. Jaculatoriæ petentis zelum animarum, eumque exercentis. *Ibid.*
XLVI. Modestiæ commendatio et fructus: immodestiæ in incessu, aspectu, auditu, vestitu damna et pœnæ. 1433
PARS IX. FORTITUDO ET VIRTUTES EI ANNEXÆ, ATQUE OPPOSITA VITIA. *Ibid.*
CAP. I. Fortitudo animi exemplis declarata. *Ibid.*
II. Constantia martyrum, ejusque effecta et præmia. 1435
III. Patientiæ radix, fortitudo et charitas; crescit adversis; vero christiano propria et exoptanda. 1436
IV. Pro Christo pati gravia felicitas magna imitatione Christi ambienda. *Ibid.*
V. Patientiæ præmium vita æterna, gaudium animi, sanitas corporis, opes et honores. 1437
VI. Ad patientiam variæ cohortationes. 1438
VII. Patientiæ illustria exempla et præmia. 1439
VIII. Jaculatoriæ postulantis patientiam, et se ad eam excitantis. 1440
IX. Impatientiæ pœna et alia effecta. *Ibid.*
X. Constantia et perseverantia ad salutem necessaria suadetur omnibus. *Ibid.*
XI. Ad perseverandum in fide adhortationes. 1442
XII. Increpationes eorum qui non perseverant; quibus illi rebus similes sint, et quo pacto deficiant. *Ibid.*
XIII. Jaculatoriæ postulantis perseverantiam, et hujus exempla. 1443
XIV. Inconstantia peccatoris similitudine declaratur. *Ibid.*
XV. Etiam in Angelis reperta. *Ibid.*
XVI. Est fructus peccati, à Deo vetatur, et punitur. *Ibid.*
XVII. Inconstantiæ exempla. 1444
XVIII. Tribulationis causa Deus, et cujusque peccata. *Ibid.*
XIX. Non omnis tamen tribulatio est propter peccata. 1445
XX. Ad probationem à Deo immittitur, atque ad purgationem, et constantiam majorem. *Ibid.*

Col.
XXI. In eos qui tribulatione non emendantur. 1446
XXII. Tribulatio communis bonis et malis, lata patienter Dei amicos constituit. *Ibid.*
XXIII. Tribulationis et consolationis vicissitudo ad Dei gloriam ordinata. *Ibid.*
XXIV. Promittitur à Deo tribulatio, tanquàm magnum aliquod bonum, et à justis expetitur. 1447
XXV. Tribulatio hujus vitæ exigua respectu gloriæ secuturæ. 1448
XXVI. Tribulationis superatæ effecta in animo et corpore, intellectu et voluntate. *Ibid.*
XXVII. Tribulatio excitat ad quærendum Deum. 1449
XXVIII. Queritur Deus, ne post multas quidem tribulationes ad se reverti peccatores. *Ibid.*
XXIX. Tribulationem qui sustinet, honoratur, qui eam respuit, ut insipiens confunditur. 1450
XXX. Tribulatio excipienda hilari animo, et habenda pro lucro. *Ibid.*
XXXI. Sperandum in Deo, qui juvat et liberat tribulatos. 1451
XXXII. Exempla fortiter superatæ tribulationis. *Ibid.*
XXXIII. Jaculatoriæ confugientis ad Deum in tribulatione, et forti animo eam ferentis. 1452
LIBER IV. DE PRÆCIPUIS ÆVI HUJUS CONTROVERSIIS. 1453
PARS I. DE VERBO DEI IN GENERE ET SPECIE. *Ibid.*
CAP. I. Verbum Dei universim. *Ibid.*
II. Omne Dei verbum audiendum. *Ibid.*
III. Verbum Dei scriptum et non scriptum. 1454
IV. Altus ac divinus verbi divini sensus. 1455
V. Verbi divini intellectus fide paratur et observatione divinæ legis. *Ibid.*
VI. Jaculatoriæ petentis lumen ad intelligendum Dei verbum et observandum. 1456
VII. Judex controversiarum. *Ibid.*
PARS II. DE ECCLESIA UNIVERSIM AC SPECIATIM. 1457
CAP. I. Ecclesia militans in terrâ. *Ibid.*
II. Ecclesia visibilis. *Ibid.*
III. Ecclesia una. 1458
IV. Ecclesia sancta et apostolica. *Ibid.*
V. Ecclesia catholica seu universalis. 1459
VI. Ecclesia inexpugnabilis. 1460
VII. Persecutio Antichristi et victoria Ecclesiæ suprema. *Ibid.*
VIII. Primarium caput Ecclesiæ Christus. 1461
IX. Vicarium Ecclesiæ caput S. Petrus atque ejus legitimi successores. *Ibid.*
X. Hierarchia ecclesiastica. *Ibid.*
XI. Potestas legislativa. 1462
XII. Missi à Deo Ecclesiæ ministri. 1463
XIII. Falsa missio sectariorum. *Ibid.*
XIV. Ecclesia in purgatorio. 1464
XV. Ecclesia triumphans in cœlo. *Ibid.*
XVI. Honor et invocatio sanctorum. 1465
XVII. Imaginum sacrarum ac reliquiarum usus. 1466
XVIII. Jaculatoriæ adversùs persecutores Ecclesiæ. *Ibid.*
PARS III. DE SACRAMENTIS. 1467
CAP. I. Sacramentum fidei, sive baptismus. *Ibid.*

Col.
II. Confirmatio. *Ibid.*
III. Eucharistia. 1468
IV. Veritas eucharistica descripta figuratè. *Ibid.*
V. Asserta propheticè. 1469
VI. A Christo promissa. *Ibid.*
VII. A Christo instituta. 1470
VIII. Usu ipso ab apostolo demonstrata. *Ibid.*
IX. Christus sub quâlibet specie totus. *Ibid.*
X. Fructus idem. *Ibid.*
XI. Sufficit alterutra species. 1471
XII. Exemplo Christi et apostolorum. *Ibid.*
XIII. Et usu et auctoritate Ecclesiæ. *Ibid.*
XIV. Sacrificium Christi cruentum. *Ibid.*
XV. Incruentum Missæ sacrificium descriptum figuratè. 1472
XVI. Assertum propheticè. *Ibid.*
XVII. A Christo promissum et institutum. *Ibid.*
XVIII. Usu ipso firmatum. 1473
XIX. Cæremoniæ probatæ. *Ibid.*
XX. Latria Christo debita. *Ibid.*
XXI. Theophoria et aliæ processiones licitæ. 1474
XXII. Pœnitentiæ sacramentum. *Ibid.*
XXIII. Contritio et Dei dilectio. 1475
XXIV. Confessio. *Ibid.*
XXV. Satisfactio post remissam culpam. *Ibid.*
XXVI. Satisfactio unius pro alio atque indulgentia. 1476
XXVII. Unctio sacra. *Ibid.*
XXVIII. Sacer ordo. 1477
XXIX. Continentia ministrorum Ecclesiæ. *Ibid.*
XXX. Matrimonium. 1478
XXXI. Firmum et insolubile. *Ibid.*
PARS IV. DE MULTIPLICI PECCATORUM DISTINCTIONE ET CAUSA. 1477
CAP. I. Peccatum mortale. *Ibid.*
II. Peccatum veniale. 1479
III. Deus non est auctor peccati. *Ibid.*
IV. Peccatum est ex ignorantiâ, passione et malitiâ. *Ibid.*
V. Peccatum originale. 1480
VI. Peccatum habituale. *Ibid.*

Col.
PARS V. DE CHRITIANA JUSTIFICATIONE. 1481
CAP. I. Vera peccati remissio et sublatio. *Ibid.*
II. Vera justificatio. *Ibid.*
III. Et interna sanctificatio. *Ibid.*
IV. Per fidem, spem et charitatem. 1482
V. Pœnitentiam atque alia opera bona. 1483
VI. Timor salutaris. *Ibid.*
VII. Fiducia certa justorum. 1484
VIII. Impiorum inanis præsumptio. *Ibid.*
PARS VI. DE CHRISTIANORUM OPERUM PERFECTIONE, MERITO, PRÆCEPTO. 1485
CAP. I. Operum bonorum integritas. *Ibid.*
II. Et perfectio. *Ibid.*
III. Non naturalis tantùm, sed et supernaturalis. *Ibid.*
IV. Absque peccati omnis permixtione. 1486
V. Meritum bonorum operum gloria cœlestis. *Ibid.*
VI. Gratiæ et prosperitatis augmentum. 1487
VII. Qui Deum diligit, Deo obedit. *Ibid.*
VIII. Et mandata ejus custodit. *Ibid.*
IX. Deus seriò vult servari sua mandata. 1488
X. Libertas filiorum Dei, non pugnat cum subjectione filiali. 1489
XI. Mandata Dei possibilia. *Ibid.*
XII. Libertas necessaria ad rationem peccati. *Ibid.*
XIII. Finis præcepti charitas non amittitur per lapsus leves. 1490
XIV. Oratio, benedictio, iterata et assidua. *Ibid.*
XV. Jejunium, ciborum delectus. *Ibid.*
XVI. Votum, religio, et alia supererogationis opera. 1491
XVII. Eleemosynæ consilium, præceptum, præmium. 1492
XVIII. Christus ut agnus fidem urget. *Ibid.*
XIX. Ut judex requirit opera. *Ibid.*
XX. Impiorum multiplex pœna æterna. 1493
XXI. Justorum diversa gloria sempiterna. 1494
EPILOGUS. 1493
Argumentum materiarum pro meditationibus, exhortationibus, concionibus. 1495

FINIS

TOMI PRIMI ET PARTIS PRIMÆ INTRODUCTIONIS.

UNIVERSITAS O. M. I. OTTAWIENSIS

Quanquam in exprimendis vocibus hebraicis maximam adhibuerimus diligentiam, non semel accidit, ob litterarum quarumdam similitudinem ac formas typographis insolitas, ut una alterius loco subjiceretur. Hinc, ut solet in omnibus fermè libris qui complurimas linguarum orientalium voces continent, nonnulla in hocce volumen errata irrepsêre quorum gravissima nomenclatura sequens describet simul et emendabit, quantùm sinit *litterarum finalium* defectus :

Col. 177, lin. 10 et 12, pro נשה, lege נשא.
C. 180, l. 49, pro נרו, lege כרו.
Ibid., l. 50, pro נארי, lege כארי.
C. 181, l. 44, pro יקרהו, lege יראוהו.
Ibid., l. 54, pro יקראי, lege ירקאו.
C. 182, l. 14, pro נושצ, lege נושע,
C. 220, l. 6, pro לבלמים, lege לבלביה.
C. 269, l. 39, pro מכר, lege מסר.
C. 283, l. 11, pro דמורבה, lege לטרבה.
C. 289, l. 19, pro קרתים, lege כרתים.
C. 806, l. 15, pro בשקי, lege נשקי.
C. 818, l. 4, pro כגר, lege נצר.
C. 859, l. 39, pro הקיפי, lege הקיפו.

La Bibliothèque } The Library
University of Ottawa

a39003 001796142b
BS 610 .L3M5 1837 V1
MIGNE, JACQUES-PAUL.
SCRIPTURAE SACRAE CURS

CE BS 0610
.L3M5 1837 V001
COO MIGNE, JACQU SCRIPTURAE S
ACC# 1043522

COLL ROW MODULE SHELF BOX POS C
333 10 04 02 04 20 2